6051

12
62

BIBLIOTHECA
VIRGINALIS
MARIAE
MARE MAGNVM
TOMVS
PRIMVS



BIBLIOTHECA

VIRGINALIS

MARIAE

MARIS MAGNVM

TOMVS

PRIMVS

BIBLIOTHECA

VIRGINALIS.

MARIAE MARE MAGNVM.

PRIMO

Ex manuſcriptis, & nunquam antea impreſsis, vetuſtiſsimis codicibus.

SECVNDO

Ab excuſsis, ſed ita perantiquis, vt iam ferè non inueniantur, Libris.

TERTIO

De his, qui ob paruitatem incogniti, & prorſus obliti iacebant, libellis.

QVARTO

A Sanctorum operibus, Patrumque voluminibus, extractis opuſculis,

COMPILATA.

LITERA. A. CONTINET. LV. DOCTORES,

QVORVM,

Libros, Tractatus, Homilias, Sermones, Expoſitiones, & Orationes:

ADDITIS

Notis, Elenchis, Marginibus, Indice Materiarum, Rerum, & S. Scripturę:

R. PATER F.

Petrus de Alua Aſtorga Minorita, Prouincię Limenſis Pater, & Cuſtos,

NECNON

Lector Iubilatus, Sanctæ, atque Supremæ Inquiſitionis Qualificator,

CONSECRAT.

HISPANIARVM PRIMATI,

D. D. S. R. E. C.

ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

BIBLIOTHECA
VIRGINALIS.
MARIALIS REGINÆ.
PRIMO
SECUNDO
TERTIO
QUARTO
QUINTO
SEXTO
SEPTIMO
OCTAVO
NONO
DECIMO
UNDECIMO
DUODECIMO
TERTIUM DECIMUM
QUARTUM DECIMUM
QUINTUM DECIMUM
SEXTUM DECIMUM
SEPTIMUM DECIMUM
OCTAVUM DECIMUM
NONUM DECIMUM
VICESIMUM
VICESIMUM PRIMUM
VICESIMUM SECUNDUM
VICESIMUM TERTIUM
VICESIMUM QUARTUM
VICESIMUM QUINTUM
VICESIMUM SEXTUM
VICESIMUM SEPTIMUM
VICESIMUM OCTAVUM
VICESIMUM NONUM
TRICESIMUM
TRICESIMUM PRIMUM
TRICESIMUM SECUNDUM
TRICESIMUM TERTIUM
TRICESIMUM QUARTUM
TRICESIMUM QUINTUM
TRICESIMUM SEXTUM
TRICESIMUM SEPTIMUM
TRICESIMUM OCTAVUM
TRICESIMUM NONUM
QUADRAGESIMUM
QUADRAGESIMUM PRIMUM
QUADRAGESIMUM SECUNDUM
QUADRAGESIMUM TERTIUM
QUADRAGESIMUM QUARTUM
QUADRAGESIMUM QUINTUM
QUADRAGESIMUM SEXTUM
QUADRAGESIMUM SEPTIMUM
QUADRAGESIMUM OCTAVUM
QUADRAGESIMUM NONUM
QUINQUAGESIMUM
QUINQUAGESIMUM PRIMUM
QUINQUAGESIMUM SECUNDUM
QUINQUAGESIMUM TERTIUM
QUINQUAGESIMUM QUARTUM
QUINQUAGESIMUM QUINTUM
QUINQUAGESIMUM SEXTUM
QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM
QUINQUAGESIMUM OCTAVUM
QUINQUAGESIMUM NONUM
SEXAGESIMUM
SEXAGESIMUM PRIMUM
SEXAGESIMUM SECUNDUM
SEXAGESIMUM TERTIUM
SEXAGESIMUM QUARTUM
SEXAGESIMUM QUINTUM
SEXAGESIMUM SEXTUM
SEXAGESIMUM SEPTIMUM
SEXAGESIMUM OCTAVUM
SEXAGESIMUM NONUM
SEPTUAGESIMUM
SEPTUAGESIMUM PRIMUM
SEPTUAGESIMUM SECUNDUM
SEPTUAGESIMUM TERTIUM
SEPTUAGESIMUM QUARTUM
SEPTUAGESIMUM QUINTUM
SEPTUAGESIMUM SEXTUM
SEPTUAGESIMUM SEPTIMUM
SEPTUAGESIMUM OCTAVUM
SEPTUAGESIMUM NONUM
OCTOGESIMUM
OCTOGESIMUM PRIMUM
OCTOGESIMUM SECUNDUM
OCTOGESIMUM TERTIUM
OCTOGESIMUM QUARTUM
OCTOGESIMUM QUINTUM
OCTOGESIMUM SEXTUM
OCTOGESIMUM SEPTIMUM
OCTOGESIMUM OCTAVUM
OCTOGESIMUM NONUM
NONAGESIMUM
NONAGESIMUM PRIMUM
NONAGESIMUM SECUNDUM
NONAGESIMUM TERTIUM
NONAGESIMUM QUARTUM
NONAGESIMUM QUINTUM
NONAGESIMUM SEXTUM
NONAGESIMUM SEPTIMUM
NONAGESIMUM OCTAVUM
NONAGESIMUM NONUM
CENTESIMUM

HISPANIARVM PRIMATI.

D. D. S. R. E. C.

ARCHIEPISCOPO TOLETANO.

In his tribus Tomis ad Literam. A. pertinentibus sequentia continentur.

* I. *

Elenchus, Sanctorum, & Doctorum quinquaginta-quinque extat, In hoc Primo Tomo, post præfationem ad Lectorem.

* II. *

Index Materiarum secundum ordinem Alphabeti dispositum, vt facilius totum opus comprehendatur. Tomo Tertio.

* III. *

Index Locorum Sacræ Scripturæ, quæ ex professo explicantur, vel Beatæ Virgini MARIÆ applicantur, Ibidem.

* IV. *

Index Rerum, Verborum, & Conceptuum breuis, sed copiosissimus, & extat post Indicem Sacræ Scripturæ, Tom. III.

* V. *

Errata principaliora, & quomodo corrigenda, & emendanda sint, in prædicto Tertio Tomo, folio vltimo inuenientur.

STELLÆ

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sydera cœlo.



CAPVT ABSCISSVM.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: IPSA CONTERET CAPVT TVVM, & tu insidiaberis calcaneo eius.

Genesis, Capite Tertio.

EMINENTISSIMO,
AC REVERENDISSIMO DOMINO
D. Balthasari Moscoso Sandoualio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Purpurato Patri, Hispaniarum Primati, Archiepiscopo Toletano, & Maduarensi, Præclarissimo, Castellæ Maximo Cancellario, & Catholicorum Regum à Supremo status Senatu.

S. D. C.

FONS ille indeficiens, à quo omnis effunditur rerum emanatio, quum voluisset, nulla præcunte materia, res forma constare, aquarum Abyssum ex rudi Chaos educta materia in principio creauit: cumque vasta illa labens, & fluida moles vndique vagans Ætherea per gyrum fluctuantibus vndis sub cœnosa facie circumiactando omnia, cuncta obruendo operiret. Deus Optimus Maximus firmo præcepto, firmamentoquè interposito dixit: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum; Congregationesqué aquarum appellauit MARIA, & vidit Deus, quòd esset bonum. Vt in vnam confluentes sedem, determinatamquè sphærã quasi ex medio, & centro, salsugine deposita, iterum erumpant, & labantur aquarum venæ, venæ scaturiant in fontes, fontes properent in fluuios, in freta currant flumina, lacus effundantur in MARIA; vt vndæ se ipsas opprimendo, & vrgendo in telluris, ac viuẽtium vtilitatem iterum peremniter fluant. Sic nos, EMINENTISSIME PRINCEPS, Virginis Matris immensa Elogia, Matris MARIÆ Panegyrica, Encomia, Epiteta, & laudes penè infinitas colligendo ex vetustissimorum Scriptorum votis, Doctorum iam oblitis placitis, ac sanctorum dictis diuersarum materiarum obrutis voluminibus, & omnes istac, & illac dispersas in hoc Mare Magnum, & Bibliothecam Virginalem, veluti in Oceanum quendam, & locum vnum cæpimus congregare, vt ex litteratorum calamis, deposita rudi, atque indigesta scriptorum salsugine, Typographiæqué antiquata amaritudine in methodum redactas nectareæ

reæ iam,& mellifluæ iterum fluant. MARIAM proſequimur laudibus,dum laudatores ſuos,encomiaſticoſquè Doctores, quos iniuria ætatum iam penè ſepelierat,ac temporum caries exederat,reuocamus ad vitam: Et Auctores quos abſorberat taciturnitatis obliuio,& in obſcuris latitabant anfractibus,nouo propinamus calamo. Etenim aſſeruatis ſcriptis viuit,& bibit ſitibũda poſteritas,& currit extincta fama. Minor ſcriptor magnos illuſtrat Scriptores,vt illa,quę inertia,& vorago deleuerat,reſurgãt ex ſepulchro,ac ſæculorum ſilentio,ad lectionis, & doctrinæ lumen. Hoc igitur MARIÆ pelagus in Tagum cæpit influere Toletum petere, in eius dilabi Antiſtitem,vt ſi Mare à MARIA, à te Magnum decurrat in Orbem. Magna enim, Eminentiſsime Pater,cum Toletana Sede maris eſt affinitas,vt enim Occeanus per occultas latebras totus refuſus,in terris fæcundat aridam, procreat germina; ita ſedes tua, quæ à Romana Prima eſt, & Mare Magnum ſemper fuit, ex quo Catholica Mater Eccleſia,ad mundum vero dogmate imbuendum dulces ſapientiæ aquas effudit. Iamdiu orthodoxa religio, nec minus irrigari ſolet Toleto, quàm Roma, Archiepiſcopalis iam Archipelagi aquæductus ſanæ doctrinæ,eſt & Tagus,vt Tyber Dei ciuitatem ſanctam,& ſponſam agni fæcundat,& irrigat;imo quoties veritas ipſa Romæ,qua nil fortiùs, nil veriús Toleti ſe auctoritate armat,pugnat,docet, ac vincit? Híc Academiam, ac Cathedram ſuam Angelorum Reginam erexiſſe creditur, vt totus Oriens, Occidenſque laudum ſuarum ediſceret præconia. In quem igitur hæ Orthodoxorum in MARIÆ laudes, venæ doctrinæ, ſapientiæ fontes,riuuli,imò,& veritatis flumina decurrerent,niſi in Toletanę Maieſtatis Occeanum,ſuum in terris firmamentum, ac Catholicarum aquarum centrum,in quo tot conſidere Dij (vt ille de Romanis Senatoribus dixit) quot Præſules repoſiti in Eccleſiæ militantis gloriã,& portentũ fuere; quorum omniũ tu MOSCOSE inclyte, & fragrantiſsime Moſche,ita veſtigijs inhæres,vt inter merita tuorum retro Principũ,te Anteceſſorem virtutum veneremur. Quemadmodum enim ſecreto quodam,& mirabili naturæ dono Magnes ponderoſum attrahit ferrum, Naphtha flammam,Cæcias nubem, Electrum,aut Succinum feſtucas, denique Lunæ motus occeanum rapit;haut ſecus amplitudo tua,Eminentiſsime Princeps, Virginalem hanc Bibliothecam,& Mare Magnum MARIÆ ad fœliciſsima Magni nominis tui vocauit patrocinia,acciuit auſpicia,acceſſuit

siuit præsidia. Cui enim verò, grande opus hocce de cœlorum Imperatrice (quod Deo fauente, teque patrocinante ad viginti quatuor volumina erit diffundendum pelagus) debebatur magis quàm tibi, qui Virginalis Matris laudes, & venerationis sibi debitæ incrementa semper, continuèq; indies excitas indefessus! Qui sacratissimas Deiparæ Icones sub Hispano cęlo frequentia populi veneratas, pretiosis exornas donarijs! Qui non minori virtutum omnium, & litterarum excellentia in claro sanguine tuo (velut in crystallo rosæ; vel auro inclusæ gemmæ, collucentium igneścis, & rutilas, quàm eà qua (plaudente iam pridem Vrbe, & Orbe) amiciris purpurà, flores, & fulges! Qui adeo irrequietâ sollicitudine vigilantissimi instar Naucleri tantæ Ecclesiæ nauim moderaris, & regis; subiectaque tibi loca indefessi cursu Pastoris, & Solis perlustras? Tibi ergo Præsulum gloriæ, decori Principum, & litteratorum omnium Mœcenati litteratissimo, tanti operis lucubrationes, & excubiæ tantæ humiliter consecrantur, vt eæ rutilantium syderum, quæ in stemmate tuo veneramur, ab orto splendore clarescant, & luceant. Verum ne in altissimo tuarum dotum Oceano, quem incautus iam cęperam nauigare, absumar naufragus, adeoque notam, qua emicas patientiam fatigem imprudens, cum paucis egeat veritas verbis; & simplici sit contenta sermone, eloquij vela pauidus complicabo; minora semper de te dicta forent, quàm dicenda; malim enim silentio te mirari, quàm ore tuas laudes inepto delibare. Sed licet in omnibus Magnus sis, tamen in te duxi vnum celebrandum, quòd reuiuiscere facis, & Pontificum, & Augustorum Hispaniæ (ea certè ex ijs omnibus commune seculis vectigal est) prudentissimum dignitatis contemptum: de te autem quod de magno Theodosio nostro pariter canendum, pariter mirandum; nec enim cum alio te confero. Nonne ambo meruistis imperare rogati! Tu verò qui veritate, & meritis (præsertim zelo regiminis non antea viso) sic honore cunctos Iberos Præsules antestare fatemur; cui, vt primus es, principium, & principatus debetur: Tu proinde, qui meritò diceris dignitatum Alpha, cape alphabeti huius exordium, & initium laboris nostri, dum Omega tibi ad fœlicem exitum paramus, ex his Ecclesiæ Doctoribus, qui MARIAM celebrando rectè, riteque præbuerunt sapientiæ

debitum, pietati cultum, religioni amorem, eloquentię decus, beneficijs reſponſa, virtutibus calcar, vitijs frenum, mortalibus quietem, cęlitibus gaudium, inferis terrorem, ac demum vniuerſis creaturis amoris, ac deuotionis ſigna. Vale TOLETANÆ MAIESTATIS HONOS, vt ſub tuo nomine antiquitatis monumenta, quæ ſolùm poſsidebat, iam deinceps lætus fruatur orbis. FELIX VIVE, vt ſub tuo numine emortuæ reuiuiſcant litteræ, & feliciter per te reneſcantur litterati. CÆPTIS NOSTRIS ADSPIRA quæ ſi non fecimus, conſeruamus; & ſi non à nobis fuerunt producta, exeunt tamen hìc reproducta. FOVEAS MAGNIFICENTIA, MVNIFICENTIA FAVEAS, vt tot calamis Virginem Dei Genitricem MARIAM laudes, quibus laudatores ſuos, nunc præſtas honorem, patrocinium, maieſtatem, & gloriam.

Eminentiæ tuæ.

Humilis, & minor.

Fr. Petrus de Alua
& Aſtorga.

AD

AD LECTOREM.

Præfatio.

Inscriptio Præsentis operis (in Christo IESV, ac eius sanctissima Immaculatâ Matre MARIA absque originalis peccati labe concepta) amantissime lector, ex titulo, & Icone in principio operis affixis, satis superque constat: cùm enim sacratissima Virgo, tum nomine, tum etiam re, Mare, & Magnum mare sit; à Mare etenim MARIA dicitur, vt cõmuniter sentiunt omnes Ecclesiæ Patres; & siue Maris appellatio ab aquarum congregatione sortiatur nomen, vt vult Hieronymus, siue à magnitudine, vt docuit Beda, vtrumque cernimus in Deipara, ac Domina nostra MARIA, in qua congregata sunt omnium gratiarum flumina, & gloriæ Abyssus; cui fecit magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Maximam in quam in terra, & in cœlo, homines, & Angelos, in Ecclesia militante, ac triumphante; nec non maximas eius laudes sacri scriptores ex Oriente, Occidente Septentrione, ac Meridie, & præconia eius extollunt. Europa, Asia, Africa equid America? cum præsens calamus, & Mare magnum ab illo cęperit nouo climate, cœlo, & mundo! Itaque si attramentum quod è Doctorum calamis emanauit ad Virginis Matris exarandas laudes ab ortu nascentis Ecclesiæ, vt aquæ, in vnum defluxissent locum, non iam lacum, sed aliud Mare magnum oceano maius esset in orbe terrarum. Iure igitur optimo illorum, illarumque congregatio Bibliothecam virginalem, & Mare magnum MARIÆ vocamus.

Causa assumpti operis solùm fuit, & est, Virginis MARIÆ Angelorum, & hominum Reginæ honor, & gloria; ipsa enim initium dedit, excitauit deuotionem, principium in hisce tribus tomis comprehẽsum perfecit, & optatum parat exitum. Quomodo enim pauper, ac nudus, pauperrimi Seraphici P. N. FRANCISCI filius solus, omni destitutus Auxilio, tantam Prouinciam non solùm assequi, imo nec ex cogitare posset, vt quingentos, & ampliùs congregaret Doctores antiquos, quorum non tantũ vetustissima scripta erant obliuioni tradita, sed memoria, & nomen eorum apud ipsosmet litteratos penitus extincta, ac in his tribus tomis operi principium, & consummatum initium præstare, vbi quinquaginta quinque Authores ad litteram A. pertinentes in lucẽ prodeunt, nisi efficacissima illa omnium adiutrix, & aduocata penè euidentibus signis semel, & iterum expertis, opem pręstando insinuaret gratum sibi fore, vt præsens hoc, & ingens opus ad fęlicem exitum perduceretur!

Vtilitas adeò magna erit, vt illam hac breui, & compendiosa præfaciuncula vel le exprimere impossibile sit. Ecclesiæ Triumphanti primùm gloria augetur immensa, dum Dominam, Reginamque suam tot adunatis Elogijs, ceu panegyricis laudibus videt in terris cultam, ita vt propissimè iam dicere possit, quæ est ista MARIÆ gloria, quæ ascendit de deserto, ac desertis iam Patribus delitijs affluens, Ecclesiæ militanti: fęcundatio tribuitur, & ampliatio, de solis enim MARIÆ laudibus plus est solicita, MARIÆ præconijs exornatur, MARIÆ elogijs reflorescit, ac denique Ecclesiæ status quis, & qualis hisce sit temporibus à MARIÆ veneratione, deuotione excellentijsque est trutinandus. Quid de Hæreticorum confusione, ac confutatione? nonnè ab hoc Mare magno absorbentur reptilia quorum non est numerus! dum tantis viderint decantatum melodijs Ecclesiæ collum, quomodo enim ipsa sola omnes hæreses interemit, & antiqui serpentis caput contriuit ex his antiquorum patrum monumentis constabit. Nec minor erit Catholicorum scriptorum excitatio, quis dum tot tantaque prospiceat Virginis MARIÆ Dei Matris panegyrica elogia in vnum collecta, ceu fundamenta posita, non se accinget ad Turres Dauidicas erigendas, & Marianum ædificium muro, & ante murale, ac clypeis aureis construere, ac exornare? Prædicatores verbique Dei Concionatores non iam noua inueterata, sed vetera innouata proponendo sagenam missam in hoc Mare magno, & aratro præsentem fertilissimum agrum proscindendo, & pisces bonos, ac margaritas pretiosas, inueniet replet, & proferet? Denique omnes, & singuli Christianæ Religionis Fideles, Ecclesiastici, ac seculares, absque cura, solicitudine, & librorum sumptu, litterati sapientiam; simplices deuotionem, consummati exquisita, incipientes fundamenta, contemplatiui

profunda, actiui exercitia; quid immoror? omnia à Sanctis Patribus, & antiquis Doctoribus de hoc virgineo Mare dicta, excogitataq; videat lector, ac perpendat, & si illorum Ecclesiæ vtilis labor, ac studium fuerint, indeque ad hæc nostra argumentum deducat: Eadem enim inueniet, simulque iuncta in hoc Mare magno, & virginali Bibliotheca.

Finis præcipuus est Dei, & Domini nostri IESV Christi, honor, & gloria (Matris etenim redundant in Filium) Deinde ne Deiparæ elogia quæ à Iatronibus tempore, & obliuione semiuiua fuerant relicta, penitus sepelirentur morte; item ne tantorum Doctorum, ac Religionis Christianæ Patrum periret memoria: constaretque in æternum futuris seculis, quæ & quanta quælibet Religio, Ordo, status, ac personæ pro gloria cœlorum Imperatricis elaborarunt. Ijs addimus quod Doctores, & Authores iam ferè non inueniebantur, ita, vt consulendo eruditissimos nostræ Hispaniæ Religiosos circa aliquos Doctores sui instituti, non solùm opera ab illis scripta; sed & nomina vt inaudita penitus ignorabant. Denique demus quod aliqua opera ex Doctoribus hic transcriptis litteratorum terantur manibus, tan antiquis extant scripta characteribus, vt nec à Doctis legi possint, carentque simul indicibus Sacræ Scripturæ, ac rerum, quod est nauem absque gubernaculo, vel clauo, & corpus sine anima possidere.

Præstantia, operis à multis dignoscetur. Primò ab obiecto, quia de præstantiori excelentiorique totius Ecclesiæ agit. Secundò à necessitate; etenim de Virgine MARIA pluspuam de omnibus alijs sanctis etiã colectiue sumptis scribitur, & prædicatur. Tertiò ex magnitudine, quia liber iste excedet omnes alios hucusque Typis mandatos; nam Bibliotheca veterum Patrum, quæ ab anno 1575. cepit, & septies impressa, & in ea augenda laborarunt triginta, & ampliùs Doctores, ita vt vsque ad 19. tomos creuerit, & locupletior constet 400. Doctoribus ad varias, & diuersas materias pertinẽtibus; & multi ex illis nõ ita Orthodoxi, vt saltim purgatione non indigeant, caret similiter Indicibus Materiarum Rerum, ac Sacræ Scripturæ; denique Authores incogniti ibi iacent, solùmque de pauciſsimis notitia præstatur quis, qualis ve fuerit, vel quo tempore vixerit. At nostra Bibliotheca agit de vno determinato obiecto, assumptoque indiuiduo scilicet de Virgine MARIA, constabit (Deo dante) ex 24. tomis in quibus dabimus 500. & ampliùs Doctores copiosissimis indicibus exornatos, Notis seu præfaciunculis, in quibus vitam, statum, seculum, & annum in quo floruerunt, liaque scitu dignissima patefacimus; & omnes adeo Catholici, ac sanæ Doctrinæ, vt mea quidem sententia, nec apicem habeant expunctione dignum.

Methodus operis erit non procedere per materias, nec per seculi ætates in quibus Authores vixerunt, vt obseruarunt compilatores prædictæ Bibliothecæ Veterum Patrum, quæ omnia potius confusionem quàm claritatem gignunt. Sed noster stylus erit per Authorum nomina iuxta ordinem Alphabeti discurrere. Doctores quorum nomina continentur in littera A. his tribus tomis absoluimus, littera B. vnum continebit tomum; Alterum littera C. littera D. Alterum; F. verò I. & P. quia fœcundiores sunt litteræ, & plures claudunt Doctores singulæ duos, vel tres continebit tomos K. littera nullum habet Q verò, Y. & Z. vna quæque habet vnum solùm Doctorem, & cùm quælibet littera sit pars integra, & completa sub fine cuiuscumque collocauimus Indices, siue vnum siue plures contineat Tomos.

Intentio operis solùm est in illo Doctores Typis mandare, ac illustrare (vt in titulo diximus) qui nunquam impressi fuere: quia cùm Authores vixerint ante inuentionem artis Typographiæ eorum opera licet erudita, oblita iacebant in Bibliothecis: vel aliorum; qui & si Typis mandati fuerunt iam non extant, vel rarissimè inueniuntur, & istorum tantus erit numerus, vt visi, adhuc litteratissimis in admiratione erunt. Tertia classis erit illorum, qui & si non multis ab hinc annis Typis mandati fuerit, ita parui voluminis sunt, vt à manibus elabantur, & sic ab oculis; ac eruditisque quasi despiciuntur ob exiguitatem. Quarta erit ex opusculis Sanctorum Patrum. Quorum opera: licet passim inueniantur, tamen quæ ad laudem Virginis MARIÆ spectant cùm sint parua opuscula, vna vel altera Homilia Sermo, vel Oratio, recondita, & occulta iacent inter ingentem papyri molem, carent Indice, & non facili negocio, nec illa, nec in illis contenta inueniuntur, ideòque ab illa confusione ex tractis in hanc nostram collocamus Bibliothecam. Hæc est nostri

assump-

assumpti laboris intentio. Libros autē, qui ex se, & per se agunt ex professo de Beata Virgine MARIA, & integros conficiunt Tomos, & passim inueniuntur, vel aliqua adhibita diligentia: verbi gratia; Richardum de Sancto Laurentio semel, & iterum Typis mandatum, Bernardinum de Bustis similiter; Bartholomæum dē Pisis impressum Venetijs, anno M D. XCIII. Petrum Canisium, Lucam Pinellum, Ægidium Lusitanum, Cartagenam, Castrum, Bonifacium, Ioannem Baptistam Nobatum, Perlinum; & alios huiusmodi penè infinitos absolutè prætermittimus.

Diuisio operis ex superioribus patet, solùmque est animaduertendum, quod licet habeamus Poetas, qui de Beata Virgine MARIA metrycè, doctè, & deuotè scripserint, nullum tamen nunc damus, quia postquam finita, & completa fuerit hæc Bibliotheca, alteram de solis Poetis compaginabimus. Quod feci, tum, vt non misceantur materiæ, tum quia, nec papyrus, nec Typographiæ nostræ Hispaniæ iubant, tum & præcipùe: quia si Poetas verbi gratia ad litteram A. pertinentes, vt sunt Actius Sanazarius, Albertus Vngerius, Alphanus, Alphonsus Ianuarius, Andræas Frisius, Angelus Fagius Angelus Politianus, Antonius Balingen, Aristoteles de Benedictis, Aurelius Prudentius, & alij, his tribus adiungerentur tomis alterum efficerent integrum Tomum, quod Typis mandare nostris viribus nunc, esset impar, & sic necessitati consulendo magis necessaria Typis mandamus. Hæc eadem imposibilitas causa est quare de pertinentibus ad litteram A. aliquos relinquimus Doctores dignos sanè, vt eorum opera a tenebris in lucem exirent, v. g. Antonij Boniti Chucari ex Seraphica familia ad Episcopatum Acernensem assumpti opus ingens, & ita per antiquum, vt rarus, vel nullus ferè sit huius ætatis Doctor, qui ipsum habeat imò nec viderit, extat impræsum Neapoli per magistrum Ioannem Antonium de Caneto, Anno Domini M. D. VIII. in 4. & habet folia 319. & incipit opus, *Cum inter fideles*, Prætermito etiam Mariale seu declamationes de Beata Virgine MARIA. Alphonsi ab Orozco Augustiniani impræsum Compluti per Andræam de Angulo, anno M. D. IXVIII. in 8. & habet folia 215. & incipit: *Deus optimus maximus charissimi*, & eiusdem tractatum super Magnificat, etiam in 8. qui incipit: *Postquam nonnullam partem*, & habet folia 65. Prætermito etiam Ambrosij Catherini Dominicani Episcopi Minoricensis tractatum pro veritate Immaculatæ Conceptionis V. M. Impræssum Romæ, anno M. D. LI. & incipit Prologus *cū ab hinc fere sexeniū* opus verò in duas partes distributū incipit *Immunitatē Beatissimæ* Prætermito etiam P. Antonij Nauarro Lerenensis Ordinis Prædicatorum Sermones de Beata Virgine MARIA, & sermones eiusdem in Sabbatis Aduentus opusculum seiunctum, & incipit: *Mirum sanè est quod Dominus*, ex Sermonario impræssò Matriti per Petrum Madrigal, anno M. D. XCIII. Prætermito denique opusculum Anonymum impræsum (vt ex ipso constat) à patribus Dominicanis, anno M. D. IX. cuius titulus est: *Deffensorium impiæ falsitatis à quibusdam Pseudopatribus Ordinis Prædicatorum excogitatum, principaliter contra mundissimam super Benedictæ Virginis MARIÆ Conceptionem, cum inscriptione actorum in Berna sub annis Christi mellesimo quingentesimo septimo octauo, & nono vsque ad vltimum Mai, &c.* Est in 4. vetustissimis, ac minutissimis characteribus scriptū habet folia 29. & incipit, *Quoniam ea quæ ad ædificationē, proxima sunt*. Hæc omnia ex Authoribus ad litteram A. pertinentibus prætermissimus, digna certè vt Typis mandarentur, sed vis, & posibilitas non æquantur desiderio, ac voluntati: at ex dictis, quæ ad Immaculatam Conceptionem Virginis MARIÆ pertinēt, in alia Bibliotheca, quam paramus ex Authoribus, qui præcisse de Conceptione Virginis agunt, si mea Seraphica Religio annuerit, auxiliumque præstiterit (quod in desiderio, & votis habet) Deo dante præstabimus.

Notanda verò sunt aliqua pro his, & subsequentibus tomis (ordo enim methodus, atque dispositio vna in omnibus erit) Primò, igitur animaduertendum est, quod quælibet littera est pars integra, & quasi vnus completus Tomus, licet in duos, vel tres sit distinta ideò ad finem cuiuscumque litteræ collocabimus tam Elenchum Doctorum, quàm Indices Sacræ Scripturæ, ac Rerum. Secundò quod vbicunque inueneris in textu hoc signum * indicatur, quod sensus, vox, aut Grammatica mendosa extat, indiget que aliqua correctione; noluī tamen ea corrigere ex proprijs, sed solùm asterico signare. Tertiò, quod hoc ipso signo * reperto, in indice Sacræ Scripturę, vel Rerum denotamus, quòd capitalis numerus paginarum, seu foliorum manet in opere, in parte, vel in toto viciatus, sicque lector attentè requirat quę illo signantur in Indice. Quarto, quod reliqua pertinentia ad Elenchum Doctorum, ad Notas, Indices rerum, ac Sacræ Scripturę, & Erratas, videat lector in suis proprijs locis, vbi hęc eadem, & alia iterum animaduertimus, maioris claritatis gratia.

Mo-

Modus Congerendi, & adunandi Authores præsentis Bibliothecæ fuit: Primo: percurrendo omnes Hispaniarum Indiarumque Bibliothecas communes, præcipue Salmanticenses, Toletanas, Hispalenses. Secundo: particulares, vt Regiam S. Laurentij Escurialis, & alias illustrium virorum. Tertio: consulendo omnes viros Doctos tam litteris, quàm os ad os. Quarto Auxiliu m præstando amicus noster, & in congerendis de Beata Virgine libris consodalis. D. D. Antonius de Leon Pinelo Supremi Indiarum Regij Senatus, & Cameræ earundem à Relationibus, in cuius speciali Bibliotheca hodie (quod notatu, & laude imò admiratione dignum) fere sexcenta quæ ex professo de Beata Virgine MARIA varijs linguis titulis, & thematibus tractant excusa, & manuscripta volumina habet, quæ non solùm videnda nobis communicat, sed ingenuè ministrat, & liberaliter donat, & ipse quoque eodem affectu, & nostro etiam admisso interuentu (vt alter alterius onera portemus) in duos de Angelorum Regina tractatus Latinè, & Hispanicè non paruæ vtilitatis, ac eruditionis disponendo laborat, quibus omnibus nostrum Mare magnum augmentamus, atque illustramus.

Ratio equidem erat, vt in nostra Hispania à tot, & tantis desiderata Bibliotheca ortum, & initium sumeret; lamentabatur equidem Matris Dei Religio, ac cultus; omniumque concussa erat deuotio quod thesaurus hic in Ecclesia Dei lateret, & si aliqui Authores erant patefacti vagabantur, ita vt non inuenirent Docti quoquo certo se verterent, sed cum nostra Hispania sit Virginis Dei Matris, Portiuncula, eius deuotionis centrum, excelentiarum Horologium, venerationis cor, atque floridissimus fertilissimusque ager, vbi tot tantaq; Concilia, & æcumenicę synodi laudibus Deiparæ fundamenta posuere, ex benignitate sua in hac seelegit atque vetustiori, & opido de Caruajales natum filium, & ex Seraphica S. P. N. FRANCISCI familia Alumnum (cuius studium totusque conatus à sua prima fundatione fuit, & est, laudem gloriam, & honorem Immaculatæ Virginis MARIÆ in dies augere) vt inuentum thesaurum communicaret Orbi.

Labor, igitur noster quantus, in tot tantisque Doctoribus, non solùm oblitis, sed prorsus incognitis, colligendis, & à calumnia temporis vindicandis fuerit; qualis adhuc ex cognitis, verbi gratia SS. Athanasio, Augustino, Ambrosio, Anselmo, Antonino, Andræa Cretense, Alexandro de Ales, Alberto Magno, &c. De nouo addere fragmenta, & opuscula quæ, nec in eorum operibus inueniuntur, nec à litteratis visa fuere; quid Notis omnes illustrare, vbi non solùm ea quæ ad sufficientem, sed etiam ad exactam notitiam pertinent ex confusione, & obliuione extraximus; quid vetustissima exemplaria quærere, legere, conferre, corrigere, ac emendare; quid deniq; indicibus Sacræ Scripturæ, materiarum, rerum, ac verborum ingentem hanc mollem exornare, finita nostra Bibliotheca Deo dante apparebit. Præcorque, & suplex exoro omnes, & singulos litteratos Virginis MARIA deuotos, vt si libros singulares, vel opuscula exquisita habent, nobis communicent, vt grato animo, & æqua pietate accepimus à R. P P. Iacobo Nysseno Basilio, Thoma de Herrera Augustiniano. Didaco de la Cruz & Mendoza, Antonio de Losada, ex S. P. N. FRANCISCI familia alumnis, vt sic, nec capillus cadat, seu potiùs, ac veriùs dixerim, minima stella Coronæ virgineæ in ęternum pereat.

Opus acceptissimum esse Virgini Deiparæ non dubitamus, & alijs pro nunc maioris momenti signis prætermissis, omnes aprobationes seu censurę exhibitę fuerunt in aliqua ex principalioribus eiusdem Sacratissimę Matris festiuitatibus, vt intuenti patebit. In eisdem tres prę sentes tomi ad litteram A. pertinentes Typis mandati fuere, necnon in Sacratissimo Expectationis die hęc vltima est manus imposita. Prę eareque lector, vt totum opus ad felicem exitum Angelorum, & hominum Regina Deique benignissima Matre MARIA patrocinante perducatur. Vale.

CEN.

CENSVRA R.P.F. IOANNIS DE QVIROS LECTORIS

Iubilati Beticæ Prouinciæ S.P.N.Franciſci Diffinitoris, ac Patris, necnon Sanctæ, & Supremæ Inquiſitionis Qualificatoris, omnium Indiarum Vicecommiſſarij Generalis.

VIdi ſuperiorum iuſſu, nec ſine ſtupore legi Reuerendi Patris Fr. Petri de Alua, & Aſtorgà Bibliothecam iſtam quam ex immenſa penè authorum Silua, in Deiparæ Sanctiſsimæ obſequium ex his qui iam olim, tum inculte, tum diſperſim vagabantur, miro nunc ordine collectam, & accurata methodo inſtar ameniſsimi quidem, & irrigui horti floreſcentem oculis propinat. Sed quam, proh Deum, quam feliciter, vel ipſius artificis mihi fatis innuit, non ſine auſpicati ominis euentu, nominis felicisſima ratio. Velut enim exoriens Aurora, quæ tenebris inuoluta iacebant, luci, ſolique donauit, quæ horroris ſitu obſcurabantur, nouis ſuis purpurauit ſplendoribus, quædam nunquam fatorum iniuria viderant, cœlo frui, & aere fecit ſereno; quæ caliganti ſpecie humanos viſus arcebant, eos tandem ſplendenti habitu ſubire cogit. Ergo Bibliothecam nobis lucidiſsimam edidit, qui vt Nepotiano loquitur Hieronymus, *lectione aſsidua meditationeque diuturna pectus ſuum* Deiparæ *Bibliothecam* effecerat. Atque mirum illuſtrauit eam, & illucidauit Aurora, cuius, vt Silij Verbis vtar.

Lux rubet, & flammis propioribus omnia mulcent,
In faciem puri redeunt languentia cœli.

Rubet inquam, nouiter Franciſcani tractus, Aſtorgenſis aurora, & errores vereberis, ne tenebroſa aliqua, vel in fidei, vel in morum puritatem nubecula, opere eius omnino lucido oggraſentur, quominus in offenſo Catholicæ religionis obtutu, aut ſalutis animarum pede ocurratur, abſit, vidi, & cucurri, nec quid eiuſmodi caliginis vſquam occurrit viſui, lucem igitur aſpiciat, quæ lucis vſuram nobis portendit, Bibliotheca, ita cenſeo Hiſpali, die 15. Auguſti, anno reparationis noſtræ 1645.

Fr. Ioannes de Quiros.

Facultas à Reuerendiſsimo P. Fr. Ioſepho Maldonado Seraphicæ Ordinis S.P.N. Franciſci Patre, vtriuſque Indiarum, nunc etiam totius familiæ Ciſmontanæ Commiſſario Generali extat conceſſa, & expedita apud R.P. Fr. Emanuelem de Alameda Secretarium, die 5. Septembris, anno 1645.

CENSVRA REVERENDISSIMI PATRIS FRATRIS

Iacobi Nyſſeni, Ordinis S.P. Baſilij Magni, ſemel, & iterum Prouincialis emeriti.

EX præſcripto D. Don Ildephonſi de la Palma Sancti Officij Inquiſitionis Conſultoris, & huius Regiæ Curiæ, ditioniſque ſibi adiacentis Generalis Vicarij opus vidi hacce notatum Epigraphæ, *Marre Magnum*, ſiue *Bibliotheca Virginalis* à R. P. Fr. Pedro de Alua Lectore Iubilato, Supremæque Inquiſitionis Calificatore ex Seraphico Ordine alumno compilatum, & vndequaque ſumma arte, ingentique diligentia ſtructum, nullum, in hoc Maremagno marinum offendi monſtruum, nullum inquam dogma, quod orthodoxæ fidei Catholicæq; doctrinæ lethalem poſsit halitum deſpumare, interque errorum ſinuoſos anfractus veritatis nauem abſoruere. Imò omnes quos ex Bibliotheca Virginali recenſuit Authores doctos, eruditos, & in magnam Dei matrem omnigena pietate inſtructos cenſeo. Multique, qui in Bibliothecarum angulis cum blattis, & tineis digladiantes deliteſcabant, digni profecto, qui in publicam emittantur lucem, foraſque prodire iubeantur. Quorum eruditis, & ſacris luminibus ſacri verbi buccinatores ſuas ad populum de tanta Virgine pro roſtris conciones habeant, & cogitationes nouas explicent, oterque quaterque beatum virum, qui tam laudabili ſudore, tam illuſtrium virorum acies inſtruxit, vt Deiparentis ſanctiſsimæ encomia iam vberius ad æthera offerantur. Quare hoc eximium opus, vt Typis mandetur, ex animo voueo, & iudico, in magni Baſilij Matritenſi cœnobio, die 8. Decembris 1645.

Fr. Iacobus Nyſſenus.

Licen-

Licentia D. D. Alphonsi de la Palma Sanctæ Inquisitionis Consultoris, ac Vicarij Generalis; extat concessa apud Ioannem del Campo Notarium, die 11. Decembris, anno 1645.

CENSVRA REVERENDISSIMI PATRIS FRATRIS Ioannis Ponçe de Leon, ex Sacra Minimorum Sancti Francisci de Paula familia, Philippi Quarti Hispanarum Regis Prædicatoris, Supremi Concilij Generalis Inquisitionis Qualificatoris, ac omnium Bibliothecarum Visitatoris, &c.

M. P. D.

SVpremo mihi iubente Senatu *Bibliothecam Virginalem*, siue *Maremagnum* sanctissimæ Virginis Dei Matris MARIÆ vidi, & legi, Author huius illustrissimi partus iure optimo ex Religiosissima Minorum familia Lector iubilatus R. admodum P. Fr. Petrus de Alua, & Astorga, Prouinciæ Limensis in Regno Peruano, Pater, & Custos, & in Supremo Concilio Generalis Inquisitionis Qualificator, in qua labore nouo lustrat, & illustrat, ea quæ per seculorum latissimas ætates in tenebris latitarunt noctis, & in hac Alua sua vident, & respiciunt Aurorã Reuera Mare magnum in his quæ Sanctissimæ Virgini adaptantur, vbi doctrinæ sanæ, antiquæ, viridicæ, ac venerandæ gaudens exquisitas Virginis laudes, doctissimas notas, & omnigenæ eruditionis ornamenta quæ instrumenta sunt, & erunt ad Sacræ Scripturæ sensus, & Sanctorum Patrum Doctorumque penù in Deiparæ laudem rimandos, inveni thesaurum. Nouus iam nostram Hispaniam illustrat Indianus; singularis Europam ditat Americus, qui, hucusque in auditum (sed desideratum) non iam per maria, sed in MARIA mare magnum nauigans, ex abditis terræ viscerib̃s eductas labore argenti venas, ex oblito terræ puluere collectum industria purissimum aurum, denique ex profundo centro obliuionis studio, & diligentia extractas præciosas margaritas, Orbi, & Ecclesiæ, vt alter litterarum Colonus communicat. Obtandumque, vt Bibliothecam inceptam, & Alphabetum totum impleat, & perficiat, vt sic Author famam, Hispania nostra Coronam, familia Seraphica honorem, Religiones omnes pulchritudinem, opus æternitatem, ac Virgo MARIA Angelorum, & hominum Regina gloriam consequantur. Hoc meum est desiderium, & votum. Datum Matriti 2. Februarij, anno 1646.

Fr. Ioannes Ponce de Leon.

Priuilegium Regale ad decenium extat expeditum apud Ioannem de Otalora Gueuara. Matriti die 22. Februarij, anno 1646.

Supremi Senatus Tassa, *de que se venda à cinco maravedis cada pliego, y no mas*, extat data apud Franciscum de Sandoual Quixanum, die 27. Nouembris, anno 1648.

Errata, correcta extant ad finem tertij Tomi, fide data à D. Carolo Murcia de la Llana, die 1. mensis Nouembris, anno 1648.

ELEN-

ELENCHVS
DOCTORVM.

NOTA.

NOT. Primò, quòd etsi Compilatores Bibliothecæ veterum Patrum, vt Margarinus de la Vignè, & Doctores Parisienses; ingens illud suum opus distinxerint per Materias, & Tractatus: Colonienses verò per ætatis, seu temporis curricula, iuxta sæculum, & annum in quo vixerant, Auctores; ego aliam sequutus viam, & meo arbitratu clariorem, facilioremque, Doctores præsentis Bibliothecæ congero, & aduno, secundùm eorum nomina, iuxta ordinem Alphabeti. Not. Secundò, quòd Doctores, quorum nomina incipiunt à prima Littera. A. & in his tribus Tomis continentur, sunt 55. atque hic sub breui compendio adnotamus cuiusque Nomen, Cognomen, Patriam, Professionem, Annum in quo claruit Opera, quæ de Beatissima Virgine MARIA scripsit; ac denique, in quo Tomo, & folio extat; cætera videnda sunt latè in Nota vnicuique præfixa. Not. Tertiò quòd licet multis sint insignes Poetæ, qui metricè de B. Virgine MARIA, eruditè, & singulariter scripserunt, quorum nomina à littera. A. incipiunt, vt sunt, Actius, Syncerius Sannazarius, Albertus Vngerius, Alphanus Monachus Casinensis, & Archiepiscopus Salernitanus, Alphonsus Ianuarius, Andræas Frisius, Angelus Fagius, Angelus Politianus, Antonius Balingen, Aristotelis de Benedictis, Aurelius Prudentius, &c. Quorum opera poetica de B. Virgine apud nos habemus: nullum tamen hic eorum damus propter rationem in apparatu ad Lectorem assignatam. Not. Quintò, quòd procedendo secundùm Alphabetum, quælibet littera est pars integra, & completa, ideoque Indices, tam Auctorum, quàm Scripturæ, ac Rerum ad finem cuiuscumque litteræ erit collocandus, siue materia vnum, vel plures comprehendat Tomos. Not. Sextò, quòd aliqui Auctores, ex illis quorum nomina incipiunt ex Littera. A. & in tribus Tomis continentur, extant permixti, hoc est in Tertio Tomo, sunt aliqui impressi, qui secundùm ordinem Alphabeti ad primum, vel secundum pertinere videbantur, & è contra: res equidem parui momenti, sed animaduertenda, quia pauper non quod vult, sed quod potest, executioni mandat. Sancti verò, Doctores, & Auctores Antiquiti, in his tribus Tomis contenti sunt.

ELENCHVS AVCTORVM, LV. QVORVM NOMINA incipiunt à Littera. A. & in his tribus Tomis continentur.

1 D. Absalonis Abbatis Spinchirbacensis Monachi Benedictini, vel, vt alijs placet, Canonici Regularis ad Sanctum Victorem: Religione, pietate, & doctrina exornatissimi: Scripsit Sermones quinquaginta, quorum decem sunt, *De præcipuis festiuitatibus* intemeratæ Dei Matris Virginisquè MARIÆ: Multis ab hinc annis à R. P. Daniele Schillinco impressi, vetustate penè extincti, in lucem prodeunt. Et extant *Tom.* 1. *fol.* 1. Claruit anno à Virgineo Partu MCXX.

2 D. Ada-

2 D. Adami Brovveri Lutzij Sacræ Theologiæ Licentiati Et SS. Gereonis, & Vrsulæ Vicarij emeriti, & in diuinis Scripturis eruditi. *Aue, Salutatio Angelica multiplici precularum & Hymnorum serto coronata*, Opusculum, continens variam praxim salutandi Deiparam MARIAM Necnon Salutationis Angelicæ Encomia, Explanationes, Exercitia, & alia, quam plura scitu dignissima. Extat *Tom.* 1. *fol.* 31. Clarebat anno à Christi salutifera Natiuitate. MDCXX.

3 F. Adami Sasbout Delphi ex Seraphico Ordine Minorum Hebraicarum, Græcarumque litterarum peritissimi, *Homiliæ quatuor de Purificatione, Annuntiatione & Assumptione* Immaculatæ Virginis MARIÆ, omni diligentiæ reuisæ, & emendatæ. Extant *Tom.* 1. *fol.* 61. Floruit anno Redemptionis generis humani. MDXL.

4 P. Adriani Mangotij Belgæ Societatis Iesu, zelo animarum, & pietate inflammati, *Monita Mariana, ex Scriptura, & Sanctorum Patrum scriptis potissimum collecta.* Hoc est in laudem, & gloriam Beatissimæ Virginis MARIÆ, sodalibus prædicati Sermones. Extant *Tom.* 2. *fol.* 87. Scribebat anno salutis nostræ. MDC.

5 F. AEgidij Columnæ, communiter, Romani vocitati inter Scholasticos Doctores, & Scripturarum Magistros sui temporis, celeberrimi, vt omnia, & singula ipsius indicant scripta: *Expositio in Salutationem Angelicam*, videlicet, *Aue MARIA*, Opusculum iam penè extinctum. Extat *Tom.* 3. *folio* 483. Obijt anno à mundi vita in Christo. MCCCXVI.

6 F. Alani de Insulis, vel Insulensis Teutonici Monachi Claraualensis, & Episcopi Antisiodorensis Theologi, Philosophi, & Poetæ celeberrimi, cognomento vniuersalis, *Compendiosa in Cantica Canticorum ad laudem Deiparæ Virginis MARIÆ eiuci datio*. Pia docta, & à paucis visa, eandemque esse iudicamus, quam B. Alano de Rupe ex Dominicanorum familia tribuunt cui adiungimus *Poemata* aliqua de B. Virgine ex Anticlaudiano eiusdem Alani hucusque Anonyma. Extant *Tom.* 3. *fol.* 551. Obijt anno Domini. MCLXXXII.

7 D. Alani Varenij Montaluani Tolosani Philosophi insignis, Theologi admirabilis, & Angelorum, & hominum Reginæ MARIÆ deuotissimi, *In laudes, & præconia sanctæ Dei Genitricis laudatorium, siue Panegyricum Opusculum.* In sermonibus quinque diuisum omni mellifluitate redundans, sed omnium oculis, & notitiæ hucusque ocultum. Extat *Tomo* 3. *fol.* 50[illegible]. Claruit, si coniecturis standum ante, vel circa Dominicæ Incarnationis annum MD.

8 F. Alberti Castellani Veneti ex sacra Prædicatorum familia alumni, ingenio subtilis, & studio scientiarum non mediocriter præditi: *Sermo de laudibus Beatissimæ Virginis MARIÆ pro festo Conceptionis, vel sanctificationis eius, ex dictis sanctorum Doctorum compilatus.* Extat *Tom.* 1. *fol.* 753. Claruit auctor iste anno ab Angelica in Nazareth Annuntiatione. MD.

9 F. Alberti Magni Sueui, ex Florentissima S. P. N. Dominici Religione, scientia, & eruditione Maximi; scripsit de sanctissima Domina nostra MARIA, absque originali labe concepta; *Mariale de laudibus Virginis* Quod extat *Tom.* 1. *fol.* 299. Et etiam *Bibliam Beatæ Virginis* quæ extat eodem *Tom.* *fol.* 457. Item scripsit expositionem *super Missus est, & Magnificat.* Et extat ibidem, *fol.* 521. Item elaborauit *Sermones* de Beat. Virgine MARIA, quos ibidem reperies, *fol.* 586. Illustrabat orbem vita, & scriptis, anno à Virginali parturitione. MCCLXII.

10 F. Alberti Marquesis de Contignolo Romandioli in sacro ordine S. P. N. Francisci omnium scientiarum decore præditi, *Cœliloquia Moralia de B. & sacratissima Virgine MARIA.* Fragmenta aliqua, quæ extant *Tomo* 3. *fol.* 79. Claruit autem doctissimus hic Magister, anno à lege gratiæ. MDXX.

11 F. Alberti Patauini in diuinis humanisque litteris, necnon declamandis sermonibus, exercitatissimi, ex Augustiniana familia, vel secundum alios ex Seraphico S. P. N. Francisci instituto, *De Purificatione, & Natiuitate B. Virginis MARIÆ, Sermones.* Extant *Tom.* 1. *fol.* 611. Discessit è vita anno Reparationis Nostræ. MCCCXXVIII.

12 D. Al-

12 D. Alberti Pij, seu Phigij Campensis Carporum Principis; & contra Hæreticos Nouatores Scriptoris acerrimi: *De Sanctorum cultu, & reliquiarum veneratione: Item de Præconijs Titu. is, & innocentia Deiparæ Virginis*, fragmentum. Quod extat *Tom. 2. fol. 1.* Claruit anno à Natiuitate Domini. MDXX.

13 D. Albini Flacci Alcuini, Anglici, cuius memoria ob eximiam eius eruditionem, & sanctitatem semper in benedictione fuit in Ecclesia, *De Natiuitate Virginis MARIÆ*: Homiliæ, qui inter eius opera circumfertur. Cui addidimus alteram de eadem *B. Virginis Nattuitate*, ex homiliario R. P. Laurentij Surij, extant *Tom. 1. fol. 626.* Obdormiuit in Domino, anno à Saluatoris aduentu. DCCLX.

14 F. Alexandri de Ales Angli, Doctoris Doctorum irrefragabilisque Ecclesiæ columnæ, ex Seraphico S. P. N. Francisci Ordine, *Super Missus est Angelus.* & *Canticum Magnificat*, à glorioſissima Cœlorum Imperatrice MARIA decantatum breuis: sed docta expositio, nunc primo ex manuscripto Codice in lucem data, extat *Tom. 1. fol. 166.* Qui obijt anno à Betleemithico partu. MCCXLV.

15 F. Alexi à Salò Galli, Ordinis Minorum, ex instituto Capucinorum summæ deuotionis, & contemplationis viri, *Ars piè amandi, seu Methodus admirabilis amandæ, & colendæ Virginis glorioſæ MARIÆ Magnæ omnium nostræ Patronæ* Liber à R. P. Philippo Bosquierio Minorita Obseruantino, Latinitate donatus, extat *Tom. 1. fol. 179.* Clarebat ad annum salutis. MDLXX.

16 F. Alphonsi ab Orozco Hispani S. P. N. Augustini filij virtutibus, & litteris condecorati, qui inter alia scripsit, *Almæ Virginis MARIÆ Encomia, ex Canticis Canticorum*, Opusculum, vbi de omnibus Virginis MARIÆ festiuitatibus agit. Extat *Tom. 1. fol. 763.* Obijt anno à Verbi diuini sacratissima Incarnatione. MDXCI.

17 D. Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis Hispani: Naturæ Phenix, litterarum Sol, & inter Doctores luminare maius, *Paradoxon, seu enigma de Vase mirabili MARIÆ* Opusculum, à R. P. Leandro de S. Martino Benedictino Compilatum, & ad Methodum Redactum, extat *Tom. 1. fol. 633.* Floruit anno Domini. MCCCCXL.

18 F. Amadei Franciscani Amadeorum Congregationis institutoris, & Patris in sæculo, *Ioannes Menesius*, nuncupati diuinis reuelationibus illustrati, de Mysterijs vitæ, & mortis Virginis MARIÆ *Raptus tres*, à calumnijs vindicati nunc primo in lucem prodeunt, cum multis manuscriptis originalibus collati, extant *Tom. 1. fol. 658.* Viuebat anno à Virgineo consensu. MCCCCLX.

19 D. Amadei Episcopi Lausanensis ex Abbate Cistercensis assumpti Doctoris elegantissimi, siue, vt alijs placet; Amadei Franciscani, de quo Num. antecedenti egimus. *De laudibus Christiparæ V. MARIÆ* Homiliæ sunt octo de varijs Epitetis, seu Elogijs, necnon singulari refertæ eruditione, extant *Tom. 1. fol. 727.* Vixit anno à Verbi in terris apparitione. MCXLIV.

20 S. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, & præstantissimi Ecclesiæ Doctoris; cuius rutilans calamus vbique notus, *De B. Virgine MARIA Milleloquium*, ex eius operibus collectũ à D. D. Bartholomæo Vrbinatæ; cui plura à compilatore prætermissa, quæ hoc signo notantur * addidimus. Extat *Tomo 1. fol. 793.* Discessit è vita anno à Deo humanato. CCCXCVIII.

21 F. Ambrosij Ansberti, vel Autberti Galli Monachi Ordinis S. P. N. Benedictini, omnium scientiarum genere consummatissimi, *De Purificatione Virginis MARIÆ*, Sermo, ab aliquibus S. Ambrosio Mediolanensi Ecclesiæ Doctori adscriptus. Extat *Tom. 2. fol. 2.* Claruit anno à nostra salute. DCCCXL.

22 F. Ambrosij Catherini Politij Episcopi Minoricensis ex doctissima Ordinis Prædicatorum familia, Diuinarum, Humanarumque litterarum; & tam Iuris Canonici, quàm Scripturæ peritissimi, *De Immaculata Virginis Conceptione Liber.* Extat *Tom. 2. fol. 9.* Eiusdem, *De consummata gloria filius Christi, ac Diuæ Virginis*, Libellus, extat eodẽ *Tom. 2. fol. 62.* Floruit anno à Virgineo Deiparæ partu. MDXX.

23 F. Ambrosij Corani, vel Coriolani Itali, ex Eremitarum præclara familia Prioris Generalis, in Scripturis sanctis, & optimis disciplinis versati, *De Assumptione B. MARIÆ*, Sermo, quem ipse Patri suo Augustino tribuit, sed in Augustini operibus, non inuenitur, extat *Tom. 3. folio* 588. Secessit è vita, anno à Dominica in carne apparitione. MCDLXXXV.

24 F. Ambrosij Eremitæ, siue Ambrosij Gentilis Episcopi Lamocensis, ex instituto S. P. Augustini, viri vtique consummati, *De Annuntiatione sacrosanctissimæ Virginis MARIÆ*, Oratio elegans à tenebris extracta. Extat *Tom. 3. fol.* 72. Claruit anno à mundi recreatione. MDX.

25 F. Ambrosij Spiera Taruisini, ex præstantissimo Ordine Carmelitarum, siue, vt alij volunt, ex ordine seruorum B. MARIÆ, quod verius iudicamus; ingenij acutissimi, & omni scientia præditi, *Sermones in sabbatis Quadragesimæ de B. Virgine MARIA per conclusiones*. Numero quinque. Et extant *Tom. 2. fol.* 88. Floruit anno à Betleemithica gloria. MCDXLV.

26 S. Anphilochij Græci, Iconij Episcopi, in seculari eruditione, & diuina scientia apprimè edocti, *De occursu Domini nostri Iesu Christi, de Deipara Virgine MARIA, & Symeone*. Homilia à Bibliotheca V. PP. & à Laurentio Surio, & alijs adducta. Extat *Tom. 2. fol. 186*. Floruit anno à Christi ortu. CCCXC.

27 S. Anastasij Synaitæ Græci, Patriarchæ Antiocheni, cuius honorificè meminit sexta Synodus; & erudita opera notissima sunt, *De Annuntiatione*, Dominæ nostræ MARIÆ, Sermones duo. Extant *Tom. 2. fol.* 781. Claruit anno à Virgineo partu DXCV.

28 S. Andreæ Cretensis Græci, & Archiepiscopi Ierosolymitani, siue Damasceni, siue Constantinopolitani sit, viri omni eruditione referti, *In Annuntiationem Deiparæ Virginis, ac Salutationem Angelicam*. Luculentissima oratio à V. PP. adducta, cui adiungimus aliud, *De Annuntiatione* Encomium omnibus literatis hucusque ignotum. Item *De dormitione Virginis MARIÆ*. Ex Symeone Metafraste, quæ extant *Tom. 2. fol.* 191. Necnon, *De Natiuitate Virginis*, Orationes duæ, quas hoc anno primò in lucem emisit, R. P. F. Franciscus Combefis. Et extant eodem *Tom 2 fol.* 784. Claruit ad annum Christianæ supputationis. DCXXXVI.

29 F. Andreæ Croquetij Belgæ Monachi Benedictini, & Congregationis Cluniacensis eloquentissimi Scriptoris, *In Salutationem Angelicam, Aue MARIA*, explanatio breuis, sed eruditione redundans, quę extat *Tom. 3. fol.* 94. Migrauit ad Dominum, anno reparationis. MCCCIX.

30 B. Angelæ de Fulginio Italæ viduæ Tertiariæ ex instituto S. P. N. Francisci, virtutibus, & diuinis reuelationibus illustris, *De B. Virgine MARIA, Visiones*. Sunt duæ, & breuissimæ, quæ extant *Tom. 3. fol.* 95. Hæc sanctissima matrona è vita discessit, anno à salute humani generis. MCCCIX.

31 F. Angeli del Pas Perpinianensis ex Seraphica Minorum familia alumni, religione conspicui, necnon fœcundissimi Scriptoris, *Super Missus est*, & *Magnificat*. Expositio latissima, extat *Tom. 3. fol.* 92. Natus est hic Venerabilis Pater, anno à Virginis MARIÆ Conceptione MDXL.

32 F. Anonymi, fortè Danielis Agricolæ, Franciscani, vel alterius docti, pij, & deuotissimi, antiqui Patris; *Corona duodecim coronarum Virginis MARIÆ*, Liber iam penè extinctus. Extat *Tom. 2. fol.* 209. Eiusdem tractatulus: Quales debeant esse serui *B. Virginis*, per modum coronæ. Extat eodem *Tom. 2. fol.* 350. Scriptum fuit hoc opus, si coniecturis standum, sæculo. XIV.

33 D. Anonymi fortè S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani, vel alterius feruentissimi, mellifluique Ecclesiæ Patris, *Corona ex duodecim lapidibus pretiosis*, Opusculum, quod nunc primo ex manuscripto Codice vetustissimo in Bibliotheca Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ repertum, in laudem Virginis MARIÆ in lucem damus. Extat *Tom. 2. fol.* 360. Quo autem tempore scriptum fuerit, mihi ignotum est.

34 S. An-

34 S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Anglici in ſacris litteris à Spiritu Sancto, illuminati ingenij, *De B. Virgine, & Domina noſtra MARIA, Opuſcula varia*, quæ extant à R. P. Theophilo Raynaudo recognita. Quibus addimus alia S. Doctoris Opuſcula à R. P. Franciſco Biuario adducta, quæ omnia extant *Tom. 2. fol.* 383. Notandum tamen, quod aliqua à Typographo prætermiſſa extant, eodem *Tom. 2. fol.* 752. Claruit ad annum noſtræ Reparationis MXCIII.

35 S. Antipatri Boſtrenſis Epiſcopi Græci, eruditione conſpicui, *De Sancto Ioanne Baptiſta, & de ſilentio Zachariæ, & de ſalutatione ſanctiſſimæ Deiparæ*, Oratio. Extat *Tom. 2. pag.* 441. Antiquus eſt Græciæ Pater, ſed Nullibi inuenio, quo tempore vixerit.

36 S. Antonini de Florentia Itali ex ſacra Prædicatorum familia, ſcientia, & ſanctitate Magni, *De B. Virgine MARIA Opuſcula varia*. Extant *Tom. 2. pag.* 444. Eiuſdem Sermones, *In Sabbatis Quadrageſimæ* de Domina noſtra, iam obliuioni tradditi, extant eodem *Tom. 2. pag.* 703. Migrauit ad Dominū anno à Virginea Parturitione. MCCCCLXIX.

37 F. Antonij à Mantelica Bitontini, & Guillelmi Pariſienſis ex Seraphica noſtra S. P. N. Franciſci familia doctiſsimorum Patrum, *De B. MARIÆ feſtiuitatibus, Poſtillæ* maiores extant *Tom. 3. pag.* 536. Vixerunt ſæculo XIV. vel in principio XV.

38 F. Antonij Brixienſis, ſiue de Brixia, ex S. P. N. Dominici familia, eruditione, & fœcundia præditi, *De B. Virgine MARIA, Sermones, in ſabbatis Quadrageſimæ*. Extant *Tom. 2. pag.* 765. Claruit anno à Dominica Annuntiatione, & Virgineo partu. MXD.

39 F. Antonij Buoic KVvij à Konegſtein Belgæ, ex Seraphica familia alumni, in tractandis ſcripturis abſoluti, & profundi, *in omnibus B. Virginis feſtiuitatibus Poſtillæ*, ſeu *Enarrationes Euangelicæ*. Extant *Tom. 2. pag.* 734. Floruit vero, anno à Verbi diuini ſalutifera Incarnatione. MDLXXI.

40 F. Antonij de Gislandis, vel de Giſtandis Subalpini, ex Ordine S. P. N. Dominici, filij, inſignis Theologi, *De Virginis MARIÆ præcipuis feſtiuitatibus*, Sermones, & Quæſtiones. Extant *Tom. 3. pag.* 69. Floruit anno à Verbi in terris apparitione. MCDXC.

41 F. Antonij Ianuenſis Moneliani, ex Seraphica Minorum Religione, viri admirabilis, contemplatione, & ſapientia prædiți, *De ſpirituali MARIÆ Virginis compoſitione per arcam Moyſi præfigurata*, Capitulum, ſeu recapitulatio breuis. Extat *Tom. 3. pag.* 530. Scribebat anno à Chriſti Oeconomia. MDXVIII.

42 D. Antonij Mancinelli Viliterni inter ſui tēporis Scriptores, nō infimæ notæ viri ſcripſit, *De Aſſumptione Virginis MARIÆ*, Titulos tres. Extant *Tom. 2. pag.* 779. Viuebat anno à Seruatoris Natiuitate. MCDLXXXXV.

43 S. Antonij Paduani, Seraphicæ Religionis S. P. N. Franciſci Primi Sacræ Theologiæ Lectoris de feſtiuitatibus B. V. M. *Concordantiæ Bibliorum*, necnon de eiuſdē operibus collecta *fragmenta*, quæ extant, *Tom. 3 fol.* 582. migrauit ad Dominum anno à Virginea Incarnatione MCCXXXI.

44 F. Antonij Rampegolis Ianuenſis Auguſtiniani Eremitæ, & Sacræ Theologiæ Lectoris peritiſsimi, *De B. MARIA Virgine, figuræ Bibliorum*. Extant recognitæ, & emendatæ *Tom. 3 pag.* 1. Florebat anno à glorioſa Verbi Diuini in terris glorioſa apparitione MCCCLXXXIX.

45 F. Antonij Rubij Legionenſis Hiſpani, ex inſtituto S. P. N Franciſci, omni ſcientia, & zelo Religionis Chriſtianæ prædiți, *De B. Virgine MARIA Aſſertiones Catholicæ contra Eraſmum*. Extant *Tom. 3. pag.* 12. Florebat Salmanticæ anno à noſtra in Chriſto Redemptione. MDLX.

46 P. Antonij Sucquetij Belgæ Meclinenſis Societatis Ieſu, virtute, & religione præſtantiſsimi, *De B. Virgine MARIA Imago, ſeu via vitæ æternæ*. Extat *Tom. 3. fol.* 501. Clarebat anno à Saluatoris noſtri glorioſa Natiuitate MDCXIX.

47 F.

47 F. Archangeli Giani Florentini, ex sacro seruorum B. Virginis MARIÆ ordine, deuoti, pij, & eruditi scriptoris, *Te Deum laudamus*, Canticum ad sacratissimam Virginem applicatum. Extat *Tom.* 3. *fol.* 590. Scribebat à Deifera Natiuitate anno MDCXVIII.

48 F. Armandi de Bellouisu Bononiensis, sacri Ordinis Prædicatorum, & Theologiæ professoris eximij, *De B Virginis MARIÆ festiuitatibus Collationes super Psalmos.* Quæ extant, *Tom.* 3. *fol.* 166. Claruit anno à Dominica Annuntiatione. MCCXCVI.

49 D. Arnoldi Albertini, patria Maioricensis, Inquisitoris integerrimi Episcopi Pactensis veritatis singularis indagatoris, *De Conceptione, & Assumptione B MARIÆ Summaria.* Integra extant *Tom.* 3. *pag.* 242. Claruit anno à lege gratiæ in Christo. MDXXXIII.

50 D. Arnobij Carnotensis Abbatis Bonæuallis Ordinis Cisterciensis Doctoris decantatissimi, *De laudibus sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi MARIÆ*, Tractatus, seu Oratio. Extat *Tom.* 3. *pag.* 252. Floruit ad annum partus Virginei. MCLX.

51 S. Athanasij Archiepiscopi Alexandrini, Magni cognomēto, virtute, & calamo Maximi, *De sanctissima Deipara Sermo, & Quæstio*, quæ in suis inueniuntur operibus. Ijs addimus, *Sermonē, de descriptione Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis MARIÆ.* Ex Græco manuscripto S. Laurentij à Doctore Cosima Palma, fontes Latinitate donatū. Extat *Tom.* 3. *pag.* 255. Item addimus, eiusdem Sermonem de Purificatione Virginis paucis ab hinc diebus à R. P. F. Francisco Combefis in lucem editum, & extat *Tom.* 2. *fol.* 798. Claruit anno Domini CCCLXXI.

52 F. Augustini Triumphi Anconitani, ex præclara Eremitarum familia omnium scientiarū decore præditi, *In Canticum Deiparæ MARIÆ*, Tractatus. Extat *Tom.* 3. *pag.* 267. Eiusdem *in Salutationem, & Annuntiationem Angelicam*, Tractatus, *super missus est Angelus.* Ibidem, *fol.* 308. Natus dicitur, anno à Virgineo partu MCCXLIII.

53 D. Augustini Dathi Senensis Philosophi, & Oratoris insignis, *De laudibus glorioſissimæ Dei Matris MARIÆ*, Orationes duo, extant *Tom.* 3. *pag.* 379. Claruit ad annum nostræ salutis. MCCCLX.

54 S. Aurelij Augustini Afri, & Hyponensis Episcopi Ecclesiæ Doctoris, ac Doctorum lucis, Eremitarum Patriarchæ, & Patris inclyti, *super Magnificat*, Tractatus breuis, & eiusdem, *De B. Virgine MARIA*, Sermones, & *Melliloquium*, quæ omnia extant, *Tom.* 3. *pag.* 445. Claruit anno à Saluatoris Natiuitate. CCCXC.

55 F. Augustini Vvicmani Canonici Norbertini, & summę pietatis viri, *Sabbatismus Marianus* Liber, in quo origo vtilitas, & modus colendi Hebdomadatim Sabbatum in honorem sanctissimæ MARIÆ, explicatur. Extat *Tom.* 3. *pag.* 381. Claruit anno MDCXXVII.

D. AB-

D. ABSALON
ABBAS.

NOTA.

PErantiqui Patris *Absalonis primùm Canonici Lutetiæ ad S. Victorem, postea Abbatis Sprinc Kirbacensis (quem Arnoldus de Vvion in Adiunctis ad lignum vitæ, fol. 883. inter Benedictinos adnumerat; at Ioannes Picardus in Præfatione ad Guarnerium Canonicum Regularem fuisse adstruit vitam, mores, ac præclaram doctrinam, Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Cistercienſis in sua Historia, Memorabilium lib. 4. cap. 89. fol. 241. his paucis exprimit verbis:* Magister Absalon vir honestus, & literatus, in Ecclesia S. Victoris Parisijs Canonicus, ante hos annos in Sprenc Krisbach Abbas est electus. Est autem idē Monasterium in Episcopatu Treuerensi. Antequam idem Absalon in locum electionis suæ veniret, vnus ex fratribus in visu noctis vidit, quòd candela ardens præfatum Monasterium intraret, quæ suo lumine omnium fratrum candelas extinctas, quas in manu tenebant, reaccenderet. Interprætatio visus talis erat, quia is aduenirет, qui disciplinam dissolutam repararet. Factus verò Abbas, honestas consuetudines, quas in suo Monasterio didicerat, induxit; inter cætera præcipiens, vt tam suæ Congregationis fratres, quàm subiectæ sorores, (fuerunt istæ Moniales de castro sanctę MARIÆ, & de Setuba, quę est in insula S. Nicolai) nec non, &c. *Vixit noster Absalō ad annū MCXX. & scripsit sermones 51. eruditos sanè, quos anno 1534. Coloniæ Ioannes Gymnicus sub patrocinio R. P. Danielis Schillin Kij Abbatis typis mandauit, Compilatoribus Bibliothecæ V. PP. penitus incognitos, quorum decem de præcipuis MARIÆ Festiuitatibus, eruditione, pietate, & doctrina refertos in lucem damus. De Absalone agunt Possevinus, Myræus, Antonius à Leone in sua quam parat Bibliotheca Mariana, Gesnerus, &c. Tanto ergo Doctore prælucente, & radiante maris stella MARIA in hoc Mare magnum; do ventis secura vela, ferar quò Gratia ducet.*

DE PVRIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Sermo primus, qui est in Absalone 14.

Ex inuitatorio. GAude, *& lætare Siō occurrens Deo tuo.* Qui maioris gratiæ donū acceperunt à Domino, hodie cū sancto Simeone puerum Iesum portāt in manibus, vel cū ipso ad templum sanctum suū venientes offerunt *par turturū, aut duos pullos columbarū.* *Lucæ 2.* Ego verò adhuc longe adeò positus, & vetustæ peccatorū rubigine adustus, è vicino ad ipsum accedere non præsumo, non dico vt accipiam eū in vlnas meas, sed neque *vt tangā fimbriā vestimēti eius.* *Lucæ 4.* Vnū reperi mihi consilium, vt cum cæteris fidelibus, vel importunum me feram obuiū Domino venienti, & sic celebrando hypapanti Domini, præsentem qualemcumque affectum meę deuotionis. Obuiabo, inquam, securus in spe quia neminem deuota mente sibi obuiantem à misericordia sua excludit. Illos potius qui terga vertunt premit hostiliter, vel illos qui resistentes ei in faciem contradicunt mandatis eius. Vt autem Græcum vocabulū quod est hypapanti, Latino nomine obuiationem interpretemur: obiationum alia est reconciliationis, alia contradictionis, alia examinationis. Obuiatio reconciliationis hodierna die facta est, quando sancta mater Ecclesia puerum IESVM din desideratū, deuota suscepit, & sublato fœdere, quod pepigerat cum morte in Christo, pacem recōciliationis inuenit. Obuiatio contradictionis fuit, quan-

do populus ille grauis in iniquitate filij alieni mentiti sunt ei, & expuentes in faciē colaphis eum ceciderunt, & plectentes coronā de spinis super caput eius, genu flexo illudebant ei. Hoc enim, & à iusto Simeone prophetatum fuerat, cùm diceret: *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectione multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Luca 2. Obuiatio examinationis erit in die magno iudicij, quando separabitur argentum à scoria, granum à palea agni, ab hœdis, reprobi ab electis. De qua obuiatione in Euāgelio dictū: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Mat. 25. Inuitatur ergo sancta Ecclesia ad gaudium, pro pace reconciliationis inuēta, cū dicitur: *Gaude, & lætare Siō:* & multiplicabitur Verbū exultationis pro inuenta, & multiplici pacē recōciliationis. Est enim per Christum facta reconciliatio inter carnem, & spiritum, inter hominem, & Angelum; inter gētilem, & Iudæum; inter hominem, & Deum. Discordabant caro, & spiritus; quia caro carnalia, spiritus cælestia approbabat. Discordabant homo, & Angelus; quia homo qui primę apostatæ ruinam, quæ in Angelis facta est, reparare debuerat, ipse quoque corruens cum tertia parte stellarum cœli, in terram tractus est. Discordabant gentilis, & Iudæus; quia iste idolis, ille Deo seruiebat. Discordabant homo, & Deus, quoniā homo à seruitio Domini sui recedens, alienæ se subiecerat potestati. Sed omnes istæ discordiæ in Christo pacificatæ sunt; quoniam omnes creaturæ rationales per charitatem vnitæ, factæ sunt vnius spiritus participes, & vnius regni cohæredes. Propter hoc ergo, *Gaude, & lætare Siō occurens Deo tuo.* Libet modo intueri qua via, quibus modis, quali deuotione ei occurrendum sit. Viarum enim quibus occurritur Domino, alia est irrigua, alia est inaquosa, alia regia, alia lucida. Via irrigua, est pœnitentia, via inaquosa, est sanctimonia: via regia, est misericordia: via lucida, est sacra scriptura. Per viam irriguam gradiūtur illi, qui post multos lapsus criminum, & circuitus errorū in se reuersi cōsiderantes in quantum profundum miseriæ, deuoluti sunt, & lachrymis peccata sua abluentes, cum filio prodigo reuertuntur ad Deum dicentes: *Pater peccaui in cœlum, & corā te, & nō sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. Via inaquosa gradiuntur illi, qui non acquiescentes carni, & sanguini seruauerunt vestimenta sua candida, ne nudi appareant, & immaculatos se custodientes ab hoc seculo, puero Iesu castitatē offerunt, illud Apostoli mandatum implentes: *Habete sanctimoniā sine qua nemo videbit Deū.* Heb. 12. Via regia gradiuntur illi, qui pleni sunt operibus bonis & eleemosynis, & timorati in mandatis Domini Dei, pedes sunt claudorum, oculi cę corum, manus debilium, patres orphanorum illud promissum expectantes: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Matt. 5. Via lucida gradiuntur sacræ scripturæ inuestigatores, legentes librum Dei legis intus & foris: intus, per cognitionem veritatis: foris, per exercitium boni operis. Intus in hoc libro scripta sunt multiplicia illa verba legis & Prophetarum, mādata euangelica, dicta Sanctorum Patrū, quæ omnia via sunt eundi ad Dominum. Foris in hoc libro scripta sunt, in vita Sanctorum, bona opera, videlicet agonia Martyrum, constantia Confessorum, omnium iustorum pia conuersatio, quibus venitur ad cœlum Dei altissimi. Qui per viam lucidam rectè vult incedere, legat librū Dei legis intus per sciētiam, foris per experientiam, vt probet quod sapiat maceratio corporis, pallor vigiliarū, patientia tribulationum, siccitas ieiuniorū, quorsum tendant pœnitentium, lachrymarumque suspiria, asperitas disciplinæ: discāt cum sancto Dauid in vili habitu saltare ante *arcam fœderis*, & cum Paulo Apostolo non solum abundare, sed etiam *penuriam pati.* 2. Reg. 6. Phil. 4. Qui enim legunt librum legis Dei intus, & non foris, hoc est, qui dicunt & non faciunt, magis incubatores sacræ scripturę, quàm inuestigatores debent appellari. Triplici siquidem lumine per hanc viam incedentes debent irradiari, quorum primum est testimonium bonæ cōscientiæ, secundum claritas intelligentiæ, tertium honestas disciplinæ. Testimonio bonæ conscientiæ debent intus illuminari per virtutem; claritate intelligentiæ per veritatem, foris radiare debent honestate disciplinæ per bonam conuersationem. Sic ergo directè occurrūt Domino, qui per has vias gradiuntur; non omnes tamen vno modo occurrunt ei. Alij enim attrahunt, alij portantur, alij gradiuntur, alij verò occurrunt sibi obuiam. Sunt multi criminosi in hoc seculo, qui terrena quærunt, carnalia sapiunt, vsque adeò sepulti in vitijs, quod nec etiam oculos possunt ad cœlū leuare: & squalore peccatorum confecti obliuiscuntur patriam cælestem, ad quam deberent proficiscī. Videres eos in voluptatibus vitam ducere, luxu huius seculi lasciuire, cubilibus, & impudicitijs operam dare, modò scandala, modò turpia operantes: & sanctum Israel blasphemantes, statuunt idolum Veneris, vbi adoranda est, sacrosancta passio Saluatoris. Quorum confusionem pariter & supplicium Propheta commemorat dicens: *Contaminauerunt testamentum eius, diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.* Psal. 54. Contaminauerunt, inquit, testamentum eius, id est, promissionem vitæ æternæ polluerunt, quantum in ipsis est, male viuen-

uendo. Ideò quia diuisi sunt à iustis, & electis præ ira vultus eius, & appropinquauit cor illius, id est, manifesta est de illis voluntas ipsius, vt manifestum fiat hic, qui modo latent occulti; quam iusto Dei iudicio in futuro suscipiant sententiam æternæ damnationis. Hos tamē non deserit Dei misericordia, quoniam quòd facere non cupiunt libertate spōtanea, quandoque flagelli asperitate facere compelluntur: & modo paupertate, modo infirmitate, modo alia tribulatione extrinseca, modo confusione, quam pro sceleribus suis sustinent, violenter attracti ad Deū reuertuntur. Sic enim scriptum est: *Implefacies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Psa. 82. Alijs tamen modis eosdem criminosos attrahit Dominus, videlicet exhibitione præcepti, ostensione exempli, inspiratione cœlesti. Exhibitione præcepti eos attrahit, quādo doctrina verbi Dei à malis suis reuocantur: Ostensione exempli attrahuntur, dum per bona opera iustorum ad meliora prouocantur: Inspiratione cœlesti attrahuntur, dum inuisibili gratiā intus illustrati gratis iustificantur. Cùm ergo quatuor prędictis modis peccatores attrahat Dominus, primo modo, id est, asperitate flagelli violenter, reliquis tribus modis mitius attrahuntur.

Sunt alij qui portantur in occursum Dei, quales sunt illi, qui renunciauerunt operibus mortuis, & quodam feruore spiritus seculū deserentes Domino adhæserunt, sed turbine carnalium desideriorum, & secularis vitæ retardati in via, qua ambulabant, procedere non sinuntur. Isti ergo exhortatione verbi Dei, & consolatione spirituali portandi sunt, quibus denuo renouati affectu mentis discāt terrena despicere, & amare cœlestia. Quid enim confert flos qui cito decidit, & gaudiū quod in momēto trāsit? Ecce quidquid in hoc mundo speciosum est, vilescit, nec aliquid delectabile in eo permanet: quia iuuentus præterit, forma cadit, fortitudo debilitatur, potentia descendit, dignitas euacuatur, sanitas languescit, diuitiæ non possunt permanere: gaudium vertitur in dolorem, & iocūda omnia fine amaritudinis consummantur. Respiciamus, qui fuerunt ante nos, quid profuit illis superbia eorum, & iactatio diuitiarum? Nihil omnino; imo velut fumus pertransierunt. O quàm miseri sunt, qui ad modicum nolunt seruire, vt semper sint liberi, qui modicū laborem subterfugiunt; vt semper sint quieti, qui in hac vita plorare renuunt, vt in æternum sint iocundi. *Nec æstimari debent passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*: quoniā, & negociatores huius seculi multo sumptu, & labore mercimonia temporalia comparant, in quibus lucri superabundantiam in futuro se sperant adipisci. Tendamus igitur ad illud pondus gloriæ, quòd vile est cū emitur, & pretiosum cum possidetur, quo membra cum capite Christo felicitate perpetua perfruuntur. Sunt alij plerique in seculo, qui in occursum Domini gradiuntur passu temperato: quia adhuc amantes commoda vitæ huius ad virtutum eminentiam nequeunt ascendere, sed tamen quantum valent declināt peccata grauia, & profundum vitiorum. Per plana ergo campi floridi inter duas aquas positi suauiter incedunt, vbi societas carnis, & spiritus, mutuo se foueāt solatio. Verbi gratia, quoniam spiritus, qui promptus est, festinantius in obsequium Dei graditur, afflictione carnis cohibeatur, & caro infirma, dum nimis commoda appetit, viuacitate spiritus ad anteriora promoueatur. Ambulant ergo per cāpū floridū mūdi huius amates diuitias aurum, & argentum possidentes; vestiuntur discoloribus, cæteraque delitias vitæ huius non aspernantur, & sic eunt inter duas aquas virtutum, & vitiorum in occursum eius. Nō tamen vsque ad ipsum peruenire possunt, nisi amne transmisso: quoniam ille *non inuenitur in terra suauiter viuentiū*, sicut scriptura dicit. Tenēda est ergo *virga* Moysi, qua percusso *flumine*, & diuiso, sicco pede possunt *pertransire*: quam amatores vitæ huius virtutē discretionis, quę est, virga Moysi, ita tenere debent, vt fluctus huius seculi, & carnalia desideria, quę vitijs, & concupiscentijs admixta sunt; ita scindunt per medium, vt quod ibi vitiosum est, deorsum sinant fluere in mare, ita quod apud eos non maneat; reliqua verò, quæ naturæ sunt necessaria, & corpori vtilia, ex parte altera pro munimine teneantur. Sic enim sicco vestigio transiri potest ad Dominum, etiam ab his qui bona ista temporalia non spreuerūt. Restant adhuc alij, qui cursu rapido feruntur in occursum Domini, qui videlicet viam perfectionis ingressi sunt, renunciantes seculo, & omnibus pompis eius, & feruore spiritus altiores seculo effecti, nihil habere cupiunt, præter ea, quæ ad beatam vitam conducunt. Videres eos modo gaudere in Domino, quia seggregauit eos à seculo, modò plangere tempora, quæ moram facientes in seculari conuersatione inutilia sibi reddiderunt, modò deuota precum instantia paradisi portas aperire, modò Scripturæ inuestigatione voluntatem Dei cognoscere: ad hoc soluti studiosi, vt studium vitæ huius sine Dei offensa possint pertransire. Currentium autem alij currunt citò, alij citiùs, alij citissimè. Citò currunt, qui tota diligentia seruant mandata Euāgelicæ Doctrinæ, citiùs currūt, qui illis superadiderunt custodiam regularis disciplinæ: citissimè currunt, qui priuato ducuntur spiritu, & quasi nihil satis sibi

2. Co. 1.

Iob 28.

Exo. 14.

æstimantes adiecerunt onus singularis vitæ.

Modo non est prætermittendum, quali deuotione Domino occurrẽdum sit. Non enim debemus coram Domino vacui apparere, sed obsequio muneris, protestari affectum nostræ deuotionis. *Et qui inhabitat lucem inaccessibilem.* Satis congruere videtur cæreorum baiulatio, quos hodie portat in manibus sancta Ecclesia; tum quia cæreus Saluatorem nostrum significat; tum quia in cæreo status humani conditio nobis ad memoriam reuocatur. Quando cæreus figuram Saluatoris nostri teneat, tanquam notum breuiter pertranseo: quoniam cæra ad humanitatem, stupeum ad mortalitatem, flamma ad diuinitatem, lux quę circumquaque diffunditur, ad virtutum illuminationem, quæ ab ipso est, cognoscitur pertinere. Illud magis intuendum, qualiter in cæreo vitæ nostræ processus significatus sit. Cæra virgo & munda primum statum humanæ conditionis nobis repræsentat, in quo homo per innocentiam similis Deo factus est. Stupeum quod fragile est, mortalitatem nostram significat, per quam homo, propter transgressionem punitus est: Lux quæ de flamma procedit, reparationem nostram figurat, quæ per IESVM Christum facta est: Flamma, quæ naturaliter sursum tendit, gloriam futuram significat, quæ sanctis prępărata est. Cum ergo homo vides cæram virgineam, recole dignitatem tuam, in qua creatus es: cum vides stupeum incinerari, plange peccata tua, propter quæ in condemnationem mortis proiectus es. Quando luce irradiaris, lauda, & gratias age Deo, per quem misericorditer reparatus es. Cum flammam intueris, festina ad illam gloriam, quę tibi in cœlis prępărata est, largiente Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

1. Ti. 6.

DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ.

Sermo secundus, Qui est in Auhtore. 15.

1. Reg. 1

Postquam ablactauerat Anna puerum, adduxit eum ad domum Domini in Silo. Verba quæ proposui sumpta de libro Samuelis, Annæ loquuntur historiam; quæ diu infœcunda, & sterilis multo desiderio, & precu instantia filium petiuit à Domino, quem susceptum, & ablactatum adduxit eum in Silo, ad domum Domini, vt maneret ibi iugiter. Spiritaliter tamen intellecta, hodiernæ festiuitati possunt adaptari; eo quod adductio Samuelis ad domum Domini oblationem IESV Christi in templo congruè designet: sed, & Anna, quæ gratia interpretatur, sanctam Ecclesiam. Samuel verò, qui postulatio Dei dicitur, Christum signat, sicut diligenti patrum explanatione manifestũ est. Sicut enim Anna filium, ita, & Ecclesia (quæ à primo Abel iusto inchoata est) ante Christi incarnationem feruentissimo desiderio petiuit à Domino dari sibi sanctum sanctorum, virũ vnicæ fœlicitatis, singularis sanctitatis, in quo tolleretur præuaricatio, & auferretur peccatũ, & veniret iustitia sempiterna. Iam enim omnes voces prophetarum obmutuerant: quia diuturnis clamoribus iam raucæ factę, non poterant exhibere eum, quẽ promiserant: & ideo omnium vota, vniuersorũ desideria, in Christum inhiabant, cui repositum erat, qui, *& ipse erat expectatio gentiũ.* Non tamen adhuc videre cupiebat in ea forma, qua est *speciosus præ filijs hominum*, non formosum in stola sua ascendentem in cœlum, in multitudine virtutis suæ, non proficiscẽtẽ ad illa speciosa deserti, ad flores rosarum, & lilia conualiũ, sed potius desiderabant eum aspicere cum Esaia *despectũ, & nouissimum virorum, & scientem infirmitates*: cum Zacharia *foraiais indutum vestibus*: qualem propheta Dauid eum prænunciat: vbi ex persona eius dicit: *Ego sum pauper, & dolens. salus tua Deus suscepit me.* Qualem denique vir iustus ex persona Ecclesiæ, in libro Sapientiæ sibi dari postulat, cùm dicit: *Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Mecum sit (inquit) per similitudinem humanitatis, & mecum laboret, per experientiam passionis. Ecce tantis motus precibus, Dei filius inclinauit cœlos, & descendit, & in carne mortali mundo apparens nobis, imo vniuersis datus est; si tamen diù desideratus, cum desiderio suscipiatur. An non rectè illum nobis datum dixerim, qui pro nobis est natus, pro nobis hodie in templo oblatus, pro nobis tandem mortuus: Vis videre quomodo hæc omnia pro nobis? Certè natiuitas nostra erat immunda, vita peruersa, mors periculosa. Natus est ergo pro nobis, vt per suam natiuitatem, nostrę natiuitatis immunditiam purgaret: oblatus est in templo pro nobis, vt legi subiectus vitam nostram obediendo informaret: mortuus est pro nobis, vt sua morte mortem nostram destrueret. O anima misera, quæ tantam Dei gratiam in vacuum recipis, & Saluatorem tuum tibi oblatum malè viuendo à te repellis, erubesce, & confundere in te metipsa. Nam, & si sanctorum desideria duritiam cordis tui flectere non possunt, saltem ipsa dignatio filij Dei te monere debuit; sed, & inæstimabilis illa patris dilectio, qua vt seruũ redimeret, filium vnigenitum exposuit passioni. Resipisce ergo, resipisce, & cum paruulo efficere paruulus, cum oblato subditus, & mortuo commoriaris, *vt carnem tuam crucifigas cum vitijs, & concupiscentijs*, vt cum Paulo dicere possis: *Mortui sumus cũ Christo, & vita nostra abscõdita est cum ipso Deo.*

Et

Et vt superficiem capituli, quod propositum est, ab initio prosequamur; pro nobis etiam Christus ablactatus est, hoc est, à lacte separatus. A quo lacte? Testimonio Scripturarum lac triplex distinguere possumus. Lac humanæ naturæ; de quo sponsus ad sponsã in Cãticis: *Mel, & lac sub lingua tua*, hoc est, diuinitas, & humanitas sub carne tua. *Canti. 4*

Lac simplicis doctrinæ, de quo Paulus: *Tanquam paruulis lac potum dedi vobis, non escã.* *1. Cor. 3*

Lac mundanæ oblectationis, de quo carnali Iudęorum populo per Dominum fit repromissio, cum dicitur: *Dabo vobis terram lacte, & melle manantem*. Vt autem de lacte humanæ naturæ primo loquamur: ante Christi aduentum sancta Mater Ecclesia duo vbera habuit; videlicet, legẽ, & Prophetas, in quibus lac humanitatis Christi per repromissionem continebatur. Siquidem lex, figuris, & sacrificijs hominum, Christum significabat; Prophetæ verò, manifestis oraculis ipsum in carne venturum prænunciabant. Ab his vberibus verbum Dei lac extraxit, quando ipsum *Verbum caro factum*, naturam humanã sibi vniuit. Vnde lacte isto expresso eadem vbera aruerunt: quia in carne Christo apparente, illa suauitas spiritus, ille deuotionis affectus, quem sancti Patres, ex repromissione legis, & Prophetarum, de Christo habebant, omnino defecit. Ecclesia verò Christũ ablactauit, quando ipsum contra carnis, iura gentium, supra naturam humanam, Deũ credidit. Vnde Euangelista: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Et Esaias de ipso: *Verè tu es Deus absconditus, & absq; te non est Deus*. Et alibi: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum*. Est etiam Christus ablactatus à lacte simplicis doctrinæ, quando litteralem legis superficiem, spiritaliter intelligendam esse docuit. Possumus tamen, & simplicem doctrinam largius accipere; vt simplex doctrina appelletur, omnis illa, quæ spiritali intelligentia fœcunda non est: secundum quod lac dici debet philosophica doctrina, & quęcunq; alia secularis, scientiæ nomine censetur. Vnde etiã illi qui lac istud fugunt, paruuli à quodam sapiente vocantur, qui dicit: Græci græci semper pueri estis, nec vlla in vobis cana scientia, &c. Ab isto ergo lacte cũ Christo, omnes adulti ablactandi sunt; vt secularia documenta relinquentes, spiritalibus præceptis tanquam solido cibo nutriantur. Quæ enim in lacte isto potest esse suauitas spiritus? si Platonem, si Tulliũ intelligis, cũ ista scientia, amaritudine multa respersa sit, quæ plerũque suis studiosis aufert spaciũ pœnitentiæ, fructũ bonæ vitæ, coronã vitæ æternæ. Aut qui finis vtilis, & honesti, si Aristotelis fallacias subtiliter rimaris? Nisi fortè finem tibi statuas, aliũ redarguere falso, inopi nabili, cæterisq; nugarum ineptijs, proximũ circumuenire, & sic statuas finem studij attigisse metã falsitatis. Non est iste finis cõsummans, sed cõsumens: non perficiens, sed deficiens: hoc est, trahens ad defectum virtutum. Ille ergo finis magis nobis quærendus est, de quo Dauid dicit: *Omnis cõsummationis vidi finẽ: latiũ mandatũ tuũ nimis*. Et Paulus: *Finis legis Christus est ad iustitiam omni credenti*. Non est finis iste à nobis longè positus; quoniã Christus in se infinitus, pro nobis finitus factus est, & propè positus. Siquidẽ inaccessibilis, iam aditur incõprehensibilis, manib' iusti Simeonis suscipitur: & quẽ cœli cœlorũ non capiunt, hodie paruulus in tẽplo præsentatur. Congaudeamus paruulo, qui nobis secum attulit gaudia æternæ salutis: ostendamus ei facie hilarẽ, exhibeamus debitum obsequiũ, referamus pro beneficijs gratiarũ actiones. Primo loco iocunda facies, in hoc spiritali gaudio exhibenda est; vt tamen facie cordis sui, siue cõscientiæ; non corporis significari intelligas. Ista facies, id est, conscientia tua, hilaris, & pulchra esse debet, à vitijs, & concupiscentijs purgata, & virtutibus ornata: quia non placet seruitutis obsequium; nisi videatur cordis facies spiritali iocunditate decorata. Et quidem geminus est decor animæ, quem homo Deo suo offerre debet; videlicet, innocentia à vitijs, & virtus humilitatis. Primũ decorẽ animæ à Deo habuit, sed eum peccando perdidit: quando in Adam omnes ita peccauerunt, vt nemo vnquam fuerit vel esse possit, qui de innocentię puritate possit gloriari. Propterea ad secundum animæ decorem, quæ est humilitas, necesse habet homo confugere, vt pulchritudo conscientiæ peccatis denigrata per matrem virtutum, ideſt, humilitatem reparetur. Ad hoc autẽ, triplex humilitas necessaria est, videlicet, confessionis, subiectionis, & propriæ abiectionis. Vt prima humilitas culpam diluat, secunda virtutes nutriat, tertia verò custodiat. Istæ tres humilitatis species, in auibus quæ pro Domino oblatæ sunt, hoc est, turture, & columba, significari videntur. Habẽt enim gemitum pro cantu, in quo exprimitur humilitas, & dolor cõfessionis. Cedunt si ab alio animali impetantur; & in hoc figuratur humilitas subiectionis. Turtur verò, quæ amisso compare, nunquam virentibus ramis, sed aridis inuidet; humilitatẽ significat propriæ abiectionis. Hæc postrema, præcipua humilitatis species, omnibus admodum necessaria est, vt sine ea non relinquatur etiã sanctis viris vlla spes salutis. Decorem huius virtutis Paulus habuit, cùm diceret: *Venit Christus in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*. Similiter, & Petrus, cùm ait: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Et mulier illa euangelica: *Si teti-*

Deut. 6

Ioan. 1.

Esa. 45.

Mat. 2.

Luc. 1.

Ps. 118.

Ro. 10.

1. Ti. 1.

Lu. 4.

Mar. 6.

tetigero, inquit, *fimbriam vestimenti eius, saluа ero.* Quicumq; igitur in conspectu Dei, pulcher vis apparere, te ipsum vilem, & despectum reputes; ita vt consideratis proprijs infirmitatibus, semper alium æstimes te meliorem. Debes enim peccata tua, quæ magna, & multa sunt, ante oculos tuos ponere: virtutes verò, si quæ in te esse videtur, eo quòd tot peccatis permixtæ sint, iudicare infructuosas. Aliorũ verò bona, quę manifesta tibi sunt, debes venerari, & magna æstimare: & eorũ mala, quæ tibi occulta sunt, non debes iudjcare, vel si nota tibi fuerint, excusare charitatis affectu: vt sic ex consideratione tuæ infirmitatis, quàm manifestè intelligis, te iudices despectum, & vilem: proximum verò tuum propter manifesta bona, quę in eo vides, semper iudices te meliorem: hæc est iucunda illa facies, & hilaris, quàm Christo debemus ostendere. Prosequamur modò debitum obsequium, quo ei seruire tenemur. Sed de obsequio exhibendo, legis mandata seruanda sunt, quæ satis distingunt, quale obsequium Deo in Templo maximè, exhibẽdum sit, quæ etiam illi ad Templum oblato debeant hodie exhiberi.

Iubentur siquidem, per legem animalia, super altare mactari, thus cremari, oleũ purissimum arderi, in honoré Dei. Primò ergo qui Christum ad Templum venientem dignè volunt suscipere, debent in Altari cordis sui animalia, id est, motus carnales, desideria concupiscentiarum, delectationes prauas occidere, iugulare eas cultro compunctionis, & cremare eas igne pœnitentiæ; vt sic exhibeant corpora sua Deo, hostiam viuam, *Rom.12* *sanctam, viuentem, Deo placentè.* Non enim simul conueniunt delectatio carnalis, & iucunditas spiritalis, quæ Deo exhibenda est: sicut non potest de eodé fonte emanare dulcis, & amara aqua: nec eadem persona simul tristis, & gaudens: ridens, & plorans; nec cõtrarijs passionibus vno momento esse subiecta. Animalia igitur, sicut diximus: in templo Dei mactanda sunt. Nam qui bestias in feritate sua volunt aspicere, hi procul à templo Dei, ad mundi huius solitudinẽ recedant; in qua Vrsi, Leones, Aquilæ, quæ de rapto viuunt, reperiuntur. Vrsi, inquam, hoc est, fœtidi homines, qui luxuria, immunditia seipsos inquinauerunt: Leones, id est, cupidi, & auari, qui rapina, furto, ambitione, simonia, cæterisq; generibus auaritiæ, tã Deo, quàm proximo suo, iniuriam intulerunt: Aquilæ, quæ in altum volant, & de rapto viuunt, ipsi sunt superbi, qui seipsos, super se eleuãtes in oppressionibus, & delectione aliorum gloriantur. Thus etiam in obsequium Dei cremari præcipitur, in quo orationes sanctorum sunt significatæ, congrua similitudine. Quãdo thus accenditur, tria concurrunt, fumus, odor, ignis; quæ tria, & in oratione moraliter, inueniri possunt. Qui enim fructuosam orationem Deo offerre intendit, primò miserias, & iniquitates suas, ante oculos statuere debet, vnde oritur fumus cõpunctionis: Secũdo, misericordiam Dei, quæ magna est, qui tam facilis est ad ignoscendum, pronus ad parcendum, benignus ad præmiandum; quibus consideratis, feruor accenditur charitatis, vt homo ardenter eum diligat, sine quo nec euadere suas miserias, nec apprehẽdere bona illa, potest, quæ præparauit Deus diligentibus se. Deuotè ergo Deũ orans, ex consideratione suæ infirmitatis emittit fumum cõpunctionis. Considerata Dei misericordia, dat odoré sanctæ deuotionis; ex quibus consideratis feruor dilectionis, siue ignis accenditur, vt iam dictum est. Ad hæc omnia necessarium est, accendi oleum purissimum in lãpadibus. Si lampades corda nostra velim appellare, oleũ lampadarum, non incongrue dixerim cordis dulcedinẽ, siue pietatis affectum. Sicut enim oleum oliuarũ ad vsum triplicem se extendit; quia dolores mitigat, corpora pascit, & ardet in tẽplo Dei: sic, & spiritaliter virtus pietatis ad tria se habet. Ipsa enim dolores mitigat; quoniã subuenit miseris, consolatur pusillanimes, tristes cõfortat; ignorantes erudit, corrigit delinquẽtes. Pascit etiã animam refectione spiritalis gaudij; quoniã congaudet alienis profectibus, applaudit proximorũ virtuti, eosq; dignitatib⁹ sublimari, ampliari honoribus, crescere in religione desiderat: & quicquid gratiosum alijs accesserit; tanq̃ã sibi proprium gaudet accreuisse. Ex his duobus, velut oleo purissimo, nutritur ignis charitatis, qui magis plerunq; accenditur, ex his pietatis affectibus, quæ ad proximũ pertinent, quàm spiritalibus exercitijs, quæ immediate ad Deũ respiciunt: quoniam lectio, sine intellectu, & oratio, sine affectu, est, quæ virtute pietatis non conditur. Restat vltimò, Christo nobis præsentato gratias agere. Et sunt duo, pro quibus maximè illi gratiæ agẽdæ sunt; videlicet, modus nostræ visitationis, & magnitudo remunerationis. Quis enim pij pectoris, in laudes, & gratiarũ actiones non prorũpat, cũ Dominum Dominantiũ pro se factũ fuisse seruũ, eum, cuius est orbis terræ, & plenitudo eius, factũ egenũ, incomprehensibilẽ, parvulum, & immortalem necessitati mortis addictũ? Sic, & magnitudo præmij ad gratiarum actiones, nos inuitat. Quid enim maius dare potuit nobis Christus; quã potestatem suã, gaudiũ suũ, & regnum? Potestatem suam illi habebunt, qui ipso largiente, de hoc mũdo iudicabunt: gaudiũ habebunt, qui cũ seruo illo fideli, & euãgelico, *intrabunt in gaudiũ Domini sui:* regnũ; qui vocẽ illã audituri sunt: *Venite benedicti patris mei, percipite reg-* *Mat.25*

regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. A quo regno longè relegata sunt dolor & gemitus, infirmitas & miseria, peccatum & omnis malitia spiritalis, quod nunquam hoste concutitur, vel discordia turbatur, vbi tranquilla æternitas & iucunda tranquillitas: Ad quam nos perducere digne tur Iesus Christus Dominus noster, cuius regnum & imperium permanet in secula seculorum. Amen.

DE PVRIFICATIONE
B. MARIÆ. Sermo tertius.
Qui est in ordine, 16.

Leu.12. B *Mulier si suscepto semine peperit masculũ, diebus purificatur septẽ triginta tribus.* Quid est fratres, & domini mei charissimi? quid inquã est, quòd sermo incircucisus eruditis sensibus perfectæ sapientiæ possit apponere? Quid est, quòd homo peccator, & magnus peccator sanctitati vestrę possit proficere? Nihil plane. Siquidem bonorum meorum non indigetis, qui ab eo, qui dat affluẽter, & non improperat, tum legendo, tũ orãdo copiose tempore opportuno accipiatis. Vos enim estis illi veri adoratores, qui ado-

Ioann.4 ratis patrem *in spiritu, & veritate:* qui consepulti Christo, & mortui peccato passionẽ Iesu Christi *portatis iugiter in corpore ve-*

Gala.5. C *stro.* Oditis enim animas vestras in hoc mũdo, & voce illius beatissimi Thomę Didymi vociferati estis ardenti desiderio: *Eamus, &*

Ioan.11 *nos vt moriamur cũ illo.* Et quid est cu illo? Mori mundo, & viuere Deo. Mortui igitur estis mũdo, qui regnũ huius mundi, & omnẽ ornatũ seculi propter amorẽ Dei cõtẽpsistis; Viuitis Deo, quem mente geritis, opere quę ritis, verbo prædicatis. Mihi vero in peccatis nato res versa est in contrarium: quippe quotidie reuiuisco peccato, vt quotidie moriar Deo. Viuo siquidem mundo per superbiam, per vanam gloriam: viuo carni per gulam, per concupiscentiam: viuo peccato per peccandi frequentiam, & pœnitentiæ negligentiam. Quid ergo erit de me? Domine Iesu respondẽ pro me. O vtinam quæratur

3.Reg.1 & mihi *speciosa* illa Dauid *adolescentula*, Dei dico sapientiã, quæ artus meos peccati frigore torpentes, inspiratione diuini amoris calefaciat: & quòd tantæ solemnitati sit idoneum, & vestræ congruum exhortationi, illuminatione veritatis edoceat. Ipsa enim sola est, quæ præstat loquenti fiduciã, quia sola præstat loquẽti peritiã. Quoniã igitur ex me non sufficio, ipsa loquatur in me, ipsa im-

Ionn.18 perfectũ meum perficiat, quę os Caiphæ peccatoris in verba prophetiæ aperuit, & sermo

Nu.22. ne diserta est per os bruti animalis.

Mulier, inquit, *si concepto semine pepere-*

A *rit masculum*. Audistis fratres charissimi, quod veteris legis præcepto mulieri parienti masculum, tempus purgationis quadraginta dierum iniungitur, vt tandem die quadragesimo cum placatione hostiarum ad templum veniens legali ritu plene, & perfecte purificetur. Veruntamen lex ista data est purificandæ, non purificatæ: peccatrici, non ab vtero sanctificatæ: mulieri, non virgini: corruptioni, non integritati. Quia enim egeret purificatione quam pater sanctificauit, cui Spiritus sanctus obumbrauit, quæ solo verbo filium Dei concepit, absque dolore peperit? Nulla profecto opus est purificatione, vbi non præcessit aliqua macula culpæ. Debuit tamẽ licet non purificari, tamen dies purificationis obseruare; quia & ipsa nata sub lege, paritura erat masculum, *qui venit non* *Matt.5*
soluere legem, sed adimplere. Ipsa etenim est mulier, quæ concepto semine peperit masculũ: Mulier dico cõditione, nõ fragilitate: natura, non mollitie. Mulier dicitur, quasi mollier, à mollitie; ergo non mollis fuit, sed fortis, fortis, inquam, illa quam Salomõ quærebat dicens: *Mulierem fortem quis inueniet?* Fortis siquidem debuit esse quæ paritu- *Prou.31*
ta erat masculum, & tale masculum, qui principem huius mundi foras eiecit: eripiensq; inopem de manu fortiorũ eius, propria vir- *Psal.34*
tute glorioſos terræ humiliauit. Igitur mu-

C lier ista peperit masculum, conceptum tamen semine, & quo semine? Illo plane de quo dictũ est Abrahæ: *Quia in semine tuo benedi-* *Gen.22.*
centur omnes cognationes terre. Hoc etiã semen significauit nobis Esaias, cũ dixit: *Nisi* *Esai.1.*
Dominus exercituum reliquisset nobis semen quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Semẽ denique nõ carnale, sed spiritale, non culpæ, sed gratiæ, nõ viri, sed verbi Dei, nõ corruptionis, sed credulitatis. Semẽ quo *Dominus dedit benignitatẽ, &* *Psal.84*
terra nostra dabit frutum suũ: ipsum est semen quod cecidit *in terram bonã*. Virginem dico *Mar.13*
MARIAM, & attulit in alijs quidem fructũ tricesimum, in alijs sexagesimum, & in alijs

D centesimum: in ipsa vero singulari priuilegio simul tricesimum, sexagesimum, & centesimum. Tricesimum siquidem fructum semen hoc attulit, quando Christus sua præsentia nuptias consecrauit: sexagesimum fru- *Ioan.2.*
ctum attulit, cum tempore suæ prædicationis continentiam prædicauit, & docuit: centesimum, quando matrem Virginem Ioanni *Matt.5.*
Virgini in cruce commendauit. Sed quia nobis illa Virgo Israel, futura erat mater Dei, *Ioan.19*
thalamus sponsi, dilecta dilecti, vnica vnici; ideò Dei filius singulariter, imo mirabiliter in ipsa voluit operari: vt quæ precũ vniuersitatis debeat parere, cum statu quolibet vniuersitatis haberet aliquid commune. Et cum coniugatis quidem habuit partum pro-

lis, cum continentibus votum castitatis, cum virginibus perseuerantiam virginitatis, vt dum continentes, & coniugatas, & virgines pariendo redimeret, simul ei fructus triceſimus, ſexageſimus, & centeſimus proueniret. Sed ò tu vir religioſe, qui ſentis de beata Virgine in bonitate, non minorem in ea fructū triceſimum, quàm ſexageſimum, vel centeſimum intellige. Secure aſſeras, quoniam non plus meruit pariendo, quàm virginitatem conſeruando: pro varia ergo in ipſa comparatione Dei fructus ei debitus varia ſortitur quantum ad ipſam appellationem. In alijs tamen non ſic: quia neque continent ſine difficultate, neq; pariunt ſine corruptione. Huic expoſitioni ratio numeri, quem præmiſſimus concordare alicui videbitur, qui continet dies ſeptem, triginta tres. Triginta etenim ad coniugatos; ternarius, quia parem in ſui diuiſione non recipit, ad continentes; ſeptenarius verò qui ſacratus eſt numerus, propter ſeptiformem gratiā, refertur ad virgines. Dies igitur purgationis beata virgo obſeruauit, nō tam pro neceſsitate purificationis, quàm pro Sacramento, vt diximus, myſticæ ſignificationis. Non ſolum autem Mariæ, ſed etiam cuilibet fideli animæ verba præmiſſa morali expoſitione poſſunt adaptari. Quælibet enim anima Deo deuota, eſt illa mulier, quæ concepto ſemine gratiæ ſpiritalis. parit maſculum bonæ operationis. Hæc eſt mulier illa, de qua in Apocalypſi legitur. Quod *draco ſtabat ante mulierem, quæ paritura erat maſculum, vt cum peperiſſet, deuoraret filium eius*. Ipſa eſt mulier Cananæa *egreſſa de finibus Tyri, & Sidonis*, id eſt, de profundo ſecularis conuerſationis, *quæ clamat ad Deum pro filia*, id eſt, pro peccatrice conſcientia dicens: *Fili Dauid, miſerere mei*. Ipſa eſt mulier, *quæ patiebatur fluxum ſanguinis*, id eſt; effuſa erat ſicut aqua per illicita deſideria carnis: tandem *fimbriam veſtimēti eius tetigit, & ſanata eſt*. Veſtimentū Chriſti, habitus eſt virtutis: fimbria veſtimenti, fructus eſt bonæ operationis. Sicut enim fimbria exornat veſtem, ſic bona operatio exornat virtutem. Mulier ergo illa fimbriam veſtimenti tetigit, quando anima peccatrix exemplo bonorum operum prouocata, bene operando priſtinos errores derelinquit. Hæc mulier tempus purgationis obſeruare debet, ſeptem diebus, & triginta tribus, quæ in ſumma quadraginta conſtituunt. In quadraginta vero eſt denarius per quaternariū multiplicatus: quippe quater decem, quadraginta efficiunt. Per denarium ergo propter legis mandata accipimus legem, per quaternarium quadripartitam legis obſeruationē, id eſt, Hiſtoriæ, Tropologiæ, Anagoges, & Allegoriæ. Siquidē legis mandata neminē ad perfectum perduxerunt ſine ſpiritali intelligentia: nam *litera occidit, ſpiritus autem viuificat*. Hinc eſt quod Moyſi qui figuram legis gerit, *terra promiſſionis oſtenditur*, ſed in ipſam non introducitur: quia lex oſtendebat per quam viam homines legis ad veram, & cœleſtem terram promiſſionis deberent incedere; ſed tamen in ipſam eos minimè potuit introducere. Alibi quoque manus Moyſi *graues* leguntur fuiſſe, ſed auxilio Aaron ſuſtentantur, & eriguntur, quia carnalia legis opera, quæ per manus Moyſi ſignificata ſunt, grauia erant, & importabilia, niſi cum Aarō noſter ſacerdos, tamen ſecundum ordinem Melchiſedech, illa temperabat, & erigebat ſpiritali intelligentia. Ergo iſtorum quatuor obſeruatio, id eſt, Hiſtoriæ, Tropologiæ, Anagoges, Allegoriæ, quibus anima debet purificari, quibus Deo debet reconciliari, neceſſaria eſt. Hiſtoria ſiquidem per mandatum homines foris inſtruit: Tropologia per morum informationem animam intus regit: Allegoria, quæ eſt de vnione Chriſti, & Eccleſiæ, cor ſurſum erigit: Anagoge, quæ eſt in cōtemplatione cœleſtiū, ad perfectum perducit: Hiſtoria viam bene operandi demonſtrat: Tropologia volūtatem informat: Allegoria per fidem cor mundat: Anagoge interiorem hominem ſola ea quæ Dei ſunt, contemplādo purificat. In Hiſtoria, propter præceptum inuenitur obedientia: in tropologia, diſciplina: in Allegoria, fidei ſinceritas: in Anagoge inuenitur charitas. Docet te Hiſtoria, qualiter per obedientiam ad ſuperiorem viuas humiliter: tropologia, quomodo ad parem vel ad inferiorem ſocialiter: Allegoria docet te credere fideliter: Anagoge docet te amare perſeueranter. Et duo prima, oſtendunt viam iuſtitiæ ad proximum: reliqua duo cultum pietatis ad Deum. Hæc ſunt quatuor alæ Cherubin, *quarum duabus volant, & duabus tegunt corpora ſua*. Sancti enim viri qui ſunt Cherubin, id eſt, plenitudine diuinæ ſcientiæ illuminati, duabus alis tegūt corpora, quādo per Hiſtoriam, & Tropologiam, præſentem informant conuerſationem: duabus alis volant, quando Allegoria, & Anagoge per fidem, & charitatem ſurſum eriguntur ad contemplationē. Iſtæ ſunt illæ quatuor rotæ, quibus *Arca Dei*, de terra Philiſtijm ad tabernaculum fœderis reducitur: & hæc ſunt illa quatuor, quibus anima à regione diſſimilitudinis, ad gremium matris Eccleſiæ, reuocatur. Hoc etiam per tempus purificationis oſtenditur, vbi nominantur dies ſeptem, & triginta tres: & inprimis quidem ſeptem diebus admittitur ad conſortium hominum, poſtmodum expletis triginta tribus diebus, adducitur ad templum. Per ſeptem itaque dies, quibus vniuerſum tem-

Heb.7. *2.Co.3.* *Deu.24* *Exo.17.* *Apo.12* *Mat.15* *Mar.5.* *Ezech.1.* *1.Reg.6*

pus

pus voluitur, vniuersitatem temporis intelli
ge, quibus debemus ad cõmunionẽ hominũ
admitti, hoc est, fraternæ charitati studere.
Vide, quando si non habes quod tribuas, sal-
tem quod potes, affectum pietatis omnibus
benigne impendas. Esto misericors ad mise-
ros, compatiens ad infirmos, consolator ad
desperatos. Neminem iniusta operatione cõ
cusseris, nulli detrahendo calumniam intu-
leris, non alicui malum pro malo reddas, in-
iuriam tibi illatam, in tribulatione gaudens,
patienter sustineas; benedic maledicentibus,
ora pro persequentibus, & calumniantibus,
vt sis filius patris tui qui in cœlis est. Sem-
Luc.21. per in corde tuo habeto illam veritatis sentẽ
tiam: *In patientia vestra possidebitis ani-*
mas vestras. His, & his similibus modis in
hoc præsenti tempore purificaberis, si fra-
ternæ charitati operam dederis per affectum
misericordiæ, & pietatis. Per dies triginta
tres illud beatæ purificationis tempus intel-
Ephe.4. ligendu puto, quoniam quasi triginta trium
annorum *occurremus omnes in virum per-*
fectum iuxta mensuram ætatis plenitudinis
Christi, quoniam ingredemur in sancta san-
ctorum, idest, in templum non manufactum
2.Co.7. in cœlestibus, quoniam, sicut scriptum est,
purificabimur *ab omni inquinamento car-*
nis, & spiritus. Ibi fratres plenè cognoscen-
tes & cogniti, lux vestra non lucebit in tene-
Mat.25 bris, sed manifesta luce operum, & cordium
portabitis *lucernas ardentes in manibus ve-*
stris: Lucernas dico, non solum glorificati
corporis, sed conscientiæ lumine diuini amo
ris radiantis. Quod fortassis præfigurant lu-
minaria, quæ hodie offertis ad mensam do-
mini, hoc est, ad altare, non sine lumine, sed
ardentia. Attende si placet; ceræ operatricẽ
apiculam qualiter operatur, quomodo ne-
gociatur? Volat per plana camporum, per
compita hortorum, & condensa nemorum,
flores habentes in se sementem dulcedinis,
quærit; postmodum inuentis floribus ore
mordaci virtutem saporis ex flore sugendo
extrahit, & reuertens ad aluearia, mirabili
artificio fauum, idest, ceram cum melle per
ducit, sed operatione aliena, post modum
melle à cera seiuncto, in cereum cera forma-
tur; qui accensus igne ad altare Christi præ-
sentatur. Omnia hæc ò anima fidelis in te inue-
niens, omnia tibi possunt assignari. Per
apiculam enim in te sanctam accipe medita-
tionem, quæ volando huc illucque discurrit,
dum misericordias Domini in præsenti se-
culo, præmia iustorum & supplicia malorum
in futuro studiosa cogitatione retractat, &
reuoluit. Hæc igitur apicula, id est, sancta
meditatio duas alas habet, id est, inuestiga-
tionem, & admirationem. Sunt enim quæ-
dam noscibilia Dei, quæ à nobis in hac valle
A misericordiæ constitutis legendo, meditando, in-
uestigari & sciri possunt. Alia sunt profunda
& inscrutabilia, qualia sunt, quæ *nec oculus* Esa.64.
vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis
ascenderunt; quæ omnia, admirari quidem
possumus, non scrutari. Hoc enim est, quod
sponsus sponsam in Canticis per *fenestras &* Can.2.
cãcellos, quasi laqueus amore aspicitur: quip
pe per fenestras, siue cancellos alium intue-
tur, nec totum se manifestat, nec totum se
abscondit. Sic & Christus in hac vita sponsæ
suę, hoc est, fideli animę, partim se occultat,
vt habeat quo per desiderium se extendat:
partim se manifestat, vt ex gustu diuinæ, sua-
uitatis amplius in amorem eius ardescat.
B Si enim totum sponsæ complexibus præbe-
ret, ex sui præsentia fortassis fastidium face-
ret. Sic & in Esaia, *Seraphin* alis suis *pedes*, Esa.6.
& faciem Dei velare dicuntur, mediis tan-
tum patentibus: quia sublimia quædam de
Deo nobis incognita sunt, & velata, aliis ad
nostram notitiam peruenientibus. Nostra
igitur apicula duabus alis, id est, inuestiga-
tione, & admiratione in campum pergit. In
quem campum? In campum scripturarum, de
quo Dominus ad Ezechielem: *Egredere in* Ezech.3.
campum, & ibi loquar tecum. In scripturis
enim nobis Deus loquitur, cum per ipsas no-
bis ostendit quid agere debeamus. Iste cam-
pus est ager ille, vbi inuenitur preciosa mar-
garita, *quam qui inuenit, vendidit omnia quæ* Mat.13.
C *habuit, & comparauit.* Ipse est ager, in quo
crescit *flos campi, & lilium conuallium*, Flos Can.2.
& lilium ipse Christus est: in campo inueni-
tur, quoniam omnis sacra pagina ei testimo-
nium perhibet: & flos quidem propter de-
corem, lilium propter odorem. Et decor qui
dem exterius visu dinoscitur: odor non sen-
su, sed affectu interius percipitur. Christus
igitur flos est, per manifesta opera iustitiæ:
lilium est, per occultum desiderium cœlestis
patriæ. Vel forte, flos est in vita actiua, liliũ
verò in comtemplatiua. In hoc igitur cam-
po nostra apicula flores quærit, diuersarum
sententiarum, à quibus succum dulcem ex-
trahit: quia intellectum spiritalem ore me-
moriæ extrahens in alueario cordis reportat
& deponit. Postea fauum operatur sua indu-
stria in quo (sicut diximus) inuenitur melle
cera admixtu. Per ceram humanæ naturæ fra
gilitatem intelligimus: quia sicut cera quã-
libet imaginem facile in se suscipit, sic & nos
imaginem modo veteris, modo noui hominis
pro varietate temporis in nobis portamus.
Vnde Apostolus, *Sicut portastis*, inquit, *ima* 1.Co.15
ginem terreni hominis, sic portetis imaginem
cœlestis. Fauũ igitur, id est, mel in cera opera
mur, quando sapore virtutum, & gustu quo-
dam diuinæ dulcedinis, quam in scripturis
diuinis inuenimus, fragilitatem nostra Dei

cooperante gratia informamus. Quid plura? Tandem suffocata matre apicula, mel à cera seiungitur, & vitæ nostræ imminente termino omni meditationis cessante officio, anima, in qua sedes virtutum est, à corpore separatur. Cera in cereum aliena operatione perducitur, & natura nostra in die glorificationis in verũ corpus reformabitur: cereus igne accẽditur, & corpus per infusionẽ animę iterũ viuificabitur. Stupa & cera ab igne cõsumitur, quia & mortalitas quæ per stupã, & fragilitas, quę per cerã intelligitur, virtute penitus exuretur. Modo enim corpus nostrũ animale, tũc erit spiritale: tandẽ cereus ardens ad mensam Domini offertur vbi pane benedictionis reficimur, & nos *ad vltimam cœnam* illam vitæ cœlestis, quæ est tam interminabilis, quàm incomprehensibilis, admittemur. Ad quã nos perducere dignetur, quẽ cũ beata matre & Virgine MARIA hodierna die veneramur Iesus Christus Deus noster, Iudex & Saluator noster, cuius regnum, & imperium permanet, in secula seculorum. Amen.

Apo. 29

IN ANNVNCIATIONE B. MARIÆ. Sermo primus. Qui est in ordine 20.

Ps. 109. VIrgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorũ tuorũ Velle, fratres charissimi, si benignus IESVS gratiam inspiraret, factis potius quàm verbis sermonem vobis facere. Quippe plus ædificatione proficiunt facta, quam verba: cum hæc suauitate quadam eloquij virtutis contineant exhortationem, illa vero exemplo bonæ conuersationis trahant ad immitationẽ. Et ego quidem virtutis omnimodo vacuus, dum vestræ charitati qualemcunque compellor exhortationis, ministerium impendere prudentis illius dicto me excusabo: Quia fungor vice cotis acutum reddereque ferrum valet, exors ipsa secandi. Sed nunquid quia peccator sum solus, non accedam ad Do-
Luc. 20. minum meum, solus nesciam *vbi posuerunt eum*? Tu saltem vir bone, vir religiose, qui spiritali susurrio cũ Deo tuo verbosaris die
Cant. 1. ac nocte, qui ad mensam consolationis eius cõsiderasti, u, inquã, *indica mihi vbi pascat, vbi cubet in meridie*, & tu cùm eũ inueneris, *renuntia mihi, vt & ego veniens adorem eũ.*
Luc. 12 Aut certe, iuxta Saluatoris mei cõsilium, ne verbi Dei *dispensationem*, inermis aggrediar, vendam tunicam meam, & *emam gla-*
Luc. 22 *dium*: tunicam peccati, tunicam vetustatis. Hanc pro meliori, hoc est, pro vitæ nouitate commutabo, in qua accipiam *arma iustitiæ*
Gala. 6 *& gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Et à verbo quidem, quod proposui secundũ congruentiam solẽnitatis, congruum mihi videbor sumpsisse exordium. A prophetico illo eloquio verbi dicitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, &c.* Quænam putas alia est virga, nisi beata Dei genitrix? de qua processit flos ille campi, flos (dico) fructu, odore, pulchritudine singularis. De cuius fructu amica, sponsi in Cantico amoris satiata, gratulabunda proclamat, dicens: *Sub* *Can. 1.* *vmbra illius quem desiderabam sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*: Fructum appellans charismatum dona. O fructus dulcis, o fructus suauis, quem apetit esuries sine tormento, manducat sine fastidio, quo satiatur sine superfluo, sanatur sine reciduo. O fructus bone, fructus sapidissime, omne habens delectamentum, omnem saporem suauitatis; his tamen qui gustauerunt, quàm suauis Dominus: In alijs si quidem est manna propter dulcedinem, in alijs lignum vitæ propter æternitatem, in alijs panis propter fortitudinem, in alijs vinum propter compunctionẽ, in plerisque autem oleum propter spiritus consolationem. De odore autem istius floris in Canticis scriptum est, vbi fidelis anima loquitur ad Deum dicens: *Trahe me post* *Can. 2.* *te, curremus in odore vnguentorum tuorum.* Et alibi: *Ecce odor filij mei sicut odor* *Gen. 27* *agri pleni, cui benedixit Deus.* Odor super omnia necessarius, vt pote infirmis purgatiuus, proficientibus confortatiuus, perfectis vero sanatiuus. *Ecce*, inquit, *odor filij mei sicut odor agri pleni.* Nonne vides agrũ istius mundi, hoc odore plenum, cum videas alios iustitia fortes, charitate feruẽtes, alios promptos ad obediendum, & humilitatis obsequium, hos lachrymis irriguos, & ad eleemosynas profusos, plerosquę in laudem prorumpere, non solum pro eo quod veniã consecuti sunt, sed etiam pro eo quod gratiã pro gratia receperũt? De pulchritudine vero floris illius sancta Ecclesia sibi applaudit in Cãticis, dicens: *Dilectius meus candidus est &* *Can. 5.* *rubicundus*: vere pulcher, vere speciosus, qui licet rubicundus fuerit in passione; candidus tamen in essentia diuinitatis permanet. Cuius etiam pulchritudinem Daniel Pro-
Dan. 7. pheta commemorans ait: *Vestimenta eius candida sicut nix, capilli albi sicut lana munda, corpus eius sicut chrysolitus, thronus sicut flamma ignis*: Huius ergo floris fructu, odore, pulchritudine tam præclari; virga Beata Dei genitrix fuit, cuius sementẽ Angelus Gabriel hodierna die recit; quoniã Christum Dei virtutem, spiritus sancti operatione, de ipsa nasciturum annunciauit. Vnde Propheta *virgam virtutis eius* eam appellat *Ps. 109.* quia ipse filius, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, sicut flos de virga, sic de beatæ Virginis natura secundum carnẽ processit. Vel virga virtutis appellata est, quia in humanitate,

tate, quam assumpsit de illa, hostē illum antiquū potēter prostrauit: sicut, & Abacuc Propheta testatur, dicēs: *Cornua in manib⁹ eius*, (crucis subintellige) *ibi abscōdita est fortitudo eius*. Dicit ergo Propheta: O Christe Dominus *emitte ex Siō*, hoc est, de gente Iudæorū, *virgam virtutis tuæ*, videlicet Beatā Virginē MARIAM: Hæc est virga illa Moysi, quæ *dracones Ægyptiorū deuorauit*. Quippe Beata Dei genitrix, quæ prænunciata est, à Moyse, & Prophetis, venena peccatorū, & tenebras huius mundi per solē iustitiæ de se procedentē illuminauit. Vnde, & in laudem eius dicitur: quia cunctas hæreses sola interemisti, in vniuerso mundo. Ipsa est virga Aarō, quæ in tabernaculo posita, inter cæteras Tribuū Israel virgas floruit, & *germinauit amygdala*. Floruit planè pariēdo Christum: *germinauit amygdala*, quādo multa iustorū milia, suo exēplo ad vitæ nouitatē conuertit. Quod si diligēti oculo, velimus aduertere, quare MARIA Virga sit appellata, in hoc Virgæ similitudinem videmus ei conuenire; quia Virga est flexibilis, gracilis, recta, eminens, statura vniformis: Vniformis dico, nō ramis, vel folijs circunquaq; diffusa. Certè sicut scriptū est: *Iniquitas sedet super talentū plūbi*: pōderosa enim est, non gracilis, nō subtilis. Quoniā ergo Beata Dei genitrix, ab hac pōderositate peccati Spiritus sancti virtute liberata est, rectè, per gracilitatem Virgæ, puritas innocētiæ eius intelligitur: cuius caro sic purificata, per Prophetā Nubes leuis appellatur, cū dicit: *Ecce Dominus ascendit super Nubē leuē*. In virgæ autē flexibilitate, virtus obediētiæ accipitur, quam in MARIA inuenies, vbi dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundū verbum tuū*. Disce, O radix peccatrix, faúilla ignis æterni, disce, inquā, exēplo MARIÆ Deo humiliari, & esse subiectus omni humanæ creaturæ, propter Deū. An nescis, quid Esaias clamat de superbis, qui ambulāt in mirabilibus super se: *Pro eo*, inquit; *Quia eleuatæ sunt filiæ Siō, & ambulauerunt extēto collo, decaluabit Dominus verticē eorū, & crinē nudabit*. Dignè sic punitur superba; quia sicut dicit Claræ illi⁹ Vallis Magister Bernardus; Nec etiā Virginitas MARIÆ, sine humilitate Deo placuisset. In virgæ autē rectitudine, opera iustitiæ, in longitudine virtutis perseuerantia, in eo quod vniformis, morū concordia figuratur. Ecce virga, quę omni petēti patriā, proponitur imitāda; videat vnusquisq; an velit eam imitari: quoniā in virga furoris flagellabit Dominus eos, qui illā cōtēpserint. Sūt enim, & aliæ virgę Domini, quędā ad iustificationē bonorū, quædā ad vindictā malorū. Est enim alia virtutis virga, alia virga hæreditatis, alia virga directionis, alia virga furoris.

Virga hæreditatis est, generatio Rectorū, qui sunt hæredes regni, & participes futuræ beatitudinis, de qua Psalmista dicit: *Redemisti Virgam hæreditatis tuæ*. Hæc virga significata est, in illo facto Iacob: quando sumpsit *Virgas populeas*, & *amygdalanas*, & *ex platanis*, partimq; eas *decorticauit*, & quasdam vnius coloris retinuit, vt oues in aspectu earum, modo varios; modo vniformes conciperent fœtus. In his quæ partim decorticatæ fuerant, sanctos illos figurās, qui pellem, pro pelle dederunt, passiones, tormenta, iniurias sustinendo. In his verò, quæ erant vnius coloris, exprimens, qui sine tormentis, orthodoxa fide, & doctrina, & morum pietate Ecclesiæ Dei lumen dederunt; quas virgas; oues, id est, simplices debent inspicere, vt in earum aspectu concipiant. Quia illorum exemplis debent addiscere, modò iniurias, contumelias, malorum vexationes libēter, ac pacienter sustinere: aut certè in alijs, modo humilitatem, modo obediētiam, modo mansuetudinem, cæteraſque virtutes saluti necessarias. Virga autem directionis, rigor disciplinæ accipitur, vt voce, vultu, gestu, habitu, verbo, & opere, sanctè, iustè, & piè conuersemur. De hac virga, dicit Propheta: *Sedes tua Deus in seculum seculi: virga directionis, virga regni tui*. Virga furoris est, Diabolus, & Angeli eius, per quos punit Deus, eos, qui demersi sunt, *in lacu inferiori, & in vmbra mortis*, de qua virga dictum est: *Virga furoris mei Assur*, per Assur Angelos satanæ significādo. Ergo virga virtutis, quæ in tentatione defendit infirmos: virga hæreditatis, quæ dirigit iustos: virga directionis est, quæ corrigit tortuosos: virga furoris est, quæ flagellat impios. Elige ergo tibi inter has virgas, quam teneas, an vellis inter amicos, an inter inimicos Dei computari? Pro quibus dicitur; *dominare*, id est, dominaberis *in medio inimicorum tuorum*. Aut enim dominabitur eis, conuertendo eos ad iustitiam, aut puniēdo eos ad vindictam. Sed sunt nonnulli, qui in domo Dei, non virga, sed columna immobilis volunt apparere. Si enim moneas eos, negligunt: si arguas, contemnūt: si obsecras, non exaudiunt: quin potius murmurant aduersus patrem familias, dicentes. *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos fecisti nobis, qui portauimus pondus diei, & æstus*. Nos in vigilijs, inquiunt, nocturnis, nos in horis diurnis, nos in silentio claustri, nos in hymnis, & canticis; clamamus in cœlum, vt misereatur nostri, Deus noster. O vtinam, fratres charissimi, psallamus, nō solùm voce, sed, & spiritu, & mēte. Sicut enim quidā ait: Cùm vox vitā non remordit, dulcis est symphonia. Planè musica ista vocalis, ad laudem satis congrua; sed est alia, quā docet supernus ille musicus, & illa nostræ saluti, magis est necessaria: Sed quæ est illa musica, quam docet Deus? Ipsa profecto triplici specie subdistinguitur: alia est enim animalis,

alia

Abac.3. *Exod.7.* *Nu.17.* *Zach.5.* *Isai.9.* *Luc.1.* *Esai.3.* *S.Bern.* *Psal.73* *Gen.30.* *Psal.44* *Psal.87* *Esa.10.* *Psal.9.* *Mat.20*

alia spiritalis, alia cœlestis. Animalis est musica, quando sensus exteriores, nihil superfluũ appetunt, & à ductu rationis, nequaquam discordant, vt visus non aspiciat vana, non auris audiat detractiones, vel iudicium sanguinis, non odoratus quærat suauia, non gustus superflua, non manus extendatur ad illicita. Istæ sunt quinque vocales animalis musicæ, facientes harmoniam; quæ dicitur Diapente, quod sonat de quinque. Constituitur enim de quinque corporis sensibus ordinatè constitutis, sicut iam dictum est. Spiritalis musica, consistit in profectu virtutum, in gaudio spirituali, & morum suauitate, in timore Dei, & amore fraternitatis, per quam harmonia efficitur, quæ Diatessaron, hoc est, de quatuor, est appellata. Quatuor ergo virtutes principales illam efficiunt, videlicet, fortitudo, iustitia, temperantia, prudentia, vt sit in omnibus benè agendis; fortitudo ad auxilium, iustitia ad directionem, siue ad iudicium; temperantia, ad solatium, prudentia ad consilium. Cœlestis verò musica, consistit in contemplatione Dei, in adeptione æternitatis, in mentis iocũditate, & immortalitate corporis: & facit hęc musica harmoniam, quæ Diapason dicitur, quod sonat de octo. Siquidem octo beatitudines eam efficiunt, cum paupertati regnum cœlorum, mansuetudini terra viuentium, lugentibus consolatio, esurientibus satietas donatur, & sic de cæteris, secundùm, quod in Euangelio describitur. His generibus musicæ, *Mat. 5.* frater mi dilectissime, exercere; qua docet supernus ille musicus, magis in concordia morum, quàm vocum decantare: magis eligens fortitudinem mentis, præ fortitudine corporis, sicut dicit vir ille Sanctus: *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs* *Ps. 146.* *viri beneplacitum erit Domino.* Quid ergo: *Beneplacitum est Domino super timentes eũ: & in eis, qui sperant super misericordia eius.* Postremo, tu qui militas in castris Israel, & fortis es in bello Domini; quæro ego à te: à qua parte custodis tabernaculum Domini, vtrùm ad Orientem, an ad Meridiem, an ad Aquilonem, an ad Occidentem? Certè, sicut *Num. 2.* scribit Moyses: ad Orientalem *plagam tabernaculi excubant* Isachar, Iudas, & Zabulon: ad Meridianam, Ruben, Gad, & Simeon: ad Aquilonis plagam, Dan, Neptalim, & Aser: ad Occidentalem, Effraim, Manasses, & Benjamin. Hæc omnia ad nostram doctrinã scripta sunt. Per Orientalem plagam tabernaculi significatur ortus, siue inchoatio Religionis; ibi excubat Isachar, qui interpretatur memoria Domini: & Iudas, qui confitens, & Zabulon, qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Omnis ergo qui vitæ nouitatẽ aggreditur; debet habere memoriam Domini, per cordis contritionem, pro commissis: similiter, & oris confessionem, in accusatione sui.

A Debet etiam esse habitaculum fortitudinis, tolerãdo fortiter asperitatẽ satisfactionis. Per plagam verò Meridianam intelligitur profectus, siue incrementum virtutis, vbi excubant isti tres, videlicet Ruben, qui videns filius; Gad, qui accinctus, Simeon, qui exauditio Domini interpretatur. Qui enim in domo Domini proficere, vult in virtutibus, debet esse videns filius, id est, circunspectus, vt diligenter videat, quæ sit voluntas Domini bona, beneplacens, & perfecta: debet esse accinctus cingulo castitatis, per mundiciã carnis: debet etiam esse exauditio Domini, obediendo suo superiori, secundum mandatum Dei. Per plagam Aquilonis significatur agoB nia tentationis; in qua excubant, Dan, qui iudicium, Aser, qui beatitudo, Neptalim, qui dilatatio interpretatur. Quicunque enim in tẽtationibus vult esse fortis, debet ante oculos statuere iudicium illud, sine misericordia, vbi separabuntur, *oues ab hœdis*: futuram *Mat. 25* etiam beatitudinem, quæ debetur iustis, sed, & viam quæ conducit ad illam, scilicet latitudinem charitatis; vt, & timor iudicij, ab illicitis abstineat, & promissa beatitudo, in latitudinẽ charitatis indicat. Per plagã Occidẽtalẽ (non ab Occasu, sed ab occisione moraliter, sic dictã) tranquillitas mentis accipitur, quãdo occisis vitijs, per mortificationẽ carnis, caro, & spiritus subijciuntur diuinæ voC luntati. In qua parte excubant Effraim, qui frugifer, Manasses, qui obliuiosus, Benjamin, qui filius dexteræ interpretatur. Quicunq; enim mẽte trãquilla, interfectis iam vitijs, vult Deo famulari, debet esse frugifer in operib⁹ iustitiæ, obliuiosus per delectationẽ vitæ præteritæ, sed, & filius dexteræ, per desiderium felicitatis æternæ. Ipsa enim est, quæ in Scripturis sanctis, per dexteram nobis significatur. Sic ergo, ò homo, qui de numero pugnatorũ Israel te existimas, sis, inquã, Isacar, id est, memor Domini, per cõtritionẽ cordis: Iudas per cõfessionẽ oris: Zabulon, per laborẽ satisfactionis. Sis Ruben, per circunspectionẽ: Gad, per castitatẽ: Simeõ, per obediẽtiã: Dã, per diuini iudicij formidinẽ: D Neptalim, per dilatationẽ charitatis: Aser verò, in spe promissæ beatitudinis: Effraim, per studium boni operis: Manasses, per obliuionẽ præteritæ conuersationis: Benjamin, per desideriũ futuræ iocũditatis. Tales enim debent esse qui tabernaculo Dei deseruiunt. Quid ergo erit de illis, qui tabernaculũ Dei destruunt, per scismata, & scandala, per contumelias, & detractiones? Timeo ne cũ *Dathan, & Abyron descendãt in infernũ viuẽtes;* *Nu. 16.* hoc est, iniquitatem suã intelligẽtes, & cognoscẽtes: quomodo enim ignorare possunt, quòd per Scripturas diuinas, per Lectiones nocturnas, per Psalmos, & Cantica audiunt, & intelligũt? Ideò *viri Niniuitæ exurgẽt in* *Mat. 12* *iu-*

iudicio contra generationem talem, qui ad prædicationem Ionæ egerunt pœnitentiam. Prædicauit Ionas subuersionem ciuitatis,& omnes conuersi sunt à vijs suis malis ad Dominum. Minatur Christus damnationem æternæ mortis,& non est,qui exaudiat. Ergo, Fratres dilectissimi,ne in illo tremendo iudicio Christus Dominus loquatur nobis durè,sumamus de optimis terræ fructibus, & feramus ei munera,videlicet,modicum resinæ,mellis,& stiracis,stactes,& terebinti,hoc est,virtutes, & opera virtutum,quæ per ista significantur: quia forsitam ignoscet, & relinquet post se benedictionem. Deus autem meus faciat eum placabilem, & remittat, & hunc Fratrem vestrum,qui loquitur, & eum quem tenet in vinculis,id est, illos,qui ad obediẽdum Deo vinculis disciplinæ se astrinxerunt; remittat, inquam, ad patrem suum, ad summi, & æterni illius patris visionem, vbi vita,sine termino,& gaudium sine nubilo: quo nos perducere dignetur ipse IESVS, Rex,& Saluator noster, cuius Regnum, & Imperium permanet, in secula seculorum, Amen.

IN ANNVNCIATIONE B. MARIÆ.

Serm. 2. Qui est in ordine 21.

Luc.1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hodiernæ diei solemnitas,Fratres dilectissimi, Dominicæ Annunciationis, vocabulo honoratur; quia salutis nostræ exordia hodie Beatę Virgini creduntur denunciata. Sapientia enim, quæ in arcano diuinitatis, ab æterno luserat coram patre diadema carnis assumendo,mũdo etiam spectaculum facere voluit, sic attingẽdo; *Sap.8.* *à fine vsque in finem fortiter*; à fine, inquam,maiestatis summæ,vsq; ad finem extremæ humilitatis. Quippe non satis erat,ad restaurationem conditionis attigisse finem illum maiestatis,& gloriæ,quo erat Angelicæ naturæ ad gaudium: nisi etiam finem humilitatis attingeret, quo peccatoribus fieret remedium. Ad huius spectaculi nouitatẽ, videlicet Incarnationis Verbi, omnis illa Patriarcharum,& Prophetarum turba, per quos Spiritus sanctus mundo intonuit, venturam generationem inuitauit, vt in carne Sanctum Sanctorum agnosceret, quem Sanctorum multitudo prænũciasset. Quid enim *Gen.24.* Abraham facto illo significauit, cùm dixit: *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Deum cœli,& terræ, ne accipias vxorem filio meo de filiabus Canaan?* Manum quippe,quæ infirmamentum fidei solet porrigi,subter femur ponere,est Christi humanitatem, de Abraham descensuram; fide tenere: Iurare per Deum cœli,& terræ,eundẽ esse Deum ore pronunciare,ac si diceret: tange femur meum,& iura per Deum meũ. Eandem Christi humanitatẽ *lumbare*, illud Hieremiæ significabat,quòd *Hier.13.* *ad flumen Euphraten in petræ foramine absconditum computruit, ita quod nulli aptum, vsui videretur.* Lumbrare siquidem assumptæ carnis à Verbo ad flumen Euphraten,ad fluxum; videlicet nostræ mortalitatis cõputruit, cùm homo ille saturatus opprobrijs,cõfossus plagis,abiectio plebis factus est. Inde beatus Iob ex persona filij Dei,dicit: *Induta est caro mea* *Iob.7.* *putredine,& sordibus puluueris.* Nec hoc prætereundum puto,quod in foramine, petræ lũbare,hoc computruisse,dicitur: foramẽ siquidẽ munimentum solet esse eorum, quæ in ipso reponuntur,ne impetu auræ, vel quacunq; ventorum violentia dissipentur. In petra ergo Christus; in foramine Christi accipitur obedientia,quæ ipsum, ab omni forinseca perturbatione,& tentatione custodiuit: in quo tamen foramine lumbrare computruit; quia factus est obediens Deo Patri vsquè ad mortẽ. Dominus quoq; summo illi Patriarchæ promittit,dicens: *In semine tuo benedicẽtur omnes cognationes terræ*: mysterium Incarnationis de semine Abrahæ venturum esse prænuncians. Veruntamen, quod de semine Abrahã, siue Dauid,Christus nasciturus esse dicitur; *Gen.22.* pia mens Catholice debet accipere, non secũdùm feminis traductionem, neq; enim Christus,sic natus est,ex virili semine; sed potius, ex semine Abrahæ,natum esse dicat, secundũ generis successionem. Ipse enim Angelus non de viro,sed de Spiritu sancto nasciturum esse MARIÆ prædicit; vbi dicit: *Spiritus sanctus superueniet in te,* & cætera. Suscipe ergo *Luc.1.* virgo MARIA, Verbum,quòd tibi à Domino,per Angelum transmissum est. Non enim te alloquitur, vt exterreat pauidam, vt circumuentam improuisam,vt concutiat infirmã. Quæ enim nosti in secreto cubiculi tui fabulari cum Domino,oratione penetrare cœlos,visiones Angelorum videre,quid timeas in eorum colloquijs, vel dubites de promissis? *Plenè Spiritus sanctus superueniet in te.* Vt executio promissionis, nuncij fidelitatem possit comprobare. *superueniet*, inquit. Venit certè Spiritus ad Virginem per electionem, festinauit per sanctificationem, appropiauit per allocutionem; superueniens tandem, hoc est, superueniens per illam ineffabilem Incarnationis operationem. Interrogemus omnes filias Euæ,quæ illarum ab illo triplici Ve,vniuersæ carnis libera fuerat, quòd Adam transmisit posteris suis: quorum primum fuit in corruptione carnis: secundum, in præuaricatione animi: tertium,in pœna damnationis. Nulli prorsus,donec Spiritus sanctus superueniẽs, *Nota.* super Ve,inquam, iens à Beata Virgine, totum

tum illud ve abstulit, vsque adeò, vt nec cor- A ruptio carnis impuram, nec præuaricatio mentis ream, nec damnatio miseram constitueret. O quam efficax Spiritus sancti medicina, quæ adeò sanam, adeò innocentem fecit illam! Putò, quod in terra suauiter viuentium inueniri non poterat, nec in nostræ conuallis habitatione exordium sumpsit; & ideò *superueniet*, id est, desuper venit, de summis ad infima; vt natura nostra, quæ per causas inferiores tutari non poterat (omnis quippe caro corruperat viam suam) salteni in sui languoris remedium de supernis acciperet medicinam. Placet adhuc medicinæ huius effectum intueri, & modum languoris cum illo comparare, si forte expediens B fuerit, tali morbo, tali obuiare medicamento. Erant quippe duæ infirmitates in nostra natura sanandæ, quarum vna procedebat ex superabundantia humoris, reliqua ex vehementia frigiditatis. Superabundantia humoris, ipsa est inundatio carnalium desideriorum: frigiditas, desperatio cœlestium promissorum. His duobus, duo cõtraria, Spiritus sancti medicina in se habuit, videlicet, calidum, & siccum; quatenus contraria contrarijs possent curari. Et calidum siquidem fuit, ardor, siue desiderium cœlestium: siccum verò, fuit virtus castitatis, siue virginitatis propositum. Apposuit ergo Spiritus sanctus, in Beata Virgine calidum, contra frigidum, vt ardore cœlestium terrena despiceret. Siccum quoque humido apposuit, vt proposito virginitatis, & continentiæ carnalia desideria in ea prorsus extingueret. Vnde etiam subiungitur: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*. Quod est, ab æstu carnalium desideriorum præstabit refrigerium. Sed si virtutem altissimi Christum (qui iuxta Apostolum est, *Dei virtus, & Dei sapientia*) 1. Cor. 1 appellamus, cùm ipse Dei filius *lux inaccessibilis*, sol iustitiæ, lucifer, siue stella matutina appelletur: videtur potius debuisse dixisse: Virtus altissimi illucebit tibi, quam *obumbrabit*: cũ ea, quæ sunt lucida, magis claritatem, quàm vmbrã præstare soleãt. Quod D fortè verũ esset, vbi iuxta formã rerum naturabilium, etiã Dei miracula pensare possemus. Omne siquidem vmbrosum corpus in natura rerum suam vmbram iacit in illud, quod oppositũ est ei, à quo claritas procedit. A simili attẽde, qualiter virtus altissimi obumbrabit Beatæ Virgini. Res siquidẽ, à qua splendor processit, fuit diuinitas Verbi: oppositũ huic splẽdori, fragilitas nostræ mortalitatis: Christi verò humanitas in cõceptione vnita verbo susceptit in se splendorẽ diuinitatis: sicq; diuinitati, & nostræ fragilitati interposita, nõ solũ MARIÆ, sed, & vniuerso orbi obũbrauit, vt obũbrationẽ intelligas assumptæ carnis mediationẽ. Et sicut radius solaris iubaris vmbrã oppositorũ sibi corporũ ad diuersa loca tranimittit, quod testimonio quotidianæ experientiæ coprobatur: hic Christus sol iustitiæ suæ humanitatis obumbrationẽ extendit ad diuersas partes Ecclesiæ, diuersis tẽporibus. Ad Orientẽ etenim vmbra iecit, cum in suæ conceptionis ortu, siue principio formã serui assumens, dedit humilitatis exẽplum: ad Occasum iecit vmbram, cum in passione cõtulit peccati remediũ: ad Aquilonẽ iecit vmbrã, cũ descendẽs ad inferos momordit infernũ: ad meridiẽ iecit vmbrã, cum ascendẽdo testes gloriæ suæ transvexit in cœlum. O si, & nobis, Fratres dilectissimi, velit Christus indicare, *vbi pascat, vbi cubet in meridie*, quatenus, & nos, nõ dico modo, vt mõtes, sed tanquã arbusta illius vmbra operiat. Quis enim in ea quieuit, & est adustus? Quis sedit sub illa, & nõ est protectus? Hic calor cõcupiscentiæ refrigeriũ, ventus elationis obstaculũ, gastrimargiæ tẽperamentũ. Quæcunq; alia infirmitas remediũ inuenit, sed est quædã obumbratio, quæ facit propter intẽperiẽ frigoris torpidũ: aliã contra vehemẽtiã caloris præstat refrigeriũ. Qui enim in hyeme lõgè a nobis sole posito vmbrã quærat, manifestũ est, quoniã eo fortius frigore arctatur. Si verò in diebus æstatis, cũ sol nobis vicinius lucet in virtute sua, ad vmbrã quis trãseat, obũbrationis habet solatiũ. An non similiter in illa obumbratione, C quã facit virtus altissimi, vt his occasio sit periculi, alijs causa salutis? Est vtique Christus, etenim quibusdã remotus per feruorem charitatis, quibus tamẽ obumbrat per Sacramẽta fidei, sub alis Ecclesię foues eos, de qua ipsi sunt littera, nõ spiritu, titulo, nõ studio. Hæc autẽ Sacramẽtorũ obumbratio, quia nõ adest feruor dilectionis, torpidos magis, quã refrigeratos facit. *Quia melius est viã veritatis non agnoscere; quàm* agnitæ veritati studijs, & operibus prauis cõtraire. Quos enim significãt alios, nisi Fratres Ioseph, qui ab eo frumẽto accepto, *pecuniã*, quàm dare debuerãt, & præterea *scyphũ argenteũ*, in quo Dominus terræ *augurari solebat*, in saccis suis inclusos retulerũt? Nomine quippe frumẽti, Eucharistiæ cæterorũq; Sacramẽtorũ virtus accipitur, vt ibi: *Cibauit eos ex adipe frumẽti, & de petra melle saturauit eos*. Pecunia vero ipsa sunt Dei dona, quibus ipsius beneficia, quæ in vnitate percipiũt Ecclesiæ, recõpẽsare debẽt: & scyphus argẽteus, in quo augurari solet Ioseph, nitor est diuini eloquij, in quo prẽmia iustorũ, pœnas malorum futuras prædicit. Sed non solũ pecuniam, sed, & scyphũ argenteũ in saccis abscondunt, cum, & dona Dei accepta, & sacræ testimonia Scripturæ, quæ intelligũt, executione bonorum operum foris non ostendunt. Vnde etiã, & Propheta suspirans conqueritur dicens:

Cant. 1.

2. Pet. 2.

Gen. 44.

Psal. 80

In

*Pſ.*136. *Inſalicibus in medio eius* (Babylonem loquens) *ſuſpendimus organa noſtra.* Per ſalices quippe, quæ infructuoſæ ſunt arbores, homines peccatores, & infructuoſos accipimus, in quibus organa ſacri eloquij, quaſi inutilia ſuſpenduntur, cum leges, & prophetas auditu percipiunt; ſed tamen modulamine ſanctæ deuotionis, & harmonia bonorum operum minimè reſonant. Nunquid in laudem Dei reſonare poſſunt, quos lingua, conſcientia, facta quoque ſimul condemnant? *Qui nō*
Iaco. 3. *offendit in lingua* (dicit Scriptura) *hic perfectus eſt vir*. imo (vt dicam quod ſentio) inter omnia, quæ lege Dei prohibentur, non eſt alius frequentius à Deo ſeparans, quàm peccatum locutionis. Vis videre quàm frequenter? Inter eos ſiquidem, qui dicuntur ſuſurrones in populis, ſunt quidam, qui mala ex ſe ipſis concipiunt, & poſteà alij referendo parturiunt. Alij verò ab alijs mala accipiunt, & alijs eadem referunt. Tertij verò ſunt, qui quidem crimina aliorum non referunt, ſed tamen libenter referentes audiunt. Quod genus detractionis notat Propheta, cum dicit: *Et opprobrium non accepit aduer-*
*Pſa.*14. *ſus proximos ſuos*: Et hos omnes, quos vnum genus mortalis peccati involuit, expectat vna pœna damnationis; præſertim cum faciētes, & cōſentientes, pari pœna plectendi ſunt. Sed non ideò, inquies, conſentio, quoniam audio loquentes, quos non poſſum prohibere, litigare non volo, non aurem auertere, ne eo ipſo contriſtem fratrem meum, imo conſentis plenè, & peccatum detractionis omnino tu conſummas, quia niſi eſſet auditor, non eſſet detractor. Vis conſenſum intelligere? ſicut certe in alijs, ita hoc peccandi genere, conſenſus quatuor modis admittitur; videlicet inſtigando, cum quis alij ſuggerit, vt opprobrium fratri ſuo obijciat: cooperādo, cum defendit eum, vt hoc dicendo impunitus maneat: tacendo, cùm non admonet, vt deſiſtat, præſtando authoritatem, dum prælatus, qui debet corrigere errantes, detracto rem non caſtigat: & ipſe tantò grauius delinquit, quantò facilius poſſet corrigere, ſi operam fraterno profectui vellet adhibere. Es tamen vir ſine detractionis nota, cū tractare potes crimen fratris tui. Quandoque enim retractatur cauſa correctionis, quandoque cauſa communis vtilitatis, quandoque cauſa delectionis. Si ergo te ſciente peccauit frater tuus, etiam occulto exiſtente crimine, cum tuam forte correctionem non admiſerit, aut ei qui tenet locum prælationis, aut alicui bono, & ſancto viro habenti teſtimonium religionis, vel certè ei qui pollet authoritate ſcientiæ, ſecreto potes hoc indicare, de quibus tamē firma opinione teneas, quod, & ſecretum cuſtodiant, & charitatis viſceribus correctioni fratris operam velint adhibere. Omnis enim, quē admittis ad conſcientiam occulti criminis, talis eſſe debet, vt, vel authoritate poteſtatis cohercere, vel authoritate correctionis, vel authoritate ſcientiæ in his, quæ agenda ſunt, vel cauenda, inſtruere poſſit. Poteſt etiam cauſa communis vtilitatis ſine crimine, crimen alterius retractari, vt ſi forte velint aliqui virum homicidam Eccleſiæ Dei præficere, vel aliquem publico notatum crimine, in fraternum inducere conſortium; licet his, qui contradicere volunt, in ſuæ contradictionis patrocinium, crimen illius, quod opinione publica celebratum eſt, in medium proferre. Si verò cauſa nocendi, vt ſcilicet vilior, & delectior habeatur quis, crimen illius, ſiue publicum, ſiue priuatum retractet? Ille, qui hoc facit, eo ipſo filius gehennæ effectus eſt, quod cōtra fraternam egit charitatem; & hoc de locutione. Vt autem ad teſtimonium tranſeam conſcientiæ, quis demum eſt adeò ſecurus, qui non pungatur gladio conſcientiæ, audiēs illud humilitatis præconium in Euangelio:
*Ma.*20. *Si quis vult inter vos maior eſſe, ſit veſter miniſter*: Et, *qui vult primus eſſe, ſit veſter ſeruus*. Sicut *filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. O beata illa ſanctorum tempora, in quibus doctrina humilitatis floruit in opere, vt quidquid propriæ excellentiæ amor, ſiue veſtitus vanæ gloriæ adminiſtraret, totum puritas conſcientiæ tanquam malum abijceret. Virtutem quoque pacientiæ ad ſalutem eſſe neceſſariam, nulli dubiū eſſe debet: quoniam non ſolùm per ſe ipſum, ſed, & per ſeruos ſuos Prophetas, nobis retinendam mandauit Dominus. Vnde, & Dauid dicit:
*Pſ.*41. *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius*. In die, inquam, proſperitatis mandauit Dominus, ferre miſericordiam ſuam, hoc eſt, patienter tolerare iniurias, vexationes, incommoda, quæ etiam in beato Iob nomine miſericordiæ appellantur, vt ibi:
Iob. 3. *Nonne diſſimulaui? nonne ſilui, & iam quieui? & venit ſuper me miſericordia tua Domine*. In nocte verò aduerſitatis mandauit canticum eius, hoc eſt, conſolationem æternæ beatitudinis, ne deficiamus in tribulationibus. Conſulat ergo vnuſquiſque arcana cordis ſui, & inuenire poterit quod defleat. Si enim vindicare proprias iniurias, in dura verba prorumpere, præceptis maiorum contradicere, debent cenſeri nomine impacientiæ, putas ne pacientiam inuenies ſuper terram? Quandoquidem hæc rara auis eſt in terris, nigroquè ſimilima cigno. Quis noſtrum denique illam comminationem Euangelij timet:
Mat. 5. *Qui irascitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit, racha, reus erit concilio: Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Vbiq; ſubintellige, ſine cauſa. Sed hoc ſemper ſine cauſa fit, quando

quando causa correctionis non interuenit, siue communis vtilitatis. Et quoniam Domini legem acceptam opere non implemus, videtur illud Ioannis in Apocalypsi iam in nobis impleri, vbi dicitur: *Et factus est sol niger quasi saccus cilicinus.* Quippe scriptura sancta, quæ tanquam sol lucet nobis, ostendēdo ea, quæ ad salutem conducunt, abiecta, & vilis, dum non est qui eam opere impleat, reputatur. Ecce enim clamat lex naturæ, quā Deus in corde homnis scripsit: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris, & non aduertimus: legem Moysi abijcimus, Euangelij mādata non custodimus. Super quo ergo percutiet vltra addentes præuaricationem super præuaricationem? Non habet in nobis iam noua plaga locum. O si redirent aurea illa secula, & sicut in primitiua Ecclesia, mitteret Dominus ignem illum spiritus in terrā, qui hanc vitiorum rubiginem consumeret, & ferrum induratæ mentis nostræ posset emollire, vt saltem tunsionibus, & pressuris, quas quotidie experimur, ad vsum Dominici operis posset elimari. In rebus materiatis videmus, quoniam ea, quæ duriora sunt in duobus, videlicet aqua, & igne, temperantur, sic certè eisdem duobus spiritaliter acceptis, mentis duritia in suauitatem quandam spiritalis dulcedinis emollitur, per ignem, inquam, charitatis, & per aquam compunctionis. Animaduertite, & videte, quoniam faber ferrarius ferri materiam emollire volens, in ignem eam ponit, & carbonibus ignitis aquā aspergit; non tamen, vt ignem extinguat, sed vt amplius faciat reuiuiscere, donec tandem feruore ignis concepto, ferrum malleationibus ad voluntatem artificis dirigatur. Credo, quòd non dissimiliter is, qui mentis suæ faber curiosus esse desiderat, debet negotiari in igne, & aqua, duram mentis obstinationem emolliendo, vt aqua contritionis, & lachrymæ pœnitentiæ præterita peccata abluat, & ardor charitatis animum ad amorē virtutis accendat. Quid aliud sonant in Ecclesia gemitus contriti cordis, lachrymæ cōfitentium, tunsiones pectoris, virga disciplinæ, asperitas cilicij, crebra denique prostratio peccatoris? Omnia enim ista lachrymæ plangentium peccata sua secum trahunt, vt tunsionibus huiusmodi homo peccator elimatus, tandem virtutis amator incipiat existere, quousque ignis ille modicus, qui præueniendo languescentem affectum animi excitauit ad compunctionem, profectibus quotidianis inardescens caminus fiat in zelo iustitiæ, & amore virtutis. Et quoniam hoc nō est *currentis neque volentis, sed miserētis Dei qui operatur velle, & perficere in omnibus*, conemur, id prece qua possumus ab eo obtinere, quatenus peccati frigore exterminato, & igne charitatis in cordibus nostris accenso, suæ obumbrationis sentiamus refrigerium, donec tandem abscondat nos in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum, vbi est vita, sine termino, & gaudium sine nubilo, ipso donante Domino nostro Iesu Christo, cuius regnum, & imperium permanet in secula seculorum, Amen.

Apoc. 6.

Rom. 9.

IN ANNVNCIATIONE B. MARIÆ.

Sermo tertius. Qui est Authore, 22.

AVE MARIA gratia plena, Dominus tecum. Spiritus sanctus superuenit in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Verbum quod audistis, Fratres charissimi, Dominicæ Annunciationis continet historiam, in qua verbum, quod erat in principio apud Deum, venturum in carne annunciatur, sicut Ioannes dicit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ipsum est illud verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus super terrā, imo verè breuissimum. Nam licet in natura suæ diuinitatis incomprehensibile sit, & infinitum, in nostra tamen natura adeò breue factum est, vt tegeretur velamine modici corporis, pannis inuolueretur, & caperetur, ab vtero Virginis; quòd à diebus æternitatis totus mundus capere nō potuit. Nec immerito verbum, quod Christus est, annunciatur cum verbo salutationis; quia ipse Christus author est nostræ salutis. Quod poteris intelligere considerata eius natiuitate, vita, morte, & resurrectione. Natiuitas enim eius naturam nostram purgauit, vita eius vitam nostram instruxit, mors eius mortem nostram dextruxit, resurrectio eius salutem nobis cōtulit. Propterea cum voce salutationis Angelus Virginē alloquitur, dicens: *Aue MARIA*, tres salutationes celebres in Euangelica serie inuenimus. Salutat enim Christus Discipulos suos cū dicit: *Pax vobis.* Salutat Angelus MARIAM cū dicit: *Aue MARIA gratia plena.* Salutat MARIA Elizabeth, sicut legimus: quia ascendit MARIA in montana cū festinatione in domū Zachariæ, *& salutauit Elizabeth.* Hac triplici salutatione, triplex cōcordia nobis significata est, videlicet, Dei ad hominem, Angeli ad hominē, hominis ad hominem. Discordabat enim Deus ab homine, propter peccatum primæ præuaricationis: Discordabat Angelus ab homine; quia, cum conserui in obsequio Dei esse debuissent, homo se subdiderat dominio diaboli. Discordabat homo ab homine, Iudæus à Gentili, eo quod iste Deum, ille vero idola coleret. In prima ergo salutatione significatur concordia Dei ad hominem; quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In secunda significatur concordia Angeli

Luc. 1. Ioan. 1. Luc. 24. Luc. 1. Luc. 1.

geli ad hominem, qui per Christum cohæredes vitæ æternæ facti sunt. In tertia significatur concordia hominis ad hominem, quia Iudæus, & gentilis mediante lapide angulari, qui Christus est, in vna fide sociati sunt. Et quoniam hæc triplex concordia per Beatam Virginem facta est, dicat Deus, dicat Angelus, dicat homo: AVE MARIA. Hæc concordia, vt puto in hoc etiam significata est, quod nomen primæ matris, id est, Eua mutatur in Verbum salutationis. Siquidem hoc nomen Eua duas voces geminã miseriam humanæ naturæ prætendentes in se habet, videlicet, e & a. Cũ duplici enim miseria homo in hunc mundum nascitur, id est, culpa, & pœna. Quando ergo nomine illo cõuerso MARIÆ dicitur, AVE, per hoc datur intelligi quoniã per Beatã Virginẽ, & culpa in veniam, & pœna in gloriã commutata est. Et attende si placet quod, AVE quandoq; est vox optantis, quãdoq; vox orantis, quandoque cõgratulantis. Vox optantis est, cùm dico proximo meo, Aue, quia opto ei salutem: vox orantis est, cùm dico: Aue crux preciosa. Non enim ligno salutem opto, quam habere non potest, sed oro, vt virtus crucis mihi salutem operetur. Vox congratulantis est, cùm modò dicit Ecclesia: AVE MARIA, vel cùm dicit: Salue sancta Parens. Ac si diceret congratulor, vel congaudeo tuæ saluti. Dicat ergo Ecclesia congratulando, dicat Angelus optando: AVE MARIA, quod interpretatur, maris stella. O si detur illius copia, qui eam vocauit stellam maris: ò si conferte cum eo loqui liceat: quoniam quisquis fuit ille Deorum, qui eam sic vocauit, non solum verbosum, sed & contentiosum me ei impendam. Quare non magis eam cœli stellam, quare non magis eam mundi stellam vocauit? Certè nomen maris amaritudinis significatiuum est. Nunquid de eodem fonte hauriunt dulcem, & amaram aquam? nunquid ipsa, quæ mater est misericordiæ, & pietatis, mater est amaritudinis? Absit: Propterea ergo non immerito, & cœli stellam, & mundi stellam, & demum stellam maris appellabo eam. Cœli stellam, propter eminentis gloriæ præmium: mundi stellam, propter iustorum solatium: maris stellam, propter miserorum refugium. Stella cœli est, quæ sua claritate cæteros sanctos illuminat: mundi verò, id est, iustorum, qui propter munditiam cordis rectè mundus vocatur: stella est, quia ipsi affectu deuotionis ad illam respiciunt, cõtra pressuras huius mundi, & cõsolationis beneficia consequuntur: Maris verò stella est, quoniam omnes miseri, omnes in amaritudine criminum fluctuantes; ab ipsa opem refugij exposcunt. Omnes ergo animę Virgini matri deotæ lætabũdæ dicant: Aue cœli stella, Aue mundi stella, Aue maris stella, AVE MARIA. Velut modo video, rectè stella maris vocata est. Tempore enim huius salutationis nulli erant in cœlo Beati, in mundo nulli iusti, vel admodum pauci, sed omnes erant in mari, hoc est, in amaritudine peccatorum inuoluti. Et ideò iustè maris stella, id est, miserorũ stella nuncupata est. Sicut enim stella hæc nauigãtibus in mari rectę viæ inditiũ est, sic & MARIA in hoc mundo tortuose viuentibus, alijs rectam viam bonæ operationis, alijs rectam viam humilitatis, alijs rectam viam castitatis ostendit. Ob hanc miseriam tollendam Gabriel ad Virginem missus est, qui fortitudo Dei interpretatur. Siquidem opus erat fortitudine, vt genus humanum à tanta miseria liberaretur. Et attende quia nuncians fortitudo, nunciũs fortitudo, nunciatus fortitudo; sed nuncians fortitudo Deus, nunciũs fortitudo Dei, nunciatus fortitudo deificata potest appellari. Nunciatum dicimus hominem assumptum à verbo, qui deificatus est, id est, Deus factus. Sicut enim magnus ille Hugo S. Victoris dixit: Qui negat hominem assumptum esse Deum, negat eum assumptũ esse in Deum. *Hu. S. V. Hieron.* Nec obuiat authoritas illa Hieronymi quæ dicit: Legimus Deum humanatũ, non hominem deificatum: quæ sic intelligenda est, quia non prius homo, & posteà Deus est factus, sed ex quo fuit, simul, & homo, & Deus fuit. Nuncius ergo fuit fortis, vt mandatum Dei fortiter impleret: nunciatus fortis, vt in carne assumpta Diabolum fortiter vinceret: nuncians fortis, vt deiectum Diabolum fortiter alligaret. Vt autem ad stellam nostrã reuertamur, qui in mari sunt, vidẽt eam à remoto: qui in mundo, vident eam, è vicino: qui in cœlo, vident eam, è proximo. Qui aliquid videt à remoto, rem quidẽ videt, sed neq; genus, neq; personam rei discernit: qui è vicino videt aliquid, rem & genus rei discernit, sed non personam: qui è proximo videt aliquid, & rem & genus rei & personam cognoscit. Qui ergo in mari sunt, stellam nostram à remoto respiciunt: quia homines in magnis criminibus velut in mari fluctuantes, quamuis timore supplicij affectu tenui quandoq; ad Deum, vel ad ea quæ Dei sunt respiciunt, tamen caligine peccatorum inuoluti, à cõtemplatione cœlestium repelluntur, sicque nihil spiritalis gratiæ in se experientes, cœlestia quodammodo à longè vident, sed nõ statum, nec præsentiam eorum possunt aduertere. Iusti verò qui in mundo, id est, in mundicia cordis positi sunt, stellam hanc vident, è vicino, quia dum sanctè viuendo in cœlis habent cõuersationem, per stillicidia gratiæ futuram vitam prægustãtes, etiam statum Sanctorum pro modo huius vitæ concipiunt. Qui verò in cœlo sunt, stellam istam vident, è proximo, quia immediatè Deo fruentes, oculo cõtem-

tẽplationis serenatus, perspicaciter Sanctorũ præsentia pariter, & visione delectantur. Et hoc, pro eo quod dictum est, AVE MARIA. Sed quid magnũ, quid supereminens Virgini Matri attribuitur, cũ dicitur *gratia plena*? Nam & Christus *plenus gratiæ, & veritatis*, Stephanus *plenus gratia*, & Apostoli *pleni gratia Spiritus Sancti* fuisse leguntur. Iccirco hæc distinctio adhibenda est, quod est plenitudo æqua, est plenitudo apta, est plenitudo supereffluens siue effusa. Plenitudo æqua est, cùm in re impleta nihil vacuũ relinquitur, vt in mensura vini vel olei: Plenitudo verò apta est, quæ replet secundũ rei congruentiã, vt cùm dicitur: ciuitas vel Ecclesia plena populo, non quod ibi nullus locus vacuus relinquatur, sed quia secundũ congruentiam ibi existentes loco sufficiunt. Plenitudo supereffluens est, quando res, quæ implet, mensuræ capacitatem excedit. In Beata Virgine MARIA plenitudo æquà fuit, quoniam spiritali gratia in tantum repleta est, quod in ea nihil vacuũ, id est, nullus peccandi locus remansit. Vnde Augustinus dicit: Cùm de peccatis agitur, nullam de B. MARIA volo fieri mentionem. Ex quo enim Christum concepit, adeò est confirmata, quod peccare non potuit. In cæteris sanctis plenitudo apta fuit, non quod peccare nõ potuerint, quia & Apostoli *excutere pulueremi pedum* iussi sunt, sed quoniam gratiæ plenitudinem sufficientem ad salutem acceperunt. In Christo plenitudo supereffluens fuit, quia ipse accepit gratiam sine mensura, ita vt de plenitudine eius nos omnes accipiemus. Excellenter ergo MARIÆ dictum est, *gratia plena*. Est autẽ gratia naturalium bonorum, est gratia spiritalium charismatum, & est gratia cœlestium donorum. Plena gratia fuit naturaliũ bonorum, quoniã Spiritu Sancto ei superueniente, integritatem naturalium, secundùm dignitatẽ primæ cõditionis, sola inter filias Euæ accepit: Plena fuit gratia spiritalium charismatum, quoniã Christo incarnato ampliùs peccare non potuit. Cœlestiũ donorũ gratia plena fuit, quia virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est. Quantũ enim distat inter odorẽ, & gustum speciei aromaticæ, tanta inter cõtemplationẽ MARIÆ, & aliorũ sanctorum distantia est. Sicut enim singulare actiuam à Christo accepit, videlicet humanã eius naturam portare, lactare, & inuoluere pannis, cęteraque humanitatis officia ei exhibere, sic (vt dicam quod ministrat cordis mei deuotio) etiam dulcedinẽ suæ diuinitatis mater singulariter experiendam indulsit. Vnde subiunxit: *Dominus tecum*. Dominus Pater tecum, quia tu sponsa eius: Dominus Filius tecũ, quia tu Mater eius: Dominus Spiritus Sanctus tecum, quia tu amica eius. Neque enim ipse qui amor est, affectum amoris tibi ostenderet, nisi tu vicem dilectionis ei exhiberes. Pater ergo tecum, cuius filiũ conceptura: filius tecum, quem conceptura: Spiritus Sanctus tecum, de quo conceptura es. *Quia Spiritus Sanctus superueniet in te.* Imò veniet per sanctificationẽ Virginis, postea superueniet per sanctificationẽ conceptus virginei. Superueniet in te, quia de Spiritu Sancto cõcipies. Tu qui hoc audis, quãdo MARIA de Spiritu Sancto cõceperit, fideliter sic intellige: Sicut Verbũ Dei imago Patris est, sic anima Christi imago est Spiritus Sancti: Nec loquor modò de illa imagine, pro qua homo *ad imaginẽ Dei* factus esse dicitur. In rebus corporalib⁹ imago alicuius esse dicitur, quod expresse formã illius, cuius est imago, habet. Sicut autẽ corporalia formas suas habent, ita & spiritalia. Forma autẽ Spiritus Sancti gratia septiformis est, nõ forma quæ fit in spiritu, sed quæ de Spiritu Sancto: sicut claritas, quæ est in pariete, dicitur claritas solis, non quæ sit in sole, sed quæ est de sole. Homo ergo Christus de Spiritu Sancto cõceptus est, quia formã Spiritus Sancti excellẽter accepit, hoc est, septiformem gratiã. Vt ergo, de, nõ sit materiale, sed formale, Christus de Spiritu Sancto cõceptus est, non cui Spiritus Sanctus materiã feminis attulit, sed cui formã sanctitatis inter omnes creaturas elegantiùs impressit. Sequitur: *Et virtus altissimi obumbrauit tibi.* Virtutem hoc in loco accipe, de qua Psalmista dicit: *Notam fecisti in populis virtutem tuam: redimisti in brachio tuo populũ tuum, filios Iacob, & Ioseph.* Et de qua Apostolus dicit: *Christus est Dei virtus, & Dei sapientia.* Hæc ergo virtus altissimi, quia Christus est; obumbrauit quondam filijs illis nequam, populũ loquor Iudęorum; obumbrauit Beatæ Virgini, obũbrauit etiam nobis. Vmbra quã obumbrauit genti Iudaicæ, literalis sensus velamen fuit, quo spiritalis intelligentia de Christo, & Sacramentis eius in lege velabatur, ne eam intelligerent. Vnde cum Moyses loquerentur filijs Israel, *velamen ponebat super faciem suam*: quia non poterant in eũ aspicere propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur. Hæc vmbra significata est, per *vmbram hederæ*, sub qua *sedebat* Ionas iuxta *Niniuẽ*, vt videret quid accideret ciuitati. Vmbra qua obũbrauit Beatæ Virgini, infirmitas fuit assumptæ carnis, qua splendor diuinitatis ita temperatus pariter, & obumbratus est, vt in hac obscuritate caperet eum vterus Virginis, quem in sua claritate omnium rerum amplitudo capere non potuit. De hac vmbra ex persona Beatæ Virginis in Cantico amoris scriptum est: *Sub vmbra illius, quem desiderabam sedi.* Vmbra verò qua obumbrauit nobis, sicut ignominia Passionis, quando spe-

Ioan. 1. *Act.* 6. *Act.* 2.

Mat. 10

Gen. 2.

Psal. 76

1. *Cor.* 1

2. *Co.* 13

Ioan. 4.

Cant. 2.

ſpecioſus ille forma præ filijs hominum, deformis, & vmbroſus factus eſt, ita vt eſſet liuidus plagis, pallidus morte, & omnimodis opprobrijs ſaturatus.

Hæc circa ipſum mutatio, noſtra obumbratio fuit, & cum multæ circa ipſum mutationes fuerint, hæc ſola obũbrauit nobis. Mutata eſt enim eius ſublimitas in humilitatẽ, quando formam ſerui aſſumpſit: mutata eſt
Mat.17 infirmitas eius in maieſtatem, quando *aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit eos in montem excelſum, & transfiguratus eſt ante eos:* Mutata eſt eius mutabilitas in æternitatem, quando à mortuis reſurrexit: mutata eſt eius ſpecioſitas in deformitatem, quando in paſſione pro nobis in cruce ſuſpenſus eſt: Et hæc eſt vmbra qua nos obumbrauit; per quam nos à ſeruitute Ægyptiaca, & poteſtatẽ Diaboli liberauit. Sub hac ſedebat Helias in ſolitudine, quia, & de
3.Re.17 eo ſcriptum eſt: *Sedebat*, inquit, *ſub vmbra iuniperi, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur*: Iuniperus enim arbor eſt humilis, & hiſpida, & ſignat Chriſtũ humiliatum, & deſpectum in Paſſione. Ad hanc vmbram inuitamur omnes hoc ſacro tempore Dominicæ Paſſionis, vt ſedeamus ſub ea *facti imitato-*
1.Ioã.2. *res ipſius*: nã qui dicit ſe in ipſo manere, debet etiam poſt ipſum ambulare. Hac vmbra modo obumbrata eſt ſancta Eccleſia, dũ ceſſant ab ore eius cantus lætitiæ; ceſſat ornatus miniſtrorũ, apparatus altariũ, ſed & animæ compunctæ ſuper peccatis ſuis; quod lachrymæ, & ſuſpiria pœnitentium confitentur. Nunc ergo, ò anima Chriſtiana, quæ charactere Chriſti inſignita es, reſide ſub vmbra iſta, conuerte gaudium tuum in luctum, & plange dominum tuum: vel ſi non vis eum plangere, plange ſaltem mortuũ tuum. Mortuus tuus, ſpiritus tuus eſt multitudine ſcelerũ tanquam plagis multis extinctus: Mortuus, inquam, non quia ſubito caſu comparuit, ſed cui tu cauſam mortis intuliſti. Nec eſt hic mortuus quatriduanus in ſepulchro; qui à memoria tua iam exciderit: non eſt mortuus in porta, qui iam euaneſcat ab oculis tuis, ſed eſt in domo tua præ oculis tuis, vt ſemper eum videas, & horrore cõcutiaris, & indefinenter plangas mortuum, cui viuenti parcere noluiſti. Iudiciũ æquũ à te poſtulo, tu ne detraxeris veritati. Quidam vir nobilis, & eius ſeruus cõtumax in cuſtodia tibi dati ſunt hac lege; vt ſeruum pane, & aqua more ſerui, nobilem autem ſecundũ dignitatem natalium ſuorum ſplendidè procurares. Tu verò in contrarium operatus es, qui nobilem virum fame, & ſiti multiſque alijs iniurijs confectum ſubegiſti: ſeruũ verò omni delitiarum genere feciſti inſolentem, & ſuperbum, qui inſurgens in dominum ſuũ confoſſum vulneribus multis, occidit eũ. Quid reſpondebis ei, qui vtrumq; tibi commendauit? Tu hoc crudelis feciſti, tu in quã, nobilem virum occidiſti, qui ſpiritum tuum nullis virtutibus, nulla pinguedine deuotionis, vel bonorum operum refeciſti. Tu ſeruũ contumacem nutriuiſti delicatè, quãdo carnem tuam comeſſationibus, & ebrietatibus, cæteriſque voluptatibus vitæ huius delectaſti. Propterea te porrigente manum auxilij caro inſurrexit in ſpiritum, cum vitijs carnis, hoc eſt, luxuriæ, & immundiciæ eũ ſeruire coegit. Et ò vtinam tibi ſufficeret occidiſſe tantũ virum, & non illuderes mortuo, nõ ſęuires in extinctũ, non infligeres vulnera vulneribus, quod faciũt omnes, qui peccatũ peccato adijciunt. Reuoca ad memoriam famoſos peccatores huiꝰ ſeculi, qui mõſtruoſis vitijs, cõtumelijs naturæ, paſſionibus ignominiæ ſpiritum affligunt: ſimoniacos Spiritus Sãcti prædones, qui patrimoniũ crucifixi duplici ſacrilegio, id eſt, malè acquirendo, & malè viuendo, poſsident; tales omnes graſſantur in animã extinctã, in creatoris iniuriam. Reſipiſce ergo, ò anima miſera, ſede ſub vmbra Chriſti, conformare deformitati eius, macera carnẽ tuam ieiunijs, & abſtinẽtia voluptatũ: quoniam per iſta ſpiritus etiã extinctus reuiuiſcit. Si enim *vmbra Petri* *Act.5.* potuit ſuſcitare mortuos, nõ poterit hoc ipſum facere vmbra Chriſti? Certe ſi laborares infirmitate aliqua corporali, & mãdaret tibi Hippocrates, vel Galenus per clientulũ ſuũ abſtinere à vino, & ſaginatis, modicas oblationes ſumere, libenter obedires pro conſequenda ſanitate corporis. Mandat tibi eadẽ Deus Pater per Chriſtum ſuum, vt ſaneris in anima, & non exaudis? At magis oportebat *Deo obedire, quàm hominibus*, ſicut Petrus *Act.5.* dicit. Ne dicas, volo ſedere ſub vmbra Chriſti, ſed non cõparet deformitas, vel ignominia Paſſionis eiꝰ. Reſpice omnes tribulatos, infirmos, incarceratos, pauperes fame, & ſiti horridos, in his omnibus Chriſtũ vides vmbroſum, & repletum deſpectione. Sede ergo ſub vmbra Chriſti, per proximi compaſsionem, vt veſtias nudum, frangas eſurienti panem tuum. Da eleemoſynam neceſsitatẽ patienti, da, inquam, patienti: imò potius reſerua tibi, quia in futuro centuplũ accipies, & vitã æternam poſsidebis. Si potens aliquis diuitias multas tibi cõtuliſſet, & inſurgerẽt in te inimici, qui propter tollendã pecuniam etiam vitam vellent auferre, & diceret tibi is, qui te ditauit: commenda mihi pecuniã tuam, liberabo te ab hoſtibus, conſeruabo tibi vitam tuam, & pecuniam ad integrum reſignabo: nonne multas gratias agens acquieſceres illi? Ecce bona temporalia accepiſti à Chriſto, inſurgat in te luxuria, partẽ illorũ ſibi vult vendicare, & vitã tibi auferre: hoc ipſum facit gula, comeſſationes, & ebrita-

tes appetendo: facit hoc superbia, luxum vestium, & pompam secularem ambiendo. Da ergo pauperi, bona temporalia, imò Christo in paupere, ea commenda; quo facto vitam conseruasti tibi, & recipies ea in die necessitatis. Et ne fortè graue videatur diù sub vmbra Christi residere, & conformari passionibus eius; scito, quia non solum in vmbra, sed etiam in speculo, & quádoque in facie se exhibet cernendũ. Speculũ sacra Scriptura est; in qua imaginẽ suam speciosam valdè, ostendit nobis ad consolationem. In speculo isto videt anima, quàm sit pura Christi diuinitas, quàm dulcis eius bonitas, quã diuturna eius æternitas, quàm inęstimabile gaudiũ, quod pro se patientibus repromittit. Nondum in speculo isto, videtur species eius sicuti est: *1.Co.14* *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus*, sicut dicit Apostolus. Res siquidẽ, cuius imaginem in speculo videmus, retrò nos est. Sic & Christus, cuius speciem in sacra Scriptura videmus, adhuc in magna gloria venturus est, quando videbimus eum facie ad faciem. Sed eamus ergò modico tempore sub vmbra passionis eius, per imitationem, videamus formam eius in speculo ad consolationem: vt tandem videamus eum in decore suo; gaudium percipientes, quod nec voce exprimi, nec corde excogitari potest; quod nec luctu obumbrabitur, nec defectu, finem accipiet, præstante Domino nostro IESV Christo, cuius Regnum, & Imperium permanet in secula seculorum, Amen.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Serm. primus, qui est in Absalone 43.

Cant.6. QVÆ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol. Ordinem reparationis nostræ diligenter aduertenti, videntur quædam salutis nostræ radiasse principia; cùm Beata Dei genitrix, velut aurora diei iam eminentis prænuncia, ortu suo mundo illuxit, & noctis præcedentis facta terminus, primitias quasdam spiritus, & dona gratiarum singulariter accepit. Ipsa etenim medio quodam noctis, & diei exorta est confinio, cùm tetra mortis, & peccati caligine, mundum inuoluente ante solis ortum, id est, Christi aduentum, mundo apparuit; vt paulatim crescente lumine, nox auroram: aurora verò solem produceret, qui exortus, non solum ea quæ in cœlo sunt, sed & quæ in terra, lumine claritatis illustraret. Certè nox admodum longa ab Eua vsque ad MARIAM decucurrit, quæ licet peccatorum tenebris esset obscura, suis tamen vigilijs quasi fulgoribus quibusdam distinguebatur: quarum prima fuit, illuminatio occultæ inspirationis; secunda, sanctio legalis eruditionis: tertia, certitudo propheticæ prænũciationis: quarta, vehemens desiderium iam adimplendæ promissionis. Has *noctis vigilias* obseruabant sancti ab initio; non dico super *gregem suum*, sed quando hanc auroram aspicerent; sicubi appareret, si vsquam sui proferret indicia; quia hanc, & rebus mysticis præfiguratam, & prophetis promissam esse intelligebant. Primam huius noctis vigiliam seruabant Noe, & cæteri illius temporis, qui occulta inspiratione fuerũt illuminati: secundam, Moyses, & illi Sancti Patres, qui per legem spiritaliter fuerunt eruditi: tertiam, Prophetæ, qui Beatam Virginem nasciturã prædixerunt: quartam, Sancti illi, qui velut in puncto iam erumpentis auroræ constituti, non solùm ipsam, sed & Christum de ea nasciturum videre ardentissimè gestierunt; sicut Anna, Elebabet, Simeon ille iustus, & cæteri qui *expectabãt redemptionem Israel*. Et vt illam figuris fuisse præsignatam per exempla ostendamus; quæ nam alia fuit columba illa, quæ de Arca Noe tempore diluuij egressa *ramum virentis oliuæ* in illam detulit? Colũba etenim de Arca Noe, MARIA est de Ecclesia orta, quæ ramum olliuæ tempore diluuij in illam retulit; quia aquis vitiorum mũdum inuoluentibus, Christum de se incarnatum in Ecclesia effudit. Qui ramus benè virentis oliuæ, quæ signum pacis, & concordiæ esse dicitur; quia Christus pacificauit ea, quæ in cœlo sunt, & in terra; soluens medium parietẽ inimicitiarum, in carne sua. De ipsa quoq; Iob oraculũ texuit, dicens: *Habet argentum venarũ suarum principia, & auro locus est in quo conflatur*. Argentum quippe fuit Christi humanitas, quæ à Sanctis Patribus tanquam à venis quibusdam secundum carnem successiuè descendit. Aurum verò, Verbi fuit diuinitas: & eius cõflationis locus, Beata Dei genitrix; in qua Spiritus Sanctus ineffabili operatione diuinã, & humanam naturam, in vnam personam conflauit. *Virga* quoq; Moysi; per quam fecit *signa in Egypto*, MARIA est, per quam Deus fecit mirabilia in mundo, è quibus vnum de maximis est quòd versa in colubrũ dracones Ægyptiorũ deuorauit: quia cùm de se Christũ *in similitudine carnis peccati* genuit: omnia crimina, omnes hæreses impiorũ, qui in Ægypto huius mundi illudebãt, tum virtute prolis, tũ exẽplo suæ sanctitatis delenit. Nec aliam puto per *amygdalum* illam significari, de qua Salomon loquitur, dicens: *Florebit amygdalus, & inpinguabitur locusta, dissiparabitur capparis*. Amygdalus enim, quæ ante cæteras floret arbores, MARIAM significat, quæ præ cæteris sanctis, floribus virtutum emicuit, imò & ante cæteros florem illum specie, & odore excel-

Iob 28. *Exo. 4.* *Rom. 8.* *Eccl. 12.* *Lucæ 2.* *Lucæ 2.* *Genes. 8*

excellétē, Christum videlicet de se protulit, qui dicit: *Ego sum flos campi, & lilium conuallium.* *Cant. 2.* In huius ortu *impinguata est locusta*; quia instabilis gētilitas fœcunda est per gratiā; & *dissipatus est capparis*, quia Iudæa aculeis peccatorū spinosa, à pinguedine spiritali vacua permansit. *Eccl. 12* Sic in Arca Testamenti, quę operiebatur auro purissimo, significata est, vt ita loquar, MARIA, & eius Virginitas. *Exod. 3.* *In rubo ardente*, & nō adusto, MARIA & eius fœcunditas. In throno Salomonis, cui alius in *uniuersis regnis* cōparari nō poterat, significata est MARIÆ regalis sublimitas. *3. Reg. 10* Tot ergo rebus mysticis, & vaticinijs designatā Salomō vidēs in spiritu, in vocem admirationis erūpit, dicēs: *Quæ est ista, quæ progreditur, &c.* Possunt tria ista, Aurora, Luna, Sol, MARIÆ sic adaptari, vt aurora eius natiuitatē, Luna illā Spiritus Sācti, quæ in ipsa fuit obūbratione, Sol verò glorioſam eius assumptione respiciat. Ideò Autē aurora natiuitati eius cōgruit, quia illa surgēte quodāmodo, & nox lucida, & dies videtur obscura. Et solet plerūq; per noctem mortalis vitæ fragilitas designari, sicut scriptum est: *Anima mea desiderauit te in nocte.* *Psal. 41.* Et per diē diuinæ gratiæ illuminatio, teste Paulo, qui dicit: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* *Rom. 13* Nascēte ergo MARIA quasi aurora quædā surrexit, quia & nox humanę fragilitatis in ea fuit lucida per gratiā, & dies diuinæ gratiæ quodammodo obscuratus fuit per fragilē naturam. Pulchra quoque vt Luna, propter hoc esse dicitur, quoniam sicut Luna in se naturaliter obscura, suscepto in se Solis radio, alieno lumine accenditur: Sic MARIA in mortali adhuc corpore constituta, suscepto in se Spiritu Sancto, tanquam summæ illius maiestatis radio, vero lumine Dei filio fœcundatur: Luna lucet de nocte, & tenebras eius imminuit, & MARIA Spiritu Sancto fœcundata, tenebras peccatorū abstergit. Sicut autem Luna lucet de nocte, ita & Sol lucet de die. Per diē autē quandoque claritas futuræ vitæ designatur, vt ibi: *Quoniam melior dies vna in atrijs tuis super millia.* *Ps. 38.* Rectè ergo electa vt Sol esse dicitur Beata V. MARIA, quia sicut Sol claritate luminis, & maioritate cæteris syderibus antefertur, sic in cœlestis vitæ gaudio illa sanctis omnibus iucunditate, & gloria supra ponitur. Fuit ergo quasi aurora cōsurgēs in Natiuitate, pulchra vt Luna, in illa Spiritus Sācti obūbratione, electa vt Sol in sua Assūptione. Sed adhuc modicū Auroram istā inspiciamus. Inuenimus in ea tria quędam, quæ nostræ ædificationi proficiant, scilicet, terminū soporis, principium operis, & indiciū sereni. Solent enim fortes operarij, surgente aurora, de somno surgere, & quasi sereno illucescente exire ad opus suū, ne forte veniens *paterfamilias*, inueniat eos *stātes* *Mat. 20*

A *in foro otiosos.* Vnde Rex Salomon hac Aurora ponit finē sopori, & exit ad opus suum, intuetur speciosam, miratur immaculatam, laudat MARIAM, dicens: *Quæ est ista, quæ progreditur, &c.* Vt autē moraliter tria ista intelligamus, potest referri terminus soporis ad pœnitentiam, principium operis ad actiuam, indicium sereni ad contemplatiuam. Si vis habere formam pœnitentis in MARIA, lege eam stantem iuxta Crucem: Si vis habere formam actiui, lege illam Elizabeth visitantem. Si vis habere formam contemplatiui, lege eam cum Apostolis orantem in cœnaculo, cum Gabriele colloquentem in cubiculo. Quicunque ergo criminum sopore iaces depressus, exemplo *Regis Israel* pone, & tu finem soporī, expergiscere, & hucusque dormisse sufficiat, stà cum MARIA Matre iuxta Crucē, & per labores pœnitentiæ B Passionē Christi quantum vales imitare, à te ipso cruciatibus exigens; quod male viuendo Crucifixū denegasti. Intuere delicta tua, & memento vndè excideris; sic tamen ea respice, ne tristitia, vel diffidētia absorbearis, sic porta Crucem latronis, vt *Paradisum* expectes de promisso Saluatoris. Sunt enim *Luc. 23.* nonnulli, qui peccata sua nimia luce intuentur, & hi præ magnitudine scelerum desperant de venia. Alij sunt, qui minima ea luce respiciunt, & dum praua, vel nulla ea reputant, C semper durant in culpa. Sed verè pœnitentes, temperata luce debent peccata sua intueri; vt sic per lamenta ea delleant, vt spē concipiendo pœnitentiæ præmium se assecuturos confidant. Hanc pœnitentiæ formā præsignauit nobis Patriarcha Iacob, qui benedictionem Patris volens hæreditare, *tulit de gregē duos hœdos optimos*, *Gen. 27.* pelliculasque eorum circundedit manibus, *& colli nuda protexit*, indutusque vestibus Esau valdè bonis, ad patrem ingressus est: à quo attrectatus, & tandem benedictione est confirmatus. Hœdi quippe opera sunt pœnitentiæ, quibus Deus Pater libenter vescitur, qui debent decoqui aqua lachrymarum, & igne D tribulationis. Pelliculæ hœdorum sunt mortificatio carnis, & abiectio propriæ voluntatis, quas Iacob debet circundare manibus: quia verus supplantator vitiorum, nihil debet habere in operibus pœnitētiæ, quod carni placeat, vel quod propriā delectat voluptatē. Protectio colli, cautela est futuri. Vestes verò Esau, idest, peccatoris, vitijs criminum hispidi, & pilosi, quibus Iacob debet indui; sunt honestas vitę, & maturitas disciplinæ. Qui enim verè vult supplātare vitia, oportet vt per honestatē vitæ, quod carnale est in se occidat, & matura cōuersatione proximorū, oculos foris non offendat. Quibus gestis ad Patrem ingreditur affectu deuotionis, attrectatur à Patre instinctu secretæ inspira-

tionis, tandem benedicitur ab illo præmio æternæ remunerationis. Habes nunc in aurora nostra, terminum soporis; vide nunc principium operis. Est autem principium operis in aurora, exemplum vitæ actiuę in MARIA, idoneum valde huius rei exemplum. In illa est, quæ triplici actiuæ vitæ genere, inuenitur enituisse, quorum primum iucundum, secundum curiosum, tertium lachrymosum potest appellari. Ad primum pertinet opera illa, quæ Beata Virgo, infantiæ Saluatoris exhibuit, qualia fuerunt, illum gestare brachijs, lactare, & pascere, panis inuoluere; quæ omnia, & suauia, & dulcia, ac plena iucunditatis extiterunt. Ad secundum genus actiuæ pertinet purificatio in Templo, hostiarum oblatio, visitatio Elizabeth, peregrinatio in Ægypto, & huiusmodi, quæ plena fuisse curæ, & laboris, nemo est qui ambigat. Ad tertium pertinet opera illa MARIÆ, quæ plena fuerunt doloris, & miseriæ, vt puta astare Crucifixo, plangere mortuum, declinatio persecutionũ, & cætera his similia. Tu ergo, qui vis esse actiuus, sed non potes primum genus actiuæ vitæ attingere; quia supra te est; neque tertiũ, quia amarum est, saltem medium, quod curiosum diximus, velis attentare; & cum Beato Iob esto *oculus cæco, pes claudo, pater pauperum, consolator pupillorum.* Vide si Christum peregrinum compulisti intrare, si cæcũ mendicantem iuxta viam, misericorditer respexisti, si vulneratum, *qui incidit in latrones* cum Sacerdote & Leuita non præteristi, si in curam illius erogasti denarios: quia hæc sunt infirma Christi membra, per quæ Deus vult tibi operari salutem, & illis per te impendi consolationem. Certè plerunque solet accidere, vt membro quod vulnere, fractura, adustione, vel liuore attrectatum fuerit, molliora fomenta, & curam medicinalem maiorem adhibeamus: Similiter est in Christo, & Ecclesia; quia infirma membra sua maiori obsequio vult foueri. Vnde in vanum iactat silentium claustri, pondus diei, & æstus, orationes, obsecrationes, qui affectu compassionis necessitatibus aliorum nescit inclinari. Neque enim dedignatur esse Anna, cum Phenenna, non Rachel cum Lia, non Ioannes cũ Cepha, non Maria cum Martha, non dextera cum læua, non contemplatiua cum actiua; quarum vtraque in Beata Virgine MARIA, auroræ nostræ excelenter fuit. Contemplatiua siquidẽ est serenitas illa, quæ cũ aurora nostra apparuit, ideò sereno comparata, quia tranquilla est, & quieta, quia habitat in silentio, & à perturbationibus seculi longè est remota. Vnde & dictum est, quod *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Optimã dixit, non feliciorem fortè, sed suauiorem: quia bonum quandoque suaue appellatur, & secundum hoc nomẽ comparationis electiuè non comparatiuè accipiendum est. Sic enim contemplatiua est suauis, quod nõ actiua, cum potius laboriosa & grauis sit, Illud potius mouere potest, quod subiungitur, *quæ nõ auferetur ab ea.* Sicut enim alia est affectio animi rem desiderantis, & alia affectio animi ipsa re potientis; sic alius est sensus pomi dum odoratur, & alius dum gustatur. Sicut alia est visio imaginaria dormientis, & alia visio præsentaria vigilantis, sic alia est contemplatio huius vitæ, quæ fit in ænigmate; & alia futuræ, quæ erit in spe. Sicut ergo fides euacuabitur, sic & spes in futuro non erit: sicut scientia destruetur, ita & contemplatio huius vitæ auferetur. Quod ergo dicitur, quod non auferetur ab ea, ad statum præsentis vitæ respicit non futuræ. Cum enim contemplatiua ad Deum, actiua ad proximum pertineat; potest in hac vita auferri actiua; quia deesse potest facultas, & possibilitas bene operãdi ad proximum. Sed in hac vita non potest auferri cõtemplatiua, quia in quocũque statu huius vitæ sit homo, habet facultatem contemplandi Deum. Vel si velimus referre ad statum futuræ vitæ, quod dictum est, *non auferetur ab ea*, ponamus tres species contemplationis, quarum duæ primæ, auferuntur in hac vita, tertia verò manet in hac, & in futura. Prima est in creaturis, secũda in Scripturis, tertia in secretis diuinis. Prima est inuestigationis, secunda illuminationis, tertia admirationis. Prima est, quando per creaturas Creator inquiritur, & inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, Quem modum contemplandi etiam Philosophi gentium habuerũt, sicut Aristoteles; quia in Theologia suas causas rerum, imo causarum causas inuestigans, vnã causam suprema reperit, cuius nulla alia causa, sed ipsa omnium causarũ causa fuerat, de qua idem dixit: O causa causarum, fac me tibi acceptabilẽ. Secunda, quæ est in Scripturis, fit, quando animus vel legendo ad cognitionẽ, vel orando ad deuotionẽ illuminatur. Tertia verò fit, dũ ineffabilia Dei mysteria, quę animus humanus, ratione nõ valet comprehẽdere, supra se facta intuetur, & retractat deuota admiratione; quale est quod manens Virgo filiũ peperit, quod Verbũ Dei carnẽ, assũpsit, quod immortalis est mortuus, quod tẽporalis fact⁹ est æternus, & huiusmodi quę rationi magis sunt admiranda quã perspicua. Hũc cõtẽplãdi modũ Beata MARIA habuisse legitur, cũ ipsa dixit ad Angelũ: *Quomodo fiet istud Angele, quoniã virũ nõ cognosco?* Neque enim hoc dubitãdo dixit, sed rei magnitudinẽ admirãdo. Quẽ etiã cõtẽplãdi modũ fortè Iob habuit, cùm diceret: *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Suspẽdiũ quippe eligere est, secretis cœlestibus per admirationem inhærere. Hæc est optima pars MARIÆ, quæ nec in futura vita auferetur ab

Iob 23.

Luc. 10.

Lucæ 9.

Luc. 1.

Iob 7.

ab ea, vbi quanto familiarius secretis diuinis admittitur, tanto feruentius ea admittatur. Prima, quæ est in creaturis, auferetur; quia est infirmitatis, hoc est, ignorantiæ: secunda, quæ est in Scripturis, auferetur; quia est imperfectionis, id est, ex parte: tertia est, perfectionis, quæ in hac vita inchoatur, & in futura perficitur; vbi erit admiratio iucunda, & iucunditas admiranda, præparata cohæredibus Christi, qui in sanctorũ regno sunt ascripti; quòd nobis præstare dignetur, ipse IESVS Christus, cuius regnum, & imperium permanet, in secula seculorum, Amen.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Serm. secundus, qui est in Authore 44.

Cant. 6. R*Euertere reuertere Sunamitis, reuertere reuertere, vt intueamur te.* Hodie, fratres dilectissimi, ad commune gaudium, ea quæ in cœlo, & quæ in terra inuitantur, cùm Beata Dei genitrix, mundi agone consummato, ad consessum Dei Patris assumitur, & festiuus Angelorum Chorus ei occurrit, matre Ecclesia, cùm laudibus eam prosequente. Magna nimirum lætitiæ materia, vbi filius Dei, Verbum Patris, illam Reginam, inter Choros Virginum speciosam, in cunctis Tribubus Israel præelectam, *in cellam suam Vinariam introduxit*, diuitias cœlestis Ierusalem, ei communicans, in qua regnat Rex Regum, & Dominus Dominantium. Neque tamen illum impari præconio extollendum dixerim, vt pote diuitijs copiosum, bonitate benignum, sapientia disertum, potestate cunctis viuentibus tremendum, genere illustrẽ, forma desiderabilem, immensitate incomprehensibilem, æternitate indeficientem, cuius imperium attingit; à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum. Talis itaque talem alloquitur, vt veniat, hortatur, rogat, vt non differat introire in cubiculum suum, vt reuertatur de terra ad cœli curiam, de exilio ad patriam, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam. Sed quæ est hæc Virgo singularis, in qua summæ maiestati, adeò complacuit, vt ad æterni regis consessum hodie assumatur, & diadema regni, imo regnorum diademata accipiat; ne solùm regina mundi; sed etiam cœlorum Regina, meritò debeat appellari? Ipsa est MARIA, vtrique regno admodum necessaria. Et terris quidem Regina; hæc omnino appetenda, quæ in via huius seculi, imò vitæ huius dispendio, triplici semita, pœnitentes ad Deũ conuertit, videlicet; interuentu reconciliationis, exemplo imitationis, & auxilio protectionis: quatenus peccatori, intercedendo impetret veniam; ignoranti exemplo, benè viuendi ostendat disciplinam; fortiter agendi opem impendendo, præstet fiduciam. *O MARIA*, ò Maris stella, quæ rectè viantes dirigis, errantes reducis, periclitantes ad portum salutis restituis. Iustè maris stella appellata es, quæ ratione, quadam similitudinis, sicut illa mari, ita, & tu mundo profutura eras. Planè ipsa, quàm diximus, maris stella tribus modis stellis, cæteris præminere inuenitur, videlicet, altitudine, immobilitate, & luminis communione. Altitudine; quia in vertice mundi posita, sicut caput membris, ita, & illa cæteris stellis superextollitur. Vnde, & Poeta dicit: Hic vertex nobis semper sublimis, at illum (hoc est eius oppositum) sub pedibus styx atra videt, manesque profundi. Immobilitate; quoniam quasi in centro firmamenti constituta, cæteris vario motu, modo ad ortum, modo ad occasum tendentibus, ipsa immobilis persistit. Communione luminis; quia cæteris vicissim lumen suum præbẽtibus, hæc sine vicissitudine, semper æquali radio, quantum in se est, cunctis viuentibus claritatem effudit. Hæc de stella, sed illa eadem diligens inuestigator inuenies in MARIA. Vniuersis quippe creaturis, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra, illa est altior: quia cæteri sancti migrantes secundùm meriti modum, recipiuntur inter choros Angelorum; MARIA verò excellenti quadam maiestate gloriæ, exaltatur super choros Angelorum. Vis videre MARIAM cæteris sanctis altiorem? *Vidi*, inquit, *Esaiam, Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat domus maiestate eius, & quæ sub ipso erant, replebãt templum.* Certè hoc solium excelsum, & eleuatum rectè videbor interpretari Virginis vterum, sessionem sedentis, mysterium incarnationis: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum.* Aduerte si placet tres Domini sessiones, & tria solia pró numero sessionum. Prima eius sessio, creaturæ perfectio, de qua dicitur: quia *requieuit Deus die septimo, ab opere, quòd patrarat.* Secunda sessio est in mente rationali, Dei habitatio, de qua in Canticis: *Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea odorem dedit.* Rex quippe in accubitu suo est, cùm menti insidet, per quietem contemplationis: nardus dat odorem, cùm ex suauitate boni operis proximus prouocatur ad æmulationẽ virtutis. Tertia verò sessio est Verbi Incarnatio, de qua dicitur: *Tu cognouisti sessionẽ meã, & resurrectionem meã.* Primæ ergo sessionis solium est, fabrica huius mũdi, secũdę sessionis solium est anima iusti: tertię sessionis soliũ est vterus Virginis. Primũ soliũ est excelsum, propter dignitatẽ cõditionis: secundũ est eleuatũ, propter prę-rogatiuã virtutis: tertiũ, hoc est, Beatæ Virginis thalamus, superexaltatum propter

Cant. 2. *Esai. 2.* *Genes. 2.* *Cant. 2.* *Psal. 38.*

vnionem verbi, & humanitatis. Huius tertij
solij altitudinē, propheta videns in spiritu,
Esai. 2. dicebat: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Subintellige etiam super exaltatum, & assigna Beatæ Virgini tria hæc. Non enim defuit ei dignitas conditionis, pro qua solium eius fuit excelsum: non prærogatiua virtutis, pro qua fuit per gratiam eleuatum: non filij Dei in se susceptio, pro qua superexaltatum, *& plena erat domus* hoc est, Ecclesia *maiestate eius;* quia de plenitudine eius omnes accipimus, & ea quæ sub ipso sedente, vel solio erāt, hoc est, Angelica & humana natura, *replebant templum*, hoc est, consummabant tēplum; illud loquor ruinam passum, quod primo factum est ex nouē ordinibus Angelorum. Vis etiam videre immobilem maris stellam, loquor Beatam Virginem MARIAM? Verte ergo visum ad cæteros filios hominum, qui sua mobilitate corruerunt & sic videre poteris qualiter, immobilis illa, immutata permansit. Quadripartito quippe motu, homo à sua stabilitate motus est: per superbiam, per inconstantiam, per impœnitentiam, per impacientiam. Per superbiam motus est, quando præceptum Dei præuaricator contempsit: per inconstantiā, quoniam tentationi serpentis succubuit: per impœnitentiam, quoniam peccatum suū obstinatus excusauit: per impaciētiam, quoniam inter flagella diuinæ vltionis, rebellis murmurauit. Nonne ab his omnibus immunis tibi videbitur MARIA? Si propositum, si actum, vel animum eius consideres, ipsa
Luc. 10. demum est immobile illud *castellum, quod intrauit IESVS, cùm mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.* Quadripartito plane robore, castellum hoc stat immobile, videlicet fossa, flumine, muro, & colle. Hæc enim sunt, quæ omnem munitionem insuperatam reddunt, & immobilem; multò magis castellum illud, quod intrauit IESVS, principem huius mundi, &
Luc. 11. *armatum fortem* debellaturus. In fossa ergo, vbi eiecta humo in vnum tenditur, virtus figuratur humilitatis; sicut per Esaiam dicitur: *Esai. 2.* *Ingredere petram, abscondere in fossa à facie furoris Domini, & à gloria maiestatis eius.* In flumine, quod in latum se diffundit, latitudo studiosæ bonæ operationis, intelligitur; sicut Iob dicit: *Iob. 28.* *Qui scrutatur profunda fluuiorum, & abscondita producit in lucem.* Muri firmitas, integritas virginitatis; *Eze. 40.* sicut in Ezechiele: *Vidi*, inquit, *& ecce murus in circuitu domus vndique*, cuius domus, nisi illius, quam supra castrum appellauimus? sicut enim Dei virtus virginalem aulam introiuit, quo murum castitatis eius non effregit. In collis celsitudine, sublimitas superni desiderij, ac deuotionis; sicut per Esaiā
Esa. 40. dicitur: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* O castrum forte, castrum immobile, vbi humilitas superbiam: operatio desidiā expugnat: integritas corruptionem: sancti desiderij deuotio vanitatem. Multò magis tamen hoc tibi mirabile, si huius castelli incolas velis aduertere, Marthā scilicet, & Mariam. Martha igitur, ciuis huius castelli, solicitudo est boni operis: Maria dulcedo diuinæ inspirationis. Domus Marthæ, pura conscientia; vt nulla se ingerat simultas in opere: domus Mariæ tranquillitas mentis; ne amarescat aliqua extrinseca perturbatione. Intrauit IESVS hoc castellum, quando in Virgine carnem assumpsit; excipitur à Martha in domum suam, dum conformatur conscientia Virginis, studio bonæ operationis. Videamus modò tertium illud maris stellæ priuilegium, quomodo cæteras stellas præcellit luminis communione. Et hoc quidem primo ad id pertinere videtur, quod cæteri Sancti differenti modo impendunt mortalibus suffragia; quippe plus illis possunt prodesse, qui ipsis iure quodā patronatus specialiter sunt commissi; vtpote Petrus Romæ, Thomas Martyr Cantuariæ, Massiliæ Victor, Turoni Martinus, & de similibus similiter. Nam pro Rege suo quilibet sanctorum plus potest in curia altissimi, quàm pro alieno: MARIA verò, sicut est omnium Regina, sic & Patrona, & quantum in se est, æquè exorabilem se præbet omnibus; quæ super omnes plenitudinem accepit dignitatis. Ergo longè positos illuminat, radio misericordiæ, eos qui prope sunt, hoc est, viros religiosos, consolationis suauitate; cæteros qui secum sunt in patria excellentia gloriæ; Siue enim iusti, siue peccatores exorant MARIAM, siue Angeli, siue Archāgeli, respiciūt in MARIAM. Talis ergo est dilecta illa dilecti, quàm vocat in amplexus suos summi Regis filius, dicens: *Reuertere reuertere sulamitis*, &c. Sed cur totiens, repetito reuersionis verbo vocat, aut vnde vocat? Videtur enim vis verbi sonare longè, in exilio relegatam; quæ tanquam ad patriam reditura, consolationem accipiat captiuitatis, pariter & finem. Vnde Sulamitis ibidem dicitur, quod interpretatur captiua. Nec incongruè dicetur, illam ab exilio reuocari, cum humana natura, quàm diù peregrinatur à Domino, quadripartito exilio sit damnata. Et primum quidem video exilium pœnalitatis, secundum voluptatis, tertium vanitatis, quartum curiositatis. Et mens quidem sana rectè pronunciare videbitur; quia in pœnalitatis exilio habet aliquid homine iumentum amplius. Dum enim iumentum primo vitæ suæ, capit initium, se ipsum quodammodo regit, calcat terram, & super eam graditur, naturali vestitur habitu, sine adminiculo alterius accipit sufficientiam

sufficientiam naturæ. Cùm è conuerso homo natus de muliere, impotens sui, nudus corpore, alieno indigens auxilio, peccatis onustus, virtutis vacuus, & omni plenus miseria, effundatur super terram. Sed vtinam huic exilio sufficeret malitia sua; ne adhuc miserabilius deijceretur in exilium voluptatis; tantis enim primi exilij vallatus miserijs, voluptate; quærit redimere, quod patitur; vt dum voluptate mulcetur corpus, tolerabilior fiat sarcina pœnalitatis, quam portat. Vult itaque preciosa indui, molli strato quiescere, fercula habere exquisita, effluere illicitis desiderijs, loqui scurrilia, operari turpia, ac si diceret cum pagano: Iupiter esse pium statuit, quodcunque iuuaret. Sed, ò tu sceleratissime, qui in lege Iouis, hic meditaris die, ac nocte; quid dicis de mandatis IESV; quæ prohibent omne dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei? Hæc est peruerso pectore cura minor. Sed ecce sequitur tertium exilium, quod adhuc longiùs à Deo proiecit hominem; videlicet, exilium vanitatis, quando videlicet incipit extra se in vanitatibus huius mundi quærere, quibus satisfaciat suæ voluptati. Accedunt ergo mortis præambuli; videlicet, possidere superflua, amare transitoria, impelli aura popularj, honores ambire, paupertatem contenere, regum fortunas laudare: cùm tamen Salomon dicit: *Quia melior est pauper & sapiens, Rege stulto*; eò quod hic de carcere, & cathenis quandoque ad regnum progreditur; & qui in regno natus est, quandoque consumatur inopia. Attende ergo, homo ambitiose, homo superbe, quàm dignè Salomonis tibi præiudicet sententia, vt videlicet, *puer pauper & sapiens*, id est, quilibet innocens pauper spiritu, & pacificus; de carcere subiectionis, & cathenis obedientiæ, egrediatur ad regnum prælationis, vel potiùs ad regnum consummatæ virtutis; cùm tu in regno virtutum natus per regenerationē, sponte deiectus consumaris inopia vitiorum. Nũ quid enim si spiritu pauper, non ideò dignus regno? Certè sicut idem dicit Salomon: *Stellio nititur manibus, & moratur in domibus regum.* Est autem Stellio vermis, qui pennarum adminiculo non potest in altum extolli, sed tamen reptat pedibus in altum, vt in regum turribus faciat sibi mansionem. Sic quilibet humilis, & paruus in oculis suis, dum non pennis superbiæ, ambitionis, vel etiam scientiæ secularis in altum extollitur; reptando tamen manibus humiliter operando in domibus regum est, id est, in consortio sanctorum. Quartum, & vltimum animæ exilium est, malum curiositatis, quippè multis vanitatibus animo affecto sequitur cura superflua; & quod apud Salomonem difficilimum inuenitur, inuestigat modò viam

Ecclæ. 4.

Pro. 30.

A *Aquilæ* volantis in cœlo, modo viam *Colubri* super terram, modo viam *Nauis* in mari, modo viam *Viri* in adolescentia sua. Circa ista quatuor præcipuè curiositatis vitium videtur occupari, per aquilam vero volantem in cœlo, virum contemplatiuum: per colubrũ super terram, quemlibet lubricum, & criminosum: per nauem in mari, negociatores seculi: per adolescentiam viri, bonæ conuersationis initium. Quærunt ergo hi qui sequũtur curas superfluas, simultates in religiosis vt eos iudicēt excusationes in criminibus, vt illos iustificent, vtilitates in secularibus negotijs, vt similia faciant, instabilitatē in noviter conuersis, vt euertant, sicque fit vt dum

B se totos impendunt curis superfluis, circa ea quæ foris sunt, nihil solicitudinis sibi ipsis, vel prouidentiæ impendunt. Propter hæc igitur quatuor animæ exilia quadripartita vocatione reuerti iubetur Beata Dei genitrix, cùm dicitur: *Reuertere reuertere Sulamitis, &c.* Sed nunquid ipsa supradictis modis, maximè voluptate, vanitate, curiositate, adeò credenda est exulata? absit. Nam ab his vocatur exilijs, non propter coinquinationem, sed propter cohabitationem; quæ quasi vnus spiritus per cœleste desiderium cum Deo effecta, captiuitatem reputabat, habitare *cum habitantibus Cedar*, & differri ab illa *Ps. 119.*

C corona gloriæ, quam sibi repositam cognoscebat. Vel quater iteratur verbum reuocationis; quia si diligenter attendimus Beatæ Virgini, conueniunt quatuor genera assumptionis. Primò enim assumpta est per electionem, secundo per purificationem, tertiò per confirmationem, quartò per sublimationem. Per electionem assumpta est, quando *mulierem fortem*; diù à Salomone quæsitam *Pro. 31.* Gabriel inuenit, & elegit præ cæteris omnibus, dicens: *Benedicta tu inter mulieres.* *Luc. 1.* Assumpta est per purificationem, dum à cæteris filijs hominum sequestrata, ab originali, & actuali peccato Spiritus sancti mundatione est purificata: per confirmationem assumpta est; dum eandem virtutum confir-

D mationem accepit in via, quam Angelus bonus possidet in patria: per sublimationem assumpta est hodiernam, dum super omnem creaturam exaltata est in Regno cœlorum.

Nota.

Cum corpore dicam exaltatam, an sine illo? Verè dicam cum corpore, quoniam & si hac parte errauero; ipse error est mihi gratissimus; qui fonti pietatis, matri misericordiæ, incumbit excusandus. Nunquid enim, dicam Dei Filium matri honorem denegasse, quem seruo voluit impendere? Elias in cœlum *curru* leuatur *igneo*, & mater Dei cõputruit in tumulo? Præterea, si spiritu migrante sacrosanctum eius corpus terra detinuit, cur filius venerationem illam denegauit in terris; reliquijs matris, quàm cuilibet

Ibidem.

4. Re. 2.

Mar-

Martyri, vel Confessori voluit exhiberi? Plane caput Ioannis, vel cuiuslibet alterius Sancti reliquiæ, in terris, maxima veneratione voluit haberi; sed Beatæ Virginis corpus, nec in terris veneratione, nec in cœlis honore voluit æstimari? Propterea nonne Dei Filius dedit hoc præceptum: *Honora patrem, & matrem,* & magis de patre, & matre, quàm de cæteris; quia maior honor quã cæteris, debet illis exhiberi. Sed ecce secundum eos, qui æstimant eam non migrasse cũ corpore; ipse suo præcipuè præcepto videtur obuiasse, qui maiorem honorẽ voluit in terris exhiberi reliquijs martyris, quàm sacrosancto corpori suæ matris. Longè aliter sonare videtur illa vniuersalis Ecclesiæ oratio, in qua de ipsa dicitur: Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Dominum nostrũ IESVM Christum de se genuit incarnatum: quod si verum est, consequitur quod deuicta morte cum corpore glorificata ascenderit. Et, vt breui verbo loquendi finem faciam, cũ soluto mortis debito terræ constet, cum corpore commendatam, aut sepultam reddant, aut resurgentem: imo sublimatam cum corpore venerentur nobiscum; orantes, vt eius interuentu mereamur transferri ad eandem gloriæ felicitatem, quam ipsa hodierna die ingressa est præstante Domino nostro IESV Christo, cuius regnum, & imperium permanet in secula seculorum, Amen.

Exo.20.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ.

Sermo tertius, qui est in ordine 45.

Gen.2. PLanctauerat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominẽ quem formauerat. De hodiernæ solemnitatis præconio, multa iam olim, fratres charissimi, diligenter pertractata cognouistis; quæ & foris verborum flore vernantia, & intus spiritali dulcedine plena sunt. Tantis ergo laudibus aliquid minus idoneum adijcere, videbitur forsitan quibusdam derogatio potius, quàm cumulus laudis, vt si quis cimbalis concorditer sonantibus, fracti tintinnabuli sonum adijciat, melodię suauitas potius colliditur, quàm iuuetur. Quia tamen aliorum diuitias nostra paupertate scimus fœdari nõ posse, præsertim cùm in tabernaculo Domini, quidam aurum, & argentum, alij hyacinthum, purpuram, & byssum; nonnulli etiam *pilos caprarum*, quæ res abiectæ sunt, & viles, obtulisse leguntur; nos pro vili portione offerimus Domino, quæ possumus; & contenti hostia pauperum, satis nobis arbitramur cessisse muneris, si quantulacunque deuotione inueniamur occupati, in laudibus Virginis matris. Vt autem reuertamur ad verbum quod præmisimus, tres paradisos

Exo.35

A voluptatis propter hominem factos sacræ Scripturæ meminit diligentia. Primus est paradisus terrestris, de quo scriptum est: *Domine audiui vocem tuam in paradiso, & abscondi me.* Secundus est paradisus præsentis Ecclesiæ, de quo in Canticis dicitur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* *Gene.3.* *Cant.4.*

Tertius paradisus est futuræ gloriæ, cuius meminit Paulus, cùm dicit, se raptum in *paradisum Dei*, & ibi audisse *arcana verba, quæ non licet homini loqui*. In primo paradiso positus est homo creatus; in secundo, positus est homo reparatus; in tertio, ponendus est homo glorificatus. Sunt autem tres paradisi, quasi tres quidam horti delitiarũ, B in quibus diuinæ plantationis fructus crescunt, matureſcunt, & colliguntur. Nam si humani generis primordia, primos scilicet parentes, ad memoriam reuocemus, ipsi fuerũt quædam diuinæ plantationis virgulta, in paradiso terrestri; ad hoc posita vt ibi crescerent, & bene operando fructum facerent in obsequium creatoris sui. Sed postquam virgulta hæc, primæ præuaricationis merito aruerunt, & fructum fecerunt noxium, transplantata sunt in paradisum Ecclesiæ, vt igne charitatis, quasi æstiuo quodam sole, desuper radiante crescerent; & fructum suum producerent ad maturitatem; & sic tandem per manum summi hortulani, qui Christus est, in tertium paradisum, qui est gloriæ, cum C fructibus suis transferentur. In hoc etenim paradiso Deus à principio posuit hominem, id est, disposuit ponere, eo loquendi modo, quo dicitur, fecit quæ futura sunt; & *Agnus qui occisus est ab origine mundi*. Quia tamen sine humore virgulta hæc crescere non poterant; accesserunt quatuor paradisi flumina, quibus irrigata fortiùs invalescerent, vt sic firmiter radicata, nullo tentationis vento deinceps commoueri possent. Primum paradisi flumen, accipe mundationem Sacramentorum: secundum, seriem diuinarum Scripturarum: tertium, stillicidium spiritalium donorum lachrymarum: quartum, gratiarũ dona, in bonis confirmantia. Natura siquidẽ D humana vitijs infecta, primò opus habebat, vt per Sacramenta Ecclesiæ à peccatis purgaretur. Secundò, quia viam ignorabat iustitiæ; necesse erat, vt per mandata Dei illuminaretur. Tertiò expediebat, vt accepta veritatis notitia, planctu, & lachrymis bonis operibus exerceretur. Quartò, vt per dona gratiarum in bonis confirmaretur. Inter virgulta autem paradisi illius nobilis, quædam virga exorta est, videlicet, Virgo MARIA, ad quam fluuius spiritalium charismatum abũdantiùs, quàm ad cætera deriuauit; vtpote, quæ fructum meliorem, & sublimiorem cæteris erat perductura; quo, & terris homines, & in cœlo spiritus Angelici pascerẽtur.

Apo.13.

Quid

Quid enim aliud fuerunt Spiritus sancti obumbratio, plenitudo gratiæ, feruor fidei, castitas virginalis, quàm stillicidia quædam gratiarum in ipsam descendentium, vt cresceret, & faceret fructum? Creuit itaque, & fructum fecit; & in tantum creuit, vt iam nõ virga humilis, sed arbor sublimis, & fructifera nominetur. Sublimis, quia super cœlos ascendit: fructifera, quia fructum fecit multiplicem, scilicet, fructum amarum, fructum dulcem, fructum delitiosum. Si vis scire vbi arbor ista fructum amarum protulit, recole amaritudines illas amarissimas, quas sustinuit, dum astitit crucifixo, dum vidit mortuum, dum secuta est fugientem in Ægyptum, dum persecutiones sustinuit cum cæteris, qui fuerunt imitatores viarum eius. In his omnibus fructum amarum protulit, quãdo per has, & alias multas tribulationes secuta est præsentiam Creatoris sui. De hoc fructu amaro gustauerunt omnes Sancti, qui modò regnant cum Christo; quorum vita fuit, mundum contemnere, tolerare aduersa, crucifigere carnem suam cum vitijs, & concupiscentijs, opprobrijs saturari: quæ omnia, licet plena essent amaritudine, tamen in his expectabant fructum pacatissimum, id est, visionem Dei sui. Sed iam via hæc erumnosa videndi Deum, per amaritudines vitæ huius, in solitudinem redacta est; quia nunc fugiunt homines à facie Domini, vt amara effugiant, ne inueniant tribulationes, vt delectationes, & huius vitæ dulcia consequantur; parumque reputant videre bona Domini in terra viuentium, dum consolationibus vitæ huius perfruantur. An non vere est à facie Domini fugere, repellere mandata Dei, sequi concupiscentias, laxare frena pudicitiæ, & a nulla prohibere animum voluptate? Et in his quidem omnibus gustus in principio dulcis est, sed nouissima eorum amara sunt, tanquam absynthium: quia multas delectationes, multæ sequuntur miseriæ, & *extrema* gaudiorum *luctu*, & dolore commutantur. Cum enim homo primo *vinum bonum* posuerit, & eo *inebriatus* fuerit; tunc demum sequitur, *quod deterius est*. Vinum bonum, quod homo, id est, quilibet carnalis ponit, principium lætitiæ suæ, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, & cæteræ huius vitæ delectationes: sed cum istis inebriatus fuerit, hoc est, cùm biberit calicem confusionis, & ignominiæ vsque ad fecem; tum sequitur vinum quod deterius est. Quod vinum? stimulus prauæ conscientiæ, timor gehennæ, horror districti iudicis, obduratio mentis, desperatio salutis. Ecce dulcia vitæ huius, ecce amara, formida ergo contingere dulcia, si vis vitare amara. Sic enim pisces, sic volucres, sic bestiæ capiuntur; quia modicus cibus, qui delectat hamo, aut vinculo imponitur, vt cũ illũ apprehenderint postmodũ ferri, aut vinculi amaritudine teneãtur. Caue ergo, ne tu fallaci cibo humanæ vitæ inescatus captiuus tenearis; quod si ita est, *solue vincula colli tui*, plãge miseriam tuam, curre ad medicinam. Quis demum tam degenerantis naturæ insipientiam incurrit, vt si è duobus concedatur optio, melius non æstimet eligendum? Proponantur modò duo hæc, videlicet, amaritudo huius vitæ, & delectatio eiusdem; docet te mundi Philosophus, vtrum istorum melius debeat æstimari. Iuxta documentum enim Aristotelis, si dubitetur vtrum melius, respiciendum est ad consequens vtriusque, & cuius consequens fuerit melius, illud etiam & melius æstimandum. Vide ergo quid sequitur ad delectationem huius vitæ. Certum est, quia luctus sempiternus; vnde scriptum est: *Extrema gaudij luctus occupat*. Ad amaritudinem verò huius vitæ, sequitur gaudiũ æternum; vnde dicitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Melius est gaudium, luctu sempiterno; quare amaritudo huius vitæ, potius quàm delectatio eligenda. Omnimodo ergo dulcia vitæ huius fugienda sunt, quorum finis, tam amarus est, aut si dulcia delectant, mittant manum suam hi, qui talia desiderant ad fructum illum, qui ad edendũ dulcis est, & ad reficiendum necessarius. Ecce enim arbor nostra fructifera, scilicet V. MARIA, ramos suos extendit; in quo fructum dulcem copiosissime inuenire possint, nisi fortè languente appetitu tãquam ægroti, quæ suauia sunt, & dulcia fastidiant. Sic enim plerumque solet accidere, quod palato non sano, pœna sit panis, & ægris oculis, odiosa lux est, quæ puri est amabilis. Tria siquidem beneficia, Beata Dei genitrix nobis contulit; de quibus, velut ramis quibusdam, omnia respiciunt opera iustitiæ, & dependent fructus totius spiritalis exercitationis. Primum autem beneficium est, quòd iugum antiquæ captiuitatis, à nobis abstulit: secundum, quòd iram diuinæ indignationis, nobis remisit: tertium, quòd non tam humanæ iniquitatis deleuit. Ecce captiuus tenebaris homo, & per MARIAM liberatus es: offensam Dei tui incurrebas, & per MARIAM reconciliatus es: iniquus, & peccator fuisti, & per illam iustificatus es. Quid est dulciùs, libertate post captiuitatem, & reconciliatione post impietatem? Huc ergo omnis vita iustorum, sancta desideria, meditationes, bonæ operationes, gratiarum actiones respiciunt; vt in his omnibus precipuè honoretur Beata Dei genitrix, quæ præ cæteris Sanctis, nobis operata est causam salutis. Nunc ergo age tu, qui in tantis Beatæ Virginis respiras beneficijs, ad ipsam vota tua, & desideria conuerte; & dulce sit tibi sub vmbra illius arboris

Pro. 14.

Ioan. 2.

Esa. 52.

Pro. 14.

Ioa. 16.

ris quieſcere, qui hactenus longo itinere praua conuerſationis laborasti. Tria ſunt, quæ viatores, ad arboris protectionem fugere compellunt; videlicet, æſtus, turbo, & pluuia. Similiter tria ſunt, quæ ambulantibus in via Dei, quietem animi auferunt, videlicet concupiſcentia, ſuperbia, & diſcordia. Et reſpicit æſtus, ad feruorem concupiſcentiæ, turbo, ad tumorem ſuperbiæ, pluuia, ad iurgia diſcordiæ. Protegit ergo Beata Dei genitrix ab æſtu concupiſcentiæ, exemplo caſtitatis, protegit à tumore ſuperbiæ exemplo humilitatis, protegit à pluuia diſcordiæ, exemplo manſuetudinis. Certè mala noſtra, quæ fecimus, docere nos poſſunt, quàm iucundũ ſit, ſub ramis huius arboris quieſcere, quàm ignominioſum ſit, premi ſeruitute diaboli; & quàm dulce ſit, obſequium præſtare Deo. Quoniam nauta multis iactatus fluctibus in regenda naui ſapientior efficitur; miles poſt multa ſuſcepta vulnera, in congreſſu belli cautior redditur: gratior eſt ſerenitas poſt imbrem, quies poſt laborem; & per experimenta malorum, creſcit amor virtutum. Reſpiciamus ad eos, qui ad frugem dulcem ſpiritalis vitæ manum miſerunt, & videbimus verum eſſe, quod dicimus. Aliqui enim ex ipſis, poſt multa fortè ſcelera commiſſa in ſeculo, ad Deum conuerſi ſunt: alij verò cum ipſa vitæ innocentia, quam ſemper tenuerunt, ſe ipſos Deo ſacrificium obtulerunt. Et videmus accidere, quòd hi, qui fuerunt in ſeculo peccatores, & magni peccatores, frequenter ſunt in vigilijs promptiores, in abſtinentia partiores, in oratione magis deuoti, in bono opere magis ſoliciti; & in omni fructu vitæ ſpiritalis, magis circunſpecti, quàm illi, qui de puritate conſcientiæ ſuæ gloriantes, à tramite iuſtitiæ nunquam ceciderunt. Nullus ergo timeat ad fructum dulcem ſpiritalis vitæ, manum mittere, quoniam bonum, quod tardiùs apprehenditur, quandoque feruentius acquiſitum tenetur. Eſt & tertius fructus huius arboris, quem ſuprà delitioſum apellauimus; & ideò fortè delitioſus, quia rarus, quia pretioſus eſt; & quoniam fructus iſte in ſummitate ramorum colligitur, oportet eum, qui fructu iſto veſcitur, ſurſum aſcendere; vt quod in eo mortale eſt, abſorbeatur à vita, quod humile in gloriam, quod triſte eſt in lætitiam commutetur. Cæteri etenim fructus, id eſt, amarus, & dulcis, quos ſupra diſtinximus, finitimi terris ſunt; vtpote quibus veſcuntur hi, qui adhuc induũtur corpore mortis huius. Sed fructus delicioſus, quo ſoli fruuntur Beati, ſurſum eſt in adeptione ſupernæ felicitatis, *quẽ* 1. Co. 2. *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*. Et quidem his, qui in vita iſta mortali adhuc peregrinantur à Domino, fructus iſte futuræ beatitudinis in ſpe repromiſſus eſt. His verò, qui vitæ huius curſu conſummato vicerunt ſeculum, iam in re appoſitus, vt ſecundum repromiſſionem factam à Domino, in cœleſti paradiſo, ſint hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; Chriſti, inquã, qui eſt fructus benedictus, fructus ſingulariter delitioſus, in quo ſunt omnes delitiæ ſanctorũ, qui cum Beata Virgine MARIA ad paradiſum cœli aſſumpti ſunt; cuius, & nos participes faciat ipſe IESVS Chriſtus Dominus noſter, cuius regnũ, & imperium permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

IN NATIVITATE B. VIRGINIS MARIÆ.

Sermo vnicus, qui eſt in Abſalone 47.

QVaſi oliua ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam in plateis. Hodierna diei feſtiuitas diuinis laudibus, & obſequijs, nos monet eſſe intentos, in qua Author mirabilium Deus, æternæ prædeſtinationis arcanum, & promiſsionis ſuæ veritatem, per Beatam Virginem mundo voluit reſerare. Omnibus ergo animi votis amplectenda ſunt gaudia, quæ MARIÆ natiuitatem feſtiuam faciunt; vt non ſolum portemus ea in corpore, ſed & mentis affectu interiùs, ac foris atteſtatione bonorum operum proſequamur; ne ſimiles illis inueniamur, qui ludos, & geſtus theatrales libenter aſpiciunt: quos tamen iudicio rationis improbantes, eo quod merito in reprehenſionẽ veniunt, minimè cupiunt imitari. Et quæ poteſt maior eſſe ſpiritalium gaudiorum materia, quam noſtræ redemptionis arram ſuſcepiſſe, quæ paternæ præuaricationis delictum ablueret, repararet innocentiam, placaret iram diſtricti iudicis, aperiret portam cœli, & captiuis conferret libertatem. In ipſa enim omnis gratia viæ, & veritatis, & in ipſa omnis ſpes vitæ, & virtutis. Non talis mater illa, quæ ſuper faciem vniuerſæ terræ decretum maledictionis, & væ quadrifarium induxit; quo premuntur omnes filij Adam *à die ortus ſui, vſque in diem ſepulturæ ſuæ.* Eccl. 40. Si non recolis primum væ, quod per Euam damnata eſt humana poſteritas; ſuggerit tibi illud languor corruptionis corporeæ. Secundum, temporalium preſſurarum moleſtiæ. Tertium, occulti hoſtis inſidiæ. Quartum, extremæ vltionis anguſtiæ. O Eua, mater impia, quæ filias tuas ante necas, quàm parias, vt quid hoc feciſti? Quare induxiſti ſuper te, & ſuper illas peccatum grande? Sed te Beata Virgo MARIA reſpiciunt ruinæ iſtius leuamina, quæ iam olim in lege, & Prophetis repromiſſa, ſignis multiplicibus præoſten-

Eccl. 24.

oſtenſa es, vt in tuo ortu ſpem veniæ peccatores ponerent, & ex promiſſione iam facta de te patientius ſuæ miſeriæ cumulum tollerarent. Vis ergò, ò peccator audire MARIAM tibi repromiſſam? Recole Virgam Ieſſe, de qua Eſaias loquitur: & ecce in ea promittitur tibi Natiuitas MARIÆ. Recole *Arcam Teſtamenti*, quæ operiebatur auro puriſſimo, & in ea figuratur tibi MARIÆ Virginitas. Recole *florentem amygdalum*, de qua Salomon loquitur, & ibi tibi ſignificatur MARIÆ fœcunditas. Recole *ferculum Salomonis*, cuius columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus, & ibi oſtenditur tibi MARIÆ regalis dignitas. Vnde etiam, & oliuæ comparata eſt, propter plenitudinem gratiarum, in capitulo quod præmiſimus, in hæc verba: *Quaſi oliua ſpecioſa in campis, &c.* Si enim oliuæ proprietatem inſpiciamus, in hoc, primo eleganter ſatis Beatæ MARIÆ congruit; quia viret hyeme, & æſtate; nec aliqua frigoris, ſiue tẽpeſtatis, aut etiam æſtiui caloris intemperantia, ſpeciẽ ſuæ viriditatis amittit. Ætate autem futurę vitæ claritas accipienda eſt, ſicut in Euangelio Dominus dicit de arboribus: Cùm producunt ex ſe fructum, ſcitis, quoniam *prope eſt æſtas*, quæ ideò æſtati cõparatur; quia ea adueniente, & mœroris noſtri nubila tranſeunt, & vitæ dies æterni ſolis claritate fulgeſcunt. Hyemis verò nomine præſens vita accipienda eſt, quæ & mortalitatis aſtringitur frigore, & diuerſis tentationum ventis impellitur; de qua in Canticis ſcriptum eſt: *Iam enim hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit.* Oliua ergo noſtra, & æſtate, & hyeme virorem ſuum retinet; quia Beata Virgo MARIA humore ſpiritalium gratiarum perfuſa præſentis vitæ, torpore non aruit, & æternæ vitæ amœnitatem inter omnes filias Euæ glorioſa ſuſcepit. In hac oliua ramos, folia, fructum, & oleum pariter conſidera. Rami ſiquidem eius ſunt viri iuſti, quos Dominus in Euangelio ramos vocat, vbi dicit de grano ſinapis, quod factum eſt *in arborem magnã, & volucres Cœli requieuerunt in ramis eius.* Rami, inquam, ſunt ſancti viri, qui imitatione virtutis, & ſanctitatis, propoſito Beatæ Virgini quodammodo inſerti ſunt; longitudine ſpei, & latitudine charitatis circunquaque diffuſi. Folia verò, verba ſunt Euangelicæ veritatis, quæ ipſa Apoſtolos, & alios naſcentis Eccleſiæ filios docuit. Hæc enim ſunt folia ligni vitæ, de quibus in Apocalypſi dicitur; quia ſunt *ad ſanitatem languentium*: quia in verbis Euangelicæ prædicationis medicina eſt, & ſalus languentium animarum. Fructus autem oliuæ iſtius ſunt opera actiuæ, & contemplatiuæ; vt pote aures Dei orationibus inclinare, ſecretis diuinis intereſſe, pue-

Eſai. 11.
Exo. 37.
Cant. 3.
Eccl. 24.
Mat. 24
Cant. 2.
Mat. 13
Apo. 22.

A rum IESVM lacte paſcere, & his ſimilia.

De hac oliua oleum diuerſi generis emanauit; oleum videlicet effuſionis, oleum puritatis, oleum lętitię, oleum vnctionis. Oleũ effuſionis, de quo ſcriptum eſt: *Oleum effuſum nomen tuum* innocentia eſt exterioris conuerſationis, qua cæteri ad vitam bonam inuitantur. Oleum puritatis, de quo præcipitur in Exodo, *quod puriſſimum de arboribus oliuarum, ardeat in tabernaculo Domini*, & eſt puritas bonorum operum. Oleum lætitiæ, de quo ſcriptum eſt: *Vnxit eum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, ſeruor eſt charitatis. Oleum vnctionis, quo iubetur inungi *labium illud æneum*, in quo *lauabant ſe Sacerdotes* ingreſſuri tabernaculum, affectus eſt miſericordiæ, & pietatis. Labium enim æneum cum aqua, pœnitentiã lachrymis irrigatam ſignificat. Oliua igitur noſtra, ideſt, Beata Dei genitrix, diſtillauit oleum effuſum ſimpliciter viuentibus: oleũ puriſsimum, fortiter operantibus: oleum lætitiæ, ardenter amantibus: oleum vnctionis, ideſt, miſericordiæ, criminoſis poſt lapſum redeuntibus. Vides igitur quoniam oliua iſta ſpecioſa eſt in ramis, ſpecioſa in folijs, ſpecioſa in germine, ſpecioſa in liquore. Sed quare potius ſpecioſa eſt in campis, quàm in ſyluis? Id circò, quoniam ſyluę ſpinas & vepres nutriunt, & frondium denſitate, vmbram faciunt, qua radius ſolis excluditur, & omnimodo ſyluęſtres arbores vtilitati hominum minus idoneæ reperiuntur. Quid ergo per ſyluas, niſi mentes ſyluęſtres peccatorum debemus accipere; quæ caligine vitiorum tenebroſæ, ſolem iuſtitiæ à ſe excludũt, & à fructu bonorum operum omnino ſteriles, vepres, & ſpinas nutriunt? Prauæ conſcientiæ, metuentes in ſe immanitatem criminum, ſuper ſe poteſtatem iudicis, ſubtus ſe, crudelitatem tortoris. In huiuſmodi ſyluis prædones, & ſicarij, & ſerpentes, & ſcorpiones, ideſt, vitiorum multitudo magna nimis inuenitur; vt nullus poſſit ibi locus eſſe iuſtitiæ, aut acceſſus ſanctitati. Ne ergo in loco iſto horroris, & vaſtæ ſolitudinis inueniaris, adæqua ſyluam iſtam in campum, & præcide proceras illas vitiorum arbores, quæ ſurrexerunt, faſtum videlicet mundanæ elationis, ambitionis malum, flammam luxuriæ, inuidiæ tabem, & cætera genera vitiorum, vt exciſis vitijs, campo æqualis facies, ideſt, conſcientia pura appareat, & ſic liberè oliuam iſtam reſpicias, & ſine nubilo poſſis intueri MARIAM. Campi ſiquidem mentes humiles, & à tumore ſeculari conuerſationis metu diuini iudicij adæquitæ intelliguntur, vt ibi: *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis.* Sed forte in campo iſto nondum apparuiſti, eo quod in tenebris peccatorum ſis vſ-

Cant. 1.
Exo. 27.
Pſal. 44
Exo. 40.
Pſ. 103.

que

que adhuc, & lumen iustitiæ non illuxit tibi. A In ipsis tamen tenebris tuis, eo quo potes respectu Beatam MARIAM intuere, in lectulo tuo illam cogita, & tene in memoria cordis tui: quoniam & res in quam directè radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis quandoque irradiatur, & infirma conscientia, quæ radio aspirantis gratiæ non tãgitur; per vitam iustorum, & exemplo bonorum operum, quandoque mutatur in melius. Quid enim aliud sunt iusti cum impijs conuersantes, quàm fulgur quidem lucens in tenebris? *Fulgebunt*, inquit Scriptura, *iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Fulgor iste, ideſt, claritas sanctitatis, cùm ad iniustos dirigitur, quandoque B in eis excitat fumum, quandoque ignem, quandoque caliginem. Fumum cum exemplo in se ipsis confunduntur, & scelera sua erubescere incipiunt, & sic in lachrymosam compunctionem resoluuntur. Fumus enim sanctarum mentium compunctio designatur, vt ibi: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* Quandoque verò fulgor iste ignem excitat in peccatoribus, vt quando audita vita illa Beata inuisibilium bonorum amore, velut igne quodam accenduntur, de quo igne Moysi præcipitur, *vt in Altari Domini iugis sit*, ac perpetuus. Aliquando etiam fulgor iste in reprobis excitat caliginem, vt dum visa iustorum ardua conuersatione, se ad illam ascendere posse diffidunt, & sic caligine desperationis excæcantur. De hac caligine in Psalmo dictum est: *Inclinauit Cœlos, & descendet: & caligo sub pedibus eius*. Ex metu enim extremæ vltionis (quæ per pedes Domini rectè accipitur) in reproborum mentibus oritur, cæcitas desperationis. *Fulgebunt igitur iusti*, vt diximus, *& tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Scintillæ verò, viros sanctos significant, qui foris lucent bono opere, & intus ardent charitate. Arundo verò peccatores designat, qui omni virtutum humore siccati, merito suæ iniquitatis ignibus D æternis sunt præparati. Sed in arundineto viri sancti, sicut scintillæ discurrunt; quia sicut scintillæ ignis, arundines consumunt, & redigunt in fauillam, sic viri sancti exemplo bonæ vitæ, quod animale, & vetustum est, in peccatoribus destruunt, & stipulam vitiorum, adhibita flamma charitatis exurunt. Sic ergo mali inter bonos, sicut arundines iuxta scintillas, & plantę arentes, iuxta aquas positi sunt. Impij enim homines plateæ illæ sunt, de quibus in planctu Hieremiæ scriptum est: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, lapides sanctuarij dispersi sunt in capite omnium platearum.* Ex his plateis quædam iuxta aquam positæ sunt. Sunt enim plerique criminosi latas huius seculi vias tenentes, qui aliquando per verba sanctæ exortationis, aliquando per virtutum dona, quæ in alijs aspiciunt, aliquando ad lachrymas, & gemitus verè pœnitentium corde compunguntur. Qui ergo verba Sacræ Scripturæ exhortationis deuotus suscipit, etiam vitam præteritam non deserens, iuxta aquam sacri eloquij positus est, de qua dicitur: *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum*. Qui verò dona gratiarum, quæ in se non habet, in alijs veneratur, & diligit, iuxta aquam gratiæ spiritalis positus est; de qua dicitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Qui ad lachrymas pœnitentium in se ipso erubescit, & confunditur, iuxta pœnitentiæ aquam positus est, de qua scriptum est: *Antequam comedam suspiro, & tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus*. Sic igitur, & plateæ sunt, & tamen quodammodo iuxta aquas ponuntur: quoniam, & si latas huius vitæ vias teneant, eo quod Dei dona venerantur in alijs, & diligunt, suscipiendæ gratiæ habiliores, & prõtiores fiunt. Videre iam potes qualiter Virgo Mater, quæ prius comparata est *oliuæ speciosæ in campis*, sit *quasi platanus exaltata iusta aquam in plateis*, subintellige constitutis. Platanus siquidem arbor lata est, extensis ramis, vmbram faciens vberiorem, C quæ idoneum est vmbraculum, his qui calore solis intemperato fuerint fatigati. Vmbra illius platani nihil aliud conuenientiùs accipitur, quàm incarnatio Verbi, de qua dicitur: *Et virtus altissimi obumbrauit tibi*. Si enim vmbrę naturã enucleatius inspiciamus, ex lumine, & corpore efficitur. Tunc ergo platanus hæc, vmbram copiosissimam reddidit, quando lumẽ incorporę diuinitatis in Beata Virgine assumpsit corpus nostræ humanitatis. *In plateis* autem vmbra platani huius diffusa est, quoniam omnibus criminosis, & sub peccati onere gementibus, opem suæ protectionis porrigit, omnibus, inquam post lapsum redeuntibus, & desiderantibus viam salutis. Considerate modò omnes plãtas, quæ de radice Matris Euæ prodierunt, si aliqua tam sublimis sit vt MARIA, quæ & si pro cõditione naturæ æqualis sit cæteris, tamen donis, & meritis supra omnes exaltata est. Tribus planè modis eam super omnes filias Euę videmus exaltari, videlicet, per sanctificationem, qua exaltata est ab omni affectu terrenæ corruptionis: per cognitionis plenitudinem, qua exaltata est ab omni nubilo erroris: per summam contemplationem, qua exaltata est, ab omni tumulto mundanæ actionis. Nobis igitur, fratres charissimi, qui ad hanc virtutum eminentiam assurgere non pos-

Sap. 3.

Cant. 3.

Leuit. 6

Ps. 17.

Here. 4

Eccl. 15.

Eze. 36.

Iob 3.

Eccl. 24.

Luc. 1.

possumus, sub vmbra eius pausandum est, vbi in æstu vitiorum refrigerium, in pressuris seculi vmbraculum, & in omnibus laboribus, quæ, huic vitæ fastidium ingerunt, quietè assequamur. Festinet ad vmbram protectionis eius, qui longè est, teneat, nec dimittat; qui iam apprehendit: quia ipsa est dux securitatis peregrinantibus, & peruenientibus ad viam, portus salutis, quam nobis eius interuentu largiatur IESVS Christus Dominus noster, cuius Regnum, & imperium permanet in secula seculorum. Amen.

R. D. LL. ADAMVS BROVVERVS.

NOTA.

DE Adami Brovveri, cognomento Lutzi; vita, doctrina, patria, & scriptis; ista solùm ad notitiam meam peruenerũt, fuisse scilicet doctum, & pium; in florentissimâ Colonienſi Academia, Sacræ Theologiæ Licentiatum, & in Ecclesia Sanctorum Geryonis, & Vrsulæ Vicarium emeritum; atque Beatissimæ Virginis MARIÆ Assumptæ, Mancipium addictissimum, & hoc nostro scripsisse, & claruisse seculo. Scientiæ igitur, & deuotionis, stimulato ingenio, & calamo; postquam, iter vitę, *seu* Oratio Dominica, *triplici Sanctorũ Patrũ stella, & commẽtario præeunte ab eo eruditè, & succinctè explanata fuit. AVE salutatio Angelica, multiplici precularum, & Hymnorum serto coronata: continens variam praxim salutandi Deiparam, sodalibus Beatissimæ Virginis MARIÆ Colonienſibus, eiusdemque mancipijs cum Indulgentijs, à Pontifice Maximo confraternitati Mancipiorum concessis, ab ipso piè, doctè, & breuiter concinnata est; strena sodalium eorumdem, pia industria, Virgini Dei Matri oblata. Libellus est, seu opusculum, quod anno Dominicæ Incarnationis* 1637. *in* 12. *apud Ioannem Kinchium Typographum Coloniæ, est excusum, & dicatum Nobili, & amplissimo Domino Balthasari à Multiem, Reipublicæ Colonienſis Consuli, & sodalitatis Marianæ Præfecto: cæterum, quia in paruo volumine plura claudit Virginis Elogia; & pias per varios codices, sparsas scitu dignissimas, colligit quæstiũculas, vt AVE illud Angelicum nostræ reparationis initium, MARIAM que Matrem nostram, rosis coronet, exornet lilijs; additis indicibus, tam sacræ Scripturæ, quàm rerum, & alijs, quæ in originali carent; ne detur sine mente sonus, corpus absque anima (verba sunt nostri Adami in Prologo) planta, & arbor, absque flore & fructu: in hoc Marì Magno iterum edendum in MARIÆ laude & gloria iudicauimus.*

INDVLGENTIÆ A SS. D. N. VRBANO VIII.

Summo Pontifice concessæ, Confraternitati Mancipiorum Deiparæ Virginis; Ex originali Apostolicæ Bullæ Confraternitatem Mancipiorum confirmantis excerpta.

VT dicta Confraternitas maiora indies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorũ Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus fidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes & confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; nec non pro tempore describendis, & iam descriptis

in dicta Confraternitate, Confratribus, & Consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes, & confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiuerint; saltem contriti nomen IESV, ore, si potuerint; sin autem, corde deuotè inuocauerint, etiam Plenariam. Ac eisdem, & pro tempore existentibus Confratribus, & Consororibus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui præfatæ Confraternitatis, Ecclesiam, vel Capellã seu Oratorium, die festo Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, à primis, Vesperis vsque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis Confratribus, & Consororibus, etiam verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, Ecclesiam, vel Capellam, seu Oratorium huiusmodi, in Natiuitatis, Purificationis, & Annunciationis Beatæ MARIÆ Virginis, nec non Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ festis diebus, vt præfertur, visitantibus, & ibidem orantibus, quo die præfatorum id egerint, septem annos, & totidem quadragenas.

Quoties verò ipsis Missis, & alijs diuinis Officijs: in dicta Ecclesia vel Capella, seu Oratorio pro tempore celebrandis, & recitãdis, seu Congregationibus publicis, & priuatis eiusdem Confraternitatis vbiuis faciendis interfuerint: aut pauperes hospitio susceperint: vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procurauerint: nec non etiam, qui corpora defunctorũ, tam Confratrum, & Consororum dictæ Confraternitatis, quàm aliorum ad sepulturam Ecclesiasticam associauerint: aut quascumque Processiones de licentia Ordinarij faciendas; Sanctissimumque Eucharistiæ Sacramentum, tam in Processionibus, quàm cũ ad infirmos, aut aliàs vbicumque, & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint: aut, si impediti, cãpanæ ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem, & Salutationem prædictas pro animabus defunctorum Confratrum, & Consororum prædictorum recitauerint: aut peccatorem aliquem ad viam salutis reduxerint: & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad salutem sunt, docuerint: aut quodcũque pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet præfatorum operum sexaginta dies de iniunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod si dicta Confraternitas alicui Archifraternitati aggregetur, vel quamuis alia ratione vniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, præsentes, & quæuis aliæ litteræ, Apostolicæ illius nullatenus, quo ad indulgentias, & remissiones peccatorum, suffragentur; sed ex tunc eo ipso prorsus nullæ sint.

Datum Romæ apud S. MARIAM Maiorem sub Annulo Piscatoris die 15. Septembris, M. DC. XXXV. Pontificatus nostri Anno decimo tertio.

M. A. Maraldus.

Locus Sigilli Annuli Piscatoris.

MARIÆ CREATVRARVM Dominæ Mancipium Marianum ad pedum oscula. SS.

AVE Domina præcellentissima, & inter Sanctos post Deum Sanctissima MARIA, quæ Virginea fœcunditate, fecundaq; Virginitate admirabilis IESVM Ch. istum mundi Saluatorem genuisti. Tu gratissimum Dei templum. Tu Spiritus Sancti venerandũ sacrarium. Tu adorandæ Trinitatis gloriosum Triclinium. Per te Domina, viuit orbis terrarum. Ad tui memoriam hilarescunt, & recreantur fideles animæ. Inclina, quæso te, aures tuæ pietatis precibus huius seruuli tui, huius mancipij tui miseri peccatoris; & caliginem vitiorum meorum radijs tuę sanctitatis dissipa, vt tibi placeam.

Ave Aula magnifica, & splendidum palatium Imperatoris æterni MARIA. Salue odoriferum Deitatis reclinatorium. Tu es fœmina illa amabilis, pia, prudens, generosa, elegans, suscipienda. Tu es illa cœli terræq; Regina, quæ progrederis *quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*, & eadem terribilis Dæmonibus sicut *castrorum acies ordinata*. Præsta Domina, vt inter procellas huius vitæ, semper te maris Stellam ego Mancipium tuum attendam, & contemptis rebus visibilibus, amœnas illas pulchritudines, pulchrasque amœnitates Paradisi contempler. *Cant. 6.*

Ave Sidus fulgentissimum, & iubar clarissimum MARIA, ex qua Sol iustitiæ Christus Deus noster ortus est. Tu virga illa, vltra omnem pulchritudinem decora, vltra omnem honestatem gratiosa, quæ benignis oculis pios Ecclesiæ filios intueris in toto orbe terrarum. Dulce nomen tuum recreat defessos: serenus splendor tuus illuminat cœcos: suauis odor aromatũ tuorum lętificat iustos: benedictus fructus sacri vteri tui satiat Beatos. Tu Angelorum, hominumque laudem post Dominum promereris. Ora pro

me

me Mancipio tuo Domina, vt tuis precibus adiutus Christum Deum Deorum. Teque Dominã Angelorum in Sion videre, & glorificare merear.

Ave preciosissima Margarita, & humanæ naturæ Gemma singularis MARIA. Tota pulchra es ò Virgo! Tota pulchra es, & macula nõ est in te. Castissimæ animæ tuæ nihil vnquam inhæsit turpitudinis, nihil vnquam defuit spiritualis decoris. Tu Patriarchas excellis fide, Prophetas scientia, Apostolos sancto zelo, Martyres pacientia, Confessores sobrietate, Virgines humilitate atque innocentia. Tu ineffabilibus monilibus ornata, omnes superni palatij ciues in admirationẽ rapis. Tu es Sol clarissimus defectũ prorsus B nesciens: Sol è terra cœlos irradians: Sol è cœlis terram illuminans: Sol peccati nubes discutiens. Dum ego fulgorem Sanctitatis tuæ considero, Domina, vehementer erubesco ob caliginem meæ turpitudinis. Ecce verò pedibus tuis aduolutus infimæ sortis Mancipium, sed Marianum, quo nomine non erubesco: sed tuum, quo titulo glorior, humillimè agnosco meam, vt vtilitatem sic iniquitatem. Ne quæso te, despicias me, Mancipium tuum. O Spes mea suauis! Sed magnam miseriam meam subleuet ingens miseratio tua.

Ave MARIA Virgo ornatissima. Virgo Sole serenior, & astris lucidior. Virgo melle dulcior, & balsamo suauior. Virgo rosis rubicundior, & lilijs candidior. Tu fons hortorum vernantium. Tu puteus aquarum viuentium. Tu Thronus aureus veri Salomonis. Tu vas purissimum omni amaritudine carens. Tu Cella mundissima, longè latéq; gratissimum odorẽ diffundens. Dominus creauit te Virginem immaculatam: elegit te humilem Ancillam; concupiuit te amabilem Sponsam. Tu es totius generis humani Gloria, ac totius Orbis singulare miraculum. Ne auerseris me Mancipium tuum, ò Domina! peccatorem indignum, ò Sancta! Sed ex sordido fac mundum, ex iniquo iustum, ex remisso alacrem, ex arido deuotum.

Ave desperantium spes opportuna, & auxilio destitutorum Adiutrix præsentissima MARIA: cuius honori tantùm tribuit Filius, vt quicquid petieris, mox impetres, quicquid volueris, mox fiat. Tibi regni cœlestis claues thesaurique commissi sunt. Tu Cherubim honoratior, & Seraphim Deo proximior. Tu Abraham, Isaac, & Iacob patrum tuorum eximium decus. Nominis tui gloriã, dignitatis tuæ splendorem, pietatis tuæ abũdantiã omnis ætas, sexus, & lingua confitetur. Exaltata es, ò Domina, supra choros Angelorum. Tanquam dies verni circundant te flores rosarum, & lilia conuallium. Sana me Mãcipiũ tuum, ò Beata! & sanabor. Saluũ me fac, & saluus ero. Tibiq; benedicã in ęternũ.

A Ave cœli exultatio, & terræ gaudium MARIA. Tu post Filium tuum es Domina vniuersæ creaturæ: illa Mancipium: adeò vt ad tuum quoque nomen sese inflectat omne genu cœlestium, terrestrium, atque infernorum. Tibi officiosissimè obsequuntur Angelicæ potestates. Tu es illa lucis Serenissima Mater, quæ mentes te diligentium amanter illustras. Tu es illa pietatis dulcissima Parẽs, quæ fideles tui cultores felicitèr transfers ad amœnas Paradisi mansiones. Tu speciosa illa sicut Columba ascendens super riuulos aquarum, cuius vestimenta inæstimabili suauitatis odore fragrant. Te exercitus Supernorum ciuium laudant, Tibique benedicunt iugiter. Ad te, Domina, sese erigit vultus Mancipij tui. Te respiciũt oculi cordis mei. In te confidit anima mea. Miserere mei Mancipij tui, & perduc me in patriam claritatis æternæ. Ave Virgo sacratissima, & inter mulieres benedictas peculiari benedictione singulariter insignis MARIA. Tu vallis amœna vernans virtutum lilijs. Tu Paradisus beatus affluens consolationum delitijs. Tu Rosa venusta inenarrabilem suauitatem spirans. Tu Concha electa mellifluum amoris adipem stillans. Tu stella Iacob fulgida, cœlos omnes perornans. Tu virga Iessæ florida vniuersum orbem exhilarans. Tuam pulchritudinem, tuum ornatum, tuam dignitatem omnes Spiritus beati mirantur. O totius elegantiæ totiusque sanctimoniæ fœmina. O Domina præcellentissima, quæ supra choros Angelorum resides assessum Deo proximum sortita, meas, quæso te Mancipij tui calamitates, meosque gemitus attende. Visita, & consolare me inutilem seruum tuum, atque à peccatis absolutum redde tibi per omnia placentem.

C

Ave singulare Cœli ornamentum singulareque terræ præsidium MARIA. Salue Regis æterni Mater gloriosa. Gaude gratiæ perditæ instauratrix optatissima. Tu Domina rerum, imperium cum Filio commune obtines. Tibi omnis ætas, & sexus meritò verticem inclinat. Tuis pedibus totus orbis iure prævoluitur. Nam post ineffabilem Trinitatem nihil habet cœlestis aula te vna admirabilius. Ad tuum nomen Dæmones contremiscunt. Ad tuum fulgorem potestates tenebrarũ diffugiunt. Ad tuum nutũ portæ Paradisi reserantur. Tu omnium Christianorum Spes post Filium, ò Regina misericordiæ! ò vitæ dulcedo! Te inclamo miserabilis Euæ filius. Ad te gemo, ad te suspiro calamitosus exul in hac lachrymarum valle. Ne me precor auerseris, ò Domina, Mancipium Tuum. Sed laborantem adiuua, pugnantem protege, vacillantem confirma, & benedictum fructum ventris tui IESVM Christum mihi post exilium ostende.

D

Aue Sereniſsima Suauiſsimaque Regis Meſsiæ Genitrix MARIA. Tu es Turtur illa pudiciſsima, cuius vox Omnipotentis aures mirificè demulcet. Tu es Columba illa caſtiſsima, cuius gemitus Spiritui Sãcto modis omnib⁹ placet. O Virgo gratioſa, Virgo decoris ſtupẽdi, eijce è cordis mei penetralibus quicquid ſordidum, minuſq; decorũ eſt. Illumina tenebras meas interiores radio ſplẽdoris tui, vt vitijs diſsipatis atq; deletis, pulchritudinẽ tuã purè contẽpler. Attẽde Domina, attende ſuſpiria Mancipij tui anhelantis ad te. Veni millies deſiderata, & ex plenitudine gratiarum tuarum aliquid cordi meo infunde, vt intimè te diligam, & nunquam à te ſeparer.

Aue puriſsima Spiritus Sancti Officina, & immaculatum Verbi Dei Sacrarium. Aue Sanctiſsima Mater, & Virgo MARIA, quę gaudium Angelorum pariter, & hominum peperiſti IESVM Chriſtum, eũdemque puerulum pannis inuoluiſti, faſciolis ſtrinxiſti, vlnis geſtaſti, gremio confouiſti, vberibus locaſti, amplexibus oſculiſq; deliniſti. Rogo te, Domina, & exorabile pectus tuum obteſtor, per maternam ſedulitatem, officioſaſq; curas, quas cunabulis Infantiæ Vnigeniti tui deuotè impendiſti, vt mei Mancipij tui patrocinium apud eum ſuſcipias; peccata deleas, gratiam impetres, lumen infundas, & ad vitam æternam æterno Tibi nexu deuinctum Mancipium perducas. Amen.

ORATIO IN ADMISSIONE ad Sodalitatem à ſingulis recitanda.

Sancta MARIA, Mater Dei, & Virgo: Ego N.N. Te hodie in Dominam, Patronam, & Aduocatam eligo, firmiterque ſtatuo, ac propono, me nũquam te derelicturum, neque contra te aliquid vnquam dicturum, ac facturum; neque permiſſurum, vt à meis ſubditis aliquid contra tuum honorem vnquam agatur.

Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſeruum perpetuum. Adſis mihi in omnibus actionibus meis. Nec me deſeras in hora mortis meæ. Amen.

ORATIO A CONSECRANTE ſe B.V. MARIÆ in mancipium recitanda.

O Regina cœli, Domina mundi, MARIA Virgo. Ego N.N. ad thronũ gloriæ tuę poſtratus, quo poſſum, affectu, gratulor iſti Coronæ, Sceptroq; Maieſtatis tuę, vellemq; tibi creaturæ omnes obſequium debitæ ſeruitutis offerent.

Quare coram omni curia cœlecti, Ego ſaltẽ me totis hodie medullis offero, non tantùm in clientem, ac Famulũ, ſed etiã in ſeruum, ac Mancipium. Et in ſignum abdicatæ liber-

A tatis, ac initæ perpetuæ ſeruitutis, hæc amoris *Vincula* in duo (*hic catenulam induit*) & volo, ac ſtatuo cum illis viuere, in illis mori, & ſepeliri Mancipium MARIÆ.

Rogo ergo te, Domina mea, Regina mea, accipe me in Mancipium tuum perpetuum. A vinculis peccatorum in omni vita me eximè. In morte catenas inferni diſrumpe. Ac tandem, his funiculis amoris, his vinculis charitatis in cœlum trahe me poſt te. Curremus in odorem vnguentorum tuorum, per omni ſæcula ſæculorum. Amen.

SALVTATIO ANGELICA Coronata

B *Ave MARIA gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui IESV. Sãct. MARIA. Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ, Amen.*

CAPVT. I.

EXPLICATIO SALVTATIONIS Angelicæ per quæſtiones catecheticas.

Quæſtiuncula 1. *Quare poſt Orationem Dominicam Salutatio Angelica dicitur, & non aliqua alia Oratio?*

C *Reſp.* Ideò quia apud Chriſtum, potentiorem Aduocatum, & Mediatorem Sanctiſsima Matre eius non habemus. Quare oratione ad Chriſtum tranſmiſſa, quam ipſe nos docuit, ad Matrem illius conuertimur, vt ſua nobis interceſsione adiſtat, quo omnia illa, quæ in Oratione Dominica petiuimus, conſequamur. Quemadmodum in mũdo fit, vbi, poſtea quam ſupplicationem ad Principem ſcripto deſtinauimus, principaliori Palatij aulico poſtmodùm totum negocium committimus. *Catech. Bellar.*

Quæſt. 2. *Quis Salutationem Angelicam compoſuit?*

Reſp. Compoſuit eam Deus ipſe. Quam quidem non per os ſuum, ſed per os Gabrielis Archangeli, S. Eliſabeth, & S. Matri Eccleſiæ docuit. Namverba illa: *Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, Gabriel Archangelus eloquutus eſt: ſed veluti Legatus Dei, illa per Legatum ſuum edicentis. Porrò, *Benedictus fructus ventris tui*, S. Elizabeth adiecit: vti Euangeliſta Lucas atteſtatur cap. 1. verſ. 43. vnde colligere licèt, illa Spiritum Sanctum per os Elizabethæ proloquutum eſſe. Reliqua verò verba omnia S. Mater Eccleſia appendit, quæ ab eodem Spiritu Sancto regitur, atq; dirigitur. Quare appoſitè dici poteſt, poſt Orationẽ Dominicam, quã ore ſuo Chriſtus Dominus docuit, nullã prorſus Salu- *Catech. Bellar. Lucæ 1.*

luta-

lutatione Angelica præstantiorem esse: quia ab ipso Deo illâ cõpositâ, nobisq; per ora seruorum suorum promulgatam esse constat.

Quæst. 3. *Vnde hic modus Deiparam Virginem salutandi profluxit?*

Resp. Primùm ab exemplo Angeli Gabrielis, & Sanctæ Elizabethæ: deinde ex vsu ipso, & consensu Ecclesiæ Catholicæ. *Catech. Canis.*

Quæst. 4. *Quare dicimus Ave MARIA?*

Resp. Quia Salutatio est, per quã nos amicos notosq; monstramus, dum Matrem Dei, auxilium eius implorantes adimus. Vtimur verò verbis Angeli, quia scimus, maximum illi gaudium adferre, quod sæpè hãc laudem suam inaudiat, & renouetur gaudium, quod vbi ab Angelo verba illa excepit, persensit. Gaudet etiam ideò, quia beneficij diuini nos memores videt, & erga benefactorem gratos. *Catech. Bellar.*

Quæst. V. *Quid significat Ave, Græcè χαῖρε.*

Resp. Vtraq; vox salutantis formula Hebraica effertur שלום לך *Salom lach*, hoc est, *Pax tibi*, Syriace *Salom lechi*. Nomine autem Pacis Hebræi omne bonum, tam spirituale, quàm corporale, denotant, vt obseruat S. Hieronymus in caput decimum Matthæi. Sic Christus Apostolos suos, post resurrectionem salutat, *Pax vobis*, Lucæ 24. 36. Ioannis 20. 19. Idem iubet facere domum aliquã ingredientes dicendo, *Pax huic domui*, Lucæ 10. 5. Hanc pacem Angeli Dominicæ Natiuitatis nocte, suauissimo concentu promulgarunt, *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis* Lucæ 2. 14. sic quoque Ioseph Patriarcha salutabat fratres suos, *Pax vobiscum nolite timere*, Genesis 43. 23. Porrò, quamuis dubium sit, an Angelus Virginem salutarit voce vna Hebræa, quæ idem planè significet, quod χαῖρε, id est, *Ave*: probabiliùs tamen videtur, imò credendum esse scribit Maldonatus, Angelum Hebraica illa salutandi phrasi vsum, & dixisse, *Pax tibi*. Sanè, in Syriaco Euangelio, quod est in *Luca* χαῖρε, habetur *Salom lechi*; *Pax tibi*. Non est tamen omninò improbabile, Angelum vsurpasse vocẽ Hebræam, quæ idem omninò significet, quod χαῖρε, id est, *Ave*. Tali enim voce vsus putatur Iudas Ischarioth Christum salutans: Marci 14. 45. *Ave Rabbi*, & Christus fœminas, Matthæi 28. 9. *Aucte*, nam vocem illam adamussim respondisse putant, aut respondere potuisse Latinæ. Sed reuerà quamuis Græci Interpretes habeant χαίρετε, est tamen in Hebræo formula, *Pax vobis*. Itaq; Aue bonorũ omnium complementum significat: estque idem, ac, benè tibi sit, vel est: sis, vel es fœlix, omni bonorum genere cumulata. *Luc.* 24. *Ioan.* 10. *Luc.* 10. *Luc.* 2. *Gin.* 43. *Mar.* 14. *Mat.* 28. *Mald.*

Quæst. 6. *An Aue ad gaudium referri possit?*

Resp. Quemadmodum χαῖρε significat etiam *gaude*, sic Latinum *Ave* idem denotat. Nimirum iubebat Virginem Angelus χαίρειν *gaudere*, lætari, non timere, bono animo esse: hoc enim etiam Hebraicum *Salom lach* designat. Volebat enim Gabriel ostendere se bonum, non malum Angelum esse, & non inimicum, sed amicum venire: non triste sed lętum adferre nuncium. Atq; ita exponunt, inter alios, D. Basilius Homil. de Christi human. gener. Nyssenus orat de Natiuit. Dom. Euthymius Lucę 1. χαῖρε. siue *gaude*, inquit, *vtpote inter omnes Virgines, in Dei Matrem electa*. Eadem voce, authore Petro Chrysologo, *serm. de Annuntiat.* insinuatur gratulatio, & ob sequij significatio, qualem decebat Reginæ cœlorum à cœli ciue, & inde misso Oratore fieri, quasi diceret, Gaude, gratulor Tibi, Domina, & gaudeo. Deum Archangelo Gabrieli sic loquentem introducit Chrysologus: *Veni Angele, & in graui arcanoque mysterio obsequium tuum exhibe: in hoc miraculo mihi ministra. Equidem misereor Adæ, qui in peccatum lapsus miserè periit, & paradiso exclusus est exul, & errabundus in fauces lupi incurrit. Decreui igitur descendere, vt illum quæram, & inimicum eius comprehendam. Hoc arcanum nulli cœlestium virtutum pando, nisi tibi. Itaque vade ad Virginem MARIAM, & annuntia ei secretum, vt mihi in terris præparet habitaculum. Noli autem illi terrorem inferre, sed prima salutationis verba sint, quæ gaudium sonent, Aue gratia plena.* *Mald. Spinel. Thro. cap. 4.* *Lucæ 1.*

Quæst. 7. *An in Salutatione Angelica idem sit Ave, quod Salue?*

Resp. Contendunt quidam, Græcũ χαῖρε, & Latinum Aue, idem quidem significare quod *gaude*, nõ tamen, quod Salue. Siquidẽ nõ videtur rationi consentaneũ, vt Angelus precatus sit ei salutem, quam sciebat saluã, & gratia plenam. Nihilominus potest Græcum Latinè verti, Salue Non quòd Angelus precatus sit ei salutem, quam sciebat Matrem Saluatoris futuram, sed quod salutem per eam annunciaret futuram. Ac si dixisset, Salue. Ex te est Salus mundi futura. Tu vitam, & salutem perditis restitues. Tu salutis Authorem generabis, Salue id est, in te est omnis salus, & vita. Ita vt aduerbium *Salue*, sit congratulationis. Gratulor tibi salutem, quæ est in te, & ex te procedet. Et sanè frequentissimè etiam nunc Ecclesia Catholica oecinit, Deiparam salutans: *Salue sancta Parens, enixa puerpera Regem.* Non, quod precetur salutem ei, quam credit æterna salute, & felicitate gaudere, & eam nunquã amissuram, nec posse amittere:

sed quod in memoriam credentium reuocet Salutationem, qua Angelus est vsus. Item congratulatur Ecclesia Gloriosæ Virgini, quod æternã salutẽ habeat: quod sit ad æternã felicitatem euecta: quod genuerit eũ, qui fuit sempiternæ salutis auctor. Itaq; Cælicus Orator *à salutatione incœpit*, vt loquitur Augustinus serm. 17. de Natali Domini, *& salutem in lingua portauit*. Nam vocem qua vsus est Angelus, fuisse salutantis, ipsemet Euangelista confirmauit, scribens: *Cogitabat qualis esset ista Salutatio*. Hinc est quod Christiani omnes primã Annunciationis partem nuncupent Angelicam Salutationẽ. Et Ecclesia ad salutandam Virginem Matrem indiscriminatim vsurpet in hymnis, antiphonis, odis, ac versibus Ave, & Salue.

Quæst. 8. *An in vocula Ave delitescat mysterium, quod non ita exprimitur per Salue?*

Risp. Est pium credere diuino adflatu Interpretem Latinum transtulisse Græcum χόκρε, non in *Salue*, vel *Gaude*, sed in Ave, vt indicaretur, sanctissimã Virginẽ MARIAM primæ parentis nomẽ, quod est Eua, ac proinde, quas in mundum inuexit calamitates, in perpetuam felicitatem transmutasse. Dum enim inuersis litteris Eua migrat in Aue, illi primæ fœminæ opponitur MARIA: quod illa principiũ fuerit mortis, ac miseriæ, hæc salutis, & gaudij. Ac sicut primum verbum contra Euam prolatum illud fuit. *Multiplicabo ærumnas tuas*, Genesis 3. 16. Sic primũ verbum MARIÆ allatum gaudij fuit index. Illa deniq; maledictionis: hæc omnis benedictionis parens fuit, & scaturigo. De quo scribit Fulgentius serm. de laud. Virg. *Cùm dixit Angelus Aue, ostendit ex integro iram exclusam primæ sententiæ, & plenæ benedictionis gratiam substitutam*. Quæ quidẽ obseruatio, Virginis clientibus non est aspernãda, quippè quam Ecclesia Latina vniuersa approbat, ac retulit in Officium diuinum de Domina, cui illi decantat.

Gen. 16

Ave maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta,
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Et alio in hymno:

Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine,
Intrent vt astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.

Nec est infrequens antiquis Ecclesiæ Doctoribus, ac Sanctis Patribus hæc contemplatio

A de commutatione vocabulorũ Aue & Eua, dum considerant Euam sua infideltate, ac inobedientia, se totamq; posteritatem perdidisse: MARIAM verò, fide & obedientia omnia instaurasse. Clarissimè Irenæus libr. 3. c. 33. postquam comparasset Christum cũ Adamo, per antithesim, aliam collationem sic proponit: *Sicut Eva inobediens, & sibi, & vniuerso generi humano causa facta est mortis: sic MARIA Virgo obediens, & sibi, & vniuerso generi nostro causa facta est salutis.* Et mox. *Malè seducta est Eva, benè euangelizata est Virgo MARIA. Illa per Angelicũ sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius. Hæc per Angelicum*
B *sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo.* Non minus apposite *S. Augustinu:* serm. 2. de Annũciat. qui est 38. de Sanctis. *Mater generis nostri pœnam intulit mundo. Genitrix Domini nostri salutem edidit mundo. Auctrix peccati Eua: auctrix meriti MARIA. Eua occidendo obfuit: MARIA viuificando profuit. Illa percussit: ista sanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia compensatur.* Adde, quod sicut Serpens veterator Euam alloquio suo pertraxit in abyssum omnium calamitatum, veram felicitatem auferendo, veram pacem, verumque; gaudium: ita Angelus pacis proferens felicissimum
C Ave nunciauit Virgini omnem benedictionẽ, omneque cum pręseruatione, à quolibet maledicto gaudium: adiungens obsequij famulatum, venerationem, submissionem, officiosissimam deniq; de tanta dignitate gratulationem, quod Dei Mater, atque omnium Domina creaturarum, velut Mancipiorum, esset diuinitus constituta. Similes MARIA, & Evæ oppositiones habent *Chrysost.* hom. de interdicto arb. *Iustin* colloq. cum Tryph. *Bernar.* serm. super signum magnum. *Tertull.* lib. de carn. Christi. *Augustin.* serm. 15. de Tempore.

Quæst. 9. *An, & quomodo, per gratulatorium Avæ, multiplex væ à Virgine amoueatur?*
D

Resp. Latini quidam Ecclesiastæ: ita commentantur, dum vocabulum Ave exponunt, ac si in ea, A esset particula priuatiua, & Ve coniunctio, vt idem sonet *Ave*, quod sine *væ*. Reuerà Beata Virgo MARIA fuit sine omni *væ*. Nã fuit sine væ peccati originalis, lęthalis, venialis. Fuit sine *væ* communi omnibus hominibus, in quibus appetitus sensus præuertit, perturbat, & pertrahit ad se aliquando rationẽ, dũ caro concupiscit aduersus Spiritũ. Fuit sine *væ* cõmuni omnib⁹ fœminis, quæ vt infirmæ, ignaræ, effrænes sub potestate, & dominio viri vapulãt. Fuit sine

væ

væ communi matribus, quæ cũ labore, onere, ac moleſtia vterum geſtant, cum dolore pariunt, cum tędio nutriunt. Fuit ſine *væ* ingredientium in hunc mundum, qui concipiuntur, & naſcuntur filij iræ, cùm immunis fuerit, ac libera à peccato originali. Fuit ſine *væ* agentium in hoc mundo, vbi ſaltem venialì polluuntur macula. B. Virgo ſingulari priuilegio, peccato veniali caruit, *ex Triden tino ſeſſ. 7. c. 23. & S. Auguſt. lib. de natura, & gratia.* Fuit ſine *væ* egredientium de hoc mundo, quorum corpus in cinerem redigitur, & à vermibus abſumitur: B. Virginis incorruptum corpus ſemper permanſit. In hũc ferè modum philoſophantur, *Albertus Mag.* ſuper *Miſſus* c. 49. *Ægidius* ſuper *Salut. Angel. Bernardinus de Buſto* eod. tit. *Bonauent.* in Speculo Mariano cap. 2. *Antoninus* 4. part. tit. 15. cap. 13. §. 4.

Quæſt. 10. *Quid ſignificat gratia plena?*

Reſp. Quòd Græcè eſt κεχαριτωμένη, Latini omnes Patres antiqui, quan conſpiratione, aut potius inſpiratione quadam diuina, *Gratia plena* reddidere. SS. *Ambroſius* in Lucam, *Auguſtinus* in Enchiridio cap. 36. & ſerm. 13. 14. 15. 18. & 21. de tempore, *Hieronymus* in epiſtola ad Principiam Virginem, *Sophronius*, aut illi ſuppar Auctor ſermonis de Aſſumptione B. MARIÆ *Euſebius Emiſſenus* homilia in *Miſſus eſt Angelus*: ſicque omnes poſteriores Patres; omnes Euangelici Codices; vſque ad libri perdas duos Eraſmum, & Vallã, ac teterrimos Lutheri, & Caluui ſectatores habuerunt, nec aliter. Iſti antiquitatis hoſtes, nouitatis fabri optimam exoſi verſionem, dum meliorem ſuo iudicio quærunt, peiorem intruſerunt, nõ ſolùm vnam, ſed penè tot, quot apud illos ſunt capita. Alius *gratioſam*, alius *gratam*, alius *charam*, alius *dilectam*, alius *gratiam cõſequutam*, alius *in gratiam receptam*, alius *gratis iuſtificatam*, alius *gratis dilectam* interpretatur. Hoc faciunt, vt Latini veteris, ac vulgaris apud Catholicos Interpretis odioſãm efficiant verſionem, & cùm in quærendis vocabulis laborant, ac tricantur, nihil magni, nihil eximium, nihil ſingulare B. Virgini, hoſtes Mariani tribuant. Et tamen Angelus ſingulari ſalutatione vtitur, & ſingulare quidpiam in illa fuiſſe indicat: exquiſitam que loquendi formulam vſurpat, vt ſupra vulgaria omnia in ea eſſe Dei dona ſignificet. Nec verum eſt, quòd obijciunt aduerſarij, participium Græcum ſolum ſignificare *gratioſam*, *charamque*, non *plenam gratia*. Nam illud quo vſus eſt Lucas ſignificat gratiæ abundantiam, & plenitudinem, vt explicat *S. Athanaſius* homil. de Deipara, & *Epiphanius* hæreſi 78. deducta nimirũ voce

A à χαριτόω, quod vberiorẽ gratiã deſignat, vt perpẽdit S. Chriſoſt. hom. 1. in c. 2. ad Epheſ. *Epheſ. 2.* Quamobrẽ indicat Cæleſtis Orator, in Sponſa quã alloquebatur, gratiæ plenitudinẽ, non qualẽ ceteri vllì ad id tẽpus homines habuiſſent; ſed longè maiorẽ, & Matre Dei futura dignam, vno Deo, qui ex ea naſciturus, minorẽ. Quod Syriacus textus confirmat, in quo legitur gratia plena, *Selam lechi maliath tabutha*: Pax tibi, ò plena gratia, aut *rachimta*, gratioſiſsima, ſeu acceptiſsima. Salutauit autẽ Angelus Virginẽ Angelus vulgato Iudęæ tẽporis illius idiomate, quod erat Syriacum. De quo copioſiùs Scripturæ Interpretes, *Ioan. Maldonatus*, *Sebaſtianus Barradi*, B *Vincentius Regius*, *Adamus Concen*, Luc. 1. *Lucæ 1.* *Delrio* Serm. 4. in feſto Annunciat. *Iacobus Gretzerus* Tom. 1. defenſ. *Bellarm.* libr. 1. c. 12. Illud perridiculum eſt, quod in Anglia Miniſter verbi non dubitauit pro Concione dicere, deindeq; typis vulgare: Septuaginta Interpretes, & meliora Græcorũ exẽplaria non habere illa verba, *Gratia plena*, ſed pro ijs habere κεχαριτωμένη: Nimirum ducẽtis ante Deiparam natam annis mortui 70. illi Doctores non habuere in lingua Græca Veteris Teſtamenti, verba illa Latina, quæ nunc legũ- *Fitz. Sim. in* tur in Nouo, *Gratia plena*, Tam eruditis *Brit. lib.* Verbi buccinatoribus creditur in Anglia. *2. cap. 1.*

C Quæſt. 11. *An plus ſit plenam eſſe gratia, quàm Spiritu Sancto?*

Reſp. In Sacra Scriptura multos dici plenos, vel repletos Spiritu Sancto, vt Ioannem Baptiſtam, Lucæ 1. 5. Elizabeth, Luc. 1. 41. Zachariam, Lucæ 1. 67. Apoſtolos Actuum *Lucæ 1.* 2. 4. Petrũ Act. 4. 8. Omnes illos qui congre- *Act. 2. 4.* gati erant Ieroſolymæ Act. 4. 31. Septẽ pri- *6. 7. 9.* mos Diaconos, Act. 6. 3. 5. Stephanũ Act. 7. *11. 13.* 55. Paulum Act. 9. 17. & 13. 9. Barnabã Act. 11. 24. Diſcipulos omnes Apoſtolorum Act. 13. 52. Non legitur autem alius, prẽter MARIAM, plenus gratia, quàm Sthephanus Act. 6. 8. Quocirca aſſerere oportet inter *Act. 6.* MARIAM & cęteros Sanctos, qui Spiritũ D Sancto fuiſſe pleni dicuntur, aliquid in illa ipſa plenitudine fuiſſe diſcriminis, cùm illi Spiritu Sancto, nõ gratia; MARIA, non Spiritu Sancto, ſed gratia plena dicatur. Multorũ opinio eſt, inquit accuratus Lucæ explanator *Ioannes Maldonatus*, ſonum potius vocũ, quàm Scripturæ vſum conſiderantium, plus quiddã eſſe Spiritu Sancto, quã gratia repleri. Sed contra, vt ſentiã Scripturæ conſuetudo facit, quæ, dũ multos Spiritu Sancto, paucisſimos gratia repletos fuiſſe docet; haud obſcurè ſignificat, tanto maiùs, quantò rariùs, hoc eſſe, quàm illud. Non quod Spiritus Sanctus, qui fons atq; auctor eſt gratiæ, gratia ipſa minor ſit; maiorem enim, vt effectu cauſam, vt creaturã Creatorem eſſe neceſſe

est: sed quod qui Spiritu Sancto impleri dicuntur, non ipso Spiritu, sed dono aliquo Spiritus, quod ipse foris in faciendis signis, aut alia re quapiam mirabili ostendat, dicantur impleri. Qui verò gratia, non dono tantùm aliquo, sed & gratia iustificante, & omnium donorum largitate quatenus, humana natura capit impleri intelligatur.

Quæst. 12. *Quomodo proprium sit B. Virgini esse plenam gratia?*

Resp. Non est necesse, vt omnes qui gratia pleni fuisse dicuntur, parem gratiam habuerint, vel habeant. Nam sicut in naturalibus, plenus aqua fons dicitur, & plenus fluuius, & plenus riuulus, etsi plus aquæ sit in fonte, quàm in fluuio, & in fluuio, quàm in riuulo. Sic in supernaturalibus, Christus *plenus gratiæ* dicitur Ioannis 1. 14. sed vt fons gratiæ: MARIA *gratia plena*, sed vt fluuius fonti proximus, qui etsi minus, quàm fons gratiæ habet, pleno tamen fluit alueo: Stephanus *plenus gratia* dicitur, sed tanquã riuulus. Item, in Christo extitit gratia, vt in capite: in MARIA, vt in collo capiti proximo: in alijs, vt in membris. Est enim Ecclesia corpus mysticum, cuius Caput est Christus: Collum Capiti coniunctum Deipara: membra Iusti reliqui. Ex capite gratia deriuatur per collum in membra. Ex quo pater, quomodo proprium sit Beatæ Virgini esse gratia plenam. Hæc omnium veterum Patrum sententia est nominatim, *S. Ambrosij* Lucæ 1. *Emisseni* in hæc verba *Missus est Angelus Gabriel. Chrysologi* Serm. 142. *Bedæ* hom. 3. de B. Virgine, *Ruperti* libr. 6. in Cant. licet diuersa vtantur verborum circumloquutione.

Ioan. 1.

Luc. 1.

Quæst. 13. *Quomodo B. Virgo gratia plena dicatur quoad effectus?*

Resp. Gratia Dei tres potissimum effectus in anima operatur. Primus est, quòd peccata deleat, quæ, vti maculæ, animam defœdant. Secundus, quòd donis, virtutibusque eandem animam exornet. Tertius, quòd robur etiam suppeditet, vt operibus meritorijs insistat? Diuinæ Maiestati imprimis placentibus. Domina nostra *Gratia plena est*. Nam quod ad primum effectum attinet, nullius peccati macula nec originalis, nec actualis, nec mortalis, aut venialis infecta fuit. Quod verò ad secundum, habuit illa virtutes omnes dona que Spiritus Sancti in altissimo gradu. Quod denique ad tertium, exercuit illa opera adeò Deo grata, ac meritoria, vt quoad animam & corpus digna fuerit omnes choros Angelorum transcendere.

Catech. Bellar.

A Quæst. 14. *Quomodo amplior fuerit B. Virginis gratia, quàm quorundam Sanctorum, qui etiam fuerunt pleni gratia?*

Resp. Tametsi aliqui alij Sancti fuerũt pleni gratia, nihilominus ampliore Domina N. gratiam illis omnib⁹ habuit. Quia sic à Deo, vt maioris gratiæ capacior redderetur, quá reliqui Sancti, facta est. Quod exemplo patet, Sint, V. C. multa vasa, vnũ altero maius, ac capacius: hæc si impleantur balsamo, omnia plena erũt: & nihilominus in vno plus erit, in altero minus balsami. Cuius ratio est, quia Deus homines capaces maioris, minorisq; gratiæ facit, pro qualitate officiorũ, quæ in singulos distribuit. Quia verò officiũ maximũ, quod vnquã creaturæ cuiquam datũ, est esse Matrẽ Dei, ideò Mater Dei capacior facta est, & maiore gratia, quàm vlla vnquam Creatura, impleta.

Catech. Bellar.

B

Quæst. 15. *An per Gratiam, qua plena fuit B. Virgo cum salutaretur ab Angelo possit intelligi Christus?*

Resp. Sunt, qui gratiæ plenitudinẽ interprætantur in Virgine habitationẽ Christi, *in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter: & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Vt dicitur ad Colos. 2. 3. 9. ita *S. Heron.* epist. ad Principiam, *Sophroni⁹* serm. de Assumpt. B. V. *August.* in Enchiridio c. 36. *Emissenus* in Missus est, *Petrus Damianus* serm. 3. de Natiu. B. MARIÆ, *Bernardus* hom. de laud. B. V. Horum alij, quia iam concepisset; alij, quia mox cõceptura Christũ erat, gratia plenã vocari putant. Illorũ sententia est probabilior. Neq; enim Angelus, qualis, cũ Christũ concepisset, futura esset, sed qualis iam esset, illi voluit significare. Et nondũ MARIAM concepisse, cùm hæc illi Angelus dixit ex subsequentibus est manifestũ. Et Græcum verbũ κεχαριτωμένη, quod gratia plenã reddit Interpres præteriti est tẽporis. Itaq; cùm de conceptione agitur, perspicuè Angelus docet, nondũ concepisse, sed concepturã esse; cum de gratiæ plenitudine, non implendam fore, sed plenã iam esse dicit. Adde, si idcirco *Gratia plena* diceretur, quòd Christo in vtero concepto plena esset, postquam peperisset, Christo plena esse desijsset. Quod meritò Athanasius in oratione de S. Deipara, tanquam absurdum refellit. Quomodo igitur per Gratiam, qua iam tunc plena erat MARIA Christus intelligitur? Nimirum Christum Deũ prius mente cõceperat, quam hominẽ ventre: maioris autem meriti fuit, Deũ animo, quã corpore concipere, Christo ipso teste, qui mulieri acclamãti, *Beatus vẽter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*, respondit, *Quinimò, Beati qui audiunt Verbum*

Coloss. 2.

C

D

bum Dei, & custodiunt illud, Lucæ 11. 27.

Quæst. 16. *An gratia, quà plenam Virginem dixit Gabriel, aliud quàm Christum vel conceptum, vel concipiendum per commodi significet?*

Mald. Ambr. August. Beda.

Resp. Sensu, quem præfert Salutatio Angeli, propriè non dicitur Diua Virgo *Gratia plena*, siue quod concepisset, siue quod conceptura esset Christum; sed quia ipsa in se, quamuis non ex se plena esset Gratia. Qua quidem digna facta est, vt Christum conciperet. Licet eam tam plenam, tamque abundantem gratiam, nisi conceptura Christum fuisset, non habuisset. In hunc enim illi vsum data est Gratiæ plenitudo, vt idonea Christi Mater efficeretur. Id hac ratione euincitur. Non implenda, sed plena iam gratia vocatur MARIA: Christum autem nondum conceperat, sed conceptura erat. Ergo non vocatur Gratia plena, quòd iam concepisset, aut quòd conceptura Christum esset.

Quæst. 17. *Quænam complectatur Plenitudo gratiæ Marianæ?*

DD. Scholas.

Resp. Plenitudo Gratiæ, quæ fuit in Virgine, consistit in multis. Primò, quia est gratia plena plus quàm omnes Angeli, & Sancti. Vnde Auctor Sermonis de Assumptione dicit: *Benè* gratia plena, *quia ceteris per partes præstatur gratia. MARIÆ verò se tota infudit plenitudo gratiæ.* Et mox. *In Sãctis Patrib⁹, & Prophetis gratia fuisse creditur, nõ tamẽ eatenus plena. In MARIAM verò totius gratiæ, quæ in Christo est plenitudo venit, quamuis aliter.* Secundò. Fuit plenitudo gratiæ in ea. Quia cum tria sint, quæ vel gratiæ opponũtur, & expellunt, vel charitatis, quæ semper gratiã comitattur, feruorem minuunt: videlicet originale, & actuale, mortale peccatum: quæ duo cum gratia consistere non possunt; & veniale, quod charitatis feruorẽ minuit, B. Virgo habuit Gratiam ab omni contrario repugnante, & retardante alienam. Nam omni peccato, originali, lęthali, veniali caruit. Tertio. Quia ita fuit in gratia confirmata, vt pugnam carnis cum spiritu, sensus cum ratione, nunquam senserit: affectus animi, qui in ceteris hominibus rationem aliquando præcurrunt, & interdum perturbant, imò non nunquam ad se pertrahunt, in Virgine Beata ita fuerunt singulari Dei priuilegio frænati, ac repressi, vt nunquam rationem præuerterint, perturbarint, vel à bono deflexerint. Quartò. Quoniam semper in bonis Gratiæ operibus crescebat: in omni opere, verbo, cogitatione merebatur. Iusti ceteri non sic. Aliquãdo stant, nec vltra procedunt. At B. Virgo semper proficiebat in meritis, ac bonis operibus charitatis: nunquã cessauit à bono opere. Quintò. Quoniam singulari Dei beneficio norat se esse in bono Gratiæ confirmatam: non quomodocumque, sed ita vt sciret se nunquam lęthaliter, vel venialiter peccasse, aut peccaturã. Sextò. Quoniam cum Gratia habuit virtutes omnium Sanctorum, imperfectione qualibet demptà. In Virgine Sancta fuit Fides Patriarcharum, Spes Prophetarum, Charitas Apostolorũ. Fortitudo Martyrum, Pacientia ac Constantia Confessorum, Prudentia Præsulum, Temperantia, & Sobrietas Continentium, officiosa Obedientia Religiosorum, Castimonia Virginum, tacita, ac secreta Humilitas Monachorum, voluntaria Paupertas Eremitarum, Mansuetudo Paruulorum, Fæcunditas Coniugatorum, Religio Viduarum, Puritas Angelorum. Septimò. Quia tanta erat eius Gratia, vt non solùm in se Virginitatem immaculatam seruaret, sed etiam, si quos inuiseret, ijs integritatis insigne cõferret. *S. Ambrosius lib. de instit. Virgin. cap.* 7. Nimirum, qui eam intuebantur, non nisi ad castitatem, & pudicitiam stimulos sibi admoueri sentiebant. *S. Thomas in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncula* 3. *Gabriel quæst.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. Imò, eam si quis aspiceret motus libidinis in se extingui animaduertebat. *Alensis* 3. p. q. 9. m. 3. ar. 1. *S. Bonauent. in* 3. dist. p. 1. art. 2. q. 3. Octauò. Quia in ea cum Gratia, singulæ virtutes ad summum perfectionis peruenerant, quale quidem puræ creaturæ conuenire potest. In reliquis Sanctis hæc, aut illa virtus vsu, & functione operis excellit. At in Virgine glorioſa singulæ fuerunt consummatæ, ac omnibus suis numeris perfectę. Nonò. Quia primo temporis momento, quo fuit concepta in vtero matris, liberum rationis vsum habuit in his, quæ pertinent ad Dei cultum, & meritum bonorum operum. *S. Bernardinus serm.* 51. *de B. Virgine, Caietanus* 3. *p. q.* 27. *art.* 3. *Viguerius in Instit. Theol. c.* 2. §. 3. *v.* 9. Vnde in eo ipso punctulo temporis, Gratiam, & sanctitatem accepit per liberũ voluntatis consensum, quo se præparauit ad gratiã recipiẽdam. Decimò. Quia Gratia MARIÆ, fuit gratia matris Dei, ac proinde penè infinita. Tria sunt, quæ habent quandam infinitatem in rebus creatis. Visio clara Dei, qua fruuntur Beati cęlites. Non potest esse visio meliores obiecti. Natura humana Christi. Non potest esse natura melioris, aut maioris personæ: quia est natura susceptа à Deo in vnitatem personæ. Mater Dei. Non potest esse Mater melioris, aut maioris filij. Habent itaq; hęc quandam infinitatem. Ac ideò decuit (teste Anselmo lib. de Concept. Virg.) vt Mater Dei ea puritate (quæ gratiam designat) niteret qua sub Deo maior intelligi nequeat.

Quæst.18. *Quotuplex sit Plenitudo Gratiæ Marianæ?*

Resp. Esse multiplicem, secundùm varias distinctiones, ac descriptiones, quas Theologi inuenerunt, inter quas sunt, quæ sequuntur. Prima plenitudo est, *Sufficientiæ*, respectu muneris, ac dignitatis, ad quam fuit electa. *S. Thom. 3. p. q. 7. art. 10. ad 2. & Opus. 60. art. 6.* Continet hæc Plenitudo Gratiam sanctificantem, virtutes, dona, ac fructus Spiritus Sancti; necnõ reliqua, si quæ supersunt ornamenta, quæ Matris Dei dignitatem deceant, ac, vt idonea redderetur ad meritum tanti muneris. Est hæc Gratia sufficientiæ Marianæ, maior, quàm sufficientiæ reliquorum Sanctorum. Secunda est *Plenitudo Prærogatiuæ*, S. Bonauen. *3. sent. dist.* 13. q. 3. Quis autem Prærogatiuas Marianas enumeret? Tertia est *Abundantiæ*, S. Thom. Opus. 60. art. 6. quam B. Virgo in conceptu Filij consequuta est. Quarta est *Excellentiæ*, quæ in Deipara fuit talis, ac tanta, vt humanam æstimationem superet. Quinta dicitur *Subiecti.*, siue respectu subiecti, S. Thomas 3. p. q. 7. art. 10. *Ex parte subiecti gratiam habentis dicitur*, Plenitudo gratiæ, *quando quis habet plenè gratiam secũdùm suam conditionem, siue secundùm intensionem, prout in eo est intensa gratia, vsque ad terminum ei præfixum à Deo: siue etiam secundùm virtutem: in quantum scilicet habet facultatem ad omnia quæ pertinent ad suum officium, siue statum. Et talis gratiæ plenitudo, nõ est propria Christo, sed communicatur alijs per Christum.* Quomodo autem Plenitudo gratiæ ex parte subiecti, in Virgine Matre superauit gratiam, & Plenitudinem aliorum Sanctorum; declarant varijs similitudinibus Patres, in sermonibus habitis in festo Annunciationis, & Scholastici, in disputationibus de mysterijs Christi, ac Dominæ. Sexta. *Plenitudo* nominatur *Gratiæ totalis*, iuxta modum loquendi S. Hieronymi, aut Sophronij, Sermone de Assumpt. *Cæteris Sanctis gratia præstatur per partes: MARIÆ verò tota se infudit gratiæ plenitudo.* Per partes gratiæ intelligimus in primis iustificantem: tum virtutes infusas: adhæc, gratias gratis datas, quas Apostolus enumerat 1. ad Corinth. 12. Quas vtrùm, & quomodo omnes totaliter habuerit Deipara, disputant Theologi. S. Tho. 3. p. q. 27. art. 8. ibidemq; Suarez, Vasquez, Valentia, & alij. Septima. Nuncupatur *Plenitudo gratiæ operatricis.* S. Thomas *opusc.* 8. vbi docet, Virginem sanctam plenam fuisse gratia pro se, & plenam pro nobis, per operationem in nos deriuatam. Octaua. Vocari potest *Plenitudo immensa.* Sumitur ex Eusebio in Euangeliũ de Annunciatione. *Quis vnquam*, inquit, *tãtam gratiam habuit, quantam MARIA Virgo? Alijs enim ad mensuram datur. Hæc autẽ Gratia plena dicitur.* Nona. Appellatur *Plenitudo gratiæ priuilegiata*: nempe priuilegijs omnium Sanctorum cincta. S. Thom. 3. p. q. 37. art. 1. *Rationabiliter credimus, quòd illa, quæ genuit vnigenitum plenum gratiæ, & veritatis præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit.* Decima. Dici potest *Plenitudo Angelica.* Habuit Domina N. quicquid Angeli, & plus quàm Angeli, gratiæ, charitatis, meritorum. S. Chrysostomus homil. in hypapan. Magnum reuera hæc Virgo mundi miraculum. Ecquid enim in hac rerũ vniuersitate queat maius, aut sublimius reperiri? Sola hæc cœlum, & terram amplitudine superauit. Quid nam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim; non aliud denique inter res creatas visibiles, vna hac excellentiùs reperitur. Vndecima. Indigitetur *Super-Angelica.* S. Epiphanius, orat. de laud. B. V. *Solo Deo excepto cunctis superior existis.* Andreas Cretens. Orat. de Assump. *O Virgo Regina omnis humanæ naturæ, quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem, excepto Deo solo. Tu es omnibus altior.* D. Anselm. de Concep. Virg. *Nihil tibi Domina est æquale, nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te. Quod supra te est, solus Deus est. Quod infra te est, omne quod Deus non est.* Duodecima. Est superiori gemina, *Plenitudo Excessiua*, Excessit enim Deipara omnem omnium Sanctorum Gratiam, quamuis in circulum vnum contectam. Legendi *Franciscus Suarez 3. p. dup. 18. sect. 4. Henricus Henriquez de fine hominis cap. 10. Sebastianus Barradas, tom. 1. lib. 6. capit. 10. Ioannes Carthagena de Arcanis Deiparæ lib. 5. hom. 7. Antonius Spinellus in Throno cap. 13. Petrus Hamerius Conc. 17. in Aduen. S. Bonauentura Opuscul. de laud. B. V.* vbi exprimens illud *Ecclesiast.* 14. In plenitudine Sanctorũ detentio mea: *sic scribit*: Ex doctrina S. Bernardi: *Ideò in* Plenitudine Sanctorum detentio MARIÆ fuit; *quia in mirifica perfectione sua*, Plenitudo *perfectionis omnium Sanctorum illi non defuit.* Salmerõ tom. 3. tract. 5. Toletus Annot. in Lucæ 1. Francis. Costerus in Salut. Angel.

1. Co. 12.

Ecclesiast. 14

Quæst.19. *Quis sit sensus verborum*, Dominus tecum?

Resp. Quidam illa sic intelligunt, quasi Dominus cum B. Virgine dicatur esse, quia Christus iam conceptus esset in vtero Virginis. Sic videtur intellexisse S. Hieronymus, seu Sophronius, orat. de Assumpt. & S. Bernard. hom. de laudib. B. Virgi. Ita vt ad

Interp. SS. var.

verba

verba illa, *Dominus tecum;* statim, *Verbum caro factum sit.* Ceterùm, non admodùm cõuenit cum Euangelij littera iste sensus. Nam B. Virgo post salutationem dixit: *Quomodo fiet istud?* nempè, quia nondum erat factum. Et Angelus etiam dixit: *Ecce concipies in vtero:* ac *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ergo nondum conceperat? Denique B. Virgo dixit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Expectabatur enim consensus Virginis, vt docet S. Ioannes Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa, cap. 2. & S. Gregorius lib. 18. moral. cap. 17. Quare alij exponunt, *Dominus tecum*, quia concipies in vtero Dei filium. Qui sensus absurdi nihil continet. Siquidem subticetur ab Angelo verbũ, & potest intelligi verbum futuri temporis, *erit:* quia concipies eũ in vtero. Nihilominus planissimus videtur sensus, *Dominus tecum*, videlicet, *est*, per plenitudinem, & abundãtiam gratiæ, quam adepta es. Sic verba, *Dominus tecum*, illorum præcedentium *Aue gratia plena*, post sunt dici explicatio, & eodem modo intelligi, vt Dominus per illam gratiam, qua plena esse dicitur, spiritualiter in illa sit.

Quæst. 20. *An verba*, Dominus tecum, *sint precantis, vel adfirmantis?*

Resp. Verba illa non esse Angeli precantis, aut optantis, vt Dominus sit cum B. Virgine; sed enuncian tis, & adfirmantis, quod sit in illa. Leguntur eadem verba, & ab Angelis alijs dicta esse hominibus nonnullis, Iudicũ 6. 13. & alijs hominibus ab alijs dicta, vt Ruth 2. 4. sed dicta sunt vel precando: precabatur enim Booz mesloribus suis, precari poterat Angelus Gedeoni, vt Dominus cum illis esset: nempe, in auxilium, & adiutorium: vel etiam enunciando: *Dominus tecum virorum fortissimè*, aiebat Angelus ad Gedeonem, & intelligi potest verbum *sit*, aut *est*. Priore modo votum fuit, & optatiua oratio. Posteriore autem enunciatio, & affirmatio. At Beatæ Virgini dicta sunt non optatiuè, vt sit cum ea in auxilium; sed enunciatiuè, Dominus tecum est, per abundantiam gratiæ, & sanctitatis. Sed enim Augustinus serm. 18. de tempo. vtrumque iungit: *Aue gratia plena Dominus. Dominus*, inquit, *tecum, sed plus quam mecũ. In me licet sit Dominus, me metipsum creauit Dominus: per te autem genitus est Dominus. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo: adimpleat mentẽ tuam, adimpleat carnem tuam.*

Iud. 13. *Ruth.* 2

N. Sera quæst. 6.

I. Mal. Luc. 1.

Quæst. 21. *Quomodo semper peculiariter Dominus fuerit cum MARIA?*

Resp. Per verba illa, *Dominus tecum*, significatur, Dominum Deum, ab initio Conceptionis Virginis assistendo illi, gubernando illam, instituendo, & defendendo, perpetuò cum ea fuisse. Vnde natum est, quod nũquam peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiserit. Quare Deus non solùm ornauit Sanctissimam Virginem omnibus gratijs, sed etiam cum ea, tanquam custos thesauri magni degere voluit.

Catech. Bellar.

Quæst. 22. *Quem sensum habent verba*, Benedicta tu in mulieribus?

Resp. Quidam sic exponunt. Dignissima es, vt lauderis præ omnibus mulieribus, id est, plus quàm omnes mulieres. Reuera in Sacris litteris participia præteriti temporis, more Hebræo, sumuntur nonnunquam pro nominibus Latinis, quæ terminantur in *bilis*. Sermo Hebræus dicit: *Laudatus, prædicatus, reprehensus*, pro eo quod Latinus, *laudabilis, prædicabilis, reprehensibilis*. Atque ita *benedicta* dicitur, digna: cui omnes benedicant, id est, quam laudent, ac prædicent. In Scriptura Diuina, Deus benedicit homini, & homo benedicit Deo; & homo benedicit homini. Deus homini conferendo in illum bona: homo Deum, laudando, & prædicando illum: homo homini, tum conferendo bona, tum etiam laudando illum. Melior est eorum sensus, qui hoc modo explicant: *Benedicta in mulieribus*, id est, omnium mulierum felicissima. Vel ita: Donata es à Deo muneribus, ac bonis plus quàm omnes mulieres, quia te elegit Deus in Matrem.

Interp. SS. var.

Quæst. 23. *An verba*, Benedicta tu in mulieribus, *sint precantis?*

Resp. Non esse precantis. Siquidem non precabatur Angelus vt à Deo MARIA benediceretur, sed iam benedictam annunciabat, ac declarabat. Quam enim maiorem illi benedictionem optare potuit, quàm vt impleretur gratia? Atqui iam gratia plena erat. Et sanè hæc tria: *Gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus*, cum eodem contextu, eodemque tenore dicta sint, debẽt eodem modo accipi. Duo autem præcedentia non optantis, aut precantis, sed annuntiantis, ac affirmantis sunt. Et hoc igitur tertium. Solet quidem aliquãdo *Benedictus* pro futuro poni, aut pro imperatiuo, vt Matthæ. 23. 32. *Benedictus qui venit in nomine Domini*: hoc est, benedicatur, aut benedicendus est: sed hoc non est perpetuum, vt quæst. præced. est declaratum: & his adiuncta cogunt id verbum aliquid exponere. Cùm enim de re præterita Angelus dixerit: *Aue gratia plena*, & *Dominus tecum*, consentaneum est, vt de re præterita etiam dicat, *Benedicta tu in mulieribus.*

I. Mald. Luc. 1.

Mat. 23

Quæst.

Quæst. 24. *An verba*, Benedicta tu in mulieribus *intelligenda sint, non de alia benedictione, quàm communi omnibus electis, Christo solo excepto?*

Mald. Luc. 1. *Resp.* Hoc est hæreticorum commentum, quod ipse sermonis contextus satis refellit. Cur enim dixit, *in mulieribus*, hoc est, præ omnibus mulieribus, vt illi ipsi interpretantur, nisi, vt singularem, non communem cum alijs benedictionem indicaret? Vt singulariter cum B. Virgine fuit Dominus, ita singulariter fuit benedicta, benedictione, quæ reliquarum benedictiones superet, & personæ illius excellentissimæ sit propria.

Quæst. 25. *Quæ benedictio potissimùm denotetur verbis illis*, Benedicta tu in mulieribus?

Mald. Luc. 1. *Resp.* In Sacra Scriptura benedictionis nomine, aliquando significatur filiorum copia, aut eorum procreandorum facultas, vt Genesis 1. 22. 27. & cap. 22. 15. interdum rerum omnium expetendarum affluentia, vt Genesis 24. 35. & cap. 27. 27. 39. & cap. 49. 25. nonnunquam humanæ laudes & faustæ acclamationes, vt Iudicum 3. 24. Sed his sepositis, dici potest per benedictionem, intellexisse Angelum eam, quàm paulò ante gratiæ plenitudinem appellauerat. Siquidem dona, quibus ornata erat Virgo Sanctissima; tum gratia, quia gratis illi à Deo concessa; tum benedictio, quia ex eius profecta liberalitate, meritò vocantur.

Gen. 1. 22. 24. 27. 46. Iudi. 3.

Quæst. 26. *An hæc benedictio in Salutatione Anglica referri possit ad prolis procreationem, ac fœcunditatem?*

Resp. Ita videri. Nam ijs verbis Benedicta tu in mulieribus, Angelus significare potuit, optimam Virginem, non solum fuisse plenam gratijs Virgini conuenientibus, sed illas insuper habuisse, quæ coniuges exornant, & fœminas maritis iunctas; vt absolutè mulieres omnes, siue quæ nunc sint, siue quæ futuræ sint, transcendat. Benedictio mulieris nuptæ, seu maritatæ, est fœcunditas, quæ Beatæ Virgini non defuit; quia filium peperit centum millibus filiorum preciosiorem. Potest etiam dici, eam Matrem infinitorum penè filiorum esse: quia boni Christiani omnes, fratres Christi sunt, & consequenter huius Matris filij, non quidem per generationem, & naturam, quomodo solus filius est Christus, sed per amorem, maternumque affectum, quem erga omnes induit. Vnde meritissimò dicitur in mulieribus omnibus benedicta; quia aliæ, aut Virginitatis lauream sine fœcunditate habuere, aut benedictionē fœcunditatis sine Virginitate. Hæc sola ex singulari priuilegio Dei, lauream Virginitatis cum summa felicissimaque fœcunditate, coniunxit.

Catech. Bellar.

Quæst. 27. *Cur non dicatur Beata Virgo benedicta inter homines?*

Resp. Non propterea, *in mulieribus*, id- *Mald. Luc. 1.*
est, inter mulieres, non inter homines benedicta esse dicitur, quod non præ omnibus hominibus, sed præ solis mulieribus benedicta sit: veruntamen quòd sancta MARIA sit mulier, & non soleat comparatio, nisi inter ea, quæ eiusdem generis sunt, neri.

Quæst. 28. *An, vt* Gratia plena, ita Benedicta in mulieribus, *vim habeant superlatiuorum?*

Resp. Omninò, ac idem esse, quòd gratia *Delr. Serm. 4. Annun.*
plenissima, & benedictissima. Cùm enim Syri, & Hebræi careant comparatiuis, & superlatiuis, quibus vtitur Latinus sermo, an in positiuo lateat vis comparatiui vel superlatiui, petendum est ex subiecta materia; & adiunctis causæ, de qua agitur. Salutabat autem Angelus Reginam Cœlitum, Dominam suam, cui nihil detractum veniebat, quod nō fuisset fidelis Legati, ac prudentis aulici; ergo non tantum dicere voluit gratam, & gratiosam, & gratiam consequutam, & benedictam, quæ iustis omnibus sunt communia, in positiuo; sed plenam gratia, seu plenitudinem adeptam, quod est, esse in superlatiuo gradu, gratiosissimam, acceptissimam, benedictissimam. S. Lucas autem, vt fidelissimus interpres, quo ad potuit, accuratissimè Angeli mentem nobis proponere voluit, ideoque rarum raræ gratiæ, vocabulum quæsiuit, & benedictionum cumulum verbulo indicauit, vt se dicendi modo Angelico, qui Syro vel Hebraico vsus fuerat idiomate, attēperaret, dixitque κεχαριτωμένη, & εὐλογημένη, *gratia plena, & benedicta*: Itaque dubitari non debet, vtrumque positiuum vim superlatiui habere, & supremum gratiæ, ac benedictionis gradum denotare, quem pura creatura conscendere, vberrimamque gratiarum ac benedictionum affluentiam, quam creatura possit capere.

Quæst. 29. *Quid indicant*. Et benedictus fructus ventris tui?

Resp. Indicant Sacratissimam Virginem, *Catech. Bellar.*
non solùm ex se ipsa omni honore dignam esse, sed etiam propter fructum vteri sui. Quemadmodum enim fructus arboreni ipsam

sam commendat, sic quoque gloria Filij in Matrem redundat. Et vti Dominus IESVS, non solùm est verus homo, atque inter homines benedictus, sed etiam Deus *benedictus super omnia*. S. Paulo teste, ita Mater eius, non solùm benedicta est inter mulieres, sed etiam inter omnes tam cœlestes, quàm terrestres creaturas.

Quæst. 30. *Quare Angelus in salutatione subticuerit nomen proprium MARIA?*

Pa. Hã. cõ. 16 Ad

Resp. I. An, quia cùm Oratoris munere fungeretur, τὸ πρέπον, postulabat, vt illud omitteret? Nec enim mos est, vt personam excelenti aliqua dignitate auctam proprio nomine compellamus, sed dicimus, *Sire, Domine, Sanctissime Pater, Maiestas tua, Celsitudo tua, Serenissime Princeps*. Ad hunc modum noluit Angelus primo statim congressu compellare MARIAM, sed decentius illi visum, addere verbis pondus, ac ei titulum dare omnium honorificentissimum, & gloriosissimum? Quod fecit dicendo, *Aue, Gratia plena*. Qui titulus ei propriè conueniebat præ omnibus, qui vnquam gratiam Dei habuerunt. Quamuis enim myriades aliquot Virginum fuissent in aula Nazarethica, tamen *Gratia plena*, non nisi MARIAM, cui κατ' ἐξοχὴν, per excellentiam conueniebat, designaret. Sic cùm Sapientem absolutè dicimus designamus Salomonem, cùm Apostolum, intelligimus Paulum, cùm Euangelistam, denotamus Ioannem.

Resp. II. An fortasse, quia loquebatur Angelus cum MARIA familiariter, tanquam cum cognata. Est enim *cognata Angelis Virginitas*, (vt dixit in hac ipsa re Hieronymus, serm. de Assumpt. dãs causam cur Angelus sit missus ad Virginem, non homo,) & agnoscebat sanè Gabriel MARIAM præ omnibus alijs Virginibus, vt cognatam: nẽpe, creatam in gratia, vt sunt Angeli, confirmatam in gratia, vt sunt Angeli, consumatissimam in gratia, Virginẽ purissimam, & totam pulchram, vt sunt Angeli. Cùm cognatis autem, & domesticis familiariter cùm loquimur, nomen proprium negligimus, maximè si vna tantùm sit, extra comparationem eminentissima, vt inter Virgines MARIA.

Nota.

Resp. III. An fortasse is est stylus Curiæ Cœlestis, vnde veniebat Angelus? In mundo, apud mortales, introducta est nominum propriorum, & gentilitiorum, seu cognominum vsurpatio, ob cognitionis nostræ imperfectionem: non possemus enim alioquin distinguere vnum ab altero, vnde mira esset rerum confusio. At in Cœlo, vbi clarissima habetur singulorum notitia, indeque distinctio, id non est necessarium. Primus Adam commisso peccato, quo intellectus fuit obtenebratus; è filijs suis alterum vocauit Cain, alterum Abel, exemplum parentis sequuti sunt alij posteri. In cœlitum aula quilibet quòd vult patefaciet alteri, & agnoscet intimè quemlibet è contubernalibus, nullo nominis, cognominisque subsidio. Si qui Angeli propria videntur habere nomina, vt Michael, Grabiel, Raphael, illa non tam personarum sunt, quàm officiorum, vt illorum munera nobis innotescãt. Estque illud obseruatu dignum, quod rarissimè Angeli in Scriptura Sacra hominem compellare legantur proprijs nominibus, quoniam intimam habent eorum notitiam. Quod si nomina exprimant in nostri, id faciunt gratiam. Certè cùm Iacob Patriarcha, & Manue Sampsonis Pater, Angeli sibi apparentis quæreret nomen, noluit indicare, dicens: *Quid quæris nomen meum, quod est mirabile?* Genesis 22. & Iudic. 13. Cùm igitur Angelus probè nosset Virginis eminentiam, quæ Cœlestem in terris vitam degebat, an non accõmodatè ad Curiæ suæ vsum: salutando Virginem, dixit, *Aue gratia plena* proprio nomine prætermisso?

Gen. 22. Iud. 13.

Quæst. 31. *An à se, & auctoritate sua ita salutarit Virginem Angelus? An nomine Dei, & Sanctissimæ Trinitatis?*

Resp. Bifariam Angelos in humana forma hominibus loqui. Primò, personam Dei gerentes, cuius nomine loquuntur. Sic Genesis 18. tres viri apparuerunt Abrahæ, & loquuti sunt, quasi Deus, cum Angeli essent, quia Dei personam repræsentabant, ac sustinebant. In eundem modum Mosi, ac Prophetis loquutos legimus. Secundò, propriam personam agentes, & tanquam Dei ministri, seu nũcij, atque interpretes diuinę voluntatis. Sic Gabriel apparuit, & loquutus est Danieli, cap. 10. & Raphael Tobiæ, capit. 16. Hoc modo existimandum est, loquutum fuisse Gabrielem cum Beatissima Virgine; non vt Dei personam repræsentantem, sed vt Nuncium Altissimi. Vnde verba omnia quæ pronunciat, sunt a Deo mittente præscripta, & non nisi ea loquitur, quæ in mandatis accepit.

Pe. Tyr. de App. P. Ham. 16, in Ad uent. Gen. 18. Dan. 10 Tob. 16.

Quæst. 32. *Quare inserta sunt Salutationi Angelicæ nomina propria, IESVS & MARIA?*

Resp. Quod ea mellitissima sint, ac potentissima ad excitandum pietatis ardorem in mentibus fidelium, qui hanc Salutationem Virgini Matri recitant. An non ea nomina, vel extremis labijs delibata sunt quasi *mel & lac sub lingua Sponsæ*, (Cant. 4.) id est animæ fide-

P. Ham cõ. 21 Ad Cant. 4.

fideli? De amabilissimo IESV nomine canit S. Bernardus in hymno de nomine IESV. *Mel in ore: melos in aure: iubilus in corde.* De suauissimo nomine MARIA: *O multum amabilis MARIA, tu nec nominari potes, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te*: S. Bonauentura in Spec. cap. 8.

Adde commodissimè ea nomina inserta esse, vt exilis nostra deuotio, & aggratulatio tantò magis arrideat MARIÆ, ac Filio eius IESV. Libenter audit MARIA nomen suum, quòd significat præter cætera; Stellam maris, qua duce peccatores ad portum salutis debent appellere. Libentius etiam nomen IESV, quod ei in memoriam reducit omnia beneficia, quæ ab illo accepit, & dignitatem ad quam ab illo euecta est.

Quæst. 33. *Quando adiuncta fuit Salutationi Angelicæ clausula: Sancta MARIA Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen?*

Pet. Canis. li. 5. Mar, c. 30.

Resp. Anno 431. Cælestini Papæ, VIII. celebratũ fuit Epheſi in templo Sanctæ MARIÆ celeberrimum Concilium Oecumenicum Ephesinum, in quo contra Nestorium, Beatam Virginem MARIAM verè Θεοτόκον, id est, Deiparam appellandam esse fuit decretum à Patribus ducentis, præside D. Cyrillo Alexandr. Episc. Ideò autem in templum Beatæ Virginis conuenerunt Patres, vt eius honorem in Ecclesia eius etiam nomini dedicata aduersus calumniantium hæreticorum furorem tuerentur. Ita ex Cyrilli apologia ad Theod. Baron. tom. 5. Atque hoc tempore Salutatio Angelica additamentum istud accepisse creditur. Eodem tempore Pulcheria Augusta templum insigne Constantinopoli ad littus maris in honorem Dei genitricis extruxit. Sicque Augustissima Virgo, cui draco teterrimus debitum inuidebat titulum ac honorem, amplioribus deinde honoribus fuit adfecta. Ante ea tempora Syri, ab ipsis Apostolis eruditi clausulam simílem Salutationi Angelicæ adnexam habuerunt, sic eam complétes, *Sancta MARIA Mater Dei ora pro nobis, pro nobis*, inquam, *peccatoribus. Amen.* Quod probant S. Seueri Patriarchæ Alexandrini precationes, haud ita pridem in Latinam linguam conuersæ.

Quæst. 34. *Quid continet additamentum illud Salutationis Angelicæ?*

Catech. Bellar.

Resp. Continere per repetitionem præcipuam laudem Dominæ nostræ, quæ est, esse Matrem Dei: eoque commonstrat Ecclesia, illam quæcumque vult ab eodem Deo impetrare posse. Precatur etiam, vt intercedat pro nobis, quandoquidem nos, vt peccatores, eius interceſſione indigemus. Item, vt continuò nos quo ad vixerimus, & præsertim in articulo mortis, quando maiore periculo vrgebimur, adiuuet.

Quæst. 35. *Quare Ecclesia in clausula Salutationis appellat Virginem Sanctam? Sancta MARIA.*

Resp. Vt verbis Angeli, & Elizabethæ consona dicat, ac concinat. Sicut enim illi honorificos Virgini titulos dederant, ita pro modulo suo Ecclesia, & quilibet salutans Virginem parem ei honorem conatur deferre: imprimis vocans Sanctam. Aptissimè profectò. Quid est enim Sancta, per excellentiam, & vim habens superlatiui, nisi *Gratia plena?* est enim Sanctitas gratia, & immaculata puritas, quæ summa fuit in Virgine, quæ Sanctis omnibus fuit Sanctior, & omnis Sanctitatis Sanctissimus thesaurus, vt loquuntur Patres. Tam pura, nitida, Sancta, vt ab omni, siue originalis, siue actualis peccati macula, & næuo fuerit immunis semper, quod nulli hominum præter quam illi, post Adami lapsum fuit diuinitus concessum.

Quæst. 36. *Cur in clausula Salutationis Angelicæ, & alibi passim ab Ecclesia tribuitur Virgini titulus Mater Dei?*

Resp. I. Quia inter Virginis prærogatiuas, ac priuilegia, præcipuum, ac reliquorum, velut fons cætera complectens, est esse Matrem Dei. S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 3. ad 1. *Hic titulus, vt admirabilis est, ita admirabiles sanctimoniæ vniuersæ diuitias postulat.* S. Anselmus de Excell. Virg. cap. 2. *Hoc solum de S. Virgine prædicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, aut excogitari potest: & altissimum quid habet ad contemplandum, & admirandum mens humana.* II. Hoc titulo gaudet Ecclesia profiteri se maximè obstrictam esse Deiparę ob summum beneficium, quod per eam accepit. Nimirum, beneficium humanæ redemptionis. Quod est tam ingens, & inæstimabile, vt nullum dici queat eo maius. Damascenus libr. 3. de fide otth. *Nihil maius quàm quod Deus pro hominibus homo factus est.* III. Titulo Matris Dei Ecclesia spem, ac fiduciam erigit, quàm habere oportet præcantem. Quis non fidenter accedat cogitans MARIAM esse Matrem Dei, ac proinde Deum cuius illa est Mater, nostrum esse fratrem? Item, Matri nihil denegaturum filium. Augustinus Serm. 3. & 4. de Natiuit. *Nec dubium est, quia quæ meruit*

pro

pro liberandis offerre precium, possit plus omnibus impendere suffragium: Et sicut apud Deum est patior, ita & omnibus Sanctis sit solicitior. Et S. Bernardinus Serm. 2. de Assumpt. *Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, de te benigna manus Omnipotentis quicquid creauit, recreauit.*

Quæst. 37. *Cur in additamento Salutationis Angelicæ, petitur signatè oratio, ac deprecatio Virginis pro hora mortis?*

Resp. I. An quia tunc varijs tentationibus, ac machinationibus præcipuè, sæuiunt hostes humani generis. II. An quia tunc maxima est hominum imbecillitas, & angustiæ moribundum premunt vndique. III. An potius, quod experimentis plurimis cognitum sit atque exploratum, MARIAM in illo necessitatis articulo maximè peccatoribus succurrere, qui eam singulariter in vita coluerunt. Et quamuis multum aliquando ab instituto deflexerunt, tamen, quo ad eius fieri potest in viam eos reducere, donec haud male vitam finiant. Hoc sanè quidem est beneficiorum culmen, & maximum quod à Matre tali sperare possimus, aut petere, cùm ab illo momento pendeat æternitas. Quæ vt felix nobis obtingat, quotidie eam salutando orare conuenit: *Ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis:*

MARIA Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Quæst. 38. *An Salutatio Angelica benè vsurpetur ritu orationis?*

Hamer. Conc. 21 in Adu. *Resp.* Reprehendunt Catholicos hæretici quòd Salutationem Angeli vertant quasi in orationem; aut ritu orationis vsurpent. Nescio quid reprehensione hic sit dignum. Nam si spectetur Salutatio pro vt ab Angelo est prolata, eam pronunciando, gratulamur Virgini verbis Angeli tantam felicitatem, vt Mater Dei eligi meruerit: & gratias agimus Deo, illumque laudamus, quod Sanctissimam Virginem, tanta gratia, ac benedictione cumularit. Est autem pars orationis gratiarum actio, & gratulatio si ad Deum referatur. Sic orare dicuntur, qui sacros hymnos, psalmosque recitant, vel decantant. Sic Paulus & Sylas, *orantes laudabant Deum,* *Act. 16.* Act. 16. Sic orabat leprosus Christi potentiam asserens, *Domine si vis, potes me mundare,* *Matt. 8.* Matth. 8. 2. Sic illæ, quæ dicebant, *Ioan. 11* *Domine, ecce quem amas, infirmatur,* Ioan. 11. 3. Sed si adiungas clausulam, *Sancta MARIA Mater Dei ora pro nobis,* habebit eadem Salutatio formam orationis petitoriæ, quod, cur reprehendatur?

Quæst. 39. *An vsurpans Salutationem Angelicam, inuadat officium alienum?*

Resp. Et obijciunt Catholicis, osores Virginis. Nimirum, Deus, non nisi Angelo iniunxit salutare MARIAM, Cur tu idem audes? Non est officij alieni inuasio, pia ac religiosa boni Angeli imitatio. Facimus, quòd facit Angelus, qui vetat? Iubemur esse imitatores bonorum, Patris Æterni, Christi, Pauli, Matthæi, 6. ad Ephes. 5. cur non simus, & Angeli? Repetimus quotidie absque reprehensione doxologiam, quam solis Angelis, vt cantarent nato Christo, iniunctum scimus, Lucæ 2. cur non repetamus Salutationem Angelicam? *Hamer. Conc. 21 in Adu.* *Matt. 6.* *Ephes. 5.* *Luc. 2.*

Quæst. 40. *Quem fructum adferet Salutationis Angelicæ frequentatio?*

Resp. Sacro Sanctæ Virginis, & Dominicæ Incarnationis gratam, & æquè salutarem nobis refricat memoriam. Ac præterea monet, vt gratiosæ Virginis, fauorem, atque apud Deum intercessionem nobis conciliemus. *Catech. Canis.*

Quæst. 41. *Quid discimus ex Salutatione Angelica?*

Resp. Eximias dotes, ac laudes incomparabilis Virginis, vt quod Dei donis, ac virtutibus amplissimis referta, quod eadem Virgo ac Mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quod Regis Regum, Christi Dei, & Domini nostri parens, ac proinde inuentrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit. *Catech. Canis.*

Quæst. 42. *Quare boni Catholici frequenter Salutationem Angelicam, vel recitando, vel cantando iterare consueuerunt?*

Resp. Multis de causis. Præcipuæ sunt. Prima, in memoriam tanti beneficij, quod per Virginem acceperunt. Eius enim fide, & consensu factum est, vt mysterium incarnationis, redemptionis, ac salutationis perficeretur. Secunda, in gratiarum actionem. Dū enim toties Salutationem Angelicam repetunt Deum omnipotentem, qui Filium suum vnigenitum carne humana indui voluit, collaudant; ipsique & Virgini, quæ se ancillam promptam exhibuit gratias agunt. Tertia, ad gratulandum. Patronæ optimæ, dignitatem Matris Dei, aliosque eximios honorum titu-

titulos. Quarta, vt obtineant, quod in appendice continetur. In ea autem adiungitur illius inuocatio, & petitio auxilij, quæ dum humiliter profertur, reducuntur velut in memoriam aduocatæ nostræ, verba Angelica, quibus ad eam prouecta est auctoritatem, vt possit nobis, quæ poscimus impetrare omnia. Quinta, quia id gratum esse sciunt Virgini Matri, vt ipsa frequenter ostendit signis, ac portentis, quæ in exemplis adferemus. Sexta, vt offerant hoc qualecumque obsequium, tanquam Clientuli Patronæ, tanquam Filij Matri optimæ, tanquam Seruuli Reginæ Cœli, tanquam Mancipia Dominæ creaturarum, vt vel sic quotidie sæpiùs impleatur illa eius prophetia: *Beatam me dicent omnes generationes.* Lucæ 1.

Lucæ 1.

Quæst. 43. *Quare quotidie signum datur ære Campano ter, videlicet, mane, meridie, & vesperi ad recitandum Salutationem Angelicam?*

Resp. Vt erudiamur opus nobis imprimis esse ad auxilium Dei, Sanctorumque, & horum Reginæ sæpè recurrere, cùm in medio inimicorum, tam visibilium, quàm inuisibilium viuamus. Nec satis esse ad orationis arma in principio nostri operis recurrere, sed etiam in progressu operis, ac in fine id ipsum facere oportere. At verò, alia quoque causa peculiaris ad trinam Salutationis Angelicæ compulsationem interuenit. Nimirum, quia vult Ecclesia trium principalium mysteriorum redemptionis nostræ nos meminisse, nempè, Incarnationis, Passionis, ac Mortis, & Resurrectionis. Quare salutari iubet mane Matrem Dei, in memoriam Resurrectionis: in meridie Passionis, ac Mortis: vesperi, seu nocte, in memoriam Incarnationis. Nam vti non dubitamus, Christum circa meridiem Cruci affixum, & mane resurrexisse: sic quoque de nocte, aut sub noctem eum humanam naturam adsumpsisse existimamus.

Catech. Bellar.

Quæst. 44. *Quæ origo ad Campanæ signum salutandi Deiparam?*

Resp. Glorioſissimæ Virginis IESV Christi, Dei atque hominis verissimæ sanctissimæque Parentis, & pius, & ardens cultor Bonauentura Romani consensu Pontificis egit, vt Fratres, ac Monachi populum publicè, priuatimque hortarentur ad Virginem flexis genibus salutandam, verbis Angeli Aue MARIA, signo campani æris audito, post vltimas diei preces, postque diuinorum officiorum complementum. Ita iubendi, & accinendi caussa illa fuit, quod plerique fidelium sibi persuaserint, illa ipsa hora

Nota.

A lucis desinentis MARIAM Virginem à Paranympho Gabriele Aue illud audiuisse. Qui profectò mos paulatim inter Christianos corroborari cœpit, sonantèque cymbalo in ipso aditu noctis, atque vestibulo MARIA Virgo trina Salutatione Angelica, vbique iam locorum, ac gentium à sinceris fidei cultoribus honoratur. Octauianus de Martinis Franciscanus *in Oratione quam habuit coram Sixto IV. in laudem Sanctæ Bonauenturæ.* Petrus Canisius *libr. 3. de Deip. cap. 3.* Antonius Dauraulcius *in Catechismo historico cap. 2. tit. 34. §. 5.* Antonius Balinghen *in Ephemeride Mariana Iulij 14. num. 3. Idem* in libello Gallico, cui titulus, *Decem stimuli, aut rationes, quibus suadetur frequens recitatio Salutationis Angelicæ.*

B

CAPVT II.

Vsus Salutationis Angelicæ. Per Exempla.

§. I. *Liturgia S. Iacobi Apostoli, veteribus probata, vsum Salutationis Angelicæ adstruit.*

SAnctus Iacobus Apostolus, & frater Domini, in Liturgia, siue Missa sua, quæ antiquissima est, Salutationem Angelicam vsurpat, rationesque accumulat, cur frequenter ita sit salutanda. In ea sic habetur: *Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quia Saluatorem peperisti animarum nostrarum. Dignum est, vt te verè Beatam dicamus Deiparam, semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri, honorabiliorem, quàm Cherubin, & glorioſiorem, quàm Seraphim, quæ sine corruptione Deum Verbum peperisti; te reuera Deiparam magnificamus. Tibi ò plena gratiæ vniuersa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es Templum sanctificatum, Paradisus spiritualis, Virginum gloria. Ex qua Deus carnem assumpsit, & puer factus est Deus noster, qui est ante sæcula. Tuum enim vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem, & ampliorem Cœlis ipsis reddidit, tibi ò gratia plena vniuersa creatura gratulatur. Tibi gloria.* Gemina plane sunt in Liturgijs SS. Clementis, Basilij, Chrysostomi.

C

D

§. II. *Sanctorum Patrum, Græcorum, Latinorumque ad vsum Salutationis Angelicæ adhortationes, & eiusdem ab ipsis iteratio.*

I. Sanctus Gregorius à miraculorum patratione eximia, titulo Thaumaturgus: ita Neocæsarienses suos ciues stimulat, Serm. 1. in

in Annunciat. *Agite, clarissimi, & nos Angelicam consectantes laudem, debitum pro viribus grati persoluamus, dicẽtes, & Aue, gaude gratia plena, Dominus tecum. Tuum enim verè est, Auere, atque gaudere: quoniam te dum diuina gratia, vt nouit, habitationem delegit. Cùm ancilla Rex gloriæ: cùm speciosa, speciosus formaque præ filijs hominum: cùm impolluta, qui sanctificat vniuersa.* Sanctus Athanasius *Serm. de Deipara* Angelicas Hierarchias in Cœlo Beatissimã Virginem, Gabrielis verbis salutare, ac perpetuò laudare affirmat, omnesque suauiter concinere, *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Ab his verò Hierarchijs Ecclesiam militantem hunc laudandi ritum didicisse. Quid ipse? Continuò quinquies eandem salutationem cum varijs encomijs repetit, & postquam Cœlestium Spirituum choros induxisset, MARIAM dum in Cœlum adsumeretur salutatorio illo Angeli carmine consalutantes, subiungit; *Deinde & nos Hierarchiæ terrestres exaltamus te, magna, & canora voce dicentes, Aue gratia plena, intercede Hera, ac Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.* Athanasio haud impar in cultu Sanctissimæ Virginis. D. Ioan. Chrisostomus ita Virginem salutat, in Liturgia, quæ nomine ipsius, & omnium superest: *Vt verè dignum & iustum est glorificare, te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam Matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubim, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti. Verè Deiparam te magnificamus*, Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, *quoniam Saluatorem animarum nostrarum peperisti.* Sanctus Ioannes Damascenus, ita ad frequentem recitationem Salutationis istius suos cohortatur *Serm. de Natiu. Virginis. Agedum, Christiane, cum Gabriele Angelorum Antesignato exclamemus*, Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. S. Ephraem Syrus, cuius Scripta tanti fecerunt Ecclesiæ Orientis, vt teste S. Hieronymo in *Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis*, illa publicè post Sacras litteras legere solerent, vbique multus est in salutando Angeli exemplo Deiparam; præcipuè *in Sermone de laudibus Virginis*, vbi post plurima illius encomia exclamat: *Dignare me seruum tuum humilem, laudare te, Virgo sacrata, ac suauiter dicere: Aue præclarum, ac electum vas Dei: Aue Domina mea MARIA gratia plena, Aue inter mulieres Virgo beatissima, Aue stella fulgidissima, ex qua Christus processit, Aue lux splendidissima Mater & Virgo.* Ita conse-

A quenter septies, & quadragies eandem exquisitissimis epithetis exornans demissè salutat, & inuocat. Latini PP. nunquam occasionem elabi sinũt in Orationibus, Sermonibus, Homilijs, Concionibus officiosissimè Dominam suam salutandi, ijsdem aut similibus verbis, quibus vsus est Angelus. Omnibus nota est illa Sancti Augustini, quam vsurpat Ecclesia ex *Sermone 2. de Natiuitate Sancta MARIA succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, & ex illa capi. 40. Meditat Sancta, & immaculata Virgo Dei genitrix MARIA, Mater Domini nostri IESV Christi*

B *interuenire pro me digneris apud illum; cuius templum effici meruisti.* Superuacaneũ esset adducere similia ex SS. Anselmo, Bernardo, Bonauentura, qui istiusmodi Salutationibus, & precatiunculis scatent.

§. III. *Salutatio Angelica vbique, & ab omnibus Catholicis frequentanda.*

Anno Domini CD.XXXI. Cùm per Cęlestinum Romanum Pontificem omnes Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ essent, inquit Beatus Prosper, *libro contra Collatorem*: Nimirum, execranda Nestorij impietate, qui volebat Beatam Virginem

C dici quidem debere *Christotocon*, non autem *Theotocon, Christiparam*, nõ *Deiparam*; & etiam Pelagij, id minimè ignorantes Cyrillus Alexandrinæ vrbis Antistes, alijque Patres, qui Ephesi conuenerant, atque etiam ipse Theodosius Imperator legationem miserunt ad ipsum Summum Pontificem, ipsi gratulantes deprostrata cum suo auctore hæresi Nestoriana. Et quia omne datum optimum, & omne donum perfectum descendere à Patre luminum Sancta Dei Ecclesia nouit, eidem ipsi Deo gratias immortales egit, quod vindex extitisset Filij Deitatis, & Matris eius honoris, vtriusque præconia illis vocibus celebrans; quæ à Sanctis sciret frequentata esse Patribus, vbique locorum Ma-

D trem Dei MARIAM omnium ore cantans, laudans, deprædicans. Tunc addita Salutationi Angelicæ coronis, Sancta MARIA. Quæ omnium ore fidelium, dici, ac frequentiùs repeti, & tanquam prima elementa à pijs parentibus vnà cùm lacte infantibus propinari consueuit, vt fiat secundùm illud Propheticum Psalm. 8. *Ex ore infantium, & lactentium prefecisti laudem tuam*, illuderentque superbo draconi pueruli. Sanctorum itaque Patrum vestigijs insistentes, non modò laudabilem, & admirabilem illam Virginem, quæ sicut lilium est inter spinas salutamus, sed & eam virtute Dei auctam esse tanta credimus, atque profitemur, vt possit pro-

Psal. 8.

prodesse, fauere annuere miseris mortalibus dum hi præsertim se suaque vota illi commendant, ac diuinam Gratiam Matris intercessione, frequenter illam Salutantes Angeli exemplo, supplices expetunt. *Baronius tom. 5. Annal. Petrus Canis. lib. 5. de Deip. cap. 30. Dauroultius in Catech. histor. cap. 2. tit. 34. exem. 1.*

§. IIII. *Salutatio Angelica mirabiliter inscripta visitur quibusdam lapillis.*

Inter prodigia meritò referendum, quod scribit Niderus, cuius hæc est narratio. Cùm Magistrum sententiarum Viennæ legi; venit eo filius Regis Lusitaniæ D. Petrus, cùm exercitu multo iturus in Terram sanctam; Eum audiui dicentem, suo tempore in terra Saracenorum circà Septam Africæ Ciuitatem (quàm Pater eius paulò ante ceperat) in fonte, quodam repertos lapides varios, quibus, vt videbatur, naturaliter insita erant nomina nostræ fidei, & Incarnationis Christi. Nam in quibusdam lapillis Aue MARIA. In alijs, Gratia plena. In quibusdam, Dominus tecum. Et ita de Christi Domini Incarnatione plura legebantur claro intuitu. *Ita Niderus libr. 4. Formicarij cap. 6.*

§. V. *Salutationem Angelicam publicè recitat, puer sex menses tantummodò natus.*

Anno M. D. XCVIII. obijt Ignatius Martinez Lusitanus, Societatis IESV, cui istud accidit dignum relatu. Cùm Conimbricæ Catechismum publicè doceret (relicto sponte ob amorem humilitatis speciosо munere Concionatoris Sebastiani Regis) nemo omnium inuentus est, qui voce alta, publicèque vellet Salutationem Angelicam recitare. Sed ostendit Deus miraculo, quàm ei gratum esset hoc Ignatij opus, quamque ei placet Salutatio suæ Matris. Nam cùm nemo eam recitare vellet, repentè infans sex menses natus ab vbere Matris pendens, erecto capite, articulatè, & distinctè, stupentibus vniuersis, recitauit. *P. Dautreman.* & ex illo *Antonius Balinghen in Calendario Mariano 28. Februar. num. 3.*

§. VI. *Salutationem Angelicam, puer trium annorum ruminat.*

Anno M. DL. XXXVI. vita exijt Simon Garcia, ex Ordine Minimorum. Hic visus cum lacte materno, simul hausisse pietatem erga Diuam Deiparentem. Nam tres duntaxat natus annos, quando vix verba balbutiendo proferre possunt pueri, quocumque iret, solitus erat voce demissa loqui, & intra dentes nescio quid immurmurare. Quod dum à nonnullis attentiùs obseruaretur, deprehensum est, eum recitare Angelicam Salutationem, additis ad eandam nonnullis orationibus eiaculatorijs. Paululum grandior factus Rosarium, quòd salutationum Angelicarum est repetitio, in dies singulos recitabat, eandem deuotionem enixè alijs commendans. Quod quidem efficaciùs ab eo factum, dum iam ad virilem ætatem peruenisset. Nam eo persuadente non pauci erga Beatam Virginem magnum affectum prodiderunt. Solitus erat optare, se in ætate virili eo esse in Virginem animo, & sensu pietatis quo fuerat puer. Dum Correctoris officio fungeretur, (ita vocatur Superior in Ordine,) singulis monasterij cellis in prouincia Aragoniæ hanc ad Deiparam Salutationem inscripsit: quæ eadem visitur in æde D. V. MARIÆ Lauretanę aureis exarata characteribus in tabella appensa propè ianuam sacrarij eiusdem Sanctissimæ ædis.

Aue Filia Dei Patris.
Aue Mater Dei Filij.
Aue Sponsa Spiritus Sancti.
Aue Templum totius Trinitatis.

Pater noster. Aue MARIA. Indulgentia plenaria toties quoties. Ipsemet hanc orationem docebat quotquot poterat, eamque frequenter ipse vsurpabat, & videbatur claudere omnes suas preces eadem Salutatione. Nihil illi frequentiùs in ore etiam dormienti. Idem ex floribus Deiparæ coronas texebat, eique offerebat addita solemni sibi Salutatione, Aue. De illo adfirmauit eius Confessarius, nunquam illum in omni vita sua lethaliter deliquisse. Tandem, in precibus ad Deũ, & Deiparam in amplexu Christi Crucifixi, flagellum suum, ac Rosarium manu tenens sanctè in Domino quieuit. A morte corpus eius gratissimum misit odorem, concurrentibus vniuersis ad eius venerationem, alijs vngues, alijs capillos, alijs vestes eius detrahentibus, quas loco reliquiarum asseruarent. *Chronicon Ordin. Minim.*

§. VII. *Salutationem Angelicam pronunciare iubentur muti, & loquuntur.*

Anno M.D.LXVII. in Sardiniæ Ciuitate Calaritana, ad alteram vitam feliciter transit F. Saluator Ab Horta Minorita. Hic surdos, & mutos curabat præcipiendo ejs vt recitarent Aue MARIA, soluebaturque vinculum linguæ, & eam Salutationem proferebant. Frequentes ei sermones cum Christo Crucifixo (qui, & viciſſim ei loquebatur) cum Beata Virgine MARIA, & D. Paulo, quos impensè amabat. Puellam quandam quartana laborantem, impositо super caput eius Rosario suo, & recitata Salutatione Angelica

gelica perfectè curauit. *Chronicon Ord. Minor. tom. 4. lib. 5.*

§. VIII. *Quidam ad alia stupidissimus, primas voces Salutationis Angelicæ memoriæ mandat, ac sæpè vsurpat.*

B. Salaunus prima ætate missus in ludum litterarum, plus per omnem ætatem capere non potuit, quàm Salutationis Marianæ principes duas voces, Ave Maria. Accedebat summa victus inopia, quem domatim emendicabat, nihil aliud etiam tum fatus, quàm ter, quater Ave MARIA. Ergo iam tota prouincia notus facilem parabat mensam: collecta enim duri panis frusta in vicino vrbi fonte macerabat: nec alias dapes vnquam esuriebat, nec admittebat. Lectum ibidem sibi, propter salientem sub humili frutice strauit, artusque algentes pallentesque in nuda homo deposuit, ceruicem saxo leuauit; nec in alia per asperos Decembres hiberna discessit. Vbi gelido frigore obrigescebat, arborem conscendit, & ramis vtrimque manu vtraque prensis, sexies inclamato MARIÆ nomine, susque deque corpus librauit, quod assiduo motu vim frigoris expugnaret, & fugientem in membra calorem reuocaret. In summa demum Cœli inclementia in fumantium aquarum gurgitem se immisit, vt vulgo iam insanire crederetur. Sed Dei sapientia mox aperuit, hominum iudicia tota via à Numinis censura differre.

Ab extincti enim tumulo, qui sub arbore (qua tecti loco vsus erat) fuit, candidissimi lilij, flos nobilissimus, surrexit: in cuius nitentibus foliis aureis inscripta litteris solennia Salauni verba Ave MARIA legebantur. Ita abiectissimus passim adolescens, geminis vocibus assequutus est nominis hic, immortalitatem, æternam illic felicitatem. Nemo profectò tam indocilis est, qui viam ad Cœlum discere non possit. *Ioannes de Longolezneis Abbas Cœnobij Laudeuencensis, in Britannia Gallica, ex eo M. Raderus in Cathalago Simplicium.*

§. IX. *Ex ore demortui enata arbor, in cuius foliis inscriptum Aue MARIA.*

Superiori tam simile est, quod subnecto, vt penè idem censeri possit. Erat emeritæ militiæ veteranus, qui seculo, etsi tardè renuncians S. Cistercienſium ordinem ingressus est. Interrogatus autem à Magistro nouitiorum, an sciret orationem Dominicam, siue Pater noster, negauit, nunquam se potuisse discere contestans; quid multa? fit labor inanis, vt discat: & cùm non posset, præcepit Abbas, vt saltem breuem illi Angelicæ Salutationis versiculum inculcarnet. Quod etsi multo, & diuturno labore, factum est tamen. Cùm enim ad exhortationem Magistri sui ipsum versiculum Ave MARIA gratia plena, inter prandendum ad vnamquamq; buccellam ferè, ne obliuioni traderet ruminaret; ex frequenti, & longo vsu, tantam in ipsa Salutatione mentis concepit dulcedinem, vt cordi eius, & ori, sola memoria Matris Christi, quamquam alio auocatus, indelebileter adhæreret. Contigit ergo, vt post aliquanta annorum curricula veteranus ille deuotissime moreretur, & inter fratres in cœmeterio sepeliretur. Mira res, de tumulo eius non multo post à parte capitis arbor nasci ignoti generis visa est, cuius folia litteris aureis insignita, Ave MARIA gratia plena notabiliter singula continebant. Quod vbi notum factum est Diœcesano Pontifici, ad locum venit ipse miraculi, radicem arboris per effossionem diligenter scrutatus est, & eam de ore veterani illius ortuni habere probauit. Nec mora, vbi diuinæ ostentionis arbuscula debitum officium exequuta est, in oculis omnium aruit, & defecit. Quicumque igitur Matri Christi cupis esse deuotus Salutationem Angelicam frequens, & deuotus ingemines: nec credo illi gratius vocalis laudis offerri. *Thomas Cantipratens. libr. 2. de vniuers. cap. 29. §. 9.* Manuscriptum litteris aureis in foliis arboris crescentis ex ore Monachi mortui addit, Dominus tecum. *Antonius Daurcultius in Florib. Exempl. cap. 2. tit. 35. Exem. 4.*

§. X. *Quinque Rosæ in facie Religiosi frequenter Salutationem Angelicam repetentis, repertæ post mortem.*

Quidam venerabilis Archiepiscopus Cantuariensis Ecclesiæ, reuertens à Curia Romana, in Abbatia sancti Benedicti, quæ est apud S. Audomarum, hospitatus est, & die crastina ductus in Capitulum sermonem ædificationis cum Fratribus habuit. Finito autem sermone, indicauit eis, quòd cùm esset apud Beneuentum, audisset à quodam viro Religioso, qui de partibus Ierosolymitanis oriundus erat, quod in illa terra quinque Psalmos incipientes à singulis litteris nominis Beatæ semper Virginis MARIÆ in honorem, & memoriam ipsius frequentare consueuerat. Sunt autè isti Psalmi,

Magnificat.
Ad Dominum.
Retribue.
In conuertendo.
Ad te leuaui.

& singulis Psalmis Salutationem Angelicam, seu Ave MARIA præmittebat.

Erat autem ibidem in Conuentu Sancti Bertini, Monachus quidam Ioscio nomine, qui hæc vigilanter audiuit, & quotidie post Matutinum, prædictos Psalmos in honorē Beatæ MARIÆ Virginis decantare cœpit. Accidit igitur, vt quadam nocte circa festum Sanctæ Andreę Apostoli surgentibus Fratribus ad vigilias, Frater Ioscius choro psallentium non interesset. Superior verò chorum circumiens cum lucerna ibi eum nō inuenit; ad lectum igitur illius vadens, eum defunctum reperit. Conuocati itaque Fratres accurrunt stupentes, & lugentes, vultumque eius discooperiētes, inuenerunt quinque flores rosarum in vultu ipsius. Vnus egrediebatur ex ore, & lingua eius, duo de oculis, & duo de auribus. Lætantes autem pro tali miraculo, detulerunt eum in chorum, & facie discooperta cum recentibus Rosis diligētiùs intuentes; in Rosa, quæ de ore egrediebatur, inuenerunt scriptum, MARIA. Tenuerunt igitur illum per septem dies, donec tres Episcopi conuenirēt, quorum vnus fuit Atrebatēsis Episcopus, qui fuerat Abbas Cisterciēsis, & multi alij Clerici, & Laici, qui viderunt magnalia Dei. Id verò accidit circà Annum Domini M. C. LXXII. *Ex Archiuis Monasterij Bertini. Audomar. Vincentius in Histor. & Beatus Antoninus in Chron. Ioan. Molanus in Natal. SS. Belgij 30. Nouembris. Georg. Coluener. in Notis ad libr. Apum Cantiprat. vocat Iosbertum.*

§. XI. *Salutationem Angelicam semper in ore habebat Sanctus Dominicus.*

Sanctus Dominicus Salutatione Angelica delectabatur adeò, vt semper illam in ore haberet, idque omnibus consulebat. Quod vt consequeretur inuenit Rosarium, constans Salutationibus centum, ac quinquaginta, & quindecim Orationibus Dominicis, atque ad illud recitandum per se atque suos Fratres Prędicatores omnes hortabatur. Cuius Rosarij per vniuersum Orbem miri extitere fructus, & plurima ad illud miracula, & per illud sunt facta. Quo armorum spiritualium genere ex Orationibus Dominicis, ac Salutationibus Angelicis confecto Catholicos contra Cacodæmones, & Hæreticos, præsertim Albigenses armabat. *Surius in vita, Augusti 4. Chronicon Ordinis Prædic. & alij, quos nominat Abraham Bzouius tom. 13.*

§. XII. *Margareta Vngara in Salutanda, Beata Virgine sedula.*

Ex Serenissimis Vngariæ Regibus prognata Margareta virgo, deinde S. Dominici institutū ingressa, multis miraculis ob vitæ Sanctitatem illustris, in MARIÆ cultu tam feruens fuit, & constans, vt quoties Deiparæ Sacram imaginem præteriret genua flecteret, & Salutationem Angelicam recitaret. Quem morem nulla vnquam vel eundi celeritas, vel conficiendi negocij necessitas impediuit. Quod si solemnes Virginis ferię celebrantur, illi eandem Salutationem proximis octo diebus millies recitabat, ac in ipsa Salutatione simul humi sese prosternebat. Hæc est illa Margareta, quæ vix quartum ætatis annum attigerat, cùm Deiparæ officium recitaret, quod ex solo Religiosarum cantu in choro didicerat: quę pro festis Virginis Matris solo pane, & aqua contenta ab omni alio cibo; potuque se continebat: quæ semper lubentissimis auribus excipiebat voces Concionatorum, quando de Deipara sermonem habebant: quæ Deiparam in Aduocatam singularem sibi delegerat: eamque non nisi altero nominum horum appellabat: scilicet Matris Dei, & Spei suæ Beatissimæ: quæ audito nomine MARIÆ, aut ab ipsamet prolato, profundè corpus demittebat, honoris ergo: quæ antequam solemni sese castitatis voto obligaret, in vxorem expetita à Regibus Boemiæ, Poloniæ, Siciliæ, dixisse fertur: priùs se naso detruncare, & luminibus priuare, totoque vultu deformare malle, quàm Christo desponsam Virginitatem violare. Hinc tantus in Virginem Virginum affectus, cui respondit vicissim Deipara toties salutata. Nam visa est sub mortis tempus ad eam venire, stipata magno cœtu Sanctorum Angelorum, eiusque capiti coronam imponere. Visa etiam scala è terra ad Cœlum vsque pertingens, per quam Deiparam in Cœlum reuertentem S. Margareta sequebatur sereno, ac lætu vultu, quod se diademate gloriæ cinctam videret. *Garinus in vita. Surius, 28. Ianuarij. Petrus Canis. libr. 5. de Deipar. capit. 27.*

§. XIII. *A primis annis, frequenter salutat Dei Matrem Catharina Senensis.*

Nominatissima, & multis reuelationibus celeberrima, nec non plurimis à Deipara visitationibus, ac familiaritate eiusdem honorata, Virgo Catharina de Senis, ab infantia singulari pietate Deiparam coluit. Nam cùm annos dumtaxat quinque nata esset, Gabrielis illud Ave, ac quæ præterea dicuntur ex ore Angeli assiduè repetebat. Et diuinitus edocta per gradus Paternæ domus frequenter ascendens atque descendens morabatur in singulis, dum flexis genibus misericordiæ Matri Salutationem proferret, & offeret Angelicam

cam. Per eosdem gradus Angelorum ipsa ferebatur ministerio, ita vt pedibus eos non tangeret. Intellexerat non quidem ex hominum sermone, sed ex diuino alloquio, MARIAM Dei Omnipotentis Matrem omnium primam, se Virginitatis voto obligasse. Illam imitata; cum septenis esset, atque in secreto domus angulo supernæ Parentis patrocinium fidenter imploraſſet, castitatis iponsione perpetuæ se Christo coniunxit, suamque Virginitatem immortali Sponso inuocata MARIÆ Virginis ope, voto arctissimo dedicauit. Huic Virgini Deus Pater reuelauit dicens: Matri vnigeniti Filij mei MARIÆ Virgini datum est à bonitate mea, vt propter incarnati Verbi reuerentiam, quicumque etiam peccator ad eam debita cum veneratione recurrit, nullo modo rapiatur à Dæmone. Hæc est enim à me electa parata, & posita, tanquam esca dulcissima ad capiendos homines, & potissimùm peccatores. *Raymundus Capuanus in vita. Blosius in Monili. Surius Aprih.26.*

§. XIII. *B. MARIÆ Oegniacensis in Salutanda Deipara sedulitas.*

Anno M. CC. XIII. ex hac vita abijt ad melior Beata MARIA Oegniacensis, quę Virginis Matris fut studiosissima. Quot annis Ecclesiam eius Oegniacensem ad duo milliaria dissitam rigente hyeme nudis pedibus inuisebat, & illo die, ac sequenti nihil omninò edebat, totamque noctem peruigil in Ecclesia ducebat: qua in via flexuosa, nec satis ei nota præeunte lumine, & Angelis, eam dextera læuaque sustentantibus nunquam errabat, & inter imbres de Cœlo ruentes diuinitus interdum intacta redibat. Hæc quandoque intra 24. horas millies, & centies flectens genua salutabat Beatissimam Virginem. Atque hoc ea tenus inauditum atque admirandum salutandi genus, & officium ad quadraginta dies continuabat in hunc modum. Primò, sexcentis flectebat genua sine intermissione. Deinde integrum Psalterium stans legebat: & ad singulos Psalmos flexis genibus Deiparæ Salutationem Angelicam offerebat. Tum, trecentis vicibus ad singulas genu flexiones austro flante vehementiùs virga se percutiebat, & tribus vltimis ictibus copiosum sanguinem extrahebat. Tandem, quinquagies flexis simpliciter genibus sacrificium hoc consummabat. Cùm autem miro salutis animarum desiderio teneretur, multis ieiunijs, lacrymis, ac precibus à Deo impetrauit, vt donum concionandi, quod per se ipsa exercere non poterat, alteri daret, quod fecit Dominus. Et is Concionator magnum in animabus fructum fecit. Ipsa porrò pro eodem, dum concionaretur, Deiparæ centies Salutationem Angelicam offerebat. Fertur eadem singulis annis in festo Purificationis vidisse Sanctum Dei Matrem in templo Filium offerentem, Simeonem occurrentem, diuinumque Puerum amplexantem. Vnde quid hauserit voluptatis, istiusmodo delitijs capi solitis æstimandum relinquatur. Eadem ægritudinis suæ vltimo tempore frequenter à Deipara visitata fuit, vt & à Christo Domino, & ab Angelis, qui ei famulabantur, ac sustentabant cùm ei surgendum erat, in lectulumque reponebat. Paulò ante mortem Canticum, *Magnificat*, decantauit. Cùm extremam acciperet vnctionem, adfuit denuò Deipara cum Apostolis omnibus, Christoque Domino, qui signum Crucis ad eius pedes fixit. Sicque Virgo mortua est postquã Virginitatem in matrimonio cum viro suo seruasset. *In vita. Surius 23. Iunij.*

§. XIV. *Sanctus Hyacinthus infans Deiparam Salutare: exorsus, nunquam deinde desitit.*

Sanctus Hyacinthus Polonus Ordinis S. Dominici, quem Clemens VIII. Anno M. DXCIX. Sanctorum albo adscripsit, ab ipsa cuna Diuinam Matrem salutabat, postrato corpore dies, ac noctes pro suo in mundum, salutari ingressu proque suo, & aliorum salute compellans. Idem præter ferias sextas, etiam Beatæ Virginis vigilias omnes, & SS. Apostolorum pane, & aqua ieiunabat: Cum Tartari Russiam, & Voliniam popularentur, ipse Kioniæ agebat, & ingresso in Templum loquuta est imago Beata Virgo MARIA. Cur me Hyacinthe solam relinquis? cur ludibrio barbarorum exponis? cur tecum me, & Filij Sacramenta mei non offeres? His admonitus, Sacerdotis habitu ornatus, altera manu sacram Hostiam, altera verò prægrandem ex Alabastro B. V. MARIA imaginem apprehendit, & nullam inueniens nauem, Boristhenis aquis se commisit, ac sicco vestigio ingentis iconis pondere onustus profundissimum flumen traiecit, ac tandem Cracouiam peruenit incolumis: cùm priùs in itinere per Moscouiæ fines, Sereniẽses, Lithuanos, Liuones, Samagitas, & Pruthenos fidem Christi docuisset. Tum piam illam sarcinam imaginis Deiparæ Cracouiæ in Templo sui Ordinis SS. Trinitatis deposuit. Post hæc assiduo in salutanda Domina sua Cœlesti, Anno M.CC.LVII. Ipso die Assumptionis Virginis in Cœlũ assumptus est. Porrò cũ eo ipso die ante illã iconẽ oraret vidit momẽto Cœlestẽ lucẽ super arã effũdi, & in medio eius Angelorũ agminibus circũdatam ipsorũ Reginã ad se descendere, & sic eũ eloqui: Gaude Fili Hyacinthe, quia

orationes tuæ gratæ sunt Filio meo, & ideò quidquid ab eo per me petieris, impetrabis. Atque sic perceptis Ecclesiæ Sacramentis, in his verbis: In manus Tuas Domine commendo Spiritum meum, in Domino obdormiuit. Tantæ sanctitati præluſit in pueritia, & illius index fuit Salutationis Angelicæ frequentatio. *In vita. Bzouius. alij.*

§. XV. *B. Hermanni Dominicani mos gratulandi Deiparæ, per Salutationem Angelicam.*

Anno M. CC. XLV. obijt Raymundi socius Hermannus, cum quo Romæ in Cœnobio Sanctæ Sabinæ S. Dominici institutum professus fuerat Hermanni autem aspectui Virgo Mater semper obuersabatur, cuius viscera Cœlis capaciora demiratus, ijs quod Deum immensum nouem mensium spacio baiulassent, tãtam beatitudinem gratulabatur; vt & cordi virgineo, quod supra Angelicum captum excellentissimis mysterijs fidem præstitisset: vberibus insuper, quæ omnia largiter pascentem pauissent: manibus deinceps, quæ amictum lumine fascis cinxissent: brachijs item, quæ gestassent: denique ori, quod balbutienti Pusioni oscula impressisset. Ad singulorum autem congratulationem, ac contemplationem, Angelicam Salutationem pangebat. Ab externa porrò Virginis specie ad internam ferebatur. Ibi incredibilem eius fidem, profundissimam humilitatem, ardentissimam charitatem, puritatem supra Angelicam, moderationem animi, iustitiæ robur, aliarumque virtutum eius lumina, nusquam in creatura vlla visa reuerebatur, ac venerabatur, & in isto Paradiso, in quo SS. Trinitatis Personæ sua capiunt oblectamenta, cogitatione castiore expatiatus, ad singula illa virtutum ornamenta Salutationem Angelicam geminabat, adijciens: I E S V suauissimè, dignare me, meam, & tuam Matrem super omnes speciosam, ore laudare, corde admirari, & imitatione subsequi. His erga Deiparam toties à se quotidie Salutatam studijs, respondebat ipsa. Vna die Sabbati ei apparuit, & nouis gratiarum charismatibus eum ditauit. Flagitabat à Deo per Reginam Matrem, vt sibi dignaretur tantillum voluptatis spiritualis detrahere, quàm contemplando sentiebat, illudque dono intelligentiæ Scripturarum compensare, eiusque linguam balbam dissoluere, eamque ad Deum laudandum, & concionandum præparare. Quod fecit sanè liberaliter: nam scientia infusa ditatus fuit, & incredibili eloquentia. Quare innumerabiles ad Deum conuertit. Ille idem assiduus erat in meditatione Passionis Christi. Frequentissima illi erat in ore formula illa ab Ecclesia vsurpata, quam flens vbertim poplite flexo frequenter promebat, Adoramus te Christe. Eam cùm semel ex intimo corde eructasset, appruit ei Christus, eumque suis admouit vulneribus, & è singulis manuum, pedum, & lateris fixuris guttas sui sanguinis eius ori instillauit. *Leand. & alij.*

§. XVI. *Alexandri Luzzagi erga Salutationem Angelicam affectus.*

Anno M. DC. II. in Cœlum migrauit Alexander Luzzagaus nobilis Brixianus. Hic quamuis laicus varijsque distentus negotijs ad maiorem Dei gloriam susceptis, nihilominus quotidie, aut Coronam Deiparæ, aut eiusdem integrum Rosarium recitabat, præter benè longam orationem mentalem. Dominica die, ac feria quinta, eiusdem Officium cum Officio Sancti Spiritus legebat. Ad Salutationem Angelicam cum ruri agebat per autumnum, ipsemet pulsabat. Porrò quas tunc Virgini offerebat Salutes applicabat ijs, qui ea nocte migraturi essent ad alteram vitam, absque ordinarijs Ecclesiæ præsidijs, optabatque idem ab alijs præstari: ita enim euenturum aiebat, vt nemo absque precum adminiculo obiret, quarum præsidio saluus fieri posset. Porrò qua sedulitate vir tantus ad ianuam suam doceret pauperes, (quos posteà bona stipe donatos dimittebat) Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & cetera scitu necessaria. Quæ eadem, quomodo præstaret in templis à meridie ingenti omnium admiratione scribitur in vita. *Octauius Hermanus.*

§. XVII. *Ioannes Gerson, Salutationis Angelicæ Doctor.*

Anno M. CD. XXIX. vita hac mortali sanctissimè exijt Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, Deiparæ cultor eximius. Affectum suum ostendit varijs in eius festa concionibus scribendis, ac edendis. Explicando etiam Canticum, *Magnificat*, tractationibus 21. quæ refertissima sunt laudum Sacratissimę Virginis. Istud ad hũc locum potissimùm spectat, quod grandæuus, & summæ vir apud Magnates Regesque auctoritatis docebat paruulos Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. *Ex vit.*

§. XVIII. *Romæi consuetudo millies quotidie repetendi Salutationem Angelicam.*

ROMÆVS in Hispania Tarraconensi, natus,

natus, quàm assiduus Virginis cultor esset, MARIÆ nominis continens appellatio declarauit. Nullum Deiparæ laudandæ finem faciebat. Salutationem Gabrielis millies quotidie recitabat: in omni concione assumptę à Christo carnis mysterium, aliàs longiore, aliàs breuiore sermone memorabat. Hanc Virginis pietatem tenuit ad extremum. Funiculum nodis mille contortum ad totidem Angelicarum salutationum numerum, ne moriens quidem posuit è manibus. Gratissimus illi erat versus Dauidicus: *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Psalm. 126. Ergo cũ mortis tempore crepitantibus tabellis de more fratres excitarentur, vt Romæo adessent animam agenti, vnum quem arctior complexus erat somnus, vox expergefecit Angelica, modulans suauissimè eundem illũ versum Romæo quotidianum: *Cùm dederit dilectis suis somnum.* Etenim paria paribus Deipara, rependit amantibus. Desijt viuere in terris Anno 1261. vigesimo quarto ab eius obitu anno, propter crebra ad eius tumbam miracula, refossum est eius sepulchrum, in quo corpus illius incorruptum est repertum; & ante altare SS. V. MARIA reconditum cum hac inscriptione,

Ps. 126.

Hæc sunt infossa Fratris venerabilis ossa
Dicti Romæi, *qui fuit Arca Dei,*
Hic IESVM atque piam dilexit valdè
MARIAM. Fernandus Castellan. lib. 2. de vita S. Dominici cap. 65. Chrocon Ord.

§. XVIII. *Stanislai Koscæ Poloni in Salutanda Deipara suauitas, & assiduitas.*

Stanislaus Kosca ex peruetusta, & senatoria ortus stirpe, è Polonia Viennam studiorum caussam missus, venit ad conuictorium Societatis IESV. Ibi dum ageret semper in manibus aut pios libellos, qui laudes, vel preces Beatissimę Virginis MARIÆ continerẽt, aut Rosarium habebat. In Scholasticis exercitijs eius laudes præcipuè tractabat. Cum ægrotanti manu Angelica, præsente D. Barbara, quàm impensè colebat, ei præbita esset Sanctissima Eucharistia; non ita multo post apparuit ei Sanctissima Deipara Filium in sinu gestans: clientulum suum consolans, & IESVM Filiolum suum in eius lecto collocans. Inde non modò miram percepit voluptatem, sed sanitati quoque est redditus. Porrò Deipara in discessu eum monuit, vt Societatem IESV ingrederetur. Itaque Romam pedes delicatus adolescens tendit, milliaria mille, & ducenta conficit. Admittitur inter nouitios, vbi suum erga Deiparam studium auget, atque animum filij induit, ita vt Matrem suam in communi sermone eam appellaret, idque tanto cum sensu, & simplici ingenuitate, vt etiam audientibus partem suæ suauitatis espergeret. Cùm frequentissimè de ea loqueretur, semper noua, & magnificentissima quædam, quibus eam appellaret, excogitabat nomina, dolebatque se magnificentiora inuenire non posse, nec celsiorem quẽdam gradum, vbi eam reponeret, nanciscì. Ad Salutationem Angeli, ad SS. Rosarium, preceſque alias Deiparæ ipsi consuetas suauissimè afficiebatur, easque recitabat, & creberrimè, & cum quadam oris venustate, & gratia extraordinaria, planè vt ei ab ipsa omnis gratiæ Reginæ præter morem indita viderentur. *Francisc. Sacchinus in vita. Anton. Spinell. in Throno MARIA.*

A B C D

§. XIX. *Anus Inda in Salutanda Deipara crebritas.*

Vetula fuit in Iaponia Orientali, quæ tam ardenti adfectu colebat Amidæ Idolum, vt (quod incredibile videri posset, nisi sufficienter constaret de rei veritate) quotidie eum salutando, nomen repeteret centies, & quadragies millies, sub hac formula, *Namu Aminabud*. Cum impietati, vt tempus sufficeret, statim prima aurora surgebat è strato. Quo etiam tempore sentiebat aliquem, qui eius latus percutiebat, licet nũquam cognoscere potuerit, quis nam esset. Hæc ipsa, audito Catechismo, ita se internis Sancti Spiritus motionibus sensit agitari, vt sit baptizata, concrematis vniuersis superstitionis suæ codicibus, atque Amidæ statua magni precij: Insuper priorem suam superstitionem in insigne pietatis exercitium commutauit. Nam toties repetijt indies Salutando, Sanctissima nomina IESV, & MARIA, quoties antea iterabat nomen Amidæ. Quod quidem non sine sensu, & gaudio faciebat: neq; minore aliorum emolumento: nam breui tempore vniuersam familiam ad Christi cultum conuertit. *Litteræ Iaponiæ Anni 1622.*

§. XX. *Coram qualibet imagine Deiparæ recitatur percommodè Salutatio Angelica.*

Anno MD.C.XIX. vita functus est Franciscus Costerus Societatis IESV, cuius in B. Virginem adfectus, ac studij extant præclara documenta. Meditationes de eius vita, & laudibus, in Antiphonam Salue Regina; in Hymnum, Aue Matris stella: insuper libellus Sodalitatis B. V. MARIÆ, quàm Sodalitatẽ, & in Rhenaua, & in Belgicis Prouincijs

instituit. Nihil illi gratiùs accidebat, quàm A sermo de Beata Virgine MARIA, eiusque laudibus, & miraculis, amabatque tenerè, quotquot eius amatores reperiisset. Inter eiusmodi sermones totus interno quodam gaudio colliquescebat. A parentibus suis maximè pijs, Beatæ Virginis MARIÆ obsequio consecratus fuerat in tenera sua ætate. Nullam eius imaginem insalutatam præteribat, sed coram ea Salutationem Angelicam recitabat. Frequenter obseruatum est, mox vt seculares rumores inferrentur, somno correptum fuisse. Vigilantissimum autem ad sermones pios, & potissimùm de Deipara. Idem auctor fuit Magistratui Antuerpiensi, vt is è domo Senatoria immani deturbato B colosso, Dei Matris effigiē Polycletæa manu collocaret, quam ingentium ab ea Republica illius manu acceptorum beneficiorum monumētū esse voluit, frendētibus licet nouis Copronymis. Existimatur Costerus ope Deiparæ, duo ista rara admodum assequutus. Vnum, vt in maximis, ac continuis scribēdi, concionandi, regendi integras prouincias, omni ope proximos iuuandi laboribus, item in pluribus itineribus, quæ pedes plerumque cilicio armatus obibat, vel cùm Prouincialis munere fungeretur, aut cùm in Vrbem Procurator Prouinciæ, aut ad Congregationem Generalem delegatus, ad annum vsque ætatis 88. ne vna quidem die tentatam valetudinem senserit. Alterum, quod illibatum castitatis florem perpetuò seruauit, ne minima quidem vnquam corporis commotione, & ne praua quidem cogitatione in omni vita pulsatus. Quòd non vnus in familiari colloquio ab illo accepit. Eadem si obtinere desideras, Virginem castissimam frequenter Salutatione Angelica cole. *Ioan. Bourgesius.*

§. XXI. *Ludouici XI. Galliæ Regis in promouenda Salutationis Angelicæ, repetitione studium.*

Ludouicus Francorum Rex eius nominis XI. non contentus instituto vetere, quo D ad pulsum campanæ homines Sacro Sanctam Virginem, Angelica Oratione vesperi salutare consueuerunt; etiam hora meridiana id fieri voluit publicæ pacis obtinendæ causa, vt asseuerat, *Robertus Gaguinus*, li. 10. de gestis Regum Gall. id primum fieri cœptum est Anno 1472. primo die Maij inquit, *Genebrardus in Chronico anni* 1472.

§. XXII. *S. Thomæ Aquinatis erga Salutationem Angelicam animus.*

Sur. vit. 7. Mar. D. Tomas Aquinas Doctor Angelicus, ab incunabulis ostendit, qua ipse in Deipara pietate, quo in Salutationem Angelicam affectu esset futurus. Cùm infantulus à nutrice in balneo abluendus chartulam e terra sponte sua sustulisset, eamque preisà manu arctè retineret, nutrici eam è manu extrahere conanti lacrymis acriter restitit. Sed mater chartulam è manibus euulsit, in qua scripta reperta est Salutatio Angelica. Infans chartam ploratu repetens instanter, eam redditam mox deglutiuit. Grandior factus suam in MARIAM salutatam pietatem libris editis patefecit: potissimum in tertia parte Summæ Theologicæ, & in Opusculo 8. quod est de Salutatione Angelica, quo & illus supra cæteros SS. eminentiam, & apud Filium quidvis impetrandi efficacitatem eximiam, & eius incomparabilem dignitatem contra varios Hæreticorum errores constantissimè propugnat.

CAPVT III.

Fructus piè frequentatæ extra recitationem Rosarij Salutationis Angelicæ per exempla.

§. I. *Euphemia à tentatione Cacodæmonis per Salutationem Angelicam liberata.*

EVphemia benè morata Virgo ad Religionem adspirabat, Diabolus tenerrimam puellam à Sancto Monacharum susciendæ vitæ proposito deducere conatus, humana specie se illi identidem ingerebat, vitæque illius qua asperitatem, qua miserias sermone fallacissimo proponebat, rursus coniugalis vitæ felicitatem, ac delitias orationis vanitate amplificare pergebat. Cui Euphemia. Quid mihi proderunt oblectamenta ista post mortem: Hoc Dæmon responso, quasi aliquo telo ictus, puellam nihil redarguens, & ad cubiculi in quo erat trahens fenestram omnibus viribus adnitebatur, vt eam inde deijceret, præcipitaretque sæuissimè. Territa Euphemia Salutationem pronunciat, qua Angelus Gabriel est vsus. Cuius auditione hostis ille hominum puellam ponit à manibus, neque voci, neque iræ parcens. Et, si te, inquit, ad Monasterium contuleris, ero tibi semper infestus: & nunc quidam sine dubio perijsses, nisi mulierem illam mihi inimicissimam inuocasses, quæ mea frangit tam sæpè consilia. *Besario Monach. Cister. lib. 5. dial. cap. 44. Ioan. Bonif. hist. Virg. 2.*

§. II. *Dei vindicta per Salutationem Angelicam auersa.*

Eremita quidam in sylua proxima, quæ Brucherota vocatur commanens solitarius vidit, sicut ipse referebat non dormiendo, sed vigilando media die S. Dei genitricem MARIAM in Cœlo instar Reginæ præcelso in throno residentem, & duas Sanctas, VValdetrudem, & Aldegundem pedibus eius se prosternentes, de Theoderico Anesnensi qui Ecclesias earum combusserat, vltionem postulantes. Et cùm vehementer conquererentur, acriusque iustitiam expeterent, S. Virgo sic eis respondebat. Parcite, quęso, mihique nolite esse molestæ, quia nolo in præsentiarum illum grauare. Vxor enim eius Domina Ada quoddam seruicium mihi facit, quo me sibi sic familiarem adstringit, vt nec ipsi, nec marito eius pati possim aliquid inferri grauaminis. Cùm autem Sanctæ illæ requirerent, quod esset illud seruitium, respondebat: Angelicam Salutationem, quæ in terris principium mihi lætitię extitit, singulis diebus mihi sexagies replicat. Et vicies quidē prostrata, vicies genibus flexis, vicies autem stando, aut in Ecclesia, aut in cubiculo, aut in aliquo loco secreto. Cū verò illæ Sanctæ adhuc instantiùs, multa replicantes sese vindicari importunè exigerent, tandem Beatissima Virgo ita ijs respondit. Rogo, vt mihi in præsenti de hac vltione inducias detis, & ego promitto vobis, quòd veniet tempus, quando de eo iustitiam vobis faciam, & contra Dominam Adam nihil delinquam. Post hæc cōsanguinei contristati, quod de coniuge sua Theodoricus prolem nō haberet consanguinitatis linea quarta eos propinquos esse; coram Odone Episcopo Cameracensi, qui Abbas fuerat S. Martini Tornaci, accusauerunt, & die statuta iure iurando confirmarūt. Sicque Ecclesiastico indicio, cùm iam plusquam viginti annis simul manssissent, coniugium illud dissolui fecerunt. Vix autem dimidius annus transiuerat, & ecce præfatus Theodoricus in syluam venatum pergens ab Isaaco de Barlemont insidijs circumuentus, occiditur, & ad cœnobium Lessinse, quod ædificauerat, relatus in Capitolio ante sedem Abbatis sepelitur. Tuncque vulgatum est, verum fuisse, quòd solitarius se audisse dixerat, Beatam MARIAM promittentem, quia eas vindicaret, & contra Dominam Adam iam ab ea separatam nihil delinqueret. Eadem verò Domina à marito disiuncta continuò relicta seculari pompa, ad cœnobium, quod cum viro suo cōstruxerat, abijt: nec tamen ex toto proprietatem dimisit, sed ædificata iuxta Ecclesiam sibi domo lapidea, nolens grauare monasterium de reditibus suis vsque ad finem vitæ vixit. In tantum verò id quod diximus inualuit, vt etiam Goscegninus, qui Theodorico successit easdem Salutationes Angelicas Sanctæ MARIÆ quotidie replicaret, militibusque suis eas quotidie dicere suaderet. Quamobrem, & ipse licet multa mala fecerit, tamen bono fine vitam terminauit. Nam sentiens se valida ægritudine laborare, in eodem cœnobio Monachus factus, sicque defunctus, iuxta auunculum suum in Capitulo est sepultus. *Annales Hannoniæ volum. 3. cap. 19. Chronicon Monast. S. Martini Tornac. MS.*

§. III. *B. Catharina Suedica sanat confratrum, virtute Salutationis Angelicæ.*

Cùm quidem è familia B. Catharinæ Suedicæ Virginis, & Viduæ somno correptus è curru decidisset, inter equorum pedes succedentes mox rotæ adeò eius costas attriuerunt, vt vix anhelitum ducere videretur. In currum autem subleuatus animum Catharinæ multo dolore affecit. Itaque suo more dicebat Salutationem Angelicam, & leuiter hominis quassatum latus contractabat, mox adeò ille restitutus est, vt qui, præ doloris acerbitate spirare vix poterat, eodē die lętus discurreret. *Suriu. in vit. Martij 22. cap. 17.*

§. IV. *Elzearij Comitis in offerenda B. Virgini Salutatione Angelica deuotio.*

Nobilis Domina Garsenda Elzearij Comitis nutrix, cùm aliquando Christum pro eo noctu in Ecclesia deprecaretur, hanc vocem audiuit: Iuueni huic pro quo tam multum oras, noueris me Matrem meam dedisse Magistram; nihil igitur de illo dubites. Ad quas voces illa nimirum obstupefacta, vbi ad se reddijt, rogauit Dominum, vt si illusio esset, abscederet; sin autem res vera, se certiorem redderet. Altera igitur die cum Missæ sacrificio pie, ac deuotè interesset, post consecrationem, corporeis auribus, vocem huiusmodi ad se dirigi sensit: Quæ superiori nocte de iuuene Elzeario tibi dixi, ea non ambigas vera, & certa esse. Illa verò Confessario suo viro, valdè Religioso Fratri Ioanni Iuliani ea indicauit. Is porrò secretò ex Elzeario perconctatus est, quem in precibus suis modum, formamque sibi præfigeret, & quem è Sanctis sibi præcipuè Patronum elegisset. Respondit ille: Equidem Virginem Sanctissimam mihi Patronam, & Aduocatam delegi. Cùm autem ad orandum me præparare volo, indignitatem, & vilitatem meam priùs consídero: atq; ita Matri gratiæ me commēdās, eam precor humiliter, vt ea quæ ipsi, & eius benedicto Filio grata sint, ponat in corde,

& ore meo : simulque quanta possum animi humilitate, ac pietate, Salutationem Angelicã semel ei offero. Ea Salutatione Virgini Matri recitata, nunquam mihi deest illa mea Patrona. *Surius 27. Sept. in vita cap. 14.*

§. V. *Merces recitatæ Salutationis Angelicæ, felix è vita exitus.*

Cùm paupercula quędam gregem pasceret propè ædiculam B. V. MARIÆ sacram, sed desertam, in qua sola Virginis effigies visebatur inculta, frequenter desiderabat locum purgare, & imaginem decorare. Verùm ob inopiam cùm id minimè posset, eidem Virgini desiderium id præstandi offerebat, & loco ornamentorũ, Salutationem Angelicam frequenter ingerebat. Tandem febri correpta, & morti proxima didicit, quàm grata ei accidisset, & Salutatio Angelica frequẽtata, & pius eius imaginis ornandæ affectus. Adfuit enim illi, tribus turmis Virginum Beatarum stipata. In I. ordine erant, quæ Virginitatẽ sine voto seruarant. In II. quæ votum addiderant. In III. quæ, & Virgines, & Martyres extiterãt: inter has Mater MARIA VV. Regina nõ horruit, exile tugurioluũ in quo iacebat clictula, eãque suo, & sui comitatus aspectu, affatuq; mirificè solata, paulò post expirãtis animam inter maternos receptam amplexus, serto pulcherrimo redimitam, triumphantis in morem, Cœlo glorioſam intulit. *Antonius Balinghen in Kalend. B. V. Martij 25. num. 13.*

§. VI. *Ab ægris, si non tota possit, pars saltem Salutationis Angelicæ, recitetur.*

Beati Gertrudis sanctimonialis, Instituti Sancti Benedicti lecto affixa ob infirmitatem, dolensque quod integram Deiparæ coronam pro more recitare nequiret, statuit hæc tantùm verba, Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, pronunciare, expendendo cũ affectu mysteria, ac virtutes Virginis. Quòd dum facit, statim ei apparuit B. Virgo amicta pallio viridi, in quo præter alios flores resplendebant rosæ constantes sex foliis, quorum tria quasi aurea diuersis gemmis exornata, alia tria indicibili colorum varietate pulcherrimè distincta erant. Intellexit autem tribus primis aureis foliis tria priora Salutationis Angelicæ capita, quæ perpenderat, repræsentari. Alia verò tria à Sponso inexplicabili colorum varietate adeò ornata ad remunerandum affectum, quo dulcissimam Matrem suam salutasset. Secundò prudentiam, qua, cùm se minus valere sentiret tres illas Angelicæ Salutationis partes elegisset, in quibus, quasi cardinibus, tota precandi ratio vertitur. Tertiò, spem & confidentiam, qua Filio, & Matri gratum fore sperauit exiguum illud, quod ægra obtulit. *Gertru. Lib. 4. Insinuat. ca. 49.*

§. VII. *Gloria, & gaudium redundans in Deiparam, ex Salutatione Agelica.*

In festo Annunciationis, dum in Matutinis cantaretur Aue MARIA, vidit B. Gertrudis tres riuulos efficaciſſimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, cor Virginis Matris suauissimo impetu penetrare: & de corde ipsius rursus efficaci impetuositate suam originem repetere: & ex illo influxu SS. Trinitatis hoc Beatæ Virgini donatum fore: quod ipsa est potentissima post Patrem, sapientissima post Filium, benignissima post Spiritum Sanctum. Cognouit etiam, quòd quotiescumque Salutatio Angelica, silicet Aue MARIA cum deuotione recitatur à fidelibus in terris; prędicti riuuli efficaciori impetu superabundantes circumfluunt Beatissimam Virginem, & ex altero latere reinfluunt cor ipsius sanctissimum, sicque cum mira delectatione repetunt fontem suum. Ex illa autem redundatione, venæ quædam gaudij, delectationis, & æternæ salutis resperguntur in omnes personas, Sanctorum hominum, & Angelorum, & insuper illorum, qui in terris commorantur, & commemorant eandem Salutationem, per quas renouatur omne bonum in singulis, quòd vnquam per salutiferam Incarnationem Filij Dei sunt adepti. *Lib. 4. Insinua. B. Gertrud. cap. 12.*

§. VIII. *Colitur Deipara, die Annunciationis potissimùm, & per octauam, certo numero Salutationum Angelicarum.*

B. Gertrudis desiderans inuestigare quid Orationis B. Virgo acceptaret specialius in festo Annunciationis, edocta est ab ea, quod si quis per octauam quotidie legeret 45. Aue MARIA cum deuotione in memoriam illorum dierum, quibus Dominus IESVS creuit in vtero suo, ille tam acceptum famulatum sibi exhiberet, quàm si eo die, quo Dominum concepit sibi adfuisset, ac per singulos dies vsque ad partum diligentissimè sibi obsequia impendisset. Et quam inuitè illi tunc pro seruitio suo Virgo denegasset, quidquid ab ea desiderasset; tam inuitè vellet ei denegare petitionem suam. *Lib. 4. Insinuat. c. 12.*

* * *

§. IX. *Epitome fructuum spiritualium, qui decerpuntur ex arbuscula Salutationis Angelicæ.*

Thom. de Kipis li. Soliloq.

O Domina humiliter, & reuerenter, deuote, & confidenter ad te procedo Gabrielis portans in ore Salutationem tibi supplicitèr offerendam. Quam inclinato capite ob tui reuerentiam, & expansis manibus, ob eminentem deuotionis affectum lætè repræsento. Atque eandem centies, millesies, & multo amplius ab omnibus cœlestibus Spiritibus pro me dici peto, & exoro. Nam quid dignius, & dulciùs pro præsenti offerã prorsus ignoro. Auscultet nunc Sancti nominis tui pius amator. Cœlum gaudet, stupet omnis terra dum dico Aue MARIA. Satan fugit, infernus contremiscit, cum dico Aue MARIA. Abscedit tristitia, venit noua lætitia, cum dico Aue MARIA. Torpor euanescit, cor ex amore liquescit, cum dico Aue MARIA. Crescit deuotio, oritur compunctio, spes proficit, augetur consolatio; cum dico Aue MARIA. Recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus, cum dico Aue MARIA. Siquidem tanta est suauitas huius benedictæ, Salutationis, vt humanis non possit explicari verbis; sed semper manet altior, & profundior, quàm omnis creatura indagare sufficiat. Propterea iterũ flecto genua mea ad te sanctissima Virgo MARIA, & dico Aue MARIA gratia plena. Suscipe clementissima Domina mea S. MARIA hanc deuotissimam Salutationem, & me in ea suscipe, vt aliquid habeam, quod tibi gratè placeat, quod mihi fiduciam, ad te præstet, quod maiorem semper amorem accendat, ac iniugi deuotione tui venerandi nominis conseruet. Sed & nunc in præsentia tua prostratus, & sincera deuotione inuitatus, atque totus in veneratione almiflui nominis tui accensus, repræsento tibi lætitiam Salutationis istius, quando Gabriel Archangelus à Deo missus, secretarium thalami tui est ingressus, & flexis reuerenter genibus noua, & inaudita à seculo Salutatione, tuam Virginalem faciem honorauit, & dixit: Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu, in mulieribus. Quam & ego fidelium more, & aureo, si possem, ore, ex integro cupio persoluere, atque vt mecum omnes creaturæ pariter loquantur ex intimis visceribus concupisco, Aue MARIA, gratia plena. Hæc est salutatio Angelica Spiritus Sancti institutione formata, tuæ maximæ dignitati, & sanctitati congrua. Hæc est oratio parua verbis, alta mysterijs: breuis sermone, lata virtute: super mel dulcis: super aurum preciosa: ore cordis iugiter ruminanda, labijsque puris frequentissimè legenda, & repetenda. Nam verbis paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cœlestis suauitatis diffunditur. Sed væ fastidiosis, væ indeuotis, & vagis Oratoribus aurea verba non ponderantibus, nec mellea pocula gustantibus, qui toties dicunt Aue MARIA sine attentione, & deuotione. *Paulus V. Pontifex Max. concessit recitantibus Aue MARIA ad horã pulsum centum dies indulgentiarum.*

CAPVT. IV.

PRAXIS SALVTATIONEM Angelicam piè, deuoteque recitandi: & super eadem iucundè, fructuoseq; meditandi.

§. I. *Duplex modus preces vocales cum fructu recitandi.*

Tradunt Orationum piarum Magistri, duos modos, quos præscribit S. Ignatius Loyola in exercitijs spiritualibus, perquam vtiles, vt quælibet Oratio vocalis, dum lingua effertur, aut mente voluitur meditatiunculæ deseruiat, & pijs affectibus excitandis.

Prior est, vt oranspræmissa intentione, & præparatione debita, Orationem vocalem à principio recitare aggrediens, tam diu in prima voce, vel primis vocibus sensum aliquem conficientibus expendendis, affectibusque consentaneis eliciendis insistat, vsq; dum deuotioni suæ satisfecerit. Quod quidem trifariam fieri potest. 1. Prolixiùs. 2. Succinctiùs. 3. Breuissimè. Primò, Prolixiùs, tam diu singulis verbis, quæ sensum bonum, integrumque continent ponderandis inhærendo, quamdiù variæ piæ significationes, similitudines, discursus, spirituales gustus, aliæque deuotæ commotiones incident. Secundò. Succinctiùs, si non in singulis penè verbis, sed in periodis integris expendendis paulisper immoretur, vsque dum ad affectus congruos, quos verba præse ferunt, moueri se senserit, eosque paulò accuratiùs aliquot suspirijs internis expresserit. Tertiò. Breuissimè, si in singulis periodis paullulum expendendis, vel potius alias expensis, ruminandis, affectibusque congruis, aliàs accuratius excitatis renouandis, breuissimo temporis spacio insistat. vsque dum, corde illos affectus, quos verba continent, aliquo saltem modo exprimant. Posterior orandi modus in hoc consistit, vt Orans inter singulas ferè respirandi vices, singula orationis vocalis verba, sensum aliquem constituentia, pronunciet, expensa interim, vel significatione singulorum, vel personæ ad quam dirigitur, dignitate, vel sua ipsius vilitate, vel vtriusque differentia; vel rei, seu gratiæ, quam petit necessitate: vel eorum pro quibus petit, indigentia, vel meritorum Christi, aut B. Vir-

Christ. Mayer. Indust. p. 1. c. 11

Virginis, aut Sanctorum, per quæ petit excellentia, ad pios aliquos affectus, aut fiduciæ, aut gratitudinis, aut contritionis, aut amoris, aut zeli gloriæ Dei, & salutis animarum, aut similes concitandos, fouendosque toto orationis decursu. Quod potest fieri similiter trifariam. Primò. Prolixiùs paulò, singulis verbis sensum integrum facientibus transmittendis prædicto modo, insistendo, subinde paulò ampliùs, quàm per vnam respirandi vicem, vbi adfluit affectus, non tamen multum præfatum interuallum excedendo, aliàs coincideret cum secundo modo. Secundò. Breuiter, singula per singulas ferè respirandi vices, aut subinde etiam citiùs, vbi minùs lucis, & deuotionis adfulget decurrendo. Tertiò. Breuissimè, communem ferè in ijs recitandis orandi modum seruando, & nihilominus prædictas pias reflexiones adhibendo. Quod facile assequetur orans in ijs orationibus frequentandis, quas aliàs accuratius expenderit, affectusque ijs contentos imbiberit.

Anton. Spinell. Tract. in Salut. Angel.

§. II. PRIMA PRAXIS.

I. AVE.

Hoc est, Gaude Virgo Sanctissima.

1. Quia es gratia plena. 2. Quia Dominus tecum. 3. Quia benedicta tu in mulieribus. Siquidem.

Inoffi. Nat. D. Seduliꝰ.

Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore,
Nec prima simile visa es, nec habere sequentem.

II. Gaude V. Beatissima.

Lucæ 1. Bernar. hom. 3. in Miss. Lucæ 1.

1. Quia inuenisti gratiam apud Deum, quam, & ipsa quærebas, nec ante te vllus inuenire vnquam potuerat. 2. Quia Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi. Ecce concepisti in vtero, & peperisti IESVM Filium altissimi. 3. Quia fecit tibi magna, qui potens est: ideoque in tuo Cantico spiritum tuum in Deo salutari tuo exultasse fatebaris.

III. Gaude Virgo Sacratiss.

Eccles. in festo Concept.

1. Quia gaudium annunciasti in vniuerso mundo. Ex te enim ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui tanquam verus noster Isaac (Isaac enim risum sonat) ex te omnium Domina, per Saram (quæ Dominam significat) figurata prodijt: qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donauit nobis vitam sempiternam. 2. Quia tartarei Serpentis caput eiusque seminis à præpotenti Deo inimica iam inde à mundi exordio constituta, illius truculentum caput contriuisti. 3. Quia cunctas hæreses interemisti sola in vniuerso mundo.

Gen. 21.

Gen. 2.

Eccles. in offic.

IV. AVE.

Virgo gloriosa
Mutans Euæ nomen.

1. Tu siquidem noua Eua secundi, ac cælestis Adæ, qui factus est in spiritum viuificantem, vera es Mater. 2. Tu reddis almo germine, Quod Eua tristis abstulit. 3. Tu cunctorum Mater es viuentium, qui nimirum in vitam spiritualem regenerantur.

V. AVE.

Hoc est, absque væ.

1. Culpæ originalis. 2. Culpæ cuiusque actualis, quamuis leuissimæ. 3. Absque peccati fomite, qui in te perpetuò extinctus fuit.

MARIA.

S. Hier. de nom. Hebr.

1. Quæ iuxta huius sacratissimi ac melliflui nominis interpretationem Stella es, ac Myrrha maris; amarum item Mare, ac Domina. 2. Stella es illuminatrix maris, hominibus, qui in mari amaro, ac procelloso vitæ præsentis eius fluctibus iactantur. 3. Myrrha es maris, & amarum mare. Et quidè Myrrha maris fuisti ratione compassionis amarissimæ, qua veluti acutissimo gladio anima tua sanctissima transfixa est, ac veluti inquieti maris fluctibus exercita. Verba illa Domini dicere poteras: *Omnes fluctus tuos induxisti super me. Magna* sanè, *velut Mare, fuit contritio tua.* Amarum verò Mare es Dæmonibus: *Per te*, vt Bonauentura tuus contempla tur, *oppressis, & submersis, non sequus, ac Ægyptij in mari rubro: ideoque illis amara facta es, atque timenda.* 4. Domina verò es Angelorum omnium atque hominum.

Psal. 87

Thre. 2.

Bonau. in Spec. cap. 3.

GRATIA PLENA.

1. Plena fuisti gratia, quam vocamus iustificantem, ac virtutibus, quæ illam comitantur, Theologicis, cæterisque infusis, vnà cum Sancti Spiritus donis, ac fructibus vniuersis in eminentissimo quodam, ac Heroico gradu. Quæ omnia Deus Opt. in te plena manu congessit. 2. Gratijs, quæ gratis datæ dicuntur instructa. 3. Singularibus priuilegijs, atq; prærogatiuis præ cunctis egregiè exornata.

PLENA.

S. Bern. Serm. 2. de Assũ. Spiritu S superueniente nobis quoque superplena, & superefflluens facta est.

1. Plena gratia in tua immaculata Conceptione. 2. Super plena in Diuini Verbi ex tuis castis viscerib̃us Incarnatione. 3. Superefluens, seu redundans nobis omnibus in tua præsertim glorioſa Assumptione. Quippe quæ veluti vas precioso liquore plenum, cum precibus nostris moueris, gratias vberrimè effundis.

DOMINVS.

1. Qui est Pater tuus. 2. Filius tuus. 3. Sponsus tuus.

DO-

DOMINVS TECVM.

S Bonauent. in Speculo. Lucæ 2. Vsitata dicendi formula, vt Psal. 49 ex persona Dei. Pulchritudo agri mecum est: hoc est, in meæ ditione ac potestate. Lucæ 2. Ioan. 2. S. Ansel. apud S. Bonau. in Spec. Virg. c. 9.

1. Quia in te Domini Omnipotentia Sapientia, & Bonitas præ omnibus puris creaturis insigniter relucent. 2. Ex te Dominus carnem assumens in sacratissimo vteri tui templo nouem menses est commoratus. 3. Tecum non solùm multis annis in terris conuersatus: verum etiam Dominus tecum, hoc est, tuus, olim quidem sub iure quodammodo tuo, dum tibi subditus, atque obediès esse dignatus est: nunc etiam in cœlo, dum tuis precibus prompta voluntate morem gerere studet. Quare deficite in nostris spiritualibus nuptijs, quibus Anima eidem Domino desponsatur, consolationis vino, pro ea, qua apud illum polles authoritate, fideliter ei suggeras, *Vinum non habent*: nec patieris repulsam, cùm ad preces tuas, tribulationis aqua Christi virtute in vinum spiritualis gratiæ atq; lætitiæ cõuertatur. Igitur. *O pijssima Domina, obsecro te per gratiam, qua fic Dominus esse tecum, & te voluit esse secum, fac propter ipsam secundùm eandem ipsam gratiam misericordiam tuam mecum: fac vt amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum: fac, vt timor necessitatis meæ, quandiù ipsa persistit, sit tecum; & respectus pietatis tuæ, quamdiu ego subsisto, sit mecum, fac vt congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum; & compassio miseriæ meæ, semper, quantum mihi expedit, sit tecum. Dominus ergo tecum, ò MARIA!*

I. BENEDICTA TV.

Genes. 3. Isai. 66. Eccles. in die Assũpt. S. Damasc. Orat. 2. de Dormit. Psal. 44

Quæ maledictionis cuiuscumque expers, omni es cumulata benedictione. Siquidé es. 1. Benedicta tu inter coniugatas. Quippe quæ Virgo, & fœcunda fuisti. Nam & sterilitatis opprobrij, quæ apud Iudæos olim maledictionis instar erat, immumis, Genitricis dignitatem obtinuisti, & virginalem pudicitiam non amisisti. 2. Benedicta tu, quæ Filium tuum dulcissimum, absque vlla doloris in partu maledictione, cæteris mulieribus, propter Euæ peccatum irrogata, in lætitia peperisti. 3. Benedicta tu, cuius corpus sacratissimum in sepulchro communem illam maledictionem, qua omnes Filij Adæ in terram aliquando conuertuntur, diuino beneficio euasit. Neque enim vidit corruptionem, sed eo post tuam sacram dormitionem, ab omnia mox resumpto, gloriosa, & corpore, & anima à dextris Filij adstas in cœlis.

II. BENEDICTA TV.

Iud. 13. Aug. ser. 18. de SS. Eccles. in offic.

1. Benedicta tu à Domino in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. 2. Benedicta tu, per cuius partum antiqua maledictio tollitur: protoplastorum mutatur natura: deletur culpa. 3. Benedicta Filia tu à Domino, quia per te fructum vitæ A communicauimus, cuius gustu ad æternæ vitæ delitias, & perennitatem enutrimur, ac reparamur.

III. BENEDICTA TV.

Iud. 13. Lucæ 1. Lucæ 2. Beda hom. 4. in Luc. 11. Cant. 6. Lucæ 1. S. Bern. Serm. 2. Pentec.

1. Benedicta tu à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recèdat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini. 2. Benedicta tu inter mulieres ab Archangelo Gabriele, & Elizabeth meritò pronunciaris. 3. Benedicta tu non solùm à S. Simeone sene, & ab Anna Prophetissa in tuæ mundissimæ Purificationis die, verùm etiam à muliere illa de turba, quæ typum gerens Ecclesiæ Catholicæ, Iudæorum furorem Filium tuum calumniantium nihil verita, non minus piè, quàm fortiter extollens vocem dixit illi: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Quin etiam à filiabus Sion, ab animabus scilicet religiosis, quæ te viderunt, hoc est mẽtis oculis eximiam tuam dignitatem attentè expenderunt, collaudaris: imò ab ijs, & ab omnibus generationibus, quemadmodum tu ipsa testata es, *Beatissima prædicaris: Quoniam omnibus generationibus vitam, & gloriam, genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iustificationem, peccatores veniam inuenerunt in æternum.*

IN MVLIERIBVS.

Pro. 31. Iere. 31. Lucæ 2. Mat. 21. Apoc. 3.

1. Tu es mulier illa fortis à Salomone sapienter descripta, cunctis seculis desiderata, cuius precium procul, & de vltimis finibus. 2. Tu es fœmina illa apud Ieremiam, quæ in vtero virum circumdedisti, id est, Christum iam tum virum sapientia perfectissimum absque viri consortio concepisti. 3. Tu inter mulieres Virginitatis vexillum voto consignatum prima omnium, sine exemplo extulisti: quin etiam norma, & regula coniugatis pariter atque viduis extitisti.

BENEDICTVS FRVCTVS ventris tui.

Filius tuus sacratissimus fructus ventris tui ab omnibus benedictus prædicatur. 1. A S. Simeone sene, & Anna Prophetissa in templo. 2. A pueris Hebræorum in solemni die Palmarum ei acclamantibus, *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.* 3. Ab Angelis, & Sanctis in cœlo. Quin etiam teste S. Ioanne in Apocalypsi: *Omnis creatura, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo omnes pariter Agnum benedicebant.*

FRVCTVS VENTRIS TVI.

Gen. 3. Sap. 14.

1. Filius tuus benedictus est fructus ligni vitæ suauissimus, qui ex Crucis sacratissimæ ligno benedicto, per quod fit iustitia, pependit, mortemque nostram ex peccato

Adæ

Adæ inflictam moriendo destruxit, & gustatus vitam reparat sempiternam. 2. Filius tuus est semen illud Patriarchis promissum, in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ. 3. Fructus ventris tui est hæreditas Domini, & merces Beatorum in cœlo.

Gen.22. *Ps.126.*

VENTRIS TVI.

1. Beatus venter tuus, qui æterni Patris Filium portauit. 2. Benedictus venter tuus, qui fuit sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Vmbilicus etiam tuus, sicut crater tornatilis nunquam indigens poculis. Ex te enim prodijt Christus Dominus, cuius precioso corpore, & sanguine in hac nostra peregrinatione sub speciebus panis, & vini pascimur, nutrimur, ac roboramur. 3. Vēter tuus fœcundus ille quidem, sed tamen vallatus lilijs, quia candidissimæ Virginitatis perpetua integritate ante partum, in partu, post partum, vndique septus est atque munitus: & contra Dæmonum venena non secus, ac lilium contra serpentis ictus antidotum es præsentissimum.

Luc.11. *Cant.7.* *Ioan.6.* *Pli.lib. 21.c.19*

I. IESVS.

1. IESVS, hoc est, Saluator, qui est magnus secundùm nomen suum: maximus in salutem Electorum Dei. IESVS nomen suum implens saluum fecit populum suum à peccatis eorum. 2. IESVS idem sonat, quòd Medicus ipse cunctis animarū nostrarū languoribus medicinā adfert. 3. Hoc nomē nouum, quod os Domini nominauit, & à nobis ob eius dignitatem eximiam, & altissima, quæ continet Sacramenta penitus comprehendi nequaquam potest, iuxta illud Prouerb. 18. *Quod est nomen eius, & quod nomen filij eius si nosti?* Hoc inquam nomen diuinorum attributorum proprietates exprimit: aliorum Christi nominum mysteria in se vno complectitur: quemadmodum manna, quod omne delectamentum, omnemque habebat saporem suauitatis.

Eccl.46 *Mat.1.* *Epipha. hæa.29.* *Cyril. Catec.2.* *Salmer. Tom.3. tr.377.* *Isai.26.* *Pro.18.* *Isai.9.* *Sap.16.*

II. IESVS.

Quod nomen sacratissimum.

1. Sanctū, & laudabile in secula Angelis, & Beatis in cœlo. 2. Magnum, & admirabile hominibus in vniuersa terra. 3. Tremendum atque terribile Dæmonibus in inferno.

Dan.34 *Ps.75.1.* *& 8.* *Ps.210.*

III. IESVS.

Quod nomen gloriosum.

1. Turris est fortissima, qui iustum quemlibet, qui ad ipsum currit, tutatur, & exaltat. 2. Est maximè salutare. Propter hoc enim nomen Dominus, peccatis nostris, quātumuis magnis, propitiatur, iuxta illud: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multū est enim. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Itaque ab omnibus meritò mangnificandum, & in ipso exultandum, illudque inuocandum. *Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* 3. Est virtutis mirificæ, & efficacitatis inuictæ, de qua ipse Dominus: *In nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* In hoc nomine *Spernemus insurgentes in nobis.*

Dan.13 *Pro.188* *Ps l.24* *Actor.4* *Psal.33* *Psal.74* *Ioel.2.* *Actor.2* *Rom.10* *Mar.vl* *Ps.43.*

IV. IESVS.

Hoc benedictum nomen Maiestatis Domini est, super omne nomen ita, *vt in nomine IESV omne genuflectatur.* 1. *Cœlestium.* 2. *Terrestrium.* 3. *Infernorum.*

Ps. 71. *Ad Philip.2.*

V. IESVS.

1. In hoc nomine preces nostræ Patri Æterno, & ipsi Christo sunt porrigendæ, vt exaudiantur: *In nomine tuo leuabo manus meas. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Si quid petieritis me in nomine meo hoc faciam.* 2. In hoc nomine Dei nostri, nos ipsi magnificabimur. 3. In hoc nomine Sancto Domini sperare debemus. Et sanè, *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.*

Ps. 62. *Ioan. 16* *Ioan. 14* *Ps.19.* *Ps. 32.* *Ps. 39.*

VI. IESVS.

Quod nomen admirabile à Sponsa *Oleum effusum* dicitur, quoniam instar olei. 1. Corda peccatorum dura emollit. 2. Deuotionis ignem ac feruorem nutrit, & acuit. 3. Faciem conscientiæ exhilarat. Vires ac membra spiritualium athletarum ad pugnam cum Dæmone, & tyrannis fidei persecutoribus roborat, atque confirmat. Ideò Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Quare S. Ignatius præclarissimus Christi Martyr, antequam leonibus obijceretur, in suis atrocissimis tormentis Sanctissimum IESV nomen identidem appellabat. Cuius rei causam cùm à carnificibus rogaretur, se nomen hoc in corde scriptum habere, ideoque ab eius inuocatione cessare non posse respondit. Quo per martyrium vita functo, cùm eius cor in partes esset dissectum IESV nomen aureis litteris exaratum in singulis partibus inuentum est. *Deus in nomine tuo saluum me fac. Adiutorium nostrum in nomini Domini.*

Psal. 8. *Cant. 1.* *Ps.103.* *Act. 5.* *Vincent. Belluac. Spec.lib. 10.c.57.* *S.Antō. 1 p.hist. tit.7.capit. 11.* *Ps. 53.* *Ps.128.*

VII. IESVS.

Hoc nomen mellifluum olim Angelis, quibus in cœlo innotuerat, infusum, meritò à Sponsa oleo etiam in homines effuso comparatur. Quemadmodum enim oleum fouet ignem, nutrit carnem condiendo cibos, & lenit dolorem, ita & nomen IESV.

S. Bern. ser. 15. in Cant.

1. *Lucet*

Act. 9. 1. *Lucet* prædicatum. Ideò Paulus *Vas electionis* à Christo est missus, vt coram gentibus, & regibus, & filijs Israel hoc nomẽ portaret, cuius luce cœlum, terrasque compleret. 2. *Pascit* cogitatum. Eius enim memoria mentem spirituali adipe impinguat, exercitatos reparat sensus; virtutes roborat, vegetat mores bonos, castas fouet affectiones, & aridus est omnis animæ cibus, si nõ oleum istud infundatur; insipidus, nisi hoc sale cõdiatur. 3. *Lenit* inuocatum, & vngit. Si enim adsit animi tristitia, cordis duritia, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ, alijq; spirituales morbi, ac virium interiorum defatigatio, ad huius Sancti nominis inuocationem remedium adfertur. IESVS enim suo nos exemplo sanat, suo nos roborat adiutorio.

VIII. IESVS.

Hoc sanctissimum nomen in tribus potissimùm mysterijs celebratum inuenitur.

1. In Annuntiatione Sanctissimæ Virginis Deiparæ legimus illud vocatum ab Angelo priusquam in vtero Dominus concipieretur: *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.* 2. In sacratissima Domini Circuncisione, cùm à Sanctissima Virgine hoc ei nomen est impositum. 3. In amarissima Domini Crucifixione exaltatum, cùm in triumphali titulo super Crucem posito. Hebraicè, Græcè, & Latinè fuit scriptum, IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.

Lucæ 1. *Lucæ 2.* *Ioan. 19*

IX. IESVS.

Nomen hoc suauissimum,

1. *In aure est dulce canticum.* 2. *In corde melmerificum.* 3. *In corde iubilus, & nectar cœlicum.*

Ps. 154. *S. Bern. in Iubilo, & ser. 15. in Cant.*

X. IESVS.

Quod nomen excelsum, grata semper memoria nobis est recolendum, cum ipse totum se nobis exhibere dignatus sit, factus omnia omnibus. Quippe qui. 1. *Se nascens dedit Socium, conuescens in edulium* Viatoribus. 2. *Se moriens in precium* Peccatoribus. 3. *Se regnans dat in præmium* Comprehensoribus.

Isai. 12. *Ps. 44.* *1. Co. 15* *Hym. SS. Sacram.*

XI. IESVS.

Ille idem, qui.

1. *Spes est pœnitentibus.* 2. *Pius eum petentibus.* 3. *Bonus eum quærẽtibus. Sed quid inuenientibus?*

Bern. in Iubil. Ps. 39. Ioã. 14. Thren. 2 Bernar. Iubil.

XII. IESVS.

1. *Rex est admirabilis, ac Triumphator nobilis.* 2. *Dulcedo ineſtimabilis.* 3. *Totus desiderabilis.* Quilibet igitur toto cordis adfectu, *Sacratissimũ nomẽ IESV crebro inuocare studeat. IESV propter nomen tuũ dulce, fac mihi secundùm nomen tuum. IESV obli-*

Apoc. 15 *Colos. 1.* *Sap. 16.* *Cant. 5.*

A *uiscere superbum te prouocãtem: respice piũ piè miserum te inuocantem. IESV nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei. Quid est enim IESVS nisi Saluator? Ergo propter Temetipsum IESV, esto mihi IESVS: esto mihi Saluator benignus. Noli, Domine, noli attendere sic malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum. O bone Domine IESV etsi ego admisi vnde me damnare possis, Tu non amisisti, vnde saluare soles.*

S. Aug. libr. de contrit. cordis c. 3. to. 9

SANCTA MARIA.

Cant. 6.

1. Quæ Sancta fuisti in tua immaculata Conceptione, dum *progredieris quasi* Aurora *consurgens*, veri Solis prænuncia: Dæmones aues nocturnas fugans: Angelos aues diurnas ad Deum collaudandum excitans: omnes lætitia afficiens: & peccati tenebras expellens. 2. Sancta in omni vita, præsertim in tua salutari Annunciatione, cum Filium Dei concipiens facta es *Pulchra vt Luna*, ab eodem Christo Sole iustitiæ singulariter vndique illuminata: & ijs qui in peccatorũ tenebris degunt, non secus, ac Luna in nocte, exemplo, precibus, & meritis præluces. 3. Sancta in tua glorioſa Assumptione quando *Electa vt* Sol processisti, omnes etiam iustos, qui in diuinæ gratiæ splendore viuunt, tua intercessione illuminans, & ad diuinum amorem inflammans.

B

C

I. MATER DEI.

Ps. 84. *Isai. 45.*

1. Tu es illa terra nostra à Domino benedicta, quæ dante Domino benignitatem, dedisti fructum tuum, & germinasti Saluatorem. 2. Tu es mulier illa fortis à Salomone summis encomijs celebrata, quæ facta es, quasi *Nauis institoris de lõgè*, hoc est, de cœlo *portans panem tuum*, Christum scilicèt, qui est panis vitæ. Et hunc *Panem viuum, qui de cœlo descendit* per tuum partum virgineum inixa, in Bethlehem, quæ domum panis sonat, exposuisti. 3. Tu *es Fons* ille *paruus* à Mardochæo per somnium visus, *qui creuit in fluuium maximum, & in lucem, Solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit.* Vt propterea *Fons lucis æternæ, quæ illuminat omnem hominem* meritò appelleris. Ex te enim ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster, qui de se ipse dicebat: *Ego sum lux mundi.*

Pro. 31. *Ioan. 6.* *Esth. 10. & 11.* *Epipãh. serm. de Deip. Da. Or. 1. de Nat. Ioan. 1* *Ioan. 8.*

D

II. MATER DEI.

Ps. 88.

Quæ cùm sis Genitrix Dei, qui est omne bonum, cui vni quidquid boni habemus, acceptum referimus: à quo bona cuncta speramus: cui tot nominibus tantùm debemus; ideò tu præ omnibus secundùm Deum summa charitate à nobis es diligenda. 2. Quæ cùm ex hac Dei Maternitate dignitatẽ quandam

S. Thom. 1. p. q. 15 ar. 6. ad 4. 22. q. 103. ar. 4. ad 2.

dam infinitam sis cõsequuta, singulari propterea reuerentia, & adoratione, quam vocamus hyperdulia, præ cæteris Sanctis es colenda. 3. Quæ propter hanc intimam cum Filio coniunctionem ea apud ipsum vales authoritate, vt magna fiducia sub tuum præsidium confugere possumus: quo apud eum pro nobis intercedere, & quæ saluti nostræ sunt necessaria ab eo impetrare digneris. Quid enim negabit Matri ostendenti pectus, & vbera?

Eccles. in offi. V.

III. MATER DEI.

1. *O benedicta inuentrix gratiæ. 2. Genitrix vitæ. 3. Mater salutis. Per te accessum habeamus ad Filium, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis.*

S. Bern. Serm. 2. de Adu.

I. ORA PRO NOBIS.

1. Cùm sis vera Dei Genitrix, ac proinde Regina Cœlorum, Domina item Angelorum, atque hominum; idcirco nos seruos, ac famulos tuos opem tuam humiliter implorantes precibus, ac meritis tuis defendere, ac protegere dignare. 2. Cùm Mater nostra vocari non dedigneris, idcirco pro nobis filijs tuis, licèt indignis sub tuum præsidium confugientibus apud sacratissimum Filium tuũ Dominum nostrum IESVM Christum, quæsumus, intercedere digneris. 3. Cùm *Mater Misericordiæ, Mediatrix, Aduocata nostra* meritò voceris, *ad nos gementes, & flentes in hac lacrymarum valle illos tuos misericordes oculos conuerte*, & Clientum tuorum piè te inuocantium patrocinium apud Iudicem Filium tuum vt suscipias, enixè rogamus.

II. ORA PRO NOBIS.

1. *Domina nostra. 2. Mediatrix nostra. 3. Aduocata nostra. 4. Tuo Filio nos commenda. 5. Tuo Filio nos reconcilia. 6. Tuo nos Filio repræsenta.*

PRO NOBIS PECCATORIBVS.

1. Fatemur nos multis sceleribus obstrictos, sæpe ac grauiter nostris peccatis tuum Filium Deum, nostrum offendisse; eumque ad iustam de nobis vltionem sumendam prouocasse. 2. Ideoque omni pœna, ac supplicio dignos. 3. Verum tamen ad eius misericordiam supplices te Mediatrice, confugimus.

NVNC.

1. In hac præsenti vita, quæ veluti Nunc, & instans indiuisibile, velox est, breuis, ac momentanea. 2. Nunc, quia ex huius vitæ spacio nihil habemus, præter hoc præsens Nunc fugax, & impartibile. Præteritũ abijt, & ignoramus, quantum nobis vitæ in futurum supersit. 3. Nunc, dum in hoc exilio, & valle lacrymarum sumus, donec *aspiret dies, & inclimentur vmbræ*: quando adhuc tempus est misericordiæ: *antequam veniat nox, quando nemo potest operari*. Nunc igitur *ad te clamamus. Ad te suspiramus gementes, & flentes, vt IESVM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium* ostendere digneris.

Cant. 2.

Ioan. 9.

ET IN HORA MORTIS nostræ.

1. Nos omnes tuum suppliciter implora-
mus auxilium, vt in extrema illa, & periculosa pugna, in qua callidus serpens nostræ vitæ calcaneo insidiatur, Tu Dei Genitrix ab eodem hoste protegere eiusque caput conterere digneris. 2. Vt iustificationis gratiam, & in accepta iustitia magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum, quod sine speciali Dei auxilio haberi non potest, nobis efficaciter impetrare digneris. 3. Vt in hora mortis nos suscipere, Filioque tuo præsentare digneris.

Concil. Trident. sess. 14. Gen. 3. Hymn. O glorio sa Domina. Trid. sess. 6. Can. 10. & 32

AMEN.

Ita fiat.

1. *O clemens. 2. O pia. 3. O dulcis Virgo MARIA. 1. Per latus, & vulnera*, Sacratissima, *Filij tui, quæ pro nobis suscipere est dignatus. 2. Per pectus, & vbera tua*, Sanctissima, *quibus illum aluisti, atque fouisti. 3. Per viscera misericordiæ tuæ*, Benignissima, *quibus ad te confugientes complecti non dedignaris. 1. Fac ò* Benedicta *per gratiam, quam inuenisti. 2. Per prærogatiuam, quam meruisti. 3. Per misericordiam, quam peperisti. Vt, qui te mediante, fieri dignatus est particeps humilitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes nos faciat beatitudinis, & gloriæ tuæ IESV Christus Filius tuus, Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, & super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

S. Bern. Serm. 4. de Adu.

§. III. SECVNDA PRAXIS.

I. AVE MARIA.

Primò. Adora MARIAM, quæ interpretatur. I. *Stella maris*. Nam polare veluti sidus periculosam vitæ huius nauigationem, si ætentè inspicias, dirigit ad æternæ vitæ portum. II. *Illuminatrix*. Nam virtutum suarum èxemplo, Solis instar, ad bene operandum prælucet. III. *Domina*, cuius in superna curia authoritas est maxima. Secundò. Dole. I. Quia naufragus in hoc mari Syderis huius ductum non quæris. II. Quia in tenebris ignorantiæ mersus illuminatricis huius radios non optas. III. Quia indigens alieno patrocinio supremam huius Reginæ, cui nec facultas, nec scientia, nec voluntas tibi auxiliandi deest, patrocinium non desideras,

Ioannis Berchmã. S.I. in vita.

deras. Tertiò. Spera 1. Ab hac Domina auxi- A
lium ad expugnandos hostes spirituales. 2.
Ab hac illuminatrice lucem ad te, Deumq;
cognoscendum. 3. Ab hac stella maris cursum
ad portum salutis. Quartò. Gratias age Deo
& B. Virgini pro his beneficijs MARIÆ
nomine comprehensis. Quintò. Pete à Deo,
vt velit. 1. Te duci, ab hac stella totius mun-
di. 2. Illuminari ab hac illuminatrice totius
mundi. 3. Regi ab hac Domina totius mũdi.

II. GRATIA PLENA.

Primò. Adora B. Virginem, & in illa gra-
tiæ plenitudinem. Cuius. 1. intellectus fidei
lumine. 2. voluntas charitatis ardore. 3. me-
moria diuinorum beneficiorum recordatio- B
ne. 4. facultas concupiscibilis temperantia.
5. irascibilis quiete maxima. 6. oculi simpli-
citate columbina. 7. aures attentione ad Dei
vocem. 8. lingua moderato sermone. 9. gu-
status sobrietate. 10. tactus pudicitia. 11. pe-
des diligentia. 12. manus bonis operibus. 13.
conuersatio virtutum exemplis. 14. omnia
denique plena sunt virtutibus, & donis Spi-
ritus Sancti. Secundò. Dole paupertatem
tuam, qui gratiam vel reijcis, vel permittis
ociari. Quam ob causam miserijs plenus, &
totus inanis gratia. Tertiò. Spera MARIÆ
precibus, eam tibi, quæ decet, gratiæ pleni-
tudinem esse concedendam. Quartò. Gratias
age Deo, qui MARIAM, tanquã vas, cœlesti C
plenum rore exposuit, vt inde gratiam om-
nes haurirent. Quintò. Pete à B. Virgine,
cœlestis huius roris guttã, vt gratus, & ami-
cus Deo sis, stabilis, & ditior indies post ac-
ceptam gratiam.

III. DOMINVS TECVM.

Primò. Adora B. Virginem, quia Deo ma-
ximè est vnita. 1. corpore in incarnatione, 2.
spiritu in intellectu, rerum diuinarum cog-
nitione illustrato. 3. voluntate Deo maximè
conformi. Secundò. Dole, quia Dominus à
te, vel lethali culpa ereptus, tecum non fuit
semper; vel, quia à lethali culpa immunis
Dominum (eius gratia cuncta faciens) præ-
sentem non habueris. Tertiò. Spera per B. D
Virginem, quæ proxima Deo est, summam
cum ipso vnionem. Quartò. Gratias age B.
Virgini, quod Deum à nobis maximè remo-
tum ad nos attraxit. Quintò. Pete, vt te ab-
solutè charitatis glutine Deo vniat, eius se-
quendo voluntatem.

IV. BENEDICTA TV IN Mulieribus.

Primò. Adora B. Virginem, Benedictam.
1. in sanctis cogitationibus cordis. 2. in lin-
guæ pijs verbis. 3. in operibus ad diuinæ le-
gis regulam cõsummatis. 4. in animi demis-
sione. 5. in partu Redemptoris, à quo omnis
benedictio in genus humanum deriuata.
Quibus benedictionibus Euæ maledictiones
destruxit: quæ præcesserunt. 1. in eius cogi-
tata defectione. 2. vocibus ad Dæmonem
prolatis. 3. operibus diuino præcepto con-
trarijs. 4. superbia Deo resistente. 5. peccato
ad posteros transmisso. Secundò. Dole ob
eas, in quibus es natus, maledictiones. 1. Spi-
rituales, scilicet, intelligentiam excœca-
tam, voluntatem distortam, appetitiones
effrenes, sensus depravatos. 2. Corporales,
nimirum, morbos, egestatem mortem. Ter-
tiò. Spera te omnem à Deo benedictionem,
per B. Virginem impetraturum. Quartò,
Gratias age, quod in nos à Deo per B. Vir-
ginem tanquam à Capite, per Collum, in
corpus, multæ benedictiones transfundun-
tur. Quintò. Pete à B. Virgine, vt ab eius Fi-
lio iudicandus audias, cum electis, *Venite be-* *Mat. 25*
nedicti.

V. ET BENEDICTVS FRVctus ventris tui IESVS.

Primò. Adora B. Virginem, quæ Arbor
est vitæ, & Christum IESVM, Arboris hu-
ius fructum, qui vita nostra est. Secundò. Do-
le, quia animæ tuæ gustatui, non est suauis
fructus hic suauissimus. Et dulciores tibi
sunt terrenæ voluptates, quàm cœleste hoc
nectar. Tertiò. Spera à B. Virgine animæ
tuæ fœcunditatem, & à fructu ventris eius
fructus vitæ æternæ. Quartò. Gratias age B.
Virgini, quæ vera terra promissionis est, la-
cte, & melle manans, pro fructu nobis pro-
ducto. Quintò. Pete fructuum spiritualium
copiam, & feracitatem longè maiorem.

VI. SANCTA MARIA MAter Dei.

Primò. Adora in B. Virgine supernam
hanc diuinæ Matris dignitatem. Secundò.
Pudeat te vilitatis tuæ, coram hac suprema
Regina. Tertiò. Spera B. Virginem, quæ
Deum effecit fratrem nostrum, te in filium
accepturum. Quartò. Gratias age B. Virgi-
ni, quia peperit nobis Redemptorem, & quia
personam humanam ad infinitam diuinæ
Matris dignitatem euexit. Quintò. Pete à B.
Virgine Dei Matre, vt te diuinæ voluntati
obsequentem reddendo, Filij sui quodam-
modo Matrem faciat, dicente Domino:
Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, *Mar. 3.*
qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, &
Mater est.

ORA PRO NOBIS PECCAtoribus nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.

Primò. Adora B. Virginem. 1. quia Patro-
na nostra est. 2. quia Dei, hominumque con-
ciliatrix. 3. quia diuinorum beneficiorum
Impetratrix. Secundò. Dole, quia ex tantæ

Re-

Riginæ patrocinio, nullum tu, tuâ culpa, in te auxilium, vtilitatemque deriuas. Tertiò. Spera te à Deo impetraturum, quidquid B. Virgine causam tuam agente, à Deo petieris. Quartò. Gratias age B. Virgini pro diligenti cura, qua nos protegit. Quintò. Pete à B. Virgine MARIA. 1. Vt velit in sua clientela esse statos omnes Ecclesiasticos, & Laicos; viuos, & defunctos; affines, benefactores, persequutores, denique eos omnes, qui nostras exquirunt preces. 2. Vt impetret nobis nostrorum erratorum veniam a Deo. 3. Vt diuinæ voluntati omnium hominum voluntates obsequentes reddat. 4. Vt vitæ extremo tempore præsens nobis esse velit. Dic nonies: *Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium.* Ad memoriam nouem mensium quibus Christum portauit. Nouem fac genuflexiones. Visita septem templa dedicata B. Virgini Deiparæ. Recita ter Aue MARIA. Primum ad memoriam instantis quo sine peccato originali concepta. Secundum, ad memoriam instantis, in quo facta est Mater Dei. Tertium, ad memoriam instantis, in quo vnita fuit Filio post mortem.

§. IV. TERTIA PRAXIS.

Christiã. Meyer. Industr. p. 1. c. 11.

Inter recitandum Salutationem Angelicam possunt tria desideria excitari, præmissa perbreui verborum discussione.

I. *AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Vtinam agnoscaris, benedicaris, ameris, & laudaris à me, & omnibus, ô MARIA! tamque dignissima Mater Dei, omni gratia plenissima, supra omnes puras creaturas benedictissima, omni possibili deuotionis obsequio; sicut vult dilectus Filius tuus, singulis momentis temporis, & æternitatis!

II. *Et Benedictus fructus ventris tui IESVS.*

Vtinam vnigenitus Filius tuus cum Patre, & Sancto Spiritu; maximè ob inæstimabile Redemptionis nostræ beneficiũ, à me, & omnibus, infinitè benedicatur, ametur, laudetur, & superexaltetur infinities; gratis propter se; omni possibili reuerentiæ, amoris, gratitudinis excessu, supra omnia, nunc, semper, æternum, & vltra.

III. *SANCTA MARIA MATER Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen.*

Impetra mihi, & omnibus copiosam gratiam sanctè viuendi, in bono perseuerandi, perfecteque placendi dilecto Filio tuo, pro beneplacito suo, nunc, tota vita, in hora mortis, ad maximam eius, æternamque gloriam, per me, omnesque latiùs, perfectiùsque propagandam, per materna viscera tua, per collata tibi tot, & tanta charismata, per tot dilecto Filio tuo à te præstita obsequia, per eiusdem infinita merita.

§. V. QVARTA PRAXIS.

Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Carol. Scriban. Medit.

1. An non illam gratia plenam fuisse necesse est, è cuius purissimo sanguine Deus ipse carnem, & sanguinem hausit? 2. An non Dominus cum illa, qui nouem in illa mensibus habitauit? 3. Nonne illa benedicta, quæ ex omnibus mulieribus, vt Dei Mater esset, fuit electa? Virgo eadem, & Mater, quæ contereret caput Serpentis, cuius insidijs primi nostri parentes, cum tota stirpe, è paradisi felicitate exciderant. Meditare hic ingentem plenitudinem gratiarum in Dei Matre, cuius sinum, quanto altiùs profundiusque depresserat vera humilitas, tantò erat ad maiores gratiæ influxus excepiendos capacior. Quippè quo latior alueus, vallisq; depressior, eo aquis capiendis aptior. Non dispar in hoc cœlestis gratiæ proprietates, cui recipiendæ, quo quis altiorem in se humilitatis alueum effoderit, eo copiosius diuinum hunc imbrem excipiet continebitque. Nam diuinæ gratiæ mensura nobis est humilitas. Hac quo pectus pleniùs, eo cœlestium aquarum capacius: quo per superbiam inaniùs, hoc incapacius. Præterea cogita Dominum cum B. Virgine assiduò fuisse, cuius omnis cogitatio, sermo, desiderium, semper de Deo, & cum Deo erant: ita vt in eius anima Deus, tanquam in dicato sibi Templo perpetuo habitaret. Inspice, num, & tu templum, & habitatio Dei sis? An tuæ cogitationes omnes, ac desideria ad ipsum tendant? An potius in te mundus sedem fixerit? Vide vtrius te negocia frequentius occupent, & illius te templum esse scias.

§. VI. QVITA PRAXIS.

Numero versuum annum ætatis signans, quo MARIA Virgo ab Angelo salutata, & Dei Mater facta est.

In Fasciculo Myrrhæ, & Thuris.

Ave Virgo, Spes salutis;
Eua tulit seruitutis,
Tu tollis opprobrium.
O MARIA desperatis,
Das solamen, & damnatis,
Vitæ reddis præmium.
Gratia tu singularis,
Maris Stella Solem paris,
Dei gignens Filium.
Plena fluis, imò pluis,

Aquam

Aquam Vitæ, malæ luis,
Præsens dans remedium.
Dominus, qui cuncta regit,
Sibi Sponsam te selegit;
Dominamquè Gentium.
Tecum manens te muniuit,
Caput anguis mox contriuit,
Nobile commercium.
Benedicta quæ præcellis.
Et matronis, & puellis,
Clara priuilegio.
Tu fons roris, vena mellis,
Tota dulcis, nullifellis,
Subdita contagio.
In te nihil indecori,
Hinc te laudant omnes Chori,
Supernorum ciuium.
Mulieribus honore
Præis Mater, & amore,
Pari flagras omnium.
Et quis tantæ puritatis,
Aut persoluat dignè satis,
Virginis præconium.
Benedictus qui fit homo,
Seruans, quos damnauit pomo,
Adam primus hominum.
Fructus mirè delicatus,
Et in cibum nobis datus,
Robur fit egentium.
Ventris casti natus flore,
Verùm satus cœli rore,
Fructum pellit noxium.
Tui sumus, en, Clientes,
Tu sis Mater, & gementes,
Duc ad cœli gaudium.

§. VII. SEXTA PRAXIS.

Per modum meditationis communis.

Vincent. Brunus Medi. 5 de Annũ

1. *Aue MARIA.* Ac si dicat. Pax tibi sit, & gaudiũ, quæ ab omni maledictione, & ab omni peccati macula es immunis. Lætare, ò tota pulchra, tota immaculata, tota perfecta. Vide quomodo Angelus salutet Virginem, tanquam suam Dominam, omniq; honore dignam, & à Deo singulariter dilectam, electamq; Neq; verò inchoare salutationem suam alio verbo debuit, quàm illo lætitiæ pleno. Hac enim noua salutatione Saluatoris mundi aduentum annunciauit, qui planctum Euæ in Aue, siue lætitiam; tenebras nostras in claram lucem, mortem in æternam vitam conuertit. 2. *Gratia plena.* Nam plena erat illo, qui author est, & dator omnis gratiæ. Magna verè, & abundans fuit MARIÆ gratia, quæ cœlo gloriam attulit, terræ Deũ genuit, Angelis gaudium peperit, mundo pacem perfectam contulit. Fuit plena gratia, quia gratiæ quæ alijs Sanctis particulatim sunt concessæ, eæ omnes in summa perfectione in Virgine fuerunt. Illa siquidem fuit vellus, in quo Dei Filius instar roris de cœlo delapsi, cum vniuersa Diuinitatis suæ amplitudine se collegit. Quod vellus postea in ligno Crucis expressum, aspersit, & irrigauit, instar salutaris pluuiæ, omnes partes terræ. 3. *Dominus tecum.* Quid mirum gratia plenam fuisse illam cum qua erat Dominus ipse? Illud potius mirum, quomodo Dominus, qui mittebat Angelum ad Virginem præsens adesset Virgini. Id autem adfirmatè dicit Angelus *Dominus tecum.* Tecũ, nimirum, in mẽte per abundantiã gratiæ, velut tuus Deꝰ. Tecum erit in vtero per assumptionem carnis, velut tuus filius. Tecum per ardentissimam caritatem in corde, velut tuus sponsus. Est quoq; Tecum Pater, quia is genuit illum, quem tu concipies: Tecum est Filius, quia de carne tua illum vesties: Tecum est Spiritus Sanctus, cuius virtute concipies. 4. *Benedicta tu in mulieribus.* Merito *Benedicta*, quia in semine tuo benedictæ sunt omnes gentes, Et *Benedicta in mulieribus* imò supra omnes mulieres. *Primò*, quia prærrogatiuæ Virginitatis adiunctum est in te donũ fœcunditatis: Imò, quia prima omnium cum voto obtulisti virginitatem Deo, in omnibus alijs mulieribus maledictionem rescidisti. Sic prorsus, vt quemadmodum in Lege veteri steriles habebantur pro maledictis; ita post hanc oblationem tuam, status virginitatis ante latus, & beatior fastus est statu matrimonij. *Secundò*, quia libera extitisti ab omnibus mulierum maledictionibus, quæ sunt 1. concipere cum virginitatis iactura. 2. gestare vterum cum fastidio, ac pœna. 3. parere cum dolore. Concepisti tu saluo Virginitatis flore, grauida fuisti sine molestia, peperisti cum lætitia. Neq; solùm inter mulieres *Benedicta* fuisti, sed etiam inter Angelos ob gratiæ plenitudinem, puritatisq; tuæ præstantiam. Benedicta deniq; inter omnes Sanctos per tuæ charitatis perfectionẽ, & eminentiã. O quam suauis sonus est verbi *Benedicta* nostris auribus! quàm dulcis palato nostri cordis! Nullus sanè peccator est tantus, qui non expertus sit se multas gratias, ac benedictiones per MARIAM benedictam accepisse. Quare quilibet inuitatur ad referendam illi gratiam, & laudandam eam, illud ingeminando, *Benedicta tu.*

Deut. 7.

§. VIII. SEPTIMA PRAXIS.

B. Gertudris diuinitus intellexit Salutationem Angelicam, hoc modo pijs desiderijs esse intercalandam.

1. Ad voces, *Aue MARIA*, desideret recitans alleuiari omnes grauatos, & afflictos. 2. Dicens, *Gratia plena*, optet omnibus, quibus non sapit gratia, præstari eius saporem. 3. Proferens, *Dominus tecum*, cupiat omni-

Lib. 4. in fin. cap. 4.

omnibus peccatoribus indulgentiam. 4. Pronuntians, *Benedicta tu in mulieribus*, velit in omnibus incipientibus perfici bonam voluntatem. 5. Adiungens, *Benedictus fructus ventris tui*, precetur omnibus electis perfectionem. 6. Subnectens, IESVS *splendor paternæ claritatis*, voueat omnibus veram illius cognitionem. 7. Claudens salutationem ijs verbis, *Et figura substantiæ eius*, omnibus desideret diuinum amorem. Est autem admodum conforme diuino beneplacito, vt ad quolibet *Aue MARIA* adiungantur ista: IESVS *Splendor paternæ claritatis, & figura substantiæ eius.*

Ad Hebr. 1. 3.

Hortulo animæ.

§. IX. OCTAVA PRAXIS.

AVE Rosa sine spinis.
Te quam Pater in Diuinis
Maiestate sublimauit,
Et ab omni repurgauit.
MARIA Stella dicta maris,
Tu à Nato illustraris,
Luce clara Deitatis,
Qua præfulges cunctis natis.
Gratia plena. Te perfecit
Spiritus Sanctus dum te fecit,
Vas diuinæ bonitatis
Et totius pietatis.
Dominus tecum miro pacto
Verbo vitæ Caro facto,
Ope summi Conditoris,
O quàm dulce Vas amoris!
Benedicta tu in mulieribus.
Hoc testatur omnis tribus,
Cœli dicunt te Beatam.
Super omnes exaltatam.
Et benedictus fructus ventris tui,
Quo nos semper dona frui,
Per prægustum hic internum.
Et post mortem in æternum. Amen.

Missale Coloniē. Mindēs. Leodiēs.

§. X. NONA PRAXIS.

Ave MARIA gratia plena
Dominus tecum Virgo serena.
Benedicta tu in mulieribus,
Quæ peperisti pacem hominibus,
Et Angelis gloriam.
Et benedictus fructus ventris tui,
Qui cohæredes, vt essemus sui,
Nos fecit per gratiam.
Per hoc autem Ave,
Mundo tam suaue,
Contra carnis iura,
Genuisti prolem,
Nouum Stella Solem,
Nouagenitura.
Tu parui, & magni leonis,
Et Agni Saluatoris
Christi templum extitisti.
Sed Virgo intacta.
Tu floris, & roris,
Panis, & Pastoris
Virginum Regina
Rosa sine Spina
Genitrix es facta.
Tu ciuitas Regis iustitiæ,
Tu Mater es misericordiæ.
Theophilum reformans gratiæ,
De lacu fæcis & miseriæ.
Ergo maris Stella,
Verbi Dei cella:
Et Solis Aurora,
Paradisus porta,
Per quam lux est orta:
Natum tuum ora.
Nos vt soluat à peccatis,
Et in regno claritatis,
Quo lux lucet sedula,
Collocet per secula.

§. XI. DECIMA PRAXIS.

Ave nostræ spes salutis,
Et humanæ seruitutis,
Remouens opprobrium.
MARIA spe destitutis,
Vitæ munus, & virtutis,
Confer beneficium.
Gratia tu singularis,
Stella maris, lux solaris,
Deiparis Filium.
Plena fluis, imò pluis,
Vnde tuis, pieluis,
Peccati contagium.
Dominus, qui cuncta regit,
Trinitatis te elegit,
Aulam, & Triclinium.
Tecum manens hostes fregit,
Infernales, & subegit,
Per carnis commercium.
Benedicta quæ præcellis,
In matronis, & puellis,
Tenens priuilegium.
Tu fons roris, vena mellis,
Tota dulcis nullum fellis,
Habens seminarium.
In te nihil indecori,
Gloriantur in te chori,
Supernorum ciuium.
Mulieribus honori,
Tuus gartus est amori,
Nationi gentium.
Et quis tuæ puritatis,
Prosequatur dignè satis,
O Virgo præconium!
Benedictus qui te gratis,
Nobis dedit, vt peccatis
Afferret remedium.
Fructus pulcher, ex colore,
Fructus dulcis ex sapore
Refectiuus cordium.
Ventris tui natus flore
Sed complutus cœli rore,
Contra fructum noxium.

Missale Rom. antiq.

Id est qua pluuia, quæ est Christus diluis, & abstergis peccata.

Guilb. Duran. in rationali diuin. offic. lib.7 cap.7.

§.XII. VNDECIMA PRAXIS.

Per accommodationem ad quatuor Deiparæ festa, in quatuor anni partibus.

Inter cunctos Sanctos glorioſa Dei genitrix Virgo ſemper MARIA primatum obtinet. Vtpote quæ eſt Sanctis dignior, & excellentior vniuerſis. *Extra de pœnit. & remiſſ.* In cuius honorem Eccleſia in quatuor anni temporibus quatuor ſolemnes celebrat feſtiuitates, videlicet, Annũtiationem, Aſſumptionem, Natiuitatem, & Purificationem. Omni enim tẽpore ipſam in memoria habere debemus, quæ omni tẽpore ad Filiũ ſuum pro nobis peccatoribus intercedit. Hę autem quatuor feſtiuitates fiunt ſecundùm quatuor benedictiones, quæ in Virginis Salutatione continentur. Et benedictiones illę quatuor feſtiuitatibus perbellè accommodantur.

Annuntiatio.

Prima eſt, Aue MARIA gratia plena. Quæ competit Annuntiationi, quando eam Angelus ſalutauit, & de Spiritu Sancto concepit, facta gratia plena.

Aſſumptio.

Secunda eſt, Dominus tecum. Quæ competit Aſſumptioni, quando aſſumpta eſt in cœlum: quia tunc fuit cũ Domino ſuo, ideſt, Filio, vt eſt Dominus. Ante enim non viderat eum Dominum, ita manifeſtè in ſe.

Natiuitas.

Tertia eſt, Benedicta tu in mulieribus. Quæ competit Natiuitati. Quia tũc eſt nata mulier in vtero ſanctificata. Et ideò dicta eſt Caſtrũ propter ſingularitatem, quia Dæmones nunquam Caſtrum illud fregerunt.

Purificatio.

Quarta eſt, Benedictus fructus ventris tui. Quæ congruit Purificationi, quia tunc obtulit benedictum fructum illum ſuum in templo.

Ant. Spinel. tra. de Salu. Angel.

§.XIII. DVODECIMA PRAXIS.

Per accommodationẽ ad Deiparæ feſta præcipua, & eiuſdem actiones.

Feſta reuocari poſſunt ad duodecim vt ſint inſtar Coronæ ſtellarum duodecim, quibus redimitam conſpexit, Ioannes Apocal. 12. 1. *Conceptio.* 2. *Natiuitas.* 3. *Præſentatio in Templo.* 4. *Annuntiatio.* 5. *Viſitatio.* 6. *Partus.* 7. *Circunciſio Domini, in qua ipſa ei nomen impoſuit.* 8. *Purificatio.* 9. *Feſtum ad Niues, & ſimilia.* 10. *Aſſumptio.* 11. *Sabbatum ei dedicatum.* 12. *Feſtum perenne Deiparæ in cœlo.*

Conceptio.

1. *Aue.* Conceptioni immaculatæ. Primò *Aue* idem eſt, quod *Gaude*. Sola autem Virgo Deipara inter puros homines de ſua conceptione gaudere, ac lætari meritò poteſt: quippe ſola in hanc vitam, ſingulari Dei priuilegio, originali labe (propter quam reliquis, qui eam contrahunt meritò lugendum eſt) immunis emerſit. Secundò. *Aue*, idem eſt, quòd ſine væ, hoc eſt, ſine A miſeria. Sola Deipara inter puros homines in Conceptione, abſque *væ* meritò fuiſſe perhibetur, cùm labem illam, ſeu væ primigenium, miſeriarum omnium fontẽ, Deo prohibente neutiquam contraxerit. II. *MARIA.* Natiuitati ſanctiſsimæ, in qua hoc ei nomen meliſluum, iuxta ac glorioſum fuit inditum, à nobis omni affectu, ac reuerentia contra Dæmonum aſtus, ac ſæuitiam ident idem vſurpandum, atque inuocandum. *Natiuitas.*

III. *Gratia plena.* Præſentationi deuotiſsimæ, quando trinula in templo à parentibus oblata, ſeipſã Deo dedicauit, ibique vniuerſas filias, quæ ſibi ſpirituales diuitias cõgregauerant, longè ſupergreſſa, copioſiſsimæ B qua plena erat, gratiæ ſpecimen, ac præclariſsimarũ, & heroicarum virtutum, quæ talem tantamque gratiam comitabantur, exẽplum cunctis dedit abſolutiſsimũ. *Præſentatio.*

IV. *Dominus tecum.* Annuntiationi ſalutari, in qua prępotẽs Dominus ex eius puriſsimis ſanguinibus carne ſuſcepta in eius vtero virgineo nouẽ mẽſibus habitauit, ac proinde ſingulari ratione cũ illa fuit. *Annuntiatio.*

V. *Benedicta tu in mulieribus.* Viſitationi humillimæ, cũ à S. Elizabeth Spiritu Sancto repleta hoc elogio eſt exornata. *Viſitatio.*

VI. *Et benedictus fructus ventris tui.* Partui virgineo, quo abſque vllo dolore Chriſtum IESVM, benedictũ vẽtris ſui fructũ, qui guſtatus vitã cõfert ſempiternã, nobis enixa eſt. *Partus.*

VII. *IESVS.* Circunciſioni ſacratiſsimæ dulciſsimi eius Filij, quãdo ipſa, C iuxta id quod ab Angelo ei eſt præſignificatũ, *& vocabis nomen eius IESVM*, diuinum hoc ei nomẽ impoſuit. Quod inuocatũ, omnẽ cordi ſuauitatẽ, ac pietatis ſenſum infundit. Dęmoneſque hoſtes nobis infenſiſsimos, quã longiſsimè auertit. *Circunciſio.* *Luc. 2.*

VIII. *Sancta MARIA.* Purificationi mundiſsimę, in qua, cum ipſa quæ, & Virgo, & puritatis, & ſanctitatis laude conſpicua erat, nec purgatione egeret, nec vllis Purificationis legibus teneretur, ſingulari humilitatis, & obediẽtiæ exemplo ad templũ acceſsit Filiũ ſuũ dilectiſsimum Patri æterno obtulit, ſeque ſponte Purificationis legi ſubiecit. *Purificatio.*

IX. *Mater Dei.* Feſto admirabili, quod vocãt ad Niues, aliſque Deiparæ ſolẽnitatibus, quibus aliquod eius, ſiue præconiũ, ſiue in genus humanũ beneficium celebratur. Et enim eiuſmodi prærogatiuis, & crebris, ac admirabilibus miraculis ſe Dei Matrem, ac rerũ omniũ Dominam declarat. Idẽ autẽ mortales, Templis ad eius memoriã excitatis, eiuſque nomini inſcriptis, Feſtis diebus ei dicatis, aliiſque obſequijs reuerẽter fatentur, grataque memoria recolũt. *Feſtũ ad Niues, vel alia ſimilis ſolemnitas.*

X. *Ora pro nobis peccatoribus.* Aſſumptioni glorioſæ. Quemadmodũ enim Chriſtus Dominus, teſte Apoſtolo, *In ipſum cœlũ introiuit, vt appareat, nũc vultui Dei pro nobis*, oſtẽdens Patri latus, & vulnera. Sic Deipara in *Aſſumptio.* *Ad Heb. 9.*

cœlũ assumpta: vultui Filij apparet, veluti arcus in nubibus, qui est diuinæ clemẽtiæ signum, eique pectus ostendit & vbera, quibus pro nobis peccatoribus eius misericordiam inuocare non cessat. Quo circa in oratione, quam Secretam vocant, Missæ vigiliæ Assumptionis eiusdem Virginis, Ecclesia, per Deiparæ preces exaudiri, suppliciter orans, de eadẽ verba illa pronuntiat. *Quam idcirco de præsenti seculo transtulisti, vt pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.*

Sabbatũ Deiparæ dicatum.

XI. *Nunc*, diei Sabbati Deiparæ peculiariter dicato, quo Nunc, hoc est, in præsentis vitæ decursu, quæ instar, Nunc, est breuissima; Ecclesia Virginis Deiparæ perpetuam memoriam recurrentibus hebdomadis recolit, ob gladium doloris, qui eius animam pertrãsiuit. Idque die potissimum Sabbati, quo Filij corpus exanime in sepulchro iacuit, eiusque præsentia destituta erat: simul etiam illa, quæ Filius, ipsa inspectante, atrocissima passus erat apud se reputans, acutissimo animi dolore, veluti gladio, confodiebatur, vsque ad illius resurrectionẽ die Dominico, quã firmissima fide præstolabatur.

Festũ perenne in cœlis.

XII. *Et in hora mortis nostræ.* Festo perenni in cœlis. Cùm enim Deipara, iuxta Crucem morienti Filio, quem Æterno Patri prompta volũtate offerebat, forti quidẽ animo, sed nõ absque ingenti cordis cruciatu adstiterit, nosque omnes eo tẽpore ab eodem Christo in Ioanne dilecto discipulo cõmendatos in filios susceperit: mirum nõ est, si suis clientibus, atque deuotis, mortis eorũ tẽpore, vt vitæ huius peregrinationem sancto fine claudant, peculiari patrocinio adsistere, tartareique draconis vitæ nostræ calcaneo insidiantis caput conterere, ei diuinitus sit datum; quò illi in cœlum ad æternam fœlicitatem, & ad perenne festum, & gaudium, quòd Beati ex Deiparæ præsentia capiunt, fœlicitate aliquando perueniant.

Amen. *Sic fiat, Domina nostra, Mediatrix nostra, Aduocata nostra.*

Per sacratissima vitæ tuæ mysteria.

Per gaudia septem, doloresque totidem, quibus dum in terris degeres, potissimum affecta es.

Per priuilegia tibi singulariter concessa.

Per gloriam, qua nunc in cœlis regnas.

Per viscera misericordiæ tuæ, quibus omnes ad te confugientes materna pietate complecteris, vt qui te verã Dei genitricẽ veneramur in terris, tuis precibus, ac meritis adiuti, videre & colere te mereamur in cœlis. O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo MARIA.

R. P. F. ADAMVS SASBOVTH.

NOTA.

DE exemplari vita, virtute, & sanctitate, Fratris Adami Sasbouth, ex Seraphica S. P. N. Francisci familia Alumni; & in Holandia ex Particia familia Bataborum nati anno 1516. *die* 21. *Decembris, Consule Raissam in Auctuario ad Natales SS. Belgij N. Tosignanium, Gonzagam & nouissimè F. Arturum à Monasterio in additionibus ad Martyrologium Franciscanum ad diem vigesimã primã Martij, pag.* 609. *vbi plura inuenies: de doctrina verò singulari, & diuersis eiusdem operibus & scriptis, vide Henricum Villotũ in Athenis Orthodoxis Sodalitij Franciscani, pag.* 2. *Franciscum Sueertium in Athenis Belgicis, pag.* 90. *Possevinum in apparatu, Aubertum Miræum, pag.* 287. *Gesnerum, & alios Nomenclatores; vna omnes asseuerantes, quod noster Adamus Louanij omnium Poetarũ, Rectorumque præcepta auxit, simulque Græcam, & Hebraicã linguã aprimè adiscens; adhuc adolescens, primum Iliados librũ, totidẽ conuerterit versibus; & etiã quod tã abundabat tenaci, & fida memoria, vt duodecim libros Æneidos, Virgilij Maronis, sine monitore recitaret; fuit deniq; Theologus insignis; Scripturarius profundissimus, Hæreticorũ*

opugna

oppugnator strenuus multaquè scripsit doctè, & eruditè; quæ Coloniæ anno 1568. apud Ioannem Birckmannum in folio excusa, & per eundem anno 1575. diligentiùs emendata prodierunt; seorsim verò Homiliarum opus Antuerpiæ anno 1565. in 12. apud Ioannem Bellerum typis mandatum extat, ex quibus eruditis scriptis, & operibus, Homilias quatuor sequentes de sacratissimæ Virginis MARIÆ, Purificatione, Annuntiatione, & Assumptione gloriosa, ad communem concionatorum vtilitatem extraximus, & in hoc Mari Magno nostro, & Bibliotheca Virginali damus.

IN FESTO PVRIFICATIONIS HOMILIA.

Lucæ 2. EVangelium Domini oblationem in templo, Simeonis amplexionem, ac cygneam eiusdem cantionem describit, cuius enarrationem priusquam aggrediamur gratiam imploremus.

Secuimus Euangelium in tria capita, quorum primum Domini oblationem, siue exhibitionem in templo his verbis describit. *Post quam impleti sunt dies purgationis*, hoc est, cùm adesset dies quadragesimus à partu, quo lex iubet masculinum fœtum exhiberi Domino, proquè purgatione puerperæ, simul, & pueri nati offerri munus, *MARIA, & Ioseph*, qui pater credebatur IESV, *infantem suum adduxerunt Hierosolymam*, vt in templo exhiberetur in conspectu Domini, cui dicatus erat, & consecratus, vtque offerrent munus à lege præscriptum, scilicet, par turturum, aut duos pullos columbarum, quorum alter in holocaustum, alter offerebatur pro expiatione peccati. Hactenus caput primum, in cuius descriptione Euangelista duplicis legis meminit.

Exo. 13. Leuit. 12 Altera scribitur Exod. 13. & respicit ipsam prolem: Altera Leuitici. 12. respiciens matrem. Verùm si diligenter attendamus, & hæc, sacram istam puerperam; & illa, prolem ab obligatione sua palam liberat. Habet enim lex Leuitici ad hunc modum: *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immũda erit septem diebus, &c.* Quæ verba quis non videt de vulgari multerum partu dicta esse, & hanc minimè inuoluere: cùm citra virilem attractum ex amplexu virtutis cœlestis per officium Spiritus Sancti conceperit? Non ergo vt cæteræ mulieres, quæ non sine sordibus, & libidine concipiunt, purgatione opus habebat virgo puerpera, sed nec offerri in templo, ac deinde redimi necesse erat partum eius, hoc est, puerum IESVM, cùm lex Exodi apertè habeat: *Omne masculinum adaperiens vuluam, &c.* Hic autem cœlestis fœtus nequaquam vulua matris adaperta prodijt in lucem: sed clauso manente vtero elapsus est: consecrauit, non violauit: consignauit, non reserauit claustra virginei ventris. Verum si neq; illa, purgatione, neq; hic, redemptione opus habebat, qua igitur gratia vterq;

Exo. 13. & 34.

A velut legi ob noxius, legẽ pertulit? Nõ certè absq; magna ratione. Vt desacra puerpera, cuius primò meminit Lucas, nos quoq; primũ differamus: Dicem' diuina prouidẽtia factũ, vt quę purgatione opus nõ habebat, purgationis legẽ subiret, quo hoc exẽplo nostra retũderetur superbia, qui purificatione cùm indigeamus maximè, hanc tamẽ iuxta ritũ à lege præscriptũ subire refugimus, ne non puri impuri appaream'. Imò cũ toti saucij sumus, ne saucij habeamur, ligaméta auersamur, atque emplastra, sicut scriptũ est. Esaiæ 1. c. *Omne caput languidũ, & omne cor mœrens. A planta pedis vsq; ad verticẽ non est in eo sanitas.* Est perpetua metaphora, qua schola rhetorũ Allegoriã appellat, qua significat tòtum populum, doctos, & indoctos, nobiles, & ignobiles, principes, sacerdotes, plebẽ, omnes corruptos, cumq, à planta pedis vsq; ad verticẽ nihil sani sit, nõ tamẽ de curatione agi. Nã verba illa. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo*: licet & hunc admittant sensum: Nõ fuit qui circum ligaret, qui mederetur, oleoue foueret, circunstantia tamẽ scripti alio vocat. Illa docet reprehendentis esse, quare ad hunc modum interpretari cogimur, in tanto malo noluerunt admittere manũ medentis, quo sermone vitiũ populi notatur nõ itidem priori. Respicit autem increpatio Iudæos. Interim in nos competere certò certius est.

Esaia. 1.

Vult Samarites ille, cuius in Euangelio secundùm Lucam est mentio; circumligare vulnera animæ, & ad pœnitentiam adstringere, & pœnitentiæ ligamenta recipere nolumus. Cupit curare liuores spiritus, hisque mederi, & medentis manum auersamur. Infundere vult plagis oleum, ac tumores interioris hominis mollire, & quæ nostra peruersitas est, admittere nolumus. An non ita vt dico hæc sese habent? Nonne multi exomologesin peccatorum angue petius execrantur? Nonne & verbo, & scripto hanc insectantur? vnumque hoc agunt, vt aboleant semel, tollantq; de medio? Sed dicis, Hæretici hi sunt, Age ergo, Inter eos qui Christianos se profitentur, quique certò persuasum habent absque exomologesi non contingere salutem,

Luc. 10.

nonne de hora in horam, de die in diem, imò de hebdomada in hebdomadam, de mense in mensem, de anno in annum eam extrahunt? Sed & hic dicis, non agnosco pro Christianis, qui non vt minimum semel quotannis exomologesin faciunt, nonne quàm plurimi sic faciunt, vt tegere potiùs quàm detegere vulnera sua videantur? Exempli gratia dictum sit, vt quod volumus, perspicuum fiat. Venis ad sacerdotem, confiteris, confessionis tuæ series hæc est. Non bene habui rationem temporis. Non seriò cum animo meo cogitaui de beneficijs per Christum præstitis humano generi. Non sedulò gratias egi Deo Patri, quòd redemptorem dederit. Non studui obseruare diligenter affectiones, quibus ducor, aut cogitationes versantes in corde meo. Non ex animo laborauí, vt quotidie magis, ac magis morerer mundo, & viuerem Christo. Lentus fui ad studia pietatis, preces horarias non præsenti animo legi. Non etiam satis castus fui, nec semper ante oculos habui inspectionem Dei. Non satis indolui miserijs aliorum, nec pro calamitatibus mundi, vt oportuit orauí. In cibo, potu, somno, plus æquo mihi indulsi interdum, nec proposui mihi Deum scopum, ac finem actionum mearum. Ob hæc, & alia, in quibus potui offendisse Dominum Deum meum, dico culpam meam, & impendi mihi peto absolutionem. Hæc est confessio tua. Antequam impendam absolutionem, considero confessionis tuæ seriem, attendo corpus. Video prima de eorum esse genere, sine quibus præsens hæc vita non ducitur. Video & extrema eodem pertinere. Quod in medio est, videlicet, non satis castus fui, quod alioqui mihi scrupulum facere poterat: propter reliquum corpus interpretor eiusdem rationis, cuius priora, & posteriora, vt opus non putem inquisitione vlla, aut examinatione, & fallor miser.

In articulo exiguo non exigua occultantur, latent stupra per manus in propria carne patrata, & nè polluam aures vestras, latent fœda, horrenda, execranda, illa propter que etiam collegia, etiam vrbes, etiam regiones euerti solent. Hoccine confiteri est, hoccine facere est exomologesin, & detegere vulnera? Sed dicis. Quis ea quæ in tenebris gesta sunt, quæque omnes latent non reformidet detegere, maximè cum ita turpia sunt, vt lucem ferre nequeant? Ergo nè facere audes, quæ dicere horres? Sed age. Quis etiam ea parte corporis, quę videri non vult, malè affectus non lubens detegat eam, atque inspici patiatur, sed & tractari, vt quo laborat liberetur malo? Si tantum valet apud nos sanitas corporis, quare non, & animæ? Si illius amore pudorem posthabemus, quare non huius itidem? Si illius recuperandæ gratia ferrum pătimur, & ignem, quare non huius potiùs, quæ altera illa tanto est præstantior, quanto anima corpori præstat? Non tamen hic ferrum audis, aut ignem tantùm dicitur, vt deposito ex animo peccandi affectu, & concepto melioris vitæ proposito, ad genua sacerdotis te prouoluas eique tua vulnera in spicienda exponas. Et sanè nisi eo veneris, frustra ad sanitatem adspiraueris. Ascendas in cœlum, descendas in abyssum, eas quò velis, non inuenies, nec apprehendes, quam tantopere desideras sanitatem, nisi hac via incedas. Fundit quidem Christus sanguinem suum, hincque poculum confecit efficax ad omnium morbos tollendos, verum non proficit, nisi à quo bibitur, non inducit sanitatem, nisi dum eo aspergimur: aspergimur, aut per fidem, & fidei Sacramenta, inter quæ est pœnitentia, cuius vna pars confessio, quam Græci exomologesin vocant, quæ enumeratione constat peccatorum: vt de quibus conscientia te reum peragit, nudè ea exponas, non in genere, sed in specie. Istud exigitur, & non video quid minùs possit exigi, & tamen quæ nostra superbia est, ne hoc quidem subire volumus, malumus carere sanitate, quàm detegere vulnera.

Quantum absumus ab hac sacra puerpera, citra virilem attactum concepit, sine sordibus, & libidine peperit, munda est, & speciem menstruatæ mulieris non auersatur, continet se domi, expectat donec impleantur dies purgationis: subit omnia quę præscribit lex his, quæ suscepto semine pariunt. Moueat nos exemplum: nam nostri causa exhibitum est, & nè leuiter transmitteremus, tanta diligentia descriptum est. Non enim simpliciter dixit Lucas: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius*, sed addidit, *secundùm legem Moisi*, quam clausulam, quis non videt idcirco adiecisse ipsum; vt occasionem præberet lectori inspiciendi Moisen, cumq; apud hunc legeret: *Mulier quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit*, & cætera quæ ibi scribuntur, videretque nihil ad hanc puerperam pertinere, causam inquireret, quare legem pertulerit, quam lex à sui obligatione palam liberat: causaq; cognita detestaretur superbiam filiorum Adam, qui impuri, & à planta pedis vsque ad verticem conspurcati, puri videri volunt, & à sordibus quàm longissimè remoti. Imò ne non puri habeantur, sanctissimam Dei legem de purgatione traditam, quæ in exomologesi peccatorum est posita, præuaricatur. Quousque occupabit mentes nostras morbus hic? Quousque sceptrum tenebit in animis nostris superbia? Quousque? vsquequo in quam post tam insigne exemplum immoti perduramus? Quo demum permoueri poterimus? Oportebat sanè pudore nos suffundi sanctæ huius puerperæ

Leuit. 12

inspe-

inſpecta humilitate. Verùm quoniam ea eſt peruerſitas ingenij, vt non ita magni æſtimemus, quæ à fœminis exhibentur, proponitur nobis partus virginis, qui eſt Chriſtus IESVS, qui nō obnoxius legi legem quoque pertulit. Exhibitus enim hodie in Templo eſt, & more cæterorum precio redemptus. Sed dicis quantum hoc eſt, offerri in templo, & mox redimi? Audi ergo. Veniet tempus quando offeretur non in templo, ſed extra portas, non inter amplexus ſacerdotis, ſed inter brachia crucis; quando non redimetur precio, ſed in precium pro aliorum redemptione dabitur, quā rem deſcribit Eſaias c. 53. *Eſai.53.* *Aſcendet*, inquit, *ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Loco virgulti eſt יונק Ionek, quod Hebræis ſugere ligni ficat, quomodo infantuli vbera matrum ſugunt, ab hac radice deriuatur יונק Ionek. quod participium eſt, ſiue vt ipſi aiunt, benoni, idem valens quòd lactens. Cuius naturalis *Pſal. 8.* ſignificatio eſt. Pſal. 8. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Cap. verò 11. *Eſai.11* Eſaiæ vbi dicitur: *Et delectabitur infans ſuper foramen aſpidis*, flexū habet. Nam ſenſus eſt. Petr⁹ aliquis, aliquis Andreas, hoc eſt, humilis Euāgelij doctor, duriſsimis hominibus leniter concionabitur. Similiter, & hoc loco flexum habet, ſed valdè iucundum, quem ipſe etiam miraretur Cicero. Transfertur namque ad ſignificandam plantulam teneram, & velut lactentem adhuc. Aſcendet ſicut tenera plantula, ſed ne delicatam, ſuſpiceris plantulam, qualem in alijs Scripturæ locis legis, adiecit: *Et ſicut radix de terra ſitienti.* Quæ clauſula, *de terra ſitiēti*, ad vtrumq; ex æquo pertinet, & ad plantulam, & ad radicem. Senſus eſt, puer hic, qui iam in delitijs eſt, qui molli matris gremio fouetur, qui brachijs Simeonis ſtringitur, & rapitur ad oſcula; de *Pſal.44* quo in epitalamio canitur. *Speciоſus forma præ filijs hominum*, futurus eſt adeò miſer, vt rectè plantulis, quæ in terra ſitis, ac ſalſuginis proueniunt, illum comparet: vt rectè radici quæ nihil præcioſi præ ſe fert, illum aſſimiles, decor qui in membris iam conſpicitur, venuſtas illa, ſeu puſchritudo deformitate commutabitur, apparebit totus luridus, totus ſqualidus, deturpatus totus. Splendorem faciei iniecta in eam tegent ſputa, quibus è vertice ſpinis transfixo decurrens miſcet ſe cruor, vt lepram putes.

Corpus, aut verberibus liuidum, aut plagis tumidum, aut vulneribus hiulcum, quidnis potiùs quàm hominem præſeferet. Hunc eſſe ſenſum declarant, quæ ſubijciuntur periodi. *Non eſt ſpecis ei neque decor. Vidimus eum, & non erat aſpectus*, & cætera. Et nè inſcius ſis, quæ huius tam diræ miſeriæ cauſa, hanc mox exponens: *Omnes nos quaſi* *Eſai.53* *oues*, ait, *errauimus, vnuſquiſque in viam* A *ſuam declinauit. Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Omnes nos quaſi oues errauimus; nam inde à vulua, imò inde ab vtero. Omnes de progenie illa deſcendimus, de qua gemens cantat Dauid. *In* *Pſal.50.* *iniquitatib⁹ conceptus ſum, & in peccatis cōcepit me mater mea.* Vnuſquiſq; in viam ſuā declinabit, alius ad auaritiam, alius ad libidinem, alius ad alia. *Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*, Quod ait, *omnium noſtrum*, & nos, & eos qui fuerunt ante nos, quique poſt futuri ſunt, ſignificat. Totius humani generis peccatum tranſtulit Pater in humeros Filij. Hic certè non eſt dicere, quantum hoc eſt, cùm vnum peccatum B adeò graue ſit, vt nec cœli quantumuis firmi, & inſtar æris compacti, nec terra licet apprimè ſolida, ferre valeat.

Vultis, vt exemplis in mediū adductis ita eſſe declarē: Legitis in volumine Eſaiæ hæc verba. *Aſcendam in cœlum ſupra aſtra Dei* *Eſai.14* *exaltabo ſoliū meum, Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.* Aſcendā ſupra altidinē nubium, & ſimilis ero altiſsimo. Scitis cuius ſit vox; & quæ ſpecies peccati. Grauitatē eius, ex euentu æſtimare oportet. Mox namq; cùm hæc animo ſuo cogitare cœpit, cœli non ferentes ſuperbiā, præmole, ac peccati pondere rupti ſunt, & tanto impetu in terrā, imò in profundū laci, hoc eſt infer- C ni effuſus eſt Angelus, vt præ admiratione in hanc vocē erupiſſe Prophetā legamus. *Quo-* *Luc.10.* *modo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris!* Et Saluatorē dixiſſe. *Videbā Satanā tā quā fulgur de cœlo cadentē.* Veniamus ad terrā, inſurgunt aduerſus Moiſen, & Aarō, ipſe Core, Dathan, & Abirō, & vnà eū eis ducenti, & quinquaginta viri, proceres ſynagogæ aiunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo* *Num.16* *ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur eleuamini ſuper populū Domini?* Eſt talis vox, qualis eſt iam hæreticorū. Omnes pares ſumus; imò vnū ſumus in Chriſto, cur Pontifex Romanus principatum ſibi vendicat in populo Domini? Audiuiſtis peccatum, audite iam D grauitatem. Poſt verba illa, paucis interiectis ſequitur: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorū, & aperiens oſ ſuum deuorauit illos cū tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quis crederet rem tantæ molis eſſe peccatū, ſi non in ſcripturis, quarum certiſsima eſt authoritas, hęc legerent? Terra quæ templa, quæ arces, quæ ciuitates, ad cœlum muratas geſtat, ferre non valet peccātū, Porrò quod vobis hodie peccantibus non ſcindatur terra, diuinæ eſt miſericordiæ, pœnitentiam noſtram præſtolantis. Si autem peccatum quodlibet per ſe ſumptum adeò eſt graue, vt nec ipſi cœli pares ſint oneri, nec ter-

ra quantum qiæso pondus adferunt in vnum A
simul collecta tot, & tantorum populorum
peccata, ab Adam lapsis vsque ad hæc tempo
ra. Quis dicat quot fuerint homines? & ho-
rum omnium peccata, imò & eorum qui vs-
que ad consummationem seculi futuri sunt,
transtulit Pater in humeros Filij, antum-
que suppliciorum ab eo exegit, quantum
corpus illud grande peccati iuxta seueram
iustitiæ legem merebatur. Hic nè dices, Quã
tum id est? Et nè putes necessitate adactum
filium hæc in se suscepisse, aduerte quid, apud
Prophetam sequatur, *Oblatus est*: inquit,
quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Di-
ci autem hæc de Christo, certissimum com-
mentarium habemus in actis, vbi Eunuchus
Esai. 53. cùm legeret Esaiam Prophetam, interroga- B
tus est à Philippo: *Putasne intelligis quæ le-*
Act. 8. *gis? Respondit? Quomodo possum nisi aliquis*
me docuerit? Locus autem quem legebat, hic
erat: Tanquam ouis ad occisionem ductus est,
& sicut agnus coram tondente se obmutuit,
& non aperuit os suum. In humilitate iudi-
cium eius sublatum est; *Generationem eius*
quis enarrabit, &c. Quæ omnia in Christum
interprætatus est Philippus, Vt ibi videre
est. Sed video extra metas nos currus agere,
Sed huc vexit nos vox illa: Quantum hoc
est, quæ cùm de oblatione in templo agere-
mus, sonabat in auribus nostris.

Quare ad institutum reuertamur, & se- C
cundum aggrediamur caput: quod proponit
Simeonis amplexationem, cuius eximiam
virtutem describit his verbis Euangelista:
Ecce homo erat in Hierusalem; cui nomen Si-
meon, Et homo iste iustus, & timoratus ex-
pectans consolationem Israel, & Spiritus San
ctus erat in eo. Primò exprimitur nomen,
quòd commune habet cum Patriarcha, quem
edidit Lya, sed re longè alius est. De illo
Ger. 49. scriptura est: *Simeon & Leui fratres vasa in-*
quietatis bellantia. De hoc autem, *Et erat*
homo iste iustus, &c. Iustus non quomodo
Pharisæi, quorum iustitia non aliud erat quã
hypocrisis, sed vera prędita iustitia, quę va-
let apud Deũ, & valebit in extremo iudicio.
Nec solũ iustus, sed & timoratus, id est pius, D
& religiosus. Lucas habet, εὐλαβὴς, quæ vox
indè dicta est, quòd reuerẽtei, ac circũspectè
tractetur aliquid: *Expectans consolationẽ Is-*
rael. Regnabant tum in Iudæa Scribæ, & Pha
risęi homines diditi auaritiæ; quęst⁹ causa,
præscribentes leges suas, & illas tradentes
populo seruandas: sanctissimis Dei legibus
posthabitis, exulabat veritas, iustitiæ nullus
locus erat, in oblitionem abierat fides, pie-
tas non poterat ingredi, religio in totum ne-
glecta iacebat. Hunc statum populi lugebat
Simeon, ad hoc impellebat eum Spiritus:
nam Spiritus Sanctus in ipso erat: lugebat
inquam orans Deum die ac nocte, vt respi-
cere vellet populum Israeliticum, vt stu-
dia pietatis collapsa, iam tandem instaurare
placeret, & consolari lugentes Sion, per
Messiam, quem in hoc venturum Prophe-
tarum oraculis promiserat. Istud est quod di
cit: *Exspectans consolationem Israel.* Imi-
temur hunc virum, non deest hodie mate-
ria luctus, sed desiderantur Simeones, magni luctus materia, vt cætera taceantur; hæ-
resis est, & non possemus non lugere: si ve-
rè haberemus Spiritum, nec dubium res-
piceret Deus populum Christianum, si qui
tales se præstarent, qualis hic inducitur Si-
meon. Sed pergamus in Euangelio. *Et res-*
ponsum acceperat à Spiritu Sancto, quum
quit, votis ardentissimis rogasset Domi-
num, vt sibi contingeret viuere eum diem,
quo videre posset corporalibus oculis suis
tot iam seculis expectatũ Messiã: responsum
acceperat in abdito pij pectoris à Spiritu
Sancto, forè vt non enmigraret, ex hac vita,
nisi priùs oculis corporeis vidisset Christum
Dominum, felicem illum puerum, quem
Deus vnxerat supra omnes mortales: vt æ-
terno regno, nec vnquam abrogando sacer-
dotio potiretur, quem in hoc vnxerat, vt me
deretur contritis corde, vt consolaretur om
nes lugentes, & daret eis coronam pro ci-
nere; oleum gaudij, pro luctu; pallium lau-
dis, pro spiritu mœroris. *Et venit in spiri-*
tu in templum. Quum futurum esset, vt
puer Iesus isto tempore adferretur in tem-
plum quemadmodum diximus, beatus ille
senex submonitus afflatu Sancti Spiritus,
sub ipsum tempus venit in templum: cum-
que parentes eius MARIA Mater, & Io-
seph, qui tum credebatur adhuc pueri Pater,
quia nutritius, infanté deferrẽt in templum,
vt quæ ad solemnes ritus purificationis per-
tinebant: iuxta legem Moysis, peragerent,
postea quam Sacerdos oblatum puerum am-
plexus esset, eique benedixisset, non se con-
tinuit pius senex, quin ipse quoque deside-
ratum infantulum complecteretur vlnis suis.
Et accepit eum, ait Lucas, *in vlnas suas*, & *Lucæ* 2.
benedixit Deum: Quis explicet qua alacri-
tate senilia brachia sua extenderit? qua hi-
laritate infantulum susceperit? qua exulta-
tione gestauerit? Eundem hunc nos quoti-
die (sacerdotibus loquor) tractamus, sed vti-
nam pari deuotione. Aperitur hic mihi cam-
pus excurrendi latissimus. Liceret dicere,
quibus manibus Christum Domini plerique
tractent, quibus faucibus sanctissimum eius
sanguinem, libenti: quo stomacho sacratis-
simum eius corpus recondant, sed lætiti-
am diei nolo mœrore offundere, hoc in-
terim dico: Præcipua causa quod omnia
iam misceantur, diuina prophanis, pro-
phana diuinis, quod tumultuum plena sint
omnia, quod vbique bella ferueant, quod

plagis

plagis afficiamur, hæc est, quod tam irreuerenter sacrosancta corporis, & sanguinis mysteria tractemus. Dixi semel ex hoc loco, quanta hic opus sit puritate, quanta religione, & puto plerosque meminisse, quare immorari iam nolo, sed aggredior tertium caput quod cygneam cantionem describit.

Cum senilibus vlnis gestaret Symeon infantulum, totus perfusus gaudio in vocem laudis erupit. Iam iam defectura vox suauè instar cygni morituri cantionè deprompsit: *Nunc dimittis seruum tuum, &c.* Satisfactum nunc est votis meis, nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis seruum tuum animo requieto placidoque, neque quicquã præterea desiderantem in vita, sed cupidum etiã ex hoc senili corpusculo demigrandi. Promiseras seruo tuo non antè emigraturum quàm vidisset Christum tuum; implesti promissum, videre contigit, imò senilibus vlnis datum est amplecti Filium tuum vnicum, per quem tibi visum est veram salutem cõferre, non solum Israelitico populo, verumetiam vniuersis mundi nationibus, quem exoriri voluisti, vt claritate ortus sui dispelleret tenebras gentilitatis, & haberet populus tuus Israel de quo meritò glorietur. Hactenus gloriatus est de Abraham, Isaac, & Iacob; gloriatus est de Moyse, de templo, de prophetis, iam habet quod glorietur verè, modo venientem, in propria recipiat. Magna gloria genti Iudaicæ est, quod ex ipsa iuxta carnem Filius tuus ortum cœpit, quem quia videre mihi datum est & amplecti, lætus iam moriar. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Quid hoc sene fœlicius, quæ dulcedo, quæ seculi voluptas, huic tantæ suauitati comparari valet? Quis non magis optet pacem hanc, tranquillitatem illam pectoris, quæ fuit in sene isto, quam regum, purpuras, diuitumve thesauros? qui eam habuerit beatus est, etiamsi cum fame non mediocriter certet, & frigore, & nuditate; qui verò caruerit, miser est, etiamsi delitijs vehementer affluat, & byssо induatur, & holosericatus incedat. Sed qua nam re pax hæc comparatur? Dicam paucis, Emundatione cõscientiæ, bonorum operum exercitio, oratione; emundatione, dico conscientiæ, siquidem peccatum diuidit inter Deum & hominem, quo amoto redit concordia. Vnde Apostolus, *Iustificati*, ait, idest, remissionem peccatorum adepti *per fidem, pacem habeamus ad Deum.* Est ergo pax effectus primæ iustitiæ, quę est in remissione peccatorum sita: est nihilominus effectus secundæ iustitiæ, quæ posita est in exercitio bonorum operum, sicut scriptum est. *Et erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempeternum.* Hoc est, si quis fuerit verè & bona fide obediens legi præstiterit opera iustitiæ, & in his se diligenter exercuerit, cõsequetur magnam aliquam pacem, multò suauius acquiescet Spiritus, quàm vbi primò remissionem peccatorum assequutus erat; experietur magnum silentium, hoc est miram tranquillitatem in interiore homine, ad tãtam fiduciam perueniet; vt fiducia illa meritò securitas dici possit, & quidem securitas vsque in sempiternũ. Quis non excitetur ad studium virtutis, his pulcherrimis promissis? Eandem hanc pacem, quam hoc loco facit iustitiæ effectum idem Propheta 57. cap. precibus tribuit, dum vocat fructum labiorum: *Creaui fructum labiorum pacem.* Oratio siquidem Spiritum impetrat, Spiritus diffundit charitatem, charitas foras mittit timorem, timore ejecto succedit securitas, quæ optimis spebus innixa tanta tranquillitate menté fulcit, vt morte cõtempta egredi audeat, & separari à corpore & exhiberi creatori. Quàm fœlix animus, qui hac pace fruitur, hac inquam pace, quam non generis nobilitas, non diuitiarum abundantia, non potentiæ magnitudo, sed nec corporis firmitas, nec mensarum sumptuositas, neque vestimentorum ornatus, aut aliud quippiam rerum humanarum, sed sola Spiritus Sancti virtus, & conscientia bona præstat, quod vel ex Simeone discere licet, cui pax hæc contigit, non ob id, quia dives, potens, vel præstans corpore, sed quia iustus, timoratus, & exspectans consolationem Israel. Hæc namque tribuit ei Euangelium, & quod imprimis dictum oportuit, quia *Spiritus Sanctus erat in eo.* Quare studeamus puritati conscientiæ, exerceamus nos in bonis operibus, quotidianis precibus ambiamus Spiritum Domini, & eius consolationem, & continget nobis pax hæc tranquillitas, siue silẽtium spiritus; fiducias, siue securitas quam diximus, nec erit nobis mors formidini, quemadmodum his qui testimonium Spiritus nunquam in se experti sunt, sed bono animo expectabimus mortem, & euocante nos Domino, dicemus cum Simeone: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace*, quam largiatur nobis IESVS Christus, cui cum Patre simul & Spiritu Sancto sit gloria nunc & in secula seculorum. Amen.

Ad Roman. 9.

Esai. 32

IN FESTO ANNVNTIATIONIS
Beatæ Mariæ, Homilia.

Esa. 7.

Dominе in cœlo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Qui linguæ Hebrææ periti sunt sciunt literam ב beth dum seruit, varia habere officia: vt quamuis frequentissimè in, vel cum, significet, interdum tamẽ hoc valere quòd vsque, ad, quemadmodum hoc loco, *Domine in cœlo miseri-*

Esa. 27.

cor-

cordia tua, hoc est, vsque ad cœlum misericordia tua, quod declarant verba sequentia, *Et veritas tua vsque ad nubes*, sensus est: Misericordia tua maxima est, & amplissima, vsque ad cœlos protenditur. Et veritas tua vsque ad nubes, hoc autem quid
Psa.35. sit, exponunt sequentia. *Iustitia tua sicut montes Dei.* Hebræi cùm volunt aliquid eximij significare: nomine Dei id exprimunt, vt cedros Dei, pro cedris altissimis
Psal.79 dicunt, quemadmodum in Psalmo 79. *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei.* Sic hoc loco, iustitia tua sicut montes Dei, iustitia tua à qua diceris iustus in promissis, seu verax, maxima est, excellentissima est, excedit montes altissimos, ad nubes vsque protenditur. Hanc Dei misericordiam pulcherrimè proponit præsentis diei Epistola. Iustitiam autem, seu veritate mi iucundis admodum verbis exponit Euangelium, de vtraque in præsenti cõcione differemus. Oremus Dominum, vt possimus salubriter.

Epistola ex cap. 7. Esaiæ descripta incipit hoc modo. *Dixit Dominus ad Achaz, pete tibi signum, &c.* Quæ vt melius intelligatur, paulò altius repetam historiam. Cùm audisset Achaz, Regem Syriæ, & Regem Samariæ iuncto venire exercitu ad expugnandam Ierusalem, vehementer exterritus est, pertimuitque: cumque penitus iam desperaret, misit ad eum Dominus Prophetam suum Esaiam, qui hæc ei diceret. *Noli timere, & cor tuum ne formidet, à duabus caudis titionum fumigãtium istorum.* Duo isti Reges, Rex Siriç, & Rex Samariæ, quos tantopere formidas, non prævalebunt; defendam te, & populum tuum, atque ipsos, & omnem eorum potentiam delebo, & quidem breui, vnde eos caudis comparo titionũ, qui citò extinguuntur; hæc dicente Domino per Prophetam, non credebat Achaz, vnde adiecit, & ait, *Pete tibi signum, &c.*

Quia tibi videtur difficile, quòd duo regna potentissima breui tempore finienda sint, & tu cum populo tuo de magno periculo libereris. *Pete tibi signũ.* Si nudis verbis non credis, pete tibi signum, vt cùm acceperis, credas futura quæ dixi. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferi pateant? an vis vt aperiantur cœli, & inspicias quæ clausa sunt? hoc est quod dicit, *Siue in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Et dixit Achaz. Non petam signum, & nõ tentabo Dominum.* Quod dicit, videri possit ex humili spiritu proficisci, & hunc habere sensum. Credo verbis tuis absque omni signo. Sed quia constat impium fuisse Achaz, & ad alios deos recessisse, non humilitatis est, sed superbiæ, hypocrisis est. Si affectum cordis aperuisset, quem celabat, dixisset. Et

A si signum daret, nõ crederem edoctus prioribus bellis. Ipso perseuerãte in impio affectu, sermo propheticus ad demum Dauid conuertitur. Quia tu Achaz perseueras in impio affectu, te omisso mouebo populum. *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo:* Hactenus molesti fuistis hominibus, siue propheris, quorũ dicta irridetis, atque hoc vobis satis non est, molesti estis & Deo. Tales vos exhibetis erga ipsum, quales hactenus vos exhibuistis erga Prophetas, quos contempsistis, & irrisistis. Idcirco faciet Dominus quæ sequũtur. *Ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum, &*
B *mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Expectabatur signum, quod duo isti Reges non vincerent, quod autem hic dicitur: *Ecce virgo concipiet, & pariet, &c.* nihil ad rem pertinet, cum multò post bellum Siriacum euenerit. Nã inter victoriam Achaz promissam, & hoc signum præstitum, fluxerunt anni circiter 767. Quare ergo hic inseritur?

Certè lectori, qui in gentilium tantũ scriptis versatus est, mirum videri potest, quare istud fecerit Esaias, quare in media rei bellicæ mentione, Virginis parituræ, & Emanuelis meminerit, sed qui nouit prophetarũ
C omnia esse plena inuolucris, & ipsos sub rebus tẽporalibus gestis, aut gerẽdis Ecclesiæ describere Sacramenta, nihil mirabitur. Quidquid enim de bello Siriaco, & populi liberatione hic dicitur, causa Emanuelis, & de humani generis liberatione dicitur. Propterea in media historia subitò, & præter expectationẽ lectoris ad rẽ typo significatã transit, & quod maximè mirandum, facit id per notã illationis. *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus vobis signũ*, vt studio videatur Spiritus Sanctus voluisse offendiculũ ponere carnalibus Iudæis. Dicit ergo, quanquam populus hic impius sit, & indignus, cui fiat
D misericordia: quanquã totus mũdus inimicus sit Deo, nec mereatur vt mittatur Christus, tamen mittã Christũ. *Ecce virgo concipiet, &c.* Ecce mittã vobis Saluatorem, non quales hactenus feci, nõ Gedeoné aliquẽ, aut Sansonẽ, sed Emanuelẽ. Nascetur ex virgine: verũ egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis, vescetur cibis infantium, butyro & melle, quæ humanæ naturæ in eo veritatem arguent, sed Deus erit. Bene proinde Dauid, *Domine in cœlo misericordia tua.* An nõ vsque ad cœlũ protẽditur, quæ è cœlo Filiũ Dei promittit, & ijs promittit, qui misericordia prorsus indigni sunt? Atque hunc non iã primò, sed mox ab Adam lapso promisit. Scriptũ est enim in Genesi in ser- *Gen.3.*
pentis maledictione. *Inimicitias ponã inter*

te

te, & mulierem, semen tuum, & semen illius, ipsa cõteret caput tuum, siue iuxta Hebraicũ, ipsum conteret caput tuũ. Hoc semẽ est Emanuel, qui hic de virgine nasciturus promittitur, atq; hanc promissionem sicut misericorditer humano generi facit, ita & verè præstitit, & rebus expleuit, quemadmodum vide-
Lucæ 1. re est in Euangelio, quod sic habet: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis MARIA.* A promissione seminis cuius iam meminimus, atq; ad hanc legationem fluxerũt anni 5199. in tam longinquum tempus promissio hæc extracta est, quia ante MARIAM nulla inuenta est mulier, quæ hoc munere fungi voluerit, esse scilicèt mater Dei. Omnes esse matres hominum voluerunt, omniq; mẽtis ardore concupierunt, & quæsierunt de hominibus parturire, homineſq; hominibus parere. Quia fortè obscuriũs hoc dictum est, dicam clariùs. Voluit Deus Filium nasci, ex Virgine, hoc æternum ipsius fuit decretum ex Virgine inquam, non quæ corpore solùm, sed & animo, & proposito Virgo esset. Talis ante MARIAM nulla fuit: Multæ quidem fuerunt, quæ à viro nunquam cognitæ, vitam finierunt, nullã tamen pro sua virginitate laudem sunt assequutæ: quia omnes, cùm per ætatem legemq; & parentum arbitrium licuerit nubere, voluerunt, & maris amplexu liberos procreare. MARIAM, non ętas, non lex, non parentes in virginitate tenuerunt, sed voluntas, sed amor, & quia inter priores puellas sola se totã Deo eõsecrauit, ideò huius Virginis sanctæ maturitatẽ axtracta est promissio. Rectè proinde canit Ecclesia, *Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferã nescio: quia quẽ cœli capere nõ poterãt, tuo gremio cõtuliſti.* Excitet istud in vobis, & ijs qui conceperunt, confirmet virginitatis propositum. Res sancta est matrimoniũ, sed cum virginitate collatum tantùm cedit, quantum argentũ dum auro comparatur. Vnde, & pe-
Apoc. 14 culiare præmiũ ei decernitur in Apocalypsi: *Vidit*, ait Ioannes, *& ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habẽtes nomen eius, & nomẽ patris eius scriptum in frontibus suis: & cantabant quasi Canticũ nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum illum, nisi illa centum quadraginta quatuor milia.*

Et ostendens quo suo merito id eis præ cæteris datũ sit. Hi sunt; ait, *qui cũ mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: Hi sequuntur Agnum quocumq; ierit.* Sed satis de virginitate, reuertamur ad Euangelium. Cum in suo cõclaui MARIA Virgo vacaret rerum cœlestiũ cõtemplationi, quemadmodum virginitas amat secretum, ingressus Angelus ad eam dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.*

Magnifica prorsus salutatio, *Aue*, inquit, *gratia plena.* Omnes gratiæ fœminis hactenus sigillatim præstitæ, tibi sunt accumulatę. Insignis gratia est pulchritudo, decor, & venustas corporis, fortitudo, seu robur, verùm hæc apud homines, non apud Deũ quenquam commendat. Neq; de hac loquitur Angelus, sed de ea potissimũ quæ interioris hominis est, hoc est, de pulchritudine, decore, & venustate spiritus, quæ sunt virtutes, humilitas, castitas, temperantia, modestia, & cætera, his plena fuit sacratissima Virgo. *Dominus tecũ*: Ita est tecũ, vt cum omnibus hominibus per te pacẽ inire, caro, & frater eorum deinceps semper esse dignetur. Et ob eris vnicè celebris, ac laudatissimi nominis inter omnes mulieres. *Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius.* Quia ipsa nihil de se magnificè sentiebat, ideo turbata est facie aspectuque quasi ad mœstitiã mutata. Non leuiter verbũ hoc transmittamus. Quis nostrũ suis laudibus turbari solitus est? Quis non exhilaratur? quis nõ extollitur? quis nõ rapitur supra se, si laudari se audiat? Quantũ absumus ab huius virginis sanctæ modestia. *Turbata est in sermone eius.* Cuius eius? nẽpè Angeli optimi, quẽ sciebat falsò, nec velle, nec posse laudare. Nos lætamur laudibus hominum, qui præter hoc quòd in laudando sæpè falluntur, frequenter subdolè laudant. Virgo beata sollicitè cogitabat, & in animo secũ versabat, quid vellet illa tam noua, tamq; magnifica salutatio. Nos dũ laudamur nedum cogitamus an verè laudemur, sed ad laudes nostras siue veræ illæ sint, siue falsę mox in alterũ tollimur, & animo efferimur. Propterea nihil mirum quòd miseri maneamus, inopes, & omnis boni indigi. Cùm enim Filiũ suum vnigenitum dederit Deus, quo maius habuit nihil, aut charius, quomodo non & cætera daret, si verè humiles nos inueniret? Nunc quia superbos cernit, & pronos ad elationem; misericorditer negat, ne ipsa eius dona, altioris nobis fiant occasio ruinæ. Quum Virgo MARIA solicita de salutationis insolita forma secum cogitarat, quid ea vellet, ait ei Angelus: *Ne timeas MARIA.* Non vana salutatione te demulceo. *Inuenisti enim gratiã apud Deũ*, hoc est, fauorẽ eius, effecta es, quo te elegit præ cunctis ad mysterium sacrosanctum expediendũ, quod erat ab exordio seculi patribus, & prophetis promissum. *Ecce concipies in vtero tuo*, ex tua ipsius substantia, *pariesq; Filiũ*, qui tuus erit Filius, de tua substantia generandus, *& vocabis nomen eius Iesũ*, quoniam salutem adferet toti mundo. *Hic erit magnus*, diuinis virtutibus erit modis omnibus maximus. *Et Filius altissimi vocabitur.*

Reue-

Reuera erit veraciterq; dicetur Dei Filius, A non vt cæteri fideles, & sancti per adoptionem: sed & per naturam, & æternam à Patre genituram: *Et dabit illi Dominus Deus sedē Dauid Patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Thronū, vel sedem Dauid intelligite nō sensibile regnū quale est huius mundi, sed diuinū, spirituale, cœleste, quod sitū est in consolatione conscientiarū, in tranquillitate mentis, & pace spiritus, de quo dictū est, *Regnum* Luc. 17. *Dei intra vos est*, de quo etiā in oratione dominica. *Adueniat regnum tuum*: Oramus nō vt mox in cœlum perueniamus, sed vt cedat regnum diaboli, regnum peccati, & inhabitet corda nostra Christus per fidē, & gra B tiam suam. Hoc ergo regnum nobilissimum non accupabit sibi mundi præsidijs, quibus regna mundi temporaria rapiuntur? Sed Pater cœlestis dabit illi regnum Dauid sacrum, æternum, perfectum, & cœleste, ac sic regnaturus est in domo Iacob, hoc est super veros Israelitas, omnes fideles, & electos in æternum, nec huius regni venturus est vllus finis, quemadmodum vaticinatus est Esaias.

Ex his tam magnificis Angeli promissis nihilo factus est insolentior virginis animus, nec ex rerum sublimitate concepit diffidentiam. Tantùm de virginitatis castæque puritatis adamato thesauro solicita est. Proin- C de non postulat ab Angelo signum, quemadmodum fecerat Zacharias, sed tantùm modum rei gerendæ verecundè simul, & prudenter quærit, ex Angelo cognoscere, respondens in hunc modum. Qua nam inquit ratione fiet, vt pariam Filium, quandoquidem ita desponsa sumviro, quo cum nunc viuo, vt mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim vtrique castitas, & hanc fœlicitatem nobis, si liceret, cuperemus esse perpetuam. Docet igitur modum Angelus, & de virginitate scrupulum eximit Virgini. *Spiritus Sanctus* inquit, *superueniet in te.* Nihil hic ò virgo geretur iuxta communem naturæ cursum, cœlestis erit partus, ac cœlesti peragetur opifice, cō- D tinget tibi fœlicissima fœcunditas absq; vllo virginitatis detrimento. Non erit opus ad diuinum conceptum vllo viri mortalis semine, sed Spiritus Sanctus cœlitus illabetur in te, inque tuo vtero velut in officina cœlesti, sacris fœtus mirabile opificium peraget, ac pro mariti corporali amplexu, obumbrabit tibi altissimus, sic immensam virtutem suam ad humanæ naturæ modum attemperans, vt congressum sustinere possit. Vbi libido incessit in coitu, ibi quod nascitur immundum nascitur, & peccato obnoxium. Cæterùm, quod ex re nascetur, quoniam ex spirituali sanctissimoque complexu Altissimi concipietur, ex opificio Sancti Spiritus, qui sanctificat omnia, mox sanctum erit, vt conceptum fuerit, ac propter corpus humanum de tui corporis substantia desumptum, rectè dicetur Filius Virginis, ab Filius hominis. Cæterùm propter æternam à Patre genituram, idem ipse vocabitur Filius Dei. *Et ecce Elizabeth cognata tua, &c.* Ad tantæ rei confirmationem adijcit exemplum. Elizabeth, in qua simul Deus dignationis suæ miraculum offenderat, quæ cùm anus esset, iam deploratæ sterilitatis, præter omnem spem, præter naturæ vires, Deo promittente concepit filium, vt intelligerent omnes nihil esse tam incredibile apud homines, quòd non præstet diuina virtus si voluerit. His auditis dixit MARIA: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum.* Simulque cum dicto peractus est insensibiliter cœlestis ille conceptus, tot retrò seculis promissus. Cantemus igitur iam. *Confiteor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, cōuersus est furor tuus,* Esa. 12. *& confortatus es me.* A tempore quo Adam mandatum tuum transgressus est, iratus humano generi promisisti quidem Filium tuum mox ab homine lapso, sed dum in longū extrahis promissionem, visus es prorsus oblitus misericordiæ tuæ. Nunc in legatione hac conuersus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Saluator meus, ecce Emanuel iste, puer hic conceptus hodie in vtero virginis Saluator meus, ipse Diabolo spolia detrahet, ipse *iugum oneris eius, & virgam humeri* Esai. 9. illius, & *sceptrum exactoris superabit* in abscondita manu, quemadmodum olim fecit tempore *Madiam*. Multa iam quidem incutiunt terrorem, peccatum, lex arguens peccatum Diabolus, mors, infernus: verum fretus Emanuele fiducialiter agam; in Emanuele respiciens nō timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, per ipsum quidquid formidabile est, superare potero. Ipsi acceptū fero quòd in medijs malis fidere audeā, quòd bono animo expectem mortem, quòd fortis sim aduersus mundum, carnem, diabolum. Ipse factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, abundantissimè accipietis consolationem, & dulcedinem spiritus. Dicetis in illo die, Confitemini Domino, & inuocate nomen illius, Notas facite in populis adinuentiones eius, hoc est molimina eius, & studia, opera hæc liberationis, & misericordiæ, quod descenderit in vterum Virginis, quò impleret promissum suum. Memento quoniā excelsum est nomen eius. Ne inquam excidat, è memoria beneficium hoc, quia magnum est. Cantate Domino, quoniā magnificè fecit, quia seipsum dedit, quò maius dare potuit nihil. Annunciate hoc in vniuersa terra, Exulta, & lauda habi-

habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel. Hoc carmine, seu epiphonemate tractatum suum de Emanuele, qui cœpit cap. 7. concludit Esaias; & recitare vobis volui, vt cum Propheta discatis gratias agere Deo pro beneficio hoc, tam memorabili super misericordia, & veritate ipsius: illam in promittendo liberatorem, hanc in præstãdo declarauit. Ipsi honor, & gloria; in secula seculorum, Amen.

DE ASSVMPTIONE DEIPARÆ Virginis. Homilia prima.

OPtarem ego Patres, talem vobis hodie concionatorem, qualé vetus habuit lex, de quo legimus, quòd verbum illius *quasi* *Ecc.48.* *facula ardebat*. Vel saltem talé qualem posteriora tulere secula, *cuius laus est in Ec-* *1.Cor.8* *clesia*, quòd ab ore eius dulcis, vt mel fluat oratio. Cõfundar enim ego dum altera iam vice locum hunc cõscendo, qui inuenis sum pollutus labijs, & non vt ille in medio populi polluta labia habentis, sed in congregatione consisto Doctorum, & Sacerdotum Dei, & cleri eius. Sed mihi confusio faciei meæ dummodo impleam sanctæ obedientiæ mandatum, & ille magnificetur, qui solus potens est; magnificetur inquam in nobis, sicut gloriosè magnificatus est in Matre sua, quam terris hodie sublatam cœlo intulit. Quo triumpho, & apparatu? nouerunt quidem cœlestes illi spiritus, & quæ spectaculo interfuerunt animæ sanctæ, sed ab oculis nostris absconditum est. Vbi autem peruenerimus ad sanctam illam ciuitatem, tum qui viderunt annuntiabunt nobis. Interim hic in exilio positi, quibus itineribus ad tantã gloriam perducta est, inuestigemus, atque id magis fuerit ex re nostra, vt qua ipsa præcesserit cognoscentes, illac & nos gressus dirigamus, vt salubriter quod cõcepimus eloquamur gratiam imploremus per ipsam, quæ fontem gratiæ mundo effudit, Virginem MARIAM. *Aue MARIA.*

Itinera per quæ gradiens diua virgo cœlos, atque ipsos Angelorũ choros hodie gloriosa transcendit; sunt Humilitas, Castitas, Charitas. Vt ab humilitate auspicemur, scri- *Luc.* 14 ptũ est. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* *& 18.* Via ergo ad summa est humilitas, sed nunquid ad idem sublimitatis fastigium euehit humilitas quotquot ipsius semitas ingrediũtur? Minimè. Et in promptu ratio est, quia nõ æquè omnes in ijs progrediũtur, & quispiam diligens sui inspector notam incipiat habere miseriã suam, captiuitatem suã, fœditatem suã, atque ex hac sui vera cognitione sibi vilescere incipiat, hic pedem quidem posuit in via humilitatis, si procul ante se videt in eadem via ambulantes alios, illos

A nimirũ, qui non solùm miseros se agnoscunt & peccatores, sed etiam nõ refugiunt, & haberi tales, & dici quales se agnoscunt, imo gaudent vbi sentiunt, hoc quod de se intus habent iudicium, foris approbari ab alijs, quòd fit dum despiciuntur, contemnuntur, & veluti purgamenta reijciuntur. Multum hi promouerunt, sed nondum peruenerunt ad summum, nondum attigerunt cacumen, vident & ipsi, & quidem longè ante se alios in multa pulchritudine gradientes, sanctos videlicet viros, segregatos à peccatoribus, in virtute constitutos, ac cõsummatos, quos non pondus peccatorum, sed amor inclinat virtutis; qui cæteris cùm præstent, similes se
B æstimant cæterorum, nihil præ cæteris sibi arrogant, infra alios se deijciunt. Viri isti circa fastigium perambulant. Sed vbi terrarum hos inueniemus? Imprimis quotusquisque mortaliũ est, qui se noscere velit? Quis non dicit dies sum, & nullius egeo, cùm interim verè miser sit, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus? Et sint quantumuis multi qui nouerint seipsos. Num vnum ex mille reperire poteris, qui talis haberi velit ab alijs, & dici, qualis ipse in oculis suis est? Audis, hypocrita es, & tua ipsius attestante conscientia es hypocrita, & statim deijceris animo, & vix longo tempore concoquere vales, leue adeò verbum, quod simul cum di-
C cto in auras euanuit. Audis rursus laudari ab alijs simulatam tuam sanctitatem, & Pharisaicam iustitiam, & continuò gaudes in sinu tuo, scienſque, ac prudens falsum de te approbas iudicium, En humilitas nostra. Iam si vix inuenias, qui non in fæcibus suis sibi non placeat, qui non in paupertate sua diues haberi velit, vbi reperies, qui in diuitijs pauperem, in sublimitate humilem se exhibeat? Si inueniantur, nouit Dominus. Audacter audeo dicere, vix Apostolos eò deuenisse humilitatis, præsertim cùm vas illud electionis, quo in ipso deprimeretur elationis spiritus, opus habuerit Angelo se colaphizante. *Ne*, inquit, *magnitudo reuelationum,* *2. Cor.*
D *extollat me, datus est mihi stimulus carnis* *12.* *meæ, Angelus Sathanæ, vt me colaphizet.* Verùm siue pauci, siue multi inueniantur huius viæ viri, seu etiam fœminæ, hoc certum est, primam esse, quam nunc prædicamus Virginem MARIAM. De hac dictum est, & verè dictum est: quòd fuerit plena gratia, benedicta inter mulieres. Habebat ergo vnde præ cæteris gloriari poterat, sed nunquid fecit? tantùm hoc abest, vt plenitudinem gratiæ ne agnouerit quidem. Vnde audita magnifica illa ab Angelo salutatione. *Aue MA-* *RIA gratia plena, cogitabat*, ait Lucas, *Luc.1.6.* *qualis esset ea salutatio*, & quale id esset, quod sibi tribuebatur. Nec plena tantùm gratia, sed plena quoque Deo fuit. Nam

emissa

emissa voce illa, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdùm verbum tuum*, impleuit verum eius, Filius altissimi. Sed quid? Nunquid sicut vterus eius, ita animus quoq; intumuit in tantæ prolis susceptione? Audi quid de ea subijciat Euangelista. *Exurgens MARIA abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in Domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.* En nec corporis teneritudo, nec pondus ventris, nec viæ asperitas, & montium adscensus difficilis, officium in ea impedire potuerunt humilitatis. Humilitatis erat quòd inuisebat Elisabeth, quòd superior veniebat ad inferiorem, quòd mater Domini ad matrem serui: nec venit tantùm, sed & mansit cum ea quasi mensibus tribus. Quid interim agebat? Vtique omni sedulitate inseruiebat cognatæ. Venerat propter officium, inhærebat officio. Et vt singularem omnino in ea agnoscas humilitatem, scimus quòd assurgere soleat virtus commendata, commẽdat eam mirum in modum Elizabeth, miratur humilitatem, fidem prædicat. *Benedicta tu*, ait, *inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me? Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Magna sunt hæc, nihil tamen magni ob hæc de se sentit Virgo Beata. Multa tribuũtur ei, ipsa tamen nihil tribuit sibi, sed omnem fœlicitatis suæ gloriam, & totũ hoc quod habet, in eum transfundit, cui vni debet omnia. *Magnificat*, ait, *anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc est humilitas quam prædicamus, cui parem non inuenies in terra, sed nec in cœlo quidem; quippe cum ipsi etiam Angeli in hoc munere inueniantur omnes inferiores, & propterea minùs admiranda est, si cum hac, eorum conferatur humilitas. Ex his concludamus quod proposuimus. Ostendimus ex Euangelio, viã ad summa esse humilitatem, quia scriptum est: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* Hoc si verum est, vt certissimè verum est; Nonne quo magis quis se humiliat, hoc magis exaltabitur? Sic sanè. Vnde rursus scriptum est. *Qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* Cùm ergo D. Virgo omnes omnino non homines tantùm mortales, sed ipsos quoque beatos Angelos humilitate anteceſſerit, nonne præire debuit, & gloria? Debuit certè, & præcessit. Exaltata est enim hodie, quemadmodum canit mater nostra Ecclesia, super choros Angelorum in cœlestia regna. En quo euehit humilitas. Miramur dum hæc legimus, aut audimus; sed vtinam admiratio excitet amorem, amor adducat æmulationem. Omnes magni esse volumus, hic laborat, vt fiat Canonicus; ille vt Præpositus, alius vt Abbas, quotquot sumus ad alta adspiramus. En proposita èst hodie via, & ex æquò omnibus proposita est, via inquam, quæ euehit, non ad paruas quales iam commemorauimus dignitates, sed ad regnum: nec qualecunque regnum, sed æternum in cœlis. Et via hæc facilis est. Quid enim facilius quàm descendere? Nec facilis tantùm, sed & imprimis tuta. Humilias te: nemo inuidet, nemo insidias struit, nemo malum aliquod molitur. Quis enim ei nocere quærat, qui nihil earum rerum, ob quas tumultuatur mundus, ambit? Quis illi inuideat, qui nemini vnquã se præponit? amamus, fouemus, amplectimur omnes hominem huiusmodi. Et cùm hæc ita sint, nos curæ in terris animæ hac dimissa, vias eligimus laboriosas, & difficiles, illas nimirum quibus ad diuitias itur, honores, beneficia. Viæ istæ difficiles sunt, quia eleuatæ, semper autem ascensus difficilis. Nec difficiles tantùm, sed & plenæ insidijs; imò vix pedem in eis posueris, & statim exurget qui ex aduerso se tibi opponat, qui litem statuat, qui armata adeòque ærata prece, fores pulset potentum, vt à possessione te excludat, & (quod omnium infœliciſsimum est) vbi ad votum tuum in altum euexerint, ad ima te præcipitant, hoc est, ad tartara; sicut scriptum est: *Omnis qui se exaltat humiliabitur.* Sed omissis querimonijs, institutum cursum perficiamus, & gressus hinc dirigamus in viam castitatis.

Luc. 14. & 18.

Lucæ 9.

Luc. 14.

Castitatis semitæ pulchræ sunt, & amabiles, à terra ad cœlum vsque porrectæ, vnde, & certo calle eò deducunt ambulantes per ipsas, sicut scriptum est. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Respondet Propheta. *Mundus manibus, & mundus corde.* Sic enim habet translatio Pagnini, & mirè dixit Propheta, Mundus manibus, & mundus corde, & non modò, mundus corpore, & mundus corde, cùm tamẽ hoc vt putamus significare voluerit, videlicet, vt intelligas, quòd nisi manus solicitè seruaueris, & in sinu quasi captiuas tenueris, & mundas prorsus à contactibus, diù castitas, quæ in carne est, tuta esse non poterit. Duplicem ergo castitatem hoc versu expressit Propheta, carnis videlicet, & mẽtis, Vtraque excellenter viguit in MARIA. Si carnis in ea spectes castitatem, mundissima virgo fuit.

Psal. 23

Discimus hoc ex Euangelio, Mittitur ad eam Gabriel Angelus, qui ingressus conclaue primò salutat eam, deinde Filium promittit dicens: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum:* atque vt animũ Virginis ad assensum facilius inclinet, edocet quantus futurus sit, quem ex ipsa nasciturum nũciat: *Hic erit magnus*, inquit, *& Filius altissimi vocabitur, & dabit illi Domi-*

Lucæ 1.

Dominus Deus sedem Dauid Patris eius,& regnauit in domo Iacob in æternum,& regni eius non erit finis. Quæ obsecro virgo tam casta,quæ spe tantæ prolis non libens virginitatis suę iacturam faciat? Quæ puella sic maritales abhorrēs thalamos, quæ vt mater Dei efficiatur, non pleno corde torum ambiat? At non ita Virgo Beata, vox eius est. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quoniam pacto ait hæc promissio, qua Filium mihi polliceris, in me implebitur? ego enim virum non cognosco.

Quid est virum non cognosco? An hoc videlicet, absq; viro,& innupta sum? Minimè, sed votum, & animi mei propositum est, virum in æternum non cognoscere, nè sobolis quidem desiderio, aut posteritatis amore. Nam si illud prius tantùm significare voluisset, nulla erat quærendi ratio, quomodo id fieret: & causa quæ infertur nulla erit, quia, & iam tum nupta erat, & viro desponsata. Et etiā si innupta fuisset, nubere poterat, atque ita ex viri consortio concipere, & effici mater.

Magnum itaq; hic testimonium habemus virginitatis MARIÆ, atq; adeò magnum, vt vel vnicum hoc sufficiat, ad perpetuam ipsius integritatem adstruendam. Cuius enim animus Angelo Filium promittente, & talem Filium, Filium Dei, non titubauit, alia vnquam re labefactari ipsum potuisse credendum est? Virgo quæ non inflectitur magnis promissis dulcis alicuius, vel regis, vel principis terræ, inclinari illa poterit vilibus promissis hominis alicuius plebei? Puella quæ castitatem suam prætulit sedibus,& regnis,commutabit eam aliquandò oblatis paucis iugeribus terræ? En quàm fortè tenemus argumentum perpetuæ virginitatis MARIÆ. Huic idem adde, quòd ipsa omnium prima castitatem suam Domino consecrauit: alias enim ante ipsam huiusmodi virgines ignorat sacra Scriptura. Si autem primitiæ virginum inuenitur, ipsa ergo,& inter virgines præcipua: Primitiæ enim in omni re semper excellunt. Hinc primitiæ resurgentium Christus: primitiæ credentium Apostoli. Et quomodo non præcipua, ex cuius sanguinibus virgineum illud corpus quod vnigenitus Filius Dei nexu indissolubili sibi vniuit operatione Spiritus formatū est? Sicut scriptum est: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quo & hoc discimus, quòd in ea virginitas cum fœcunditate coniuncta est, vt eadem sit Virgo, & Mater, & quidem Mater Dei. Quantæ ergo huius sunt gloriæ quæ parem, si incorruptam carnis integritatem spectes, non habet super terram, imò nec parem etiam si interioris hominis con-

sideres castitatem. Castitatem interioris hominis vocamus generaliter puritatem mentis, quemadmodum Apostolus Paulus dum ait: *Despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* 2.Co.11. Quod dicimus palam erit, si duos produxerimus, qui in castitate fuere præcipui. Hi sunt Ioannes Baptista, & Euangelista. Vterque castitatis suæ testimonium habet in Euangelio. Hic quòd vnicè adamabatur à Domino, vnde, & super pectus dominicum in cœna recubuisse legitur. Ille quòd eremi cultor extiterit etiam dum puer, nè leui saltem maculare vitam famine posset. Magna, & quæ nunquam satis laudari potest amborum puritas, sed neque huius, neque illius cum hac quam nunc prædicamus, vel conferenda semel est. Imprimis nonne dilectus ille discipulus in fœcibus iacuit toto illo tempore, quo clausus viuebat intra parentis viscera? Nonne, & Baptista qui purus prodijt, ex vtero, impurus in vtero conceptus est, vt meritò dicere cum Dauid poterat: *In iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea?* Psal.50. Deinde quod ad rem magis facit, nonne ambo semel abluti rursus inquinauerunt vestimenta sua, insparsis licet leuiter hinc indè maculis? Si dubitatis ipsum interrogate, de quo sermo est discipulum quem diligebat IESVS, respondebit vtique interrogatus, quod olim non interrogatus sponte confessus est, hoc nimirum: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est.* 1.Ioā.1. Nonne etiam istud ipsum si interrogarentur, responderent quotquot ab initio fuerunt sancti, tam Pataiarchæ, quàm Prophetæ? Respondere nt nisi mendaces inueniri vellent. Omnes enim peccauerunt, hac sola in cuius nunc laudibus versamur excepta. Hæc sine labe in ventre concipitur, absquè peccato de ventre progreditur, citra maculam vias deserti perambulat, vt rectè de ea dictum intelligamus, quod in Canticis legimus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cant.1. Et rursus. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calciamentis Filia principis.* Omnino pulchri sunt gressus tui Virgo Beata, quos admirantur, & Angeli. Ipsorum enim vox est, non quidem quærentium doceri, sed prænouitate rei stupentium: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, ac vniuersi pulueris pigmentarij;* Cant. 3. Siue ergo corporis, siue mentis spectemus castitatem parem non inuenietis in terra. An forte in cœlo reperire poterimus? Imò nec ibi. Purissimi quidem sunt cœlestes illi spiritus. Sed quid magni faciunt, si puritatem quam ex conditione possident, incorruptam seruent, cùm longissimè à corpore semoti sint, & nul-

& nullum habeant cũ carne cõsortium. Corpus est quod aggrauat animam, terrena inhabitatio est, quæ deprimit sensum multa cogitantẽ. Caro est, quæ captiuat in lege peccati. Proinde in carne viuere, & non secundũ carnem ambulare, corpus circumferre corruptibile, atq; à corruptione se seruare immunem, hoc opus, hic labor est; opus magnæ virtutis, labor insignis meriti. Vnde dilectus ille discipulus, cùm vidisset agnum stantem supra montem Sion, vidit cum eo, *& centum quadraginta quatuor millia*, de quibus scribit, quòd nomen *Agni & nomen Patris eius* Apo. 14 scriptũ habebant in *frontibus suis*, quòd *cantabãt quasi canticum nouum*, quòd nemo cæterorum dicere poterat. Et docens, quo suo merito solla illa centũ quadraginta quatuor millia dicere poterant canticum illud ait: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quam vehementer hæc accenderent animos nostros, & dulce illud nitorem, ac virginei pudoris propositum in nobis corroborarent, si vigili mente pertractarentur. Emisti nos Domine Deus in sanguine tuo, & tui sumus, & corpora nostra tua sunt, vtinam ea hodie sacro cœlesti rore imbuas, & castitatis spiritũ infundas in viscera nostra. Nam tales quæris qui seruiant tibi, quia dixisti: *Sãcti eritis, quia ego sanctus sum:* Leu. 21. Quid facis in altari immunde? Pater, fœminam nescit, Mater Virgo est, ministri spiritus sunt, cuius corpus tu manibus tuis tractas? Et quibus manibus? Horret lingua eloqui, manibus stillantibus libidinem. Parum tibi est, quòd templum Dei polluere, nisi polluas, & Deũ tuum? Si quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus, & tu impunè eum violaueris, qui illud in sanguine suo sibi dedicauit?

Non hæc dicimus, quòd æstimemus quemquam eò venisse, vt corpus suum contumelijs afficiat; auertat hoc Deus, vt talis aliquis inueniatur, sed vt ostendamus, quàm magna nobis indicta sit continendi necessitas, qui quotidie agnum illum immaculatum offerimus; quàm magna nobis adesse debeat castitas; castitas inquam, non solùm corporis, sed & etiam mentis: verùm à quàm multis hæc negligitur.

Hic vagos circumfert oculos, & formas contemplatur alienas; vnde concupiscentia velut ignis exardescit. Ille inspectas antè rursus sibi obijcit facies, & absentes, velut præsentes in phantasia fixiùs intuetur, ibiquè se oblectat, donec cogitationibus suis ebria mens despumet in libidines, & desideria intus peragit, & consummat. Hinc ebulliunt, deinde illa, quæ dixerunt patres nostri, peccata muta. Sed vtinam exurgat, qui eis vocẽ tribuat, atque ita efficaciter, vt ipsa se sua vo-

A ce damnent, antequã propter ipsa damnetur mundus, & iustus simul cum impio intereat. Indigna sunt hæc castis auribus, & vtinam à nobis absq; causa dicantur, vt & hinc confundatur hodie facies nostra. Nonne animæ tuæ impressa est ab initio imago Dei? quo igitur ausu tu in ea pingis turpitudinum simulacra? Nonne mens tua in habitaculum Spiritus cõsecrata est? qua ergo temeritate tu illam in officinam vertis Veneris? Nonne mẽbra corporis tui membra Christi sunt? qua ergo impudentia seruire ea cogis desiderijs tuis, & adinuentionibus pessimis? Quia ab oculis hominum hæc absconditа sunt, num idcirco fugiunt etiam conspectum Dei? Nonne oculi Domini, sicut scriptum est, multò plus lucidiores sunt super solem, circunspicientes omnes vias hominis, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes? Cuius ergo te puderet ante homines, hoc audes facere coram oculis maiestatis Dei? Nonne ipse iudicabit cogitationes tuas? Ita iudicabit, & traducet eas, & nudabitur turpitudines tuas, & fornicationes tuas, & adulteria cordis tui, & quæ in tenebris egisti, ipse publicè velut in theatro spectanda exhibebit toti mundo. Sed dum hæc suquimur, institutum cursum deserimus, & propterea vnde digressi sumus, reuertamur.

Ostendimus iter directũ ad cœlum esse castitatem, qua cũ Propheta proposuisset sibi: C *Quis ascendet in montem Dominie, aut quis stabit in loco sancto eius?* subiecit. *Mũdus manibus & mũdo corde.* Ostẽdimus deinde Virginem MARIAM cæteris altiùs viam hanc conscendisse: Superauit enim castitatem coniugatorũ, quia Virgo fuit: Virginũ, quia primitiæ virginum: Angelorum, quia quam illi ex conditione possident puritatẽ, ipsa ex viribus arbitrij adiuti per gratiam obtinuit, & hoc in terra cui maledixit Deus, quod scimus eminentioris esse meriti. Vnde concludimus ipsam eminentiorem quoq, præ omnibus omnino & Angelis & homibus in cœlo tenere locum, Deoquè, qui incorruptionis fons est, proximam esse, quia à corruptione & mentis & corporis longissimè inuenitur remota. Incorruptio autem sicut dicit Scriptura, facit esse proximum Deo. Restat iam tertia via, quam tantopere olim Corinthijs commendauit Apostolus, videlicet via charitatis, hæc vt ex Scripturis discimus, discernit inter filios regni & perditionis. Extra hanc quicumque est, ad corpus pertinet diaboli: In hac quisquis inuenitur, mẽbrũ Christi est: imò vnum est cum Christo, sicut scriptum est: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Dan. 4. Hanc ingressi sunt, quotquot ab initio placuerunt Deo. Sed omnes longè post tergum reliquit Virgo MARIA. Non enim satis habuit cor libe-

liberum seruare ab amore rerum præsentium, ita quòd nihil vnquam quiescere sineret, vel in mente, vel in anima, quod quoquo modo Dei aduersaretur dilectioni: hoc siquidem est omnium qui in via charitatis, vel prima posuere vestigia. Non etiam satis habuit omnes animæ vires subinde in Deum surrigere, atque in diuinæ bonitatis contemplatione suspensas tenere, & in illa suaui contemplatione, ex intimis viscerum medullis, & se omnemque vitam suam, & actiones vniuersas Deo sacrificare. Nam & hoc est omnium qui, vel parum in via hac sunt progressi. Sed tãti omnino fecit Deum in corde suo, vt omnia prorsus quæ libertatem spiritus quoquo modo impedire possent, & à iugi contemplatione Dei, vel modicum suspendere, à se planè abdicaret. Vnde scriptum est:

Luc.10. *MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Nemo miretur, quòd hæc quæ de MARIA quę cognominatur Magdalena scripta sunt, ad Matrem Saluatoris referamus. Nam & hoc facit Ecclesia.

Et quid vetat ei hæc accommodare, in quam multò rectiùs quàm in eam de qua primò scripta sunt, competunt? Multum quidẽ dilexit Magdalena, sed quoties hæc in dilecti complexu impeditur vim passa, quamuis non superata à concupiscentijs, è carne sursum ebullientibus. Nec ipsa solùm hæc passa est, sed & quotquot ante ipsam sancti, imò & illi qui primitias spiritus acceperunt authores fidei nostræ Apostoli. Scimus enim quis ex illis dixerit:

Rom.7. *Non quod volo bonũ, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Rursus, *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, adeò quod exclamare coactus fuerit: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Licèt igitur Magdalena optimam in terra elegerit partem, quæ quidem in hoc est, vt totus homo iugiter inhæreat Deo: licèt & alij quam plures hanc elegerint, eius gratia rebus suis se nudantes, & illas abdicantes, tamen nec illa, nec isti hanc possederunt in ea plenitudine pace, & tranquillitate, in qua possedit Virgo Beata, vt quæ sola omnes animæ suæ vires secundùm legem Dei plenè compositas habuerit. Nam sine peccato quod concupiscentiam inuexit, concepta fuit. Sed dixeris. Hæc puriorem demonstrant dilectionem, non fortiorem, aut ardentiorem. *Fortis dilectio* est, & ardens charitas, quam

Cant. 8. *aquæ multæ* extinguere non valent, *nec flumina* obruere, sicut in Canticis scriptum est. Inundauerunt aquæ, & turbata est in Apostolis charitas, irruerũt flumina, & obruta est dilectio. In hac quam nos prædicamus, neque obrui potuit, neque extingui, imò nec turbari. Fugiunt illi, hæc sola non fugit, scancandalizantur illi; hæc non scandalizatur: deserunt illi, non deserit ista: ad crucem sequitur, in morte adhæret, parata mori etiam, & ipsa. Rursus hic dixeris: Tum necdum induti erant Apostoli virtute ex alto.

Induti virtute, ex alto Apostoli, & quia eos sequuti sunt martyres, qua in re ardentem in Deum dilectionem magis ostenderũt, quã quòd pro eius amore suas ceruices subijcere securibus, aut ferienti gladio colla præbuere? Magna profectò charitas est, & fortis, vt mors, ipsorum dilectio: Sed maius dilectionis argumentum habeo in D. Virgine: Illi siquidem carnem quam semel corrumpi necessum erat, cædendam præbuerunt; hæc animam, quæ corruptionem nescit, transverberandam exposuit, pro dilecti amore. Nam impleta in ea est prophetia iusti Simeonis:

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Lucæ 2.* Et vultis certius aliquid de huius dilectione cognoscere? Considerate, quòd hæc ipsum dilectionis fontem de se genuit, & mundo editum, sacro vbere suo lactauit.

Ex huius consideratione cognoscetis, nec Angelorum charitatem, non eorum solùm qui in ministerium emittuntur, sed nec ipsorum qui familiariùs Deo adsistunt, & ab incendio nomen habent, hoc est, ipsorum Seraphim cum hac conferri debere. Quod autem non vsque infatigabiliter, sicut in Angelis, ita in virgine exercuerit se flãma charitatis, obstitit quæ in carne mortali agebatur peregrinatio: vbi per fidem ambulatur, & non per speciem. Cùm igitur secundùm scripturas, tanti quisque est apud Deum, quanti ipse Deum in corde suo facit: Cumque nullus tum hominum, tum Angelorum pluris fecerit Deum quàm hæc, quæ de se genuit Deũ, clarum est ipsam primam esse apud Deum, & super omnes Angelorũ choros eleuatam, residere in cœlestibus. O charitas quàm magnę virtutis, & meriti es apud Deum, quæ sic in sublime euehis, quos invalle hac impleueris. Verè dictũ est de te: *Si dederit homo omnem* *Cant.8.* *substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hoc sentiũt qui spiritum non huius mundi acceperunt, sed spiritum qui ex Deo est: illi diuitias nihil esse dicunt in comparatione tui, aurum calcãt tanquam arenam, tanquam lutum æstimant argentum, omnia vt stercora despiciunt, vt te possideant. Imò multi exeũt de terra sua, de cognatione sua, in terra morantur peregrina, parentum obliuiscuntur, deserunt fratres suos, sorores relinquunt, & se ipsos denique, vt apprehendant, quam rebus omnibus chariorem habent charitatem. Verè filij non huius seculi, nec illius Adæ, & infœlicis Euæ, quorum oculi clausi fuerunt ad vera, & æterna bona, atque in vmbras rerum tem-

poralium aperti, Sed filij lucis, filij Patris, qui in cœlis est, à quo, & adoptati sunt, qui & hæredes ipsos instituit, & reges regni cœlorum fecit; vnde & in cœlo eorum mens est & animus, licèt corpore nobiscum versentur in terris. Sed tempus est, vt dicendi finem faciamus. Diximus quibus itineribus D. Virgo ad gloriam perducta est, & super Angelorum choros euecta in cœlestibus. Vnum superest, vt per quæ illa incessit, per ea, & nos ambulemus, videlicet, vt sectemur humilitatem, amemus castitatem, amplectamur charitatem. Sic fiet, vt eò, & nos perueniamus, quò ipsa iam ingressa est, hoc est, ad regnum æterni Dei, vbi perenniter cum Sanctis lætabimur in gloria. Amen.

DE ASSVMPTIONE D. VIRginis, Homilia secunda.

Cãt. 8. QVÆ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectũ suũ. Vox hæc Angelorum est, non quidem quærentium doceri, sed præ nouitate rei stupentium. Siquidem res noua planè, & insolẽs, in deserto reperiri delicias. Et inueniatur in deserto rosa interdum, vel lilium; nunquid illum spirabit odorem, numquid candorem illum referet quem lilia conuallium? Mirantur proinde Angeli, quum è deserto adscendat, delicijs hanc affluere, & talibus delicijs quas nec agnoscunt in terra sua. Non minor vos auditores optimi capiet admiratio, si cognoueritis quid sit desertum hoc vnde adscendit. Quæ item deliciæ quibus affluere scribitur D. Virgo. Quare visum nobis est vtrunque paucis explicare, vt in admirationem abducti, magnificè sentire discatis de Virgine.

Desertum (vt quod primò loco proposuimus, primum quoque absoluamus) est mundus iste. Quod dicimus, mirum videri potest homini carnali, hoc est, illi quem terrena voluptas oblectat, qualem capit. 12. describit Euangelium secundùm Lucam, quam, & ita loquentem facit: *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Quales quoque describit liber Sapientiæ capit. 2. quos, & mutuò sese exhortantes inducit his verbis. *Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit quòd non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ. Vbique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* His non desertum, sed Paradisus delitiarum est mundus iste, & cuperent si liceret, perpetuò hic vitam degere, vnde, & vehementer contristari eos videmus, dum hinc ipsis exeundum est. Scitis cuius illa sit vox. Siccine separas amara mors? Ac rursus illa.

Heù quæ tenebræ, quantus horror irruit,
Quæ punctiones cor fatiscens lancinant.
Ah flos iuuentæ, iamne compellor mori?
Blandumq; quidquid fuit, & est, relinquere?
O dulce lumen, iamne cogar emori,
Qui multa lustra adhuc putabam viuere?
Heù vita fallax, quomodo breuissimi
Euanuisti prorsus instar somnij.

Verum licèt his non videatur, verè interim desertum est mundus iste. Quid enim? Nonne horrida, atque à feris, & bestijs inhabitata loca vulgò deserta appellamus? Certè Esaias significare volens Babylonem in solitudinem redigendam, his verbis ad hoc vsus est. *Requiescent tibi*, ait, *bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi strutiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in diebus eius, & Sirenæ in delubris voluptatis*, hoc est, in locis in quibus coluerunt hactenus festa Veneris. Quæ Prophetæ descriptio si apta est, vt desertum sit, vbi cubilia sua posuere bestiæ, dracones, strutiones, Fauni, siue Satyri, Vlulæ, ac Sirenæ, vtique desertum erit mundus iste, cùm ferarum hic plena sint omnia, non dico huius generis quod terreri iaculis, aut propulsari potest ferro. Siquidem nec Esaias per omnem locum descriptionis has feras significare voluit. Nam גיים tsijm, quod noster interpres. lxx. imitatus bestias transtulit. Hebrææ linguæ periti dicunt, genera dæmonum significare, vel phantasmata, quemadmodum, & nomen שעירים, scheirim, quod pilosos, & תנים thannim, quod vertit Sirenas, vt taceam iam de אוחים ochim, quod Hieronymus, dracones, Aquila Typhones, lxx. & Theodotio κχους, id est, clamores, vel somitus. Iechiel, quem præceptorem suum vocat Capnion, cercopes. Alij Marticoras. Multi feles marinos interpretati sunt. Symmachus cùm nihil certi inueniret quid significaret, dimisit verbum absque interpretatione, sicut & Ionathas Caldæus, nisi quòd hic more Chaldæorum mutauit m. in n. dicens Ochin. Nicolaus de Lyra scripsit, aues esse grandes corpore, graueque, solitudinem amantes. In tanta diuersitate, quæ ignorantiam eius nominis אוך oach, palam profitetur, putarem ego non arguendum qui modestè assereret ipso vocabulo Hebraico genera dæmonum significari, cùm in descriptione tot sint voces, quæ huc inuitent, imprimis ציים tsijm, deinde שעירים Shceirim, postremò, תנים thannim, de quibus iam dis-

Luc. 12.

Sap. 2.

Esai. 13

A B C D

ser-

seruimus, quibus, & D. Hieronymus motus sic scripsit in commentarijs. Per quæ omnia, vastitatis inquit, & solitudinis signa monstrantur, quòd tanta sit populatio vrbis quondam potentissimæ, vt præ multitudine dæmonum, ac bestiarum nullus in eam audeat pastorum, hoc est, deserti appetitor intrare. Quamquam igitur in translatione sua nusquã expresso nomine dæmones posuerit, voluit tamen non vno loco nominibus ferarum hos intelligi metaphoricως. Quos si docuerimus per mundum istum vagari, ostensum erit quòd in orationis exordio assertum à nobis est, nempè appellationem *deserti* rectè tribui mundo. Et quidem illustrem locum habemus hac de re Apostoli
Ephes.2. Pauli in Epist. quam scripsit ad Ephesios cap. 2. *Et vos cùm essetis mortui delictis, & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundùm seculum mundi huius, secundùm principẽ potestatis aeris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ, conuiscauit, &c.*

Cùm (inquit) *essetis mortui* per peccata; *in quibus olim ambulastis*, iuxta instinctũ Dęmonis, *cui potestas est in aere*, hoc est, qui in infima hac orbis parte regnat, nõ veluti dominus, sed vt tyrannus, *cui, & potestas est spiritus illius, qui nunc agit in filios diffidẽtiæ.* Vel certè cùm essetis mortui per peccata, in quib⁹ olim ambulastis iuxta instinctus illius qui princeps est dęmonũ, vt nomen ἐξουσιας, non qualitatis, sed substantiæ vocabulũ sit, ad quod planè inuitat locus qui est c. 2. huius Epistolæ: vbi scribitur: Christus à Patre collocatus in cœlestibus *supra omnem principatum, & potestatem.* Cui similis est ille in
Colos.2. Epistola ad Colos. c. 2. *Estis in illo repleti qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Quibus locis certũ est vocabulũ, ἐξουσιας esse nomen rei, siue substantiæ, quemadmodũ,
Ephe.6. cap. 6. Epist. ad Ephesios, & plerisque alijs. Quæ interpretatio si placet genitiuus aeris referendus erit ad principem. Secundũ principem dæmonũ qui, & princeps est aeris. Deinde qui sequitur genitiuus (spiritus) ad aerẽ. Secundũ principem aeris, in quo degunt spiritus, qui nunc efficaces sunt in filijs diffidẽtiæ, vt sit enallage, siue heterosis numeri, aerq; dicatur spirituum ea phrasi, qua dicimus terrã Barbarorũ per terra quam Barbari inhabitant. Verũ siue ad hũc modũ interpreteris, siue vtrumq; genitiuum, & aeris, & spiritus ad tertiũ referas qui præcesit (potestatis) constanter retinetur dogma, quod adstruere conamur, nẽpè dæmones in hoc mundo, siue aere sedem suã habere, atq; in ijs, qui nolunt se præbere formandos Euangelio; hi siquidem sunt οἱ τῆς ἀπειθίας, operati homicidia, furta, adulteria, fornicationes, hęreses, &
id genus alia. Atq; hanc Theologiam nõ hoc

A solùm laco tradit Apostolus, habet eandem c. 6. nisi quòd ibi nõ in aere, sed *in cœlestibus* *Eph. 6.* eos degere dicat. Quod nè cui negotium faciat, sciat hanc scripturæ sacræ phrasim esse, vt cœlum appellet, non solũ orbem solis, aut lunæ, aut in quo fixa sunt sydera, sed & locum vbi venti, & nubes, & procellæ, & turbines sunt, quem Apostolus Petrus in poste- *1. Pet. 2.* riori sua Epistola tartarum appellat, quòd *Iudæ.* turbulentissimus sit ἀπὸ τοῦ ταρασσειν, & Iudas, ζοφον id est, caliginem. Est enim obscurus, & crassus, qui supra nos est aer, quò & transgressores Angelos præcipitatos dicunt, in hoc accedentes Theologiæ Paulinæ.

B Quòd si cui loca hæc scripturæ, vt à nobis iam interpretata sunt, non satisfaciant, legat commentarium Hieronymi super cap. 6. Epistolæ ad Ephes. vbi verè insignis est, atq; inter cætera attendat, quid de loco dæmonum sentire dicat scholam Theologorum. Cùm proposuisset suam de cœlestibus sententiam, quò maiorem fidem faceret lectori adiecit. Hæc omnium doctorum opinio est, quòd aer iste, qui cœlum, & terram medius diuidens, inanè vocatur: plenus sit contrarijs fortitudinibus. Quis igitur neget mundũ hunc desertum esse? Sanè quibus *velamen* illud, cuius in posteriori Epistola ad Corinthios meminit Apostolus, *ablatum est* C *ab oculis.* Vident horrorem loci, quare, & *2. Cor. 3.* gemunt nocte, ac die, vnumque hoc parturiunt, vt quam citissimè hinc tollantur. Quod dico adductis in medium exemplis docerem, nisi scriptura his plena esset.

Ne tamen omnino dissimulare videar, ex multis vnum proponam: Legimus in Psal- *Ps. 119.* mis. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Habitaui cũ habitantibus Cedar, &c.* Heu mihi dolentis est, & quidem vehementer dolentis, quod indicat epithasis, quæ est in narratione causa, quàm alijs verbis hoc modo exprimere possumus. Quòd malè me habet quodque gemo, hoc nempè est, quia incola sum, & multo iam tempore incola, D atque incola terræ barbaræ, mundi nimirum huius. Sed adeò nè molesta res, insuauis, ac tristis, degere in hoc mundo? Omnino ait. Nam eremus est, nec quæuis, sed vasta, & horribilis quam rectè Cedar dixeris, siue vastitatem, siue tenebras spectes, vndique, & vndique incubantes, *Habitaui*, inquit, *cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Quam diuersa vox hæc ab ea Euripi, cuius in præcedẽtibus meminimus, quæ quò magis afficiat, attendere vos volo cuius sit. Vox est Dauidis, cui, cùm rex esset, nihil earum rerum, quæ ad beatam in terris vitam faciunt, deesse poterat, siue hanc in diuitijs ponas, siue in honoribus, siue alijs rebus quibuscunq;. Quod animad-

uersum, quantũ pondus habeat, tum demum intelligimus, cũ ad nos referimus, quos harũ rerũ, vel sola spes in mundo detinet, imò sic mundo affigit, vt nõ nisi vi auelli queamus. Quis enim nostrũ volẽs egreditur? Quis nisi necessitate adactus, terras deserit? Heu miseros. Quam parũ agnoscimus horrorem loci. Quàm parũ attendimus feras, quibus cũ versamur, imò cum quibus lucta nobis est iugis, & assidua. Hoc enim in Epistola quam ad *Eph. 6.* Ephes. scripsit docet Paulus, vbi & feras has (dæmones dico) nouo planè, & nusquã alibi reperto vocabulo κοσμοκρατορας appellat, quarum naturam, & ingenium cognoscere viresque perspectas habere; cùm ad horrorem deserti faciat, placet de ijs hic differere.

Platonici (vt videre est apud Apulæiũ) definierunt dæmones animalia esse, anima passiua, mente rationalia, corpore aerea, tẽpore æterna. Quorum sententiam ea parte qua corpora ipsis affingunt (quamquam quibusdam *Augusti.* in locis amplecti videatur Augustinus) nobis sequi non licèt, vt qui certissimam definitionem habemus magni illius Dionysij, *Dionys.* qui Paulo præceptore vsus fuit, atque in hisce rebus exactè ab ipso edoctus Hic cap. 4. de diuinis nominibus intelligentias (sic enim Platonem imitatus Angelos ipse vocat) definit ασωματους ἰς αυλους, hoc est, incorporeas, materiæque expertes. Quod nè de bonis duntaxat dictum arbitretur quispiam, sciat ipsos transgressores Angelos, eiusdem prorsus cum alijs naturæ esse, iuxta Theologiam Damasceni lib. Orth. Fid. 2. c. 3. & 4. *Damas.* Quorũ vtriusq; doctrinam planè probare videtur Scriptura. Canit, siquidem in Psalmis *Ps. 103.* Dauid, Deum *Angelos suos*, id est, eos quos suis mysterijs deputauit, fecisse *spiritus*, hoc est, spirituales, & incorporeos. Et ad Ephes. *Eph. 6.* 6. Apostolus dæmones appellat spirituales astutias. *Non est nobis*, inquit, *colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarũ harum contra spiritualia nequitia in cœlestibus*, hoc est, phrasi Hebræa, contra spirituales nequitias degentes in cœlestibus. Quibus verbis, & naturã dæmonum, & pariter ingeniũ expressit: Naturam, dũ ipsos spiritus dixit: ingeniũ, dum nequitias appellauit, vel potiùs versutias. Siquidẽ nequitia propriè ad libidinẽ, & luxum pertinet, quòd hæc vitia hominem perditum, & nihil declarent, πονηρια verò qua voce vsus est Apostolus, præter malitiam, & versutiam siue astutiá significat. Quam significationem hoc loco expressisse Apostolum, inde manifestum est, quòd in præcedẽtibus μεθοδειας posuit. Est autem μεθοδεια, cùm quis ex insidijs aggreditur alium. Nam μεθοδευσαι fallere est, & per compendium, & abruptè adoriri, quod sanè arte fit. Et quia Diaboli mille nocendi artes, multimoda ipsius ingenia, adinuentiones, fraudes, dolos, molimina significare volens Apostolus, pluralẽ numerũ posuit dicens methodias. Vt posſitis stare aduersus methodias, aduersus assultus, seu insidias Diaboli. Ob eandẽ causam vsus est enallage qualitatis, ipsum nõ astutũ simpliciter, vel vafrũ appellans, sed ipsam vafriciẽ, astutiã, siue versutiã. In cuius venena, & fraudes intendens reliqua scriptura, ipsum nunc draconem, nunc serpentem, nunc colubrum, nũc vectem, nunc alijs atque alijs nominibus appellat. *In die illa*, ait Isaias, *visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuithan serpentem tortuosum*, hoc est, qui mille per meandros sese voluens, explorat nostra, quæque parum munita videt, ea imprimis, vt est callid⁹, oppugnat loca, vt cùm per illa irruperit, munitiora faciliùs capiat, & ad arcem cordis, & animæ perueniat. Si obscuriùs dictum est, quia in genere, dicam in specie, quò dicam clariùs. *Isai. 27.*

Si abstinuerimus à corporum voluptate, seu libidine, per auaritiam, à qua minùs nos abhorrere videt, capere nititur. Quòd si, & auaritiam cum voluptate contemnimus, per luxuriam, quæ pro Deo ventrem colit, parum cautos aggreditur: cumque per hanc irrepserit, etiam illa quæ fortia esse videbantur, expugnat.

Esset hic locus dicendi, quanti, & quales per ipsum delecti sunt, non solùm laici, sed & Monachi, sed & Episcopi, sed nimis excresceret oratio, quod cauere volentes, & reliquas versutiarum eius species, quas tamen imprimis refert habere perspectas, præterimus, & ad vires ipsius explicandas sermonem conuertimus, quas non vulgares esse indè colligimus, quòd ad has superandas opus sit gladio Dei forti, duro, & grandi: sic enim habet Esaias cap. 27. Verba iam citauimus, atque iterum placet referre quò exactius explanemus.

In die illa, ait, *visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cætum qui est in mari.* Hoc est diabolum, qui in mundo vagatur. Quare diobolus dicatur draco, nam quòd cętum hic vertit interpres, cap. 29. apud Ezechielem vertit draconem: *Ecce ego ad te Pharao draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Quare itẽ dicatur serpens, & vectis, in præcedentibus dictum est. Iam explicandum, quare Leuiathan appelletur: id namq; ad rem præsentẽ facit. Leuiathã talis Hebræis vox est, qualis est Latinis cęt⁹, vel balęna, hoc est, significat cętũ, piscis genus vasto, ac immani corpore, quãuis sint qui non cetum, sed quoduis genus in *Isa. c. 27* *Eze. 29.*

mari

mari positum grande, & vastum, voce hac significari dicant, vt sit vocabulum quale Latinis est belua. Si quis consulat Scripturá, magis probauit, quòd priori loco refertur, nihil tamen certi ex ea statui licèt, hoc interim certũ est à mole corporis inusitata nomen pisci impositum esse: Siquidem לוה lauach Hebræis est cumulare, & accessionibus augere. Loca scripturæ in quibus proprius vius vocabuli huius reperitur, tria potissimum sunt, quæ cum ad cognitionem quoque faciant naturæ piscis, à qua metaphora huius loci ducta est, statui ea adducere. Primus est Psalmo 103. cuius initium est. *Benedic anima mea Dominum, &c.* in quo magnificentiam Dei ex duabus rebus proponit Dauid. Recenset primò opera Dei mirabilia, quæ in terra licet videre. Quem tractatum vbi epiphonemate concluſit, hoc nempè: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua: Adiecit quæ in mari sunt admiranda.* Dixi de terra, inspiciatur, ait, iam mare, non minora videas ibi rerum miracula. Inter cætera est ibi Leuiathan quẽ formasti, vt luderet in mari. Nam pro dracone quod noster vertit interpres, in Hebræo est Leuiathã. Et illud, ad illudendum ei, Græcè dictũ est, Latinè vertisset, ad ludendum in eo nempè mari quod spacioſum manibus, id est, flexibus sinuoſum est. Hunc puto germanum esse sensum Psalmi, quamquam non ignorem cõmentarios figurate de diabolo interpretari ad hunc modum: Inter reliquas creaturas mundi (nam hunc nomine maris intelligũt) formasti, & diabolum, vt ludos nobis faciat. Secundus locus est Psalmo 73. non minùs insignis: *Tu confregisti capita draconis* (hic rursus Leuiathan est in Hebræo) *dedisti eum escam populis Æthiopum*, Sensus Psalmi hic est: Tibi Domine in manu est, facillimũ, est tibi modò velis, comprimere hostes nostros. Nam magna potes, & mirabilia fecisti, atque hoc recenset ibi propheta, & inter cætera. Tu inquit, potes facere, vt capiatur Leuiathan, & in frustra concisus mittatur etiam ad Æthiopas, qui longè dissiti sunt à mari, Hæc sanè loca faciunt ad intelligendam metaphoram. Esaiæ. Nam Psalmo 103. cùm inter prima rerum miracula quæ cernere est in mari, recenseatur Leuiathan.

Psal. 103.

Psal. 73

Psal. 103.

Hoc verò 73. Psalmo, cùm ex ipsius deiectione adstruatur Dei potentia, grandis oportet belua sit, non solùm mole corporis, sed & robore virium. Sunt tamen qui, & hunc locũ figuratè interpretantur, per draconem intelligentes Pharaonem, per capita, ipsius proceres, vt alluserit Propheta ad notam Ægyptiorum subuersionem hoc sensu: Pharaonẽ, & proceres eius demersisti in mari rubro, quibus de profundo pelagi rursus eductis, laniandos tradidisti exangues eorum artus, carnivoris auium rostris, ipsis coruis, vt populus Æthiopum periphrasis sit coruorum.

Psal. 73

Tertius locus est apud Iob. cap. 40. atque hic omnium apertissimus est. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus eius? &c.* Vox Dei est ad ipsum Iob. Nõ est, inquit, hoc virium tuarum, sed nec cuiusuis mortalium: ad superandum Leuiathan, diuina opus est potentia. Describens deinde ipsam beluam: *Corpus*, ait, *illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se præmentibus: Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabitur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius, vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut tedæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atq; feruentis. Halitus eius prunas accendere facit, &c. Cùm apprehẽderit eum gladius: subsistere nõ poterit, neq; hasta, neq; thorax. Reputauit enim quasi paleas ferrũ, & quasi lignũ putridum, æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulã versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam, feruescere faciet quasi ollam profundum. Mare ponet quasi cùm vnguenta ebulliunt. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Ex hoc loco qui naturam piscis, & proprietates ipsius exacte describit, facile est cuiuis metaphoram explicare, quæ apud Esaiam est, nempè quod ob inuictum robur, & insuperabiles vires Diaboli ipsum Leuiathan appellarit.

Iob. 41.

Quòd autem, & hunc locum de Diabolo quidem interpretati sunt, vt Philippus Presbiter, & plerique alij, nihil contra nos facit, cùm id fecerint per allegoriam rerum, quæ litteræ velut basi innititur. Quamquam mirum est quid hic sequuti sint, cùm allegoria ferè peti soleat, ex rebus gestis, non autẽ ex naturis rerum, sed istud alterius negotij est. Ob eandẽ causam robur scilicèt, & vires iuxta quosdam vectem ipsum vocauit. Vectibus portæ claudũtur, vectibus circũ aguntur torcularia, vectib⁹ onera gestãtur, in quib⁹ quia alij alia, atq; alia cõsiderauerũt, aliter quoq; & aliter interpretati sunt metaphorã. Hieron. quẽ in præcedentib⁹ sequuti sumus, eam ob rationẽ dixit Diabolũ vectem à Propheta vocatũ, quod nihil in se recti habeat, ob quã causam etiã tortuosum appellauit. Hic respexit ad curuitatẽ palorũ, idẽ c. 15. Esaiæ, vbi de Moab scribitur. *Vectes eius vsq; Segor.* Per vectes, robur, seu primores Moab intellexit, vbi in palis istis respexit, quòd sint robusti, quam significationem in translatione

Isai. 15.

sua expresit hoc loco Theodotio, super serpentẽ inquit robustum. Hũc Dominus semel occidet, atq; tunc pax erit perpetua, secura, stabilis, tunc solidũ gaudium quod nunquã interrumpetur. Hæc est consolatio eorum qui iam certantes contra diabolũ, experiuntur quàm sit difficile superare vires ipsius, quàm sit difficile fraudes ipsius euadere.

Nõ esse autẽ præsentis tẽporis, sed ad futurum seculũ pertinere discimus, ex Apostolo Paulo, qui cap. 6. Epistolæ ad Ephes. cuius aliquoties iam meminimus, hortatur eos qui renati erant ad arma. Volo, inquit, vos arma capessere, nec vulgaria, sed arma manu Dei fabricata, non hastam tantùm vel lanceam, sed omnia simul arma, quæ ad virum, seu militem pertinent: id enim significat παναοπλια qua voce ibi vtitur Paulus. Quod deinde per partes explicans. Volo inquit lũbos baltheo, pectus lorica, caput galea, pedes calceis, sinistram scuto, dexteram gladio muniri, gladio inquit spiritus. Nec miremini quòd tam exacte instructos armis vos velim: magna causa est, pugna vobis est; non cum carne, & sanguine, sed contra principatus, contra potestates, contra mũdi rectores, id est, dæmones, siue dominos tenebrarum seculi huius, contra spirituales versutias. Quid potuit dici vehementiùs? *Non est*, inquit, *nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem*: Sed quid, aut quomodo Paule? An nunquã expertus in te es, quanto impetu assurgat caro? quanta improbitate imperare conetur lex membrorum: qua via ad inhonesta trahat, quę per corpus respersa est, concupiscentia? Nõne ob huius violentiam ipse, ò bone exclamas: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? Nõne, & in ea quæ ad Romanos est Epistola doces inter carnem, & spiritum perpetuam luctã esse, dum aliò spiritus, aliò inuitet caro? Quomodo ergo nunc ais, non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem? Adeò nè citò omnium horum te cœpit obliuio? Nequaquam ait. Scio molestam vobis pugnam esse contra sanguinem, & carnem, verùm collata cum ea de qua nunc loquor, qua contra dæmones dimicamus nulla est; tantæ sunt vires, tantæ sunt fraudes horum. Mirè Apostolus hoc loco duo hæc iunxit, vires, & fraudes, imitatus in hoc Esaiam, qui non contentus dixisse Leuiathan, adiecit serpentem vectem, serpentem tortuosum, quod, & Apostolum Petrum fecisse videmus, vbi ait: *Aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Quod dicit, circuit, seu obambulat, acres insidias, & exactam ipsius fraudem explicat. Quod addit deinde (rugientis instar leonis) sæuitiam diaboli fortitudinem, ac robur declarat. Porrò nomine diaboli totum cœtum dæmonum significat per heterosin. Quorum multitudinem si quis æstimare velit, cogitet quanta sit ea quæ inter cœlum, & terram media est aeris regio, quæ sanè maxima est, & latissima: atq; hæc vt ante à nobis ostensum est, plena est contrariarum fortitudinum. Quàm igitur horribile desertum hoc, quod tot, & tales, tam acres, tam truculentæ feræ inhabitant. Quàm horribile inquam desertum.

Ephes. 6.

Roma. 7.

1 Pe. 5. b

Obsecro vos auditores, si quispiam vestrũ ita secum agente non fortuna, sed cuius prouidentia cuncta gouernantur Deo, deferretur in vastum aliquẽ locum, vbi non nisi lupos quales vulgus intelligit, & vrsos, & leones, ac leænas, atq; horum catulos conspiceret, nec vllum sibi cernere patere exitum, an non totus rigesceret? Et quid sunt illæ feræ ad has collatę? carne pascuntur, & sanguine, istæ glutiunt animas. Illæ certis temporibus excurrunt, dum nimirum fames extimulat: istæ nunquam non obambulant, quærentes quem deuorent. Illæ aperto ferè Marte inuadunt, istæ ex in sidijs aggrediuntur. Illæ conspici à nobis possunt, istæ nequaquam. Illæ cùm corpora habeant, lędi, atque interimi queunt, istæ vulnerari non possunt, cùm spiritus sint. Illæ etiam dum vel maximè sæuiunt, si de grege, vel agnum, vel caprum vbrandũ eis obijcias, desinunt insequi, istę nũquam expleri valẽt. Illæ cũ bruta sint excogitare nequeũt, istæ ingenio calliditatis suæ mille nocẽdi artes adinueniũt. Quantò igitur horribiliùs desertũ hoc altero illo, atq. huius talis deserti qui incoiæ sumus, diù in eo degere optamus, imò quasi nullũ esset bellum, quasi nullæ starent contra nos instructæ acies, nugamur, deliciamur, ludimus, dissoluti incedimus atq; discincti. Quid dicã? hoc sanè, vel carere nos fide, vel occupatos nimiũ alijs, non exercere hic ingenia nostra. Etenim cùm fides habeat oculos suos, si intenderemus, videremus per nebulam saltem Leuiathan immanem illam beluam caudam suam stringentem, flammas spirantem, concitantem abyssum in caput nostrum. Videremus serpentem illum vectem, serpentem tortuosum miris modis per arctissimas rimulas insinuantem sese, ac mille meandris nitentem arcem ipsam cordis occupare. Videremus, vt semel dicam diabolum rugientis instar leonis obambulantem, explorantem nostra, perquè ea quæ, vel patent, vel minùs fortiter clausa sunt, irrumpentem, atque in omnia deinde se vertentem, vt quò cupit perueniat, hoc est ad arcem mentis, vt cùm eam obtinuerit, lambat sanguinem animarum nostrarum: Videremus inquam incorporales principatus, mundi Dominos, spirituales versutias, totum denique cœtum dæmonum stare contra nos in acie, dentibus stridere, ac fremere, ignem spirare

ad-

aduersus salutem nostram, Videremus hæc neque vt iam ridere liberet, sed sumptis lachrymis plãgeremus sortẽ nostram duram, ac terribilem, plangeremus cum propheta tempus incolatus nostri extrahi, plangeremus, & sublatis ad cœli sanctissima templamentis nostræ oculis, tristes, ac horrore pleni clamaremus difisi viribus nostris: Exurge Domine, expugna qui impugnãt nos. Exurge Domine, apprehende arma, & scutum, & dejice aduersarios nostros. Exurge in auxilium nobis. Quis enim hanc contra nos dæmonum pugnam vincere prævalet nisi tua fuerit pro eo dextera dimicatum? Sed tempus est, vt tractatum hunc absoluamus.

Ostendimus appellationem *deserti* rectè tribui mundo, eò quòd ferarum plena hic sint omnia, hocque horribiliùs desertum esse, quo feræ istæ, siue naturam, siue ingeniũ, siue robur spectes, siue fraudes, siue sæuitiã, longè superent nostri generis feras. Restat iam alterum, nimirum vt dicamus quæ sint deliciæ quarum meminit thema quod tractandum sumpsimus, atq; vt vno verbo rem explicemus, deliciæ hæ virtutes sunt, humilitas, benignitas, modestia, mansuetudo, castitas, charitas, ac ceteræ virtutum, species, quæ multæ sunt, de quibus (non dico de omnibus: quis enim id posset:) sed de potissimis, cùm in alia quadam concione ex professo olim disseruimus, hoc loco nihil dicam: Puto enim plerosque vestrum meminisse: Argumentum concionis illius hoc erat: D. Virginem per humilitatem, castitatem, charitatem, quas excellentiùs etiam præ Angelis ipsam possidere demonstrabam; ad summum sublimitatis fastigium euectam esse, & in cœlestibus collocatam super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationẽ, super cherubim, & seraphim, super omne denique quod infra Deum est. Veritum iam est singulas virtutum species percurrere, atque vbi vobis persuaseritis, excellentissimè has viguisse in MARIA Virgine, oculos vestros ad desertum hoc transferre. Quod si feceritis, videbitis quàm optimo iure admirantes dicant Angeli: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens?* Cã. 3. Quæ est ista quæ adscendit de terra Cedar, de terra cui aerea illa caligo, quæ plena ferarum est, vndique incubat: de terra horroris, in qua pugna aduersus diabolum quotidie geritur. Vbi aduersus iacula, & tela conflictationibus assiduis dimicatur, vbi cum auaritia, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua, & iugis, & molesta luctatio est, vbi obsessa mens hominis, & vndique zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit.

Si auaritia prostrata est, exurgit libido: Si libido compressa est, succedit ambitio: Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia violentia inuitat, &c. De hoc ergo *deserto* tam horribili, mundo videlicet adscendit. D. Virgo, *delicijs*, hoc est, virtutibus, vt diximus *affluens*. Quare auditores optimi curemus, vt & nos de hoc deserto delicijs affluentes adscendamus, quod det nobis Deus Pater, & Filius, &c. Amen.

R. P. ADRIANVS MANGOTIVS.

NOTA.

PIVS, ac eruditus Pater Adrianus Mangotius Gaudanus Belga postquam Louani Philosophiæ operam daret, ac in Sacra Theologia, gradum primum adeptus, & pastorali officio in sæculo summa cum laude functus esset, mundum aufugiens præclaram Societatis IESV Religionem ingressus est anno à Virgineo partu 1585. *Integrum dicauit, studium, laborem, vitam, in colligendis, & in locos communes redigendis Sanctorum Patrum, Doctorumque sententijs, quibus omnes Christicolas toto conatu inflammare satagebat, vt testantur eius* Monita Sacra, *in tribus Tomis ab ipso distributa, seu sermones ad mores instruendos; explicantes varia Sacræ Scripturæ*

loca; quæ Antuerpiæ, ex Officina Hieronymi Verdussen. anno à Dominica Incarnatione 1613. *& iterũ anno* 1615. *in* 8 *prodierũt, ad finẽ igitur tertij tomi* Monita Mariana *omnibus vtilissima, ex Scriptura, & Sanctis Patribus collecta, & sodalibus Deiparæ Virginis MARIÆ Antuerpiæ dicta, & prædicata; & R. D. D. P. Antonio de Vvingtte Abbati dignissimo Monasterij Lætiensis, dicata ad posteros transmisit, vt pluribus prodesset, non solùm verbo, sed scripto; honoremque, & gloriam Deiparæ Virginis MARIÆ suo modulo (inquit noster Adrianus in Prologo ad Lectorem) promoueret: de ipso agit R. P. Philyppus Alegambe Bruxellensis in sua nouissima Biblioteca scriptorum Societatis IESV. fol.* 7.

MONITA MARIANA, EX SS. SCRIPTVRIS, ET SS. Patribus potissimum Collecta.

MONITVM PRIMVM.

Eccles. 3 SICVT *qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam.* Eccles. cap. 3. Triplex nobis Mater est, quam honore afficiẽdo, thesaurizanti similes efficimur. Vna, Mater carnis, quæ nos in hanc lucem edidit: altera Ecclesia, quæ in Christo per baptismum nos regenerauit. Tertia, ipsa Virgo Sanctissima, quam Christus communem generis humani matrem constituit. Primam diligenter honorare præcepit Deus, dicens, *Exo.* 20. *Honora Patrem, & Matrem.* Vnde & Tobias ad filium; *Tob.* 2. *Honorem*, inquit, *habebis Matri tuæ omnib⁹ diebus vitæ tuæ; memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit* B *Eccles.* 7 *propter te in vtero suo.* Et sapiens; *Gemitus Matris tuæ nè obliuiscaris*: quos scilicet, & ante partum in vteri gestatione, & in partu, & post partum in educatione sustinuit: quorum memoria honoranda, semperq; cauendum ne quare offendatur; ne noui gemitus prioribus addãtur. D. Hieron. ad filiam, quæ Matrem, quod difficilibus esset moribus, volebat deserere; *Maius*, inquit, *præmiũ habebis, si talẽ non deseras: Mater te diù portauit in vtero, diù aluit; & difficiliores infantiæ mores blãda pietate sustinuit. Lauit pannorum sordes, & immundo sæpè fœdata est stercore. Assedit ægrotãti, & quæ prote sua fastidia sustinuit, tua quoq; passa est, ad hãc perduxit ætatẽ, vt Christũ amares, docuit.* Et D. August. loquẽs de Matre sua; *Gratulabar quidẽ*, ait, *Lib.* 9. *testimonio eius, quòd in vltima sua ægritudine obsequijs meis interblãdiens, appellabat me piũ, & cõmemorabat grãdi dilectionis affectu, Confes.* 12 *nunquã se audisse ex ore meo iaculatũ in se durũ, aut cõtumelioſum sermonẽ. Sed tamẽ quid cõparabile habebat, honor à me delat⁹ illi, & seruitus ab illa mihi?* Hãc ergo qui honorat, quasi thesaurizat, quia multa bona sibi cõparat honorando; addit enim Dominus, *Prou.* 1. *Vt bene sit tibi, & sis lõgæuus super terrã.* *Eccles.* 3. Quo nõ solũ promittitur vita lõga, sed & beata, ac iucũda: omnia enim quæ ad vsum, & splendorẽ huius vitæ pertinẽt, promittũtur honoranti parẽtes; vt sunt honor, dignitas, diuitiæ, lætitia, ac successꝰ ex animi sẽtẽtia. Imò sub hac promissione felicitatis, ac vitæ terrenæ, promitti intelligitur felicitas, & vita ęterna: *Pietas enim ad omnia vtilis est*, inquit Apostol⁹, *habẽs promissionẽ vitæ quæ nũc est, & futuræ.* 1. *Tim.* 4

Secunda Mater est Ecclesia, *Illa*, ait idem Apostolus, *quæ sursum est Hierusalem*, id est, *Galat.* 4 cuius conuersatio in cœlis est, quæ sursum sunt quærens, & sapiens, non quæ super terram, *Mater nostra est*, precibus suis, & deinde rijs sanctis in Baptismo nos Deo pariens, ac doctrinæ suo lacte nutriens; ad cuius vbera fugenda conuocat nos Isaias: Quibus inhærebat Augustinus conuersus ab erroribus Manichæorum: *Iam*, inquit, *vbera Ecclesiæ* (quæ sunt vtriusq; Testamenti Scripturæ) *post longissimam sitim pene exhaustus atque aridus, tota auiditate repetiui, atq; altius gemens, & flens, concussi, & expressi.* Hanc etiã Matrem qui honorat, quasi thesaurizat, quia sibi bona plurima, ac commoda coaceruat. *Isai.* 60. *De vtil. cred. c.* 1.

In primis per illã fit, vt fides, Sacramenta, opera bona, sint salutaria, ac fructuosa, quæ extra eam non prosunt. *Neque fides*, inquit, Augustin. *neq; Sacramenta, vllis nisi persistentibus in Ecclesiæ vnitate sunt salutaria.* Et D. Hieron. cum Eustochium Virginem ad opera bona esset hortatus: *Vniuersa hæc*, ait, C *tunc prosunt, cùm in Ecclesia fiunt, cùm in vna domo Pascha celebramus, si arcam ingredimur cũ Noe, si pereunte Hiericо, Rhaab meretrix iustificata nos continet.* De eadẽ loquens D. Gregor. *Sola est*, inquit, *per quam sacrificiũ Dominus libenter accipit: sola quæ pro errãtib⁹ fiducialiter intercedit. Sola est in qua opus bonum fructuose peragitur: sola est quæ intra se positos valida charitatis cõpage custodit. Sola in qua superna veraciter cõtemplamur.* Deindè qui in ea est, particeps sit omniũ bonorũ quæ in ea fiũt. Varia sunt in Ecclesia dona Spiritus Sãcti, nec omnes omnia *Deuit. Eccles. in epist. ad Esloc.* *Lib.* 35. *Mor. c.* 8

ha-

Trac.22 in Ioan. habere possumus. *Si amas vnitatem*, ait Aug. *nihil non habes, nam etiam tibi habet, quisquis in ea aliquid habet. Tolle inuidiam, & tuu est quod habeo; tollã inuidiã, & meũ est, quod habes. Liuor separat, charitas iungit.* Vnde quidam ex eius filijs; *Particeps ego sũ omniũ timẽtiũ te* (Domine) *& custodientiũ mãdata tua.* & alius sua bona alijs cõmunicans; *Habeo vos*, inquit, *in corde meo, & in vinculis meis, & in cõfirmatione, ac defẽsione Euangelij; socios gaudij mei omnes vos esse.*

Ps.118. *Phil.1.*

1.Tim.3 Tertio, per eam, cùm sit *colũna, & firmamentum veritatis*, Christianus, cõtra omnes Hæreses, & errores optimè munitus est. *Non oportet apud alios quærere veritatem*, ait D. Irenæ. *quam facile est ab Ecclesia sumere*: cũ Apostoli, quasi in depositoriũ diues, plenissimè in ea contulerint omnia, quæ sunt veritatis. Et S. Aug. *Noli decipi nomine veritatis hanc sola Ecclesia Catholica habet, & in lacte suo, & in pane suo; in hæresi autem tantum nomẽ eius est, nõ ipsa.* Dicit Propheta Dauid; *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Vbi D. Aug. *Multæ linguæ*, id est, *multæ hæreses, & diuersa schismata, contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad Tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo Domini à contradictione linguarum.* Et D. Hyeron. *Poteram*, inquit, *omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare.* Et, *semper habui studio audientibus loqui, quæ publicè in Ecclesia didiceram*; nec Philosophorum argumenta sectari, sed Apostolicæ simplicitati acquiescere.

Libr.3. cap.4. *Contr. Fau. lib. 15. c.3.* *Psa.30.* *& ibi D. August.* *Contr. Lucif. Ad Tesiph.*

Deniq; si in eius fide, ac vnitate permanet, certò salutem consequitur, quæ extra eam nulli datur. Vnde Dominus ad eam: *Eos qui te iudicauerunt, ego iudicabo, & filios tuos ego saluabo. Quisquis* (ait D. Cyprian.) *ab Ecclesia segregatus, adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur; nec perueniet ad Christi præmia, qui reliquit Ecclesiam Christi.* Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. *Sola est Ecclesia Catholica*, inquit Lactant. *quæ verum cultum retinet; hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei; Quo si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet, pertinaci concertatione blandiri; agitur enim de vita, ac salute, cui nisi cautè, & diligenter consulatur, amissa, & extincta erit.*

Isai.49. *de Vnit. Ecclesiæ* *Li.4. de ver. Sa.*

Tertia Mater est, ipsa Virgo MARIA, Mater humani generis à Christo in Cruce constituta, quando Ioanni dictum est; *Ecce Mater tua.* Ioannes enim typum gerebat omnium habentium gratiam Christi, omniũ Discipulorum Christi, omnium habentium integritatem fidei, & pietatis, *Ostendebat*, inquit D. Epipha. *Christus in Cruce pendens ipsam Matrem esse Principem Virginitatis, quoniam ex ipsa vita erat.* Ego, ait sponsus ad Ecclesiam, *sub arbore malo excitaui te; ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua*, id est, Ego te excitaui à morte peccati, dum pro te in Cruce mortuus sum, ibique tibi Matrem constitui, vbi primùm Mater tua Eua per superbiam corrupta, & per apertam inobedientiam à Sathana violata est. Si omnis anima pia faciens voluntatem Dei, his quos charitate parturit, donec formetur in eis Christus, Mater est; vt rectè August. quantò magis MARIA omnium Christi membrorum Mater est, quæ tam ardenti charitate, cooperata est, vt membra Christi fierent?

Hær.78 *Cant.8.* *De Virg. c.5. & 6*

Hanc qui honorificant, quasi thesaurizat; plurima enim tum corporalia, tum spiritualia beneficia hominibus à Deo præstantur precibus, ac meritis sanctissimę Matris. *Obediens Virgo MARIA*, inquit D. Ireneus, *inobedientis Euæ*, (& filiorum eius) *facta est aduocata.* Et quis erit tam impius, qui credat, aut asserat, ex eius aduocatione nihil aut parum boni ad nos descendere? Eandem *Salutiferam Virginem*, appellat D. Leo. Et Germanus Episcopus Constantinop. grauis author: *Quemadmodum*, inquit, *continua respiratio non solùm est signum vitæ, sed etiam causa; sic Sanctissimum MARIÆ nomen, quod in Dei seruorum ore assiduè versatur, simul argumentum est, quòd verè vita viuãt, simul etiam hanc vitam ipsam efficit, & conseruat, omnemque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur.* Cùm ad benefaciendum duo requirantur, primùm potestas, deinde etiam voluntas; vtrumque in MARIA tantum, ac tale est, vt maius optari non possit: Nam potestatem quidem, vt ita dicam, eandem habet, quam ipse filius, sed hic natura, & propriam, illa dono, & communicatam. De voluntatis autem pietate, & benignitate, quis satis vel loqui, vel etiam cogitare possit, eius videlicet quæ Diuinę bonitatis abysso, cui ita coniuncta est, quodammodo absorbetur, & immergitur? Quamobrem rectè D. Bernard. de vtroque: *Regina*, inquit, *Cœlorum est, misericors est, denique Mater est vnigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi fortè, aut non creditur Dei Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse MARIÆ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas, nouem mensibus requieuit.*

Li.5 cõ. hæres. *In orat. de Deip. Virg.* *Ser.1.de Pass.* *Ser.1.de Assump.*

Sed antiqua quædam exempla adferamus in medium, quibus fiat clarissimum, quantũ possit ac velit, hominibus se honorantibus, benefacere. Ait D. Gregor. Nazianz. *Virgo quæ-*

Ioan.19. *Orat.18*

quædam erat, (Iustinam martyrem intelligens) *patricio genere nata, honestisque moribus prædita forma per quã liberali, & egregia; Huius amore magnus Cyprianus captus est, nec tantùm captus est, sed eius quoque pudicitiam tentabat; Virgo Virginem Matrem supplex obsecrat, vt periclitanti sibi suppetias ferret, ieiunij, & chameuniæ, seu humicubationis pharmaco sese communiens, partim vt formæ venustatem tanquam insidiosam obscuraret, sicque flammæ materiam subtraheret, ac libidinis facem absumeret; partim, vt per sui afflictionem propitium sibi Deum, ac exorabilem redderet.* Quem porrò fructũ, ex sui afflictione, & maximè D. Virginis inuocatione perceperit, subdit Nazianzen. *Virgo superat, Dæmon superatur;* atque ob fidei, & pudicitiæ constantiam Martyrij corona donatur.

Iustinus Imperator, cùm vastari à Persis audiret Imperium, ad conciliandum sibi Diuinum Numen, Dei genitrici MARIÆ templum erigendum curauit, vt scribit author Miscellæ; Quæ nam autem sit Iustinus à Deo ob pie factum beneficia consecutus, idem author mox addit, nimirum, quòd cùm deliquio mentis laboraret, ob idque res Imperij in summo essent discrimine positæ, tãtum ei Dei genitrix præstitit sanitatis, vt dilucido interuallo potitus, cunctis rectè dispositis, statum Reipublicæ in tuto collocaret.

In Misc.

In Cõst. de offic. Præfec. Prætor. Africæ.

Iustinianus verò Imperator, fultus præsidio, & interceßione Sanctißimæ Virginis; quam vt ipsemet scribit, solitus erat inuocare, facillimè vniuersam subiugauit Africam, aliaque innumera beneficia accepit; sic vt mutuis quodammodo officija, atque etiã beneficijs visi sint certasse Dei genitrix, & Iustinianus. Hic eam honorando, extruendis, & exornandis varijs Ecclesijs, eiusque summum omnium titulum dignitatis aduersus improbos Nestorianos defendendo, quo verè Dei Mater appellaretur; illa eum honorem compensando, ipso imprimis Imperio, & amplissimis victorijs in eo partis, alijsque ingentibus muneribus.

Sic, & bellicosissimus vir Totilas Gothorum Dux, cum potentissimo exercitu, innumeris clarus victorijs, ac viribus pollẽs, à semiviro Narsete (Eunuchus enim erat) in omnibus nitente MARIÆ Virginis ope, victus, ac deletus est; de quo ita Euagrius;

Libr. 4. cap. 23. *Commemoratum est ab his, qui vna cũ Narsete fuerunt, dum precibus, & alijs pietatis officijs Diuinum numen placaret, debitumque cultum ei tribueret, Sanctam Virginem Deiparam ei apparuisse, planeque tempus præscripsisse, quo bellum cum hostibus gereret, atque vt non priùs ad prælium committendum se accingeret, quàm cælitus signum acciperet.* Intelligite, auditores, cuius niti præsidio debeant Duces, vt maxima quæque, & inconcessa alijs præstare valeant, nimirum Dei genitricis MARIÆ, quæ interpellata precibus aduersus hostes consurgat, de ea enim canit Eccles. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cuius fultus auxilio Narses indomitos barbaros est expertus imbelles. *Cant. 6.*

Peste Romæ admodum grassante, in Processione à D. Gregorio magna veneratione delata Imago D. Virginis; cumq; peruenisset ad molem Hadriani, visum ibi Angelum ensem in vaginam recondere, in signum reconciliati Numinis, pestemque cessasse, testantur historiæ. *Vid. Ba. tom. 5.*

Eiusdem Virginis interceßione Constantinopolitanos à peste liberatos, etiã scriptis proditum; quæ cùm annos quinquaginta duos inter homines grassata sit, neque Oriẽtem solùm, sed vniuersum ferè terrarum orbem depasta, non ampliùs quàm tribus mensibus Ciuitatem Constantinopolitanam occupauit. Quod beneficium solemni die festo in honorẽ Dei genitricis instituto, anniuersariaque die in Ecclesia repetendo remansit posteris perpetua memoria consignatum, cùm videlicet idem Hypapanti est nominatus, nempè, humilis occursus Simeonis cum Deipara Filium suum Christum Dominum in Templum intulit. *Niceph. Paulus Dia. Cedre. Sig.*

Ioannes Comnenus Impe. (vt scribit Nicetas Choniat.) ope Dei genitricis MARIÆ de barbaris Scytis trans Istrum habitantibus, & ingenti agmine Thraciam inuadentibus victoriam obtinuit. Cùm (inquit Nicetas) Romanæ Phalanges, vrgentibus hostibus, & audaciùs se inferentibus laborarent; imaginem Dei genitricis cum gemitu, & miserabilibus gestibus, Imperator intuens lachrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat. Neque id frustra, statim Cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligat, quemadmodum olim Moyses extẽsione manuum Amalechitarum turbas dissipauit, &c. Subijcit etiam de alijs per eundem Imperatorem victorijs obtentis, ope pariter Sanctißimæ Dei genitricis MARIÆ, cui vt vnicæ victrici religiosum parauit triumphum, qui ab eodem Niceta ita describitur. Byzantium reuersus triumphum indicit, & currum argento interpunctum compingi iubet opus admirabile, & gemmis pretiosissimis ornatum. Cùm dies supplicationis aduenisset omnis generis tapetes auro, & purpura intexti vicos exornabant, nec deerant Christi, & sanctorum effigies in ijs ad viuum expressæ, &c. Quadrigæ à quatuor equis niue candidioribus trahebantur. Imperator verò nõ conscendit, sed Dei genitricis imaginem in eo collocauit, ob quam lætitia exultabat, & animo pe-

penè delinquebatur, cui victorias, vt Collegæ Imperij inuictæ acceptas ferebat. Habenas viris potentissimis moderandas, & cognatis suis currum crandum dedit. Ipse Crucem manu gestans pedes antecessit, &c.

Tithem. in lib. de Monast. Hirsau. Rupertus Abbas Tuitiensis, vir excelenti doctrina, cùm ingenio tardior esset, instaretque precibus apud Beatam Virginem Dei Matrem, vt sibi à Filio scripturarum intelligentiam impetraret, apparuit ei Mater illa gratiæ, denuntians eius preces ab se auditas, tantumque ei lumen impartitum iri, vt nullus eius ætatis doctrina ei æquari posset; tamen videret, ne id talentum in terra defoderet, sed strenuè exerceret; quod quidem ab illo abundè perfectum constat: numquam etiam deinceps à legendo, vel scribendo cessauit.

Fuit Arnulphus ex Principe Alsatiæ Religiosus factus, quem Sanctissima Virgo, cuius in vita cultor extiterat, innumerabilium Angelorum stipata comitatu, morientem, ac trepidantem ita confirmauit; Quid times, fili, aut cur ob imminentem mortem angeris? Veni securus, quoniam filius meus, cui fideliter seruisti, dabit tibi coronam gloriæ. Quibus ille Virginis verbis, & aspectu adeò est recreatus, vt omnis horror mortis in ingentem lætitiam versus sit.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, omnia beneficiorum genera percurrere possem, quę Sanctissimâ Virgo suis cultoribus cumulatissimè est elargita. Dicit D. *ad Dar. de terra Promiss.* Hyeron. quod propter peccata Crucifigentium Christum, hodierna etiam die domus Israel deserta relinquitur, & obscurantur oculi eorum, ne videant, & semper ad terrena incuruatur dorsum eorum; apponitur iniquitas super iniquitatem eorum; multò *vide Leõ ser. 2. & 3. de An.* magis propter Apostolos, & Martyres, & maximè propter D. Virginem Matrem, adhuc hodie fulget fides, floret pietas, perseueraet *sui Pöt.* bitque vsque ad consummationem seculi? Cùm Iudicij dies venerit apud Iudicem plurimum poterunt Martyrum merita, & opera *De lapsi.* iustorum etiam pro alijs, vt ait D. Cyprian. quanto magis merita, & opera Sanctissimæ Matris Dei? Denique affirmat D. Augustin. *De Ciu. li. 21. c. vltimo.* quòd in die Iudicij multi saluabuntur precibus Sanctorum, quorum propria vita ad salutem non sufficit, non dubium, quin idipsum vel maximè futurum sit, præcibus Diuę Virginis.

In Epist. ad Ioan. Episcop. Præclarè Sanctus Germanus Episcopus Constantinop. *MARIAM verè Dei Matrem agnoscimus, pro genere nostro præsentissimè intercedentem, ita vt Dominus quidem noster salutem dispenset, illa verò eam materno affectu pro nobis poscat*; quam vtique filius nihil negans honorat. Vnde, & alius quidam; *Securum habemus accessum ad Deum, vbi Mater ante filium, & filius ante Patrem; Mater ostendit filio pectus, & vbera, filius patri latus, & vulnera: Et quomodo poterit ibi vlla esse repulsa, vbi tot sunt charitatis insignia?* Clamemus igitur omnes Paradisi exules ad Sanctissimam Virginem tanquam ad Matrem, & aduocatam nostram; ad illam suspiremus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle, vt illos suos misericordes oculos ad nos conuertat, & Iesum benedictum fructum ventris sui nobis post hoc exilium ostendat, Amen.

MONITVM II.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gen. 3. Scripturam hanc, de Sanctissima Virgine MARIA, multi, ac magni intellexerunt Patres, eamque interpretationem, ab antiquis vsque temporibus approbauit Ecclesia. In eo autem Dęmonem superauit, quòd nulla vnquam ex parte, antiquo serpenti subiecta fuerit, vtpotè, ab omni peccati labe prorsus immunis: ac in eo etiam caput serpentis contriuit, quod peccatum originis, cui omnes sumus obnoxij, non contraxerit (quę nostra est sententia) sed singulari Dei gratia ab eo sit præseruata; quòd caput serpentis dicitur, quia ex eo serpens vires omnes suas expromit tanquam ex capite, & radice cæterorum. Vel si forte quis sentiat, more aliorum conceptam quidem, sed in vtero sanctificatam (nihil enim in alteram partem definuit Ecclesia) non dubium quin ea sanctificatio eousque progressa sit, aut vt extirparetur ex ea radicitus concupiscentiæ vitium, desineret quę esse caro peccati, aut vt ita perpetuo gratiæ præsidio premeretur, vt ad nullum ne exiguum quidem peccatum erumperet. *Inde enim scimus*, inquit D. Augustin. *quòd ei plus gratiæ collatum sit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* *D. Bern. ho. 2. super Missus est.* *De nat. & grat. cap. 46.*

Aduertunt autem Doctores, non dictum esse, Inimicitiam, numero singulari, sed inimicitias numero multitudinis, quoniã nulla vnquam cum Dæmone habenda amicitia est, sed omne inimicitiarum genus cum illo suscipiendum, non solùm in ijs rebus, quæ ad fidem, aut spem pertinent, sed & ijs, quæ ad castitatem, charitatem, abstinentiam, liberalitatem, misericordiam, cæteraſq; virtutes. Quæ quidem inimicitiarũ genera inter Sanctissimam Virginem, & antiquum serpentem interceſſerunt; nihil enim habuit hæc Virgo, in quo cum serpente isto conueniret, sed ei omni ex parte bellum mouit, in omni genere inimicitias cũ eo gesit, in omni materia eum deuicit, ac de eo modis omnibus triumphauit.

Ob-

Obseruant præterea non dictum esse fraudem, astutiam, dolum, ponam inter te, & mulierem, sed inimicitias, vt indiceretur multò maiorem futuram mulieris in superando Dæmone potentiam, quam fuerit Dæmonis in vincenda muliere. Siquidem Dæmon per fraudem, & astutiam, simulatamque amicitiam fœminam decepit, at mulier non per fraudem, ac dolum, sed indicto bello, & inimicitijs publicatis, aperto marte congredieus, Dæmonem superauit. Ob quam eximiam fortitudinem, existimauit D. Bern. ad *Prou.31* *Serm.de* D. Virginem spectasse Salomonem, cùm di- *Nat. B.* xit, *Mulierem fortem quis inueniet?* Ac me- *Mariæ* ritò in Cantic. dicitur ipsa: *Terribilis vt ca-* *Cant.6.* *strorum acies ordinata*. Ipsa namque sola instar est numerosi exercitus, vniuersis Dæmonibus formidabilis, ac terrifica; quod mirum sanè videri debet, tantam videlicet vnius mulieris esse fortitudinem, & potentiam, vt ipsa sola pro fortissimo, & numeroso exercitu habeatur.

Quoniam verò etiam inter nos, ac Diabolum perpetuæ sunt inimicitiæ, qui salutis *1.Pet.5.* nostræ maximè inuidus, *tanquam Leo rugiés circuit quærens quem deuoret*, fortitudo hæc Sanctissimæ Virginis in superando Dæmone, diligenter nobis est imitanda. Insidiatur ille calcaneo nostro, vt nos dejciat, atque præcipitet; nos eius caput, ad exemplum Virginis conteramus. Et quod quæso caput serpentis à nobis calcandum? *Caput serpentis*, inquit Augustinus. *Prima peccati suggestio* *Ps.104.* *es; Venit tibi in mentem nescio quid illicitum* *Conc.4.* *noli ibi mentem tuam tenere, noli consentire. Hoc quod venit in mentem caput serpentis est, Caput calca, & euades cæteros motus*. Et *Psa.48.* alibi, *Diabolus calcaneum tuum obseruat quando laberis, vt dejciat te. Ille obseruat calcaneum tuum, tu obserua Caput illius*, id est, *initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequã surgat delectatio, & sequatur consensio.*

In nouis Tribus autem potissimùm nos oppugnat *Serm.* Diabolus per se, per alios, vt est apud eundē D. Augustinum suggerit errores, vt seducat; ministrat illecebras, vt alliciat; intentat pœnas vt frangat. Primò ergo contra errores quos suggerit, muniendus est animus sapientia, ne *1.Pet.3.* decipiat. Vnde D. Petrus hortatur; *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos* *Coloss.3* *rationem, de ea quæ in vobis est spe*. Et Apost. *Coloss.4* Paulus, *Verbum Christi habitet in vobis abũdanter*; causam reddit; *Vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Absurdum enim est*, inquit Chrysost. *quòd medicus,* *Hom.17* *coriarius, sutor, & omnes generatim opifices,* *in ca.1.* *quisque pro artis suæ professione pugnet:* *Ioan.* *Christianus autem nullam possit religionis suæ afferre rationem. Atque illæ artes neglectæ, ad pecuniam damnum referunt: huius autem contemptus, animæ detrimentum adfert. Habeto*, ait D. Hyeron. *simplicitatem* *in Epist.* *columbæ, ne cui machineris dolos, & serpen-* *ab Pau-* *tis astutiam, ne aliorum supplanteris insi-* *linum.* *dijs. Non multum distat in vitio, vel decipi posse, vel decipere Christianum.*

Non præcipiunt autem Apostoli, vt omnes Christiani sint Theologi, qui de sublimibus fidei nostræ mysterijs, norint, aut etiã debeant differere. Id enim ab Episcopo tan- *AdTit.1* tùm exigit Apost. *vt possit exhortari in do-* *1.Cor.12* *ctrina sana, & contradicentes reuincere*. Et non omnibus dicit datum esse sermonem scientiæ; *Cui id tribuitur tantummodo*, inquit Augustinus. *quo fides saluberrima, quæ ad* *Lib.14.* *veram beatitudinem ducit, gignitur, nutri-* *Trinit.* *tur, defenditur, roboratur; qua scientia* *cap.1.* *non pollent plurimi fideles, licet ipsa fide plurimum polleant. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo debeat credere, propter adipiscendam vitam æternam; aliud autem scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur; quam proprio nomine scientiam vocare videtur Apost. Non est omnium*, inquit D. Nazianz. *Serm.de* *disputare de Deo, non est omnium diuinam* *Arria.* *discutere naturam; non ita vilis est sacræ Scripturæ sermo, vt vulgo indocili, & per terram adhuc repentibus homunculis pateat.* Hinc conqueritur D. Hyeron. *Quod Medi-* *Paulin.* *corum est, promittunt Medici, tractant fa-* *brilia fabri; sola scriptura ars est, quam* *sibi passim omnes vendicant. Hanc garrula* *anus, hanc delirus senex, hanc sophista ver-* *bosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant,* *docent, antequam discant*. Pulchrè D. Basil. *In Hist.* Demosthenicoco Imper. Valentis, de scrip- *Tri.li.7* turis aliquid differere volenti, *Tuum*, inquit, *est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Felices*, ait Fabius, *essent* *cap.36.* *artes, si de illis soli artifices iudicarent.*

Ex præcepto ergo Apostolorum debet Christianus quisque illam sibi comparare Sapientiam, qua de fide, ac spe rationem poscenti, pro modulo suo respondere possit. Sunt enim Generalia quædam, quæ si quis in promptu habeat, vt cumque se contra hostem tueri poterit. Vt, Quòd Religio Christiana à Prophetis sit prænuntiata. *Propheticum sermonem dicit* Apost. Petrus *certiorem voce delapsa de Cœlo in monte*: quod videlicet in eo maximè confirmetur auditor: *Sunt enim*, inquit Augustinus. *infideles, qui sic de-* *Ser.115* *trahunt Christo, vt dicant eum magicis ar-* *in Nou.* *tibus fecisse, quæ fecit: possent ergo, & illam vocem de Cœlo ad illas referre: sed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante istam vocem, sed ante Christi carnem*. Aliud est, Quòd fides Christiana innumeris miraculis sit confirmata. Quibus quid accomodatiùs populis ad faciendam fidem, aut efficaciùs ad cõ-

2.Pet.1

ci-

Epist.3. ciliandã authoritatem ? Item, *Quod non sit impossibile apud Deum omne Verbum. In rebus enim mirabiliter factis, tota ratio facti, est omnipotentia facientis*, inquit Augustin. *Contr. Lucif.* Rursum, *Quod Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis. Poteram*, ait Hyeron. *omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare. Ego*, inquit Augustin. *Contr. Epistol. Funda. cap. 5.* *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret authoritas* : Cui ergo obtemperaui dicenti. Crede Euangelio ; cur non obtemperem dicenti : Ne crede Manichæo, Caluino ? Et alibi ; *Contra rationem, nemo sobrius, contra scripturas, nemo Christianus, contra Ecclesiam, nemo pacificus sentit.* Item, Quod veri Christiani pijssimè viuant. Ex qua re etiam gentiles illos veros Dei seruos, ac cultores existere affirmabant, cùm eorum opem, ac beneficentiam in grauissimis suis afflictionibus experirentur, vt testatur Euseb. Sic S. Pachomius adhuc Ethnicus, militans sub Licinio Imperat. impio, motus charitate, & misericordia Christianorum erga se, & socios afflictos, fidem eorum amplexus est, vt refert Baron. Denique, Quod in ipsa etiam rerum natura innumera sint, quę nequimus comprehendere. Et erit aliquis, qui reijciet fidei mysteria, quia ea non capit cæci cordis angustia ? *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.* Quibus, alijsque similibus instructus animus facilè resistet erroribus, quos hostis contra finceram fidem etiam pijs solet suggerere.

Euse. li. 6. ca. 7. Histor. *Tom. 3.*

Lib. 10. Cõ. c. 37 Vt autem Caput serpentis conteratur, quando, vt illiciat, ministrat illecebras, continentia muniendus est animus ; quæ virtus est qua amorem cohibemus à vanis, & illicitis ; sicuti Iustitia, qua ad vera, & licita conferimus. *Per continentiam colligimur, & redigimur in vnũ*, inquit Augustin. *à quo in multa defluximus.* Spargit autem frequenter inimicus, tanquam dulces laqueos in via vitæ, quibus pedes nostri implicentur, proponens opes, honores, voluptates, & similia, quibus homines facilè capi, atque illici solent, *vitijs vtique malè blandientibus*, (vt verbis eiusdem Augustin. vtar) *quam vtili virtutum asperitati amiciores.* Hinc scribit Lactant. *quod Epicuri disciplina celebrior semper fuit, quam cæterorum : non quia veri aliquid adferat, sed quia multos ad popularem nomen voluptatis inuitet. Nemo enim non in vitia pronus est.*

Lib. 10. Cõ. c. 26 *Li. 2. Ciuit. c. 26 De Falsa. Sa. c. 17.*

Ref. Xenoph. & Ælian. Theodora meretrix formosissima, cum Socrate colloquens, dicebat se omnes Philosophiæ discipulos, quando vellet, ad se vocare ; ipsum non ita ; Recte quidem dicis, respondit Socrates. *Nim tu ad decliuem facilemque tramitem omnes rapis, ego ad virtutem, ad quam arduus, & plerisque insoli-*

A *tus ascensus.* Volebat Lutherus haberi pro miraculo, quòd tantus bonus populus tam breui eum secutus esset, sed egregiè respondit ei Thomas Morus illustris Ecclesiæ Catholicæ Martyr. Ad propositam vitæ libidinosæ licentiam populum ruere, id tantum habet miraculi, quantam saxa deorsum cadere. Pulchrè quidam Christianus nostri sæculi Poeta: *Frus. in Epigr.*

Qua trahit arte rogas, homines hæc secta, rogate,
Hamatus pisces qua trahit arte cibus ;
Illecebra carnis nulla illecebrosior esca,
Nullus vt hæresios hamus adũcus ita est ;
Nõ igitur mirũ est illuc cõcurrere multos,
B *Et cautum paucos inde referre pedem.*

Iouiniano hæretico Epicureo dicit Hyeron. *Quòd multi acquieuerunt tuæ sententiæ, indicium voluptatis est ; non enim tam te probant, quam suis fauent vitijs.* Hinc D. Petrus. *Erunt in vobis magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur eorum luxurias.* Non dicit, Et eorum multi grauitate mouebuntur, rationibus conuincentur, doctrina superabuntur ; sed *Multi*, inquit, *sequentur eorum luxurias* ; vt discipulorum greges innumeros ideò futuros significet ; quod ament suos plerique languores, & solutiore molliorequę viuendi ratione delectati, quali ratione, C & authoritate propugnari posse gaudeant, quod ingenti cupiditate sequuntur. *Libr. 2. in Iou.* *2. Pet. 2.*

Illecebre ergo quibus Diabolus regnum suum amplificat, inquit Campianus, & ipse Martyr egregius ; *Tendicula, quibus ille hamatus multos inescat, sunt aurum, gloria, delitiæ veneres. Contemnite. Quid enim aurum, nisi terrarum lia ? Quid gloria, nisi canorus aer ? Quid delitiæ, nisi popina vermũ ? Quid denique veneres, nisi bella asperquilina ? Spernite. Christus diues est, qui vos alet. Rex est qui vos ornabit : lautus est, qui satiabit : speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur.* Verissimè D. Ambros. *nostram in hac vita iustitiam, in quedam malitia belloque constituit, & aduersus æmulas aereas potestates, & aduersus nostras cupiditates ; per quas illi quoque exteriores inimici nos deijcere, vel penetrare moliuntur.* Sed nihil in nos Diabolus nisi nostris vitijs armatus potest, quibus si vigilanter fortiterque ex fide resistitur, Diabolo quoque eo ipso repugnatur. Deuicta enim concupiscentia, Diabolus quoque superatur, qui per eam in nos valet : cuius impetus non tantopere essent nobis extimescendi, nisi insidijs eius, & artibus illa nos redderet oportunos. *In libel. 10. rat.* *Ap. Aug. lib. 2. in Iul. ca. 3 & 9.*

Te Vince, inquit Augustin. *& mundus victus est. Quid tibi facturus est tentator extraneus, siue Diabolus, siue minister Diaboli ? Quandocumque proponit lucrum, vt se-* *Ser. 1. de Or. Do.*

du-

ducat, auaritiam in te non inueniat, quid fa A *tiani virtutis suæ gloriam consecuti vide-*
cit propositor lucri? Si autem in te inuenta *rētur.* Et refert de quodam, *Præside, gaudio*
fuerit auaritia, viso lucro inardescis, vitiosæ *mirabiliter elato, tanquam si Barbaram ali-*
escæ capieris laqueo. Si autem in te non inuen *quam gentem subegisset, quod vnus qui per*
ta fuerit auaritia, remansit frustra extensa *biennium fortiter restiterat, cedere visus est.*
muscipula. Proponit tibi tentator pulcher- Hoc enim querebantur Tyranni; hoc eos
rimam fœminam, adsit intus castitas, victa peſſimè habebat, quòd qui regna, ac prouin-
est foris iniquitas. Vt ergo non te capiat pro- cias debellarent, exteras, & efferas nationes
posita pulchritudine mulieris alienæ, cum suo Imperio subijcerent, Christianos, etiam
tua libidine intus pugna; non sentis hostem, infirmæ, & teneræ ætatis, ac sexus, in suam
sed sentis concupiscentiam tuam: Diabolum potestatem redigere non possent.
non vides, sed quid te delectet vides, & vi- Docet D. Thomas, principaliorem actum *In 2. 2.*
ctus est Diabolus quē non sentis. Frustra ita- fortitudinis esse, sustinere; & ad eum perti- *q. 124.*
Idē. Ser. que dicitur à nonnullis: Quomodo pote- nere Martyrium, non ad secundarium, qui *artic. 2.*
23. in rimus vincere Diabolum, quem non vide- est aggredi. Nonnulli tamen etiam Marty- *ad 3.*
Nou. mus? *Ibi enim vincuntur inimicæ nobis in-* B res vocantur, qui fortiter in acie, vel mœni-
uisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibi- bus decertantes, occubuerunt. Est enim qui-
les cupiditates; nec prævalere possumus ad- dam Martyrij gradus. Proprietas tamen
uersarijs nostris, nisi prævaleamus & nobis. Martyrij penes eos est, qui vt ait Chrisost. *Cū* *Ho. 74.*
Se ipsos ergo interius vincant, & de illis fo- *iuberentur confiteri, omnia vsque ad mortem* *in Acta.*
ris triumphant. *sustinuere, vt dicerent veritatem. Sic enim*
Tertio denique, vt caput serpentis con- *amāda est veritas atque iustitia,* inquit Aug. *Epi. 144*
teratur, quando comminatur, vel infert pœ- *vt ab eius operibus etiam pœnæ corporis nos*
nas vt frangat; Patientia muniendus est ani- *cohibere non debeant, atque inter manus cru-*
mus. Qua virtute Christus Dominus pla- *delium inimicorum, luceant opera nostra co-*
cauit patrem, prostrauit Diabolum, vicit sæ- *ram hominibus, vt quibus placere possint, glo-* *Mat. 5.*
De Ciu. culum, omnia ad se traxit; fecit hoc, inquā, *rificent patrem, qui in Cœlis est. Vide ille*
Dei lib. non resistendo, sed patiendo; non vi armo- *fortissimus iustitiæ dilector exclamat. Quis* *Rom. 8.*
18. c. 53. rum, aut potentia sæculari; sed patienter du- *nos separabit à charitate Christi? tribulatio?*
rissima, ac dirissima quæque sustinendo. Ea- *an angustia? an persecutio? an fames? an nudi-*
dem virtute vicerunt, & Martyres, qui Chri- C *tas? an periculum? an gladius? sicut scrip-*
Libr. 6. sti vestigia sunt secuti, *Quorum patientia*, ait *tum est. Quoniam propter te mortificamur* *Ibidem*
cap. 15. Lanctant. *etiam ipsis tortoribus miraculum* *tota die. Sicut ergo ille est nequissimus, quē* *August.*
maximum præbuit, cùm patientia, crudelita- *nec pœnæ corporales deterrent ab immundis*
tas vinceretur, & pudore quodam fatiga- *operibus sordidæ voluptatis; ita ille iustis-*
Libr. 5. *bantur, quod maior inesset cruciatis, quam* *simus, qui nec pœnarum corporalium ter-*
hist. c. 3. *cruciantibus virtus*, inquit Euseb. *Steterunt* *rore reuocatur à sanctis operibus luminosis-*
torti, tortoribus fortiores, inquit Cyprian. *simæ charitatis.*
libr. 2. Epist. 6. ad Mart. & Prudentius, de S. Hac inflammatos aliquando plurimos
Vincentio: *Tortore tortus acrior.* Ita verè à Dei cultores à Christo, Deo non solum co-
Poeta dictum est. lendo, verum etiam confitendo, metus vi-
Armatosq; viros patientia vincit inermis. lus, aut terror reuocare non potuit, blandi-
Quod vincendi genus intellexerunt duo tiæ nullæ, promissio nulla dimouit; sed nec
illi fratres, penè adhuc balbutientes, genere facultatum violentia subtractio, nec acerbi-
nobiles, de quibus in actis S. Luciani Presby- tas vniuersarum variarumque pœnarum, &
teri Antiocheni; *Qui cum Maximiano Im-* D ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur.
per. sisterentur, illeque eis persuadere cona- *Neque tunc Ciuitas Christi, quamuis adhuc*
retur, vt de Idolothytis ederent. Non sic in- *peregrinaretur in terris, & haberet tam*
quiebant, à parentibus didicimus; deinde il- *magnorum agmina populorum, aduersus im-*
los agrediens, priùs promisisse, quibus illa *pios persecutores suos, pro temporali salute*
ætas capi solet, postea minis, quibus terreri; *pugnauit, sed potiùs vt obtineret æternam*
cùm nec sic acquiescerent, pœnas adhibuit; ex *non repugnauit; ligabantur, includebantur,*
quibus cùm minor natu corruisset ex ani- *cædebantur, torquebantur, vrebantur, lania-*
mis, alter frater exultans victoria, eumque *bantur, trucidabantur, & interea tamen*
osculatus, & amplexatus, assiduè exclama- *multiplicabantur. Non erat eis pro salute*
bat: Frater mi vicisti, Frater mi vicisti; do- *pugnare, nisi salutem pro Saluatore contem-*
nec, & ipse expiraret, Fratrem in vlnis *nere.*
tenens. Hoc ergo bellum est spirituale, quod Chri-
Scribit Lanctant. quòd *varia idcirco ge-* stianis continuò mouet Diabolus: hæc illius
li. 5. c. 11 *gera tormentorum excogitabant gentiles, nec* arma, quibus eos oppugnare non cessat; hæc
statim occidebant, ne aut ipsi victi, aut Christ- viciſsim Christianorum præsidia, quibus se

in

in bello aduersus hostem debent defendere; *Ephes.6* *hæc armatura Dei, quâ induere*, iubet Apost. *vt possint resistere in die malo.* Poterunt autem facile, ad exemplum Sanctissimæ Virginis, eum vincere, eiusque caput conterere, si viribus suis diffisi, spem victoriæ in auxilio Christi Domini Filij eius repositam habeant. *Libr.2. Epist.6.* *Non enim Christus*, inquit D. Cyprian. *tanquam spectator solum cogitandus est, sed & tanquam adiutor implorandus, qui in suis, & luctatur, & vincit, & coronat pariter, & coronatur.*

MONITVM III.

Isai. 7. *ECce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Isaiæ 7. Prænuntiat cum gaudio Propheta aduentum Sanctissimæ Virginis MARIÆ, nec non Incarnationem Filij Dei, operatione Spiritus Sancti in eius vtero peractam, qua similis nobis factus est in natura, mortalitate, miseria. Cuius quidem Incarnationis propriam explicare causam propositum mihi est, vt in eius contemplatione animus suaui, ac salubri affectu versetur, ac frequenter hæ- *li.9.cõf. cap.6.* reat, ad exemplum Sancti Augustini, qui de se in Confess. *Non satiabar*, inquit, *dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui, super salutem generis humani.* Deinde, vt ex eius consideratione spes boni maximi, quod nobis promittitur, erigatur, & confirmetur, de quo idem Augustinus in Sentent. *Se.329.* Prosperi; *Deus factus est homo, quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo?* Denique vt deuotio, & charitas nostra erga Matrem, & filium vehementius accendatur, qui ex ea carnem propter nos assumere dignatus est, vt Emmanuel, id est, nobiscum Deus, appellaretur: dicamusque ex animo cum sponsa in Cantic. *Dilectus meus mihi*, videlicet se totum impendit, & *ego illi*, id est, eius amori, ac cultui me totum volo impendere: *ille meæ liberationi*, inquit *Ser.68. in Can.* D. Bernard. *ego illius honori; ille meæ saluti, ego illius voluntati.*

Causa autem Incarnationis alia non est, quàm naturæ hominum lapsæ reparatio. Cùm enim hominum genus capituum sub Diaboli tyrannide propter peccatum teneretur, neque liberari propter Dei iustitiam posset, nisi pretio iusto redimeretur: pretium autem hoc nequiret ab homine perdito reperiri; Deus ipse homo fieri dignatus est, vt in natura assumpta (quoniam in ea erat passibilis, ac mortalis) pretium redemptionis nostræ sua morte persolueret, istoque modo captiuitas antiqua solueretur. Hinc D. Leo; *Ser 3.de Pentec.* *Quia inuidia Diaboli mors introuit in orbem terrarum, & aliter solui captiuitas humana non potuit, nisi cau-*

A *sam nostram ipse susciperet, qui sine Maiestatis suæ damno, & verus homo fieret, & peccati contagium solus non haberet.* Multæque sunt eius modi sententiæ veterum, quæ si cum scripturarum vocibus comparentur, facilè apparebit eius opinionis infirmitas, qua fingitur Dei filius carnem susceptus fuisse, etiamsi homo non peccasset.

Nos verò propriam eius rei causam agnoscimus eam, quam celeberrimis verbis expressit Symbolum solemniter in Ecclesia de- *Symb. Constãt.* cantari solitum; *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine.* Dicimus enim Christianam Religionem non nisi vnam Incarnationem nosse, quæ facta est? eius autem causam in Diuinis scripturis quærendam esse non humanis rationibus indagnandam; cum ea res ad altissima sapientiæ diuinæ consilia pertineat, ideoque eius ratio cognosci non potest, nisi quantum ille nobis patefacere dignatus est. Expressit autem hoc factum esse, vt hominum genus erueretur de potestate tenebrarum, vt vitiata peccato natura instauraretur, & sanaretur, vt mortuus peccatis homo viuificaretur, perditus recuperaretur, atque ad amissam felicitatem reuocaretur. *Venit filius hominis*, ait ipsemet incar- *Mat.18* nata veritas, *quærere & saluum facere, quod perierat.* Et alibi, *Non veni vocare iustos,* *Mat.9.* *sed peccatores; non enim est sanis opus medicus, sed malè habentibus.* Et eius Apost. D. Paulus; *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia IESVS Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et rursum; *1. Tim.1* *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium,* id est, *Diabolum.* *Heb. 2.*

Scripturis sacris veterum sententia valdè consentit, & ratio. *Propterea*, inquit Chry- *Hom.5. in Epist. ad Heb.* sost. *carnem assumpsit nostram, propter benignitatem, & clementiam solam, vt misereretur nostri; non est enim alia quæpiam causa dispensationis, quam hæc sola.* Vidit quippe humi iacere proiectos, pereuntes, mortisque tyrannidem patientes, & misertus est. *Quæ erat causa Incarnationis*, rogat D. Ambros. *nisi vt caro quæ peccauerat, per se redimeretur? Interitum enim hominum dolens diuina censura, non per seruum vatem, nec per inuisibilem Angelum, sed ad hoc per substantiam humanæ carnis in homine Deus veniens habitauit.* Et S. Augustin. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere; tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Si venit de Cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbẽ terrarũ iacebat infirmus.* Et rursum, de peccat. mor. *Non aliam ob causam in carne venit, ac* *De Domi. Incarn. sert.c.6* *De Pas. myst. c.1 & 4. Se. 9. & 10 de Verb. Apostol.* *Libr.1. cap.26.*

for-

formam serui acceptа factus est obediens vsque ad mortem Crucis, nisi vt hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in suo corpore constitutis caput est, ad capessendum regnum Cœlorum viuificaret, saluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret; qui priùs fuissent in peccatorum morte, languoribus, seruitute, captiuitate, tenebris constituti, sub potestate Diaboli principis tenebrarum. Et D. Leo: *Si homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in suæ naturæ honore mansisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, Creator mundi creatura non fieret.*

Ser. 3. de Pentec.

His omnibus adiungenda est etiam ratio; Incarnatio enim etsi miseria, & afflictione careat, habet tamen quandam humiliationem, & dejectionem Dei, cùm natura humana ex ipsa sui conditione serua sit; vt taceam quanto interuallo sub naturæ diuinæ sublimitate iaceat, quantumcumque bonis dotibus ornata cogitetur. Vnde dicitur ab Apostolo Christum *cùm in forma Dei esset, exinaniisse semetipsum formam serui accipiens*. Quem locum Apostoli, tractans D. Leo: *Propter nostram infirmitatem*, inquit, *extenuauit se incapacibus sui, vnde etiã exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute euacuauerit, dum in ea humilitate, qua nobis consuluit, non solum patre, sed etiam se ipso factus est inferior.* D. Aug. *Quod filius Dei factus est filius hominis, nõ fuit eius gloria sed humiliatio.* Nusquãverò insinuata est nobis alia ratio prꝛter eam quã recitauimus, vnde nec sine periculo humanæ temeritatis, alia fingi tãtæ rei causa posse videtur. Et est quidem in Scripturis significatum: Incarnationis Dominicæ finem fuisse, naturꝛ humanæ in Christo exaltationem, & gloriam; sed ad quam humilitatis, & passionis via veniretur; quemadmodum indicat ille Euangelistꝛ Lucæ locus; *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*. Passionis autem viam non conueniebat ingredi filium Dei, vt sic naturam in se humanam extolleret, nisi peccatum præcessisset.

Phili. 2. *Serm. 5. de Nat.* *Tract. 2 in Ioan.* *Luc. 24.*

Potuit quidem Deus alio modo liberare genus humanum, quàm morte Christi; qua enim potentia hominem creauit iustum, & liberum, eadem vel solo mox nutu, lapsum, ac deformatum in integrum restituere potuisset (Diabolo hoste eius longè depulso) quia summam potentiæ eius in suas creaturas libertatem, non potuit, vel infelicissimus hominis casus, vel vlla creaturæ prauitas imminuere. Verumtamen hoc fixo eius decreto, quo iustitiæ volebat esse satisfactum, alterum erat necesse, vt vel peccator homo damnaretur, vel æquiualens pretium, pœnaque par offerretur pro eo liberando, vt (quemadmodum ait D. Ambros.) *quia non queunt diuina decreta solui, persona magis quàm sententia mutaretur.* Non potuit autem esse exacta satisfactio, nisi quæ ab eo qui simul esset homo, & Deus offerretur. Nam si Deus tantùm esset, pati non posset, cùm iustitia Dei peccatum manere nollet impunitum; si tantùm homo, non esset passionis ea præstantia, & dignitas, quæ sufficeret. Dicit D. Hilarius; *Oportet Christum confiteri filium Dei, & filium hominis, quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem. Nisi enim*, inquit S. Leo, *esset verus homo, non præberet exemplum, nisi esset verus Deus, non adferret remedium; inerat ei vera Deitas ad miracula operum; vera humanitas ad tolerantiam passionum.*

Li. 4. in Lu. c. 14 *In Mat. cap. 16.* *Serm. 1. de Nat.*

Et aptissimè idem declarat locus Apoc. cap. 5. vbi liber ille captiuitatis humanæ; *scriptus intus, & foris*, ob occulta, & manifesta hominum peccata; quibus mortis rei tenebantur, cuius cùm nemo posset firmissima signacula ob incommutabile Diuinæ iustitiæ decretum, resoluere, occisus agnus resoluit.

Apoc. 5.

Et sanè modus hic redemptionis fuit conuenientissimus; I. quia non solum ostẽdit potentiam Dei magnam, qua fortem armatum expulit, suaque de possessione deturbauit, sed etiam sapientiam, qua exturbandi eius spoliandique clarissimam reddit æquitatem, quod in hominem innocentem, longèque cæteris dissimilem Christum Dominum violentas ille manus iniecerit. Præclarius est autem ratione vincere, quàm viribus solis, quod sæpè meliores à nequioribus opprimi robore maiore contingant. II. quia hoc modo nõ misericordiã tantùm suã, sed vna etiam iustitiam mirabiliter commendauit; iustitiam in eo, quòd peccatum non reliquit impunitum: misericordiam in eo, quòd Iudex ipse peccati pœnam à reo in se ipsum transtulit; scque pulcherrimo congressu *misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt.* Pœnam enim inflixit per iustitiam, sed personam mutauit per misericordiam. Iustitia dixit, Ego supplicium pro peccato requiro; misericordia dixit, Ego pœnam non abnuo, sed muto personam. III. Denique ad inflammãdam charitatem, & erigẽdam spem nostram, & ad iacienda veræ humilitatis fundamenta, omnique nos virtutum ex exemplo confirmandos, nulla fuit efficacior ratio, quàm si Dei filius pro suis inimicis homo fieret, & in mortem traderetur.

Psa. 84.

Sed superbo, vt ait D. August. *Domini humilitas indigna videtur; Absit*, inquit, *vt credam in Deum natum in carne; natum ex fœmina, Crucifixum, flagellatum, mortuum, sepultum. Indignum talia de Deo credere.*

Ser. 107 in Nou.

dere. Sic Nestorius Deū negans esse hominē, nunquā, inquit, bimestrē, aut trimestrem appellabo Deū. Deum ex fœmina nasci est impossibile. Nē glorieris Iudæa, nō crucifixisti Deū. Manichęus verò, vt author est D. Aug. *De ago. Christiano c. 18.* existimabat Christū inquinandū, si ex fœmina nasceretur, vnde negabat eū veram carnē habuisse. Idē, vt refert Epiphan. cū Marcione, & Valentino, dicebat Deum non habuisse carnem, ne excrementorum sęcessui, aliisque similibus videretur obnoxius. Quēadmodum, nunc Caluinus negat corporaliter Christū adesse in Eucharistia, quòd inde cœlesti eius gloriæ aliquid periret, dum sub corruptibilia huius mūdi elemēta reducitur

Alij autē etsi credāt corde, erubescūt cōfiteri ore humilē Christū, ne displiceāt superbis. *Ægrotè*, inquit Aug. *quomodo sanaueris, qui de medicamento tuo erubescis? Quid facies, si attēdat te ille excelsus, & dicat tibi, Erubuisti de humilitate mea, nō eris in claritate mea? Discedat ergo mala verecundia, accedat salubris impudentia, si impudentia dicenda est. Insultetur nobis, quòd credimus in hominem miserum, abiectum, crucifixum, occisum: planè in occisum, sed de quo, nisi sanguis manaret, Chyrographum peccatorum nostrorum, adhuc maneret.* *Augustin. eod. ser.*

Platonicus quidā, ait idē Augustinus. Initium Euangelij secundū Ioannē, In principio erat Verbū, &c. aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponēdū esse dicebat. *Sed ideò viluit superbis Deus, quia Verbū caro factū est, & habitauit in nobis, vt parū sit miseris, quòd ægrotēt, nisi se in ipsa, etiā ægritudine extollāt, & de medicina qua sanari poterant erubescant.* *De Ciu. lib. 10. c. 29.*

Patrū ergo sentētias hac de re audiamus, inter quos D. Hilarius, agens de cunis vagitu, cruce, morte Christi. *Hæc*, inquit, *si quis indigna Deo recolet, tantò se maioris beneficij obnoxium confitebitur, quantò minus ista conuenerint illius Maiestati.* Sic & D. Hieron. *Ingerantur*, ait, *dura præsepia, vagitus paruuli, & crux ipsa, qua nil cōtumeliosius, nō erubescimus, non sitemus. Quāto sunt humiliora, quæ pro me passus est, tāto plus ei debeo.* D. etiā Greg. *Stultū*, inquit, *hominibus visum est, vt pro hominibus author vitæ moreretur, & inde cōtra eū homo scandalū sumpsit, vnde ei amplius debitor fieri debuit. Nā tanto Deus ab hominibus dignius honorādus est, quāto pro hominibus, & indigna suscepit.* *Lib. 2. de Trin.* *Contra Heluid.* *Hom. 6. in Euangel.*

Denique ex D. Aug. discat superbus, cuius rei magistra sit tanta humilitas Saluatoris. *Verbū tuū, æterna veritas, superioribus creaturæ partibus supereminens, subditos erigit ad seipsam: in inferioribus autē ædificauit sibi humilē domū de limo nostro; per quā subdendos deprimeret à seipsis, & ad se traijceret, sanans tumorem, & nutriens amorem, ne fiducia sui progrederentur lōgius, sed potiūs* *Lib. 7. Conf. c. 18.*

A *infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam Diuinitatē, ex participatione tunicæ pelliceæ nostræ, & lassi prosternerētur in eā, illa autē surgens leuaret eos.* Et alibi: *Quia rationalis creatura, verbo illo, tanquā optimo cibo suo pascitur, humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum visibiliū, ad intelligenda inuisibilia mitteretur, cibus rationalis naturæ factus est visibilis, non commutatione naturæ suæ, sed habitu mortalitatis nostræ, vt visibilia sectantes ad se inuisibilem reuocaret. Sic eum anima, quem superbiens intus reliquerat, foris humilem inuenit, imitatura eius humilitatem visibilem, & ad altitudinem inuisibilem reuersura.* *Lib. 3. de liber. arb. c. 10*

B

MONITVM IV.

E*Gredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eū spiritus Domini.* Isaiæ 11. Deiparā Virginē Mariā deuotissimè, per totā Ecclesia Catholicā celebramus, nō contenti illo die, quo cōfecta huius vitæ peregrinatione, migrauit ad cœlos, eam colere, sed & eius initia, Conceptionem dico, & Natiuitatem, libentissimè honoramus. Primò quidē ob incarnationis Christi amorem, quæ in eius vtero opera Spiritus Sancti peracta est. Pietas enim fidei vndique colligit occasiones gratias agēdi Diuinæ Maiestati de aduentu, & tota dispensatione Dei, & hominis, quo nullum maius, ad præstantius beneficiū generi humano lapso, & damnato collatum est, aut cōferri potuit. *Isai. 11.*

C

Deinde quod sciamus *eā Euæ* filiorumque eius *factā aduocatā, quæ per fidē soluit, quòd Eua per infidelitatē alligauerat*, vt D. Irenæus testatur, nec vllū nobis vtiliorem esse Mediaroré ad Mediatorē, quā eius Matrem, vti asserit D. Bern. *Opus est*, inquiens, *Mediatore ad Mediatorē Christum, nec alter nobis vtilior, quā MARIA. Si enim cum merita nostra nos grauant, ne diligamur à Deo, releuari apud eum illorum meritis, ac precibus possumus, quos diligit Deus* (quòd verissime dixit Augustinus.) quanto magis meritis, ac precibus huius Virginis Deo tam dilectæ? quàm præ omnibus alijs ad eam dignitatem euexit, vt Vnigeniti sui, & mater esset, & simul integra Virgo permaneret, quam super omnes Angelorum choros exaltauit. *Lib. 5. cont. Hæres. Ser. vlt. de Assumpt.* *Sup. Exod. q. 149.*

D

Postremò, si sola mulierum in veteri Testamento generi humano est promissa, sola varijs figuris, & vmbris præsignata, sola à sanctis Patribus, & Prophetis decantata, vnde rectè à D. Hieronymo *Vaticinium Prophetarum* nuncupatur: quanto magis Christiani noui Testamenti, nunc orbi exhibitam celebrare, ac collaudare debent? Quomodo verò id illi Sancti Patres præstiterint, opere pretium est considerare, vt nos eorum imitatione filij, in Deiparæ Virginis *In c. 6. Mich.*

amorē, & honorē vehementiùs accendamur.

Ac in primis occurrit Euāgelicus ille Propheta Isaias, qui ita de Matris, filijque aduētu, atque exortu summa animi exultatione prænūtiauit. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Vbi Iudæi, teste D. Hieronymo virgā de radice Iesse, simulque florē, ipsum Dominum interpretantur, quòd scilicet in virga regnantis potentia, in flore pulchritudo monstretur. *Nos autē*, inquit Hieron. *virgam de radice Iesse, Sanctam MARIAM intelligamus, de qua apud eundē legimus, Ecce Virgo cōcipiet, & pariet filiū. Et florē, Dominū Saluatorē, qui dicit in Canticis. Ego flos cāpi, & liliū conuallium.* Ac Virginē quidē virgā nominauit, *quòd nullū habuerit sibi fruticē cohærentē*, seu, *quòd simplex fuerit, pura, sincera, nullo extrinsecus germine cohærente, & ad similitudinem Dei vnione, seu vnitate fœcūda*, vt idē affirmat. Sicut enim solus Deus Pater filiū ab æterno genuit, sine socia matre, ita sola Virgo mater eundē in tēpore genuit, sine socio patre. Hinc & ipsa Virgo, per virgā Aaron significata fuit, quæ extra terrā, sine humore adiecto subitò, flores, & fructū protulit, vt ex ea cognosceretur, quisnā functurus esset sacerdotio, sic & MARIA ab omni viri contactu aliena, sine semine viri, florē, & fructū produxit Dominū Christū, qui solus est Sacerdos immaculatus: quo sacerdotio functus est, *dū in diebus carnis suæ, preces supplicationesque, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerētia*, dum in omnibus gratiās egit Deo Patri, dū *seipsum tradidit in ara Crucis pro peccatis nostris hostiā, & oblationē in odorē suauitatis*, dū *apparet, nūc vultui Dei semper viuens ad interpellandū pro nobis*, dū denique per Vicarios Sacerdotes, in Catholica Ecclesia carnē suā, & sanguinem quotidie offerre non desinit.

Isai. 11. Lib. 4. in Isaiā. Cant. 2. Lib. 4. in Isai. 1. & in Epist. ad Ephoch. Num. 17. Hebr. 7. Eph. 5. Hebr. 7. Hebr. 9. Iudic. 6.

Significata etiā fuit, per vellus Gedeonis, & terrā irroratā, de qua Dauid, *Descēdet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terrā.* Christus enim descendit in vterū Virginis, quæ ex terreno Adam nata, & ex humano genere, per peccatū brutis comparato, orta erat, descendit, inquam, in vterum Virginis, non ex viro, sed ex cœlo; sicut ros, & pluuia descendunt in vellus, & terram. Vnde & in alio Psalmo dicit, *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Quid est veritas?* quærit D. August. *Filius Dei. Quid terra? Caro. Interrogas, vnde natus est Christus? & vides quia veritas de terra orta est. Sed hæc veritas, quæ de terra orta est, erat ante terrā, & per ipsam factum est cœlū, & terra. Vnde dicitur, quod eadē ipsa veritas, iustitia de cœlo prospexit.* Vnde illæ voces, *Rorate cœli desuper, &c.* Nō quod corpus secū è cœlo tulerit, sed id sumpsit ex Virgine, Diuino tamen non humano opere.

Psa. 71. In Psal. 83.

Christus etiā in Psalm. Vermi se cōparat, dicens: *Ego autē sum vermis, & nō homo*, nō solùm propter humilitatē passionis, sed quia vermis in ligno, & carne, sine concubitu nascitur, sicut Christus de MARIA Virgine. Ita D. August. *Ego sum vermis, & nō homo, quod videtur quidē*, inquit, *ad commendandā humilitatem simpliciter dictū, vt se in oculis persequentium, abiectissimum quiddam, & contēptissimū demonstraret, sed nō est cōtēnenda*, addit, *altitudo secreti, profunditasque mysterij, præsertim in eis verbis, quæ tāto Saluatori in prædicatione Prophetiæ coopiātur. Dictus est hic sensus elegātissimus à prioribus, ideò se hoc nomine Christū prænuntiari volu sse, quia vermis de carne, sine concubitu nascitur, sicut ille natus est ac Virgine.*

Psa. 21. Ep. 120. c. 8. & in Ps. 21.

Quod ipsum quoque significat, quando se florē non horti, sed cāpi appellat, vt D. Bernard. rectè notauit. *Hortus enim, vt floreat, inquit, hominū manu, & arte excolitur, cāpus verò ex seipso naturaliter producit flores, & absque omni humanæ industriæ adiutorio. MARIA proculdubio hic campus est, non sulcatus vomere, non defossus furculo, nec fimo impinguatus, nec hominis manu seminatus, venustatus, tamen nobili illo flore, super quem cōstat requieuisse Spiritū Domini.*

Cant. 2. Ser. 47. in Cant.

De cuius odore, ita in Genesi, quando Patriarcha Isaac benedixit filio suo Iacob, *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Nec dum speciem suam flos ille agri induerat, & iam dabat odorem suū, quādo eū, vt præ gaudio exclamaret, præsensit spiritu, corpore marcens, sanctus, & senex Patriarcha, caligās visu, sed odoratu sagax.*

Gen. 27

De cuius etiā pulchritudine Psalmista ait, *Speciosus forma præ filijs hominū. Si aliquid fœdi inuenerimus in eo, non amemus eum*, inquit D. Aug. *quia & quod carnē indutus est, quod miserijs obnoxius, quod flagellis cæsus, quod affixus cruci, vt de illo etiā diceretur, Vidimus eū, & nō habebat speciē, neque decorē, si cōsideres misericordiā qua factus est talis, etiā ibi pulcher est.* Solumne pulchrū eū existimas in forma Dei, in throno regio, auro, & coronis micantem? Etiā pulcher est in forma serui, in infirmitatē carnis, in ignominia crucis. *Pulcher in vtero*, inquit Augus. *pulcher in præsepio, pulcher in manibus parentū, pulcher in miserijs, pulcher in flagellis, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.* Sed Iudeorū persona gerebat Propheta, cū diceret: *Vidimus eū, & non habebat speciē, neque decorē*, qui eū oculo infidelitatis aspiciebāt, intelligentibus autem, & credentibus ipsa, etiam infirmitas, & Crux Christi, magna pulchritudo est. *Aut si fortè, & tu*, ait Aug. *deformitatem iudiacs, cogita tamen quòd ex*

Psa. 44. Aug. in eundem Psalm. Isai. 53.

ista

De bono viduit c.19. *ista deformitate Redemptoris tui manauit pretium decoris tui, sed decoris interioris, omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus est;* ac proinde non ab eo alienari, sed in eius cultum amoremque magis accendi debes. *Crux enim Christi* (ob quam ab impijs contemnitur, ac ridetur) *fons est omniũ benedictionũ,* inquit D. Leo, *causa omniũ gratiarũ, per quã credẽtibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Serm. 8. de Pass.

Pulchritudinem huius floris, etiã explicat Isaias, cùm addit, *Et requiescet super eum spiritus Domini.* De quo spiritu loquens Ioannes Baptista, ait, *Non enim ad mẽsuram dat Deus spiritum,* quod de solo filio dictũ esse ab eius præcursore asserunt Patres. Solus enim fuit, & quidem ab initio cõceptionis, omni virtute, iustitia, charitate ornatissimus, ac perfectissimus; & teste Apostolo Paulo: *Fuerunt in eo abscõditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Vnde in Euangelio, quo Nazarei vtuntur, inquit D. Hieronymus, legitur, *Descendet super eum omnis fons Spiritus Sancti.* D. Ambrosius tractans illud Ioelis Prophetæ. *De spiritu meo effundã super omnem carnẽ. Nõ spiritũ,* ait, *sed de spiritu. Neque enim capere nos possumus plenitudinem Spiritus Sancti, sed tantùm accipimus, quantum de suo, arbiter nostri, pro sua voluntate diuiserit, in Christo autem totius manet in æternum spiritus plenitudo,* alludens vtique ad sermonẽ Baptistæ, cùm de filio loquitur, *Non ad mensuram dat Deus spiritum.*

Isai.11. *Ioan.3.* *Coloss.2.* *Lib. 4. in Isaiã.* *De Spiritu Sancto lib. 1.c.7.* *Ioel.2.*

Sic & D. Aug. *Inuenimus, quia ad mensurã dat Deus spiritũ. Audi Apostolũ dicentẽ, Vnicuique nostrũ data est gratia secundũ mẽsuram donationis Christi. Hominibus ad mẽsuram dat* (alioqui, inquit alibi, *nõ duplum peteret Elisæus, quã fuit in Helia*) *vnico filio non dat ad mensuram.* Et rursum, *Sic sunt diuersa dona fideliũ, tanquam mẽbris ad mẽsuram cuique propria distributa. Sed Christus qui dat, nõ ad mensurã accipit.* Denique D. Fulgẽtius, *Tota,* inquit, *plenitudo datur, vbi spiritus non ad mensuram datur. Vnde & Apostolus de Christo, quia in ipso complacuit omnẽ plenitudinẽ inhabitare, Et, Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Non autem plenitudinẽ, sed de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.*

Tra.14. in Ioan. *Ephes.4* *Lib.1. Retra. c.19.* *4.Reg.2* *Quæst.3* *Coloss.1.* *Coloss.2.* *Ioan.1.*

Requieuit ergo, super Christum Spiritus Domini, non ad mensurã. Cæteris autem ad mensurã datur, & Temporis, & Quantitatis, Tẽporis quidẽ, nã *quisque nostrũ,* inquit D. Augustinus. *bonũ opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nũc nescit, nũc delectatur, nũc non delectatur,* quod ideò fit, *vt nouerit homo nõ suæ facultatis, sed diuini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur; ac sic ab elatio*

De peccat. mor. lib.2. c. 17.

A *nis vanitate sanetur, & sciat quã verè nõ de terra ista, sed spiritualiter dictũ sit, Dominus dabit suauitatẽ, & terra nostra dabit fructũ suũ.* Quantitatis verò, præterquam enim quod nulla virtus, & scientia, quę hic à Deo hominibus donatur, in sua perfectione habeatur, ait Apostolus, *Diuisiones gratiarum sunt. Alij datur sermo Sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatũ, alij genera linguarũ, alij discretio spirituũ, &c.* & in fine, *Hæc autẽ omnia operatur vnus, atque idẽ spiritus, diuidẽs singulis prout vult.* *Psa.84.* *1.Co.12*

D. Prosper. tractans illud Euangelij, vbi Dominus diuersis diuersa talẽta distribuit. *Cùm nemo,* inquit, *aliquid boni habeat, quòd* B *non Deus donauerit, non omnes tamen ijsdem virtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Quidam accepta fide, a iffidentia non carent: quidam quod credunt, non intelligunt, alij intelligunt, sed intelligentia, nõ eandem in omnibus habet facultatẽ, & multi habent fidem, & intellectum, indigent tamen charitate; ipsa etiã charitas, nõ in omnibus æquè magna, æquè perfecta. Sic etiã vnus valet lenitate, alius patientia, alius iucũditate, alius vigilantia, alius abstinentia, alius actione, alius contẽplatione. Vnicuique datur gratia secundũ mẽsuram donationis Christi.* *Vide de voc.gẽt. lib.2. c. 7.8.11.* *Ephes. 4*

Dicebat Iulianus Pelagianus, vt est apud V. Bedã, *omnia in omnibus posse esse bona virtutũ, quæ vel singula sunt in singulis. Sed* C *cõtradicit scripturæ,* ait Beda, *quæ dicit, omnia autem membra, non eundem actum habẽt. Et, Multi vnũ corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes. Sed & quotidiana nostræ fragilitatis exempla probãt, non omnia in omnibus esse posse, vbi tã multi inueniũtur, qui summa nitentes instantia, nequaquã ad eas, quas alios vidẽt habere, possũt peruenire virtutes.* *In Cant. cap.6.* *Rom.12*

Huius autẽ variatæ inter homines gratiæ D. Gregor. duplicẽ fructum, seu vtilitatem ostendit. Ac primus quidem fructus est charitas. *Hoc enim agit Deus in cordibus hominũ,* inquit, *quòd facit in regionibus terrarũ: poterat namque vnicuilibet regioni fructus omnes tribuere, sed si vna quælibet regio alterius regionis fructu, non indigeret, cõmunionem cum altera non habuisset. Vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abundantiã tribuat, hãc multitudine pecudum, illã verò vbertate fructuum faciat abundare, vt cũ illa defert, quòd ista non habet, & ista reddit, quòd illa non detulit, per communionem gratiæ sibi, simul etiã diuersæ terræ coniunctæ sint. Sicut ergo regiones terrarũ, ita sunt mentes sanctorũ, quæ dũ vicissim sibi conferũt, quod acceperũt, quasi fructus suos regiones regionibus impendũt, vt in vna omnes charitate iũgantur.* *Hom.10 in Ezec.*

Alter verò fructus, humilitas est. *Nõ enim*

Ibidem. *vni*, ait idem Gregor. *dantur omnia, ne in superbiam elatus cadat, Sed huic datur, quod tibi non datur, & tibi datur, quod illi denegatur, vt dum iste cõsiderat bonum, quod habes, & ipse non habet, te sibi in cogitatione præponat: & rursum, dum tu habere illum conspicis, quod ipse non habes, te illi in cogitatione postponas, & fiat quod scriptum est, Superiores sibi inuicem arbitrantes.*

Phil. 2.

Videtis virgam, quæ de radice Iesse prodijt, Virginẽ MARIAM, videtis florẽ, quẽ virga ipsa mundo protulit, Christum Saluatorem, super quem plenissimè Spiritus Domini requieuit, de cuius plenitudine omnes nos oportet accipere. Maxima ergo nobis est gaudendi occasio, quando Virgo illa promittitur, quàm Dominus Deus ad humani generis redemptionem assumere dignatur. Nõ exultent illi ad aduentum Virginis, qui nesciunt quantum mali nobis, per fœminam acciderit. *Qui verò sciunt à muliere initium esse peccati, & per illam omnes mori, agnoscãt magnum in D. Virgine sacramentum,* inquit D. Augustin. *Sicut enim per fœminã mors nobis accidit, ita per fœminam vita nata est, vt de vtroque sexu Diabolus victus crucietur, qui de vtriusque subuersione lætatus est. Cui parum esset ad pœnam, si vterque sexus liberaremur.* Quo beneficio hoc nobis præstatur, vt hic à seruitute peccati, & Diaboli liberati, Domino Deo deinceps, iustitiæque seruiamus, & tandem abiecta, etiam seruitute corruptionis, & mortis, ad immortalem fœlicemque vitam transferamur.

De ago. Christ. c. 22.

MONITVM V.

NOuum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. Ierem. 31.

Iere. 31.

Prædicit, ac promittit Propheta Israelitis, qui duro captiuitatis iugo præmebantur, liberationem, reditum in patriam, ac rerum omnium fœlicitatem. Et vt intelligerẽt vnde tanta beatitudo expectanda foret. Attendite, inquit, diligenter, & audite, quod antea nũquam cognoueratis. Nouum creauit Dominus super terrã. *Fœmina circũdabit virũ.* Ista captiuitas temporalis, sicut & antea Ægyptiaca illa seruitus, spiritalem nobis adũbrabat captiuitatem, & seruitutem, quã primi culpa, superbiaque parentis, vniuersum genus humanum incurrit. Hanc triplicẽ distinguunt Doctores, propter peccati, mortis, & Diaboli dominatum; quibus verò, & naturali Domino derelicto, tãquam alienis Dominis contra naturam mancipari cœpit.

Lens. de lib. Christi.

Et prima quidẽ seruitus est vitijs parere, & eo quò impulerit cupiditas, volũtatẽ ferri. Quæ sanè habet imprimis nobilissimæ mentis indignissimã seruitutem. Quid enim indigniùs, quid turpiùs, magisque cõtra naturam, quàm id voluptatum illecebris captum, mancipium fieri vitiorum, quòd cum in homine principatum obtineret, dominari potiùs, ac regere decuerat? Vnde rectè D. Basil. Cur, inquit, prauorum affectuum animã facio seruã, cùm ipsi à suo creatore Deo concreditus sit principatus, quo regere, ac moderari debeat corpus, affectionesque corporis omnes? Monet Apost. vt ne secũdùm carnem viuamus. *Quod nihil aliud est,* inquit Chrysost. *quam ne Dominam illam vitæ nostræ faciamus: nõ enim decet, vt illa imperet, sed vt obediendo sequatur, neque vt nostrã dirigat vitam, sed vt spiritus leges, quibus ipsa regatur, accipiat.*

In Ps. 6 *Rom. 8.* *Ser. 14. in epist. ad Rom.*

Hanc seruitutis indignitatem Propheta, nõ tacuit in oratione, in qua mysticis verbis (authore Hieron.) spiritualis animæ ruina, vastatioque describitur: *Serui,* inquit, *dominati sunt nostri,* ac vt huius mali grauitatem augeat, addit, *Nec fuit, qui rea eriperet de manu eorum.* Quam enim huius vincula seruitutis implicatam teneant voluntatem, Sapiens expressit, cũ à muliere nos reuocans aliena, dicit: *Inclinata est enim ad mortẽ domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad illam, non reuertentur, nec apprehẽdent semitas vitæ. Quod secundũ ipsum peccati põdus dictũ esse,* D. Augustin. interpretatur, vt qui reuertuntur, non se putẽt ijs vinculis expedire potuisse, nisi Dei singularis misericordia subueniisset, cui dicitur in Psalm. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis, & nomen Domini inuocabo.*

Thren. 5 *In illum locum.* *Prou. 2.* *In Psal. 77.*

Similiter cum Diabolo contra Domini præceptum suggerenti cessit homo ad peccatum perpetrandum, cùm ei facile esset repugnare, idcirco, & illam quoque suo merito incurrit seruitutem, vt ab eo qui vicerat, captiuus teneretur, ac possideretur, hinc rectè dixit Augustin. *Et illud appensum fuisse æquitatis examine, vt nec ipsius Diaboli poteſtati negaretur homo, quem sibi malè suadẽdo subiecerat. Iniquum enim erat,* inquit, *vt ei quem cœperat, non dominaretur,* nimirum, quia meritis eius malis, quibus Deo se subtraxerat, congrua sub iusto iudice minimè redderetur pœna, nisi Diabolo, cui cõsenserat, traderetur. Quæ traditio in Genesi significata esse videtur, vbi cum serpenti dictum est, *Terram cõmanducabis omnibus diebus vitæ tuæ,* homini dictum est, *Terra es, & in terram ibis.* Nam quod dicitur, *Terra es,* totum hominem ostendit in deterius esse commutatum, quemadmodum & illud alibi scriptum, *Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quia caro sunt.* Hoc enim illud est, ex quo dediti vitijs homines, ac spretis bonis cœlestibus terrena sapientes, carnales appellari consueuerunt.

Lib. 3. de liber. arb. c. 10 *Gen. 4.* *Gen. 6.*

Tales igitur homines, ideſt, terreni, ex prima natiuitate, atque ad hæc caduca terrena-

quo

que incurvati, nondum regeneratione cælestes effecti, terræ quoque nomine significantur, vt D. Cyprianus docet, velut cum dicitur Apostolis, *Vos estis sal terræ.* In quibus pabulum inuenit Diabolus, quo se oblectet, qui quoniã terrena vitiorũ immunditie pascitur, gaudetque mortales in ea volutari, *spiritus immundus* appellatur. *Valde vt metuendũ esse appareat*, inquit D. Prosp. *quòd dicitur serpenti, terrã manducabis omnibus diebus vitæ*, cũ his verbis, homines terrenis voluptatibus inhiãtes, ideoque terræ aptissimè cõparati, feræ illi, atque immani belluæ traditi significẽtur. Quid verò durius, quàm ei seruire, qui incredibili feritate deuoret sibi seruiẽtes, nec cædis vllũ faciat finẽ? Quid infeliciũs, quã ab illo tali teneri captiuũ, cũ præsertim nulla te ratione ex eius potẽtissimis manibus extorquere queas? Quid funestiũs, quàm ab illo tam tetro Principe pro eius sæuissima libidine regi, & huc atque illuc per varios cupiditatum æstus, ad ipsamque postremò sempiternam mortem rapi?

De ora. Domin. Mat. 5. *De promiss. & prædict. cap. 3.*

Tertia seruitus est corruptionis & mortis, de qua Apost. Paulus loquitur, *Vanitati creatura subiecta est, non volens, sed propter eũ, qui subiecit eã in spe, &c.* Quid enim est, *Vanitati subiecta est*, nisi corruptibilis facta est, sui corruptione sensim euanescens, nihiloq; propinquans? Hæc est vanitas, de qua Dauid in Psal. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* Quam & Poetæ fugiendi verbo eleganter expressérunt, vt Ouidius:

Rom. 8. *Psal. 143.*

Tẽpora labũtur, tacitisque senescimus annis,
Et fugiunt freno non remorante dies.

Fast. 6.

Sic & Poetarum princeps Virgilius,

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeũt morbi, tristisq; senectꝰ,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Geor. 3.

Seneca, *Quoties*, inquit, *Virgilius loquitur de celeritate temporis, non illud ire, sed fugere dicit, quòd genus currendi concitatissimũ est.* Hæc igitur humanæ post peccatum vitæ conditio, hic status adeo instabilis, vt pulueri, vt rori matutino, vt flori iam nascenti, moxque marcescenti, vt vmbræ, fumoque vanitas eius meritò comparetur.

Ep. 109.

Cuius cõsideratione vanitatis D. Iacobus reprehendebat eos, qui suæ seruitutis, & captiuitatis obliti, tanquam liberi & securi, superba exultatione dicebant: *Hodie aut crastino die ibimus in illam ciuitatẽ, & agemus illic quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Qui ignoratis quid erit in crastino, quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicũ parens, & deinceps exterminabitur.* Cùm enim omnes sub iusto iudice Deo mortis simus rei, non est in arbitrio nostro sita vitæ longitudo, sed ab illius supremi iudicis nutu tota dependet; vsque adeo, inquit

Iacob. 4.

A D. Prosp. *vt nec de ipsa mortis immaturitate iusta sit ratio conquerendi, cũ semel in naturã nostrã, per peccatũ tngressa mortalitas, obnoxium sui omnẽ vitæ nostræ fecerit diẽ.* *Lib. 2 de vocat. gentil. c. 21.*

Mortalitas, aiet S. Aug. *& corruptibilitas carnis, cõpedes sunt, quibus ligati sumus.* Et vultis nosse istorũ compedũ grauitatẽ? hãc per Salomonẽ deplorabat Sapientia his verbis, *Corpus quod corrũpitur aggrauat animã, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Declarare & hoc ipsum gentilium Philosophia volebat, cùm corpus hoc animæ carcerem esse diceret; & eũ quidem cæcum, & tenebricosum, in quo miserabiliter, contraque præstãtiam originis suę

In Psal. 68. *Sap. 9.*

B præmeretur. Quò referendum videtur, & illud Psalmistæ. *Educ de custodia*, seu carcere *animam meã.* Non quia carcer est, quod fecit Deus, sed quia mortale est, atque pœnale. *Corruptela enim carnis*, inquit Augustin. *& præsuræ, atque angustiæ carcer nobis sunt.* Ad hanc igitur seruitutem captiuitatemque pertinet; *iugũ graue, quod est super filios Adam à die exitus de ventre matris eorũ, vsque in diẽ sepulturæ in matrẽ omniũ. Corpus enim*, vt Apostolus ait, *mortuum est propter peccatũ*, ideſt, moriendi necessitate constrictũ, mortique destinatum, ad quam varijs doloribus, ærumnisque trahẽtibus, ab alijs quidem celeriùs, ab alijs tardiùs, sed tamen ab

Ps. 141. *In illum Psalm.* *Rom. 8.*

C omnibus ineuitabiliter peruenitur.

Pallida mors æquo, inquit Horat. *pulsat pede pauperum tabernas,*
Regumque turres. Et Boethius,
Mors spernit altam gloriam,
Inuoluit humile pariter ac celsum caput,
Æquatque summis infima,

1. Cor. 4 *Lib. 2. de Consolat. metro. 3.*

atque armata in omnes, aculeis peccati ad æternam damnationem transmittit.

Verum huius tã grauis, ac ærumnosæ seruitutis, & captiuitatis iugo pressis, maximã adfert consolationẽ, spemque libertatis Prophetæ, prædicẽs, ac promittens aduentũ MARIÆ Virginis, & Christi Domini ex eadem generis humani Redẽptoris. Audite ergo serui, attendite captiui: *Nouã rem creauit Dominus super terram.* Quam quæso? *fœmina circundabit virum*, ideſt, *nascetur fœmina, quæ* vt ait D. Hieron. *absque semine viri, absque vllo coitu atque conceptu, gremio vteri sui virũ circũdabit, qui iuxta incremẽta quidẽ ætatis per vagit*ꝰ*, & infantiã proficere videbitur sapiẽtia, & ætate, sed perfect*ꝰ *vir, in vẽtre fœmineo solitis mẽsibus cõtinebitur.*

Ierem. 31. *In c. 31 Ierem.*

Iam enim inde ab initio conceptionis Christus Dominus membris, & mẽte perfectus fuit, nullo deficiente ei, quod hominis integritati debetur, non anima, non mente, nec ipso libero mentis vsu. *Virum*, inquit D. Bernardus, *dixerim Christum Dominum, nõ solum iam cum diceretur vir, Propheta potens*

Hom. 2. sup. missus est.

tens in opere & sermone; sed etiam cũ tenera adhuc mẽbra infantis, Dei Mater blãdo, vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir ergo erat Christus, nec cũ etiã natus. Sed sapientia non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuũ, non corpulẽtia membrorũ. Neque enim minus habuit sapiẽtiæ conceptus, quã natus; paruus, quã magnus, æque plenus Spiritu Sãcto, latens in vtero, vagiẽs in præsepio, interrogans Doctores in tẽplo, docens in populo, ita D. Bernardus.

Hic ergo vir, quem mirabiliter circumdat vterus Virginis, captiuos è carcere redimit, seruos libertate donat. *Primum hominem,* ait Innocentius Primus, *ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentius frenis eius vtitur, in præuaricationẽ præsumptione concideret: neque ex hac potuit erui, nisi ei prouidẽtia regenerationis, statum pristinæ libertatis, Christi Dñi reformasset auctor. Hic,* inquit Ambros. *libertatem, quam primo illi Adã tribuerat, reformauit, vt esset hominũ genẽ, sine lege seruitutis.* Hæc autẽ libertas, nihil aliud est, quàm regni cupiditatis euersio, cui turpiter homo seruiebat: Principis tenebrarũ è cordibus credẽtium eiectio, cui pernitiosè subdebãtur; mortis denique, cui miseranda necessitate obnoxius est homo, destructio, ac beatæ immortalitatis hic quidẽ spes certa, post hãc verò vitã secura possessio. Tũc enim demũ suis numeris erit absoluta libertas, cũ & ipsa creatura, quæ hic vanitati subiecta fuerat, *liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Itaque gratię quidẽ libertate, qua seruitur iustitiæ, Christique liberatoris suaue iugũ portatur, hic vtrumque Dei beneficio fruimur; gloriæ verò libertas futuri seculi est, *cũ mortale hoc induerit immortalitatẽ, & corruptibile, hoc* corpus quod circũferimus, *induerit incorruptionẽ.* Tunc cõtinget expectata illa redemptio corporis nostri, ideſt, perfecta consummataque gloria, neque verò simplex libertas, *sed planè talis,* ait Chrysost. *vt non simus denuò ad priorem seruitutẽ reuersuri. Propterea enim,* inquit Ambros. *suscepit mortis seruitutẽ, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatẽ.* Quę omnia licet soli Filio tribuantur, pertinent tamen etiam ad laudem sanctissimæ Virginis Matris, cùm *nihil nos Deus habere voluerit,* inquit Bern. *quod non per Mariæ manus trãsiret.* Quã ergo gratus nobis debet esse aduẽtus Virginis, quàm iucunda natiuitas, cum quanta animi exultatione celebranda, quæ generi humano perdito, ac damnato talem, ac tãtum portauit, & protulit Saluatorem?

Duplici autẽ ratione Saluator hic è sanctissima Virgine nobis datus, ad recuperandã dictã libertatẽ nobis consuluit, vt Scripturæ, & Patres testantur, quarũ altera sita est in exẽplo, altera in Sacramento. Vt enim præclarè D. Augustinus. *Christus,* inquit, *passus & mortuus est, & resurrexit passione ostẽdens, quid pro veritate tolerare, resurrectione, quia in æternitate sperare debeamus; exceptа tamen altitudine Sacramenti, qua sanguis eius fusus est in remissionẽ peccatorũ; & quemadmodũ ait Apostolus, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Sic & D. Leo. *Saluator noster, vniuersis in se credentibus, & Sacramentũ cõdidit, & exemplũ, vt vnusquisque apprehenderet renascẽdo, alterius sequerentur imitãdo.* Hoc docet B. Petrus, dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquẽs exẽplum, vt sequamini vestigia eius; qui peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius; qui cũ malediceretur, nõ maledicebat, cũ pateretur, nõ cõminabatur: tradebat autẽ iudicãti se iniustè, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.* Quibus verbis Apostolus, ita commemorauit exemplum innocentiæ, & patientiæ Christi, vt tamen & Sacramentum diligenter expresserit, in eo, quod peccata nostra ipse Christus pertulit in corpore suo super lignum, ad eum effectum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus.

De quo rursum D. Augustinus. *Adã,* inquit, *in quo omnes moriũtur, præterquã quod eis qui præceptũ Dñi volũtate transgrediũtur, imitationis exemplũ est, occulta etiã tabe carnalis concupiscẽtiæ suæ, tabificauit in se omnes de sua stirpe veniẽtes; sic Christus in quo omnes viuificabũtur præterquã, quod se ad iustitiã exemplũ imitãtibus præbuit, dat etiã spiritus sui occultissimã fidelibus gratiã, quam latenter infundit, & paruulis; altissimo nimirũ mortis suæ Sacramẽto.* Et D. Leo. *Illa nobis currẽda est via, quã ipse Dñs se esse testatus est; qui nobis nullis operũ meritis suffragantibus, & Sacramẽto cõsuluit, & exẽplo, vt in adoptionẽ vocatos, per illud prouehoret ad salutẽ, per hoc imbueret ad laborẽ.*

Fuerũt quidem in Ecclesia, qui solo exẽplo, atque doctrina Christũ nobis profuisse putarent, vt Iudaizantes, Pelagiani, & alij Hæretici; Christianã religionem hac ratione conculcantes; nec cur Christus mortuus sit, & crucifixus, agnoscentes. Quid enim paruulis exempla, quid doctrina conferre possit? quos tamen regeneratos lauacro salutari, in regnũ cœlorũ admitti credimus; quo nemini aditus patere posset, nisi ianuã Christus suę crucis claue reserasset. Deinde quid antiquis Christus nõ paucis profuit iustis, quos neque in natura nostra docuit, neque exẽplo excitauit? atqui *& illi per gratiã Christi saluati sũt, sicut & nos,* teste Apostolo Petro. *Nõ enim quia secundũ inscrutabile cõsiliũ sapiẽtiæ Dei, nouissimis diebus Verbũ caro*

In epist. Cælest.

Lib. 3. in Luc.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

Ser. 14. in epist. ad Rom.

In Psal. 118. sermon. 18.

Serm. 3. in Virg. Nat.

Lib. 18. Ciuit. c. 49.

Mat. 26

Rom. 8.

Ser. 14. & 16. de pas.

1. Pet. 2

Lib. 1. de peccator. mer. cap. 9.

Serm. 5. de Epip.

Act. 15.

Ser.1.de Pass. & ser.3.de Nat. *caro factũ est, ideò*, inquit D. Leo: *salutiferæ Virginis partus, extremi tantũ temporis generationibus profuit; & non se etiã in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium verum Deum, omnis numerus apud priora secula sanctorum, sacra fide vixit, & placuit; & neque Patriarchis, neq; Prophetis neque cuiquã omnino sanctorũ nisi in redemptione Domini nostri IESV Christi, salus, & iustificatio fuit.* Sic ille.

Quid porrò toties nobis in diuinis literis, & apertè, & in vmbris, sacrificiũ Crucis, hostia, reconciliatio, pretium sanguinis, meritũ redemptio, aliaque eiusmodi commendãtur; si præter institutionem, & commonitionem exempli, nihil in Christi morte spectare debemus? Frustra D. Paulus in Epistolis elaborat, vt vim Crucis demonstret, & ad deleda peccata quæcumque commissa sunt? quod agit in Epist. ad Hebræos; & ad vires hominum infirmas recreandas, ne deinceps committantur, quod agit in Epist. ad Rom.

Deniq; nullum erit discrimen inter mortẽ Christi, & Sanctorum, quod tamen rectè, & admodum Christianè ponit D. Leo Pontif. ad Leonẽ Augustũ. *Quamuis*, inquit, *in cõspectu Domini multorũ Sanctorũ pretiosa mors fuerit, nullius tamẽ insontis occisio propitiatio fuit mũdi. Accepere iusti, non dedere coronas; & de fortitudine fidelium exẽpla nata sunt patientiæ, non donæ iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerũt, nec alterius quisquã debitũ suo funere soluit; cũ inter filios hominum solus Dominus noster IESVS Christus extiterit, in quo omnes Crucifixi, omnes sepulti, omnes etiam suscitati.* Sic Leo.

Epi.83. ca.4. & 87.c.2. Ser.12. de Pass. cap.3.

Imò ipsa exempli vtilitas, omnisq; fructus, sine Sacramẽti virtute cõstare non potest. Et qui sine Sacramenti operatione humilitatis, mutuiq; amoris virtutes è solo putent exẽplo posse elici, haud secus facere videntur, quã si aut sine fundamẽto ędificare, aut super inane pingere velint. Corruptis siquidem vitiatisq; antiqui serpentis veneno mortalibus, quælibet veritatis prædicatio, quantũuis excellens virtutis exemplum, odor est mortis in mortem, potiusque cum detrimento salutis, quàm cum iustitiæ fructu cognoscitur; si nõ altius misereatur per Crucis Sacramentum salutis auctor, captiuorum redemptor, & nostrarum medicus animarum.

Epi.189 ad Inno. Papam. Vnde benè D. Bernar. *Volo*, inquit, *totis nisibus humilem sequi IESVM; cupio eum qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro mẽ, quibusdam brachijs vtcariæ dilectionis amplecti; sed oportet me, & agnum manducare Paschalem; nisi enim manducauero carnem eius, & bibero sanguinem eius*, id est, vt ipse explicat, *nisi communicauero Passioni Christi, eiusque mortis particeps effectus fuero, non habebo vitam in memetipso.*

Ioan.6. in Ps.90 Vers.3. Ioan.6.

Panis enim hic est verus, qui de Cœlo descendit, & dat vitã mũdo. Hunc ergo panem, qui est ipse Christus Dominus de Sanctissima Virgine natus, diligenter cõparare studeamus, ipso monente, & iubente: *Operamini, nõ cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis.* Comparatur inprimis fidei, vnde ibidẽ subdit Dominus: *hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Cõparatur, supplici per eum ad Patrem effusa oratione: comparatur suaui, ac vtili passionis, & Crucis eius memoria; deniq; comparatur pio vsu Sacramẽtorũ, maxime Eucharistiæ, vbi non solũ Incarnationis, & mortis Christi efficimur participes, sed & ipsum incarnatum, & Crucifixũ corporaliter participamus. Hic panis, *calore Spiritus sancti exsiccat fõtes libidinũ*, vt ait D. Hieron. hic panis *ligno Crucis digerit inimicæ arboris venenatũ hausti*ũ, vt est apud S. Aug. Hic panis *læthalem omniũ vitiorũ digerit cruditatẽ*, vt affirmat D. Prosper. Deniq; hic panis robur, ac vires suppeditat, vt per vnam sanæ fidei, ac iustitiæ semitam in offensis gressibus ambulemus ad eam gloriæ coronam, quam Deus benè operantibus, & huius vitæ tentationes vsque in finem vincentibus præparauit in Cœlis, &c.

Ioan.6. *In Epist. Licinij Bætici. Epi.106 cõt. Col. cap.19.*

MONITVM VI.

PORta respiciebat ad Orientẽ, & erat clausa, & dixit Dominus ad me, *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniã Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Ezech. 44. Portam hanc, de qua loquitur Dominus ad Prophetam, Patres; Deiparam Virginem intelligunt, per quam Filius Dei ingressus est in hunc mundum, vt homines verbo; & conuersatione sua, in fide moribusque instrueret, passione, ac morte ab eterna damnatione liberaret. Porta hæc respiciebat ad Orientem, quia Virgo Sanctissima antiquam requirebat patriam, Paradisum, quem Deus conseuit in Edem ad Orientem; non gerebat affectum ad ista terrena, sed ad Cœlestia semper anhelabat; quamuis corpore versaretur in terra, animo tamen fixa Cœlo hærebat. Deinde, quia cum reliquis veteris Testamenti Patribus summo desiderio, atque amore tenebatur aduentus Christi Saluatoris, vt verus ille Sol iustitiæ oriretur in mundo, ad operandam salutem hominum in medio terræ. Vnde postquam audisset ab Angelo mysterium Incarnationis Filij Dei, in se iam iam complẽdum, maximo animi affectu, & gaudio, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Denique cupiebat vehementer eundem solem iustitiæ oriri in cordibus eorum, qui in tenebris,

Eze.44. *Luc.1.*

& in vmbra mortis sedebant, vt ea, & lumine veritatis illustraret, & charitatis igne accēderet. Quod futurum prædixerat Isaias Propheta; *Populus qui sedebat in tenebris lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Quod eis non fuisse concessum, ferò apud Sapientem deplorant impij, dicentes, *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

Isaiæ 6.

Sap. 5.

Ad eundem finem etiam Christiani ad Orientem versi orare consueuerunt: quem orandi ritum ab Apostolis traditum testantur Iustinus, Origenes, Basilius, & alij. Ob quam causam, & Gentiles credebant, solem esse Deum Christianorum, eumque ab eis adorari, vt testis est Tertullia. Tametsi abusus irrepserit, & superstitio, de qua D. Leo; *Sol*, inquit, *inchoatione diurnæ lucis exurgēs à quibusdam insipientibus de locis superioribus adoratur; quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multum tabescimus, & dolemus.* Diligenter admonens ab illo abusu, & superstitione penitus abstinendum. *Abijciatur*, inquit, *à consuetudine fidelium damnanda peruersitas, nec honor vni Deo debitus, eorum ritibus qui creaturis deseruiunt, misceatur. Vtere, quomodo vtendum est, creaturis visibilibus, sicut vteris terra, mari, Cœlo, aere, fontibus, atque fluminibus, & quidquid in eis pulchrum atque mirabile est, refer ad laudem, & gloriam Creatoris, & toto mentis affectu illud lumen amplectere, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.*

Li. 4. q. 118.

Hom. 5. in Num.

de Spir. San. 27

in Apol. cap. 16.

Serm. 7. de Nat.

Ioan. 1.

Abiecta ergo hac superstitione rectè obseruatur à Christianis ritus ille precandi ad Orientem, vt ad exemplum Sanctissimæ Virginis significent, se ærumnosæ huius peregrinationis pertæsos, antiquas quærere sedes, ex quibus peccati merito exturbati eramus: ardenterque expetere, vt Christus Dominus, *qui Sol iustitiæ, & Oriens* in Scripturis appellatur, orietur in cordibus hominum qui in densis errorum, ac iniquitatem tenebris versantur. Sciunt etiā Christiani, Christum facie ad occidentem versa esse Crucifixum, quem *aspicientes* (iuxta præceptum Apostoli) *per patientiam currunt ad propositum eis certamen*, ab eo opem, salutemque omnem petentes, ac expectantes.

Mala. 2

Zach. 3. & 6.

Dæmas. Libr. 4. cap. 13.

Heb. 12.

Porta hæc, inquit Dominus ad Ezechielem, *clausa erit, non aperietur*; Significatur perpetua B. MARIÆ Virginitas, *quæ tanta fuit*, ait D. Hyero. *vt etiam ipse Ioseph Virgo fuerit per MARIAM, vt ex Virginali cōtugio Virgo filius nasceretur; si enim in virum Sanctum non cadit fornicatio, & aliā eum vxorē habuisse non scribitur; MARIÆ autem quam putatus est habuisse, custos fuit potius, quàm maritus,* (*spes enim commiscē-*

cēt. Hel.

A *dæ carnis per prolē Christum ab Ioseph ablata fuit*, inquit Augustin.) *relinquitur, Virginem permansisse cū MARIA, qui Pater Domini meruit appellari.* In eiusdem etiā perpetuæ virginitas testimonium, inquit Hyerō. à Domino Virgine, Mater Virgo, Virgini discipulo commendatur, cùm discessurus ex hoc mundo, tanquam bonus filius curam Matris gerens, custodem ei, ac prouisorē designaret, Ioannem videlicet, quem ea de causa plus cæteris à Christo amatū scribit Aug. quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte ætate castissimus semper vixerit.

Li. 5. in Iul. c. 9.

Li. 2. in Iouini.

Tra. vl. in Ioan.

Oppugnauit hanc Sactissimę Virginis perpetuam Virginitatē Iouinianus hæreticus, qui nescius Scripturas, neque virtutē Dei, B dicebat MARIAM pariendo fuisse corruptam; extimabant enim impossibile esse, in veri hominis partu Virginem integram permanere. *Verùm si vel per nascentem*, ait Aug. *corumperetur Matris integritas, falsò (quod absit) Christum de Virgine natum tota confiteretur Ecclesia; falsò Isaias cecinisset Virginem parituram. Sed ipsa virtus*, inquit alibi, *per inuiolatæ Matris Virgine à viscera, mēbra infātis eduxit, quæ postea per clausa ostia mēbra iuuenis introduxit. Hic si ratio quæritur, nō erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus, tota ratio facti, est potentia facientis.* C

Enchir. cap. 34.

Epist. 2. ad Volu.

Lib. 14. Ci. c. 26

Imo visum sibi fuisse delarat Aug. quod etiam in statu iunocētiæ, tametsi fuisset sexuum commixtio ad procreandam prolem, partus tamē citra integritatis corporeę violationem extitisset. Et ibidem refert de annulo, qui omnino integer excedit, zona quoque cui alligatus erat, omnino integra permanente, & cùm suis nodis firmissimis astricta. Et subdit; *Non credunt hoc, qui etiam Dominum Christum per integra Virginalia Matris enixum, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt.* Nouo ergo atque admirabili prorsus modo de Virgine editus est in hanc lucē Saluator. Sine libi- D dine fuit conceptus, sine dolore matris genitus, sine viri opere venit in vterum, sine obstetricis obsequio venit in mundum. Ipsa eū Mater in præsepio reposuit, ipsa eum pannis inuoluit; tam à solita parientium infirmitate in partu libera, quàm ab omni corruptione, in conceptione aliena.

Lib. 22. cap. 8.

Synod. Ephes. 1 in Epist. Synod. Fulg. in Serm. de la. Ma. Da. lib. 4. ca. 15.

Ber. hō. 5. Supe. Miss. Hye. cō. Heluid.

D. Ambros. tractans hanc Scripturā Ezech. *Quæ*, inquit *est hæc porta nisi MARIA? ideò clausa, quia Virgo. Porta igitur MARIA, per quā Christus intrauit in hūc mūdū, quā do Virginali fusus est partu, & genitalia Virginitatis claustra nō soluit. Mansit intemeratum septum pudoris, & inuiolata integritatis durauere signacula, cùm exiret ex Vir-*

De inst. vir. c. 7.

Virgine, cuius celsitudinẽ mundus sustinere
Epist.81 *non posset*. Et rursum: *Quid incredibile, si contra vsum originis naturalis peperit MARIA, & Virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit, & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem quòd Virgo peperit, quando legimus, quòd petræ vomuit aquas, & in montis speciem maris vndæ solidata est, &c.*

Serm.2. Sic & D. Leo, *Humano vsu, & consuetudi-*
de Nat. *ne, quod credimus, caret; sed Diuina potestate subnixum est, quòd virgo conceperit, quòd virgo pepererit, & virgo permanserit. Non hic consideretur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo factus est, vt volebat, & poterat. Si veritatem quæris, humanæ naturæ agnosce materiam; si rationem scrutatis originis, virtutem confitere diui-*
Eod.loc. *nam.* Et iterum. *Oportuit, vt primam genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, diuini spiritus virtus infusa seruaret, quæ venerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiæ dona-*
In serm. *re virtutem.* Denique D. Fulgentius; *De cœ-*
de laud. *lis medicus transiens per Virginem*, inquit,
B. M. *post transitum suum illæsam fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in alijs poterat integrare tangendo, quantò magis in sua Matre, quod inuenit integrum, potuit non violare nascendo? Creuit enim eius partu integritas potiùs quàm decreuit, & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.*

Oppugnauit eandem Sanctissimæ Virginis virginitatem perpetuam Heluidius hæreticus, dicens eam post Christum alios, ex
Cont. Helu. de Hæresib. Ioseph peperisse filios, vt author est Hieron. & August. Contra clarissimam Ezechielis Prophetiam; *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per illam, quoniam Dominus Deus ingressus est per eam.* Nobilissimo enim hoc fructu fœcundata virginitas aliam prolem non petiuit, & quæ de Spiritus Sancti obumbratione omnis puritatis peperit authorem, carnis illecebras non quæsiuit; *sed inde purgationem traxit*, in-
Serm.2. de Nat. Hæres. 78. quit D. Leo, *vnde concepit, & tantæ prolis protectione, incorrupta semper Virgo permansit. Si rectè*, ait D. Epiphan. *in Scripturis Christus Leo dicitur, profectò, & genitricem ipsius Leænam dixerim; vnde enim omninò gignetur Leo, si non Leæna mater vocabitur? Leænæ enim non contingit secundus partus; ergo non amplius partum nouit MARIA, non amplius coniunctionem corporum sancta Virgo.*

In Apolog. pro libris Sic & D. Hieron. *Christus virgo, Mater virginis nostri, Virgo perpetua, Mater,*

A *& Virgo. IESVS enim clausis ingressus est ostijs; & in sepulchro eius, quod nouum, & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est. Hortus conclusus, fons signatus, de quo fonte illæ fluuius manat, iuxta Ioel, qui irrigat torrentem, vel funiũ, vel spinarum funium, peccatorum, quibus ante alligabamur, spinarum, qua suffocant sementem Patris familias. Hæc est porta orientalis, vt ait Ezechiel. semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens Sancta Sanctorum, per quam sol iustitiæ, & Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech, ingreditur, & egreditur*, ita D. Hieron.

Hinc & in Ecclesia Dei à perpetua Virgi-
B nitate consecuta est cognomentum: nam quantumuis Dei Mater esset, quo excellentior nullus est titulus; tamen nunquam nominari à maioribus consueuit sine superadditio cognomine Virginis; Vnde in hanc sen-
Hæres. 78. tentiam hæc Epiphanius; *Quis vnquam, aut quo seculo ausus est proferre nomen Sanctæ MARIÆ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem? Ex ipsis enim nominibus Epithetis etiam virtutis signa elucent; dignitatis enim appellationem acceperunt iusti, vnusquisque decenter, vt congruum* *Iacob.2.* *fuit: Et Abraham quidem impositum est epi-* *Gen.32.*
theton, amicus Dei, & non dissoluitur; Iacob *Marc.3*
verò, vt Israel vocetur & non alterabitur;
C *Apostolis Boanerges, hoc est, filij tonitrui, & non reliquetur; & Sanctæ MARIÆ vox, virgo, & non mutabitur, impolluta enim permansit, & sancta.*

Ad eiusdem rei confirmationem pertinet, quòd de voto virginitatis ab eadem Sanctissima Virgine Deo facto, ex Scriptura certò colligunt Patres. Cùm enim illa de futura *Lucæ 1.* prole concipienda, accepto nuntio, excipit de sui corporis integritate, dicens, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ne præter sententiam eam fuisse responsionem, & elusionem potiùs, quàm iustam exceptionem (quod omnino absit) dicere cogamur; eamde virginitate seruanda votum
D nuncupasse, fateri necesse est. Quid enim? *Ecce concipies*, ait Angelus. *Virũ non cognosco*, illa respõdit. Nihil certè ad rem nam post hæc cognoscere potuisset, ac cõcipere (quod dictum erat) in vtero. Verùm quàm maximè oportunè se nõ cognoscere virum excepit, quod impossibile existimaret, semel Deo deuota virginitate, se virum aliquando cognituram: alioqui nulla fuisset in ea admirandi, vel scisciti di leuis saltem occasio, quin promissis ab Angelo acquiesceret.

Non enim verum est, quòd affirmant hæretici, in consolationem damnationis suæ, qui violato voto castitatis in sordibus libidinum volutantur, voto facto nihil obligationis accedere, alioqui Apostolus Paulus *1.Tim.5*

non

non diceret, *damnationem illas habere, quæ primam fidem irritam feciſſent*, hoc eſt, inquit Auguſt. *in eo quod primò vouerant, non ſtetiſſent*. Neque D. Cyprianus eas quæ poſt votum, ſanctamque profeſsionem continentiæ, non ſibi à concubitu temperaſſent, *non mariti ſed Chriſti vocaret adulteras*, diſiungique præciperet, niſi cenſuram vellent Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſubire, & à fidelium communione ſeiungi. D. etiam Baſil. *Quando*, inquit, *aliquis ſe Deo ſemel auctorauit per continentiam, hoc detrectare non licet; nec aliter quam aliquod munus, aut hoſtiam Deo ſacram ſeſe illi cuſtodire; ne reos ſacrilegij nos Dominus accuſet, ſi dicatum ei corpus rurſus rebus profanis, aut communis vitæ miniſterio ſordidauerimus.*

Denique D. Auguſt. *Caſtitas*, inquit, *& ſi quæ alia ſunt, quæ rectiſsimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda ſunt: quæ ſine vlla conditione vouerunt, quia & hoc Dominum præcepiſſe intelligendum eſt, vbi legitur, vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Et de Ananiæ, & Saphiræ peccato, ac ſupplicio diſſerens, tandem ait; *Hoc attendat charitas veſtra; quia ſi diſplicuerit Deo, detrahere de pecunia, quam vouerant Deo, & vtique illa pecunia vſibus hominum fuerat neceſſaria; quomodo iraſcitur Deus, quando vouetur caſtitas, & non habetur. Vouetur enim ad vſus Dei, & non ad vſus hominum. Quæcunque autem hoc fecerint, voueriut talia, & non reddiderint, non ſe putent temporali morte corripi, ſed æterno igne damnare.* Sic Auguſtinus.

Videtis, quanam ratione Propheta Ezechiel, aduentum Sanctiſsimæ Virginis eiuſque caſtitatem perpetuam nobis prædixerit; vnuſquiſque illam in hac Scriptura, ſimilibuſque alijs vtiliter, ac ſuauiter contemplatur. Non ſequamur illos, qui librum, qui eidem Prophetæ demonſtratus eſt, ſcriptus intus, & foris in littera, ſeu quatenus ſcriptus eſt foris, tantummodo legunt, vel audiunt, ſed magna circumſpectione, & cura adnitendum eſt, vt intus, in ſenſu, ſpiritu Dei viui, à nobis legatur, & intelligatur. *Totum quidem quod legimus in diuinis libris*, inquit D. Hieron. *nitet, & fulget, etiam in cortice, ſed dulciùs in medulla eſt. Qui edere vult nucleum, nucem frangat, oportet. Nec oportet*, inquit S. Auguſt. *à ſegetis aſperitate abhorrere, ſed vellendæ ſunt ſpicæ, & tamdiù verſandæ manibus, contritæque purgandæ, donec ad eſcam ſpiritalem perueniatur*, cuius ſuauitate delectatus animus, nutriatur, ac foueatur, in vitam æternam.

(?)

De S. Virg. c. 33. 34. lib. 1. epiſt. 11.

In conſt. Monaſt.

Lib. c. 14. de adulite. Coniug.

Pſ. 75. ſer. 12. in nouis Serm.

Cap. 1.

In epiſt. ad Paulinum.

De Gēt. ad lit. libr. 1. cap. 20.

MONITVM VII.

ABſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & ipſe eſt mons magnus, & implcuit terram. Daniel. 2. *Bonæ ſunt in Scripturis Sanctis myſteriorum profunditates*, ait D. Auguſt. *quæ ob hoc teguntur, nè vileſcant: ob hoc quæruntur, vt exerceant; ob hoc aperiuntur, vt paſcant.* Et alibi; *Sunt quædam delitiæ ſanctæ in Diuinis eloquijs, ſunt quædam ſpiritualia gaudia, ex Verbo Dei, ex Scriptura aliqua ſtrutata, & inueſtigata, ex dulcedine inuentionis, quam præceſſit labor inquiſitionis.* Scrutemur ergo, & inueſtigemus hanc ſententiam Danielis Prophetæ; inquiramus, etſi cum labore, ac difficultate, quid ſignificet, quid contineat, vt in inuetione ſpiritualem in animo refectionem ſentiamus. *Abſciſſus eſt*, inquit, *lapis de monte ſine manibus.* Lapidis vocabulo, ac ſimilitudine frequenter in Script. ſignificari Chriſtum Dominum, plurimis earum teſtimonijs à D. Cyprianо confirmatur.

Conuenit autem pulchrè Chriſto ſimilitudo, & appellatio lapidis. Primò, ob eius humilitatem; lapis enim omnium pedibus conculcari ſolet, & ad humiliora loca naturaliter deſcendit, ac in illis conquieſcit. De Chriſti humilitate, ipſemet in Pſalmo, *Ego autē ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* De eadem eius Apoſtolus: *Exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem crucis.* De qua & D. Hieron. Pammachio, *Quantumcumque te deieceris, Chriſto humilior non eris.* Deinde propter ſoliditatem & firmitatem, quam & ipſe Chriſtus habet, vnde de eo dicitur, *Os non comminuetis ex eo*; & alijs etiam communicat; vnde de iuſtis Pſalmiſta. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non cōteretur, ſignificatur*, inquit Auguſtin. *fortitudo & patiētia Chriſti, eiuſque fidelium, quæ non frangitur, quælibet tormenta, quælibet tribulationes, quælibet aduerſitates huius ſeculi vndique ſæuiant.*

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur retonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conſcia
—— Conſeruat patientiam.

Ipſe Chriſtus lapis eſt fundamentalis, ſine quo nulla ſpiritalis ædificatio inchoari, nulla perfici, nulla ſtare poteſt. *Ecce ego*, inquit Dominus per Iſaiam: *mittam in fundamentis Syō lapidē probatū, pretioſū, in fundamēto fundatum.* Ipſe eſt petra, ſuper quam fundata eſt, & ſuſtentatur Eccleſia; ideoque nullo vnquam tempore, nullaque vi labefactari, & euerti poterit. Imò nec *portæ inferi*, id eſt, hæreſes, errores, ſcelera, impietates, quæ ad inferos ducunt, *præualebunt aduerſus eam*, ſpiri-

Dan. 2. Sent. 67. apud. Proſp. In Pſal. 38.

Contra Iudæos. lib. 2.

Pſal. 21.

Phil. 2.

Hier. ad Pāmac.

Ioā. 19. Pſ. 33. & ibi. S. Aug.

Iſai. 28.

Mat. 16

spiritali hac petra illam firmante, ac protegente. Denique ipse est *Lapis angularis*, vt
*Ps.*117. ibidem Isaias ait, de quo & Propheta Dauid, *Lapidem quem reprobauerunt ædificãtes, hic factꝰ est in caput anguli*. Sicut enim lapis angularis vtrumque parietem nectit, ita ipse duos populos, Iudaicum & Gentilem in se coniunxit. Vnde Apostolus Paulus. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & duos condidit in semetipso in vnũ nouum hominem.*
*Eph.*2.

Sed quomodo hic *Lapis abscissus est de monte sine manibus?* Non dubium significari hic admirandam Christi generationem ex Matre Virgine, sine vllo virilis seminis concursu, vti Hieron. & alij patres testãtur, de qua etiam intelligendum illud Prophetæ, *Generationẽ eius quis enarrabit?* vt D. Leo docet, dicens: *Natiuitas Domini omnia miracula, omnemque intelligentiæ rationem excedit.* Neque insolens est in Scripturis, generationem alicuius ex aliquo, præsertim mirabilem, ac supernaturalem, appellare excisionem è petra. Ita enim Isaias Propheta. *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, ex qua præcisi estis*, quam metaphoricam locutionem mox declarans subiungit, *Attẽdite ad patrem vestrũ Abraham, & ad Saram, quæ peperit vos.* Significans Isaac, ex quo progeniti sunt Iudæi, ex parentibus infœcundis, & ad modum petræ sterilibus, mirabiliter esse generatum; quẽadmodum Dominus, ac Saluator noster mirabiliter abscissus est de monte sine manibus, ideſt, vt Hieron. explicat, *Absque coitu, & humano semine de vtero virginali*, vel vt D. Augustin. *sine opere humano, sine maritali amplexu de virgine exortus est*, hinc ipse ad Patrem, *Tu es qui me extraxisti de ventre Matris*, ideſt, *Tu es qui singulari opere spiritus tui extraxisti me de ventre, absque vllius hominis opere, & permanente Matris integritate.*
*Isai.*53. *Serm.*3. & 10. de *Nat.* *Isai.*51. *Inc.*2. *Daniel.* *Tra.* 9. *in Ioan.* *Psa.*21.

Mons autẽ meritò dicitur virgo MARIA, propter singularem virtutum omnium excellentiam, quibus fuit ornatissima: vnde ab Angelo *plena gratia* salutatur. Aliter quidem quam Christus plena gratia fuit; is enim fons est plenissimus, vnde omnis gratia profluit, de cuius plenitudine omnes accipiũt, MARIA autẽ præ cæteris omnibus à filio suo Dei charismatibus abundauit. Fuerunt quidem, & alij montes sapientia, & sanctitate eminentes, vt Apostoli & Prophetæ; de quibus Dauid, interprete D. Augustin. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*, illi enim prius à Deo illuminati, reliquos omnes sua doctrina & prædicatione, Deo intus cooperante, illuminant. Vnde de illis Christus. *Vos estis lux mundi*, de quibus & Propheta Ezechiel, *Quod pascet Dominus oues suas in mõtibus Israel*, ideſt, in authoribus Scripturarum sanctarum, vt D. Augustin. explicat, *Quæ vberrima pascua sunt, vbi sunt castæ deliciæ cordis nostri, vbi nihil venenosum, nihil alienum, in quibus animus optimè pascitur veritatis pabulo, in quibus omnis morbus animæ suum habet medicamentum.*
*Luc.*1. *Ioan.* 1. *Psa.*75. *In Psal.* 75. & 35. *Matt.* 5 *Ezec.*34 *Tracta.* *de Past.* *cap.*11.

Verum multò eminentior mons D. Virgo, in qua tanta fuit virtutum sublimitas, vt non incongruè de ipsa intelligat D. Gregor. quod apud Isaiã dicitur, *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium MAIRA, quippe mons in vertice montium fuit*, inquit Greg. *quia altitudo MARIÆ supra omnes sanctos refulsit, imò meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit.* Sic & Germanus Episcopus Constant. *Deipara virgo Deum inuisibilem, & omnia manu sua continentem, vltra omnem & hominum, & Angelorum existimationem in ventre suo concepit, & ex se incarnatum genuit. Ob id eam, vt verè & propriè veri Dei Matrem veneramur, & magnificamus, & quauis visibili, & inuisibili creatura superiorem reputamus.*
Isaiæ 2. *In* 1. *Regum cap.*1. *In epist. ad Ioan. Episcop. Epistol. Synod.*7 *Act.*4.

Sed videndum, quomodo lapis iste creuerit in montem magnum, & Quomodo impleuerit terrã? Christus initio paruus fuit, quia à paucis cognitus; contemptus, & despectui habitus, propter carnis, quam induerat, infirmitatem, propter pauperem vitam, & humilem conuersationem, propter acerbitatem passionis, & ignominiam crucis. Creuit autem, non quidem secundùm gratiam, & gloriam animæ, quàm inde ab exordio, vsque sui conceptus tantã habuit, quantam nunc habet; sed creuit secundum gloriam corporis, quam habuit post resurrectionem, quando, iuxta visionem Zachariæ, depositis sordidis vestibus, indutus est vestimentis honoris & gloriæ, depositio corpore mortali, & miserijs obnoxio, corpus immortale, ac glorioſum recepit. Creuit etiam secundùm famam, & gloriam nominis sui, quod totò orbe celebratum est, de quo Paulus, *Exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et, *omnis lingua cõfiteatur, quia ipse est in gloria Dei Patris*, ideſt, eiusdem gloriæ, Maiestatis, essentiæ cum Patre. Et, *quod non sit in alio aliquo salus, nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Denique creuit in corpore suo mystico, quòd est Ecclesia, quam per vniuersum mundum diffusam & dilatatã cernimus, sicut in Scripturis promissum erat, *in Christo benedicendas omnes gentes, & dominaturum eum, vsque ad terminos orbis terrarũ.* Vnde & ipse mandauit Apo-
*Zach.*3. *Phil.* 2. *Actor.*4 *Gen.*22. *Psa.*71. *Luc.*24.

In Psal. 30. conc. 3. stolis, vt *prædicarent in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*, Dictum est Christo, *Oleum effusum nomẽ tuũ: Non enim*, inquit S. Aug. *illud tenuit in Ierusalem, quasi in vase, sed tanquam confractio vase, diffusum est per totum mundum.* Sic & D. Hieron. *Quam variæ nationes, linguis, habitu, vestibus, armis, velut muscæ, & culices cõterebantur: absque notitia enim creatoris sui, omnis homo pecus est. Nunc verò passionem Christi, & resurrectionem eius, cunctarum gentium, & voces, & litteræ sonant.*

Varijs autem modis Lapis iste repleuit terram. Primo prædicatione Euangelicæ doctrinæ, quæ per Apostolos, & discipulos eius toto orbe personuit, sicut prædixerat *Psal. 18. Act. 9.* Dauit: *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.* De solo Paulo dicitur, vt *portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Et diffundenda adhuc est in illas gentes ad quas nõdum peruenit, si quæ fortè supersint. Nam *Lib. 2. de voc. gent. c. 17. Aug. epist. 80. ad Esyc.* iuxta promissum Saluatoris *prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso mundo. Vnde si in extremis mundi partibus sint aliquæ nationes, quibus nondum gratia Saluatoris illuxit, non ambigimus etiam circa illas occulto Dei iudicio, tempus vocationis esse dispositum, quo Euangelium, quod nondum viderunt, audiant, atque suscipit*, inquit, D. Prosp.

Deinde impleuit terram scientia Domini: illa enim prædicatione, & doctrina hoc effectum est, Domino cooperante, vt mundus crederet vnum esse Deum authorem omniũ colendum; Deos autem, quos prius colebant homines, esse inania simulachra, & fallaces *Isai. 11.* dæmones; quod prædixerat Isaias, de aduentu Messiæ loquens, *Repleta est terra scientia Domini.* Priùs gloriabantur Iudæi: *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomẽ eius.* Et: *Annuntiat verbum suum Iacob, non fecit taliter omni nationi.* Nunc autem *spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Per Christum enim verus Deus à mundo cognitus, & glorificatus est, repudiato, abiectoque falsorum Deorum cultu.

De ciu. lib. 8. c. 9. & 12. *Ipsi olim Platonici*, inquit Augustinus, *qui de Deo summo, & vero senserunt, quod, & rerum creatarum sit effector, & lumen cognoscendarum, & bonum agendarum; quod ab illo sit principium naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ, nihilominus sicut cæteri Philosophi dijs plurimis sacra esse facienda putauerunt. Et qui ficta esse omnia, quæ de Dijs ferebantur, probè sciebant* (quod ex Ennij sacra historia facilè cognoscere poterat) *ex consuetudine tamen publica, quæ quoniam legibus erat confirmata, conuelli non poterat, & ni populos offenderent, idolis immolabant.*

De Seneca dicit Augustinus. *Colebat, quòd reprehendebat; agebat, quòd arguebat; adorabat, quod culpabat, videlicet, propter mores ciuium, legesque populorum.* Tandem verò impletum est illud Ierem. *Dij qui cœlum, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cœlo*; vt vnus deinceps honoretur Deus, author omnium, & conseruator. *Lib. 6. c. 10. ciuit.* *Iere. 10.* Qua propter dixit Christus Patri suo: *Ego te clarificaui super terrã.* Hoc etiã in Psalm. cecinit Dauid; *Replebitur Maiestate eius omnis terra.* Et: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Et Malachias de Christi aduentu vaticinatus est: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, &c.* *Ioan. 17* *Psal. 71* *Malac. 1*

Præterea repleta est terra odore virtutum, ac sanctitatis. Etenim vbi Christi doctrina innotuit, incredibili ardore hominum animi vbique terrarum, & gentium inflammati sunt ad colendas virtutes, etiam eximias, & singulares, nec tantùm antea inusitatas, sed etiam incognitas, & planè diuinas; vt sunt, *Continentia, vsque ad tenuissimum victum panis, & aquæ, & non quotidiana solũ, sed & per plures dies perpetuata ieiunia; castitas, vsque ad coniugij prolisq; contemptum; patientia, vsque ad cruces, flammasque neglectas; liberalitas, vsque ad patrimonia distributa pauperibus; ardens charitas, & summa pax, atque vnitas inter veros Christianos; deinde totius mundi aspernatio, vsque ad desiderium mortis:* & alia, quæ non solum, quia noua, sed etiam, quia supra humanæ fragilitatis vires esse videbantur, erant hominibus admirationi, stupori, miraculo. *Aug. de Vtilit. cred. c. 16. & seq.*

Deinde plenus fuit orbis prodigijs, & miraculis, quæ passim, & vbique, vel ab ipso Christo, vel ab alijs eius virtute, ac nomine, patrabantur: *Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus; aqua in vinum conuersa, saturata sunt quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortui resurrexerunt: homines vnius linguæ, vel vt multum, duarum lingui: omnium gentium locuti, claudus ab vberibus matris ad verbum in Christi nomine post 40. annos incolumis constitit; sudaria de eorum corporibus ablata, sanandis profuere languentibus; vmbra eorum transiens super ægrotos varios ordine positos, eos sanauit, & alia multa stupenda*, quæ in Christi nomine per Apostolos, alioſque sanctos, ad nostra vsque tempora facta sunt, & frequenter fiunt. *Augustin. ibid. & de ciuit. lib. 22. c. 3. & seq.*

Ad hæc abundare cœpit in terra desiderium, & expectatio bonorum cælestium. Christi namque fides docuit homines mundo neglecto, terrena despicere, & amare cæ-

lestia.

lestia. Et sanè admirandum fuit, in quibus rebus homines summum bonum, supremamque fœlicitatem suam collocabant, eas deinderes ab eisdem hominibus negligi, pro nihilo haberi, vltrò derelinqui. Pro adeptione autem cœlestium bonorum, quæ à sensibus longè remota, prius nec curæ, nec cordi erãt hominibus, cætera omnia bona, quæ præsentia, & ante oculos sunt, & suum decorem, ac delectationem habent, postponi; nullum recusari laborem, quævis adiri pericula, profundi etiam sanguinem, & mortem ipsam libenter, & gaudenter oppeti.

Adde, quòd per doctrinæ Christi prędicationem impleti sint hominum animi, metu, ac pauore iudicij futuri, quòd ipse Christus diligenter voluit mundo inculcari, vt testatur Apostolus Petrus. *Præcepit nobis prædicare, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorũ.* Quod præceptum exequens Apostolus Paulus, in prima sua concione ad Athenienses, *Statuit*, inquit, *diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate.* Et apud Felicem Præsidem disputabat, *de Iustitia, Castitate, & Iuditio futuro*, tanto rerum, ac verborum pondere, vt tremefactus Præses sermonem eius abrumperet. Maximo ergo terrore perculsus est mundus, cũ per fidem Christi cognouit, aliquando futurum, vt Christus ab omnibus, & singulis hominibus exactissimam rationem summa seueritate reposcat, omnium, quæ vnquam fecerint, dixerint, cogitauerint, ita vt etiam verba otiosa, & secretissimę animi cogitationes, intimique sensus, & appetitiones, tunc palam in notitiam omnium proferendæ, & iudicis Christi subtilissimo examine discutiendæ sint. De quo Sap. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, omne abscondit*ũ, *siue bonum, siue malum.* Et est sententia V. Bedæ, *Meminisse debemus, fratres, facta & cogitationes nostras, non in ventum diffluere, sed ad examen summi iudicis cũcta seruari; in fine nobis ostendenda, siue per amicos Angelos, siue per hostes.*

Insuper, repleuit Christus orbem reuerẽtia, & veneratione, non tantùm nominis sui, in quo *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum*, sed etiam Ecclesiæ suæ, cui dictum est ab Esaia, *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges corũ ministrabunt tibi, vultu demisso in terrã adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Et, *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*, idest, fidem, & mores suos component ad doctrinam, & præcepta tua, scientes dictum Ecclesiæ, *Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Et, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et iterũ dicitur Ecclesiæ, *Suges lac gẽtium, & mammilla Regum lactaberis, & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*; quo futurum significatur, inquit D. Cyril. Gentium, ac Regum opibus augendam, fouendam, defendendam, ac promouendam Ecclesiam. Quid enim adductis ad Christum Regibus dignius, atque honorificentius, quàm vt Christi Ecclesiam, matrem suam, cuius sunt filij, quæ illos in Christo genuit, gremio suo fouit, doctrinæ suæ lacte nutriuit, diligenter colant, ac venerẽtur, legibus, opibus, ac viribus omnibus propugnent, ac tueantur? *Aliter quis seruit Deo*, inquit D. Augustin. *quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, Deo seruit, viuendo fideliter, quia verò etiam Rex est, Deo seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo, non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam quæ ad diuinam religionem.*

Denique repleuit terram reuerentia, ac veneratione eius hominis, qui Vicarius ipsius est in terris, Summi, videlicet, Pontificis, quem vniuersus orbis Christianus, & Catholicus honorat, colit, ac veneratur; cuiusque responsa, & decreta, non secus, ac diuina oracula reuerenter, ac obedienter requirit, amplectitur, & obseruat. Audite D. Hieronymum ad Damasum Pontificẽ, ita loquentem. *Quoniam Christi vineam, per Orientem exterminauit vulpes, vt inter lacus contritos, difficile, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus, hoc est, Ecclesiæ veritas sit, possit intelligi: ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc animæ meæ postulans cibum, vnde olim vestimenta Christi suscepi, apud quam solam, profligato à mala sobole patrimonio, incorrupta Patrum seruatur hæreditas.* Similiter loquitur D. Bernardus ad Innocentium Põtificem, *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatũ pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippè huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est; ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua? Ego quod sequitur, à Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

De eiusdem authoritate, & potentia, ita D. Leo Romam alloquens, *Quamuis multis aucta victorijs, ius imperij tui terra, marique protuleris; minus tamen est, quòd tibi bellicus labor subdidit, quã quod pax Christiana subiecit. Et per sacram B. Petri sedẽ caput orbis effecta, latius præsides religione di-*

Act. 10.
Act. 17.
Act. 24.
Eccl. vltim.
Lib. 5. *hist.*
August. c. 15.
Phil. 2.
Isai. 60.
Isai. 49.
Isai. 60.
Mat. 18
Isai. 49.
Cyril. in Isaiam.
Epist. 50 *& cont. Cr. lib.* 3. *c.* 51.
In epist. ad Dam.
Rom. 1.
Ep. 190.
Luc. 22.
Serm. 1. *de Nat. Apost.*

Lib.2.c.6.devoc.gent. *diuina, quàm dominatione terrena.* Sic & D. Prosper; *Gratia Christiana non contenta est eosdem limites habere, quos Roma; multosquè iam populorum sceptro Crucis illa subiecit, quos armis suis ista non domuit. Quæ tamen per Apostolici sacerdotij principatum, amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.*

In histo. Trip. libr. 9. c. 7 Eodem modo, & Imperatores Romani Vicarium Christi coluerunt, ac venerati sunt; ex quibus Theodosius Magnus, vt alios omittamus, *Cunctos populos*, inquit, *quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus Religione versari, quam diuinus Petrus Apostolus Romanis tradidit, quamque Damasum Pontificem sequi claret.* Secutus in hoc Gratianum pium imperatorem, qui scripserat legem, qua præcipiebat, vt expulsi Pastores ad sua Ouilia redirent, sacræque Basilicæ eis traderentur, qui communionem Damasi sequerentur, vt refert Theodoretus. Sic, & Martianus Augustus Leoni Pontifici scribēs de conueniendis Episcopis ad certum locū: *Vt*, inquit, *quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas diffinuerit, sua dispositione declarent.* Audistis Prophetiam, vidistis in ea aduentum Sanctissimæ Virginis, & admirabilem Christi ortum ex ea, necnon, & varios fructus, ac multiplices vtilitates, easque insignes, & ampliss imas, quæ ex vtriusque aduentu ad nos profluxerunt. Nostrum erit singula quæque, tanquam munda animalia, diligenter ruminare, & cum animo nostro sedulo expendere, ac consideratione operū Domini, nos ipsos ad lætitiam spiritualem, amorem, gratiarum actionem, admirationem, similesque affectus excitare, quibus hic in spiritu deuotionis, ac pietatis foueamur, & proficiamus in vitam æternam.

Libr. 5. hist. c. 2. Tom. 1. Concil.

MONITVM VIII.

QVomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Lucæ 1. Colloquuntur in Euangelio hodiernæ festiuitatis duæ excellentes personæ, Archangelus Gabriel, & Sanctissima Virgo MARIA, non de rebus vanis, aut friuolis, sed de summo Religionis nostræ mysterio, Incarnatione, videlicet, filij Dei in ea tunc peragenda, qua inter opera Dei nullum maius, nullum sublimius. Ac Gabriel quidem pluribus legationem suam Virgini exponit, sed ad eam paucis MARIA Angelo respondit: idque inter eius virtutes numerat D. Ambros. Quod *esset legendi studiosior, loquendi parcior.* Quod etiam Sapiens commendat, dicens, *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.*

Lucæ 1.

Libr. de Virg. 2.

Pro. 10.

Prima ergo sententia, quam reddit ad verba Angeli, quibus eam filium Dei concep-

A turam in vtero, ac parituram annuntiat, his paucis verbis continetur, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Non quærit autem Virgo, Quomodo, quasi incredula de oraculo, incerta de nuntio, vti Zacharias, dicens, *Vnde hoc sciam?* vel Nicodemus, petens, *Quomodo potest homo nasci cùm sit senex?* vel Capharnaitæ, dicentes, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* *Quando*, ait D. Chrysost. *anima cogitationū vincitur febre, quando ambiguitatis iactatur fluctu, tunc quærit; cùm verò illa sana est, non quærit, sed fideliter credit.* D. Cyrill. *Quomodo*, inquit, *summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium Opificem Deū ita cōtemnunt, vt, Quomodo, in operibus suis dicere audeant, quem totius Sapientiæ largitorem esse non ignorant, quem omnia posse Scriptura nos docuit?* Et rursum: *Animus malignus quæcunque non intelligit, statim tanquam friuola, falsaque per arrogantiam eiicit, nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans, nec illis in mentem venit, nihil impossibile esse apud Deum. Nos autem cùm Deus operetur, non quæramus, Quomodo. sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Non enim sunt cogitationes meæ, vt cogitationes vestræ; nec sicut viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus; sed sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.*

Lucæ 1. *Isai. 55.*

Non ergo dixit MARIA *desperando*, Quomodo, vt alij, *sed inquirendo*, inquit D. Augustinus: sciebat enim certissimè euenturum, quod ex ore Omnipotentis Dei prænuntiabat Angelus; vnde inter cæteras laudes, præcipuè ab insigni fide commendatur ab Elisabeth, Spiritu Sancto plena: *Beata quæ credidisti.* Sed modum quærebat, quo res tanta, tamque admirabilis fieret, eo quod cum voto virginalis continentiæ, quod emiserat, pugnare videretur. *Legerat enim, quòd virgo conciperet*, inquit, Ambros. *non legerat, quemadmodum Virgo generaret.* Hoc primum Angelus in Euangelio aperuit. Plenam puritatis MARIAM, cura castitatis quam vnicè diligebat, primò tangebat, dum ab Angelo exaltanda prædicatur. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco:* id est, me non cognituram voui? quemadmodum id Sancti Patres explicant. Nisi enim virginitatem Deo vouisset, cogitasset, se viro coniungendam fore, cùm actus Matrimonij, ei qui non vouit castitatem, non sit prohibitus.

Ser. 111. in Nou. Ser.

Aug. super. nu. cap. 10.

Lib. 2. in Luc. 1. c. 1.

Lætissima audiuit ab Angelo, quòd conceptione, & partu filij Dei, nihil votum eius de seruanda castitate, impediretur. *Quid enim illa decoriùs*, inquit D. Bernard. *quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste*

Epist. 42

hoſte domeſticum, Angelum deniquè de homine facit? Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Et rurſum: *Differunt quidem homo pudicus, & Angelus, ſed felicitate, non virtute; & ſi huius caſtitas felicior, illius tamen fortior eſſe cognoſcitur:* quia in vaſe fragili portatur, & multos theſaurus ille, oppugnatores habet, & inſidiatores, contra quos difficulter, ac laborioſè defenditur. *Ibidem.*

In hanc ſententiam S. Auguſt. aſſertor nuncupati voti virginitatis MARIÆ, hæc ait, *Ipſa quoque virginitas eius, ideo gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quàm conſeruaret ipſe præripuit, ſed priuſquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua naſceretur, elegit: hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum annuntianti Angelo MARIA reddidit; Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profectò non diceret, niſi Deo Virginem ſe ante vouiſſet. Sed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro iuſto, non violenter ablaturo, ſed potius contra violentos cuſtodituro, quod illa iam vouerat. Quamquam etiam ſi hoc ſolum dixiſſet. Quomodo fiet iſtud, nec addidiſſet, Quoniam virum non cognoſco? non quæſiſſet vtiq; promiſſum, ſibi filiũ quomodo fœmina paritura eſſet, ſi concubitura nupſiſſet.* Hæc Auguſt. Latinorum Eccleſiæ Doctorum facilè Princeps, quem & cæteri complures ſunt ſecuti. *Lib. de S. Virg. cap. 4.* *Luc. 1.*

E Græcis nobiliſsimus Theologorum Gregorius Nyſſenus eadem conſtanter affirmat, cùm ait: *Si MARIA liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſeph; quomodo pariturum Angelo prænuntianti, ſe rem nouam, & alienam audire præſe tuliſſet, cum ipſa quoque ſeſe aſtrinxiſſet naturæ legi, vt aliquando Mater eſſet? Verum quia carnem Deo conſecratam, tamquam ſanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramquè præſtare; idcirco, licet,* inquit, *Angelus ſis, licet de cœlo venias, licet id quod oſtendis, naturam ſuperet humanam; tamen me virum cognoſcere nefas eſt, quomodo ſine viro Mater ero? Ioſeph enim ſponſum noui, ſed virum non cognoſco.* Hæc ille: cui cæteri Græcorum, qui de ea re egerunt, ſunt aſtipulati. *Orat. de Chriſt. Natiu.*

Hanc autem Virginem, cui hoc proprium eſt, quod cum fœcunditate Matris, virginitatis coniunxit honorem, numeroſiſsima Virginum agmina, iam inde à principio ſecuta ſunt, quæ ad illius exemplum ſuam virginitatem Domino, ex fide dicauerunt: voluntatem ſuam à bono propoſito valdè labilem hac ratione conſtringentes, felici quadam neceſsitate, quæ ad meliora compellit. Quò autem voluntas in bono propoſito eſt conſtantior, eò meliùs, ac gratius eſt bonum quod, ex ea proficiſcitur; ſicut & contra in malo, & non ſolum ipſum bonum opus, ſed & poteſtatem, ac libertatem ſuam Deo offerentes, nempè, ipſam arborem cum fructu; quod melius, quam ſolum fructum, deniquè hoc modo etiam ipſam concupiſcentiam minuentes: nam *plus ardenter ferunt libidinem*, inquit D. Auguſt. *quæ non deſperant eius voluptatem. Quæ autem caſtitatem Deo vouent, ipſam ſpem ſubtrahunt, quæ fomes amoris eſt: vnde facilius concupiſcentia refrænatur, quæ nulla expectatione ſuccenditur.* *Aug. epiſt. 45.* *De bono viduit. cap. 20.*

Quarum Virginum laudes ita expreſsit Cyprian. *Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atquè ornamentum gratiæ ſpiritalis. læta indoles, laudis, & honoris integrũ opus, atque incorrupum, Dei imago, reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti, gaudet per illas; atquè in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas, quantoquè plus copioſæ virginitas numero ſuo addidit, tantò gaudium matris augeſcit. At has loquimur,* inquit, *has hortamur affectione potius quàm poteſtate; vt quæ ſe Chriſto dicauerint, & à carnali concupiſcentia recedentes, tam carne, quàm mente ſe Deo deuouerint, opus ſuum conſument, magno præmio deſtinatæ.* Atque ibidem huius virginitatis excellentiam præ coniugali caſtitate demonſtrans: *Prima ſententia,* inquit, *creſcere, & generare præcepit; ſecunda ad continentiam ſuaſit. Cùm adhuc rudis mundus, & inanis eſt, copia fœcunditatis generante, propagamur, & creſcimus, ad humani generis augmentũ. Cui verò iam refertus, & impletus qui capere continentiã poſſunt, ſpadonũ more viuentes, caſtrantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, ſed hortatur; nec iugum neceſsitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberũ. Sed cùm habitationes multas apud Patrem ſuum eſſe dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat. Habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes, maioris gratiæ præmium in cœleſtibus obtinetis.* Ita Cyprian. Quibus illa ſunt apud Auguſtinum ſimilia, *Vnde,* inquit, *magnum, magniquè honoris, meritum apud Deum pia, & fidelis virginitas habet, niſi quia iſte iam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendum ſanctorum largiſsima ſuppetat copia, percipiendæ ſordidæ voluptatis libo, non ſibi vendicat, quod iam ſufficiẽdæ prolis neceſsitudo nõ poſtulat?* *De habitu, & diſcipl.* *Cyp. ibi.* *Gen. 1. & 9.* *Mat. 19* *1. Cor. 7.* *Mat. 19* *Ioan. 14.* *De Gene. ad lit. cap. 7.*

Eiuſdem extat præclara laus etiam apud Gentiles. Eſt hæc ſententia Naumachij, Ethnici antiqui, nobilis Poetæ: *Pulchrum ſanè eſt, corpus caſtum habere, intactamquè manere virginem, & puris ſemper cogitationibus delectari, nec onus circa laborioſa ilia geſtantem, neque dolores trementem ſuſpirioſos* *Vide Baron. to. 1*

sos Lucinæ, sed permanere, quasi Reginam imbecillium mulierum, oculum animæ splẽdidum ad eam vitam erigendo, in qua gloriosæ veræque sunt nuptiæ, vbi commixta diuinis verbis, lumine plenas meditationes parit. Et Augustum Imperatorem constat, ita simulatum cælibatum grauissima oratione, & edicto infectatum, vt tamen maxima cum æquitate, eos qui perpetuam colerent virginitatem maximis afficeret præmijs, vt Dio testatur. Laudat Constantinum Magnũ Imperatorem Eusebius, quod sustulerit leges Gentilium, contra infæcundos, & cælibes. *Quibus enim*, inquit, *non ipsorum volũtas, sed naturæ imbecillitas liberos denegauit, ij non supplicio, sed misericordia digni sunt; at diuinioris vitæ amatores, non aliqua pœna afficiendi, verum incredibili admiratione suspiciendi sunt.*

Dio. lib. 56.

Dio lib. 26. de vita Constant. li. 4. c. 26.

Quam autem laudabiliter votum continentiæ adiungatur, declarat D. August. his verbis. *Nulla carnis fœcunditas sanctæ virginitati, etiam carnis comparari potest. Neque enim, & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur; ac per hoc spiritalis est, etiam virginitas corporis, quam vouet, ac seruat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudicè vtitur corpore, nisi spiritus prius cõcepta nequitia, ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. Porrò autem si pudicitia cõiugalis, quamuis custodiatur in carne, animo tamen non carni tribuitur, quo præside, atque rectore nulli præter proprium cõiugem, caro ipsa miscetur, quantò magis, quantoquè honoratius in animi bonis, illa continẽtia numeranda est, qua integritas carnis, ipsi creatori animæ, & corporis vouetur, consecratur, seruatur?* hactenus Augustinus.

De S. Virg. c. 8.

Hæc est illorum Eunuchorũ præclara virtus, de quibus in Euangelio scriptũ est, quod *Seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum*, quòd non ob aliud dicitur, quàm quia sibimetipsis, vouendo, coniugij ineundi admere potestatem. De quibus, & Isaias eorũque præmijs magnificis præparatis. *Non dicat*, inquit, *Eunuchus, Ecce ego lignum aridũ, quia hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum & nomen melius à filijs, & filiabus, &c.*

Mat. 19

Isai. 56.

De quibus hæc Propheta locutus est, nisi de illis, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorũ? *Nã illis, quibus ipsum virile membrum*, inquit Augustin. *debilitatur, vt generare non possint, sicut sunt Eunuchi diuitum, & Regum, sufficit, vt hic cùm Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, eo tamen proposito sunt, vt coniuges, si possent, haberent, cæteris in domo Dei coniugatis ad-*

De S. Virg. c. 24. 25.

æquari: qui prolem licitè pudicequè conceptam, in Dei timore nutrirent, docentes filios suos, vt ponant in Deo spem suam; non autẽ meliorem accipere locum, quam est filiorum, atque filiarum. Neque enim vxores animi virtute, sed carnis necessitate, non ducunt. Sed qui pio proposito continentes, corpusque vsque ad contemptas nuptias castigantes, seipsos non in corpore, sed in concupiscẽtiæ radice castrarunt, cœlestemque, & angelicã vitã in terrena mortalitate meditati sunt: his locum gloriæ denuntiat Propheta in regno Dei sublimiorem cæteris præparatum, vti alio: meriti magnitudine superarũt. Æternum quippe nomen, quòd vtique gloriã quãdam propriã, excellentemque significat, Spadonibus Dei, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nã ideò fortassis, & nomẽ dictũ, quòd eos, quibus datur, distinguit à cæteris.

Hi sunt, igitur, *qui cum mulieribus, non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunque ierit*, nõ solum in humilitate, misericordia, patientia, mansuetudine, &c. in quibus, & coniugati boni (licèt non tam perfectè ob impedimenta vitæ secularis) sequi, seu imitari possunt, sed & in decore virginitatis, in qua illi, cùm eam amisserint, sequi eum non possunt, decantantque Canticum, quòd nemo potèst dicere, nisi illi, *Singulariter quippe Canticum agno cantare est*, inquit Gregor. *cum eo imperpetuum præ cunctis fidelibus, etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamẽ electi cæteri Canticum audire possunt, licèt dicere nequeãt, quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamuis ad eorum præmia non assurgant.*

Apoc. 14

August. ibid.

In Past. p. 3. ad mon. 29.

Fuerunt olim hæretici, vt Iouinianus, & alij, quibus & nostri temporis similes sunt, qui sacrarum Virginum meritum æquarunt pudicitiæ coniugali, eorumque sententiam tantùm valuisse in vrbe Roma scribit Augustin. vt nonnullas, etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio, nulla præcesserat, deiecisse in nuptias dicerentur. Contra quos D. Hieron. & Augustin. disputant. De quibus etiam D. Ambros. *Audio*, inquit, *homines, qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullam virginitatis gratiã, pari omnes æstimari pretio. Quæ istos Epicuræos noua schola misit? qui voluptatem prædicent delitias suadeant, castimoniam dicant nullius esse virtutis?*

Lib. 2. Retr. c. 22.

Cont. Iouin. de S. Virgin. Ep. 82.

Vtriusque status pretium, ac dignitatem ostendens D. Ignatius, *Virgines*, inquit, *subditæ estote Christo, in incorruptione, non execrantes nuptias, sed meliora deligentes, non in criminatione coniugij, sed propter legis medicationem.* Et S. Ambros. *Iure laudatur bona vxor, sed melius pia virgo præfertur,*

Ad Philadelph.

Ep. 81.

hæc

hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi. Illa coniugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum. Illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium per quod inuenta est posteritas humanæ successionis; sed melior virginitas; per quam regni cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio, per mulierem cura successit; per Virginem salus euenit.

Euseb. lib. 8. cap. 24. Ambr. lib. 3. de Virg.

Hinc tãtus olim fuit amor castitatis in virginibus, vt diuinitus instigatæ, sibi ipsis mortẽ consciscerent, quo infectatores suæ pudicitiæ deuitarent. Vnde etiã contra eastdẽ castitatis amãtissimas, illud indignũ erat à Gentilibus excogitatũ supplicium, vt interdum Leonibus traderentur, sicq; pudicitiæ dispẽdium paterentur, quòd scirent id illis esse acerbius quouis genere tormentorum, ipsaq; mortis pœnà crudelius. Hinc in eos Tertullian. *Proximè*, inquit, *ad Lenonem damnando Christianã potius, quàm ad Leonem, confessi estis, labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, & morte reputari.* Quã varijs autẽ modis huiusmodi fœminas præsentissimo amittendæ castitatis periculo expositas, à libidine vindicarit Christus Dominus earum sponsus, ex earum vitis est clarissimum.

In Apolog. c. vl.

Quantum autem Deo displiceat impedire velle propositum virginale exemplo terribili declarat D. Hieron. *Prætextata*, inquit, *nobilissima quondã fœmina iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij Virginis fuit, habitum eius, cultumq; mutauit & neglecti crimen mũdano more pexuit, vincere cupiẽs, & virginis propositum, & Matris desiderium. Et ecce tibi eadem nocte cernit in somnis, venisse ad se Angelum terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem; Tu ne es ausa viri imperium præferre Christo? Tu caput virginis Dei tuis sacrilegis manibus attrectare? quæ iam nunc arescent, vt sentias excruciata quid feceris; & finito quinto mense ad inferna duceris. Sin autem perseueraueris in scelere, & marito sinqul orbaberis, & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas, & pretiosissima ornamenta defendit.*

Epist. 7.

Lib. 1. de Virg. in fine.

De alia virgine narrat. D. Ambros. Cuius animum cum propinqui ad sæculares nuptias sollicitarent. *Quid*, inquit, *exquirendis adhuc nuptijs sollicitatis animum? Iamdudum prouisas habeo. Sponsum offertis? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, prædicate potentiam: habeo eum cui nemo se comparet; diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non prouidetis mihi, sed inuidetis. Silentibus cæteris, vnus abruptius; Quid, si, inquit, pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate: Et ideò fortasse defecit, ne quis impedimentum posset adferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum maturo sui probauit exitio. Ita cæteri eadem quisque mituentes, fauere cœperunt, quæ impedire quærebant.*

Ex quibus omnibus videre licet impietatem hæreticorum nostri temporis, qui vota Castitatis Deo facta reprobant, eaque impia, ac illicita esse affirmant, ne videlicet ipsi cogantur de effræni sua libidine in seipsis formidare, & apud alios erubescere; plurimi enim inter illos castitatem Deo promissam violarunt, & in cæno libidinum turpissimè volutantur. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*, ait Psalmista. Vbi D. Aug. *Quid tibi dicat Psalmus, attende; non dicit. Nolite vouere: sed Vouete, & reddite. Quia audisti reddite, non vis vouere? ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrumque fac. Vnum sit ex professione tua, aliud ex Dei adiutorio perficietur.* Et alibi: *Non te pœniteat vouisse, imò gaude iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* Felix, inquã, necessitas, quæ castitatem ad pietatem, & cultum Dei ordinat, quæ hominem plenius perfectiusque Deo subijcit, quæ voluntatem in bono sanctoque proposito roborat, ac confirmat, deniq; quæ faciliorem atque expeditiorem æternæ salutis parandæ adfert rationem.

Psal. 75 August. in eund. Psalm.

Epist. 15

MONITVM IX.

ECce ancilla Domini, *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. *Virtus obedientiæ, in rationali creatura, mater quodammodo est omnium custosque virtutum*, inquit D. Augustin. *quandoquidem sic facta est, vt ei subditum esse sit vtile; pernitiosum autem suam, non eius à quo creata est, facere voluntatem.* Quam virtutem hic sanctissima Virgo declarauit, quando intellecta summi Patris voluntate de concipiendo, & pariendo eius filio, sine mora promptam se ad obediendum exhibuit, dicens, *Ecce ancilla Domini.* Et sanè oportebat eam valdè excellere in obedientia, quæ Euæ inobedientiam erat abolitura; quæ obedientem Deum in lucem erat editura, de quo Apost. Paulus; *Factus est obediens* (Deo Patri) *vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et D. Lucas Euangelista, de eo; *Erat subditus illis*, videlicet, Christus parentibus. Rogat D. Bernard. *Quis? & Quibus? Deus, hominibus. Magister, discipulis. Patris Sapientia fabro, & fœminæ.*

Luc. 1.

De ciu. lib. 14. cap. 12.

Luc. 1.

Phil. 2. Luc. 2.

Hom. 2. super Miss.

Atque vt intelligatis, quàm vtilis fuerit

hæc obedientia Virginis, non ei ſolum, ſed & toti humano generi, fructum eius attendite; Qui fuit, mundi ſalus, ſeu, ipſe Saluator; ſtatim enim ad aſſenſum Virginis, Spiritus Sanctus omnipotenti ſua virtute, in vtero eius ex puriſsimo eius ſanguine carnem animatam effecit, vt iam inde ab initio Conceptionis Dei filius eſſet homo, membris, & mente perfectus. Vnde rectè Auguſt. *Solus ſine peccato eſt natus, quem ſine virili complexu non concupiſcentia carnis, ſed obedientia mentis Virgo concepit. Sola noſtro vulneri medicinam parere potuit, quæ non ex peccati vulnere germen piæ prolis emiſit.*

Lib. 4. de pec. merit. c. 29. ſer. 13. de Temp.

Blaſphemia fuit Neſtorij, qui D. Virginē Dei Genitricē fateri noluit; Quomodo poteſt Deus ab homine concipi, & naſci? Quomodo potuit fœmina octo verbis Deum in vtero ſuo deducere, eumque vtero circumdare? Sed ea blaſphemia grauiſsimè punita eſt, dum lingua priùs exeſa vermibus quà locutus erat blaſphemiam, & corpore toto putredine conſumpto ipſe infelicem animam exhalauit. Similis erat blaſphemia Conſtantini Copronymi Imperat, quam, & horribiliter puniuit Deus; Morti enim vicinus, in ſummis cruciatibus clamabat ſe propter MARIAM, quam blaſphemauerat, perpetuis ignibus addictum, tametſi eam deinceps volebat vt Deiparam honorari.

Euang. li. 1. c. 7. Theod. lect. in Collect. Cred. in Theod. Minore. Niceph. lib. 14. c. 26. Theophanes, & alij.

D. Auguſt. loquens de hoc myſterio; *Hic*, inquit, *ſi ratio quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe. In talibus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Sic & contra eos, qui putabant Deum ita infuſum carni, vt vni uerſi adminiſtrationem, vel deſeruerit, vel amiſerit; vel ad illud corpuſculum, quaſi contractam materiam collectamque tranſtulerit; *Nouit*, inquit, *Deus vbique totus eſſe, & nullo contineri loco. Nouit abire, non deſerendo, quo venerat. Nouit venire non recedendo, vbi erat. Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortaſſe nec credit.*

Epiſt. 3. Ibidem.

Sed nos de Obedientiæ virtute, quam ſanctiſsima Virgo hic oſtendit, & qua ſe totam Deo eiuſque voluntati ſubiecit, agamus pluribus, quibus nos ipſos ad eius imitationem excitemus. Dicit D. Auguſt. *Nihil tam expedire animæ, quàm obedire.* Certè ita laudatū eſt, vt dictum ſit, *Melior eſt obedientia, quàm victimæ.* Neque id de nihilo: *quia per victimam aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur*, ait Gregor. Sic autem neceſſaria eſt, vt ſine ea nihil placeat, quantumuis alioqui clarum videatur. Vnde *quamuis ſanctæ Marthæ actio, & ſanctior Mariæ contemplatio, pœnitentia, lachrymæ; ea tamen omnia in Bethania, id eſt, in domo Obedientiæ fieri debuerunt*, inquit D. Bern.

In Pſ. 70 1. Re. 15 Lib. 35. Moral. cap. 10. In ſer. ad Mili. Templi. cap. 13.

Proprium eſt Diuinæ ſublimitatis nullius ferre imperium, ſed cuncta agere proprio nutu, ac voluntate. Ea primum Angeli, deinde hominis ſuperbia fuit, tale quiddam ſibi arrogare; nempè viuere, omniaque agere pro ſuo arbitratu, ſibique ducem eſſe ad bene beateque viuendum; contemptoque ſuperioris imperio, non quod ille iuſsiſſet, exequi; ſed id ſequi potius quòd ipſi collibuiſſet. *Nam & animæ*, inquit S. Auguſt. *in ipſis peccatis ſuis, non niſi quandam ſimilitudinem Dei ſuperba, & præpoſtera, & vt ita dicam ſeruili libertate ſectantur*; ita vt primis parentibus perſuaderi non poſſet, peccatum, niſi diceretur, Eritis ſicut Dij. Quæ cauſa eſt, vt a veteribus rapere diuinitatem voluiſſe dicantur; non quod ſe pari potentia, aut ſapientia præditos eſſe, aut poſſe putarint; ſed quod ſubeſſe nemini, ſuoque more ad nullius præſcriptum vitam agere voluerint; quod eſt Diuinæ excellentiæ proprium. *Quid enim* (inquit Auguſt. loquens de primo homine) *illi deerat, vt tangeret, niſi quia ſua poteſtate vti voluit, præceptum rumpere delectauit, vt nullo ſibi dominante, fieret ſicut Deus, quia Deo vtique nullus dominatur?*

Iren lib. 3. c. 22. Vid. Leſ. de libr. Chriſt. Lib. 11. Ciu. c. 5. Vide in Confeſ. lib. 2. c. 6 In Pſ. 70

Quæ ſi eſſet naturæ creatæ, vel Angelicæ, vel humanæ cōditio, nulla ei ſuperbia foret, imperium pati nolle, & legum vincula recuſare, ſed naturæ ſuæ congruentem expetere, & conſeruare libertatem. At cùm naturam creatam, ipſi, quem effectorem, & moderatorem haberet, ſubiectam atque obedientem eſſe oportuerit; perſpicuum eſt eam tum ſeſe ſupra naturæ ſuæ modum erexiſſe, & pluſ quam capere poſſet, immoderato excellentiæ amore concupiuiſſe, cum nullius ſuperioris legibus paſſus eſt ſe contineri. Quo vitio etiam nunc fit, quod in libro Iob dicitur: *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.*

Vide etiā Bernar. epiſt. 11. Iob. 11.

Hæc autem ſuperbia, ait Ambroſ. *hominē prima deiecit, quia dum plus volumus, quam appetere par ſit: etiam quod minus eſt ſolemus amittere. Vnde iam captiuus homo clamat, Domine quis ſimilis tibi? Et ſtatim cogitans mala, quæ ex hoc libertatis appetitu incurrit; ſubdit. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes, multas, & malas. Quid mihi expedit, niſi eſſe ſub domino? & quomodo ero ſub domino, niſi fuero ſub præcepto? Volui eſſe peruersè ſimilis tibi, & factus ſum ſimilis pecori. Sed homo in honore poſitus, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quod nō ſolū propter moriendi neceſsitatem ſcriptum eſt, quam in mūdum, id eſt, genus humanum inuexit inobedientia, vt eam beſtiarum in morem pateremur, verum etiam propter vitioſos, ac brutos affectus, quibus ad pecorum ſimilitudinem, quæ

In Pſal. 118. ſer. 14. Pſal. 70. & ibidē D. Aug.

natu-

natura prona ventrique obedientia finxit, seruire homo cœpit; vt iam hoc videlicet,
Psal.31 audire debeamus, quod de Psalmo resonat, *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Eam ob rem diuinæ literæ deprauatum vitijs hominem, crebrò non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem fœminis, aut vulpeculam, aut iumentum, feram ve aliquam belluam vocare consueuerunt. Atque hinc omnino iuxta Salomonis sententiam *vnus exitus homini, & iumento. Quidni enim,* ait S. Bern. *similiter exeat, qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirũ si similem sortiamur exitum, qui & similem habeamus introitum? Vnde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali, ille tã intemperatus ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Itaq; homo in cõceptu, & ortu, in vita, & morte comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid? quod libera creatura,* inquit, *sibi subditum appetitum non regit, vt Domina, sed sequitur, & obsequitur, vt ancilla: nonne, & in hoc se assimilat, & annumerat cæteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocauit, sed condidit in seruitutem, suo vt veteri, & appetitui obedirent?*

Hoc ergo superbiæ vitium, cùm nos de tantæ felicitatis, tantoque honoris loco præcipites egisset, ruina hac iacuissemus oppressi,
Psal.68 nisi è cœlo Dei filius admirabili dignatione ad nos sese demisisset, qui exolueret, quæ non rapuerat, & nostram superbiam sua humilitate curaret. Quod enim ad ipsum attinet, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, cùm hoc vsque adeò ab eo non esset alienum, vt ei per naturam conueniret. Atque idem ille tamen nostræ libertatis terminans modum, ac superbiæ tumorem sanãs, dicit se de cœlo descendisse, *non vt suam, sed*
Ioan.6. *vt Patris faceret voluntatem.* Et, *Meus ci-*
Ioan.4. *bus est*, inquit, *vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quà virtute etiam illam quam sibi in Matrem delegit, cumulatissimè ornauit, ita vt auditâ
Lucæ 1. Dei voluntate, statim responderet; *Ecce ancilla Domini*; paratissima ad exequendum, quæcunque Diuina Maiestas iusserit.

Mat.16 Ac omnibus generatim Christus Dominus diligenter præcepit, seipsos abnegare; quo significatur, quod quisque debeat suam voluntatem, quam secundùm seipsum, id est, secundùm carnem habet, relinquere, vt sequatur voluntatem Dei. *Quid enim odit aut punit Deus, præter propriam voluntatem?*
Ser.3.de Resur. inquit D. Bern. *Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Et quisquam nostrum hoc poscet, vt à voluntatem Dei facienda sit im-

munis? *Ecce autem* (ait Cicero, citatus à D. Augustin.) *alij non Philosophi quidem, sed tamen ad disputandum prõpti, omnes aiunt esse beatos, qui viuunt, vt ipsi velint, falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, idem ipsum miserrimum; nec tam miserum est adipisci quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. Quid tibi videntur hæc verba,* inquit Augustin. *nonne ab ipsa Veritate per quemlibet hominem dicta sunt?* Idem Cicero dicit; *In legibus Reipublicæ vinculum, & libertatis fundamentum constitutum esse. Denique,* ait, *omnes legum serui sumus, vt liberi esse possimus? Hoc si Gentilis dixit, non erubesceret dicere Christianus. In libertatem à Christo vocatus sum, faciam quod volo?* Ita sane clamant hæretici, *Velamen habentes malitiæ libertatem,* vt D. Petrus: Et, *libertatem in occasionem dantes carnis,* vt S. Paulus ait.

Erant enim etiam tempore Apostolorum, vt author est Augustin. qui putauerunt hoc esse liberè viuere, vt tanquam de tanta redemptione securi, quidquid liberet, licere sibi arbitrarentur. Non attendentes, hoc nouum Testamentum esse, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, &c.* neque id per Christum sic esse impletum intelligentes, *vt de peccato damnarit peccatum, quod iustificatio legis impleretur in nobis. Neque intuentes,* inquit, Aug. *quod dictum est ab Apostolo Paulo; Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatẽ in occasione detis carnis.* Et quod ait Petrus: *Quasi liberi, non quasi velamen malitiæ habẽtes libertatem, sed sicut serui Dei.* Populum Christianũ vocat idem Petrus, *Regale sacerdotiũ,* seu, *Regnũ sacerdotale;* propterea quod regnum Christianorum, non in eo positum sit, vt nulli subsint, vel seruiant: sed Reges sint ob id ipsũ, quia sunt Dei sacerdotes, siue quia Deo se offerunt, atque subijciunt; *Verè etenim Deo seruire regnare est,* D. Prosp. *Et tunc est vera pax, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur,* inquit D. Leo. Et Boetij sententia est: *Vnus Dominus, vnus Rex, vnus & Princeps; qui frequentia ciuium, non depulsione lætatur. Cuius agi frenis, atq; obtemperare iustitiæ, summa libertas est.*

Ideoq; pro hac seruitute, tanquam pro vera libertate, sancti omnes aduersus veterem illam Diaboli, & ministrorum eius tyrannidem fortiter decertarunt. E quibus vnus Mathathias magna voce; *Etsi omnes,* inquit, *Regi Antiocho obediunt, vt discedat vnusquisque à seruitute legis Patrum suorum, & consentiat mandatis eius; ego tamen, & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.* Seruitutem quidem ille legis vocat, sed eam nisi veram esse libertatem existimasset, nunquam pro ea tuenda, relictis bonis omnibus, sæuissimo Regi Antiocho restitisset.

Apud Aug. epist.121. cap.5.

Pro Cluẽtio.

1.Pet.2.

Galat.5 De fide & oper. c.24. & 23. Ezec.36

Rom.8.

1.Pet.2

In epist. Demet. Ser.1.de Quadr. lib.1. de Consol. prof.1.

1.Mac.2

2.Co.3. De spiritu, & lit.c.16. *Vbi spiritus Domini*, ait Apostolus, *ibi libertas. Huius enim spiritus dono*, inq. Aug. *quo iustificamur fit in nobis vt nō peccare delectet, vbi libertas est: sicut præter hunc spiritū peccare delectat, vbi seruitus, à cuius operibus absti: nēdū, id est, spiritualiter sabbathizandū est.* Spiritus itaq; sanctus, qui *vbi vult spirat, cuius oculū non excludit cor clausum, & manū non repellit duritia hominū, sed soluit eam cū vult, & non est qui se abscondat à calore eius*, seruitute dejectā voluntatē erigit, dupliciq; constrictā peccati vinculo, solutā, & liberā reddit. Namq; à cupiditate seculi vitioso; amore, quo quasi vincta, & incuruata tenebatur, correctam immutatamq; primū liberat, vt amet veritatis, & iustitiæ bonu, quod detestabatur; errorē verò, & iniquitatē, quā amabat, execretur; quæ sanè *mutatio dexteræ excelsi est*; tum verò contractū ob priores offensas reatū soluit, charitatē infundens, vereq; filiū Dei, & amicum efficiēs, qui deinceps Patri cœlesti, eiusque præceptis lubens, atque alacris obtemperet.

Ioan.3. Lib.5. Conf.c.1 Psal.118.

2.Cor.3 Non est ergo quod de spiritu Dei glorientur impij tanquam liberi, quia dixerit Apolus, *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*; cuius prætextu homines asserunt in hac vita perfectos, & spiritu præditos libertatis, nō esse humanæ obnoxios obedientiæ, neq; ad vllius Ecclesiastici præcepti obseruationē obstringi; prorsus quid de Scripturis proferant, non intelligentes; ita enim non solum Ecclesiasticas, & Ciuiles, sed etiam Diuinas leges subuerteris. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas; quæ legem*, inq. S. Leo, *non timore exequitur, sed amore; obedientia enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur, quod iubetur.* Vnde & Cicero ex Gentili Philosophia cōmodè admodū dixit; *Hunc demū liberū esse, qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui viuendi via considerata atque prouisa est, qui legibus quidem nō propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare esse maximè iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique, nisi libenter, ac liberè.*

Ser.4.de ieiu.10. mens. In Paradox.

Quæ cùm ita sint, dicat fidelis anima cum sanctissima Virgine, *Ecce ancilla Domini*; dicat homo Christianus cum Dauide Propheta, *Seruus tuus sum ego*: & iure conditionis, & iure redemptionis obstrictus. Neque enim mihi benè cessit, quādo volui esse liber meus, non seruus tuus. Da mihi intellectū vt sciam facere, videlicet testimonia tua, id est, vt abnegata voluntate propria, tuam deinceps solius exequar voluntatem, eique me totum submittam. *Nec sei ipso quippè homo, diuina voluntate cōtempta, nisi peruitiosè vti potest*, inquit D. Augus. *atque ita discit, quid interfit, vtrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur. Se quippè amans donatur sibi, vt inde timoribus mœroribusque completus, cantet in Psalmo (si tamen mala sua sentit) Ad me ipsum anima mea turbata est; correctusque iam dicat, Fortitudinem meam ad te custodiam.*

Lucæ 1. Pf.118. ibi Aug. De Ciu. lib.13. cap.2. Psal.61 Psal.115.

Alio quodam Psalmo idem Propheta cum gratiarum actione sic gloriatur; *O Domine, quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Eodem titulo velut maximæ dignitatis gloriabatur Apostolus, sæpè in Epistolis repetens: *Paulus seruus Dei, Paulus seruus Christi. Humilitas quidem est Dei seruum se agnoscere. Sed est humilitas quæ ad eius diminutionem non proficit, sed ad gloriam. Dignitas enim est seruum esse potentis*, inquit D. Ambros. Eodem nomine gloriabatur S. Polycarpus antiquus Ecclesiæ Martyr; cùm enim iuberetur negare Christum, in eumque conuitia iacere; Respondit; *Octoginta, & sex annos illi seruio, nec me vlla in re læsit vnquam, & quomodo possum maledicere Regi meo, qui mihi salutem dedit?* Sanctæ Agathæ, nobili Virgini, cum diceretur à Prætore Quintiano, Nonne te pudet nobili genere natam, humilem, & seruilem Christianorum vitam agere? respondit ipsa verè, ac prudenter; *Multò præstātior est Christiana humilitas, & seruitus Regum opibus, ac superbia.* Hæc seruitus magnā attulit D. Hilarioni consolationem, cùm angeretur in exitu; *Egredere, anima mea, quid times? Egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta fere annis seruiisti Christo, & mortem times?*

Chrys. in cap.1. ad Rom. In 1.c.1. ad Tim. Euseb. lib.4. hist.c.15 In vita. Hieron. vit. Hil.

Lætissima discessit ex hac vita S. Monica mater Augustini, cùm filium prius mancipiū vitiorum, deinde non solùm Christianum Catholicum, sed & Dei seruum videret. Ita enim ipsa ad filium iam morti vicina; *Fili quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, iam consumpta spe huius seculi. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatiùs hoc mihi præstitit Deus meus, vt te etiam contempta felicitate terrena seruum eius videam. Quid hic facio?* Concludam Doctrinam hanc sententia Dauidis Prophetæ, qua quisque seipsum ad Deo seruiendum, eiusque voluntati, ad exemplum Sanctissimę Virginis obsequendum, vehementius excitare debet; *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum: Nam, & ipse Deus meus, salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius.*

Lib.9. cōf.c.10. Psal.61

MONITVM X.

BEata quæ credidisti, quoniā perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Luc.1. In Scrip-

Lucæ 1.

Scripturis sacris, duplici ex causa commendatur fides. Primò, quia firma ac fortis, siue quia de Mysterijs Religionis, etsi humanum captum superent, rectè quis sentit. Sic laudatur fides Abrahæ, quod contra spem in spem credidit: contra spem, quam habere poterat ex humanis argumentis, in spem, quam habebat ex diuinis promissis, credidit Deo dicenti, *Sic erit semen tuum.* De eodem dicitur, quod *non considerauit corpus suum emortuum, nec emortuam vuluam Saræ: sed confortatus fide dedit gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit Deus, potens est, & facere.* Non de impari conditione (ex viro enim, & fœmina solemnis est partus) sed de senili ætate, & Saræ sterilitate, mirabilis fuit Saræ partus. At Sanctissima Virgo, citò etiam de impari conditione, Angelo sancto credidit. *Quid enim tam impar, quàm Spiritus Sanctus, & corpus? quid tam inauditum, quàm Virgo prægnans, contra legem, contra consuetudinem, contra pudorem, cuius carior cura est Virgini.*

Rom.4. *Gen.17.* *Ibidem.* *Ambros. lib.2. in Luc. in cap.1.*

Non considerauit Virgo sanctissima, quòd natura non habeat, vt sine viri congressu concipiatur proles, vt virgo concipiat, virgo pariat. Non considerauit quòd nullus vnquam infans de Spiritu Sancto esset, & ex natiuitate sua, & conceptione totus esset Sanctus. Non considerauit, quòd nullus intellectus capere posset, quomodo Deus fieret homo. Non considerauit exiguitatem suam, nec peccata totius generis humani exundantia; apud Gentiles quidem per horribiles idololatrias, & spurcitias: apud Iudæos verò per cæcorum Pharisæorum falsas traditiones (quibus sana doctrina tantùm non erat obruta) & Sacerdotum ambitiones. Hæc omnia quæ videbantur humanæ rationi suadere, non esse vera quæ nuntiauit Gabriel, Deumque peccatis hominum offensum, hominem fieri nolle, non considerauit; *Sed confortata est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens*, quod dicebat Angelus, *quoniam non est impossibile apud Deum omne verbum.* Vnde & à muliere Sancto Spiritu repleta meruit audire, *Beata quæ credidisti.*

Hier. in Salut. Angel. *Luc.1.*

Sed quærat aliquis, cur interrogat, *Quomodo fiet istud*, si de facto non dubitat? D. August. *Quæstiones per quomodo, ex intentione dicit esse discernendas.* Christus docendi causa interrogauit, *Quomodo Dominus Dauid, esset filius Dauid?* Capharnaitæ autem, sicut & hodie Caluinistæ, interrogant, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* non credentes Deo modũ esse, quorem de qua quærunt, perficiat: MARIA interrogauit, sed credens futurum quod Angelus dixit, ac modum tantũ scire cupiens, quo res tãta fieret: præsertim quia eius intererat,

Pup. n. cap. 10. *Mat.22* *Ioan. 6.* *Lucæ 1.*

A eo quod id cum votõ virginalis continentiæ, quod emiserat, pugnare videretur. Nec tantum dum Dei filium concepit, fulgebat fide MARIA, sed prorsus per omnem vitã: *Conseruabat enim omnia verba* (vti habet Euangelium) fide, ea in corde suo pertractãs & ruminans, siue quæ ab alijs audierat de filio, siue quæ ipsamet videbat in eo, ac experta erat. Et dum discipulis, & Iudæis Christus scandalum esset, tempore Passionis, & Crucis, hæc *stabat*, non tantùm corpore, sed & mente, à fide, videlicet, immobilis iuxta crucem Domini; Quæ enim antequam Christum conciperet, didicerat thesaurum suum non influxis, terrenisque bonis, vel commodis collocare, non mouebatur à fide, per crucem filij, memor illius dicti Gabrielis, *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Vnde nec sollicita fuit cum alijs mulieribus, Christi sepulchrum accedere, sepultum vngere, resurrectionis eius certissima fide suffulta.

Lucæ 2. *Ioan.19* *Lucæ 1.*

Talis fuit Magorum fides in Christum infantem: *non videbant eum imperantem dæmonijs, non mortuos suscitantẽ, non cæcis visum, claudis gressum, mutis eloquium reformantẽ; sed infantem, quietum, silentẽ*, inq. D. Leo. De quibus, & D. Hilarius, *Quod aliud videbant, aliud intelligebant; aliud oculis, aliud animo conspiciebãt. Pauperem infantuli Matrẽ videbant, partũ à Deo credebant; videbant infantem vagientẽ, & pannis inuolatũ; Deum credebant, & protestabantur adoratione, & munerum exhibitione.* Talis fuit, & Petri fides ab ipso Christo laudata, *Beatus es Simon Bariona, &c.* ex qua ille dixerat, *Tu es Christus filius Dei viui.* Quem enim videbat in carnis infirmitate cæteris hominibus similem, confitebatur filium Dei æterno Patri æqualem.

Ser.7. de Epiph. lib.2. de Trinit. *Mat.16*

Talis fuit, & Latronis fides in Crucifixũ, quando dixit, *Memento mei Domine cùm veneris in regnum tuum. Quæ istam fidẽ exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit: Non viderat prius actami racula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorũ illuminatio, viuificatio mortuorũ, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt supplicij sui esse consortem*, inquit D. Leo. Talis denique est fides Catholicorum de Eucharistia; Formam panis videmus, carnẽ Christi esse credimus; vilis nobis apparet elementi species Dei filium adoramus. Non considerant Catholici quòd natura non habeat, vt idem corpus sit in diuersis locis; vt tam magnum corpus sit sub specie tam modici panis; vt accidens subsistat sine suo subiecto; sed firmiter credunt Verbis Dei, *operis verò sui viam atque scientiam*

Luc.23. *Luc.23.* *Ser.2. de Pass.*

illi soli concedentes, vt inquit D. Cyrill. *Quid verò Philosophorũ scientia scientiæq; præsumptio, magis ineptũ esse censeat, magisque ridendum, quam doctrinam Christi*, ait D. Prosp. *nisi spiritus Dei aspernatione subegerit superborũ, rationesq; illas, quæ ignotæ virtuti canina facundia repugnabãt, gratiæ suæ virtute destruxerit?* Prudẽter monet Apost. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiã.* Et eleganter Tertull. *Philosophi Patriarchæ hæreticorũ.* Et, *De Philosophorũ ingenijs omnis hæresis animatur.* D. Hieron. ad Cresiph. *Semper*, inquit, *habui studio, audientibus loqui, quæ publicè in Ecclesia didicerã, nec Philosophorũ argumenta sectari, sed Apostolorũ simplicitati acquiescere. Omnis infidelis*, ait D. Ambr. *infirmitatẽ animi patitur, constrictus carnali ratione, ne credat spiritali.* Arrius dixit, Quis vnquam nouit Patrem, qui prior tẽpore non fuerit filio? hac carnali ratione tenebatur, ne filiũ Patri coæternũ crederet. Dicebat Pelagius, Quomodo potest peccatũ Adæ transire in animã, quæ non est ex traduce? ita constrictus tenebatur, ne crederet peccatũ originale. Sic Nestorius, Quomodo, inquit, Deus natus est ex muliere, bimestris, & trimestris; nõ intelligens quomodo Christus esset filius Dei naturalis. Ratio carnalis Caluini, Quomodo potest idẽ corpus esse in diuersis locis sub specie tam modici panis? hoc vinculo tenetur, ne recipiat fidem Eucharistiæ. Quibus omnibus dicendum illud D. Aug. ad Iulia. *Quid quæritis humana ratione euertere, quòd in Dei Sapientia non potestis cõprehendere?* Et quod ait alibi: *Heu qualibus argumentis omnipotentiæ Dei contradicit humana infirmitas, quã possidet vanitas?* Omnis humana ratio inscrutabili potẽtiæ Dei cedere debet; nec respiciendum ad impedimenta naturæ, quæ diuinæ virtuti non possunt obsistere; sed quòd Deus verax sit in verbis, in factis omnipotens.

Lib. 4. in Ioan. cap. 13. *Cõt. Cel. cap. 29.* *Coloss. 2.* *lib. de anima, tit. 1. li. 1. cont. Martio.* *D. Hier. in epist. ad Cresi.* *In c. 1. 1. ad Timot.* *Cõt. Iul. De ciu. lib. 22. cap. 11.*

De Petro Abeilardo hæretico ita scribit D. Bern. *Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quàm ratione rationem conari transcendere? Et quid magis contra fidẽ, quã credere nolle, quidquid ratione non possit attingere? Deniq; exponere volens illud Sapientis; Qui credit cito, leuis est corde. Citò credere*, inquit, *est adhibere fidem ante rationem; cum hoc Salomon non de fide in Deum, sed de mutuo inter nos dixerit credulitate: Nam illã, quæ in Deum est, fidem, B. Gregorius negat planè habere meritum, si humana ratio præbeat experimentũ. Laudat autem Apostolos quòd, ad vnius iussionis vocem secuti sunt redemptorẽ. Scit nimirum pro laude dictũ. In auditu auris obediuit mihi; Increpatos è regione discipulos, quòd tardiùs credidissent. Deniq; laudatur MARIA quòd ratione fiue præuenit, & punitur Zacharias, quòd fidem ratione tentauit.* ita D. Bernard.

Exemp. 190. *Hom. 26 in Euãg.* *Hom. 5. in Euãg.*

Secundò laudatur fides, quia humilis, siue quia homo per fidem Dei Maiestatem, suamque vilitatem viuaciter considerans, se humiliat, sibique vilescit. Sic laudauit Dominus fidem Centurionis, qui tam humiliter credidit, vt diceret, *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum*, & eo ipso, quo se indignũ dixit, præstitit dignum. Quod imitatur Christianus cõmunicans, vti recte monet D. Chrysost. *Quando*, inquit, *corpus Domini & sanguinem manducas, & bibis, tunc Dominus sub tectum tuũ ingreditur, tu ergo humilians tei ipsum dicas, Domine non sum dignus, &c.* Laudatur eodẽ nomine etia fide Chananeæ, quam Canem appellauerat Dominus, nec ei panem filiorum esse proijciendum responderat; quem illa humiliter accipiens, dixerat: *Ita Domine, nam & catelli edunt, &c.* quæst. d. Canis sum, panem non peto, vt filius, sed micam, vt canis; *suscepit humiliter conuitium, & accepit beneficium, & quod assiduo clamore non impetrabat, humili confessione promeruit*, inquit August.

Mat. 4. *Ps. 17.* *Mar. vl. Lucæ 1.* *Au. ser. 6. de Ver Domin.* *Hom. 5. in diue. Script.* *Mat. 15.* *Aug. in Ps. 58.*

Eandem humilitatem ostendit Virgo Sanctissima, quando suam indignitatem, & vilitatem considerans, ait, *Ecce ancilla Dimini.* Et, *Respexit humilitatem*; seu potius vilitatem, abiectionem *ancillæ suæ, faciens mihi magna*, non quia id ego merita, sed quia *ille potens est, & sanctum nomen eius.* Eiusdem fidei ac humilitatis specimen aliquod dedit Magnus ille Ioannes Huniades, qui crebras, & insignes de Turcis victorias reportauit; is cùm ægrotaret, vt refert Pius II. noluit Dominicum ad se corpus deferri, *indignum esse dicens, serui domum intrare Regem*; sed iussit sese quamuis deficientibus viribus in Templum vehi, sibique de more Christiano confessus, diuinam Eucharistiam suscepit, atque inter manus sacerdotum Deo animam reddidit. Eiusdem etiam vmbram aliam habuit Henricus VIII. Angliæ Rex, etsi schismaticus, & caput omnium, & causa malorum, quæ regno olim tam Catholico contigerunt; Is cum paulò ante mortem communicaturus (Catholicam enim adhuc de Eucharistia habebat opinionem) de cathedra, in qua sedebat, assurgeret, vt flexis genibus corpus Christi adoraret; Sacramentarij autem astantes dicerent; posse Maiestatem suam in ista imbecilli valetudine sedentem, Eucharistiam percipere, respondit; *Si me non modo vsque ad terram deiicerem, sed & sub ipsam terram submitterem, ne sic quidem satis honoris huic sanctissimo Sacramento hi videret delaturus.* Ita scribit Sanderus.

De S. Virg. c. 42. *Lucæ 1.* *Æneas Silu. in descrip. Europæ. c. 1. & in Hist. Bohe.* *De Schis. Anglic.*

Laudatur igitur ab humilitate fides, atq; mag-

magna prædicatur, maximè si consideratione omnipotentiæ, ac misericordiæ Diuinæ, spem sedulam, preces deuotas, Deumq; præoculis tantùm habeat. De qua fide Saluator; *Luc.18* *Putasne, cùm venerit filius hominis, inueniet* *Mat.9.* *fidem super terram?* Et, *Fides tua te saluam* *Lucæ7.* *fecit.* Et de Centurione, *Non inueni tantam* *Mat.8.* *fidem in Israel.* Et ad Apostolos, *Quid timidi* *Luc.12.* *estis modicæ fidei?* nec non, & alio loco; *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti Trànsmigra, & transmigrabit.* *Mat.17* *Neque enim Centurio,* inquit S. Hieron. *&* *Cõt.Lu-* *Hæmorrhoissa, in Trinitatis Sacramenta cre-* *ciferia.* *diderant, quæ postea Apostolis manifestata sunt, vt meritò fides horum, quæ in mysterio est, laudaretur; sed simplicitas mentis, & Deo deuota anima approbata est.* Ex consideratione enim omnipotentiæ, ac misericordiæ *Mat. 8.* Dei, confidenter ille dixit, *Domine non sum* *Mat. 9.* *dignus, & c. tantum dic verbo, & sanabitur puer meus:* illa autem, *Si tetigero vestimentum eius tantùm, salua ero*; hæc est fides, quam raro in primo aduentu inuentam Christus pronuntiat; *Non inueni tantam fidem in Israel*, Quam etiam in secundo aduentu ra- *Luc.18.* rò inueniendam prænuntiat. *Filius hominis* *veniens, putas inueniet fidem super terram?*

Ibidem. *Ad orationem adsisto,* ait idem Hieron. *Non* *orarem, si non crederem; sed si verè crederem, illud cor quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius omitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc vero in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu sunt erubescenda, gero. Vbi est fides? Denique, conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quàm rarum sit fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extendens manum pauperi, Deo fœnerat; Vicina sunt vitia virtutibus. Difficile est Deo tantum Iudice esse* *Cõt.Lu-* *contentum,* ait D. Hieron. *ciferia.*

Mo.seq. Quàm humilis, & humanæ gloriæ fuerit contemptrix D. Virgo, alio sermone demõstrabitur. Quàm autem Deo fuerit deuota, quàm firma spe, quàm assidua in oratione, & gratiarum actione, quàm feruens in dilectione, quis explicet? Ex paucis quæ scripta sunt, cætera coniectare possumus. Reges, & iusti in veteri testamento valdè desiderarunt, & *Isai.44.* sperarunt aduentum Christi; vnde voces *Ps.84.* piorum: *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes. Rorate cœli desuper, & nues pluãt iustum. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Multò magis hæc Virgo; vnde eius oratio, quando Angelus incarnationem Filij Dei in ea peragendam declarauit: *Fiat mihi secundùm Verbum* *Lucæ 1.* *tuum.* Inuenit eam solam in penetralibus Gabriel Angelus, vtique orationibus, alijsque diuinis rebus intentam.

Festina ad Elisabeth iuisse describitur, *Ibidem.* quia propter orationis studium fugiebat publicum, diligebat secretum; sciens ipsam solitudinem, ac silẽtium magna cogitationum esse incitamenta. Cùm Elisabeth quid aliud totis tribus mensibus agit, quàm Dei beneficia suauiter, ac deuotè recolere? Et de ea aliquoties in Euãgelio dicitur, quòd *cõseruabat* *Lucæ 2.* *omnia verba hæc, & conferebat in corde suo.* Cõferebat, inquam, primò, quia animo ea diligenter pertractabat, deuotè contemplabatur, atq; instar mundi animalis, ruminabat. Deinde. *Quia sciebat Scripturas*, vt ait V. *In c.2.* Beda, *conferebat secum ea quæ nouerat à Pro-* *Lucæ.* *phetis scripta de Domino, cum ijs quæ sunt acta de Domino; & collata ad nutũ instar cœlestium Cherubin. socia sui vultus luce concordia cognouit.* Quantã verò deuotionẽ, quantam in Deum spem, quantumq; Dei amorẽ, ex continua huiusmodi contemplatione Dei & hominis MARIA cõceperit, conijcere potest is, qui nouit, quantùm etiam in peccatoribus valeat consideratio Dei incarnati, inter homines versantis, & propter eos morientis, vt erga Deum deuotio excitetur, spes erigatur, amor inflammetur?

Vt finem faciam; sit fides nostra ad exemplum Sanctiss. Virginis, humilis, considerando Dei Maiestatem, & nostram vilitatem, vt *humiliantes nos sub potenti manu Dei,* *1.Pet.5.* *exaltemur in tempore visitationis*; sit etiam firma, ac fortis, tametsi rationẽ superẽt, quę credenda proponũtur, quia *illa est laus fidei,* inq. D. Aug. *non visa credere; præmium erit,* *Sêt.260.* *intelligere, ac creditorum possessione gaudere.* Et iterum: *Fides eorum qui Deum visuri sunt, quod non videt, credit; nam si videt, non est fides; credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium.*

MONITVM XI.

EXurgens *MARIA abijt in montana cum festinatione, & salutauit Elisabeth.* Lucæ 1. *Duplex est humilitatis ratio,* inq. D. Prosp. *Vnà in confessione est gratiã Dei,* de *In epist.* qua monito sequenti; *Altera in communis* *ad Dem.* *vitæ versatur officijs, quibus, & Diuina clementia conciliatur, & societas humana conne-* *Phil.2.* *ctitur; quando iuxta doctrinam Apostoli, al-* *Rom.12.* *ter alterum superiorem existimantes, se inuicẽ homines honore, & obsequio præueniunt.* Quã humilitatem hic Sanctiss. Virgo ostendit; cũ Deo iam fœta, ad Elisabeth cognatã, ei congratulatura, & obsecutura properat,

Ambro. lib. 2. in Lucam. *non eam à publico virginitatis pudore; non à studio, asperitate montium; nō ab officio, prolixitate itineris retardante; & quæ propter officium venerat, quasi tribus mentibus officio inhærebat.*

Properat ergo MARIA ad Elisabet, iunior quidem ætate ad seniorem, *docens iuniores honorē deferre senioribus*, vt D. Ambros. monet; qui etiam alibi eius virtutes enumerans; hanc etiam recitat, *Assurgere maioribus nata*; attamen dignitate superior ad inferiorem, vt idem Ambros. notat. 1. Virgo inuiolata ad mulierem corruptam; quis autem nesciat, Virgines reliquis fœminis semper fuisse prælatas? Apud Romanos quidem *Virginibus Vestalibus*, vt refert D. Hieron. *Consul, Imperator, & omnis dignitatis gradus, de via cedere solitus est*; Easdem curribus tuorum Triumphantium insedisse, noxios fortè obuios, & ad supplicium condemnatos liberasse, legumque, & Capitalis sententiæ vim fregisse, sola virginitatis Maiestate comperimus.

Lib. 2. in Lucam. lib. de Virgin. *Lib. 1. in Iouinia. Vide Petrac. li. 2. c. 21. de Rom. V. Fort.*

Apud Christianos verò in quanto semper honore, ac pretio fuerint, Patres' testantur; *Virgines serua*, inquit Martyr Ignat. *vt pretiosa Christi monilia.* Et, *Eas, quæ in perpetua virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi Sacerdotes.* De ijsdem loquens D. Cyprian. *Flos est ille*, inquit, *Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, illustrior portio gregis Domini.* Et D. Hieron. *Flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, virginum chorus est.* Et ad Eustochium Virginem, *Nolo*, inquit, *habeas consortia Matronarum, nolo ad nobilium domos accedas. Disce in hāc parte superbiam sanctam: Scito te illis esse meliorem.*

In epist. ad Hier. ep. st. 13 De hab. Virg. In epist. ad Mar. Hier. ad Eustoch.

2. Mater Dei abit ad Matrem hominis; hinc enim ab Angelo plena gratia salutatur; quia vt D. Augustin. *sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, vt gratiæ repleretur author.* Dicitur etiam *benedicta inter mulieres*; benedictio autem mulierum est, vt filios pariant, sed quæ magnam habeat maledictionem coniunctam, cùm non sine pudenda libidine, & corruptione concipiant, nec sine graui dolore pariant, peccatores, iræ filios, ac æternæ damnationi obnixios; MARIA autem sine omni libidine, sine corruptione, sine vllo dolore peperit filium ab omni peccati sorde remotissimum, & peccatorum Saluatorem. *Quomodo enim in alijs peccatum destrueret, si ipse peccato subiaceret?* inquit Augustin. *& quomodo interuenire posset pro seruis, adstrictus legibus seruitutis?*

Ench. 37 *Enc. 108 De Trilib. 13. cap. 18. Emis. ho 6. de Pas In Psal. 118.*

3. Properat ab omni peccato integra ad illam, quę peccatis erat obnoxia; *Veni*, inquit D. Ambros. in persona Prophetæ desiderantis aduentum Saluatoris loquens; *Veni, & quære ouem tuam, iam non per seruulos, non per mercenarios, sed per temetipsum; suscipe me in carne, quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex MARIA, vt incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Testis quoque D. Aug. immunitatis eius ab omni peccato: qui de natura, & gratia, proferens viros fœminasq; sanctissimas, omnes docet fuisse peccatores, excepta hac Virgine, *de qua propter honorem Domini* (inquit) *nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionē; Inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Testis deniq; D. Bern. qui quærens cur in Euangelio de Martha, & Magdalena nulla fiat mentio Lazari? Respōdet; *Virginalem domum intelligi volens Spiritus Sanctus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum vtiq; comitatur. Absit enim, vt proprij quid quam inquinamēti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Iunior ergo ætate accessit ad seniorē, sed superior dignitate ad inferiorem, ei de dono à Domino collato congratulatura, ac seni, & prægnanti obsequium præstitura. Sublimioribus etiam virtutem humilitatis commendans; quam in ea ipsa Elisabeth admirans, ait; Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?

Lib. de Nat. & grat. c. 36. *Ser. 2. de Assu. mp.* *Lucæ 1.*

Quam humilitatis rationem, D. Virginē, per omnem vitam tenuisse, aliquod Scripturarum exemplis demonstrandum. Ad hanc enim pertinet, quòd Virgo illustris fabro desponsari, subijci, ac ab eo gubernari non recusauit, sciens *virum caput esse mulieris*, eamque proinde in omnibus obedientem se illi, ac morigeram præbere debere. Quod si omnes in Matrimonio constitutæ imitarentur, æquabiliùs sanè atque tranquilliùs sese res coniugales haberent, nec tot contentionibus, & litibus pax domestica turbaretur. D. Petrus ostendēs, in quo præcipuus sit mulierū ornatus; *Sic*, inquit, *aliquādo, & sanctæ mulieres ornabant se*, Sed quomodo? *subiectæ proprijs viris*? Istud ornamētum earum, subiectio, humilitas, obedientia. *Sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans*; ex maxima, scilicet, reuerentia, caput eum, & rectorem suum agnoscens. Sic & Monica se erga maritum gessit, etsi ferocem, ac infidelem; *Illa* inquit Augustin. eius filius, *satagebat, vt tu mihi Pater esses, Deus meus, potiùs quā ille, & in hoc adiuuabas eam, vt superaret virum, cui, veluti Domino, melior seruiebat; quia, & in hoc tibi vtique id iubenti seruiebat. Maritum habere Dominū, meruit mulieris non natura, sed culpa*, ait idem Augustin. *quod tamen nisi seruetur, de prauabitur amplius natura, & augebitur culpa.*

Lucæ 1. Mat. 1. Lucæ 1. Ephes. 5. 1. Pet. 3. Gen. 18. Lib. 1. Conf. c. 11. lib. 9. cap. 9. De Gen. ad lit. li. 11. c. 27.

Ad

[illegible] pertinebat humilitatem, quod [illegible] manibus non tenuerit. *Verisimile*
De Cōst. en[illegible]este [illegible]ani. *cum ambo* MARIA,
Mō.c.5. *& [illegible] homines essent iustitiæ, ac pietatis cultores, tenues tamen, neque necessarijs ad victum copijs satis instructi (quod ex præsepi intelligi potest, in quo venerabilis ille fœtus est fœtus) solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, & hac ratione sibi quotidianum victum quæritare. Porrò* IESVS *cum his (vt diuinæ literæ prædicant) esset subiectus, sine dubio, & in perferendis vna cum eis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam*: Vnde & apud Euan-
Mat.13 Mar.6. geliſtam, non ſolum filius fabri, ſed & faber appellatus eſt.

De vita Chriſti. *Pudor ille in vitio eſt*, inquit Iuſtinus Martyr, *vt vereamur, ſi ipſi manibus noſtris opus fecerimus, ne quis nos miſeros, & auxilio deſtitutos eſſe ſuſpicetur*. Vnde & in Concilijs
Conc. Agat. c. 36. Carth. 4. ca. 51. 52. *ſuadetur ipſis clericis rurale opus, & alia artificiola, quibus victum ſibi, ac veſtimentum præparent. Et Ægyptiorum Monaſteria*, teſte D. Hiero. *hunc morē tenebant, vt nullum abſque operis labore ſuſciperent, non tā*
In epiſt. ad Ruſt. Bar. to. 1 *propter victus neceſsitatem, quàm propter animæ ſalutem*. Imò apud Iudæos communis quædam lex præſcripta erat, vt qui ſacras literas profiteri vellēt, manuale quoddam opificium addiſcerent, quo victū quærerēt, & ne ad peccandū eſſent procliuiores. Vnde & Apoſtolus Paulus ſacris literis exculti ſsimus aliquod opificiū didicit, quod ad victū comparandū, cùm Euangeliū prædicaret, vbicūq; locorū exiſteret, exercebat.

Hæc Virgo antequam tantum filium pa-
Mat. 1. reret, quę iam ab Angelo & Eliſabeth didicerat ob humilitatis cuſtodiam, nec apud maritum iactabat, ita vt ille vidēs eam grauidam, ſuſpicaretur adulteram, ideoque, ne adulterij fautor videretur, eam dimiſiſſet, niſi cęleſti oraculo, myſterium edoctus fuiſſet. Nos ſane ſi quid fortaſſe boni habemus aut facimus, non humiliter celare, ſed ilico apud alios ſuperbè iactare conſueuimus, popularis auræ ſectantes inanitatem, inſtar in-
1. Re. 13. flati Saulis, qui obtentam à Ionatha filio victoriam, quaſi ſibi adſcribens, ac hominum plauſum captans, *Audiant*, inquit, *Hebræi*; aut inſtar ſuperbi Phariſæi, qui magno ani-
Luc. 18. mi faſtu virtutes ſuas cōmemorans, *Ieiuno*, inquit, *bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſsideo*. Quod vitium etiam à Gentilibus merito improbatur. Laudat hoc nomine Iugurtham Salluſtius, *quòd plurimum*
In bello Iurgur. *faciebat, minimū verò ipſe de ſe loquebatur*.
Li. 1. de bel. Gal. At vituperatur à Cæſare Arioviſtus, quod *ad poſtulata Cæſaris pauca reſpōderet, de ſuis virtutibus multa prædicaret*.
Libr. 3. Tuſc. q. Cicero etiam in Tuſcul. quæſt. *Laudabiliora*, inquit, *mihi videntur omnia quæ ſine*

A *venditatione, & ſine populo teſte fiunt; non quo fugiendum ſit; omnia enim benefacta in luce ſe collocari volunt; ſed tamen nullum theatrum virtuti maius conſcientia eſt*. Et Plinius ad Saturninum; *Qui benefacta ſua verbis adornant, non ideo prædicare, quia fecerint ſed vt prædicarent, feciſſe creduntur. Sic quod magnificum, alio referente fuiſſet, ipſo qui geſsit, recenſente vaneſcit. Homines enim cùm rem deſtruere non poſſunt, iactationem eius inceſſunt. Ita ſi ſilenda feceris, factum ipſum; ſi laudanda non ſileas, ipſe culparis*. Pulchre etiā Boethius; *Qui falſò prædicantur, ſuis ipſi laudibus neceſſe eſt erubeſcant. Quæ ſi etiam meritis conquiſita ſint,*
B *quid tamen Sapientis adiecerint conſcientiæ, qui bonum ſuum non populari rumore, ſed conſcientiæ veritate metitur? Minuit autem quodammodo ſe probātis conſcientiæ ſecretū, quoties oſtentādo factū, recipit famæ pretiū*.

Li. 1. epi

Libr. 3. proſ. 6. de con. Philoſ.

Ad hanc quoque ſpectat humilitatem, quòd ipſa ſola filio ſuo, ſine obſtetrice ac nutrice miniſtrauit, pannis eum inuoluens, reclinans in præſepio, atque exertis vberibus lactis alimenta ſubminiſtrans. Peccant ſanè matres, quæ ſine iuſta neceſsitate, proprios filios lactare dedignantur; vnde nō leuia incommoda ſubſequi ſolent. Præterquā enim quòd non leue periculum ſit, ne alantur negligentiùs, ob minorem nutricis affectum,
C quàm in matre eſſe ſoleat; inde ſępe accidit, vt natus infans, vel non viuat, vel debilior viuat, quia lac fugere cogitur naturæ ſuę nō conforme; qui ſi eodem corpore, quo eſt genitus, lactatus eſſet, & materni corporis calore fotus, robuſtus euaderet. Inde etiā fit, quod notat D. Ambroſ. *vt & mater filium, & filius matrem minus amet, vt pote generatione tantùm, non etiam lactatione filium ſe eſſe cognoſcens*. Creditur & in mores lactis permanere contagium, quemadmodum illa ſeu fabula, ſeu hiſtoria docet de eo, qui à nutrice lacte caprino paſtus, ſemper editiora, more caprarum, petebat: itemque de alio, qui ſuis lacte nutritus, velut amica lutoſus, ſemper in cæno, ac ſordibus volutabatur.
D Certè Suetonius referet, quòd *Cæſar Tyberius Nero, dictus ſit, Biberius Mero, ob niminm vini auiditatē, vitio nutricis. quæ vini nimis auida erat, eique infanti offas vinacias dabat*.

Luc. 2. Libr. 2. Abrah. cap. 7. Suetō. in vita.

Praua ergo conſuetudo, inquit D. Grego. *in coniugatorum moribus effecit, vt mulieres, filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque alijs mulieribus ad nutriendum tradant; quod ex cauſa videlicet incontinentiæ videtur inuentum, quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare, quos gignunt*. Olim enim mariti ad grauidas, aut lactantes fœminas non accedebant. Plutarchus gentilis ſcriptor, *Natura ipſa*, ait, *demonſtrat quod*

Ad interrog. Aug. c. 10.

De e lu. libero.

ma-

matres filios alere debeant, quæ cunctis animantibus, quæ pariunt, edito fœtu, lacis alimenta suppeditauit, & vbera velut fontes scatentes constituit.

Deniq; hæc Virgo cum fratribus, seu cognatis Domini, iuxta seculum vilibus & abiectis, conuersari non dedignatur; adest sedula & pauperculorum nuptijs, vbi vinum deficit, eisque in necessitate, sua interpellatione, præsentem opem tulit. *Qui despicit pauperem*, inquit Sapiens, *exprobrat factori eius.* Et monet Apostolus omnes Christianos; *humilibus* vt sint *consentientes*, id est, abiectis & inferioris sortis hominibus vt se accommodent. Et, *Diuitibus præcipit communicare*, id est, *benevolos, amicos, faciles, & absque fastu proximis se præbere, neminem despicere*, vt recte Theophyl. interpretatur. Solent enim diuites propter diuitias tumescere, ac pauperes præ se contemnere, fugere eorum conuersationem, colloquia, conuiuia. Imò Rectoribus huius mũdi dicit Sapiens; *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.* Et ijsdẽ Christus Dominus in Euangelio, *Qui maior est in vobis*, dignitate; *fiat sicut minor*, humilitate, *& qui præcessor est*, officio; *sicut ministrator*, obsequio.

Quanto magnus es, inquit Sap. *humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Mensura humilitatis*, inquit D. Augus. *cuique ex mẽsura ipsius magnitudinis data est; cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* Vetat Apostolus Iacobus, *habere fidem in acceptione personarum*; quod duobus modis fieri, ab eodem Augus. docetur; vno, *quando quis eligit diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere, instructiore & sanctiore. Altero modo, quãdo quis ita apud seipsum iudicat, vt ei tantò sit melior, quantò alio ditior esse videtur. Ab sit vt in tabernaculo Domini, præ pauperibus accipiãtur personæ diuitũ, aut præ ignobilibus nobiles, quando potius infirma mũdi elegit Deus*, vt D. Paulus ait. Et D. Iacobus, *Nonne Deus elegit pauperes in hoc seculo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem.*

De eadem humilitate præclarè D. Hiero. ad Celantiam nobilem Matronam; *Nulli*, inquit, *te vnquam de generis nobilitate præponas, neq; obscuriores quasq; & humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec cõditiones hominum. Sed animos inspicit singulorum. Seruũ, & nobilẽ de moribus pronuntiat; sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: summa apud Deum nobilitas est, clarũ esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro? qui piscator & pauper fuit? Quid in fœmnis beata MARIA illustrius? quæ sponsa fabri describitur, sed illi piscatori & pauperi cœlestis regni a Christo traduntur claues, hæc sponsa fabri meruit esse Mater illius, à quo ipsæ claues datæ sũt. Elegit enim Deus ignobilia, & contemptibilia huius mũdi, vt potẽtes & nobiles ad humilitatẽ faciliùs adduceret. Charitas*, inquit Apostolus, *non est ambitiosa*, seu, vt legit D. Chrysos. fastidiosa, id est, neminẽ fastidit, nullũ despicit, etiã miseros ac miserabiles, pauperes & debiles, pannis, annisq; obsitos, amat, fouet, cõplectitur. De D. Virgine dicit Ambro. *Quãdo illa fastidiuit humilem, quando derisit debilem, quando vitauit inopem?*

Produnt historiæ de Gallicano, viro Cõsulari, Triumphalibus insulis sublimato, & Constantino, cuius & gener erat, admodum charo, quòd ad Ostia Tyberina secedẽs, hospitalitati & infirmorũ seruicio totũ se dedit: cuius rei fama toto orbe diuulgata, multi illuc vndiq; veniẽtes, videbãt virũ ex Patritio & Consule lauantẽ pauperũ pedes, ponentẽ mensam, aquã manibus effundentem, languentibus sollicite ministrantẽ, & cętera pietatis officia exhibentem. De Sanctissima fœmina Placilla Imperatrice, vxore magni Theodosij Imper. ita scribit Theodoret. *Nõ Imperatorio Principatu se insolenter extulit. Sed diuitũ, quos flagrabat desideriũ, augere studuit. Ad eos sublevandos, qui mutilata corpora, membraque omnia labefactata haberent, nihil non diligẽtiæ & curæ adhibuit, atque ad eam rem non seruorum, seu stipatorum opera vsa est, sed illa ipsa hoc fungi ministerio, adire eorum hospitia, & singulis necessaria suppeditare voluit. Similiter quoque Ecclesiarum hospicia visere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, iusculum gustare, patinã illis deferre, frangere panẽ, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munia obire, quæ serui & ancillæ exequi solent.*

De Fabiola nobili Romana narrat D. Hieron. quòd *prima omnium Nosocomium instituit, in quo ægrotãtes colligeret de plateis, & consumpta languoribus, atque inædia miserorum membra foueret. Describam ego nũc diuersas hominum calamitates, truncas nares, effossos oculos, semustos pedes, luridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia, & de exesis, ac putridis carnibus vermiculos bullientes? Quoties morbo regio & pedore confectos, humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu; & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat. Scio multos diuites & religiosos ob stomachi angustiam exercere huiusmodi misericordiã per aliena ministeria, & clementes esse pecunia, nõ manu;*

Pro.17. *Ro. 12.* *1.Ti.6.* *In illum locum Apost.* *Ecc.32.* *Luc.22.* *Eccl.3.* *De S. Virg. c. 31.* *Iac.2.* *Epis.29* *Libr.8. Cõs.c.4.* *1.Co.1.* *Iac.2.* *Hier.ad Celant.* *Mat.15.* *Mat.1.* *1.Co.1.* *1.Co.13* *Chr.ibi.* *Li. 2.de Virg.* *Vide Marty. Rom.* *Libr.5. hist. ca. 18.* *In Epit. eius.*

nu; quos equidem non reprobo, & teneritudinem animi, nequaquam interpretor infidelitatem; sed sicuti imbecillitati stomachi veniam tribuo, sic perfectæ mentis ardorem in cœlum laudibus fero. Magna fides ista contemnit.

Postremo vt alia exempla omittam, supra modum admirabilis humilitas sanctissimæ *Ioan.19.* Virginis MARIÆ lucet in hoc, quòd crucé filij sui, qua nil contumeliosius, omnia eius vulnera, quibus nil acerbius, totamque ignominiam filio illatam, qua nil contemptius coram videre, & omnia improperia improperantium ei, coram audire sustinuit, quibus omnium hominum nequissimus, ac sceleratissimus esse significabatur. Quæ omnia etiã ad ipsam pertinebant, & in ipsam redundabant, quia Mater erat talia, ac tanta patientis *Eccle.3.* Christi. Sicut enim ait Sapiens; *Gloria hominis ex honore parentis, & dedecus filij parens sine honore*; ita non absurde dici potest, Gloria parentis ex honore filij, & dedecus parentis filius sine honore.

Quæ cum ita sint, amplectamur hanc Beatiss. Virginis humilitatem, quę in communis *Phili.2.* *Rom.12.* vitę versatur officijs, & alter alterum existimantes superiorem, honore & obsequio inuicem præueniamus. Ita enim fiet, vt ament *Prosp. ad Demet.* seruire subiecti, nesciant tumere Prælati; vt pauper diuitem sibi non dubitet anteferre, & diues pauperem sibi gaudeat æquare; vt sublimes non superbiant de claritate prosapiæ, & pauperes non extollantur de communione naturę, vt non plus tribuatur magnis opibus, quàm bonis moribus; nec maior ducatur phalerata iniquorum potentia, quàm rectorum inhonora iustitia; Denique nullum erit de gradu superiore certamen; nec felicitas aut inflabit propria, aut vret aliena, sed summa inter nos degentes animorũ consensione in terris, merebimur pacem æternæ beatitudinis in cœlis.

MONITVM XII.

Magnificat anima mea Dominũ. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

Luc.1. Luc.1. De altera nunc humilitate differendum, *quæ in confessione est gratiæ Dei, de cuius hoc primum munere est*, inquit D. Prosp. *Ad Demetria.* *vt auxilium ipsius sentiatur; propter quod* 1.*Cor.2.* *dicit Apostolus; Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritũ qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis,* *InPs.62* id est, interprete D. Augustino; *vt intelligamus, nihil nos boni habere potuisse, nisi illo donante, à quo sunt omnia bona. Vnde si quis est, qui aliqua se existimat habere bona, quorum nõ Deus largitor sit, sed ipse sibi author existat, mundi spiritum habet, non Dei. Qua superbia nil nocentius, nihilque magis fugiendum, quæ virtutẽ diuini negat operis, amore*

A *propriæ dignitatis.* Quæ autem & quanta secum mala & damna adferat, vtile, imo necessarium erit intelligere, vt quisq, tanto diligentius, ab illa sibi pestę possit cauere.

Inprimis enim impedit hæc superbia initium iustitiæ seu conuersionis; *Ignorantes enim Iustitiam Dei*, inquit Apostolus, id est, *Rom.10* quam Deus dat; *& suam quærentes statuere,* *Vide* id est, suo solius libero arbitrio fabricare, *iu-* *Aug. de* *stitiæ Dei non sunt subiecti*, id est, iustitiam *grat. &* Dei non essequuntur. Vnde & Ierem. Pro- *lib. arb.* pheta; *Maledictus homo, qui confidit in ho-* *cap.12.* *mine, & ponit carnem brachium suum, & à* *Cont.2.* *Domino recedit cor eius; erit enim quasi my-* *Epis. Pe* *ricæ in deserto, & habitabit in siccitate, in* *lag.li.3.* B *deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili.* *cap.7.* Pulchre D. Prosp. *A quibuslibet lapsibus de-* *Iere.17.* *lictorum facile surgitur, quando opem à suo* *Ad De-* *reparatore poscit eius; huic autem ruinæ mi-* *metria.* *hil subuenit, quia aut difficilè peccatum suum superbus agnoscit, aut etiamsi intellexerit, non currit ad medicum, sed de se sibi remediũ pollicetur, nec vnquã ibi proficit cura, vbi morbus est ipsa medicina.*

Deinde impedit etiam iustitiæ, seu vitæ spiritualis profectum; *Non enim ob aliud me-* *De nat.* *retur homo ampliora*, inquit D. August. *nisi* *& grat.* *piè fideliterque sciendo, à quo sibi bona sunt* *ca.52.* *omnia.* De D. Magdalena sedente ad pedes Domini ita idem August. *Quantò humiliùs* *Ser.27.* C *sedebat, tantò amplius capiebat. Confluit enim* *de Verb.* *aqua ad humilitatem cõuallis, denudat de tu-* *Domini* *moribus collis.* Atque hæc est causa, cur ipse August. tantis à Deo muneribus fuerit ornatus, vti D. Prosp. de eo hoc carmine testatur;

Augustinus erat, quem Christi gratia cornu *In Car.*
Vberiore rigans, nostro lumen dedit æuo. *de Ingr.*
Accensum vero de lumine; nam cibus illi,
Et vita & requies Deus est, omnisq; voluptas
Vnus amor Christi est, vnus Christi est honor illi,
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in sancto regnat sapientia templo.

Qui sperant in Domino. ait Isaias Propheta, *Isai.40.* *mutabunt fortitudinem, assumẽt pennas sicut* *aquila, current, & non laborabunt, ambula-* D *bunt & non deficient.* Et Ieremias, *Benedi-* *Iere.17.* *ctus vir, qui confidit in Domino, & erit Do-* *minus fiducia eius; & erit quasi lignum, quod* *transplantatur super aquas, quod ad humo-* *rem mittit radices suas; & non timebit, cum* *venerit æstus; & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec* *aliquando desinet facere fructum.*

Denique, & omnem iustitiam, quam habet homo, penitus subuertit: Cùm enim alia vitia, ea tantum bona, quibus aduersantur imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit. Sic D. Greg. in Moralib. *Lib.34.* *Alia vitia*, inquit, *eas solummodo virtutes* *cap.18.* *impetunt, quibus ipsæ destruuntur, vt videlicet,*

licet, ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam, expugnat; Superbia autem nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis, & pestifer morbus, corpus omnem corrumpit. Similiter D. Chrysost. *Subducta humilitate, etiamsi ad ipsum vsque cœlum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimè relabuntur. Etenim siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliud quid bonum sine humilitate congreges, statim cuncta defluunt, cunctaque depereunt.* Aut enim superbia repente in scelera maxima sæpe præcipitat, aut hac saltem grauissima peste necat, quod bonorũ operum fructum intercipit. Vnde & D. Basil. eam appellat, *Virtutum tineam, latronem opum spiritualium, blandum animarum hostẽ. Nisi enim humilitas,* ait S. August. *omnia quæcunque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consequuta fuerit: & proposita quam intueamur; & apposita, cui adhæreamus; & impositа, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totis extorquet de manu superbia.* Et in sententijs; *Ad cœlestis Ierusalem non ascendunt consortium, nisi qui toto corde profitẽtur, non proprij operis, sed diuini esse muneris, quod ascendunt.*

Hom. 15 in Mat. — In Const. Mö. c. 11 — Epist. 56. — Sent. 31. apu. Pro

Huic autem superbiæ malo firmissimum bonum humilitatis occurrit, quæ per omnia Deo subditur, & causas atque meritorũ prouectus, non in se, sed in suo auctore cõstituit. Quam humilitatem in D. Virgine MARIA fuisse, ex Euangelio perspicuè intelligitur. Quando enim ab Angelo didicerat, quod obumbratione Spiritus sancti filium Dei cõciperet & pareret, summa animi demissione, *Ecce,* inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem,* ait D. Ambros. *vide deuotionem; ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo nullam sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret, quod iuberetur.* Deinde cum Deum concepisse se sciens, magnificas illas laudes ab Elisabeth cognata audiuisset, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* erupit in hãc vocem humilitate plenam: *Magnificat anima mea Dominum; & exultauit spiritus, &c.* Quicquid enim in aula mentis suæ splendidum, quicquid pulchrum, pretiosumque reperiebat, diuini muneris & operis esse non dubitabat; & omnibus opulentiæ suæ bonis, gratiam donatoris agnoscebat: ideoque non se, sed Dominum magnificabat, eiusque spiritus non in proprijs meritis, sed in Dei muneribus exultabat.

Luc. 1. — Lib. 2. in Luc. — Luc. 1.

Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, surrepat elatio; & vt homo de bono opere in se potius, quàm in Domino glorietur. Mitto Ethnicos, quorum vnus Apuleius in hanc sententiam loquitur; si pulcher es, lauda naturam; si nobilis, lauda parentes; si diues, hoc fortunæ debetur; si virtute præditus, lauda teipsum. Et ipse Cicero, *Virtutem,* inquit, *nemo vnquam acceptam Deo retulit; nimirum rectè: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, si id donum à Deo, non à nobis haberemus.* Taceo Iudæos, qui humanæ naturæ deprauationem, ac corruptionem non agnoscentes, ideoq; nec medico ei, nec Saluatore opus esse, affirmantes; legem se contra morem Patrum, sine fide & gratia Christi suis viribus & seruare, & seruandam tradere præsumebant, vt docet V. Beda.

In lib. de Deo Socratis. — Li. 2. de Na. De. — In c. 11. Luc.

Pelagianos hæreticos audire, & maximè ipsum Pelagium tam pernitiosæ hæresis authorem ad Demetriadem Virginem nobilissimam scribentem; quæ humanis nuptijs iam paratis, D. Augustini opera & consilio, spiritalem illius sponsi prætulit amplexum, cui specioso præ filijs hominum, ad habendam spiritus vberiorem fœcunditatẽ, nec ad amittendam carnis integritatẽ virgines nubunt; Pelagius ergo, cùm huius virginis virtutem ac probitatem commendaret, atque ex ea lethale venenum animo eius infundere conaretur: *Habes hic,* inquit, *per quæ meritò præponaris alijs, imo hinc magis; nam corporalis nobilitas atque opulentia, tuorum esse intelliguntur, non tua: Spiritales verò diuitias, nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo iure laudanda, in his meritò cæteris præferenda es, quæ nisi ex te, & in te esse non possunt.*

Vide epi. 143. — Psa. 44.

Quibus ita respondet D. August. in epistola ad Iulianam Demetriadis matrem; *Cernis quanta in his verbis cauenda pernities: Nam vtique quod dictum est, nõ possunt esse ista bona nisi in te, optimè & verissimè dictum est; iste plane cibus est. Quod verò ait, non nisi ex te, hoc omnino virus est. Absit vt hæc libenter audiat Virgo Christi, quæ piè intelligit propriam paupertatẽ cordis humani, & ideo illic nisi sponsi sui donis nescit ornari.* Similiter & D. Prosp. ad eandem Virginem iam ætate prouectam scribens; *Dignum est,* inquit, *vt imago Dei Deo splendeat, & inde pulchra, inde sit compta, dicens; Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Alioqui adultera est, & à diuino aliena coniugio: si alterius cuius quam decorem in speculo sui cordis ostẽtat, aut vllis alijs monilibus acquiescit ornari, nisi illis, quæ de thesauris sponsi, per sancti spiritus pignus accepit.* ita D. Prosp.

Eadem epi. 143. — Epist. ad Demetr. — Psal. 4.

Quanto excellentius in mandatis Dei quique proficiunt, tantò maiores habent causas formidinis, ne de ipsis probitatis augmentis,

mens

mens sibi conscia, & laudis auida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi clara videtur virtute. *Inuidet enim Diabolus virtutum studijs*, inquit D. Leo, *& ad hoc vim suæ malignitatis armat, vt pietatis laqueos de ipsa pietate prætẽdat; & quos non potuit deijcere per diffidentiam, conatur superare per gloriam. Vicinum est enim rectis actionibus superbiæ malum, & de proximo semper virtutibus insidiatur elatio; quia difficile, est vt laudabiliter viuentem laus nõ capiat aliena, nisi vt scriptum est, Qui gloriatur in Domino glorietur:* Hactenus Deo. Nemo superbit de ijs quæ non accepit, vt de sobrietate temulẽtus, de lenitate sæuus, de castitate impudicus; & inter ipsa vitia, aut nulla est, aut rara iactantia, & facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur. Malum superbiæ maxime virtutibus cauẽdũ, quia nullis oportunius insidiatur, quã quibus laus iusta debetur.

Ser. 4. de Quadr. — *1. Cor. 1.* — *2. Co. 10*

Eadem epist. *Multi seruientes Deo*, ait D. Prosper. *& in lege eius meditantes die ac nocte, crucifixerũt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt; non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati, mundum istum, nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, tamque sublime propositum, qua impugnatione Diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem; & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio; & quos impulsione non mouit, elatione deiecit. Quantò enim clariores erant meritis, tãtò eos aptiores suis inuenit insidijs. In paradiso namque Ecclesiæ constitutos, & virtutum delitijs abundantes, ad confidentiã liberi incitauit arbitrij, vt profectus in se cõstituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præsumptionis extenderent.*

Quam eius vtilissimam doctrinam D. Augustinus, vna hac breui sententia complexus fuerat, *Quo primum vitio superatus est homo, hoc vltimum vincit. Cùm enim omnia peccata superauerit, manet periculum, ne mẽs sibi bene conscia, in se potius quãm in Domino glorietur.* Illa quoque inter eius sententias numeratur; *Omnia vitia in male factis tantum modo valere, solam superbiam etiam in rectè factis cauendã esse*; Nam vt ipse Prosper hoc carmine reddidit;

Sen. 124. — *Sent. 48.* — *Epig. 48*

Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possint vires & benefacta dare.

Quomodo autem quis se inter laudes hominum gerere debeat, ne contaminetur; ita declarat D. Augustinus. *Magnũ est, de honoribus, & laudibus hominum non lætari; non autem huius hostis,* (laudis videlicet cupiditatis) *vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit; quia etsi cuiquam facile est laude carere, dum dene-*

Epist. 64 ad Aur.

A *gatur, difficile est ea non delectari, cum offertur; & tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non merito laudemur, corrigamus eos quos possumus; ne arbitrentur in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est; aut ea laudent, quæ quamuis non desint nobis, nequaquam tamẽ sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus, vel cum impijs hominibus habemus communia. Si autem merito laudemur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum; non tamen nobis, quia placemus hominibus; sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credũt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia, quæ verè meritoque laudantur.*

B Quam autem vigilanter contra hanc elationis pestem militauerit Apostolus, audiamus. *Quis enim te discerint?* inquit ad Corinth. *Quod ideò dicit*, teste D. August. *quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adã, non discernit hominẽ, vt eum faciat vas in honorem, non in cõtumeliam, nisi Deus; sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus, cùm audisset, Quis enim te discernit? posset respondere, vel voce, vel cogitatione, & dicere; Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea; mox occurrit Apostolus cogitationibus eius, & dixit; Quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? sic autem*

1. Cor. 4. — *Epist. 46* — *1. Co. 4.*

C *gloriantur, quasi non acceperint, qui se à seipsis iustificari putant, ac per hoc in semetipsis, non in Domino gloriantur.*

Rursum idem Apostolus; *Stipendium peccati, mors; gratiæ autem Dei vita æterna, stipendium peccati mors. Rectè stipendium*, inquit S. Augustinus, *quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iustitia de humano se extolleret merito bono, sicut humanum meritum malum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens, stipendium iustitiæ, vita æterna, quamquã hoc verum sit; sed gratia Dei*, inquit, *vita æterna; tanquam si diceret; audito quòd stipẽdium peccati sit mors, quid te disponis extollere, ò humana, non iustitia, sed nomine iustitiæ*

Rom. 6. — *Epi. 105*

D *planè superbia? quid te disponis extollere, & contrariam morti vitam æternam, tanquam debitum stipendiũ flagitare? Cui debetur vita æterna, vera iustitia est; si autem vera iustitia est, ex te non est, desursum est, descendẽs à Patre luminum, vt habeas eam; si tamẽ habes eam, profecto accepisti; quid enim habes, quod non accepisti? qua propter, ò homo, si acceptarus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est ipsa iustitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset iustitia, cui debetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non solum gratiam, qua nunc, iustè in laboribus vsq; in finẽ viuimus, sed etiã gratiam pro hac*

Iac. 1. — *Ioã. 11.*

gra-

gratia, vt in requie post ea sine fine viuamus. A

Quæ cum ita sint, nemo iam deinceps seipsum magnificet, etiamsi magna faciat; nemo in seipso glorietur, etiam si glorioſa operetur: sed cum D. Virgine in omnibus suis bonis dicat ex animo; *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo saluari meo:* de cuius gratia, ac munere susciputur, quicquid in singulis probabile reperitur. Dicant ergo semper, ait Propheta Dauid; *Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Peccator es,* inquit Aug. *magnificetur Dominus, vt vocet: confiteris, magnificetur Dominus, vt ignoscat; iã iustè viuis magnificetur Dominus, vt regat; perseueras vsq; finẽ magnificetur Dominus vt glorificet.* B

Luc. 1. Pſa. 69. In Pſ. 69

MONITVM XIII.

FActum est, vt audiuit salutationem MARIÆ Elisabeth exultauit infans in vtero eius. Luc. 1. Beata Elisabeth humiliter de se sentiens, atq; ex humilitate dicens, *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* Sãctissimam Virginem MARIAM, eiusque filium veheměter extollit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui:* quod ad vocem salutationis eiusdem Virginis iam Deo plenè, in vtero eius præ gaudio exiliret infans, quem gerebat, futurus Domini præcursor: singulari, videlicet, prærogatiua, agnoscens præsentiam & aduentũ mundi Saluatoris. *Sancta erat anima B. Ioannis,* inquit Origines, *& adhuc in matris vtero clausa, venturaque in mundum, quasi per experientiæ sensum sciebat quæ Israel ignorabat. Vnde exiliuit, & non simpliciter exiliuit, sed in gaudio. Senserat enim venisse Dominum suum, vt sanctificaret seruum suum, antequam de matris vtero procederet.* C

Luc. 1. Ho. 7. in Luc.

Et D. Ambr. *Aures Prophetæ, spiritu Dei, non corporis ætate reserantur; habebat intelligendi sensum, qui exultandi habebat affectum.* Sic & S. Hieron. *Ioannes Baptista, adhuc introitum MARIÆ exultauit & lusit, audiebat enim verba Domini per os Virginis personantis, & de vtero Matris in occursum eius gestiebat erumpere.* Denique apud Chrysost. ita Ioannes loquitur; *Video etsi adhuc in vtero sim, gestari in vtero solem iustitiæ. Exclamo, quoniã filium Patris vnigenitum considero carne indutum. Exulto, quoniam vniuersi effectorẽ, video formã hominis susscipere. Exilio, quoniam mundi redemptorem cogito incorporatum.* D

Li. 2. in Ouc. In epist. ad Lætũ. Apud Metap. mẽse Iunio.

Gerit autem Elisabeth typum Ecclesiæ Catholicæ, in qua dum declaratur, quid filio Dei grauida nobis Virgo attulerit, paruuli, (quales hic omnes sumus comparatione robustæ illius ac virilis ætatis quã percipiemus in futuro seculo; inde enim & Propheta Dauid, & Apostolus Paulus se lactenti paruulo comparant; & Isaias Propheta & Apostolus Petrus, omnes tanquam paruulos vocant ad vbera) paruuli, inquam, Ecclesiæ Matris vtero sese continentes, mirabiliter exultant spe veniæ & salutis: & tota Ecclesia indignam se aduentu Christi, Matrisque eius professa, in laudẽ filij & Matris erumpit, & beatam matrem, quæ tam sublimia fide pia assecuta est, prædicare non cessat.

Pſ. 130. 1. Co. 13 Eſa. 60. 1. Pet. 2.

Plurimæ autem sunt Incarnationis & aduentus Christi ex Virgine vtilitates & commoda, propter quæ merito exultant filij Ecclesiæ, vtero eius inclusi. (nam ad eos qui foris, vel relicta vera matre, adulteræ iunguntur, ea non pertinent, vt est apud Cyprian.) Imprimis quod per aduẽtum filij Dei, qui est ipsa Patris Sapientia, fidentius ad veritatem ambulemus. *Cum enim rationalis natura,* inquit August. *vsque adeò refugiat falsitatem, & quantum potest, deuitet errorem vt falli nolint, etiã quicunque amant fallere, quid potuit in vita ista errorũ plenissima, homini melius conferri, vt fidentius ambularet ad veritatẽ, quam quod ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, non Deo consumpto constituit, atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum? Hic est enim Mediator Dei & hominũ, homo Christius IESVS, per id quod est Mediator est homo & via perueniendi ad Deum; quia si inter eum qui tendit, & illud quo tendit, via media est, spes est perueniendi. Si autem desit, aut ignoretur, qua eundum sit, quid prodest nosse, quo eundũ sit? sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem sit Deus & homo; quo itur Deus, qua itur homo.*

De Vni. Eccles. Ench. 17 De Ciu. li. 10. c. 2

Quia enim non potuit mũdus nosse Deum, ex magnificentissimo illo opere creationis, quod summa sapientiæ ratione, potentiaque constabat, ipsa sese sapientia conspicuam exhibuit, quo facilius ab ignaris, percipi posset. Hoc nobis luculenter satis Baruch Propheta declarat; cum enim antea commemorasset miranda Dei opera, eumque qui ista posset, & faceret, verum esse Deum demonstrasset, neque coli alium oportere; volens intelligi nobis humi reptentibus, atque ipsa quoq; mente nimis abiectis, minimè istã ad cõtuendum suffeciſſe, subiunxit; *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Deus ergo ille qui secundum Prophetæ vaticiniũ, *magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus,* de quo etiam idem Propheta paulò post dicit; *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum, qui adinuenit omnem viam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo:* Ipse, inquã, in forma serui, in qua minoratus est paulo minus ab angelis, tãta se nobis vicinitate cõiunxit, & propinquauit, accessitq; vt inter nos mortales mortalis ipse atq; visibilis versaretur, *rudiorẽ* (vt sic dixerim, inquit D. Cyrill.) pieta-

Capi. 3. Li. 1. in Ioã. c. 9.

pietatis cognitionem sensibiliter nobis immittens.

Luculentissimè verò quid humana postularet infirmitas, Esaias expressit, dicens; *Nõ faciet Dominus vltra à te auolare Doctorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dextram, neque ad sinistram. Humanum genus,* inquit D. Gregor. *Dominus in faciem monuit, quando in Paradiso condito homini, atq; libero arbitrio stanti, quid facere, quidue non facere deberet, indixit: Sed homo in Dei faciem terga dedit, cũ superbiens eius iussa contempsit; nec tamẽ superbientem Deus deseruit, qui ad reuocandum hominem legem dedit, exhortãtes angelos misit, in carne nostræ mortalitatis ipse apparuit. Ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ etiam contemptus vocauit.* Hæc Grego. In natura igitur nostræ simili, planissimè quis & qualis esset Deus, ostendit, ac per ea quæ percipi sensibus poterant, adminiculum cæcutientibus, gradumque infirmis, præbuit ad sublimiora contingenda.

Isai.30. *In Past. parte.3. adm.29.*

Deinde per Incarnationem Christi, & aduentum eius ex Virgine, erigimur in spem; cùm enim omnes in miseria constituti, desperatione liberationis fiant miseriores, ac peiores; vnde Apostolus de Gentilibus, *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ, in auaritiã.* Et alibi dicit, *homines timore mortis per omnem vitam obnoxios esse seruituti peccati, & Diaboli.* Vnde est & illa vox impiorum apud Esaiam, & Apostolum; *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur,* & apud Sapientem; *Exiguũ,* inquiunt, *& cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus, tanquam non fuerimus, &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute, celeriter. Vino pretioso & vngentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant,* & cætera quæ sequuntur.

Ephe.4. *Hebr.2.* *Isai.22. 56.* *2.Co.15* *Sapiẽ.2.*

Cùm ergo fiant desperatione miseriores, ac deteriores, spe vero subleuentur; quid tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, inquit D. Augusti. *mentesque mortalium conditione ipsius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis desperatione liberandas, quam vt de monstraretur nobis, quãti nos penderet Deus, quantumque diligeret? Quid verò huius rei tanto isto inditio manifestius atq; præclarius, quam vt Dei filius immutabiliter bonus in se manens quod erat, & à nobis & pro nobis accipiens quod non erat, præter diuinæ naturæ suæ detrimentum, nostrum dignatus inire cõ-*

Li. 2. de Tr. c. 10

A *sortium, prius sine vllo suo malo merito mala nostra perferret?*

Sic & alibi idem Augu. *Cum omnibus modis medeatur Deus animis, pro temporũ opportunitatibus, quæ mira Sapientia eius ordinãtur, nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum ipsa Sapientia Dei, id est, vnicus filius consubstãtialis patri & coæternus, totum hominem suscepit. Ita enim demonstrauit carnalibus, corporeisque sensibus deditis, quàm excelsum locum inter creaturas habeat humana natura; quod non solũ visibiliter, (nã id poterat & in aliquo æthereo corpore, ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato:) sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda* B *erat, quæ liberanda. Et ne quis forte sexus, à suo creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex fœmina.* Qui etiam in Cõfessionibus breuiter ait; *Potuimus putare verbum tuum remotũ esse à coniunctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret, & habitaret in nobis.*

De vera relig. ca. 16.

Lib. 10. cap. 43.

Idem August. de vita instituenda cum socijs deliberans, ita eos alloquitur; *Vita hæc misera est, mors incerta: si subitò obrepat, quomodo hinc exibimus? Et vbi nobis agẽda sunt, quæ hic negleximus? An non potius huius negligentiæ supplicia luenda sunt? Quid si mors ipsa omnem curam, cum sensu amputauit, &* C *finiet? Ergo & hoc quærendum. Sed absit vt ita sit. Non vacat, non est inane, quod tã eminens culmen authoritatis Christianæ fidei, toto orbe diffunditur. Nunquam tãta & talia pro nobis diuinitus agerẽtur, si morte corporis etiam vita animæ consumeretur. Quid cunctamur igitur relicta spe seculi conferre nos totos ad quærendum Deum, & vitã beatam?* ita Augustinus.

Libr. 6. conf. ca. 11.

Denique cum totum hominis bonum in amando Deo consistat, consideratione Incarnationis Christi, & aduentus eius, ab amore mundi, qui vitiorum fomes, ac minister est, reuocamur ad amorẽ Dei. Præcipuè enim Deus suam erga nos dilectionem in vnigeniti Incarnatione, atque aduentu eius ex Virgine nobis commẽdauit: *Hoc autem ideò,* inquit August. *vt ipsum Deum, si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Vis vt ameris? ama,* inquit Poeta. Quod Seneca Philosophus ait esse *efficacissimum amatorium, seu amoris poculũ, sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio,* inquit D. August. *quàm præuenire amãdo. Et nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit & rependere. Operæpretium est autem animaduertere, quomodo, & quanto amore exardescat inferior cùm à superiore se diligi senserit; ibi enim gratior est amor, vbi non æstuat indigentiæ siccitate, sed vbertate* D

De Cat. rudi. c. 4 Marti. Epist. 9.

Ibidem.

benefi-

beneficentiæ profluit. Iam verò si etiã se amari posse à superiore desperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, si vltro ille dignatus fuerit ostendere quantũ diligat eum, qui nequaquã sibi tantum bonũ promittere auderet. Quid autem superius Deo iudicante? & quid desperatius homine peccante?

Meritò quidem ex consideratione tot specierum, ac rerum, quibus vniuersum hoc ad summam hominis & oblectationem, & vtilitatem instructum est, ex contemplatione tot beneficiorum, quibus sese, suumque erga homines amorem ostendere, sibique nos deuincire nunquam intermisit, inflammari debuimus, ad redamandum munificentissimum, & optimum Patrem; vti etiam ad cognoscendum eum colendumque admoneri. A quo quanquam longè nos eramus propter profundam ignorantiam, & innatam, atque inueteratam terrenorum cupiditatem; ipse tamen *non longè erat ab vnoquoque nostrum*, inquit Apostolus, *dans omnibus vitam, & inspirationem, & omnia; in ipso enim omnes viuimus, mouemur, & sumus.* Act. 17. Sed quotusquisque erat, qui vel hæc consideraret digna attentione, vel eorum contemplatione commotus oculos attolleret in Cœlum, vt largitori omnium Deo gratias ageret, eumque à quo sic peccator amatur, vicissim amaret?

Erat hoc primi hominis adhuc sani, & incorrupti; neque enim ille alio ad diligẽdum conditorem suum excitamento indigebat. Nostri verò animi pulsari vehementiùs, propter ignauiam, ac torporem debuerunt. Maioribus alijs, ijsdemque inusitatis, quoniam iam vsitata consuetudine viluerunt, excitandi fuimus, in amorẽ conditoris nostri. Ideoque factus est Deus homo, quo nihil potest esse admirabilius; ad nostramque sese ille humilitatem demisit, formam serui accipiens; quo nihil efficere potuit, aut ad amoris erga nos sui significationem euidentiùs, aut ad nostrum erga se excitandum vehementiùs. Rectè ergo Apostolus Paulus, hoc tam eminẽs Incarnationis beneficium, quod Ioannes Baptista, adhuc tenebroso ventris thalamo inclusus, intelligens per actum in vtero Virginis, præ lætitia se non capiens, exultat in vtero matris, *vocauit magnum pietatis mysterium.* 1. Tim. 3

Mysterium quidem, quia id antea erat incognitum, etsi nunc singularis gratiæ munere manifestatum: nec aliquis id ex se cognoscere potuit, sed is tantum, cui Deus reuelare voluit, sicut idé Apostolus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* 1. Cor. 2 Imò fidelibus adhuc mysterium est Incarnatio Domini; *Omnia enim miracula*, ait D. Leo, *omnemque intelligentiæ rationem excedit; & de ea etiam scriptum est, Generationem eius quis enarrabit?* Serm. 3. & 10. de Nat. Isai. 53.

Magnum porrò mysterium dicitur; *Huic enim limo terreno, ex quo formati sumus, Dominus Deus*, inquit D. Bernar. *primo vim vitalem miscuit, vt in arboribus; vnde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adiecit etiam vim sensibilem limo nostro, vt in pecudibus, quæ non solum vitam habeant, sed & sentiant quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, vt in hominibus; qui non solùm viuunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum.* Se. 3. in Vi. Na.

Voluit quoque infirmiora nostra, abundantiori gloria sublimare, & contraxit se Maiestas; vt quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro coniungeret; & in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus, & limus, Maiestas & infirmitas, tanta vilitas, & tanta sublimitas. Nihil enim Deo sublimiùs, & nil vilius limo; & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quicquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili, quàm incomprehensibli Sacramento.

Pietatis verò mysterium appellat; primò quidem quod per illud pietas generi humano collata sit, vti D. Ambrosius, exponit. Et D. Leo, *hæc Domini nostri opera*, inquit, *non solum Sacramento nobis vtilia sunt, sed etiam imitationis exemplo, si in disciplinam ipsa remedia transferantur, quodque impensum est mysterijs, prosit, & moribus.* In Com. Serm. de Nat. Et alibi: *Hoc magnum pietatis Sacramentum, quo totus iam mundus repletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit, vt non minus adepti sint, quin illud credidere promissum, quàmqui susceperе donatum.* Ser. de Natiui.

Deinde, quod ad pietatem, seu bonum cultum qui solius Dei est, ac fide, spe & charitate perficitur, vt Augustinus docet, corda mortalium vehementissimè excitet atque inflammet; vti antea satis demonstratum. Quam pietatem, si vsque in finem puram, ac integrã constanter tenuerimus, & hic magna conscientiæ tranquillitate, & in futuro, æternæ gloriæ felicitate gaudebimus: *Pietas enim ad omnia vtilis est*, ait Apostolus, *habẽs promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Quod explicans Diuus Augustinus. *Pietas*, inquit, *quæ est verus cultus veri Dei, ad omnia prodest, & quæ molestias huius vitæ auertat, aut leniat, & quæ ad illam vitam, salutemque perducat, vbi nec aliquid iam mali patiamur, & bono summo sempiternoque perfuamur.* Ench. c. 3. & 6. De Tri. libr. 12. cap. 14. 1. Tim. 4 Epist. 52

MO-

MONITVM XIV.

Lucæ 2. TVlerunt IESVM in Ierusalem, vt sisterẽt eum Domino. Luc. 2. Propositum est mihi; trium personarũ; quæ præcipuas huius historiæ partes egerunt, exẽpla seu virtutes ante oculos ponere, vt earum memoria, & consideratio; animos ad imitationem excitet: sanctissimæ, videlicet, MARIÆ Virginis, quæ primogenitũ suum intulit in Templum, vt sisteret eum Domino; Annæ prophetissæ, quæ ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel, denique Simeonis senis, qui accepit puerum in vlnas suas, & benedixit Deum.

Atque vt ab isto sene sumamus exordium: cõmendatur 1. Quod erat iustus: *Iustitia autem virtus est, suũ cuique tribuẽs,* inquit D. Bern. *Esto & tu iustus; tribus quæ tua sunt tribue. Superiori, inferiori, æquali. Superiori reuerentiã, & obedientiã, quarũm altera cordis, altera corporis est: Nec enim sufficit exterius obtemperare maioribus, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Æquali consiliũ, & auxilium; consiliũ; quo eruditur ignorantia; auxilium, quo iuuatur infirmitas; nullum autẽ consilium ego melius arbitror, quã si exemplo tuo fratrem tuum docere studeas, quæ oportet, & quæ non oportet fieri; prouocãs eum ad meliora, & consulẽs ei non verbò, neq; lingua, sed opere, & veritate: Nullum etiã vtilius, aut efficacius auxiliũ, quã vt ores deuotè pro eo, vt nò dissimules redarguere culpas eius, vt nullum ponas ei offendiculum, sed occasiones scandalorum penitus remoueas. Inferiori custodiam, & disciplinã; custodiã vt possit cauere peccatũ; disciplinã, vt quod minus cauit, nõ maneat impunitum. Si hominẽ nõ habes, cui præsis; habes tamẽ sub te, cui ista debeas: videlicet, corpus tuũ, quod regendũ accepit spiritus tuus; debes ei custodiã, vt non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati; debes, & disciplinam, vt dignos faciat pœnitẽtiæ fructus castigatum, & subditum seruituti*, ita D. Bern.

Ser. 3. de Aduent.

Deut. 16

De S. Virg.

Alterũ in quo cõmendatur Simeon, quod esset *Timoratus, seu timens Deũ.* Et *nunc Israel audi dicit Moyses quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deum tuum? aliter autem timet, qui amat; aliter, qui non amat: qui non amat*, inquit Aug. *timet ne pereat: qui amat, timet ne displiceat: illum timorem Charitas foras mittit, cum ille intro currit.* Et D. Prosp. *aliud est timere, quia peccaueris; aliud timere, ne pecces; ibi est formido de supplicio, hic sollicitudo est de præmio; de illo dicitur perfecta charitas foras mittit timorem: de hoc, timor Domini permanens in seculum seculi.*

In epist. 1. Ioã. 4.

De metr. Psal. 18

Timor ergo Domini, à quo Sãcti in Script, maximè cõmendantur, est sollicitudo ambulandi cũ Domino Deo; de quo Propheta, *Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonũ, & quid Dominus requirat à te? vtiq; facere iudicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Domino Deo tuo*; quod non est aliud, quã sollicitum esse, vt Domino Deo in omnibus consentiamus. Seu timor Domini est sollicitudo non offendendi Deum. Offenditur autem duobus modis, si facias malũ, quod prohibet; si omittas bonum, quod iubet; vnde duplex officium timoris Domini, declinare à malo, & facere bonum: hinc & Tobias ad filium; *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum*, id est, vt addit, *si recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè.*

Mich. 6.

Tob. 4.

Deniq; Simeon, *expectabat consolationem Israel*; Ergo ex lugẽtibus erat, de quibus Dominus, *beati qui lugent*; & Sapiens loquens de Esaia Propheta Domini; *Consolatus est*, inquit, *lugentes in Syon*, prænuntians aduentum Saluatoris, qui absterget tandẽ omnem lachrymam ab oculis electorum. *Lugent autem Sancti hoc tempore, quod est vere tempus fructuosæ mœstitiæ*, inquit Augustin. *conditionem mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum surreptiones peccatorum, aduersitates cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes tumultuantium.* Et D. Leo, *Religiosa tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium; nec de hoc dolet quod diuina iustitia agitur, sed eo mœret, quod humana iniquitate committitur.*

Mat. 5.

Eccl. 48.

Ser. 7. in Nou. Se.

Inser. de omnib. Sancti.

Deinde non suam propriam, sed communem totius populi requirebat consolationem, & gratiam, ait Ambros. ex latitudine charitatis, quæ idem, & alijs quod sibi, optat & procurat. Sicut & publica nobis, ex institutione Domini, & communis est oratio, inquit Cyprian. & *quando oramus, non pro vno sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum sumus.* Vtinam de Christiano verum sit quod in laudibus cuiusdam Gentilis dicitur:

In cap. 2. Luc.

In orat. Domic.

Lucan.

In cõmune bonus, nullosq; Catonis in actus,
Surrepsit, partẽq; tulit sibi nata voluptas;
Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.

Denique non ex eorum numero erat, qui consolationem suam in vanis occidui[que] quærunt, & capiunt, quibus minatur Dominus, *Væ vobis, qui habetis hic consolationem vestram*, à qua omnino alienus erat, qui dicebat, *Renuit consolari anima mea*, videlicet in rebus fluxis, ac terrenis. Quid ergo? *Memor fui Dei, & delectatus sum*, Memores sunt sancti bonorum cœlestium, quæ per Christum à Deo expectant, ac in eorum spe, & expectatione gaudent, & consolantur.

Lucæ 6.

Psal. 76

Ad laudes Annæ Prophetissę veniamus; quæ *cum viro suo vixerat annis septem à*

virginitate sua, & hæc vidua vsque ad annos 84. Magna in his verbis præconia; Primò significatur, quod honestè, ac pudicè se gesserit ante coniugium, virginitatem suam illibatam seruans, eamque secum ad coniugium adferens. Quo nomine etiam laudatur *Tob. 6.* Sara vxor Tobiæ iunioris, ad quem Angelus, *Accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus.* *Cap. 37.* *Circa venerea*, inquit Epictet. Philos. *pro virili ante coniugiũ, castum purumq; esse oportet.* Non dubium, esse non paucas, quæ ad matrimonium corruptæ accedunt; quod à parentibus minimè seruetur illud mandatum *Eccl. 7.* Sapientis; *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarè faciem tuam ad illas:* præsertim hoc tempore quo tantus est impudicorũ numerus, qui virginũ pudicitiæ insidiantur. De Nebridio viro nobili ait D. *Ad Saluinam.* Hieron. *Tantus amator pudicitiæ, vt virgo sortiretur vxorem. Lacæna quædam paupercula percuncta à quodam, quam dotem ei, si duceret vxorem, datura esset: Patriam pudicitiam, respondit,* vt refert Plutarch. *Publius* *In instit. Laco.* *Mæuius in libertum gratum admodum sibi animaduertit, quia eũ nubilis iã ætatis Filiæ suæ osculum dedisse cognouerat; amaritudine pœnæ, teneris adhuc puellæ sensibus, castitatis disciplinam ingenerari magni æstimauit, eique tam tristi exemplo præcepit, vt non solũ virginitatem illibatam, sed & oscula ad virum sincera perferret,* vt refert Valer. Max. *Lib. 6. cap. 1.*

Deinde ostenditur, quòd non solum eadem domo, mensa, thoro, cum viro vsa fuerit, (quæ in coniugibus sine legitima causa separari non possunt) sed etiam quod amanter inter se, & concorditer vixerant; sicut dicitur de Enoch, & Noe, quòd *ambulauerunt cum Deo*; & de Moyse, & Helia, quod *cum Christo loquebantur*, quia videlicet ei per omnia consentiebant. *Quàm cara autem esse debeat mariti, & vxoris coniunctio, eo etiam* *Lib. 12. cap. 36. Ciu. Dei* *significatum est*, inquit Augustus. *quod fœmina ex viri latere facta est*: Ac inter tria bona quæ apud Sapientem probantur Deo, & hominibus, vnum est, *Vir & mulier bene sibi* *Eccl. 25.* *consentientes.* Docet Plutarchus, *debere vxorem, nullum affectum habere priuatum, sed studia, curas, visum, & omnia communia cum viro.* *In Præc. Cõnub.*

Denique *vidua erat, vsque ad annos* 84. Defuncto enim marito viduitatem suam adhuc in flore ætatis, & quidem eo tempore, quo castitatem mores Israelitarum recusabant, Deo sacrauit; quemadmodum, & antea Iudith vidua nobilis, per quam Dominus tam insignem victoriam est operatus, *propterea quod* (vt ad illam aiebat summus sacerdos) *castitatem amauerit, & post virum* *Iudith. 15.* *suum alium nesciuerit. Portia Catonis filia, cùm apud eam laudaretur, quæ secundùm habebat maritum, Respondit; felix, & pudica* *Lib. 1. in Iouin.* *matrona nunquam nisi semel nubit. Apostolus*, inquit, D. Hieron. *digamiam malis mulieribus ignoscit, & antequam religio nostra* *Ibidem.* *fulgeret in mundo, vnicubæ semper inter matronas habuere decus.* Testis Valer. Max. qui *Hieron.* lib. 2. ita ait; *Quæ vno contentæ matrimonio* *Lib. 2.* *fuerant, corona Pudicitiæ honorabantur. Existimabant enim eum præcipuè matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui depositæ virginitatis cubile pudicum egredi nesciret; multorum matrimoniorum experiẽtiam, quasi illegitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse credentes.* Valdè autem commendantur viduæ iuueues, in quibus *quantò laboriosior continentia, ob expertam voluptatem, qua carere difficilè est, tantò maius præmium*, inquit S. Hieron. *Perfectæ virtutis* *Lib. 1. in* *indicium est*, ait idem, *renuntiare subitò ex-* *Iouia. ad* *pertæ voluptati, fugere notas carnis illece-* *Furiam* *bras, & calentis adhuc ætatis flammas fidei* *& Ger.* *vigore extinguere.*

Laudatur secundo Annã, quod *non discedebat de Templo*, aut quia ibi fixam sedem habebat, vel quia tempore congruo semper aderat diuinis officijs. Templum frequentabant Apostoli; *Erant semper in Templo* in- *Cap. vlt* quit Lucas, *Laudantes, & benedicentes* *Cap. 2.* *Deum.* Et, *Quotidie perdurantes vnanimiter in Templo.* D. Ignatius, *Omnes*, inquit, *ve-* *Act.* *lut vnus quispiam ad Templũ Dei concurrite, sit vna precatio cõmunis, vna spes, in charitate, & fide inculpata in Christum IESVM.* De Monica matre sua narrat August. *Ad Mag* *nesia.* quod *bis in die, manè, & vesperi ad Ecclesiã* *Lib. 5.* *sine intermissione veniebat; non ad vanas fa-* *Conf. c.* *bulas, & aniles loquacitates, sed vt te Domi-* *9. & lib.* *ne audiret in tuis sermonibus, & tu illam in* *9. c. 7.* *suis orationibus.* Et tempore persecutionis Iustinæ Imperatricis Arrianæ, cum in Ecclesia excubaret pia plebs cum Episcopo suo Ambrosio mori parata, illa primas vigiliarum partes tenens, orationibus viuebat.

Templa enim Dei ad eum vsum propriè constructa sunt, vt illic Deus coleretur. Etsi enim alijs quoque locis Christianus precetur vtiliter, & vbique leuandæ sint puræ ad Deum manus, tamen & ipsa loci commonitio efficit, vt id sacris in templis magis libeat, atque in studium orandi incumbatur alacrius, & ob confluentem multitudinem accendit vnius ardor proximos, & ipsa Ecclesiæ fides, & oratio ad id plurimum confert, vt qui ea loca quippiam petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Catholicorum templa ita commendat D. Chry- *In 1. ad* sost. vt appellet ea; *loca Angelorum, & Ar-* *Corint.* *changelorum, regiam cœli, cœlum ipsum*, id *Hom. 36* declarans ex præsentia corporali Christi in Eucharistia, cuius corpus illic offertur, seruatur, sumitur.

Li-

Liceat templorum euersores, ijsdem propè verbis conuenire, quibus olim D. Optatus, Epiſcopus Mileuitanus Donatiſtas compellauit; *Dicite fratres, quid vobis fecerat locus? quid ipſi parietes, vt iſta paterẽtur? An quia illic rogatus eſt Deus? an quia illic laudatus eſt Chriſtus? an quia illic inuocatus eſt Spiritus Sanctus? an quia vobis abſentibus illic Prophetæ, & Sancta Euangelia recitata ſunt? an quia illic fratrum iamdudum litigantium concordauerunt mentes? &c.* Ex quo perſpicitur eos qui templa ſtudent euertere, non modo in Deum, qui illic colitur iniurios eſſe, ſed etiam pios homines, quantum in ipſis eſt, grauiſsimo animarum damno afficere, crudèliterq; perſequi. Hinc illa querela D. Hieron. de ſui temporis calamitatibus; *Subuerſæ Eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, Martyrum effoſſæ reliquiæ.* Et D. Aug. in vaſtatione illa Africana, maximè deflebat; *Deſtructas Eccleſias, Miniſtris, & Sacerdotibus deſtitutas, hymnos, & laudes de eis defeciſſe, Sacramenta, & ſacrificia, vel non quæri, vel quærentibus qui tradat, non reperiri,* vt refert Poſsido.

Denique Anna *ieiunijs, & orationibus ſeruiebat Deo die, ac nocte. Multum refert*, inquit Cyprian. *vtrum quis ſtudeat demereri Deum an homines.* Multi in ſuis actibus etiã bonis, vel boni ſpeciem habentibus, non Deo ſed mundo ſeruiunt. *Non ſtatim*, inquit D. Hieron. *qui ieiunat, Deo ieiunat, aut extendens manum pauperi, Deo fœnerat: Vicina ſunt vitia virtutibus difficile eſt Deo tantum iudice eſſe contentum.* Anna Deo ſeruiebat. Quibus? *ieiunijs, & orationibus.* Duo optima ſeruandæ caſtitatis præſidia. Hinc idem Doctor; *Iudith, & Anna Phanuelis, ieiunijs & orationibus theſaurum pudicitiæ conſeruabant: Vnde & altera in typo Eccleſiæ Diabolum capite truncauit; altera Saluatorem mundi prima ſuſcepit, Sacramentorum conſcia futurorum. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes*, inquit D. Leo, *& per ieiunium reſiſtentes Diabolo vitia blanda ſuperamus. Dum enim venter ſatietate extenditur, aculei libidinis excitantur, & dum nimis nutritur caro, ſimul & carnis nutriuntur vitia.* Oratione autem opus eſt, ſicut vt acquiratur caſtitas, ita & vt conſeruetur. Vnde Sapiens, *Vt ſciui quoniam non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis.* Et D. Aug. de ſe: *Putabã me miſerũ fore nimis, ſi fœminæ priuarer amplexibus, & medicinam miſericordiæ tuæ ad eam infirmitatem ſanandam, non cogitabam; Vtique dediſſes caſtitatem, ſi gemitu interno pulſaſſem aures tuas, & fide ſolida iactaſſem in te curam meam.* Sicut autem gratia Dei donatur, ita eiuſdem gratia conſeruatur: *Nulla eſt enim caſtitas*, inquit quidam Sapiens, *ſi eam non protegat Domini bonitas*; Et, *bonũ caſtitatis nõ cuſtodit*, inquit D. Aug. *niſi Deus ipſe qui dedit.* Hinc S. Cæcilia, cũ de caſtitate admittẽda periclitaretur, ſollicitè rogabat Dominũ; *Fiat cor meũ & corpus meum immaculatũ, vt non confundar.*

Superſunt tres virtutes in ſanctiſsima Virgine conſiderandæ: vna eſt, obedientia, qua ſuapte ſponte elegit ſubijci, omneſque ritus veteris legis, diligenter obſeruare, cùm tamen lege purificationis non teneretur. Certum enim, ac firmum habere debemus, hanc virginem ab initio inter omnes mulieres, benedictam, corpore, & animo ſemper intactam, ac inuiolatam, ab omni peccati labe integram, & gratia plenam extitiſſe, nullamque aliam adeò ſanctam, ac felicem inueniri poſſe, quam de ſummo cœlo Pater æternus lætioribus vnquam oculis aſpexerit, quæ legem omnem diuinam in terris exactius obſeruarit.

Præbet ergo Virgo ſanctiſs. exemplum obedientiæ, de qua D. Auguſtinus, *Nihil tam expedit animæ, quàm obedire; ſi in ſeruo, vt Domino; in filio, vt patri; in vxore, vt marito; quanto magis in homine; vt Deo obediat?* Quid autem malorum inobedientia generi humano attulerit, quis non cognoſcit, omnis non experitur? Vnde enim rerum omnium, tum in ipſo homine, tum extra eum perturbatio, niſi ex humana aduerſus Deum rebellione? *Mentis, & carnis artifex eſt Deus*, inquit, D. Auguſtinus, *ipſe quando hominem creauit, vtrumque fecit, vtrumque coniunxit: carnem animæ ſubdidit, animam ſibi; ſi ſemper illa ſtaret ſub domino ſuo, ſemper, & iſta obediret dominæ ſuæ. Noli ergo mirari, ſi ea quæ deſeruit ſuperiorem, pœnas patitur, per inferiorem.*

Ad eandem rebellionem, & perturbationem deſignandam, cernimus animantia, non ſolum contra ipſum hominem, qui eis præpoſitus erat, ſed & contra ſeipſa crudelia, & fera euaſiſſe; itemque aerem, terram, & cætera quæ hominis gratia condita ſunt, de ſuo ſtatu mota; non aliter quam ſi Patre familias à latrone ſublato, totius familiæ, ac ſupellectilis ordo turbetur. Creatus eſt homo condito iam orbe, vt tanquam princeps, & Dominus præparatum ſibi in regnum, ac domicilium introduceretur, vbi ei ſubſeruirent ad nutum vniuerſa; ſed nobis iſta pro arbitratu non ſeruiunt (imò ſæpè pernitiem adferunt quoniam Domino noſtro ipſi non ſeruimus. *Quæreris*, inquit D. Cyprianus Demetriano, *quod non ita vtilitatibus tuis, ac voluptatibus elementa deſeruiunt; Tu enim Deo ſeruis, per quem tibi cuncta deſeruiunt? Tu famularis illi cuius nutu tibi vniuerſa famulantur?* Et quoniam hæc pietas, qua Deo ſeruitur, magis magisq; progreſſu tem-

Lib. 6. cõt. Par. & Donat.

In epiſt. ad Helio do.

In vita cap. 28.

Epi. 55.

Cõt. Lucifer.

Ad Saluinam.

Ser. 2. de ieiu. 10. menſ.

Greg. in Paſt. p. 3. admõ. 20.

Ber. ſer. 66. in Cãt. Sapient. 8.

Lib. 6. Cõf. c. 11.

Thom. Kẽp. lib. 3. de Imit. De S. Virg. Pſ. 118.

In Pſal. 70.

Ser. 12. de Verb. Apo.

Cypriã. ad Dem.

porum langueſcit, etiam vim naturæ debilitari in rebus cernimus, mundumque ipſum quodammodo conſeneſcere, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtari, vti ibidem Cyprianus demonſtrat.

Ser. 1. ſuper Miſſ. Altera virtus, humilitas eſt, de qua D. Bernard. *Laudabilis virtus Virginitas eſt, ſed magis neceſſaria humilitas; illa cõſulitur, iſta præcipitur; ſine virginitate ſaluari potes, ſine humilitate non potes; poteſt, inquam, placere humilitas, quæ virginitatẽ deplorat amiſſam, ſine humilitate verò, audeo dicere, nec MARIÆ Virginitas placuiſſet. Niſi efficiamini ſicut paruuli,* (ideſt, *humiles*, inquit Chriſtus) *non intrabitis in regnum cœlorum. Non quod ad lubrica infantiæ, & imperfecta nobis primordia redeundum ſit*, ait D. Leo, *ſed aliquid quod etiam amos graues deceat inde ſumendum eſt, velox commotionum tranſitus, citus ad pacem recurſus; nulla ſit memoria offenſionis, nulla cupiditas dignitatis, amor ſociæ dilectionis. æqualitas naturalis.*

Mat. 18

Ser. 7. de Epiph.

Hanc autem humilitatem oſtendit D. Virgo, quandoquidem pura ſemper, & immaculata, ſeſe vltro alijs Iſraëlitis, & immundis admiſcuit mulierculis, nihil de ſe ſublime, vel ſentit, vel loquitur, ſed perinde, ac ſortis extremæ, & abiectiſsimæ cõditionis quædam à Templi ſacri ingreſſu abſtinet, ſuique puerperij præſcriptos dies expectat, ac deinde velut immunda, & æqualis alijs, legem purificationis ad vnguem obſeruat. Non pudet, nec piget illam ſtatu tempore in templum prodire, & egenis puerperis adhæreſcere, quod in facultatibus tantum non haberet, vt agnum anniculum in holocauſtum offerre, ſuoque munere filium redimere poſſet, & idcirco duos turtures, aut duos pullos columbarum adduxit.

Ser. 16. in Cant. *Verus humilis*, inquit D. Bern. *vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet de contemptu ſui; hoc ſolo nomine ſuperbus, quod laudes contemnit.* Et D. Gregor. *Sicut ſuperbi honoribus, ſic plerumq; humiles ſua deſpectione gloriãtur, cumq; ſe viles in oculis alienis aſpiciunt, idcirco gaudent, quia hoc iudicio confirmari intelligunt, quod de ſe, & ipſi apud ſemetipſos habuerunt.* Decebat matrem eſſe humilẽ, quæ humilem Deum pepererat. Maxima enim fuit filij Dei humilitas, quod venerit in ſimilitudinẽ carnis peccati, quod verſatus inter peccatores, & miſeros, ijſdem miſerijs, & ipſe ſine peccato obnoxius, ac tandem etiam cum iniquis, ac ſceleratis reputatus. *Nihil autem dignius eſt*, ait D. Leo, *quàm vt homo ſui authoris ſit imitator, & ſecundùm modũ propriæ facultatis, diuini ſit operis executor. Et hæc eſt naturalis noſtri generis dignitas, ſi in nobis, quaſi in quodam ſpeculo Diuinæ benignitatis forma reſplendeat.*

Lib. 1. Dialog. cap. 6.

Ser. 1. de ieiun. 11 menſ.

Mat. 11 Vnde diligenter ipſe omnes hortatur; *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

Tertia virtus, charitas eſt, quæ in eo fuit, quod legem ſeruando quã nõ tenebatur, proximis id ignorantibus omnem calumniandi occaſionem amputauit; docens nos, ſingularem aliorum, præſertim imbecilliorum, rationem habendam eſſe, ne Chriſtiana libertate, cum cuiuſquam offenſione, vnquam præpoſterè abutamur: & vt de noſtro etiam iure aliquando cedamus, noſtroque incommodo, ſi poſsimus, alienum commodum prouehamus. Vnde & Apoſtolus monet; *Vos in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſeruite inuicem* Et alibi; *Quæ pacis ſunt ſectemur, & quæ ædificationis ſunt inuicem cuſtodiamus.* Et rurſum; *Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei.*

Galat. 5

Rom. 14

1. Cor. 11 in epiſt. ad Celã.

D. Hieronymus, *Apoſtolici*, inquit, *præcepti, & exempli eſt, vt habeamus rationem, non conſcientiæ tantùm, ſed & famæ. Non ſuperfluum, nec à fructu vacuum, Gentium Magiſter hoc docet, vult enim etiã extraneos ad fidem homines, per fidelium opera proficere; vt religionem ipſam diſciplina religionis commendet, vnde & ipſe de ſe: Prouidemus bona,* nõ tantùm corã Deo, *ſed etiã corã hominibus. Et alios hortatur, Prouidentes bona non tantum coram Deo, &c. Beatus qui tam ſanctè tamque grauiter diſpoſuit vitam ſuam, vt de eo ſiniſtri aliquid ne fingi quidem poſsit, dum aduerſus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quiſquam auſus eſt, quod à nullo putat eſſe credendum. Quod ſi id aſſequi difficile, ac nimis arduum eſt, ſaltem hanc adhibeamus vitæ noſtræ diligentiam, ne malæ mentes occaſionem mueniant detrahendi; ne ex nobis ſcintilla procedat, per quam aduerſus nos ſiniſtræ famæ flamma conſletur: alioqui fruſtra iraſcimur obtrectatoribus, ſi eis ipſi obtrectandi materiam miniſtramus.*

Rom. 12 2. Cor. 8

Pulchrè etiam Plutarchus: *Crimine aliquo notatus*, inquit, *ſi id verum ſit maiore ſtudio id expurgare debes, quàm veſtis aliquam commonſtratam maculam; ſi falſum, tamen quærenda cauſa eſt, quæ criminationi occaſionem dedit; cauendumque, & verendum, ne imprudentes talè aliquid, aut ſimile eius, quod obiectum fuit committamus. Ergo cùm aliquid obijcitur falſum, non ideò contemni, aut negligi debet, ſed ſi quod dictum, factum, vel quid aliud huic calumniæ anſam dedit, ſtudioſè cauedum.* ita Plutarch. Quam conforme Apoſtolicæ doctrinæ, quæ monuit; *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*: & S. Aug. in lib. de Bono viduit. Vbi dicit, *non eſſe audiendos, ſiue viros ſanctos, ſiue fœminas, quando reprehenſa in aliquo negligentia ſua, per quam fit, vt in malam veniant ſuſpitionem, vnde ſuam vitam longè abeſſe ſciunt, dicunt ſibi coram Deo ſufficere conſcientiã, exiſtimationem*

In lib. de vtilitate ex hoſte capiẽda.

1. Theſſ. 5.

De bon. vid. cap. 22.

tionem hominum non imprudenter solum, verum etiam crudeliter contemnentes: cùm occidant animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundùm suam suspicionẽ qua sit turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum; siue etiam cum excusatione imitantiũ, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum, atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra: & vtique etiam quod alijs ministramus misericorditer, ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem. Hactenus Augustinus. Habetis, varia virtutum exemplа, imitatione dignissima, ac memori mente tenenda.

Concludam ergo hanc doctrinam sententia quadam D. Hieronymi, qua in Celantia Matrona nobili, omnes ita hortatur; *Præcipua tibi cura sit legem nosse Diuinam, per quam possis quasi præsentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum sit, quidve vitandum illius consilio discere.*

In epist. ad Celãt.

MONITVM XV.

Lucæ 2. *CVM inducerent puerum IESVM in Templum parentes eius, &c.* Lucæ 2. Sanctissima Virgo MARIA, hodierno suo exemplo, quo primogenitum in Templum *Exo. 12.* induxit, vt sisteret eum Domino (quod fieri præceperat Deus in memoriam ingentis illius beneficij, quo Ægyptiorum primogenitis occisis, primogenita Israelitarum, seruauit) monuit atque incitauit, vt de spiritali Dei Templo, & spiritali primogenitorum cæde sermonem instituerem; quod id vobis non inutile, temporibus nostris infelicissimis accommodum, Deiparæ Virgini non ingratum fore existimarem.

Aggæi. 2 Atque vt à primo exordiar; Propheta Aggæus ex ore Domini de Templo Salomonis iam ab hostibus euerso ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad IESVM filium Iosedech Sacerdotem magnum, necnon ad reliquos populi verba faciens; *Quis*, inquit, *in vobis est derelictus, qui vidit domum istã in gloria prima?* quam videlicet, habuit ante euersionem; *Hæc dicit Dominus exercituũ; Magna erit gloria domus istius nouissimæ;* post captiuitatem reædificandæ; *plus quam primæ;* eò quod ipse Deus carnem indutus, ingressurus esset in eam, ac corporali præsentia honestaturus. Vnde ibidem; *Veniet, desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituũ.* Quod hodie primum completum cernimus, quando Virgo sanctissima impletis diebus purgationis, primogenitum induxit in Templum, vt offerret, & consecraret eum Domino.

A Qua re hoc, nimirum, significatum est, quàm esset gloriosum, ac honorificum; quantique æstimandum spirituale Templum, quod ipse Deus Maiestatis intrat per gratiam, & per fidem, ac dilectionem inhabitat. De quo Apostolus Paulus: *Nescitis*, inquit, *quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et. *Vos estis Templum Dei viui, sicut dicit, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo. Quem*, inquit S. Leo, *fideles tantò magni fient ius recipiunt, quantò magis non in se, sed in Domino gloriantur: quoniam quibus dicitur, Regnum Dei intra vos est, nihil non agunt illius spiritu, cuius reguntur imperio.* De quo & D. August. ad Italicam, con- B solans eam super obitu mariti; *Non*, inquit, *te desolatam putare debes, cùm in interiore homine habeas præsentem Christum per fidem in corde tuo.*

1. *Cor. 3.* 2. *Co. 6.* *Ser. 8 de Epiph.* *Luc. 17.* *Epist. 6.* *Ephes. 3*

Et de matre sua Monica cum Domino loquens; *Quisquis*, inquit, *seruorum tuorum eam nouerat, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te, quia sentiebat præsentiam tuam in corde eius, sanctæ conuersationis fructibus testibus.* Tale Templum ipsa Virgo sanctissima, de qua D. Augustinus; quod *beatior fuit percipiendo fidem Christi, quã concipiendo carnẽ Christi:* & D. Leo: *Virgo regia*, inquit, *Dauidicæ stirpis elegitur, quæ sacro grauidandæ fœtu, Diuinã humanãque prolem prius conciperet mente, quã corpore.* Sic & V. Beda: *Dei genitrix inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est tẽporalis, sed inde multò beatior, quia eiusdem semper amandi, custos manebat æterna.* C

Lib. 9. Cõf. c. 9. *De S. Virg. c. 3. 4.* *Ser. 1. de Nat.* *Lib. 4. in Luc. cap. 49.*

Vnde verò Spiritale Dei Templũ agnoscatur, Propheta Dauid declarat; dicẽs; *Sanctum est Templum tuum.* Prophanari nõ debet, est enim Deo sacrum, Deo dicatum, nihil in eo agatur, nisi quod ad Deũ pertinet. Addit, *Mirabile in æquitate. Non dixit*, inquit August. *mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis; sed mirabile in æquitate, seu iustitia. Habes foris oculos vnde videas marmora, & aurum; intus est oculus vnde videatur pulchritudo iustitiæ, quæ virtutes in se complectitur omnes*, quibus Domus Dei egregiè adornatur. Rursum Proph. Dauid; *Trãsibo in locum tabernaculi admirabilis*, id est, abstrahẽs me à strepitu carnis, & sanguinis, contẽplabor diligenter, quæ in Tabernaculo Domini agantur. Vbi D. Aug. *Tabernaculum Dei in terra, homines sunt fideles; multa in eis sunt admiranda: animã seruienti Deo, membra corporalia militare admiror, respicio, & ipsam animam obedientem Deo, distribuentẽ opera actus sui, frenantem cupiditates, pellentem ignorantiã, extendentẽ se ad omnia aspera, & dura tolerãda, iustitiam, & charitatem impendentem cæteris.* Hæc fiunt in Templo Domini. D

Psal. 65 *Psal. 41* *In Psal. 64.* *In Psal. 41.*

Deinde D. Leo; *Qui*, inquit, *experiri cupit, an in ipso Deus habitet, de quo dicitur, Mirabilis Deus in Sanctis suis; sincero examine cordis sui, interiora discutiat, & sagaciter quærat, qua humilitate resistat superbiæ, qua beneuolentia obluctetur inuidiæ, quã non capiatur adulantium linguis, quamq; bonis delectetur alienis; an pro malo non cupiat malũ reddere, malitq; multas obliuisci iniurias, quã imaginem, & similitudinem sui cõditoris amittere, qui omnes ad cognitionem sui generalibus incitans donis, pluit super iustos, & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos, & malos. Ac ne in multis laboret sollicitæ discretionis inspectio, ipsam matrẽ omniũ virtutum, Charitatem in secretis suæ mẽtis inquirat; & si in ea dilectionẽ Dei, & proximi toto corde intentè repererit, ita vt etiã inimicis suis eadẽ velit tribui, quæ sibi optat impẽdi, quisquis huiusmodi est, Deũ, & rectorem, & inhabitatorem sui esse non dubitet.* Hactenus Leo. Denique D. Prosp. in Epigram. ait.

Cũ constans anima, aduersis nõ frãgitur vllis,
Et fidei virtus intemerata manet,
Norit inesse sibi Dominum patientia fortis
Inque eius donum, quod sleterit, referat;
Nam quod nõ cecidit, proprijs sviribus aptet,
Hoc ipso quo se stare putat, cecidit.

Dignitatem autem huius spiritalis Templi intellexit Cõstantinus Mag. Imper. quando, vt refert Theodoret. viros illos eruditione, & sanctitate præstantes, quos Maximinus Tyrannus, tanquam hominum vilissimos ad metalla damnauerat, & alijs dextros oculos effoderat, alijs crura succiderat; *ipse mensæ suæ assidere fecit, labia vulneribus admouit, certus osculo benedictionem se inde hausturum.* Agnouit, & magnus ille Rex apud D. Damasc. Qui conspiciens duos admodum miseros externo quidem habitu, attamen iustos, *E curru aureo, in quo sedebat, desilijt, atque humi prostratus adorauit; deinde surgens amicissimè complexus est, & salutauit.* Vtique ipsum Dominum in seruis, velut in Templo suo, considerantes, ac venerantes. Dignitas huius Templi etiam ex eo perspici potest, quod grauissimè Deus indignetur ijs, qui ipsum violant. Horribiles fuere exitus eorum, qui materiale Templum violarunt, vt Balthasaris, Antiochi, Heliodori, Alcimi, & aliorum; Ipse Christus, alioqui mãsuetissimus, grauissimam ostendit iram erga eos, qui idem Templum prophanabant. Quanta putatis supplicia illos manere, qui spiritale Templum, cuius illud est figura, ac signum, prophanare, ac violare non verentur?

Si, inquit Aug. *eligeres in Ecclesia Dei facere adulterium, intra istos parietes, quid te esset seceleratiùs: Modò autem tu ipse es Templum Dei, Templum intras, Templum exis, Templum in domo tua manes, Templum sur-*

gis. Vide quid agas, vide ne offendas Templi habitatorẽ, & deserat te, & in ruinam verteris. D. Hieron. ad Sabinianum, qui Virginem ad stuprum sollicitauerat; *Oza Leuites*, ait, *arcam Domini, quam portare ipse debuerat, quasi ruentem sustentare voluit, & percussus est. Quid de te futurum putas, qui stantem arcam Domini præcipitare conatus es? Si quis*, inquit Apostolus, *Templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.*

Violant autem, vel qui seipsos erroribus, libidinibus, ebrietatibus, comessationibus, similibusque sceleribus contaminant; vel alios consilio, hortatu, exemplo malo ad huiusmodi flagitia seducunt. Quod factum conqueritur grauiter Proph. Dauid, dicens; *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum.* Venerunt in hæreditatem tuam, id est, in Ecclesiam, inquit Augustinus; non credendo, sed persequendo, inuaserunt eam animo delendi, atque omninò perdendi. Polluerũt Templum sanctum tuum, quod non in lignis, & lapidibus, sed in ipsis hominibus intelligitur, de quibus tanquam lapidibus viuis construi dicit Apostolus Petrus Domum Dei; quod Templum persecutores in ijs polluerunt, quos ad negandum Christum terrendo, vel cruciando coegerunt, vel ad alia scelera blanditijs, promissis, vel alijs modis pertraxerunt.

Habetis spiritualẽ de Templo interpretationem, de quo imprimenda est penitus animo sententia S. Leonis dicentis: *Si templum Dei sumus, multa nobis vigilantia laborandum est, vt cordis nostri receptaculum, tanto hospite non sit indignum. Et sicut in domibus manufactis laudabilis diligentia prouidetur, vt siquid aut infusione imbrium, aut turbine procellarum, vel ipsa fuerit antiquitate corruptum in integrum cura restituat; ita iugi oportet sollicitudine præcauere, ne quid in animis incompositum, ne quid inueniatur immundum.* Quisque ergo oret cum S. Augusti no Dominũ; *Angusta est domus animæ meæ, quo venias a deam, dilatetur abste. Ruinosa est, refice eam. Habet quæ offendant oculos tuos. Sed quis mundabit eam? aut cui alteri, præter te clamabo? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.*

Ad secundùm veniamus; Oblatio Primogenitorum vnde originem habuerit, neminem ignorare puto; Exegit illam Deus in recordationem magni illius beneficij præstiti populo Israel, cum interfectis omnibus primogenitis Ægyptiorum, solis Israelitis pepercit Deus. Quod præceptum sanctissimam Virginem diligenter esse executam, Euangelista Lucas testatur. Sed operæ pretiũ est, spiritualẽ huius historiæ sensum proponere. Ac cæteræ quidem plagæ, quibus afflicti fuerunt

Ser. 8. de Epiph. *Psal. 67* *Mat. 6.* *Prosp. in Epigrã.* *Lib. 1. hist. c. 1.* *In hist. Barlaã cap. 6.* *Dan. 5.* *1. Mac. 6* *2. Mac. 6. 5. & 9.* *Ioan. 2.* *Apud Beda in cap. 3. 1. ad Co.* *In epist. Sabin. Diac.* *1. Cor. 3* *Psal. 73* *Augusti. in illum Psalm.* *1. Pet. 2.* *Ser. 5. de Quad.* *Lib. 1. Conf. c. 5* *Psal. 18* *Exo. 13.* *Lucæ 2.*

runt Ægyptij, varia hominum scelera significant, in quæ iusto Dei iudicio cadere permittuntur; ista autem postrema, occisio videlicet primogenitorum, quæ omnium habebatur grauissima, amissionem fidei nobis ob oculos ponit. Primogenita enim est fides, & superni agricolæ prima plantatio, spiritalis ædificij fundamentum, omnium bonorum semen, ac radix. Vnde Apostolus Paulus ex fide nos iustificari, ex fide viuere dicit; quia inquit D. August. *Fides prima datur, vt per illam cætera impetrentur, quæ ad iustitiam, & vitam pertinent.* Et S. Ioannes, *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Demonstrat enim illa nobis parandæ victoriæ rationem, dum eum ostendit, cuius ope solius, & gratia vincimus, si ad illum ex hac confugerimus. *Nemo enim suis viribus fortis est*, ait Cyprian. sed per eum solum vincimus, qui dicit, *Confidite, ego vici mundum.* Quem cùm demonstrat, & inuocat fides, fit, vt de ea quoque vere dicatur, *hæc est victoria*, id est, causa victoriæ, qua mundum vincimus, & sic immarcessibilem gloriæ coronam percipimus. Vnde facilè intelligitur, quantum sit Dei in homines beneficium, quando eis dat veram fidem, in eaque perpetuò conseruat.

Vid. August. in Ps. 104. *De præd. Sancto. c. 7.* *De orat. Domin.* *Ioan. 16.*

Quantum verò supplicium, quando peccatis ita merentibus, eam adimit, hominesque in varios errorum labyrinthos incurrere permittit? Quod Dominus Deus tamquam grauissimum malum in Scripturis sacris comminatur: dum per Isaiam de Vinea non ferente fructum; *Mandabo*, inquit, *nubibus meis, ne pluant super eam*, id est, prædicatoribus veritatis, ne rigent eam imbre doctrinæ salutaris, qua in cordibus hominum fides vera gignitur, nutritur, ac conseruatur: dum per Amos terribiliter intonat, *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini*, id est, defectum veræ fidei, ac inopiam doctrinæ salutaris: dum Israelitis prædicit, quod propter peccata essent *per multos dies absque Sacerdote, Doctore*, qui videlicet, eis annuntiaret veram fidem, qua Deus verus cognoscitur, ac via ad Deum demonstratur. Vnde, & tres pueri in camino ignis, non amissam patriam deplorant, non opes, non amicos, sed quod *non esset Sacrificium* quo Deum sibi propitium redderent; *nec Propheta*, qui eis ex ore Domini loqueretur, ac salutari doctrina impueret. Sic & tempore Machabæorum, *fidelibus minor erat sollicitudo pro vxoribus, & filijs, pro fratribus, & cognatis: maximus verò, & primus pro sanctitate timor erat templi*; ne illud violaretur, aut subuerteretur, in quo quotidie sacrificia offerebantur, veritatis fiebat prædicatio, ceremoniæ frequentabantur, quibus omnibus fides veri Dei, ac Mediatoris Christi significabatur, docebatur, alebatur, ac promouebatur in animis fidelium.

Isai. 5. *Amos 8.* *2. Par. 15.* *Oseæ 3.* *Dan. 3.* *2. Machab. vl.*

Audite in quo glorietur D. Gregor. Nazianzenus, & quo se consoletur, tempore Arrianorum, longè lateq; grassantium: *Habent*, inquit, *Arriani temeritatē, & audaciā, nos fidem; habent; illi minas, nos preces; habent illi feriendi infalentiam, nos patientiam; denique habent illi aurum, & argentum, nos purgatam fidei doctrinā. Sed aduersa, & peruersa corda mortaliū, felices res humanas putant cum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutū: cum tectorum splendor attenditur, & labes nō attendi tur animorum.* Et quę peior, aut pernitiosior animi labes, quam hæresis, aut infidelitas?

Ad Arrian. & de seipso *D. Aug. epist. 5.*

D. Aug. de seipso adhuc Manichæo; *Quid*, inquit, *Domine Deus, mihi proderat ingeniū per omnes doctrinas liberales agile, & tot nodosissimi libri sine vllo humani magisterij adminiculo enodati, cùm deformiter, & sacrilega turpitudine in doctrina pietatis errarē? Aut quid tantum oberat paruulis tuis longè tardius ingeniū, cum à te longè nō recederent, vt in nido Ecclesiæ tuti plumescerent, & alas charitatis alimēto sanæ fidei nutrirent: Infelix homo, qui scit illa omnia, te autē nescit; beatus autem qui te scit, etiamsi illa nescias? Qui verò, & te & illa nouit, non propter illa beatior. sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut Deum glorificet, & gratias agat, & non euanescat in cogitationibus suis.*

Lib. 4. conf. c. vlt. *Lib. 5. conf. c. 4*

Certè hoc imprimis studiosissimè agit Diabolus, vt excludat lucem fidei, & tanquam errorum obiecta mole, salutis aditum intercludat. Quod vbi perfecit, non magnum est, si in libidinum infandarum gurgitē demergat; si superstitionū malis artibus illaqueet; si superbiæ elatione præcipitet; si inuidię exagitet stimulis; si conculcet per auaritiam; si consumat per ingluuiem; si frangat per impatientiam; si deijciat per desperationem; si deniq; tanquam immissa cohorte omniū vitiorum pessundet, ac perdat genus humanū. Vnde rectè D. Leo; *Facile Diabolus in omnia flagitia impellit, quos in Religione decepit;* sublata enim veri notitia, tanquam extrictis luminibus, & oculis erutis, regit hominem Diabolus tenebrarū propterea Princeps appellatus; quoq; libuerit, impellit, sibique penitus seruire cogit. Hinc idem D. Leo; *Ad præmia æterna tendētibus in eo maximè Diaboli insidiatur astutia, vt quorum non potest peruertere probitatem, subruat fidem.* Et rursum; *Diabolus non solum per carnis cōcupiscentias, & per corporeas tantùm insidiatur illecebras, sed inter ipsa quoque semina fidei spargens Zizania falsitatum, veritatis studet violare culturā; vt quos non potuerunt corrū pere malis actib⁹, impijs subuertat erroribus.*

Ser. 4. de Collect. *Ser. 9. de Quad.* *Ser. 18. de Pass.*

Epheſ.2 Dicit Apoſtolus Paulus, *quod princeps aeris huius operatur in filijs diffidentiæ*, Quid operatur. *Operatur*, inquit Augu. *opera ſua mala, & inprimis maximeque ipſam diffidẽtiã ſeu infidelitatem, qua ſunt inimici fidei, per quã ſcit eos poſſe mũdari, poſſe ſanari, poſſe perfectiſsimè liberos (quod eis vehementer inuidet) in æternitate regenerari. Itaque aliquos eorũ*, inquit, *per quos amplius decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur per quaſque gentes. Sed quoniam ſicut veriſsima Scriptura dicit:* *Rom.14* *Omne quod nõ eſt ex fide peccatũ eſt*; *Heb.11.* *Et ſine fide impoſsibile eſt placere Deo; nihil ſic agit Diabolus, quam vt non credatur in Deum, nec ad mediatorem, à quo ſaluuntur eius opera, credendo veniatur.*

De Vni. Eccleſ. *Quod verò aſtutius*, inquit D. Cyprianus, *atque ſubtilius, quam vt Chriſti aduentu detectus, ac proſtratus inimicus, videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas, ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes inuenit, & ſchiſmata quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem?* *Serm.5. de Nat.* Veriſsimè ergo dixit D. Leo, *Anguſta & ardua eſt via, quæ ducit ad vitam; non in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei; magni enim laboris, magnique diſcriminis eſt, inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles falſitates* (quas ſeminat Diabolus) *per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſsibus ambulare, & cum vndique ſe laquei erroreſque opponant, omne periculum deceptionis* *In Sym.* *euadere. Fidem autem Catholicam*, inquit D. Atanaſius, *niſi quis integram inuiolatamque* *In Epiſ. ad Dem.* *ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit;* Et D. Proſperus. *Alienus eſt à numero fidelium, & à ſorte ſanctorum, quiſquis in aliquo à Catholica veritate diſſentit.*

Quæ cùm ita ſint, ad conſeruationem fidei tot periculis expoſitæ, tamque ad ſalutem neceſſariæ, hortari vos volo verbis D. *Serm 4. de Nat.* Leonis ſanctiſsimi, ac doctiſsimi Pontificis, qui Serm. 4. de Nat. *Magnum*, inquit, *præſidium eſt fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab vllo quicquã nec minui poteſt, quia* *Pphe.4.* *niſi vna eſt, fides non eſt: dicente Apoſtolo, Vnus Dominus, vna fides. Huic vnitati inconcuſsis mentibus inhærete, & in hac omnem ſectamini ſanctitatem, & in hac præceptis Domini deſeruite; quia ſine fide impoſsibile* *Heb.11* *eſt placere Deo; Et nihil ſine illa ſanctum eſt, nihil caſtum eſt, nihil viuum. Iuſtus enim* *Rom.2.* *Heb.10* *ex fide viuit. Quàm qui Diabolo decipiente perdiderit, viuens mortuus eſt. Quia ſicut per fidem iuſtitia, ita etiam per fidem veram obtinetur vita æterna.*

MONITVM XVI.

VT darent hoſtiam, ſecundum quod ſcriptũ eſt in lege Domini. Luc. 2. Duæ nobis virtutes in Sanctiſsima Virgine conſiderandæ; vna eſt humilis erga Deum obedientia; altera eſt, ſincera erga proximum charitas. Primam declarauit, cùm ſe humilter Diuinæ legi ſubiecit, qua non tenebatur; non enim pepererat ſuſcepto ſemine, & filius natus non vuluam eius aperuerat, ſed intactam planè inuiolatamque reliquerat; & tamen dies purgationis ſeruare, primogenitum ſiſtere, hoſtiam dare, (quę omnia lex præcipiebat) more aliarum fœminarum, humiliter, ac obedienter voluit. *Lucæ 2.* *Leui.12* *Exo.13* *Num.8*

Diuus Chriſoſtomus: *Quod ſpiritus adoptionis agamur, eo manifeſtum fieri maximè dicit, quod mandata Dei non ſolum implemus ſed etiam tranſcendimus.* Et alibi: *Monachos eremi cultores collaudans, atque quod in oratione vſurpabant, vt abundarent in omni opere bono, precantes*; quid id ſibi vellet exponens, *hoc eos ſignificare ſcribit, petere, vt non ſolum faciant quæ debent ex præcepto, verumetiam vltra iniuncta progrediantur.* Quæ diſtinguens Diuus Auguſtinus, à præceptis: *Hæc*, inquit, *exiguntur, illa offeruntur; præcepta niſi fiant, damnantur; illa verò ſi fiant, laudantur: in præceptis debitum imperat tibi Dominus, in his autem ſi quid amplius ſupererogaueris, in redeũdo, reddet tibi.* *Hom.12 & 14. in Epiſ. ad Roman.* *Hom.16 in Mat.* *De S. vi. cap. 30.* *Luc.10.*

Amplius erogauerat Apoſtolus Paulus, (inquit idem Auguſtinus,) *quia cum Apoſtolis omnibus permiſſum eſſet, vt acciperent tanquam milites Chriſti ſtipendia à Prouincialibus Chriſti, ille manibus ſuis laborauit, & annonas ſuas Prouincialibus ſuis donauit.* Sic & Auguſtinus, qui de ſe in Confeſſ. *Nolo in aliud defluant horæ, quas inueniolib eras à neceſsitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & ſeruitutis, quam debemus hominibus, & quam non debemus, & tamen reddimus, quam*, videlicet, *in meditatione legis Domini.* Vehementer laudauit Dominus in Script. ac inſigni promiſſione decorauit, filios Rechab, quod patri ſuo Ionodab præcipienti, ne biberent vinum, & ne ædificarent domum (ad quæ tamen nõ obligabantur) humiliter obediſſent: *Hæc dicit Dominus exercituũ, Deus Iſrael*, (inquit Proph. Ieremias.) *Pro eo quod obediſtis præcepto patris veſtri Ionadab, non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in cõſpectu meo.* Sic etiã laudabile eſt, parẽtibus ad meliora hortantibus obtemperare, vt quãdo incitant ad perpetuã cõtinentiam, religioſã vitã. Et ſi *vnuſquiſque donum ex Deo habeat, alius quidem ſic, alius verò ſic*, & filij hiſce in rebus omninò liberi ſint, nullaque obediendi neceſsitate aſtringantur. *Pſ.125.* *li.11.c.2* *Ier.35.* *1.Cor.7*

Vide-

Videtis quo spiritu acta sit Virgo sanctissima etiam humiliter adimplens, ad quæ non tenebatur: hominum confundens superbam inobedientiam, qui etiam iniuncta quæque sub grauium comminatione pœnarum, audacter transgrediuntur, & præcepta Dei superbo, ac tumido animo contemnunt, & cõculcant. De quibus præceptis Dauid, *Tu mãdasti mandata tua custodiri nimis*; & D. Cyprian. *Deus vt est ad ignoscendum facilis, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens.* & D. Gregor. *Quidquid nobis cum mansuetudine præcepit, hoc à nobis cũ districtione exiget.* De huiusmodi peccato dicit Scriptura: *Quasi peccatũ ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idolatriæ, nolle acquiescere.* Talibus dicit Dominus; *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam.* Et iterum; *Populus ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.* Et rursum; *Maledicti, qui declinãt*, siue deficiunt, *à mãdatis diuinis*, rebellium videlicet in morem, subijci Deo suo recusantes.

Ps. 118. *Trac. de Laps.* *Hom. de Ascens.* 1. *Re.* 15 *Hyer.* 2. *Isai.* 30. *Ps.* 118.

De hoc tumido, & elato animo ita D. Hyeron. *Quamuis mihi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar. Delicta iuuẽtutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine; tamen sciens scriptum esse ab Apostolo. Ne inflatus superbia, in iudiciũ incidat diaboli. Et in alio loco; Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam; nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quàm tumentem animum, & ceruicẽ erectam, Dei contra se odium prouocantem. Noui enim Magistrum, & Dominum, & Deum meum in carnis humilitate dixisse: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. Et ante per os Dauid cecinisse, Memento, Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Et in alio loco legimus; Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam exaltabitur*, ita D. Hyeron.

In Epist. ad Abig. *Psal.* 24 1. *Tim.* 3 *Iac.* 4. 1. *Pet.* 5 *Mat.* 11 *Ps.* 131. *Pro.* 16 *De S. vi. cap.* 35.

D. verò August. tractans eandem sententiam Christi, discite a me. *Non dicit*, inquit, *Discite à me mũdum fabricare, aut mortuos suscitare: sed quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam salutarem; ò magistrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata est, atque transfusa. Noluit docere, quod ipse non esset, noluit iubere, quod ipse non faceret. Video te, bone Iesu, oculis fidei, quos aperuisti mihi, tanquam in concione generis humani, clamantem atque dicentem; Venite ad me, & discite à me. Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia, fili Dei, & idem qui factus es inter omnia fili hominis! Quid vt discamus à te, venimus ad te? Quia mitis sum, & humilis corde. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis, & humilis corde? Ita ne magnum est esse paruum, vt nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset. Ita planè: non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.*

Mat. 11 *Coloss.* 2

Idem Augustinus commendans nobis humilem obedientiam erga Deum, loquens de primis parentibus; *Seruiebant*, inquit, *Deo, vehementer sibi commendata pietate ebediẽtiæ, qua vna colitur Deus. Quæ, per se ipsa, quanta sit, quanque sola sufficiat ad tuendam rationalem sub Creatore criaturam, non potuit excellentius intimari, quam vt à ligno prohiberentur non malo. Absit enim vt bonorum creator, qui fecit omnia, & ecce valde bona, mali aliquid, in illius etiam corporalis paradisi felicitate plantaret. Sed vt ostẽderet homini cui esset sub tali Domino vtilissima seruitus, quãtum esset solius obediẽtiæ bonũ, quã solam de famulo exegerat, cui obedire, nõ propter ipsius dominatum, sed propter seruiẽtis vtilitatẽ, expediret; ab eo ligno sunt prohibiti quo si vterẽtur, nõ prohibiti, nihil mali omnino paterẽtur; vt quod illo post prohibitionem vtentes passi sunt, satis ostenderetur, quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata.* *Li. 2. de pe. mer. cap. 21.*

Ad eandẽ obedientiam egregiè nos hortatur D. Hyeron. *Hanc*, inquit, *à nobis & vox Christi & sanguis efflagitat; qui ideò mortuus est, pro omnibus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Viuere autem illi, non est aliud quàm eius præcepta seruare, quæ nobis ille, quasi certum quoddam dilectionis suæ pignus, seruanda mandauit. Si diligitis*, inquit, *me, mandata mea seruate. Neque vero eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimum mandata Dei contemnant, quæue quasi vilia, & parua despiciant. Nec metuunt, ne secundum diuinam sententiam, minima contemnendo, paulatim decidant. Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare; nec vllum inter scelus & erratum discrimen facere. Nos verò & si multum inter peccata distare credimus, tamen satis prodesse ad cautionem ducimus, etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim facilius abstinemus à quocunque delicto, quantò illud magis metuimus: Nec citò progreditur ad maiora, qui etiam parua formidat. Et sanè nescio an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptũ admittitur. Estque prudentissimus qui non tam considerat quod iussum sit, quàm illum qui iusserit: nec quantitatem imperij, sed imperantis dignitatem.* Hactenus Hyeronimus. *In Epist. ad Cela.* 1. *Cor.* 5 *Ioan.* 14 *Eccl.* 19

Iam de charitate D. Virginis erga proximum dicamus: quam in eo potissimum hoc qui-

quidem loco ostendit, quod diligéter remouerit, quod proximis offensionis, ac ruinæ occasionem præbere poterat. Quia enim mysteriú in ea operatione Spiritus Sancti peractum, nesciebant homines, facilè quasi contemptrix legis habita ab ijs fuisset, si nõ aliarum more mulierum legem implesset; sicut & Christus Dominus didrachma soluit, tametsi ab eo soluendo esset immunis; *ne*, inquit, *scandalizemus eos*, qui scilicet, ignorãt esse liberum. Illud autem diligenter monet Apostolus, vt non solum ab eo facto, quod reuera turpe, ac iniquum est, sed ab eo etiam, quod mali speciem habet, sedulò abstineamus; hac ratione saluti proximorum consulentes, ne malum aliquod, aut mali speciem habens, à nobis fieri conspiciant, & nostro exemplo ad aliquod peccatum committendum incitentur.

Corã cæco nõ pones offendiculum, ait Scriptura Sacra; *Coram cæco autem offendiculum ponere*, inquit D. Gregor. *est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere. Cùm enim praua æstimatio, inquantum sine peccato valet, ab intuentium mente non tegitur, cunctis malè credentibus, per exemplum culpa propinatur; hinc est quod Apostolus immunda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scandalum sua comessatione mouentibus, dicit; Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*

Imò tantam vult nos Dominus gerere curam salutis fraternæ, vt si ex recto nostro facto videamus eum peccare, & à peccato suo conuertendus speretur, si bonum opus nostrum (non tamen necessarium) paululũ vel intermissum, vel occultatum fuerit; debeamus illud intermittere, vel occultare. Sic multa tacebat Dominus propter salutem discipulorũ, ne scãdalizarẽtur. *Adhuc*, inquit, *habeo multa dicere vobis, sed non potestis portare modò.* Et eius Apostolus; *Quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non solidũ cibum; nondum enim poteratis. Vtile est enim*, inquit S. Augustinus, *vt taceatur aliquod verũ, propter incapaces.* Et alibi; *Si tantũ pondus habet aliquod verum, vt vires discentis excedat, suspendendũ est, vt extendat crescentem, non imponendũ, vt obterat paruulum.* Idem Augustinus acriter obiurgat Ediciam, quod nõ distribuisset eleemosynas erogare in pauperes, vnde eius maritus erat offensus; *An cuiusquã*, inquit, *tibi vitæ temporalis salus charior esse debuerat, quàm mariti æterna? Nonne si ampliorem misericordiã cogitans, ideò pauperibus res tuas erogare differres, ne scãdalizatus maritus tuus Deo periret, vberiores tibi Deus eleemosynas imputaret?* Dicit Apostolus Paulus; *Si propter cibum frater tuus contristatur, aut offenditur; iam non secundùm charitatem ambulas.* Ipse de se; *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.*

Quàm autem graue sit peccatum, alteri præbere occasionem scandali, ex Euangelio clarum est, vbi dicitur: Quod *Angeli in die Iudicij colligent omnia scandala de regno Dei, & mittent ea in caminum ignis, vbi erit fletus, & stridor dentium.* Et quod *expedit ei qui scandalum præbet, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quod dicitur:* inquit S. Hyeron. *secundum ritum Prouinciæ illius, quo maiorum criminum ista apud veteres Iudæos pœna fuit, vt in profundum, ligato saxo, demergerentur.* Balaam filium Beor gladio Israelitæ peremerunt, ob scandalum populo obiectum; Cùm enim debilitare Dei populum maledicendo fuisset prohibitus; consilium Moabitarum Regi suggessit, vt productis in conspectum ornatu meretricio mulieribus, in nefandas libidines pronum ad eas populum proliceret; quod eo pacto, & ad cultum idolarum pertrahere impuris amoribus, atque illecebris irretitos, & vincere, iam Deo ob impietatem exosos, facilè posset. Quin, & Moyses indignissimè tulit, parcitum esse mulieribus, quæ ipsos venereis vinctos catenis in idolopatriam, & iram Dei protraxissent.

Narrat D. Gregor. Presbyterum quendam Florentium D. Benedicti æmulum, ruina solarij in quo stabat, reliqua domo integra permanẽte, subitò extinctum, quod nudas puellas fratribus obiecisset, quo in libidinem prolicerentur. Meritò graues admodum pœnas timebat sibi Berengarius hæresiarcha, qui primus docuit, in Eucharistia non esse realiter corpus Christi, nimirum ob scandala quæ Ecclesiæ dederat; Cùm enim graui morbo oppressus, migrandum sibi sentiret, sinceræ pœnitentiæ signa præ se ferens, hæc eum verba multis cũ suspirijs protulisse narrat, Cancellar. Parisien. *Deus meus, hodie mihi apparebis, (alludens ad nomen Epiphaniæ, cuius tunc festum agebatur) aut ad meam salutationẽ, vt spero, propter pœnitentiam meam; aut ad durã meam damnationem, sicut timeo, propter eos quos peruersa mea doctrina decepi, quos nequiui reducere ad verã viã Sacramenti tui. Si Christus*, inquit Bernard. *proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum; non tibi videtur grauiorẽ ab eo sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernitioso, scandali occasione, auertit ab eo animas; quam à Iudæo, qui sanguinem illud fudit?*

Hanc rationem vrget ipse Christus, deterrens à scandalo pusillorum. *Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis; Dico enim vo-*

Mat.17 *1.Thes.5* *Leui.14* *In Past. p.3. admon.36* *Rom.14* *1.Cor.8* *Ioan.16* *1.Cor.3* *De bon. Perseu. cap.16. quæs.11 in Mat.* *Epi.199* *Rom.14* *1.Cor.8* *Mat.* *Nu.31* *Lìbr.2. Dia.c.3* *Par. 4. cõt. Ro. de Rosa.* *Mat.18*

vobis, quia Angeli eorum semper vident faciē Patris mei qui in cœlis est. Magna dignitas pusillorum, in quorum custodiam ab ortu Natiuitatis Deus Angelos destinauit, sed excedit omnia, quod ipse Deus vt eos redimeret ad infirmitatem carnis, acerbitatē mortis, ignominiam Crucis se demiserit: *Venit,* inquit, *filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.* Quam rationem & ipse Apostolus diligenter considerans; *Noli,* inquit, *cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et, *Peribit in tua sciētia frater, propter quem Christus mortuus est.*

Rom.14
1.Cor.8

Sancti vero homines Dei, maximè semper solliciti fuerunt de cauendo omni scandalo, (etiam passiuo, vt vocāt) quantum sine peccato poterāt; in proximis illam naturam diligentes, quam ad imagenem, & similitudinē suam fecit Deus; imò quam per Incarnationem suam fecit Deus, ob quam perditam saluandam tanta fecit, ac pertuli Deus. Illustre est exemplum Eleazari senis, qui per varia, ac immania tormenta mortem oppetere maluit, quàm vel simulare esum carnium lege vetitarum. *Nō enim ætati nostræ dignum est,* inquit, *fingere, vt multi adolescētes, arbitrātes Eleazarum nonaginta annorū transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur. Quamobrem fortiter excedendo, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum fortè relinquam fortiter pro sanctissimis Dei legibus moriendi.*

2.Ma.6

Apostolus Paulus Cephæ *in faciem restitit; quoniam reprehensibilis erat, nec ad veritatē Euangelij ambularet,* propterea quod per suam simulationem scandalo esset Gentibus, quas cogebat Iudaizare, *non præcipientis imperio,* inquit D. August. *sed conuersationis exemplo.* Eos qui fœminis nimium adhærebunt acriter reprehendit D. Cyprian. dicens, *Et si stuprum conscientiæ eorum desit, hoc ipsum tamen grande crimen est, quod illorum scandalo, in aliorum ruinas exempla pateant.* Vnde & August. dicere solitus; *Nunquam debere fœminas cum seruis Dei etiam castissimis in vna manere domo, ne aliquod scandalum, aut offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus, hinc nec ipse passus est sororem, aut neptes suas secum commorari, propter periculum scandali, quod oriri posset, si non propter ipsas, saltem propter eas quæ ad illas ventitarent, ex quibus posset oriri suspicio.*

Galat.2
Epist 19 ad Hye.
Epis. 7.
Posid. in Vita, cap. 26.

Iustina Virgo pulchritudinem suam, qua erat insigni, & ob quam ad impudicitiam sollicitabatur, ieiunijs, vigilijs, humicubationibus, tabefecit, & obscurauit, *quo materiæ subtractione, flamma libidinis in amatore consumeretur,* refert D. Gregor. Nazianz.

Ora.13. In Hist. Laus.

A De Alexandra Virgine narrat Palladius D. Hyeron. contemporaneus, ne periret adolescens, qui eius in sano amore tenebatur, quod fugiens conspectum omnium per annos 12. monumento se inclusit; Rogata enim causam à Melania seniore, quæ eam inuisebat; *Malui,* respondit, *me viuam in hoc monumentum inferre, quam animam, quæ facta est ad Dei imaginem, offendere.*

Soteris, inquit D. Ambros. Virgo decora facie valdè, & nobilis maiorū prosapia, immolare iussa, non acquieuit. Quam persecutor immanis palmis cędi præcepit, vt tenera virgo, dolori cederet aut pudori. At illa vbi hanc vocem audiuit, *vultum aperuit, & volens iniuriæ occurrit, vultum offerens, vt ibi Martyrij fieret sacrificium, vbi sibi esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri.* Est in Prato spirituali, (libello magnæ authoritatis, citatur enim in Conc. Nic. 2. ante annos 800.) de Virgine admodum Religiosa, quę cùm à quodam adolescente, diabolo instigante, impudicè amaretur; Diaboli sentiens insidias, ac adolescentis perditionem miserata, fugit ad eremum; *adolescenti ex recessu suo quietam à tentatione ac salutem parans, & sibi ipsi ex solitudine securitatem, & augmenta meritorum.*

In exho. ad Virg.
Ca.179.

Mirabilius est, quod ibidem refertur de alia quadam admodum pia, ex cuius aspectu, cùm adolescēs, totus in eius cupiditatem inflammaretur, esset que eidem valde importunus: Tandem accersito eo, quæsiuit; *Quidnā in me pulchrum vidisti, quia sic me amas? Ait Adolescēs, Oculos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto cultello mox illos eruit, vt scandali occasionem amoueret.* Quare compunctus animo adolescens, ac seculo renuntians, effectus est probatissimus Religiosus. *Iuuenem Hetruscum veteres fabulæ ferunt,* inquit D. Ambrosius, *cùm ob admirandam oris proprij pulchritudinem, in amorem accenderet fœminas, stigmatibus inaras se vultum suum, ne qua eum adamare posset.* Quod ipsum Valerius Maximus, ita narrat: Adolescens in Hetruria excellentis pulchritudinis, cum mira specie complurium fœminarum illustrum sollicitaret oculos, ideoque viris, ac parentibus earum se suspectum esse sentiret, oris decorem vulneribus confudit; *deformitatem malens esse sanctitatis suæ fidem quam formam alienæ libidinis irritamentum.*

B
C
D
Cap.60.
Inexho. ad Virg.
Libr. 4. Cap. 5.

Notent hęc Christiani diligenter, siue fœminæ, siue viri, qui ita se per omnia cōparare vidētur, vt verbis, oculis, nutibus, habitu, incessu, multisque alijs modis, oculos, ac animos aliorum sollicitent, eosque ad amores turpes, libidinosaque desideria accendant;

sic-

sicque, & seipsos, & alios in æternam damnationem præcipitent. Quibus ita Tertullian. *De cul. fœmin.* *Quid alteri periculosumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Quid alteri gladium, quo se iugulet, porrigimus? Nescio an impunè abeat, qui alicui est causa perditionis.* *De hab. Virg.* D. quoque Cyprian. *Si tu te sumptuosius comas*, inquit, *& per publicum notabiliter incedas, oculos in te aliorũ illicias, concupiscẽdi libidinem nutrias, gladiũ te, & venenum videntibus præbeas, vt etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & animo pudica.* *Epist. ad Furiam* Sic & D. Hyero. *Quid facit in facie Christianæ purpurissus, & Cerussa? quorum alterum rubore genarũ, labiorumq; mẽtitur: alterum candore oris, & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis inditia.* Quæ tametsi ad fœminas à Patribus dicantur, etiam tamen ad viros pertinent, *quorũ est fœminas virtute vincere, & exemplo anteire*, inquit D. August. *De adu. cõiug. li. 2. cap. 8.* *Quia viri sunt, magis debent illicitas concupiscentias viriliter frenare: quia viri sunt, magis debent fœminis virtutis exemplũ præbere, quia viri sunt, minus debent libidine superari; quia viri sunt, minus debẽt lasciuiẽti carni seruire.* Ita Aug.

Finem dicendi faciam, ne vobis longiori sermone tædium adferam, commendans vobis has duas virtutes imitandas in Sanctissima Virgine. *Si enim author non displicet*, inquit D. Ambros. *Li. 2. de Virg.* *opus etiam probemus oportet, vt quicunque eius sibi exoptat præmium imitetur exemplum.*

MONITVM VII.

MVlier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror, nomine MARIA. Luc. 10. D Bernard. *Luc. 10. Ser. 1. & 4. de Assump.* *Christi*, inquit, *generationem, & MARIÆ Assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est plus cæteris, tantum, & in Cœlis obtinet gloriæ singularis. Nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cùm hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine.* Vnde etiam canit Ecclesia; *Exaltata est Sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad Cœlestia Regna.* Sed quoniam quantum illud sit supernæ felicitatis bonum, ad quod euecta est Virgo MARIA, animo & cogitatione comprehendere non possumus, operæpretium erit diligenter considerare, quia via ad tantam gloriam peruenerit, vt & nos eandem incedentes, similem aliquando consequi possimus. Id verò nobis Euangelij verba mysticè intellecta abundè declarant. Exceptus est Dominus in domum Bethaniæ, quam duæ sorores Martha & Magdalena inhabitabant; exceptus est Dominus in vterum Deiparæ, quam duæ vitæ Actiua, & Contemplatiua egregiè ornabant. Hasce enim duas fœminas, duas nobis vitas significare testatur D. Aug. *In duabus*, inquit, *fœminis duæ nobis vitæ significantur; ambæ innocẽtes, ambæ laudabiles; vna laboriosa, altera otiosa; nulla facinorosa, nulla desidiosa; nulla facinorosa, quam cauere debet laboriosa; nulla desidiosa, quam cauere debet otiosa.* *Ser. 27. de Verb. Dom.*

Magdalena, quę *sedens secus pedes Domini, audiebat Verbũ illius*, Contemplatiuam nobis repræsentat, qua homo per orationẽ, meditationem, lectionem Sacram, similiaque exercitia spiritualia se Deo coniungit, ac rerũ Diuinarum contẽplatione, in eius cultum amoremque excitat, Martha verò, quæ *satagebat circa frequens ministerium*, Actiuam nobis ob oculos ponit, qua quis suæ vel alienæ miseriæ, ac necessitati, seu spirituali, seu corporali, quæ varia, ac multiplex est, subuenit, & opitulatur.

Vtramque in se habuit Virgo sanctissima, vtramque diligenter exercuit. Ad actiuam pertinet, quòd Christum Dominum in vtero suo susceperit, ac portauit, quod editum in lucem vberibus suis aluit, & secundùm corpus enutriuit, quod perditum iam duodennem sollicitè quæsiuit, & inuenit. Deo iam fœta; actionis amore, Ad Elisabeth cognatam, senem, ac prægnantem, ei cõgratulatura, & obsecutura, properat; & quę obsequij causa venerat, quasi tribus mensibus in obsequio perseuerabat. Pia misericordia, quæ vitæ actiuæ est, à filio impetrauit in nuptijs, vt aquam in vinum conuerteret, sicque indigentibus subueniretur. Ad Christum prædicantem cum cognatis accessit, vt eos ipse prudẽti suo cõsilio, benignisque admonitionibus, ad pietatem adduceret. Denique vt cum Christi discipulis pro Spiritus Sancti aduentu in totam Ecclesiam, orationibus insisteret, misericordia item causa fuit. *Luc. 1. & 2.* *Ioan. 2.* *Mat. 12* *Actor.*

Quam autem dedita fuerit contemplationi, aliquot etiam è Scripturis exemplis demonstrari potest. Inuenit eam solam in penetralibus Angelus Gabriel, cum altissimum ei Incarnationis mysterium annuntiaret, vtique oratione occupatam, Deo intentam; sicut inuenit Danielem, & Zachariam Prophetas, orantes, cum eis de Christi aduentu loqueretur. Festina ad Elisabeth iuisse describitur, quod propter orationis, & contemplationis studium in secreto, quàm in publico esse malebat; sciens solitudinem ad res magnas sublimesque animo agitandas esse oportunissimam. *MARIA*, inquit Euãgelista Lucas, *conseruabat omnia verba hæc*; omnia condebat animo, suo tempore pertractanda, ruminanda, contemplanda; *Conferens in corde suo*, conferebat enim secum ea quæ sunt acta de Domino, (vt dictum *Daniel.* *Luc. 1.* *Luc. 2.* *Inca. 1.*

Luc. ctum est antea ex V. Beda) cum his quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino; & collata ad inuicem, instar Cœlestium Cherubim, socia sui vultus luce concordia cognouit.

Quantam verò deuotionem, quantam in Deum spem, quantumque Dei amorem ex continua huiusmodi rerum contemplatione & collatione conceperit, quis explicet? Ve-
Psal. 38 risimè cum Propheta dicere potuit; *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis*, Sicut enim ignem ligna nutriunt, sic cogitationes desideria pascunt; quęsi fuerint malę, exardescit ignis cupiditatis; siverò fuernit bonę, exardescit ignis charitatis. Verà ergo fuit arca testamenti Virgo
Exo. 25 MARIA, intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos legis Domini; intrinsecus ornata cogitationibus sanctis, & rerum Diuinarum contemplatione; extrinsecus exemplis bonorum operum, quibus, & Deo placere, & proximo subueniri studebat. Hæc est via, ambulate in ea.

Vtramque enim hanc viam, seu vitam, cuilibet Christiano ad æternam, cum D. Virgine societatem aspiranti, conuenire; vtramque pro modulo suo quęque colere, ac exercere debere, Scripturarum testimonia, & Sanctorum nobis exempla, ac monita declara-
Lib. 19 *c.* 19. *Ci.* rant. *Non sis ita otiosus*, inquit D. Aug. *vt in eodē otio vtilitatē nō cogites proximi; nec sis ita actuosus, vt contemplationem non requiras Dei. Otium sanctum quærit dilectio veritatis, negotium iustum suscipiat necessitas*
Eccl. 3. *dilectionis. Tempus amplexandi*, inquit Sap. *tempus longè fieri ab amplexibus.* Quæ sentētia tribus modis rectè intelligi potest, 1. vt pertineat ad duos populos, veteré & nouum; Tempus enim veteris testamēti tempus fuit
Li. 1. *de Nupt. c.* 13. amplexandi, inquit August. propter propagationē, & conseruationem populi Dei: cessante autem illa necessitate, cū iam vndique suppetat filiorum Dei copia, tempus noui testamenti, tempus est continendi, *& longè fieri ab amplexibus*, 2. vt ad eos pertineat, qui Matrimonio sunt coniuncti: meminisse enim debēt, nō ita eos frena laxare debere li-
Psal. 31 bidini, sicut equus & mulus faciunt, quibus nō est intellectus; sed interdū à mutuo complexu abstinendum, quemadmodū monent
1. *Pet.* 3 Apostoli Petrus & Paulus, vt orationi, ieiu-
1. *Cor.* 7 nio, alijsque rebus spiritualibus melius vacare possint. *Intemperans enim in coniugio*, inquit D. Ambros. *quid aliud, nisi adulter quidam vxoris est?* Et D. Hieronymus loquens
Apud Aug. li. 1. *in Iu. Li.* 1. *in Iouinia.* de amplexu coniugali, *Quale*, inquit, *bonum est, quod orare prohibet, quod Christi corpus accipi non permittit?* Tertio denique, vt pertineat ad vnum quemque Christianum; Tempus amplexandi sponsum Cœlestem brachijs charitatis, per exercitia vitæ contemplatiuæ, orationis, meditationis, lectionis, & similium: Et Tempus longè fieri ab amplexibus, dando operam actionibus, quibus, vel proprias, vel alienas miserias, ac necessitates subleuamus.

Sic Propheta Iob; *Si dormiero, dicam, Quā-*
Iob 7. *do consurgam? & rursum expectabo vesperā. Quiescens enim in vespera contēplationis*, ait D. Bern. *manè desiderabat, quo surgeret ad actionem; rursumque negotijs fatigatus, expectabat vesperam, libenter repetens otia contēplationis.* Proph. Moyses intrat in tabernaculum Domini, & exit; *Intrat*, inquit D. Gregor. *ad Deum, exit ad proximum; intus ad Dei contemplationem, & amorem rapitur, foris necessitatibus hominum iuuādis vrgetur.* Apostol. Paulus excedit & sobrius est; *Excedit*, ait idem Grego *semetipsum per Dei contemplationem, & charitatem trāsiēdens: sobrius est hominibus condescendendo, & subueniendo, semetipsum temperans.* De D. Ambrosio refert D. August. in Cōfess. quod, *seruiebat infirmitatibus negotiosorum hominum, cum quibus quando non erat, aut corpus reficiebat necessarijs sustentaculis, aut lectione animum; quam sapida autem gaudia de pane isto ruminabat, nec noueram, nec expertus eram.* de seipso verò, *Hoc me delectat*, inquit, *audire veritatem, docentem, & iubentem, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio.*

Sponsa in Canticis loquitur; *Ego dormio,*
Cant. 5. *& cor meū vigilat*, id est, vt Augu. *Ita quiesco, vt audiam. Otium meum non impendo nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ Sapientiæ; Ego requiesco à negotiosis actibus, & animus meus diuinis se intendit affectibus.* Rursum, ne ibi remaneret, audit sponsum dicentem;
Cant. 2. *Surge amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Amica*, ait Villeramus Abbas, *per fidem, & dilectionem; columba, per innocentiam: formosa, per virtutum decorem; surge de dulci somno contemplationis, orationis, lectionis; & veni id est, procede ad vtilitatem proximorum, per prædicationis officium, & exempla bonorum operum.*

Iacob Patriarcha, duas sorores habebat vxores, Liam & Rachelem, quæ etiā vtramque hanc vitam, de qua agimus, significabāt (vt Patres docent) quas non libidinis, sed liberorum causa, statis temporibus, iustisquē vicibus cognoscebat, ac vtebatur. Sic & quisque fidelis vtramque hāc vitam amare, vtrāque sibi quasi arctissimo vinculo copulare, vtrāque statis temporibus, iustisque vicibus cognoscere, ac exercere debet. *Illa est optima gubernatio*, inquit Augustinus, *vt omnia suis temporibus distributa, ex ordine gerantur, ne humanum animum turbulentis implicationibus perturbent.*

Audi-

In Epis. ad Cela. Audite, quid D. Hyeron. Celantiam Matronam nobilem, rationem piè, ac sanctè viuendi ei tradés, moneat, ac hortetur, & vnusquisque sibi id dictum arbitretur. *Eligatur tibi oportunus, & à familiæ strepitu aliquantum remotus locus, in quem velut in portum ex multa curarum tempestate, te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus, secreti tranquillitate componas; tantùm ibi sit diuinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes, facilè hac vacatione compenses. Nec hoc ideò dicimus, quo te retrahamus à tuis, imo id agimus, vt ibi discas, ibique mediteris, qualem* *Ser. 218.* *tuis præbere te debeas.* Ita Hyeron. Cui consonat sententia D. Aug. quæ est apud S. Prosperum; *Qui otiosus, & quietus Deum non cogitat, quomodo inter actus multos, & laboriosa negotia, de illo poterit cogitare? Meditetur ergo quæ Dei sunt fidelis, cum vacat; & operandi substantiam quærat, ne in actione deficiat.*

Fuerunt hæretici Euchitæ, ab orando sic *Her. 57.* dicti, vt refert D. August. Nam cùm Domi- *Luc. 18.* nus dixerit in Euangelio: Oportet semper *Colos. 1.* orare, & nō deficere: Et Apostolus eius Paulus, Sine intermissione orate; quod sanissimè sic accipitur inquit Aug. *vt nullo die certi intermittantur tempora orandi: illi ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicentur inter hæreticos nominandi. Dicuntur opinari Monachis nō licere sustentandæ vitæ causa aliquid operari, atque ita seipsos Monachos profiteri, vt omnino ab operibus vacēt.* Quales etiā ipsius tempore fuerunt, qui graues in Ecclesia turbas excitarunt; contra quos instinctu Aurelij Episcopi Carthaginensis, scripsit librum de *Coll. 23.* opere Monachorum; Sic & Cassianus admodum imperite dicit, (vt multa alia) peccasse Apostolum Paulum, dum manibus laboraret; peccare item eos, qui oppressos defendunt, aut necessarij victus curam gerunt, quoniam, videlicet, Deum non contemplentur.

Imo ex ipso dilectionis præcepto tenetur homo quandoque à cogitatione de Deo abstinere, vt miro modo ex Dei amore Deum non cogitet, Deumque amet, dum ab amando cessat. Sicut ex iudicio rectæ rationis debet homo assumere somnum, & cessare ab vsu rationis, & sic rectè agit, dum nihil agit. *Ser. 51. In Can.* Quantò rectius D. Bernard. *Charitas*, inquit, *1. Co. 13.* *quæ non quærit quæ sua sunt, iamdudum id mihi facilè persuasit, nil desiderabilium meorum, vestris præferre vtilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, & si qua sūt alia spiritalis studij lucra, hæc arbitratus sum propter vos detrimēta. Patienter auellor ab infœcundæ Rachelis amplexibus, vt de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum.*

Præcipiunt ij qui de officijs scripserunt, vt studijs officijsque scientiæ præponamus ea, quæ sunt iustitiæ, quæque pertinēt ad hominum vtilitatem, qua nihil homini debet esse antiquius. Cuius quidem rei Cicero tantam voluit haberi rationem, vt quamquam Platoni suo plurimum tribueret, tamen videndum esse moneret, ne non id esset satis, quod apud illum reperiretur, in Philosophos dictum, propterea iustos esse eos, quod in veri inuestigatione versentur; nimirum animaduertebat, ex varijs generibus hominum qui scire desiderant (de quibus S. Bernardus in *Ser. 36. In Cant.*) id solum probandum, quod scire cuperet, vt prodesset.

Sunt, inquit Bern. *qui scire volunt, tantū, vt sciāt, & turpis curiositas est; alij scire volunt, vt sciantur ipsi, Persiano illo delectati. Scire tuū nihil est, nisi te scire hoc sciat alter, & turpis vanitas est. Sūt alij qui scire volūt, vt scientiā suam vendant, & turpis quæstus est: Alij scire volunt, vt ædificentur, vel vt ædificent, & prudentia est, ac Charitas.* Vndo & Aristoteles voluit liberalibus disciplinis non nimis indulgendum, nec immorandum penitus, ciuilem hominum vitam vtilitatemque respectans. Etenim qui totus speculationi, ac litterarū illecebris immersus est, is quidem sibi ipsi potest esse iucundus, at alijs certè parum vtilis est, aut princeps, aut priuatus. Hinc, & Atticus apud Ciceronem querebatur Varronis musas mutas esse, aut si non conticesceret ille, tamen scribi dicebat ab eo quæ celari vellet.

D. Thomas Scholasticorū Princeps, agens *In 2. 2.* de æstimāda dignitate Religionum, eas primo loco collocat, quæ ad vtilitatem proximorum, ad prædicandum dico, & docendum referuntur: Quoniam cum huiusmodi opera ex abundantia contemplationis promanent, vtrumque bonum tum contemplationis, tum actionis coniunctum complectuntur. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui,* inquit Sapientia, quod pertinet ad studium *Prou. 5.* contemplationis; moxque subiungit; *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*, quod pertinet ad actionem, & aliorum vtilitatē. Præclarè, Cicero, *Pudeat,* *pro Arc. Poeta.* inquit, *eos, qui ita se in studijs adhiberunt vt ad vitam communem nullum fructum proferre possint.* Et Quintilianus. *Ipsam orationem conceptam in animo, inclusamque sine elocutione, dicit esse quasi gladium in vagina reconditum. Non sufficit scire sapientiam,* inquit Diuus Hieronymus, *nisi & alios eru-* *In c. 12.* *dias, tacituſque sermo doctrinæ alium non* *Daniel.* *ædificans, mercedem operis recipere non potest, iuxta illud Sapientis, Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* *Ecc. 11.*

Refert Historia Tripartita de quodam *Lib. 10.* Dia-

Ca 33. Diacono nomine Beniamin, quod cum ab impio Rege dimissus esset hac lege, ne deinceps Christi doctrinam prædicaret; *Impossibile esse, respondit, vt non communicaret alijs lumen, quod ipse percepisset.* Secutus exemplum Sapientis, qui Sapientia 7. *Sapientiam,* inquit, *sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Narrat item Theodoretus, quod Ammianus Eusebium, qui se in solitudinem abdiderat, monuerit; *videret, ne plus seipsum quam Deum diligeret,* qui omnem curam, ac industriam in sui ipsius profectum consumeret; *Nam si verè Deum amaret, profectò curaturum, vt complures secum efficeret eiusdem amatores.* Ipse August. de se tempore conuersionis; *Conterritus,* inquit, *peccatis meis, & molè miseriæ meæ, agitaueram in animo, meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me (Domine) inquit, & confirmasti me, dicens; Ideò pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*

Sap. 7. *In Hist. Religio.* *Lib.* 10. *Cõf. ca. vlt.* 2. *Cor.* 5

Quæ cum ita sint, hanc viuendi rationem, vt & Deo per contemplationem intendamus & proximo per actionem subueniamus, ad exemplum sanctissimæ Virginis, diligenter insequamur: atque vt id magis sedulo præstemus, ante oculos sẽper versetur visio Patriarchæ Iacob, qua alternatio ista operum, ac officiorum vicissitudo egregiè demõstratur. *Vidit Patriarcha Iacob scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens Cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Qua visione significatur opus, atque officium quod exercent sancti, quamdiu in hac mortalitate peregrinantur (vti docet S. August.) Angelis hic similes, æquales eis futuri in regno Cœlorum. Ascendunt ad Deum qui sursum est, cogitationibus, & desiderijs sanctis; descendunt ad proximum qui deorsum est, operibus misericordiæ, & Charitatis. Deo, qui in Cœlo est, student in omnibus placere; proximo, qui in terra est, student in omnibus subuenire. Et Dominus innixus est scalæ, vt consideret quomodo quisque suo officio incumbat, vt laborantes suo prouocet aspectu, lassis manum porrigat, & in opere feruentibus, ac perseuerantibus æterna in Cœlis præmia largiatur.

Gen. 28. *Psal.* 44 *vid. Hieron. in Epist. ad Iulian.*

MONITVM XVIII.

MARIA *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius, Martha autẽ satagebat circa frequens ministerium.* Luc. 10. Quanta sit vitæ Cœlestis gloria, quanta beatitudo; ad quam hodie assumpta est Virgo Sanctissima, ac Dei Mater, mente & cogitatione assequi nemo potest. Vno verbo insinuat eam Deus, quando Moysi petenti ab eo; *Ostende mihi gloriam tuam;* respondit, *Ego ostendam tibi omne bonum.* Et Apostolus eius loquens de futuro seculo; *Erit,* inquit, *Deus omnia in omnibus. Quæcunque videlicet ab omnibus honestè desiderantur,* inquit S. Augustinus, *& vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Hic,* ait idem, *quod aurum est, non potest tibi esse argentum; quod vinum est, non potest tibi esse panis; quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit: Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne cæcus sis; fulcieris ab eo, ne deficias.*

Exo. 33. 1. *Co.* 15 *De Ciu. li. vlt. c. vltr. in Psa.* 36. *Conc.* 1.

Hæreditas futuri seculi, inquit D. Prosp. *quæ seruatur nobis, in qua cohæredes sumus Christi, non minuitur multitudine filiorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.* Quo summo bono tanto amplius perfectiusque D. Virgo fruitur in Cœlis, quanto reliquis omnibus vitæ bonæ meritis præcelluit in terris; Tanquam Magdalena, sedula diuinarum rerum contemplatione detenta, qua seipsam in Dei laudem, & amorem excitabat, veluti Martha satagens circa frequens ministerium, quo proximorum commodis, ac vtilitatibus seruiebat; vti præcedenti sermone satis à nobis est demonstratum.

Sẽt. 198.

Nunc verò ad vtriusque vitę opera, Actiuę & Contemplatiuæ, per duas sorores significatæ, omnes omninò homines aliquo modo teneri, qui velint beatitudinis æternæ cum Sanctiss. Virgine esse participes, paucis declarandum. Ac Marthæ quidem officium, quo videlicet, proximis subuenitur, necessarium esse, docet nos Ioannes Baptista: *Qui interrogatus à turbis, Quid faciemus? respõdens dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; & qui habet escas similiter faciat. Singulis generibus hominum,* inquit D. Ambros. *conueniens tribuit responsum, vnum omnibus. Publicanis, ne vltra præscriptum exigant; militibus, ne calumniã faciant ne prædam requirant. Sed hæc, & alia officia propria singulorum, misericordia, communis vsus; ideò commune præceptum, omnibus officijs, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, non agricola, vel vrbanus, diues, & pauper; Omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti.*

Luc. 3. *In ca.* 3. *Lucæ.*

Et S. August. *Inde vnusquisque quod habet, præstet alteri, alius habet pecuniam, pascat pauperem, vestiat nudum, æd ficet Ecclesiam; operetur de pecunia, quicquid boni potest. Alius habet consilium, regat proximum, pellat tenebras dubitationis, luce doctoris. Alius ha-*

Ser. 45. *in Nou. Serm.*

habet doctrinam, eroget de cellario Domini, A
ministret conseruis cibaria, confortet fideles,
reuocet errantes, quærat perditos, quantum
potest, faciat. Est quod sibi etiam erogent pau-
peres; alius claudo pedes, accommodet, alius
cæco suos oculos, duces præbeat: alius visitet
infirmum, sepeliat mortuum. Sunt ista in om-
nibus, vt prorsus difficilè inueniatur aliquis,
qui non habet vnde alteri aliquid præstet.

Tob. 4. Docebat Tobias filium suum; *Quomodo potueris esto misericors; si multum tibi fuerit abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Et

1. *Pet.* 4 Petrus Apostolus, omnes Christianos monet; *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispen-* B

Luc. 16. *satores multi formis gratiæ Dei.* Et ipse Dominus in Euangelio, vnumquemque rerum suarum non possessorem, sed dispensatorem esse pronuntiat; vt intelligat bona Domini non prodigenda, aut pro libitu expendenda esse, sed iuxta voluntatem donantis, legesq;

Ser. 4. *de Collect.* ab eo præscriptas. Vnde præclarè D. Leo, *Muneribus Dei iustè, & sapienter vtendum; meritò cum rationem eorum quæsiturus est, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Sicut autem pereunt malè condita, sic etiam pereunt insipienter expen-*

Ibidem. *sa.* Ac mox quomodo sint dispensanda, ostendens,

Mat. 25 *Meminerit*, inquit, *homo, omnes affectus* C *suos, hac lege dirigendos, vt nec à cultu recedat Domini, nec ab vtilitate conserui.*

Grauiter punitur seruus in Euangelio, qui seruauerat quidem, sed non erogauerat talẽtum Domini; 1. inquit D. Prosp. *vituperationis dedecoratur opprobrio, Serue male, & piger*; deinde, *portione quam acceperat, exuitur. Auferte ab eo talentum. 3. iubetur mitti*

Li. 2. de voc. gẽt.

Psal. 48 *en tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentiũ.* Sic & Aug. *Proijcitur in tenebras exteriores seruus, non euersor ad perdendum, sed piger ad erogandum. Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnatur, qui cum pigritia seruauerunt?*

Putatis hanc, quam ad exemplum sanctissimæ Virginis, proximis impendimus bene- D ficentiã, seu misericordiam, exiguum à Domino consequi fructum? Ipsum Dominum

Mat. 5. audite loquentem, *Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. Et quis est tam perfectæ absolutæque virtutis, vt misericordia Dei non egeat? Cum enim Rex iustus, sicut scriptum est, sederit in throno non aduersabitur ante eum omne malum; Quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? ac per hoc etiam ibi misericordia Dei necessaria est.*

Li. 2. cõ. Pelag. D. Hieron. tractans illud D. Petri, *Vix iustus* saluabitur; *Certè*, inquit, *iustus est, qui vix saluatur in die Iudicij; saluaretur autem facilè, si nihil haberet in se maculæ; Ergo iustus est, in eo quod floret multis virtutibus; & vix saluatur in eo, quod in quibusdam Dei indiget misericordia.*

Et D. Augustinus; *Numerus sanctorũ per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia Saluatoris sui; siue cùm conuertũtur, siue cũ præliãtur, siue cũ coronantur. Nam, & tunc esse illis Dei misericordiã necessariam sancta Scriptura testatur, vbi S. Dauid, de Domino Deo suo dicit animæ suæ, qui coronat te in misericordia, & miseratione. Dicit etiam Iacobus Apostolus; Iudiciũ sine misericordia illi, qui non fecit misericordiã Vbi ostendit etiam in illo Iudicio, in quo iusti coronantur, iniustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia esse iudicandos. Propter quod etiam Mater Machabæorum, filio suo dicit, vt in illa miseratione cum fratribus te recipiam.*

De cor. & grat. Cap. 13. *Ps.* 102. *Iacob.* 2. 2. *Ma.* 7

Hanc pro opere misericordiæ exhibito, precabatur Onesiphoro Paulus dicens; *Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die.* Eandem, & Matri suæ iam defunctę, pro simili officio precabatur D. August. Alioqui, inquit, *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.* De Paula Romana, nobili vidua refert D. Hyeron. quòd *spoliabat filios, vt daret egentibus, & inter obiurgantes propinquos maiorẽ se eis hæreditatẽ, Domini misericordiam, dimittere loquebatur.* Et D. Cyprian. contra eos, quos retardat numerositas liberorum, quo minus largiter beneficentiæ operibus insistant; *At quin hoc ipso operari amplius debetis*, inquit, *quo multorum pignorum parentes estis; plures sunt pro quibus Dominum deprecemini, multorum redimenda peccata, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ.*

2. *Tim.* 1 *Libr.* 9. *cõf. c. vl. In eius Epita.* *De ope. & eleẽ.*

Christus in Euangelio dicit, se in extremo Iudicio commemoraturum opera misericordiæ ab electis præstita, à reprobis prętermissa. *Tanquam dicens electis*, inquit D. August. *Difficilè est, vt si examinem vos, & appendã vos, & diligentissimè scruter facta vestra, nõ inueniam vnde vos damnem. Sed ite in regnum, non quia non peccastis, sed quia peccata vestra operibus misericordiæ redemistis. Et reprobis, Ite in ignem æternum; non inde, vnde putatis, obscelera vestra: sed esuriui, & nõ dedistis mihi manducare, &c. Si enim ab illis auersi, & ad me conuersi, illa operibus misericordiæ redemissetis, ipsa modo liberarẽt vos & à reatu tantorũ criminũ absoluerent. Beati enim misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et, *Quis nõ misericordem sibi Deum facit*, inquit D. Prosper. *qui misericors erga laborãtes, vel errãtes extiterit?* Videtis, quanta sit nobis indicta necessitas,

Mat. 25 *Se.* 33. *in Nou. se.* *Mat.* 5. *Li.* 3. *de Vit. cõt. cap.* 28.

exer-

exercendæ beneficientiæ, quæ ad Martham, seu vitam actiuam pertinet, quæ certè, si vlla nobis nostræ salutis est cura, ad officium hoc præstandum vehementer incitare debet.

Ad MARIAM, seu vitam contemplatiuam veniamus, in qua etiam diligentissimè se exercuit Virgo sanctissima, vti alias, ostensum; *Scriptum est Iudæis*, inquit Augustinus. *vt animalia quæ sunt ruminantia, & fissa vngula, ipsa manducent. Quibus autem vtrumquè vel alterum defuerit; non manducent: homines quidam significantur non pertinentes ad societatem Sanctorum. Fissa enim vngula ad mores pertinet, quia difficilè labitur: lapsus enim, peccati signum est. Ruminatio autem ad Sapientiæ doctrinam, quia dixit Scriptura: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis; vir autem stultus glutit illum. Qui ergo audit, & negligentia sit obliuiosus, quasi glutit, quod audiuit, vt iam in ore non sapiat, auditionem ipsam obliuione sepeliens. Qui autem meditatur in lege Domini die ac nocte tamquam ruminat, & in quodam quasi palato cordis verbi sapore delectatur.*

Leui. 11 ser. 54. in Nou. Eccl. 31 vide cõt. Faust. lib. 6. cap. 7.

Talis quisq; fidelis esse debet, vt cum audierit, vel legerit verba Sapientiæ, postea de illis sedulò cogitet, ac expendat; & quod vti le condiderit, ab intestino memoriæ tanquã ad os cogitationis recordandi dulcedine reuocet, ac ruminet. Quod idem breuiter in sententijs dicitur: *Auditor verbi similis esse debet animalibus, quæ ob hoc quia ruminant munda esse dicuntur; vt non sit piger cogitare de his, quæ in aluo cordis accepit: & cum audit, sit similis edenti; cum verò audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti.* Prudenter monet D. Hieron. Celantiam Matronam nobilem: *Præcipua tibi cura sit, legem nosse diuinam, per quam possis quasi præsentia, cernere exempla sanctorum. Maximum enim ad iustitiam auxilium est, implere diuinis eloquijs animum, & quod opere exequi cupias, semper corde meditari.*

Apud D. Prosp. Sét. 193 In epist. ad Celãt.

Habet certè ruminatio hæc, quàm ad exemplum Sanctiss. Virginis faciunt sancti, varias vtilitates. Primò enim, hac ratione prohibentur inutiles, ac noxiæ cogitationes, quas otiosæ, vel vacuæ menti Diabolus solet suggerere: *Cùm enim duas res simul cogitare non possimus, fit, vt aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda*, inquit D. Gregor. Si autem huiusmodi cogitationes accedant, facilè abiguntur; cùm iam alij hospites mentis nostræ domicilium occupauerint.

In 1. Reg. lib. 8. cap. 1.

Deinde ita percipitur, ac sentitur suauitas doctrinæ sacræ, seu rerum Diuinarum; de qua Propheta Dauid: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*; Et, *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, seu *delectiones suas*, vt legit Augustinus. quas habent in vanitatibus, ac voluptatibus suis: *sed non vt lex tua*; suauiores enim, ac solidiores sunt, quæ percipiuntur, ex meditatione legis Domini. De qua & S. Augustinus. *Affectiones habet tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus; & non habeant opera Dei, & non habeant meditationes Dei interiores, quasdam affectiones suas? Ego*, inquit Dominũ alloquẽs de tempore suæ conuersionis, *non satiabar dulcedine mirabili considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani.* Et alibi: *Sunt quædam sanctæ delitiæ in libris, sunt gaudia spiritualia, ex diuinis eloquijs scrutatis, & inuestigatis, ex dulcedine inuentionis, quam præcessit labor inquisitionis.*

Ps. 118. Dan. 13 2. Ma. 6 In Psal. 76. Lib. 9. Cõf. c. 6. In Psal. 38.

Ex hac delectatione in meditatione percepta, sequitur alia vtilitas, quod homo iam incitetur ad ipsum bonum, quo delectatur, exequendum; Vnde Proph. Dauid: *Dominus dabit suauitatem* (ita legit Augustinus.) *& terra nostra dabit fructum suum.* Et alibi; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Cordis dilatatio*, inquit D. Augustinus, *iustitiæ est delectatio; sine qua non solum non perficitur, sed nec inchoatur bonum ex nobis.* Hoc sciens idem Propheta, *Concupiui*, ait, *desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Possunt enim iustificationes Dei, id est, opera iusta, ratione mentis videri, & infirmitate animæ non desiderari*, inquit D. Augustinus. *Videtur quippè, quàm sint vtiles, ac salubres; nec tamen desiderantur, aut aguntur, quia non delectat, vt agantur, & concupiscimus, vt delectet. Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus atquè infirmus affectus; ideo Dauid, concupiscebat desiderare quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem, quorum videre potuit rationem.*

Ps. 118. Lib. 2. cap. 9. cont. 2. epi. Pel. In Psal. 118. rat. Conc.

Denique hæc ruminatio, seu mentis consideratio, hanc adfert vtilitatem, quod hominem etiam exurgente tentatione, in opere bono confirmet, ac conseruet. *Scriptum est*, inquit Augustinus. *Cogitatio sancta conseruabit te.* Sed rem declaremus exemplis: Cogitatio præsentiæ Dei, conseruauit Susannam Matronam pudicissimam, ne tentationi succumberet, qua ad impudicitiam sollicitabatur, proposita etiam infamia, ac morte, ni consentiret; *melius est mihi*, inquit, *absquè opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Cogitatio potentiæ, ac iustitiæ Dei, conseruauit Eleazarum nonagenarium senem, ne tormentis cederet, cùm iuberetur carnes porcinas, contra legem Dei manducare; vel saltem hoc simulare, vt mortem, & alias pœnas grauissimas euaderet. *Et si*, ait, *in præsenti tempore supplicijs hominũ eripiar, sed manũ omnipotentis, nec viuus, nec*

In Psal. 36.

nec defunctus effugiã. Quid Machabæos fratres, varijs acerrimisq; pœnis fecit superiores? Cogitatio vtique futuræ remunerationis, ac glorioſæ reſurrectionis; Quorum vnus conſtanter ad Tyrannum; *Tu quidem ſceleſtiſsime in præſenti vita nos perdis, ſed Rex mundi defunctos nos, proſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit*. Et alter linguam, ac manus poſtulatus, vt amputarentur, cum fiducia aiebat; *E cœlo iſta poſsideo, ſed propter Dei leges nunc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo ea me recepturum ſpero*.

2. Mac. 7.

Denique cogitatio nouiſsimorum, Dauidem Regem conſeruauit à graui lapſu, ad quem propendebant pedes eius, cum videret afflictionem bonorum, & peccatorum pacem, ac proſperitatem, *Exiſtimaui*, inquit, *vt cognoſcerem hoc*, id eſt, conatus ſum hoc intelligere; Cur boni affligantur, mali proſperentur. *Labor eſt ante me*, id eſt, exorta eſt mihi difficilis quæſtio; Et ſolui non poteſt, *Donec intrem ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſsimis eorum. Ibi enim*, inquit. Auguſt. *cognoſcebat, & conſiderabat, totum genus humanum, omnem iſtam maſſam mortalitatis venturam eſſe ad examen, venturam ad libram, vbi appendentur opera hominum. Cuncta modo nubes inuoluit, ſed Deo cognita ſunt merita ſingulorum; ibi manifeſtabuntur; vt mali æterna ſupplicia, boni verò æterna recipiant præmia*.

Pſal. 27

In Pſ. 72

Habetis paucis, quæ ſit vtriuſque vitæ vtilitas, ac neceſsitas; vtramq; cum D. Virgine diligenter excolamus, vt & ſollicitè conſeruemus verba Sapientiæ, eaquè ruminando cum animo noſtro pertractemus, quo is in Dei laudem, ac amorem excitetur, ac proueharur. Nec erga proximos, *de quibus vnicuique mandauit Dominus*, prætermittamus officia miſericordiæ, quibus, & mutua charitas fouetur, & diuina clementia conciliatur.

Eccl. 17

Hiſce duobus pedibus, charitate, inquam, Dei, & proximi, quæ in vtraque vita exercetur, poſt ſanctiſs. Virginem ad Deum curramus. *Vn de enim accedimus ad Deum*, inquit Auguſt. *niſi fidem ſectando, corde inhiando, charitate currẽdo? Pedes tui charitas tua eſt; duos pedes habeto; Noli eſſe claudus. Qui ſunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis Dei, & proximi*; Quibus pedibus ſpiritales cerui incedunt, currunt, ambulant, tranſiliunt omnia ſpineta huius ſeculi, vt perueniant ad fontem vitæ æternæ.

Pſal. 33

Hiſce duabus pennis, poſt eam ad Deum volemus. De quibus Propheta Dauid: *Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Quid eſt extremum maris, niſi finis ſeculi?* inquit Aug. *Nunciam volemus ſpe, & deſiderio, habentes alas geminæ charitatis. Non ſit nobis requies, niſi in extremis maris. Nam ſi alibi requiem habere volue-*

Pſ. 138.

rimus, in mare præcipitabimur. Volemus, quouſque finatur mare, ſuſpendamus nos pennis geminæ dilectionis. Ad Deum interim ſpe volemus, & illum finem maris ſpe fideli præmeditemur, vt mens noſtra de temporalis vitæ concluſione ſollicita, non iam vanis occupetur cupiditatibus, ſed vtriuſque vitæ, ſeu charitatis officijs intenta; ad promiſsiones Dei de hoc ſeculo fœliciter valeat euolare.

MONITVM XIX.

EXultauit *ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Lucæ 1. *Tanta eſt beatitudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, id eſt, incommutabilis veritatis, ac Sapientiæ* (qua nunc Sanctiſsima Virgo fruitur in cœlis) *vt etiãſi non liceret amplius in ea manere, quam vnius diei mora, propter hoc*, inquit S. Auguſt. *ſolum, innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs, & circunfluentia bonorum omnium, rectè meritoquè contemnerentur. Non enim falſo, aut paruo affectu dictum eſt, Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Et, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe*. Expendatur quid ſit æternitas, & conſideratio felicitatis ſanctorum, nos planè obſtupe faciet, vt merito cum Propheta exclamemus, *Deficit anima mea in atria Domini*.

Luc. 1.

Lib. 3. de lib. arb. c. 25.

Pſ. 88.

1. Co. 2.

Pſ. 83.

Sed quoniam in iſta infirmitate moribundorum ſenſuum, deeſt nobis ille ſenſus altiſsimæ puriſsimæquè Sapientiæ, quæ tantùm bonum à nobis in hac vita ſentiri poſsit, de primitijs ſpiritus, de pignore, ſeu harra ſalutis, de præguſtu quodam æternæ beatitudinis, qui etiam in hac vita ſanctis à Deo donatur, nè in iſta ſiccitate vitæ, conditioniſquè mortalis penitus areſcant, paucis agemus. Tanta enim eſt iuſtorum dignitas, vt etiam hic quodammodo in ſe habeant vitam æternam, teſte Apoſtolo Ioanne; *Vitam*, inquit, *habetis æternam, quoniam creditis in nomine filij Dei*: Imò ipſe Chriſtus in Euãg. Apoſtolis ait, *Regnum Dei intra vos eſt*. Non quidem in ſua perfectione, ſed inchoatione, & origine. *Regnum enim Dei*, inquit Apoſtolus, *eſt iuſtitia, gaudium, pax*: quæ ſancti incipiunt habere in terris, vt poſtmodum perficiantur in cælis.

1. Ioã. 5.

Luc. 17.

Rom. 14

Dicit S. Auguſt. *Tu qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris, etiam hic eam inter amariſsimas huius vitæ moleſtias, ſuauem, iucũndamquè guſtabis, ſi eius, qui eam promiſit, præcepta dilexeris*. Quam requiem, Sanctiſsimã Virginem præ reliquis omnibus ſuauiſsimè in hac vita prælibaſſe, non dubium; cum præ cæteris omnibus Diuina mandata maximè dile-

De Catec. rud. cap. 16.

dilexerit, ac obseruarit. Vt ergo de re proposita exordiar: *Omnis iste naturæ vsitatissimus cursus*, inquit idem Augustinus. *habet quasdam naturales leges suas, secundùm quas, & spiritus vitæ qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Non enim potuit humana natura in omnibus malis suis amittere beatitudinis appetitum; Et vsquè adeò eadem natura refugit falsitatem, & quantum potest, deuitat errorem, vt falli nolint etiam quicumquè amant fallere. Similiter nemo est, qui pacem habere nolit; sicut & nemo est, qui gaudere nolit.*

De Gen. ad lit. lib. 9. c. 17.

Sed inter est, vnde quis gaudeat. Absit enim Domine, inquit D. Augustinus. *vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis qui te gratis colũt, quorũ gaudiũ tu ipse es; & ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te.* De quo Sanctus Virgo, *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quæ spiritus exultatio, affectus quidam est præsentis gratiæ, prægustus vitæ futuræ. Et in quo exultat, qui exultat in Deo salutari suo? (vtar verbis D. Augustini paululum immutatis) non in specie corporis, nec decore temporis, nec candore lucis, istis amico oculis, non in dulcibus melodijs suauium cantilenarum omnimodarum, non in florum, & vnguentorum, & aromatum suaue olentijs, non in manna, & melle, non in membris acceptabilibus, carnis amplexibus; non in his exultat, qui exultat in Deo salutari suo. Et tamen exultat in quadam luce, quadam voce, quodam odore, & quodam cibo, & quodam amplexu, cùm exultat in Deo salutari suo, Luce, voce, odore, cibo, amplexu interioris hominis, vbi fulget animæ, quod non capit locus, & vbi sonat quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non spargit flatus; & vbi sapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit satietas.

Lib. 10. Conf. c. 22.

Lib. 10. Cõf. c. 6.

De qua re idem alibi: *Est sua species pulchris corporibus, & auro, & argento, & omnibus, & in contactu carnis congruentia valet plurimum, cæteri sensus est sua cuique accommodata moderatio corporum. Habet, & honor tẽporalis, & imperitandi atq; superandi potentia suum decus. Et vita qua hic viuimus habet illecebram suam, propter quendam modum decoris sui, & conuenientiam cum his omnibus infimis pulchris. Amicitia quoquè hominum charo nodo dulcis est, propter vnitatem de multis animis. Pulchra sunt hæc ima, & decora, sed præ bonis superioribus abiecta, & iacentia; habent delectationes suas, sed non sicut, Deus, qui fecit omnia; quia in ipso delectatur iustus, & ipse est delitiæ rectorum corde.* Et rursum; *Est quædam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille cælestis. Porrò si Poetæ dicere licuit, Trahit sua quemq; voluptas: quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita, quod totum Christus est? An verè habet corporis sensus voluptates suas, & animꝰ deseritur à voluptatibus suis?*

Lib. 2. Cõf. c. 5.

Tract. 26. in Ioan.

Sed hoc, inquit D. Greg. *inter delitias cordis, & corporis distare solet: quòd corporales delitiæ cũ non habentur, graue in se desiderium accendunt, cũ verò habitæ eduntur, comedentẽ protinus in fastidiũ per satietatẽ vertunt: at contra spirituales delitiæ cũ non habentur in fastidio sunt, cũ verò habentur, in desiderio, tantoq; à comedẽte ampliùs esuriuntur, quãtò, & ab esuriente ampliùs comeduntur.* Id expertus in se D. Hier. *Auarus*, inquit, *sum, ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiẽdo. Omne quod habemus bonũ, gustus Domini est; quãto plus bibero, tantò plus sitio, legi enim à Psalmista cantari. Gustate, & videte, quoniã suauis est Dominus.* Id ipsum expertus D. Aug. qui ita in Confess. *Vocasti me Domine, & clamasti, & rupisti surditatẽ meam: Coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi: Gustaui, & esurio, & sitio.* Dixerat enim olim per Sapientem, ipsa Sapientia: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient.*

Hom 36 in Euãg.

In epist. ad Chresiphon.

Psal. 33

Lib. 10. Cõf. c. 27

Eccl. 24

Quoad carnales verò delitias, refert Cicero, de Xerxe Persarũ Rege, quod refertus omnibus præmijs, donisq; fortunæ, ijsq; non contẽtus, præmiũ proposuerit, qui inueniret nouam voluptatem; quod priores statim sui fastidium parerent, & vt ille ait, *semper sit pœnitendi cum voluptate vicinitas.* Vtilissimũ est Aristotelis præceptum, inquit Valer. Max. *Considerandas esse voluptates, non aduenientes, sed abeuntes.* Quas quidẽ sic ostendẽdo minuit, fessas enim pœnitentiæq; plenas animis nostris subiecit, quo minus cupidè repetantur. Est & ea apud Boetium Philosophiæ de voluptatibus sententia; *Appetentia voluptatum plena est anxietatis, satietas verò pœnitentiæ; quantos illæ morbos, quam intolerabiles, quasi quendam fructum nequitiæ fruentium solent referre corporibus! quarũ motus quid habeat iucũditatis, ignoro: tristes verò esse voluptatũ exitus, quisquis reminisci voluptatum suarũ volet, intelliget. Habet hoc voluptas omnis, stimulis agit fruentes, Apiumq; par volatum, vbi grata nulla fudit, fugit, & nimis tenaci ferit icta corda morsu.*

Lib. 5. Tusc. q.

Lib. 7. cap. 2.

Lib. 3. prof. 7.

Ibidem metro 7.

Sic & D. Aug. *Quamuis mundana gaudia, non sint gaudia, tamen qualiacumquè sint, & quantumlibet delectent, aufert omnia ista vna febricula; remanet inanis, & saucia conscientia, Dominum censura Iudicem, quem noluit habere custodem: & inuentura asperum Dominũ, quẽ dulcem patrẽ quærere, & ama-*

De Cat. tec. iud. cap. 17.

& amare contempſit. Imò in medijs ipſis voluptatibus, quis eſt, qui ſpinas non ſentiat? *Non poteris,* ait idem Auguſtin. *te conuertere ad aliquam voluptatem, vbi ſpinas non ſentias. Elige quod volueris, eſto auarus, eſto luxurioſus, eſto ambitioſus. In honorum cupiditate, quantæ ſpinæ? in luxuriæ libidine, quantæ ſpinæ: In ardore auaritiæ, quantæ ſpinæ? Amores turpes quantas moleſtias habent? quantas ſolicitudines hic in iſta vita? Omitto gehennam. Vide ne iam ipſe tibi gehenna ſis.* Hoc ipſe in ſe expertus cum adhuc à Deo, eiuſque iuſtitia alienus voluptatibus ſeruiret, ac amoribus: *Exceſſi,* inquit, *omnia legitima tua, nec euaſi flagella tua. Quis enim hoc mortalium: Nam tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerem, ſine offenſione iocundari. Et vbi hoc poſſem, non inuenirem quicquam præter te Domine.*

De iiſdem, quid ſenſerint Gentiles paucis cognoſcite. Dicit Plato Philoſophus, apud Ciceronem. *Voluptatis motum, vt quiſque eſt maximus, ita inimiciſſimum eſſe Philoſophiæ. Congruere enim cũ cogitatione, magna voluptas corporis non poteſt. Quis enim cùm vtatur voluptate ea, qua nulla poteſt maior eſſe, attendere animo, inire rationem, cogitare omninò quidquam poteſt? Quis tantus eſt gurges, qui dies, & noctes, ſine vlla minimi tẽporis intermiſſione, velit ita moueri ſuos ſenſus, vt mouentur in ſummis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas?* Simile quidam apud eundem auctorem Architæ Tarentini habet oratio. *Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Cuius voluptatis auidæ libidines temere, & effrenatè ad potiendum incitarentur. Cũque homini, ſiue natura, ſiue quis Deus, nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino muneri, ac dono, nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem, nec enim libidine dominante, temperantia locum eſſe omnino, nec in regno voluptatis virtutem poſſe conſiſtere.*

Quibuſdam Philoſophis, illud frequens in ore erat Prouerbium, *Malo inſanire, quàm voluptate perfrui.* Vnde & Poeta Lyricus monet, *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Seneca verò Lucilio ſuo. *Voluptates,* inquit, *præcipuè extirpa, inter res viliſſimas habe, quæ latronum more, in hoc nos amplectuntur, vt ſtrangulent.* Epictetus Philoſophus, teſte Gellio, Philoſophiæ ſummam his duobus verbis comprehendere ſolitus eſt, *Saſtine, & abſtine, quorum prius monet, vt mala quæ incurrunt, æquo animo toleremus, poſteriùs, vt à voluptatibus temperemus,* inquit Gellius, & ipſe Gentilis.

Laudat hoc nomine Claudianus Poeta, etſi à Chriſti religione alienus, Stiliconem Comitem Imperatoriæ militiæ Ducem:

—— Nec te iucunda fronte fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ dedita sẽper
Corporis arbitrijs hebetat caligine ſenſus,
Mẽbraque Circæis effœminat acrius herbis,
Blãda quidem vultu, ſed quanõ tetrior vllæ
Interius fucata genas, & amica doloſis
Illecebris, toruos auro circumligat hyaros.

Et alius Poeta, Chriſtianus tamen,

—— Non inſidioſa voluptas
Decipiat quẽquam blãda ſub imagine ſemper
Ingreditur, nardi ſuccos, vnguenta, ſapores
Mellifluos præfert, vultuq; applauait amico
Sed nihil eſt, ſine fraude, latent ſub melle venena,
Quæ poſtquam imprudens biberis, fugit illa repentè
Læta dolis, manet infixi ſub pectore vulnus.

Nõ ergo delectent nos fœdæ libidines, nõ aliæ corporis voluptates nos capiant, quas etiam Gentiles deteſtati ſunt, ſed ad exemplum ſanctiſsimæ Virginis, *exultet ſpiritus noſter in Deo ſalutari noſtro,* in eius muneribus, ac promiſsis, in virtutibus, ac rectè factis eorumque præmijs, vt cũ eadem futuræ vitæ dulcedinem, etiam nũc præguſtare ſuauiter poſsimus. Qui adhuc de torrentibus, huius ſeculi bibunt, & iſtarũ aquarũ dulcedinẽ neſciunt, exiſtimant eũ qui contempto mũdo, eiuſque ſpretis vanitatibus, ac voluptatibus, ad virtutem ſe Deique amorẽ tranſfert, voluptates omnes, ac delitias perdere. *Non perdit,* inquit Auguſt. *non perdit, ſed mutat, à carne ad ſpiritũ, à ſenſibus ad conſcientiã, & citò ſentit, dulciores eſſe fructus iuſtitiæ, quàm iniquitatis, & verius, atque iucundius gaudere hominem de bona conſciẽtia inter moleſtias, quã de mala inter delitias.*

Si ſeipſum ſibi, ait S. Leo, *rationalis homo cõparet omneſque ſuorũ actuũ qualitates diiudicet, nunquid in intimis conſcientiæ ſuæ hoc delectationis inueniet de iniquitate commiſſa, quòd de æquitate ſeruata? aut tantum ei iucunditatis voluptas carnalis, quantùm ſpiritalis pariet appetitus? Nihil prorſus de virtutũ ſplendore attingit, nihil de pietatis ſuauitate guſtat, qui magis vult ſordeſcere in ijs, quæ immunda ſunt, quã in ijs ſplẽdere, quæ ſancta ſunt. Nõ ſinit ratio, vt cordibus, nõ vſquequaque captiuis, ita placeat ſatiata ira, vt remiſſa vindicta, aut tantum generẽt gaudiũ mala quæſita de alieno, quantũ bona expenſa de proprio, fœlicior eſt ſemper parca tẽperantia, quàm profuſa luxuria, maiorque eſt lux humilibus, quàm ſuperbis.*

Id in ſe expertus Auguſt. qui Dominũ alloquens. *Quàm ſuaue,* inquit, *mihi ſubitò factũ eſt, carere ſuauitatibus nugarũ, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudiũ erat.*

In Pſal. 102.
Lib. 2. Confeſ. c. 2.
In Hortenſio.
De Senectut.
Lib. 17. c. 19.
Baptiſt. Mant.
Luc. 1.
In Pſal. De Cate chaud. c. 16.
Ser. 5. de ieiu. 10. men.
Lib. 9. Confeſ. c. 1.

erat. Ejiciebas enim eas à me vera tu, & sum ma suauitas; ejiciebas eas à me, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed nõ carne, & sanguine, omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed nõ sublimibus in se. Dicit in Cantic. sponsa ad ipõ sum; Ecclesia, seu anima Christiana ad Christum Dominum; *Meliora sunt vbera tua vino. Et sensus est,* inq. Bernard. *carnis voluptatem, qua paulò ante tanquam vino ebriæ tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis vbera stillant delitiæ spirituales. Et pulchrè vino comparatur carnalis affectus; vt enim vua semel expressa non habet iam, quod denuò fũdat, sed perpetua ariditate dãnatur; sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec vltra reuirescit ad libidines: verum vbera non sic; hæc enim cũ exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis, seculiuè amore asseruntur vbera sponsi, quæ nullo vnquam lactentium numero arescunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterũ fluãt.*

Imò non defuerunt, teste D. Aug. *qui iustitiæ suauitatẽ, & internum eius gaudiũ cum corporalibus omnibus laboribus, & molestijs, quas genus humanũ pro conditione sua mortalitatis patitur, cum omnibus etiam, quæ propter ipsam iustitiã in eos, qui iuste viuunt, iniurioſissimè cogitantur, ita compensarent, vt sequestrata spe futuræ vitæ, iucundiùs, & latius præ amore veritatis torquerẽtur, quàm luxurioſi præ cupiditate voluptatis epularẽtur.* In hac ergo iustitia est multitudo magna dulcedinis Dei, est prægustatio, seu prælibatio quædam futuræ beatitudinis, propter quam dicitur in Psalm. *Gustate, & videte, quoniam dulcis est Dominus.* Et hanc quidem in hac peregrinatione gustantes, nõ ad saturitatem sumẽtes, esurimus eam potius, ac sitimus, vt ea postea saturemur, cùm videbimus eum, sicuti est, & implebitur, quod scriptum est, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Quantacumque iustitia nostra in nobis fuerit, inquit idem Augustinus, *res est, nescio, quis ad illum fontem, ad saginam illam tantam; stillicidia quædam sunt, quæ vitam nostram molliant, & duram soluant iniquitatem. Modò desideremus de pleno fonte iustitiæ saginari; Modò desideremus vbertate illa satiari, de qua dicitur in Psalmis: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrẽte voluptatis tuæ potabis eos;* abstinentes ab his, quæ nobis noxiè blandiuntur, & legem peccati, quæ est in membris nostris, lege Dei superantes, vt *licet per omnes sensus corporis multæ insidientur illecebræ* (vt verbis D. Leonis concludam) *animus tamen, cui summum bonum, & verum gaudium Deus est, inter castas, spiritalesque delitias, in Sapientiæ latitudine, & veritatis luce versetur.*

MONITVM XX.

Arcam de lignis Setim compingite, &c. Exodi 25. Multæ sunt in Scripturis veteris Testamenti Prophetiæ, quibus Sanctissima Virgo MARIA fuit clarissimè prædita; Multæ figuræ, quibus dulcissimè adumbrata. Nos è multis vnam adferemus in medium, Arcam videlicet fœderis, quam iussu Dei fabricauit Moses. De qua duo potissimum consideranda. Primum, quomodo composita; alterum, quæ in ea continebẽtur. Cõposita fuit ex ligno imputribili. Ait Dominus ad Mosen; *Arcam de lignis Setim compingite;* quæ extra omnem corruptionem, ac putredinem esse feruntur.

Talis erat MARIA Virgo animo & corpore incorrupta; Nec mentem eius cogitatio, nec carnem libido commaculauit. Non in conceptione Filij Dei, nec in eiusdem natiuitate vlla ex parte eius est læsa Virginitas. Quæ nobilissimo illo fructu fœcundata, aliam prolem non petiuit, & tantæ prolis protectione incorrupta semper Virgo permansit.

Deinde nulla peccati labe vel in animo, vel in corpore vnquam fuit contaminata, vti testantur Patres. *Suscipe me in carne,* inquit D. Ambros. ad Dominum, *quæ in Adam lapsa est; suscipe me non ex Sara, sed ex MARIA, vt incorrupta sit Virgo, sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati. Inde enim scimus,* ait D. August. *quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Denique etsi communem mortis legem subierit, in morte tamen non permansit, nec caro eius (vt nec caro Filij Dei) vidit corruptionem. Nota est historia ex Damasceno, de Dormitione Deiparæ; Cum enim post tres dies ex causa tumulum eius aperuissent Apostoli, omni ex parte sacrum eius corpus nequaquam inuenire potuerunt. Cùm ea autem tantùm inuenissent, in quibus fuerat compositum, & ineffabili, qui ex ijs proficiscebatur, essent odore repleti, loculum clauserunt. Eius mysterij obstupefacti miraculo, hoc solùm cogitare potuerunt, quod cui placuit ex MARIA Virgine carnem sumere, & hominem fieri, & nasci, cùm esset Deus Verbum, & Dominus gloriæ; quique post partum incorruptam seruauit eius virginitatem; eidem etiam placuit, & ipsius, postquam migrauit, immaculatum corpus, incorruptum seruatum, trãslatione honorare ante communem, & vniuersalem resurrectionem. Ita Damasc.

Nobis quoque incorruptioni studendum, quantum in ista vitæ mortalis infirmitate præstare possumus. Deum orando supplici-

1.Thes.5 ter, vt *sanctificet nos per omnia, vt integer spi* A
Vi. Aug. *ritus, & anima, & corpus seruetur*; quod à
li.1.cõf. Deo pro suis diligenter petebat Apostolus.
c.8. & Corrumpit autem homo, & violat naturam
ser.105. quam fecit Deus, vel non concessa commit-
de diu. tendo, vel immoderatè rebus concessis vten
1.Co.3. do. *Si quis autem templum Dei* (quod nos ip-
si sumus) *violauerit, disperdet illud Deus*, cla
mat terribiliter Apostolus. Et tametsi cor-
pus nostrum peccato corruptibile factum sit,
sui corruptione sensim euanescens, nihilo-
que propinquans: ita tamen eo vtendum
est nobis, vt aliquando ad illam incorruptio
1.Co.15. nem redire possit, de qua Apostolus: *Opor-
tet corruptibile hoc induere incorruptionem,
& mortale hoc induere immortalitatem. Iu-* B
Ad Pãmach. *stũ est enim*, ait S. Hieron. *vt qui semper mor-
tificationem Christi in corpore nostro circũ-
tulim⁹, vita quoq; IESV manifestetur in cor-
pore nostro mortali, id est, in carne mortali se-
cundum naturam, æterna secundùm gra-
tiam.*

Deinde Arca fœderis, de qua nobis sermo,
Exo.25 intrinsecus, & extrinsecus erat deaurata. *De-
aurabis eã auro mũdissimo, intus & foris, ait
Dominus Moysi.* Sic & sanctissima Virgo
ornatissima fuit intrinsecus cogitationib⁹,
& desiderijs sanctis, extrinsecus exemplis bo
norũ operũ ex charitate proficiscẽtibus. Au-
1.Co.12 rũ inter metalla excellit, Charitas inter vir-
tutes. Dicit Apost. *Nunc autem manent tria*
Colos.3. *hæc, fides, spes, charitas; maior autẽ horũ cha
ritas.* Et alibi, *Induite viscera misericordiæ,* C
benignitatẽ, humilitatẽ, modestiã, patientiã.
Galat.5 *Super omnia autẽ hac charitatẽ habete, quod
est vinculũ perfectionis.* Et rursum. *Fructus
spiritus sunt, charitas, gaudiũ, pax, patien-
tia, benignitas, bonitas, longanimitas, &c. A*
Ser.31. *charitate*, inq. S. Aug. *tanquã ab apice, & ra-
de diu. dice cætera contexuntur, gaudiũ, pax, patien
tia, &c. Vnde iste botrus pulcher est, quia pen-
Ser.10. det à charitate. Quamuis enim*, ait D. Leo,
de Quad. *magnum sit habere rectam fidem, sanamq; do-
ctrinam, & multa laude digna sit circumcisio
gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castita-
tis; nudæ sunt tamen omnes sine charitate vir
tutes, nec potest dici in qualibet morum ex-* D
1.Co.16 *cellentia fructuosum, quod non dilectionis
partus ediderit.* Hinc Apostolus, *Omnia ve-
stra in charitate fiant*, id est, studio placendi
Deo, proximo subueniendi.

3.Re.6. In Templo Salomonis nihil erat, quod
non auro tegeretur. Sic in templo spiritali,
Rom.12 quod nos sumus, omnia charitate fulgere de-
bent. Et monente Apostolo, *Prouidenda no-
bis sunt bona, non solùm intus*, sed & foris;
non solùm coram Deo, qui videt in absondi-
to, & hominum corda rimatur, *sed & coram
omnibus hominibus*, qui exteriorem intuen-
Ad Cel. tur conuersationem, *Apostolici, & exempli,*
De cõ- *& præcepti est*, ait Hieron, *vt non solum ha-*

beamus rationem conscientiæ, sed & famæ.
Conscientia tibi, fama proximo necessaria est, vir.Cle.
inquit August. In Canticis dicit Salomon, Serm.2.
quòd *Sponsus inter lilia pascitur, quia*, vt de Ouib.
ibi D. Bernard. *candore, & odore virtutum* cap.9.
delectatur, vt candor ad conscientiam, odor Cant.2.
pertineat ad famam; delectatur enim ijs Cant.2.
Deus, qui vtriusque, conscientiæ scilicet, & Ser.71.
famæ rationem habent: Conscientiæ prop- in Can.
ter se, famæ propter alios, quibus consulere
non potes, si labores infamia, si nimia deie-
ctione vilescas.

Secundò, diligenter aduertendum, quæ- Hebr.9.
nam huic arcæ inerant. Tria enumerat Apo-
stolus; Manna cæleste, quo nutritus est Dei
populus in solitudine; Virgam Aaron, quæ
etiã lignum aridum floruit, ac fructum pro-
tulit, legem Dei in duabus descriptam tabu-
lis. Cæleste Manna clarissima erat figura Ioan.6.
Christi Domini, qui de se in Euang. *Ego
sum panis viuus, qui de cœlo descendi*; qui no-
uem mensium spatio corporaliter requie-
uit in vtero Virginis, ex cuius purissimo
sanguine corpus sibi formauerat, ex quo vte Ps.18.
ro, expleto tempore, *tanquam sponsus de tha
lamo procedens, exultauit vt gigas ad curren
dam viam.* Spiritaliter verò semper requie-
uit in eius animo; Non enim decebat Diui-
nam, Humanamq; prolem corpore concipi,
nisi ab eadem Virgine admodum sublimi-
ter mente anteà concepta esset; nisi omni
gratia spiritali Virgo esset repleta. *Dei ge-* Lib.4.
nitrix, ait V. Beda, *inde quidem beata, quia* in Luc.
*Verbi incarnandi ministra facta est tempora- 1.40.
lis, sed inde multò beatior, quia eiusdem sem-
per amandi, custos manebat æterna.*

Danda nobis est opera, vt & à nobis por-
tetur, & in nobis habitet Christus Dominus;
spiritaliter quidem per fidem, iustitiam, hu-
militatem. *Christum per fidem habitare in* Ephes.3.
cordibus vestris, sedes Sapientiæ. Et Domi-
nus per Isaiam; *Super quem requiescet spiri-* Isai.66.
*tus meus? nisi super humilem, quietum, &
trementem sermones meos?* Corporaliter au-
tem per dignam, & frequentem sacrosanctæ
Eucharistiæ Communionem: *Qui mandu-* Ioan.6.
cat meam carnem, ait Christus, *& bibit meũ* 1.Cor.6
sanguinem, in me manet, & ego in eo: Et eius
Apostolus hortatur; *Glorificate, & portate
Deum in corpore vestro. Efficimur Christi-* Catec.4
feri, inq. Cyrillus, id est, *Christum in corpori
bus nostris ferentes, cùm corpus eius, & san-
guinem in membra nostra recipimus, diuinæ,* 2.Petr.
vt ait Petrus, cõsortes naturæ. Et D. Leo, *Nõ* Ser.15.
aliud agit participatio corporis, & sanguinis de Pass.
*Christi, quàm vt in id quod sumimus, transea
mus, & ipsum per omnia, & spiritu, & car
ne gestemus.* Et præclarè D. Chrysost. *O quot* Hom.83
modo dicũt, Vellem formam, & speciem eius, in Mat.
*vellẽ vestimenta ipsa, vellem calceamenta vi-
dere. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum*

comes

comedis. Vestimenta eius desideras videre; Ipse verò se ipsum tibi tradit, non vt videas solum, verum etiam vt tangas, & in te habeas.

Serm. 8. & 99. de Tẽp.

Intrat & arcæ Virga Aarõ, quæ, vt dixi, etsi lignum aridum, floruit tamen, & fructificauit. Ac D. Augustino teste, Crucem Domini significat. *O crux aue spes vnica*, quam & ipsa Virgo semper portauit in pectore; cuius merito, & ipsa redempta est, & ab omni peccato præseruata. Cruci enim, siue morti Domini in cruce obitæ, tribuenda non solùm peccati remissio, sed & ab eodem præseruatio. Vnde D. Augustinus de vtroque beneficio gratias agit Deo in confess.

Lib. 2. cap. 7.

Gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ quòd peccata mea tanquam glaciem soluisti; gratiæ tuæ deputo, & quæcumquè nõ feci mala. Quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amaui. Et omnia dimissa mihi esse fateor; & quæ mea sponte feci mala, & quæ te duce non feci.

Cano. 3.

Quisque autem dixerit, ait Concil. Carthag. & postea Mileuitanũ, cui August. interfuit, *gratiam Dei, qua iustificamur per Christum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.*

Crux ergo lignum sterile, contemptibile, imò maledictum, floret, ac fructificat. Quot enim fideles, quot iusti, quot misericordes, quot casti, quot humiles, quot obedientes, tot fructus crucis. Vnde Apostolus Paulus;

Gal. 6.

Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

Lib. 6. in Luc.

Aliæ cruces, inquit D. Ambros. *nihil mihi prosunt, sola Crux Christi mihi vtilis est: & verè vtilis, per quã mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Hom. 55 in Mat. Ser. 8. do Pass.

Et D. Chrysost. *Gloria nostra*, ait, *caput, & origo beatitudinis, libertas, & corona, Crux est.* Denique D. Leo, Christum alloquens, *Crux tua*, inquit, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Quorum consideratione dicebat B. Ignatius,

In epist. ad Rom.

Amor meus crucifixus est. Et Apostolus Paulus, non iudicauit se

1. Cor. 2

scire aliquid inter Corinthios, *nisi IESVM Christum, & hunc crucifixum.*

Postremò erat in Arca fœderis lex Moysi, seu lex Domini per Moysem data in duabus tabulis, Quæ & animo sanctissimæ Virginis penitus impressa erat; MARIA, inquit

Lucæ 1.

Lucas, *conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Fuisse D. Virginem studiosissimam Scripturarum indicat D. Ambros. qui de ea: *Tum sibi minus sola videbatur cùm sola esset: Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Pro-*

Lib. 2. de Virg.

Lucæ 1.

phetæ? Imò ipse Lucas dicens eam contulisse in corde suo, videlicet ea quæ scripta sunt à Prophetis de Domino, cum ijs quæ acta sunt de Domino, planè ostendit eam scisse Prophetas, pectusq; suum armarium fecisse Scripturarum. Qua in re quemquè Christianum decet esse D. Virginis imitatorẽ. *Verba Dei*, ait D. Gregor. *quæ aure auditis, corde retinete. Cibus enim mentis est sermo Dei; & quasi acceptus cibus stomacho languente reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur. Sed quisquis alimenta non retinet, huius profecto vita desperatur.* De homine stulto dicit Sapiens, *Cor stulti quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* De Sapiente verò; *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore Sapientis.* Non in ore corporis, sed in ore cordis. Vnde hortatur æterna Sapient. *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.* Et in Euang. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Et rursum; *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Et eius Apostolus; *Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* De se ait Propheta Dauid; *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Et de viro iusto; *Lex Dei eius in corde ipsius, & nõ supplãtabũtur gressus eius.*

Ecclus. 21

Ecclus. 31

Prou. 3.

Ioan. 14. Luc. 11.

Colos. 3.

Ps. 118.

Ps. 36.

In Epit. Nepot.

De Nepotiano suo refert Hieron. quòd *lectione assidua, & meditatione diuturna pectus suum bibliothecam fecerat Christi.* Et ad Lætã scribit de Institutione filiæ; *Progemmis & serico diuinos codices amet, hisce opibus pectoris sui cellarium locupletet.* Monet quoq; Demetriadem Virginem; *Ama scripturas sanctas, & amabit te Sapientia, hac monilia in auribus, & in pectore tuo hæreant:* Et rursum; *Vnum illud tibi nata Deo, præquè omnibus vnum Prædicam, & repetens, iterumquè iterumquè monebo, Vt animum tuum sacræ lectionis amore occupes, nec in bona terra pectoris tui sementem lolij, auenarumque suscipias.* Deniq; vt finem faciam, ita hortatur Celantiam Matronam; *Præcipua tibi cura sit, legem nosse Diuinã, per quam possis quasi præsentia cernere exempla Sanctorum, & quid faciendum sit, quid vè vitandum, illius consilio discere. Maximum enim ad iustitiam auxilium est, implere Diuinis eloquijs animum, & quod opere exequi cupias, semper corde meditari.*

In epist. ad Læt.

In epist. ad Dem.

In epist. ad Dem.

In epist. ad Celãt.

MONITVM XXI

VErbum caro factum est. Ioan. 1. Frequenter nobis ob oculos ponit Scriptura sacra mirabilia opera Dei, vt animos hominum excitet ad eorum considerationem, ex qua progrediantur, ac proficiant ad cõfirmationem, & augmentũ Fidei, Spei, & Charitatis, quibus Virtutibus in hac vita Deo seruitur. Dicit Propheta Abacuc, *Considerauí opera tua, & expaui.* Et Psalmista: *Viã iusti-*

Ioan. 1. Ex D. Ber. ser. 3. de Vir. Nat. August. Enchir. 3. & 6. Abac. 3.

Pſ.138. *ficationum tuarum inſtrue me, & excercebor*
Pſ.138. *in mirabilibus tuis.* Et, *Mirabilia opera tua,*
Ibidem. *& anima mea cognoſcet nimis.* Et rurſum: *Mi-*
Pſ.118. *rabilia opera tua, ideò ſcrutata eſt ea anima*
Aug. in *mea.* Vbi D. Auguſt. *Quid,* inquit, *inter opera*
Pſ.118. *Dei, quod non ſit mirabile? Si vnumquodq; non vſu, ſed ratione metiatur. Et tamen Propheta non eſt ipſa rerum admiratione perterritus, ſed eam dixit potius eſſe cauſam, cur ea debeat ſcrutari, quia mira ſunt. Cũ enim dixiſſet: Mirabilia teſtimonia tua Domine, ſecutus adiunxit: propter hoc ſcrutata eſt ea anima mea, quaſi factus ſit ipſe per inueſtigandi difficultatem curioſior.*

Tria autem opera fecit omnipotens illa
Ser. 3 de *Maieſtas, in Aſſumptione carnis noſtræ,* in-
Vig. Nat *quit D. Bernard. ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, vt talia nec facta ſint, nec facienda ſint ampliùs ſuper terram, Coniuncta quippè ſunt adinuicem, Deus, & homo, Mater, & Virgo, Fides, & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabiliùs, quomodo tam diuerſa, tamquè diuiſa ab inuicem, adinuicem potuerunt coniungi.*

Prima ergo mixtura, ſeu vnio admirabilis,
Gen. 2. eſt, qua Deus & homo, imò Deus, & Limus, (formatus eſt enim homo de limo terræ) in vna perſona Diuina coniunguntur: *Tanta Maieſtas, & tanta infirmitas; tanta vilitas, & tanta ſublimitas. Nihil enim Deo ſublimiùs, & nil vilius Limo: & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in Limum, tantaq; dignitate Limus aſcendit ad Deum, vt quicquid in eo Deus fecit, Limus feciſſe credatur; quicquid Limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur, tam ineffabili quàm incomprehenſibili Sacramento.* Vnde & D. Leo. *Vtriq; naturæ,* inquit, *in ſuis proprietatibus permanenti, tanta eſt vnitatis facta communio, vt quicquid ibi eſt Dei, non ſit ab humanitate diſiunctum; quicquid autem eſt hominis, non ſit à Deitate diuiſum.*

Huius rei tam admirandæ conſideratio, ad
multa nos hortatur. Imprimis ad diuinam
Leo ſer. quandam vitæ rationẽ ineundam. Vnde gra-
1. de Nat uiter D. Leo, *Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatẽ tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli degeneri conuerſatione in veterem vilitatem redire;* Deinde hortatur ad ſummam animi
Ser. 3 de gratitudinem; hinc D. Bernard. *Aduerte,* in-
Vig. Nat quit, *Quia Limus es, & nõ ſis ſuperbus. Quid*
Eccl. 10. *enim ſuperbis terra, & cinis? Aduerte etiam*
Ser. 8. de *quia Deo iunctus es, & ne ſis ingratus.* Al-
Nat. tius enim ire non potes *Filius Dei,* ait D. Leo, *ita ſe nobis noſq; inſeruit ſibi, vt Dei ad humana deſcenſio, fieret hominis ad Diuina prouectio.* Præterea excitat nos ad magnum proximi noſtri amorem, ac æſtimationem,
Ser. 4. de etſi fortaſſe ſtatu, cõditione, miſeria contẽp-
Collect. tibilis videatur. Vnde idem Leo: *Non ſit vi-*

A *lis homo hominĩ, nec in quoquam deſpiciatur illa natura, quàm rerum conditor ſuam fecit.*

Deniq; dat nobis æternæ ſalutis ſpem maximã. Hinc D. Aug. tractans illud Pſal. 64. *Ad te omnis caro veniet. Quare,* inquit, *ad illum omnis caro veniet? quia carnẽ aſſumpſit. Quò veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex vtero virginali; Aſſumptis primitijs, cætera conſequentur, vt holocauſtum compleatur.* Etiã D. Chryſoſt. primitias vocat, eam humanæ naturæ portionem, quam filius Dei aſſumpſit: *Filius Dei,* inquit, *naturæ noſtræ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus eſt Pater, quod tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur.* D. Auguſt. in Pſal. 64. Hom. de Aſcenſ.

B Secunda vnio eſt, Virgo, & Mater; admirabilis planè, & ſingularis. *A ſeculo,* ait D. Bernard. *non eſt auditum, quòd virgo eſſet, quæ peperit, quod mater eſſet, quæ virgo permanſit. Nunquam iuxta rerum ordinem Virginitas, vbi fœcunditas prædicatur, nec fœcunditas, vbi virginitas integra conſeruatur. Sola hæc eſt, in qua virginitas, & fœcunditas obuiauerunt ſibi. Ibi ſemel factũ eſt, quod nunquã factũ fuerat, nec fiet in æternũ; quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentẽ.* Ibidem.

Hinc etiã in rebus mirabiliter factis olim
Exod. 3. præſignata eſt hæc vnio. In rubo ardente, &
non cõbuſto; arſit enim MARIA fœcunditate, non eſt cõbuſta libidinis corruptione. In
C Virga Aaron, quæ extra terram ſine humore
Num. 17 adiecto, floruit, & fructificauit; produxit enim Virgo MARIA, ſine opere, ac ſemine viri, nobilẽ florem, & fructũ, Chriſtum Dominũ Saluatorẽ. In Gedeonis vellere, & terra,
Iudic. 6. mirabiliter de cœlo viciſsim rore madentibus: deſcendit enim Chriſtus in vterũ Virginis, nõ ex viro, ſed ex cœlo, ſicut ros, & pluuia deſcẽdit in vellus, & terrã. Deniq; multa alia, quæ eò pertinẽt, longũ eſſe enumerare.

Tertia verò vnio mirabilis eſt, fides, & cor
humanũ. *Mirũ enim eſt, quomodo cor humanũ his duobus fidẽ accõmodauit. Quodo credi potuit, quòd Deus homo eſſet, quòd Virgo permanſerit, quæ peperiſſet.* Homo lapſus impo-
D tentia corruptæ mentis, omnipotentiæ Dei ſemper adnerſatur; iudicat enim id fieri non poſſe, quod cæci cordis nõ capit anguſtia; neceſſe eſt ergo, vt credat, imbecillitas humani ingenij potentia diuini brachij firmetur. Sicut ferrum, & teſta coniungi non poſſunt, ſic & hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinum Spiritus Sancti.

Ergo ne credendum eſt, ait D. Bernard. *quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præcepto, qui vagit in cunis, qui omnĩũ infantiliũ neceſsitatũ iniurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro, & inter duos lapides concluditur, excelſus, & immẽſus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum,* Ser. 4. de Vir. Nat

rum, cui maritus continuus comes est, in conuiuio, in thalamo; qui ducit illam in Ægyptũ reducit ab Ægypto, & solus cum sola tam longinquã, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano? vniuerso orbi terrarum? Et tamen, inquit idem, *tam facilè, tam potenter, persuasum, est vt mihi id credibile faciat credentium multitudo. Iuuenes & Virgines, senes cum iunioribus, elegerunt mille mortes mori, quam vel ad momentum ab ista fide deficere.*

Mat. 2. Ibidem.

Sed operæ pretium est considerare quomodo istæ vniones ad inuicem se habeant, & quomodo hominibus prosint. In prima vnione tam admirabile remedium est. Quia ex Deo & homine medicamentum confectum est, quo sanaret omnes infirmitates nostras. *Contusæ sunt autem, & commixtæ hæ duæ species.* ait Bernar. *in vtero Virginis, tanquam in mortariolo, Spiritu sancto tantanquam pistillo, illas suauiter commiscente.* Hoc enim officium Redemptoris requirebat, vt Deus esset & homo. Si enim Deus tantùm esset, pati non posset; & proinde iustitiæ Dei pœnas pro peccatis exigenti nèquaquam satisfieret. Si tantùm homo, tanti pretij non esset, vt condignum aliquid pro peccatis hominum exsolueret, qui omnes æternæ mortis rei erant. Ac plane etiam conueniebat, Mediatorem Dei, & hominum vtramque habere naturam, vt ex vna conueniret cum Deo Patre, qui offensus erat; ex altera cum homine, qui Deum offenderat.

Ibidem. Gaius Papa in epist. ad Felic.

Luc. 108

Mediatorem inter Deum & hominẽ inquit D. Aug. *oportebat, vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis, longe esset à Deo; aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita mediator non esset.* Et iterum; *Verax Mediator, quem secreta tua misericordia, Domine, demonstrasti humilibus, & misisti vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatem; Mediator ille Dei, & hominum homo Christus IESVS inter mortales peccatores, & immortalem iustum apparuit mortalis cum hominibus, iustus cum Deo, vt quoniã stipendium iustitiæ vita & pax est, per iustitiam coniunctam Deo, euacuaret mortẽ iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem.*

Vide Augustũ de Ciui. li. 6. ca. 15. Lib. 10. Cõ. c. 24

In secunda autem vnione adiutorium est, vel vasculum, ex quo remedium illud datur, & sumitur. *Quia enim nos indigni eramus, quibus daretur, datũ est MARIÆ, vt per illã acciperemus, quicquid haberemus,* ait D. Ber. *Quæ per hoc, quod Mater est genuit nobis Deũ, per hoc quod Virgo est, exaudita est pro sua reuerentia in causa totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei, vt saluaretur per filiorũ generationẽ; si sola Virgo, sufficeret sibi, nec benedictus fructus vẽtris eius*

Ibidem,

A *mundi pretiũ esset, & lauacrũ. Cũ ergo in prima vnione sit remediũ, in secunda adiutoriũ est; quia nihil nos Deus habere voluit, quòd per manus MARIÆ non transiret.*

In tertia denique mixtione, meritum est; Cùm enim hæc firmiter credimus, iam meritum habemus, quo hoc remedium ex D. Virgine nobis datum, participamus; & in fide sanitas, ac salus est. Quia *qui crediderit, saluus erit.* Et, *Fide purificans corda eorum.* Et, *Fides tua te saluum fecit.* Et, *Ex fide iustificatur homo.* Et, *Iustus ex fide viuit.* Fide enim agnoscimus remedium, nobis natum, nobis datum ex intacta Virgine; illud ipsum fide ex animo petimus, fide nobis ipsis per B Sacramenta & similia media applicamus, sicque sanitatem ac salutẽ adipiscimur. Beneficio fidei, & iustè & beatè viuitur, neque salutis inter hominum quisquam ingreditur, facem ei nisi prætulerit: Per illã quo fit totius vitæ cursu contendendum, & qua sit eũdum ostenditur, ac nisi sua luce humanæ mẽtis tenebras discusserit, perpetua necesse est ignorantiæ in nocte versetur. Hanc illa suis radijs illustratam omni errore liberat, & postquam se hic illi, paululum intelligendi auiditate repressa, submiserit, eandem obedientię suę præmium reportaturã, ad Deum videndum introducit.

Eodem Serm. Ma. vlt. Luc. 7. Act. 15. Rom. 1.

Sed nonne Christus pro nobis incarnatus C ex MARIA Virgine, & pro nobis in cruce passus ac mortuus, verum, & potens, ac singulare remediũ est, contra omnia vulnera peccatorum, efficax ad sanitatem, ac saluté omnibus omnino hominibus conferendam? Nõ dubium. Imò, vt ait S. Chrysost. *Multò plura Christus pro nobis exsoluit, quam debeamur; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus immensum excellit. Cur ergo super tam multos manet ira Dei, & tam pauci sanitatẽ, ac salutem consequuntur?* Respõdetur; Quia huius remedij participes non sunt. *Poculum quippe immortalitatis* inquit D. Prosper, *quod ex infirmitate nostra, & virtute Diuina confectum est, habet quidem* D *in se, vt omibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Bibẽdum est ergo vt medeatur; bibitur autem fide non ficta, oratione deuota ac humili, suaui recordatione incarnationis & passionis Christi, & pro ijsdem gratiarum actione, recto ac legitimo vsu Sacramentorum, & imprimis Sacrosanctæ Eucharistiæ, vbi nõ tantùm fide Christum incarnatum, ac passum accipimus, eiusque incarnationis ac passionis participes efficimur, sed & corporaliter ipsummet in nobis recipimus.

In ca. 5. ad Rom. Ser. 10.

Arti. 1. falsò imposito Augusti.

Ipse Christus, *lignum est Vitæ, cuius folia & fructus sunt ad sanitatem Gentium*; sed decerpere eos, ac gustare oportet, vt sanitatem consequamur; Vnde dicit Sapiens de æterna Sapientia, *Lignum vitæ est sumenti-*

Gen. 2. Apo. 22. Au. li. 2. de pecc. mer. c. 21

bus

Pro.13. *bus seu amplectentibus eam.* Ipse *est fons pa-* A
tens, domui Iuda, & habitantibus Ierusalē,
in ablutionem peccatoris & mēstruatæ. Sed
accedere ad fontē debemus, & haurire, vt à
sordibus abluamur; hinc dicitur à Propheta,
Zac.13. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Sal-*
Esai.12 *uatoris.* Sic dicitur de æterna Sapientia,
Prou.6. Verbo Patri coæterno, quod *ædificauit sibi*
De Ciu. *domum, id est, corpus humanū in vtero Vir-*
libr.17. *ginis*, inquit D. Augusti. *proposuit mensam,*
cap.20. eamq; varijs, ac optimis cibis instruxit, prę-
cipuè corpore suo sacro, & sanguine pre-
tioso, sed venire oportet, & gustare, vt pas-
camur & sanemur; hinc subditur. *Venite, co-*
medite panem meum, & bibite vinum quod
miscui vobis.

Quoniam ergo opus est, vt quod pro om-
nibus semel gestum est, cuilibet sigillatim
communicetur, singulari circa vnumquem-
que operatione Spiritus sancti, quisque di-
ligenter fidem suam exerceat, ad orationis,
& gratiarum actionis præsidia sæpè confu-
giat, Sacramentis Christi & Ecclesiæ frequē
ter, ac legitimè vtatur, quo per hæc & simi-
lia veluti per canales quosdam, atque alueos
fructus Christi Saluatoris ex MARIA incar
nati, ac pro nobis in cruce mortui, ad nos de
riuari possint. Qui sunt peccatorum remis-
sio, iustitia, ac sanctitas vitæ, abjnsidijs Dia-
boli protectio, gloriosa deniq; resurrectio.

MONITVM XXII.

Ioan. 6. P*Anis quem ego dabo, caro mea est.* Ioan. 6.
Est aliud mirabile, opus Dei, Corpora-
lis, videlicet, præsentia Christi in Eucha-
In Ps. 68 ristia; de quo S. Augusti. *Christus Dominus de*
carne MARIÆ carnem accepit, in ipsa car
ne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis hic
De init. *manducandā ad salutem dedit.* Et S. Ambro.
Myst. c. 9 *Liquet quod præter naturæ ordinem Virgo*
generauit: & hoc quod conficimus corpus, ex
Virgine est. Quid quæris naturæ ordinem in
Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse
Luc.2. *Dominus IESVS partus ex Virgine?* Sed vi
demus nostro quoque tempore vsu venire in
hoc Diuinissimo Sacramento, quod Symeō
Vide iustus prophetauit de puero IESV; *Ecce po-*
H. ff. de *situs est hic in ruinam, & in resurrectionem*
Euchar. *multorum in Israel, & in signum cui contra-*
dicetur. Ponitur enim in multorum resurre-
Ioan. 1. ctionem, eorum nempè, qui in Ecclesia Ca-
Ioan. 6. tholica permanentes, carnemque suam cru-
cifigentes, ipsum velut antidotum contra
omne venenū peccati sumunt, scientes in eo
fidē exerceri sublimi mysterij, Verbi, scili-
cet, incarnati; imò corporaliter ibi adesse, co
mediq; corpus Verbi, quin & ipsum Verbū.

At infideles homines, qui Christum se ve-
nerari dicunt, cùm ei non credant; more Iu-
dæorum adeò scandalizantur, vt ob Christi
corporalem præsentiam, ac inexplicabilem
charitatem, nobis in hoc Sacramento præ-
stitam, Ecclesiam Catholicam derelinquāt,
dicentes, *Durus est hic sermo, & quis potest* *Ioan. 6.*
eum audire? Quoniam autem & nobis nō exi
guum est infidelitatis periculū; tum intus à
libidine proprij sensus; tum foris ab hæreti-
cis, qui vndique laqueos errorum, & verisi-
miles falsitates nobis opponunt; quædā con-
sideranda proponam, quibus & nos in fide
stabiles permanere, & alios in eadem confir-
mare facilè possimus.

Primo, Considera, hunc fuisse perpetuum
totius Ecclesiæ Catholicæ sensum & cōsen-
sum; vt patet ex Concilijs Generalibus, *quo-* *Epi. 118*
B *rum in Ecclesia est saluberrima authoritas:* *cap. 1.*
vt inquit Augusti. etiam ijs, quæ sunt ex qua *Cō. Nic.*
tuor primis, quorum difinitiones velut qua *1. c. 14.*
tuor Euangelia se recipere fatetur D. Gre- *Cō. Eph.*
gorius Magnus, Pontifex. Deinde etiam ex *1. in epi.*
Doctoribus Ecclesiæ, qui diuersis tempori- *ad Nest.*
bus, ac locis florentes, omnes hac de re idem *Libr. 1.*
dicunt & sentiunt, ac testimonium clarissi- *epist. ca.*
mum fidei Ecclesiæ suorum temporum red- *24. Vide*
dunt. Quæ totius Ecclesiæ authoritas in *etiam in*
Concilijs, & Patribus maximè elucens, abū- *vita S.*
dè sufficere debet ad hoc firmiter creden- *Theodos.*
dum. *Cænobr.*

Alioqui eam si infirmare velis, iam nec
Scripturæ, quam forte contra hanc fidē ad-
C fers, credere potero, quia per eam illi credi-
deram. Cui ergo obtemperaui dicenti, Cre-
de Scripturas esse Verba Dei; Cur non ob- *Aug. cō.*
temperem, & hoc dicenti, Crede in Eucha- *epis. Fūn-*
ristia esse corpus Domini? stultum esset, nul- *dā. ca. 5.*
la reddita ratione, quod vis credere, quod
vis, non credere. Si ad Scripturas te tenes;
scimus nos tenere sanctarum Scripturarum,
veritatem, cùm Ecclesiæ sensum sequimur,
quam ipsæ Scripturæ commendant, tanquā
columnam & firmamentum veritatis; tan-
quam eam, *quæ à portis inferi vinci nequit*;
tanquam eam, *cum qua manet spiritus veri-*
tatis in æternum. Credis Scripturis, ex Ca- *Aug. li.*
tholicæ Ecclesiæ authoritate: de sensu quem *1. cont.*
D habent, credes alteri, Ecclesia relicta? Dein- *Gresco*
de Ecclesiæ Catholicæ authoritate, commo- *c. 31. 32.*
tus Christum aliquid vtile præcepisse credi- *33.*
di; ab ea ergo optimè mihi discendum est, *De vtil.*
quid præceperit. Quæ enim esset dementia; *credēdi.*
Ecclesiæ crede Christo esse credendū, à Lu- *cap. 14.*
thero, Caluino, &c. disce quid dixerit?

Secundò, Considera Promissiones ipsi Ec-
clesiæ à Christo factas, contra blasphemias
hæreticorum, qui Ecclesiam à mille iam an-
nis defeciisse, senio delirare, vel interruptam
aut sub paucorū hominum figmenta & som-
nia redactam, &c. dicere audent. Si ista vera
sunt; Vbi est promissio facta Petro. *Non de-* *Luc. 22.*
ficiet fides tua: confirma fratres? Et Eccle- *Mat. 16*
siæ, *Portæ inferi non præualebunt aduersus*
eam,

eam, id est, errores, hæreses, non vincét eam; Christo videlicet illam contra eas custodiéte, ac protegente? Et Apostolis; *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi?* Et Isaiæ Prophetæ; *Ponam Ecclesiam* (in Ierusalem ortam) *in superbiã* (magnificentiam, & claram nobilitatem) *seculorum, gaudium in generationem & generationem.*

Mat. 28
Isai. 60.

Vbi & illa promissio; *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibũt populi multi, & dicent; Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius?* Vbi & illud fœdus datum timentibus nomen Domini, & gloriam eius, ab Occidente & Oriente; *Spiritus meus qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus: amodo, & vsque in sempiternum?*

Isai. 2.
Isai. 59.

Has similesque promissiones non impedit impietas multorum Prælatorum, qui in Ecclesia sunt; sed in eo Dominus Deus maximè declarat suam bonitatem, quod etiam per malos, qui eorum, quibus hæc dixit, officium gerunt, nobis benefacit; Sic nunc per malos Episcopos Doctrinæ veritatem docet, & custodit; per impios Euangelistas, & Sacramentorum ad ministros, ad se peccatores conuertit, & iustificat: sicut olim per impios Scribas & Pharisæos docuit legẽ Moysi, testimonium perhibuit loco natiuitatis Christi, requirentibus Magis, & sollicitãte impijssimo Herode; per impios Reges & idololatras, non obstante omni eorũ idololatria, promissum Abrahæ & Dauid de Vnigeniti incarnatione impleuit, eos in illius generationẽ assumens, ad salutẽ aliorũ, qui ipsimet filij sui consortes futuri non erant.

Mat. 23
Mat. 2.
Mat. 1.

Tertiò, Considera, multa alia esse, quæ irrefrenatæ sensus nostri auiditati aduersantur, tamen credimus, quia Christus & Ecclesia sic tradunt, ac docent: Comperis enim Christum dixisse. *Deo possibile esse, vt Camelum per foramen acus traducat*: Imò legis, Christi *corpus carnem & ossa habens*, vti omnium hominum corpora, *per clausa ostia non semel transisse*: Quinimo quod amplius est, inuenis spiritum Dei apertè testari, cuncta, seu visibilia, seu inuisibilia, esse facta ex nihilo: Et quòd inter opera Dei maximum est, eundem Christum verum Deum, esse hominem. Et quòd infinitis partibus maius est, magisque humano suensui (qui nihil absque corpore, loco, tempore, numero, motu imaginari valet) absurdum: Patrẽ vnum Deum æternum esse, cum Filio, ac Spiritu sancto, à quibus tamẽ personę proprietate distinguitur. Ex quibus quæ minus videntur esse possibilia, & tamen ab omnibus, qui qualitercũq; Christiani vocari volũt, recipiũtur: disce etiã ea recipere, quæ etsi humanæ ratiocinationi apparẽt impossibilia, minus tamẽ, quàm reliqua, iudicãtur impossibilia.

Mat. 19
Mar. 10
Luc. 18.
Ioan. 20
Genes. 1.

Quartò, Considera innumera esse, etiam vsitata naturæ, quorum rationem reddere non valemus: vt quod homo hominem generat, quemadmodum bene sensit Mater Machabæorum, dicens; *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis.* D. Basilius Eunomiũ hæreticum, vt elatum eius animum, mentisque tumorem deprimeret, mittit ad formicam, vt eius naturam scrutaretur; *Et si*, inquit, *minutissimæ formicæ naturam nondum es assecutus, quomodo incomprehensibilem Dei potentiam, imaginatione tua comprehensam esse gloriaris? Infidelibus*, inquit D. Augustt. *cum Diuina miracula prædicamus, quæ illis experienda, non valemus ostendere; rationem à nobis earum flagitant rerum, quam quoniam non possumus reddere, (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse, quæ dicimus. Ipsi*, inquit, *de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus, vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis, non ideo aliquid non fuisse, esse, vel futurũ, quia ratio inde non potest reddi, quãdo quidẽ sunt ista, de quibus similiter non potest.*

2. Ma. 7
Epi. 168
De Ciu. li. 21. ca. 4. 5. 7.

Adfert ibi S. Augustt. multa istius generis: vt, de calce, quod feruet in aqua, in oleo frigida est; de magnete lapide, quòd nescio qua sorbitione insensibili stipulam non moueat, & ferrum rapiat: de carne non putrescente pauonis, cùm putruerit & caro Platonis: de palea sic frigente, vt fluescere niuem non sinat, sic calẽte, vt matureſcere mala compellat; de igne fulgido, quod secundùm suum fulgorem lapides coquẽdo candificet, & cõtra eundem suum fulgorem vrẽdo obfuscet. Tale est, quòd & nigræ maculæ offunduntur ex oleo splendido; similiter nigræ lineæ de candido imprimuntur argento. De carbonibus etiam, quòd accedente igne sic vertuntur in cõtrarium, vt de lignis pulcherrimis tetri, fragiles de duris, imputribiles de putribilibus fiant. De sale, qui admotus igni, velut in aqua fluescit; cùm verò aquæ, velut in igne crepitat. De fonte tam frigido diebus, vt non bibatur: tã feruido noctibus, vt non tangatur. De alio fonte, in quo faces, vt in cæteris, extinguuntur accensæ; sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ, &c.

Quintò, vt primum punctum nonnihil illustremus, considera quòd S. Patres, quorũ sententias adducimus, *non quod ijs tanquam Canonica authoritate nitamur*, inquit D. Augustt. *sed vt appareat, quid ab initio vsque ad*

Li. 3. de pecc. merit. c. 7.

ad præsens tempus apud Ecclesiæ fidem sit cu stoditum; cum de Eucharistia loquuntur, ita loquuntur, vt ex plano sensu & simplici verborum suorum, realis præsentia Christi, atque vera, non figurata intelligatur: Neque admonent populum aliter esse intelligendum. Manifestant ergo se hoc voluisse dicere; alioqui culpandi essent, quòd populum non diligentiùs auertissent ab errore, qui ex eorum verbis sequebatur. Imò ipse Christus & Spiritus sanctus minus visi essent curare Ecclesiam.

Cyril. Catech. Chrisos. Ho. 83. in Mat.

Deinde quorsum opus erat tam frequẽti admonitione, vt *renuntiemus sensui nostro, & omni humanæ rationi*, in hoc Sacramento? Quid opus erat tam serio agere ad corroborandam fidem? quandoquidem si sola figura est hic corporis Christi, nullum erit miraculum maius, quàm in alijs Sacramentis. Huc accedit, quod sæpe à Patribus, cùm hic locus tractatur, afferuntur *exempla trãsmutationum*, ex Scripturis, vt Virgæ Moysi in colubrum, & similia. Quod item de efficacia, & virtute diuini Verbi tanta præfantur, vt videre est apud Ambrosium. Si enim solũ vt in signo hic est Christus, nulla transmutatio, nulla opus est verbi efficacia, cùm dicitur, Hoc est corpus meum.

De ijs, qui mysterijs initiãt. Et, de Sacramen.

Sexto, Considera quòd tam certa fuit hæc fides de Eucharistia apud Patres, vt ex ea tãquam certissimo dogmate, alias hæreses confutarint, vel obscura declararint: Exempli gratia, contra negantes carnis nostræ resurrectionem iudicarunt, *non esse, illam carnem in morte remanere, quæ corpore, & sanguine Christi tam immortalis quondam fuerit iurenutrita.* Ita D. Irenæus. Alij contra eos, qui negabant Christum verã carnem assumpsisse, dicebant alioqui nos non habere veram carnem Christi in Eucharistia; sed hoc extra controuersiam est. Ita D. Ignatius, Amphiloch. Leo. Qui ex, eo quòd in Eucharistia vere sumitur ore caro Christi, siue quòd Eucharistia sit Christi caro, passa & suscitata, confutant eos, qui Christum carnẽ nostræ carni consubstantialẽ assumpsisse negabant. D. autem Hilarius & Cyrill. contra Arrianos asserunt, *nos non sola fide, & charitate Christo cõiungi*, sed etiam corporaliter per esum Eucharistiæ: vt refutent argumẽtũ Arrij, quo conabatur asserere inter Patrem, & Filium esse solúm vnitatem voluntatum, eò quòd non alia sit inter nos & Christum, cui, quæ inter Patrem & Filium est, vnitatem, Scriptura comparet.

Lib. 51. cõt. Hæres. & li. 4. ca. 35. Vide Theodore. Dia. 3. & 2. Serm. 6. de ieiu. 7. mens. Li. 8. de Trinit. In 15. & 16. cap. Ioan.

Prima Synodus Ephesina, eos, qui eundẽ IESVM confiteri nolunt filium Dei, hoc argumento conuincit, quòd *Eucharistia nos viuificare non posset, si hominis tantùm, non etiam filij Dei caro esset.* S. Augustinus declaraturus quomodo aliter Spiritus sanctus per columbam, & Pater per vocem; quam filius Dei per filium MARIÆ significetur, & repræsentetur; ostendit sic per columbam signari Spiritum, vt Christum per Scripturam Euangelicam: sic voce illa cœlestem Patrem significari, vt Christum prædicatione ipsius: at filium MARIÆ, ita Dei filium præsentare, quemadmodum Eucharistia corpus & sanguinem Domini: Eò quòd neque columba Spiritus sanctus sit, nec vox illa Pater; vti nec Scriptura, nec prædicatio Christi, verè est Christus; filius verò MARIÆ, verè sit filius Dei, sicut Eucharistia corpus, & sanguis est Christi.

In epist. Conc. ad Mestor. Li. 3. de Tri. c. 4

Septimò considera constantem Patrum doctrinam de adoratione Eucharistiæ, & corporis Domini. Ipse Apostolus vult eum, qui communicat, *diiudicare Corpus Domini*, hoc est, vt ait S. Augustinus, *discernere ab alijs cibis veneratione singulariter debita.* Quæ autem est illa veneratio soli corpori Domini debita, nisi qua firmiter creditur esse Dominicum corpus, quod in altari offertur, & ex altari datur, & tanquam verum Domini corpus mente & corpore adoratur? Idem S. Augustinus, cùm dixisset, quòd Christus carnem de carne MARIÆ acceptam nobis hic manducandam dedit, subdit: *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.* D. Basilius inter nõ scriptas Traditiones recenset, Christi inuocationem in Eucharistia: *Inuocationis verba*, inquit, *cùm ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit?* Et D. Ambro. *Videamus*, inquit, *ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus IESVS in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoq; in mysterijs adoramus.* Sic & D. Chrisost. *Hoc corpus*, inquit, *inpræsepe reueriti sunt Magi. Imitemur saltem Barbaros hos, qui cœlorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe tantum & tugurium viderunt, summa accesserunt reuerentia, & honore. Tu verò non in præsepi id, sed in altari; non mulierem quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum superabundè, super proposito diffusum Sacrificio vides.* Sic & Theodoretus; *Intelliguntur*, inquit, *mystica Symbola, quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, tanquã ea existentia, quæ credũtur.*

1. Co. 11. Epi. 118 c. 3. tra. 62. in Ioan. De Spirit. sancto. c. 27 In Ps. 98 Li. 3. de Spiri. S. Ho. 29. in 1. ad Cor. Dial. 2. in Polimorpho.

Hæc ergo & similia diligenter expendenda, oranduſq; est suppliciter Deus, vt adiuuet nos graui certamine contra propriã infidelitatem, & carnalem Sapientiã luctantes, ac fidem Eucharistiæ, quæ inter tot errorũ laqueos, & verisimiles falsitates ex grãdi libidine proprij sensus vix cõsistit, sanã sẽper in nobis & incolumem cõseruare dignetur.

MO-

MONITVM XXIII.

Cant.8. *QVæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Cantic. 8. De para virgo MARIA hodie cœlum cõscendit. Quoniam verò illi, qui ex hac vita decedunt ad aliam, laudari maximè solent ex ijs virtutibus, quibus hic fuerunt ornati, visum mihi fuit, quædam ex antedictis repetere, & aliquod eius virtutes recensere, quibus se dignam cœlo præstitit, quas nos pro modulo nostro imitando, locum aliquem in eius societate consequi poterimus.

Prima virtus, innocentia est, quæ tanta ei à Deo, per filium donata est, vt Spiritu Sancto repleretur adhuc ex vtero matris suæ, & sancta esset, antequam nata: imò totum illud tempus, quo fuit in vtero, sine omni peccati macula transigeret. Deinde cùm prodijsset ex vtero, tanta tributa est ei vitæ puritas, ac sanctitas, vt ab omni prorsus culpa, etiam veniali, semper esset immunis. Vt dicat S.

De nat. & grat. c.36. Augustinus. *Hæc virgine excepta, si omnes sanctos, & sanctas, cùm hic viuerent congregare, & interrogare possemus, vtrùm essent sine peccato, vna voce clamassent: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et

Ioan.1. *Chrys. hom. 4. in 1. c. Matth.* ante hunc alius de ea Virgine loquens, *Decuit*, inquit, *profectò illam animam ab omni immunem esse cogitationum tumultu, quæ tanti electa est ministra mysterij.* Denique D.

Ep. 174 Bernard. *Decuit*, ait, *Reginam virginũ singularis priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quæ dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitæ,*

Luc.14. Luc.1. *& iustitiæ omnibus obtineret.*

Altera virtus est, humilitas, de qua Christus, *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et ipsamet virgo, *Respexit humilitatẽ ancillæ suæ.*

Aug. de Symb. ad Catech. lib.3. c. 4. Quæ enim mitem humilemque Deum erat paritura, humilitatem debuit, etiã ipsa præferre. Decebat, vt sicut per superbiã primæ nostræ parentis, mors in mundo intrauit, ita denuò per humilitatem MARIÆ vitæ introitus panderetur. Duplex eius fuit humilitas,

Matt. 1 vna exterior, quãdo non renuit fabro desponsari, subijci, ab eo gubernari, eum vbique sequi, manibus cum eo laborare. Hanc etiam

Matt. 2 ostendit quando apud eum siluit mysterium

Luc.2. Incarnationis, cùm eũ iure mariti, sibi præ-

Luc.1. posuit, cùm Deo iã fœta ad Elisabet iunior, quidem ad seniorem, sed tamen dignior ad minus dignam, seu maior ad minorẽ, ei con-

Ioan.2. gratulatura, ac obsecutura poterat, cũ adest

Luc.2. sedula pauperculorum nuptijs, vbi vinũ deficit, cùm se sponte legi subiecit, & pauperũ hostiã obtulit, cùm in partu negari, sibi locum in diuersorio, & in stabulo parere humiliter sustinuit. Denique, vt omittam plu-

Ibidem. Ioan.19 ra alia, cùm Crucem filij, totamque ignominiam coram videre, omnia improperia coram audire humiliter tolerauit. Altera humilitas interior fuit, primò cùm post tam

Luc.1. insignes laudes, & promissa Angeli, ex magna animi demissione, ait, *Ecce ancilla Domini.* Ancillam se vocans, cum eligitur mater

Amb. in Luc. ad illud, Ecce ancilla. altissimi, nec se subitaneo exaltans promisso, sed cùm ancilla esset, paratam se ancillari, & obsequi in omnibus demonstrans. Eãdem humilitatem ostendit, in confessione potissimum gratiæ Dei sitam, cùm post magnifica

Prosp. in epist. ad Demetria. præconia Elisabeth cognatæ, nihil sibi ascribens, sed omnia Dei gratiæ deputans, dixit: *Magnificat anima mea Dominũ, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Tanto, ait, me Dominus, tamque inaudito mu-

Beda in Lucam. nere sublimauit, quòd non vllo linguæ officio explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendi. & ideò totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine eius, cui non est finis, quicquid viuo, sentio, discerno, gratulanter impendo, quia & eiusdem IESV, ideſt, salutaris, spiritus meus æterna diuinitate lætatur, cuius mea caro temporali conceptione fœtatur.

Tertia virtus Fides est, quàm quidem per omnem vitã habuit, & monstrauit, sed præcipuè in Incarnatione Filij Dei. Statim enim

Luc.1. Angelo credidit ex ore Dei loquenti, se sine viri opere, sed operatione Spiritus Sancti, absque vlla sui corruptione, Deum paritura, non considerans, quod natura non habeat, vt sine viri congressu cõcipiatur proles, vt virgo concipiat, virgo pariat, quòd nullus vnquam infans esset de Spiritu Sancto conceptus, quòd nullus intellectus capere posset, quomodo Deus homo fieret, & multa alia, quæ videbantur suadere, non esse vera Angeli verba, sed confortata est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia *non est impossibile, apud Deum omne verbum.* Deinde in morte eiusdẽ, maximè enituit eius fides, cum discipulis, & Iudæis esset scãdalum, illa stabat non tantũ corpore, sed & mente, à fide videlicet immobilis, iuxta crucem IESV, fi-

Ioan. 19 de redẽptionis, & resurrectionis, & conscientia conceptionis, & natiuitatis huius filij fulta. Quæ enim antequam Christum conciperet, didicerat thesaurum suum, nõ in terrenis bonis collocare, non mouebatur à fide, per mortem filij, memor dicti illius Gabri-

Luc.1. elis. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Quarta virtus, pietas eius in Deum, & cha-

Luc.1. Ibidem. ritas. Inuenit eam Angelus in penetralibus, oratione vtique occupatam, Deo diuinisque rebus intentam. Festina ad Elisabeth cognatam fuisse describitur, quia ob orationis, lectionis, meditationis studium, in secreto, quàm in publico esse malebat, cùm Elisa-

beth

bet, quid aliud tribus integris mẽsibus egit, quã diuina beneficia, Deique mirabilia opera deuotè recolere? *MARIA* (ait Lucas describens Christi natiuitatẽ) *conseruabat omnia verba hæc*, siue quæ ab Angelo, Elisabeth, Ioseph, Zacharia, & Pastoribus audierat, siue quæ ipsa in Christi conceptione, ac partu experta erat, *Conferens in corde suo*. Et quadragesimo à Christi natiuitate die, describitur mirata, tãquam de rebus humanum captum excedẽtibus, de his quæ de filio suo dicebantur, ex natali præcursoris, ex narratione pastorum, ex Magorum aduentu, ex Simeonis, & Annæ verbis. Anno verò duodecimo Christi nati rursum scribitur, omnia Christi verba, & facta, siue quæ intellexit, siue quæ non intellexit, condidisse in corde suo; ad quid? nisi vt ea deuotè ruminaret, & contemplaretur? atque ex hac contemplatione, deuotionem suam, spem, & charitatem excitaret, & augeret?

Luc.1. *Ibidem.* *Luc.2.*

Quinta eius virtus, misericordia erga proximos. Ex tãta enim in Deum pietate maximè etiã diligebat proximos. Vnde pia misericordia à filio impetrauit in nuptijs, per quas genus humanum subsistit, vt aquam in vinũ conuerteret, sicque pudori, ac necessitati indigentium subueniret. Eadem charitate ad Christum prædicãtem, cum cognatis accessit, vt videlicet Christus eos prudẽti suo consilio, benignisque admonitionibus ad pietatem adduceret. Misericordia itẽ adducta, cùm Christi discipulis pro Spiritus Sancti aduentu, vt ad ædificandam in omnibus gentibus Ecclesiam descenderet, precibus, & obsecrationibus institit. Decebat sanè illius filij, cui propriũ est misereri sẽper, & parcere, vti dicitur in oratione Ecclesiæ, matrem quoque summæ esse misericordiæ. Quam generi humano meritis, & precibus suis, etiam iam exhibere, non desinit, quæ *inobedientis Euæ*, vt ait Irenæus, ciusque filiorum *facta est aduocata, & salutẽ, quam Dominus noster dispensat, illa materno affectu, pro nobis ab eo postulat*, vt inquit Germanus Constantinopol. Atque ex iam dictis clarum est, etiam fuisse prudentissimam.

Ioan.2. *Mat.12* *Actor.1* *Lib. 5. contra hæres.* *In epist. ad Ioan. Actor.4 Synod.7*

Sexta virtus, iustitia est, quæ suum cuique tribuit. Quid autem opus est dicere, MARIAM vnicuiq; reddidisse, quod debebat? cùm sub potẽti manu Dei sese humiliauerit, marito subiecerit, filium illũ sollicitè enutrierit, & tanquam Deum tractauerit, & vt habet Lucas, vna cum Apostolis adorauerit, Censum Cæsari, Deo in templo sacrificium, proximis misericordiam, & dilectionẽ impenderit? Ad hanc iustitiã omnes seriò hortatur Apostolus. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis.* Ab illo enim debito liberari non possumus, semper debetur, & semper redditur, inquit S. Augustin.

1.Pet.5 *Luc.24. Mat.17*

Septima virtus est fortitudo, & patiẽtia. Quemadmodum enim filius, sic & mater in hac vita, plurima tolerauit incõmoda. Quæ omnia longum esset enumerare. Certè Scriptura commemorat gladiũ pertransisse animam eius. Sed quis gladius? *Nec litera, nec historia docet*, inquit Ambros. *ex hac vita MARIAM corporalis necis passione migrasse. Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur*, seu significatur maximum doloré (meritò interficienti gladio comparatum) penitus eius animam impleuisse. Quæ fortitudo tota eius vita, sed maximè in morte filij enituit, cùm illum, ad extremum malorum deductum, pijs oculis intueri, & ei astare voluerit, nihil indecens, nihil inordinatum, instar impatientium fœminarum ostendens, vt, non lacerans capillos, nec in terram decidens, sed cum ignominia filij, inexplicabilia eius tormenta, vulnera, sanguis effluens, & sæuæ inimicorum insultationes, velut gladius, cor eius pertrãsirent: *stabat*; tamẽ, vt ait Euangelista, *iuxta Crucem IESV*. Sciebat esse voluntatem Patris, vt filius ista pro mundi redemptione pateretur, atque vtraque hac re se confortabat, & consolabatur, voluntate scilicet Patris, & fructu passionis.

In Psal. 33.cõ.2. *Luc.2.* *Lib. 2. in Luc.* *Ioan.19*

Octaua denique virtus est virginitas eius, & castitas, quàm sic amauit, vt eam etiã, per votum Deo offerret, vt testantur Doctores grauissimi, Nyssenus, & Augustinus. Quemadmodum etiam declarant eius verba, quæ reddidit Angelo nuntianti, quod cõciperet, & pareret filium, vt ante dictum. *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, me non cogniturum voui, rem credens, sed modum quærens, quo res tanta fieret. Cùm enim esset puritatis plenissima, cura eam tangebat castitatis, dum ab Angelo exaltanda prędicaretur, vt mater fieret filij Dei. Lætissima audiuit ab Angelo, quòd conceptione, & partu Filij Dei, nihil votum eius impediretur, cùm declararet, non communi hominum more, sed singulari operatione Spiritus Sancti rem peragendã, cuius mirabili gratia, sine pudenda libidine, & corruptione concepit, sine dolore, & pœna peperit filium, mundi Saluatorem.

Vide Monit.8. *Luc.1.*

Has, aliasque Deiparæ Virginis virtutes sibi quisque ponat ante oculos, diligẽterque consideret, ac prout poterit, se ad earum imitationem excitet, quo, cum emigrandi ex hac vita tempus aduenerit, in eius societatem recipiatur, & cùm eius filio sanctisque omnibus in æternum gaudeat, ac regnet. Amen.

MO-

MONITVM XXIV.

Li. 1. de Virgini. VIrtutes *Sanctiſsimæ Virginis ex D. Ambroſio.* Dicit S. Ambroſius ex vita ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, in qua refulget forma virtutis, ſumenda eſſe benè viuẽdi exempla, vbi tãquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeamus oſtendunt. Atque has eius virtutes adiungit,

Lib. 1. in Iouinia. 1. *Virgo erat non ſolũ corpore, ſed & mẽte. Illa virginitas hoſtia Chriſti, eſt* inquit Hieron. *cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido commaculat.* Quam ſollicitè petebat à Deo S. Cæcilia, cùm in eius amittẽdæ veniſſet periculũ, ſic orans; Fiat cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non confundar.

Amos 6. In epiſt. ad Euſto. Matt. 5. *Et Virgines bonæ deficient,* ait Propheta. *Dicit bonæ, quia ſunt & virgines malæ,* inquit D. Hieron. *Virgines carne, nõ ſpiritu. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Perit ergo & mente virginitas. Væ nobis, qui quoties concupiſcimus toties fornicamur.* Et quid prodeſt caro integra, mente corrupta? Dicit S. Baſilius; *Et mulierem, ignoro, & virgo non ſum.* Atque hoc explicans; *Flagitium quidem vitaui fornicationis, at mũditiæ virginalis florem, arcana cordis cogitatione fœdaui.* Corporis ſanctitas amittitur, inquit S. Auguſti. *violata animi puritate, etiã corpore intacto; ſed non amittitur corporis ſanctitas, manente animi puritate, etiam corpore oppreſſo.* Talé quiſque caſtitatem ſtudeat habere, animi videlicet, & corporis, ſequaturquè illud Apoſtoli; *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus.* Caro inquinatur impudicis actibus; ſpiritus impudicis cogitationibus, & deſideriis. *Concupiſcentiam tamen non in nobis ſentiendo,* inquit D. Proſp *ſed ei conſentiendo peccamus.* Conſentiendo, inquam, non ſolum in actum, ſed & in eius delectationem. Vnde S. Auguſt. *Voluntas ſe oblectandi, etiam ſine voluntate operandi, damnat hominem.* Ad hanc animi & corporis caſtitatem etiam Coniugatos hortatur Paulus, dicens; *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quod fit, quando coniugatus alienam non concupiſcit, ſua legitimè vtitur, non tantùm vt naſcatur proles, verũ etiam vt renaſcatur, & enutriatur in timore Domini.

1. Ad Ruſ. 2. Ad Mar Presby. Lib. 10. Conf. ca. 38. De ſer. Do. in mont. libr. 2. cap. 10. In epiſt. ad Celãt. Pſal. 18. Pſa. 35. & ibi Auguſt. Pro. 16. In illum loc. Apo. Mat. 5. Eccle. 7. Tob. 1. Tob. 3. Gre. li. 4 Dia. c. 17. Luc. 1. 2. *Humilis erat corde.* Quam humilitatem ſuo etiam exemplo Chriſtus nobis commendauit, dicens; *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* De ea & Propheta; *Humiles ſpiritu ſaluabuntur.* Humilis demiſsè de ſe ſentit, alios præfert, non iactat ſua, aliena laudat, nihil ſibi, totũ Deo tribuit, ab eo omnia ſpectat. Quam humilitatem oſtendit MARIA, dicens; *Magnificat anima mea Dominum.* Et rurſum; *Ecce ancilla Domini.* In multis foris apparet humilitas, in veſtibus, verbis, moribus, &c. Sed intus animus ſuperbus eſt, ac inflatus. Vnde monet D. Hieron. *Ne ſub vili veſte tumeat animus. Quid facit ſub pœnitentis tunica regius animus?* Multi fugiendo gloriã, gloriam quærunt; & *de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriantur,* inquit Auguſt. Et rurſum; *Non ſolum in pompa exteriori, ſed & in ſordibus lutoſis poteſt eſſe iactantia, & eò periculoſior, quò ſub nomine ſeruitutis Dei decipit.* Sic & D. Hieroni. *Humilitatem ſequere, non quæ oſtẽditur, atq; ſimulatur geſtu corporis, aut fracta voce verborum, ſed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud eſt enim virtutẽ habere, aliud virtutis ſimilitudinem: aliud eſt rerum vmbram ſequi, aliud veritatem. Multò deformior eſt illa ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet.* Valdè occultũ eſt vitiũ ſuperbię; Multi ſeipſos quærunt in rebus quas agunt & neſciũt. Contra quod oratur; *Ab occultis meis munda me Domine.* Et; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ:* ibi, *id eſt, in pede ſuperbiæ,* inquit Auguſt. *ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Vnde & Sapiens; *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus.* Patet in Dauide Propheta, & Apoſtolo Petro. *Qui præſumpſit,* inquit Auguſt. *ille cecedit.*

3. *Erat verbis grauis.* Nihil leue, indecorũ, ridiculum, multò minus inhoneſtum ex eius ore audiebatur. Sermo eius erat in gratia ſale conditus, dans gratiam audiẽtibus. Quod ab omnibus Chriſtianis requirit Apoſtolus. Idem Paulus, inter Chriſtianos non ſolùm prohibet *ſermonem turpem,* ſed *& ſtultiloquiũ, ac ſcurrilitatem. Inter quæ hęc eſt differentia,* inquit Hieron. *quod illud nihil in ſe ſapiens & corde hominis dignum habet; ſcurrilitas verò de prudenti mente deſcendit, & conſultò appetit quædam vel vrbana verba, vel ruſtica, vel turpia, vel faceta.* Verum hęc à ſanctis viris propellenda, quibus conuenit lugere, & flere, & non tam lætos eſſe, niſi in fraterna charitate. *Beati qui lugent,* ait Donus. Et Sapiens; *Cor ſapientum vbi triſtitia; cor ſtultorum, vbi lætitia.* Chriſtianum decet grauitas morum, & verborum. De Tobia dicitur, quod *nihil puerile geſſit in opere.* Et iunior Sara de ſe; *Nunquam cum ludentibus miſcui me: neque cum his qui inleuitate ambulant, participem me præbui.* Apparuit Sanctiſsima Virgo, multis comitata virginibus, puellæ cuidam nomine Muſæ, ac cœlum promiſit, ſi nihil deinceps leue, aut puellare ageret, & à riſu, iociſque abſtineret. Quod & fecit, omni leuitate, magna grauitatis manu, deterſa, inquit Gregor. & die 30. ab illa viſione, aſſumpta eſt. *Inter ſeculares, nugæ, nugæ ſunt; in ore Sacerdotis, blaſphemiæ,* inquit

S.

S. Bernard. Et Poeta quidam pias leues Ecclesiasticorum sermones taxans, ait:

De cõsi. der. li. 2

Ora dicata Deo, rebus reserare profanis,
Mentem designat lege Dei vacuam.
Signat inane Deo cor, talibus esse repletum,
Designat cor carni esse rebelle parum.

Rom. 8. 4. *Erat animo prudens.* Distinguit Apostolus duplicem Prudentiam: Vnam, *Carnis; quæ mors est*, id est, ad mortem ducit: alteram, *spiritus; quæ vita, & pax est*, id est, eo homineni ducit. Prudentia duo complectitur, Amorem alicuius rei, & cõuenientia media ad eam consequendam. Sic quidam sunt prudentes vt diteſcant, vt auari; alij, vt dominentur, vt ambitiosi; alij vt fœminas seducant, vt luxurioſi, &c. est prudentia carnis quæ mortem operatur. Qui autem Deum & iustitiam amat, & conuenientia media scit, & adhibet, v. g. benè orat, bene confitetur, bene se mortificat, &c. vt ad Deum, eiusque iustitiam perueniat, prudens spiritu est, quæ prudentia eum ad æternam vitam & pacem

Hier. 4. perducit. Conqueritur Propheta; *Sapientes*

Luc. 16. *sunt vt faciant mala; bene autem facere nescierunt.* Et Dominus in Euangelio; *Filij huius seculi prudentiores sunt in generatione*

Rom. 16 *sua, quàm filij lucis.* Dicit Apostolus Romanis; *Volo vos sapientes esse in bono, simplices in malo*, id est, nihil aut parum de malo scire. Idem Paulus, vt Christi ostenderet in-

2. Co. 5. nocentiam; *Eum*, inquit, *qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est, sacrificium pro peccatis, vt ait, D. Augustinus.

Ench. c. 41. Iac. 1. 5. *Loquendi parcior.* Hæc virtus sæpè in Scripturis commendatur. *Sit autem omnis homo tardus ad loquendum*, ait S. Iacobus.

Eccl. 28 Et Sapiens; *Verbis tuis facito stateram.* Et;

Pro. 10. *Qui moderatur labia sua prudentissimus est.* rationem reddit, *In multiloquio enim non deerit peccatum.* Terribiliter dixit Dominus;

Mat. 12 *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij. Si quis*

Iac. 1. *putat se religiosum esse, non refrænans linguã suam, sed seducens cor suum, huius vana est*

Pro. 13. *religio*, ait Iacobus. Et Sapiens; *Qui custodit linguam suam, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Quid ergo, tacendum semper? Petit

Ps. 140. Propheta à Domino *ostium circunstantiæ la-*

Eccle. 3. *bijs suis.* Ostium aperitur & clauditur; *sic est tempus loquendi, & tempus tacendi.* Felix,

Li. 1. Of. & sapiens qui nouit discernere. *Complures*, inquit S. Ambr. *vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quemquam tacendo; ideoq; tacere nosse quam loqui, difficilius est. Citò lutum colligit amnis exundans. Quid igitur mutos nos esse oportet minimè: Est enim tempus tacendi & tempus loquendi. Deinde, si de verbo otioso reddamus rationem. Videamus ne reddeamus & pro otioso silentio, &c.* Euripidæa

Plut. de garrul. Ino hoc sibi tribuit, vt teneat loqui cum tu-

A tum est, ac tacere cùm opus est. Ad laudem dicitur, Dicenda tacendaque callet. Noster *Eccle. 4.* Sapiens; *Ne retineas verbum*, inquit, *in die* *Ecc. 32.* *salutis.* Et; *Vbi non est auditus, ne effundas sermonem*, Virgilius Poeta, cuidam rabulæ: *Sic*: inquit, *tempus tacendi hic sciret, rarò loqueretur; tacendum enim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, autoratio alijs prosit*, Et alius Poeta ait; *Donat. in vita.*

Eximia est virtus, præstare silentia rebus; *Ouid. 2.*
At contra, grauis est culpa, tacenda loqui. *de arte.*

Constitutionem, quæ apud Religiosos est, de seruando silentio, is cogetur fateri admodum esse laudabilem, qui volet aduertere, quot quantaque peccata vitentur, seruato si-

B lentio; item, quàm alienus reddatur homo per totam vitam, à multis linguæ peccatis, qui silentium obseruare consueuerit.

Luc. 2. 6. *Legendi studiosior.* Dicitur in Euangelio; *MARIA conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Quia enim sanctas Scripturas legerat, & nouerat Prophetas*, ait V. *In ca. 2.* Beda, *conferebat secum ea, quæ sunt acta de* *Luc.* *Domino, cum his quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino.* De ea dicit S. Ambrosi. *Li. 2. de* quod, *tunc minimè sola esset, cùm sola esset;* *Virgin.* *quomodo enim sola, cui adessent tot Angeli, tot Prophetæ, tot libri?* Vbique ad lectionem sacram hortatur Hieron. Ita ad Demetriadem

C scribit; *Vnum illud te præ omnibus moneo,* *Hier. ad* *vt animum tuum sacræ lectionis studio oc-* *Demet.* *cupes; nec in bona terra pectoris tui sementem* *lolij auenarumque suscipias.* Et ad Eustochium; *Orationi succedat lectio, lectioni oratio: oras? loqueris ad sponsum: legis? ille tibi* *Idem ad* *Eustoc.* *loquitur. Nosti hoc esse animæ Christianæ pa-* *Ad Flor.* *bulum, meditari in lege Domini die ac nocte.* *O rectam, sinceramq; vitam*, inquit Plinius, *Li. 1. epi* *mecum tantùm, & cum libellis loqui. O dulce* *otium, honestumq;, & penè omni negotio pul-* *Li. 1. epi.* *chrius.* Qui & alibi; *Multum legendum, non* *Sen. ep. 2* *multa.* Sicut & Seneca; *Lectio multorum au-*

D *thorum, & omnis generis voluminum, habet aliquid vagum & instabile. Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedat. Nusquam est, qui vbique est.*

7. *Intenta operi.* Duo hic significantur, 1. quod nunquam erat otiosa; semper aliquid operis faciebat. Quod Rustico suadet Hieron. *vt Diabolus*, inquit, *te semper inueniat* *In epist.* *occupatum.* Optimum contra eius tenta- *ad Rust.* tiones remedium. *Otia dant vitia.* Catonis Apophthegma est; *Nihil agendo, malè agere* *discimus. In desiderijs est, omnis otiosus*, inquit Sapiens. 2. significatur, quod illud opus *Pro. 21.* quod faciebat, siue spiritale, siue corporale, diligenter & exactè faciebat. Nos ferè ex necessitate, cùm tristitia, distractione, somnolentia, intrètione vana, &c. *Iustè, quod iustum* *Deu. 16.* *est, persequeris*, ait Moyses. *Maledictus*, inquit

quit Hierem. *qui facit opus Dei negligenter.* Hier. 48
Et Apostolus; *Non ex tristitia, aut ex necessitate; Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Co. 9. Colos. 4.
Et rursum; *Orationi instate, vigilantes in ea.* Sic in reliquis omnibus exercitijs vigilandum.

Si nõ intẽdas animũ studijs, & rebꝰ honestis; Inuidia vel amore vigil torqueberis. ait Poet. Horat. in epist.

8. *In prece pauperis, non in incerto diuitiarum spem reponebat*, id est, non in terrenis rebus, quæ incertæ sunt, quia nescit homo, quamdiù eas sit possessurus; facilè viuentem deserunt, morientem autem nec rarò sequuntur. Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Sed *in prece pauperis*, idest, in oratione à paupere, & humili corde profecta: qua homo sibi diffidens, ad Deum confugit, bonorum omnium fontem, ac largitorem, in sua sola etiam exaudimur a Deo. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*, inquit Sapiens: *& sine dubio vacua non redibit*, ait Bernard. Vnde, & Iudith ad Dominum, *Humilium, & mansuetorum tibi semper placuit deprecatio.* Et orabat Azarias, vnus ex tribus in camino ignis; *In spiritu humilitatis, & animo contrito suscipiamur à te Domine.* Sic & Dauid, *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* 2. Tim. 6 Eccl. 35 ser. 4. de Quadr. Iudit. 9. Dan. 3. Ps. 101.

9. *Nullum lædebat, sed benè volebat omnibus.* Potest proximus varijs modis iniurijs affici, in animo, quando ad peccatum pertrahitur: in corpore, quando percutitur, vulneratur: in fama, & honore, per detractionem, contumeliam, irrisionem: in bonis temporalibus, per furta, rapinas, vsuras. Omnis iniuria proximi, Christiano prohibita. *Nec sufficit declinare à malo, nisi fiat quod bonum est; & parum est nemini nocere, nisi studeas multis prodesse*, inquit S. Aug. Qui & alibi; *Hic est ordo humanæ concordiæ: primum, vt nulli noceat homo; deinde, vt etiam prosit cui poterit.* Tametsi in charitate sit ordo, vt vnum præ alio diligere possimus, nullus tamen à charitate, beneuolentia, ac beneficentia nostra secludendus est, quando etiam inimicos diligere, ijs qui nos oderunt, benefacere, & pro persecutoribus orare, præcepti sumus. Virgo ergo MARIA, non solum neminem lædebat; sed & omnibus benè volebat, omnibus, prout poterat, benefaciebat. Hæc est latitudo charitatis; non est contenta benefacere amicis, etiam ad hostes se porrigit. Hanc ostendit Christus in cruce, Stephanus inter lapides, & alij sancti inter iniurias, persecutiones, & supplicia, quæ illis ab hostibus inferebantur. *Qui est in charitate*, inquit, S. August. *est in latitudine, quia in charitate est latitudo; mane in latitudine, & poteris diligere inimicum, quia non ea diligis, vbi ab inimico angustias pateris.* Senten. 86. apud Prosp. de Ciu. lib. 19. cap. 14. Mat. 5. In Psal. 118.

10. *Assurgebat maioribus natu.* In Leuitico mandat Dominus; *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Quod dictũ de ijs senibus intelligo, qui aperta vitæ malitia, honorem senectuti debitum, non impediunt. De qualibus scriptum est; *A senioribus egressa est iniquitas*: & qualium vni dicebat puer Daniel; *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua.* De quibus locum habet illud Sapientis; *Et siquidẽ longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorũ. Senectus enim venerabilis est, nõ diuturna, neque annorũ numero cõputata, cani autẽ sunt sensus hominis; & ætas senectutis, vita immaculata. Tres species odiuit anima mea*, inquit Sap. *& aggrauor valdè animæ eorum; Pauperẽ superbum, & diuitem mendacẽ, & senem fatuum, & insensatum.* Adde venerandis senibus subdit; *Quam speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consiliũ? Quã speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium. Corona senum, multa peritia, & gloria eorum, timor Domini. In antiquis est sapientia*, inquit Iob, *& prudentia in senibus.* Vnde Aristotelis, memorabile dictum; *Mentem non nisi senibus contingere*, id est, probas, ac perfectas mentis functiones, & officia. Apud Gentiles magnus erat Senibus honor, ac reuerentia; Vnde Poeta; *Credebant hoc grãdeneſas, & morte piandũ, Si iuuenis vetulo non assurrexerat. Et alius, Magna fuit quondam capitis reuerẽtia cani, Inquè suo pretio ruga senilis erat.* Leu. 19 Dan. 13 Eccl. 25 Iob. 12 In 30. sect. Probl. prob. 4. Iuuen. Sat. 13. Ouid. in Fast.

Refert Valer. Max. quod senectuti iuuentus tantùm honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent: exeuntes, è domo, ac redeuntes honoris causã deducebant, ac reducebant. Inuitati ad mensam, posteriores accumbere; sublata mensa, priores consurgere solebant, illisquè præsentibus parco, ac quam modesto sermone vti. *Lysandrum Lacedæmonium*, inquit Cicero, *dicere aiunt solitum Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantùm tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior.* Lib. 2. cap. 1. De Senect.

11. *Æqualibus non inuidebat.* Inuidia mors est charitatis; quæ tantopere Christianis omnibus cõmendatur, sine qua nulli salus contingit. Est autem *inuidia*, vt D. August. inquit, *odium fœlicitatis alienæ*, de qua gaudet, qui proximum diligit; sicut & de malo eius tristatur. Implet illud Apostoli; *Gaudere cum gaudentibus; flere cum flentibus.* Nascitur autem, ex superbia ideò enim quis inuidet alteri bonum quod habet; quia vult illo haberi superior, & ideò dolet illum aliquid habere, quo est par vel maior. Hinc S. August. *Cùm dixisset Apostolus; Charitas non æmulatur, velut si causam quæreremus,* In Psal. 104. Rom. 12. 1. Co. 13.

vnde fiat, vt non æmuletur, continuò subdit, non inflatur, q.d. Ideò non habet inuidiã etiam, quia nec superbiam. Superbiam enim sequitur inuidentia, tanquam filia pedissequa: eã quippè superbia continuò parit, nec vnquã est, sine tali prole, atque comite. Quibus auobus malis, superbiæ scilicet, & inuidentiæ Diabolus præest. De S. Virg. c. 31.

12. *Fugiebat iactãtiam. Misera vita est, & fœda iactantia*, inquit Augustin. Non solum quando homo se iactat de peccatis: de quo dicitur, *Quid gloriaris in malitia?* Et, *Exultant in rebus pessimis.* Aut de rebus vanis, & caducis, vt de opibus, forma, amicis, &c. de quo dicitur; *Qui cõfidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarũ suarũ gloriãtur.* Sed etia de bonis, quæ habet, aut videtur habere. *Quid enim habes, quòd non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Deinde sæpe, *quòd altũ est hominibus, abominatio est ante Deum*, & sæpe sordet in cõspectu iudicis, quòd in oculis fulget operantis. Dicit Poeta; Lib. 10. Conf. c. 36. Psal. 51 Prou. 2. Psal. 48 2. Cor 4 Luc. 16. Horat. in epist. Nec tua laudabis studia, aut aliena reprẽdes. Et noster Sapiens; *Laudet te alienus, & non os tuum.* Vult id non temere fieri, alioqui ex facto Christi, Apostoli, & aliorum Sanctorum, licèt se aliquando laudare, quando, videlicet, proximi vtilitas, aut propriæ innocentiæ defensio postulat. Iactabat se Pharisæus, dicens: *Ieiuno bis in Sabbatho; decimas do omniũ, quæ possideo.* Iugurthæ laus apud Salustium est, *Plurimum facere, minimum ipse de se loqui. Homines, cum rem destruere, non possunt iactationẽ eius incessunt*, inquit Plinius, *& quòd magnificum, referente alio, fuisset, ipso qui gessit recensente, vanescit. O si cognoscant se homines, homines & qui gloriantur, in Domino glorientur*, inquit Augustin. Et rursum; *Tolle iactantiam, & quid sunt omnes homines, nisi homines?* Luc. 18. Salust. in Iug. Lib. 1. epist. ad S. turn. Lib. 9. Conf. c. 13. De ciu. lib. 5. c. 17.

MONITVM XXV.

De ijsdem virtutibus Deiparæ Virginis, ex D. Ambrosio. 13. *Rationem sequebatur.* Faciendum quod dictat ratio, non quod cupiditas, passio, aut affectus prauus, in quibus reprimendis toti esse debemus. Etiam in rebus bonis sunt sequẽdum iudicium rationis, quàm cordis affectum. Homini ergo, qui natura rationalis est, secundùm rationem viuendum est. Nec est propriè ratio, nisi recta sit, & in tantum ipsa recta est, in quantum diuinæ legi est conformis. Ita sit, vt viuere secundùm rationem, nihil aliud sit, quàm viuere secũdum Dei voluntatem, ac legem. Dicit Dauid Domino; *Tu es gloria mea*, quia eius author est; *tu exaltans caput meum*; quia facit vt ratio, quæ est caput, siue suprema pars hominis interioris, imperet, ac dominetur. Orandus diligenter, vt hoc in nobis efficiat. *Quia tunc ratio ordinatissimum tenebit principatum*, inquit S. Leo, *si mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore, regnare peccatum non siuerit. Frenare enim, & continere corporis, quasi belluæ cuiusdam impetus decet*, ait S. basil. *& motus turbulentos, ac tumultus, qui ab ipso animo concitantur, ratione, tanquam flagello cohibere. Non voluptatum habenis omnino laxatis, sinere mẽtem debemus, quasi aurigam ab effrenatis equis, qui violento agantur impetu, ferri transuersam.* Psal. 3. Serm. 3. de Quadrag. Hom. 24

14. *Amabat virtutem. Animi nostri motus*, inquit S. Prosper *non potest esse, sine aliquo amore. Et ideò non vobis dicimus*, ait D. August. *Non ametis. Amate, sed quia ametis, videte.* Quid solet homines amare, quid quærere? diligunt vanitatem, quærunt mendacium. Vnde eos increpans Propheta, *Vt quid*, inquit, *diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Quid enim sunt ista transitoria, nisi seductoria, non præstãt fœlicitatem, quàm promittunt, cùm sæpe se homo miseriorem experiatur habendo, quàm carendo. Aliud ergo diligite, aliud quærite. Purgate amorem vestrum, & aquam fluentem in cloacam, conuertite ad hortum. Amabas vanitatem, dilige virtutem; amabas mendacium, dilige veritatem; amabas transitoria, dilige æterna. Sed cur non amatur virtus, cùm eximiam habeat pulchritudinem, & natura rerum pulchrarum appetentes simus? quia eius pulchritudo à carnalibus nõ videtur. *Martyres eam viderunt, qui seculum calcantes, sanguinem pro ea fuaerunt. Vincit autem delectatio praua mentẽ mundo deditam, & esse sub sentibus delitias reputat, quia Dei suauitatem, & virtutis amœnitatem, nec vidit, nec gustauit.* Amanda est autem virtus, quia placet Deo, displicet Diabolo, homini prodest. Sic contra, peccatum odio habendum, quia Deo displicet, Diabolo placet, homini nocet. Homo autem, ita comparatus esse debet, vt Deo studeat in omnibus placere, & ad eum, tanquã finem vltimum omnia referre. Debet etiam se de Diabolo vindicare, qui eius est capitalis hostis, nihil aliud per omnia moliens, nisi hominis interitum. Optima autem vindicta est, iustè viuere, virtutem exercere: *Vritur enim, & torquetur, quàm maximè nostris virtutibus, ac iustificationibus*, inquit S. Leo. Denique homini naturale est, seipsum amare, eaque quæ illi vtilia sunt, sectari: quomodo ergo non amabit virtutem, quæ *ad omnia vtilis est habens promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ?* Lib. 1. cap. 7. de voc. gẽt. In Psal. 31. in præfat. Psal. 4. Aug. in Psal. 32 Kemp. lib. 3. de imit. c. 22. Iob 30. Serm. 3. de coll. & serm. 1. de Quad. 1. Tim. 4

15. *Arbitrũ mentis solita non hominẽ, sed De quærere. Christianus totus debet esse corã Deo, & humana omnia cõtemnere*, inquit S. Au-

In epist. ad Aur. S. Augustin. *Celata virtus, & in conscientiæ fota secreto, solum Deum iudicem respicit,* ait Hieron. Qui & alibi; *Prima virtus viri religiosi est contemnere iudicia hominum, & semper recordari Apostoli, dicentis, si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem,* Dicebat Ieremias Domino. *Ego non sum turbatus te pastorem sequens; & diem hominis non desideraui, tu scis. Non sis mihi tu formidini, spes mea tu in die afflictionis.* Et Apostolus Paulus, *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neq; me ipsum iudico; Qui autem iudicat me, Dominus est.* Gentiles, Romani, & Græci, ita humanæ gloriæ auidi fuerunt, vt huius vnius ingenti cupiditate, cæteras cupiditates presserint, & mira opera fecerint, quæ tamen virtutes esse negat Aug. quod omnia laudis amore, vitiarent. De Thalete Philosopho, qui magnũ auri pondus proiecit in mare, dicens: Mergam vos, ne mergar à vobis, ait S. Hieron. *Gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.* De quodã, qui prætextu pietatis in patriã, reuera autẽ amore laudis filios occidebat, ait Poeta: *Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.* Ipse Cicero tam erat humanę glorię auidus, vt obnixè petat à quodam Historico, facta sua posteritati cõmendari; vtq; in eo etiam plus quam concedit veritas, mutuo amori largiretur, & in eo leges historiæ negligeret. Melius laudatus est Cato, inquit Aug. de quo Salustius; *Quò minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur. quandoquidem gloria est, cuius cupiditate Romani flagrabant, iudicium hominum benè de hominibus opinantiũ. Et ideo melior est virtus, quæ humano iudicio contenta non est, nisi conscientiæ suæ. Vnde dicit Apost. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et alio loco; Opus suum probet vnusquisque, & tunc in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero.*

In epist. ad Iulia. *Lucan⁹.* *Lib. 5. epist. Famil.* *De ciu. lib. 5. cap. 12.* *2. Co. 1. Galat. 6*

Lib. 2. in Iouinia. 16. *Cibus plerumquè obuius.* Dicit S. Hieron. Quod mirandum est, Epicurus, voluptatis assertor, omnes libros suos repleuit oleribus, & pomis: & vilibus cibis dicit esse vescendum, quia carnes, & exquisitæ epulæ ingenti cura, ac miseria præparẽtur, maioremquè pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo. Corpora autem nostra cibo tantùm, & potu indigere; vbi aqua, & panis sit, & cætera his similia, ibi naturę satisfactũ. Quicquid suprà fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare, sed ad vitium voluptatis; bibere, & comedere non ad delitiarum ardorem, sed sitim famemquè restinguere. Qui carnibus vescantur, indigere etiam ijs, quæ non sunt carnium; qui autem simplici victu abuntur, eos carnes non requirere. *Sapientiæ quoquè operam dare non possumus, si abundantiam mensæ cogitemus, quæ labore nimio, & cura indiget. Citò expletur naturæ necessitas: frigus, & fames, simplici vestitu, & cibo expelli potest: vnde, & Apost. Habentes victum, & amictum, his contenti sumus. Delitiæ, & epularum varietates, fomenta auaritiæ sunt. Grandis exultatio animæ est, cum paruo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, & omnem eius potentiã, epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & crassiore tunica compensare.* Hæc Hieronymus.

1. *Tim. 6*

17. *Nec vultu læsit parentes, non dissensit à propinquis Qui timet Dominum,* ait Sap. *honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his qui se genuerunt.* Non dubiũ ergo, quin ea quæ maximè timuit Dominum, maximè etiam honorarit parentes, eisquè seruierit. *Rectè à Sapientibus dictum est; vultu sæpè læditur pietas,* inquit Cicero: *Qui affligit patrem,* ait noster Sap. *& fugit matrem, ignominiosus, & infelix est.* Et rursum. *Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem; & est maledicius à Deo, qui exasperat matrem.* Propter parentes etiam propinqui, & consanguinei colendi, & amandi sunt, qui videlicet, ex ijsdem nobiscum parentibus processerunt. Vnde propter eorum honorem prohibitum est, in quibusdam consanguinitatis gradibus Matrimoniũ, quòd in concubitu cõstat turpitudo quædam honorificentiæ contraria; vnde de eo homines maximè verecundantur, etiam ipsa pudicitia coniugalis, inquit Augustin. Præcipiuntur sibi mutuo etiam subuenire. *Frater,* inquit, Sap. *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et alibi: *In tribus beneplacitum est spiritui meo; quæ sunt probata coram Deo, & hominibus:* Primum ex tribus est, *Concordia fratrũ.* Pessimè agunt, qui consanguineos ob paupertatem, similemquè causam aliam, despiciunt; bonis suis spoliant, persequuntur. Cum Cain, & Esau iustorum fratrum persecutoribus partem habituri sunt eiusmodi. Nimis, proh dolor, inoleuit neglectus consanguinitatis, vt etiam in prouerbium vulgò abierit, *Fratrum quoquè gratia rara est.*

Pro. 19. *Pro Ros.* *Pro. 19.* *Eccl. 3.* *De ciu. lib. 15. c. 16. & li. 2. c. 4.* *Pro. 18.* *Eccl. 25.* *Gen. 4. 37.*

18. *Non fastidiuit humilẽ, non derisit debilem, non vitauit inopem.* Grauiter reprehendit D. Iac. eos qui personas accipiunt, contemnunt pauperes, quos elegit Dominus in hoc mundo, diuites in fide, regni cælestis hæredes. Clamat Proph. *Numquid non pater vnus omnium nostrum? Numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; nostrum fratrem suum? Diues, & pauper occurrerunt sibi, vtriusq; operator est Dominus,* inq. Sap. *Qui ergo despicit pauperem, exprobrat factori eius,* ait idem. Monet Celantiam S. Hieronym. *Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Nihil enim est quod nos ita, & hominibus gratos, & Deo*

Iac. 2. *Mala. 2.* *Pro. 22.* *Pro. 17.* *In epist. ad Cel.*

faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus: propter quòd Scriptura dicit, *Quanto magnus es, humilitate in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Præcipua virtus sublimium est, inquit D. Prosp. compati cum infirmis, & ad insipientes, seu paruulos inclinari. Et quis, quæso, fastidiat humiles, derideat debiles, vitet inopes; *cum vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti.* inquit idem Hieron. *Nec interest, qua quis conditione natus sit, cum omnes in Christo æqualiter renascamur. Nam etsi obliuiscimur, quia ex vno omnes generati sumus, saltem id semper meminisse debemus, quia per vnum omnes regeneramur.*

19. *Dormiendi nõ prius cupiditas, quàm necessitas fuit.* Inter corruptos vrbis mores recenset Salustius, *Dormire prius, quã somni cupido esset.* Hortatur Rusticum Hieronymus, *Lassus ad stratum venias, ambulansquè dormites, & nec dũ expleto somno, surgere compellaris. Somnus multus, nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis natura cõducit. Nemo quidem, cùm dormit, alicuius pretij est, non magis, quàm si non viueret. Quare quicunque viuere, & sapere cupit maximè, quàm longissimo tempore vigilet, sola salutis commoditate seruata.* Et rectè monet S. Bern. *Caue serue Dei, quantum potes, ne totus quãdoque dormias: ne sit somnus tuus, non quies lassi, sed sepultura corporis suffocati, non reparatio, sed spiritus extinctio. Iturus ergo in somnum, aliquid tecum defer in memoria, & cogitatione, in quo placidè obdormias, quòd etiam somniare iuuet, sic tibi nox, vt dies illuminabitur.* De D. Virgine dicit Ambros. *Cùm quiesceret corpus, vigilabat animus, qui sæpè in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut dispositа gerit, aut futura prænuntiat.*

20. *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, nõ vox petulantior. Disciplina virtus est,* inquit S. Bernard. *quæ corporis, & mentis habitum componit; ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, formatincessum.* Hac virtute, Deiparam Virginem, præ cæteris omnibus præditam fuisse, quis dubitet? Hoc & à nobis curandum diligenter, vt animus, qui corporis, eiusque membrorum, à Deo constitutus est rector, non ea *exhibeat arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo,* hoc est, vt ijs rectè vtatur ad Dei honorem, & proximorum ædificationem. Sit tanquã prudens, & industrius paterfamilias, custosquè domus suæ, non modò ad fures arcendos aduigilans, sed etiam omnia lustrans, vt quid ad domesticas rerum necessariarum prouisiones desit, perspiciat. Hoc nimirũ illud est, quòd Salomon vir in sapiẽti illa, ac prouida muliere, Ecclesiam, atque in ea cuiusquam nostrum animam describens, aiebat in Prouerbijs, *Considerauit semitas domus suæ.* Hinc dicuntur animalia, de quibus in Apocalip. *plena oculis,* non solùm intus, sed & foris; non enim solùm interiora nostra, quæ viribus animæ peraguntur, scrutanda, & ordinanda sunt, sed & exteriora nostra, quæ corpore eiusquè membris fiunt; ne quid illis committatur, quòd vel ipsum Deum, vel proximum meritò possit offendere. *Prouidentes,* inquit Apostol. *bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Eccles. 3

In Psal. 119.

Ibidem.

In Catil.

In epist. ad Rust.

Plato lib. 8. de leg. ex sentẽtia Socrat.

Ad fratres de monte Dei.

Lib. 2. de Virg.

In epist. 114. ad Soph.

Basil. in Psal. 6.

Rom. 6.

Pro. 31.

Apoc. 4.

Rom. 12.

R. P. F. ALEXANDER DE HALES.

NOTA.

INsignis, atque irrefragabilis Doctor Alexander de Hales, Alensis, seu Galensis appellatus, ex Anglia, vel magna Britania oriundus; obijt anno à Virgineo partu M. CC. XLV. die vigesima Octobris; sicut natione, & nomine magnus, ita re, scientia, & doctrina, atque virtute Maximus extitit. Seraphicæ Religionis S. P. nostri Francisci decus fuit gloria, & honor incomparabilis. Parisiensis Facultatis, lux, & sol, fons, & flos Philosophorum, & lignum vitæ communiter vocitatus. Omnium

Theo-

*Theologorum, Dux, Antesignanus; Columna præcedens in vasto litterarum deserto, iter demonstrans; atquè Angelus præparans viam ante faciem omnium candidatorum: ac alijs, quàm plurimis exaltatus laudibus, celebratus encomijs, & epitectis à quadraginta, & ampliùs Doctoribus, & Scriptoribus, quos vidi, legi, quorum infra aliquos numero. Quid plura Doctor Doctorum Ecclesiæ; Rector, Pater, & Magister Angelici, & Seraphici SS. DD. & FF. Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ Cardinalis: & sicut Primus Sacræ Theologiæ illustrator (vt alibi docui) sic & primus fuit, qui votum emisit se, nihil negaturum postulanti, ob amorem, & reuerentiam Virginis Dei Matris MARIÆ. Propter huius Deiparæ deuotionem Seraphicam ingressus est Religionem, teste S. Antonino 3. part. Hist. tit. 24. cap. 8 §. 1. Ob gloriam huius intemeratæ Christiparæ tractatum elaborauit egregium; in quo Beatissimam Virginem, ab omni labe originalis peccati, pro viribus liberam probat; aliudquè compagnauit magnum, & insigne Mariale in sex lib. distributum, cuius initiũ est, MARIÆ præexcellentissimæ Matris, &c. teste Henrico Viloto, fol. 13. & Ioanne Pitseo, fol. 316. quæ sicut, & plura alia, quæ in totam scripsit Bibliam, vel temporis iniuria perierunt, vel in Bibliothecis obliuioni tradita intenebris latitant; & hoc verius iudico; nam dum nostri Alexandri opera summo desiderio, diù quæsissem, tandem in Bibliotheca Toletana Sancti Ioannis Regum, Pluteo X. num. 76. inueni manuscriptum Codicem in folio, cuius titulus erat, Glossa super Lucam Alexandri de Hales. Prologi verò initium est: disciplina medici exultauit caput illius Quòd verò sit hic proprius, & legitimus fœtus nostri Alexandri Halensis patet. I. ex opere: nam vt refert R. P. Antonius Possevinus in Apparatu suo sacro, vidit Romæ, apud nostrum illust. S. R. E. Cardinalem Sarnanum, quatuor manuscriptos tom. nostri Alexandri de Hales, primum in S. Marcum, secundum in D. Lucam, reliquos verò in omnes D. Pauli Epistolas. II constat ex titulo, quia clarè, & distinctè, tam extra in pergameno, quàm intra in prima pagina, ex peruetustissimis characteribus inscriptum est: glossa, super Lucam Alexandri de Hales. III ex antiquitate; quia vetustissimus est, vt vix Codicẽ legere potuisse adhibito adminiculo plurium litteratorũ. IV. ex loco, nam extat in Bibliotheca antiquissima S. P. N. Francisci; vbi Rex Catholicus Ferdinandus suos colocauit Codices. V. & vltimo, quia stylus nostri Alexandri est: nam si legas eius luculentissimum commentarium in Psalmos impressum Venetijs anno 1516. & iterum, ibidem anno 1546 (falso Vgoni de Sancto Caro Cardinali adscriptum) videbis, quòd ordo procedendi, diuisiones, methodus, dispositio, & stylus, imò & verba ipsissima sunt. Igitur. Ex hac ergo glossa super Lucam: supermissus est Angelus, & Canticum Magnificat sequens deprompsi fragmentum, ne omnia huius irrefragabilis Doctoris scripta in laudem Virginis MARIÆ in tenebris latitarẽt, quæ verò hoc signo * notantur, verba sunt, quæ in originali, vel mendosa, vel non ita clara existunt. Agunt de ipso. Pisanus. Marcus Vlyssiponensis Gonzaga. Trithemius Bellarminus. Platus, Gualterius. Coccius. Hẽricus de Gandabo, Gesnerus. Tossinianus Eysingrenius. Ioannes Lelandus. Nicolaus Triuetus. Elzearius. Sabellicus. Spondanus. Algezira. Leander. Myræus. Arturus. Sixtus Senensis, & alij quam plurimi.*

SVPER MISSVS EST, ET MAGNIFICAT.

IN *mense autem sexto missus est, &c.* Superiùs denuntiauit Euangelista, Annuntiationem Præcursoris, hic determinat annuntiationem Saluatoris, & diuiditur pars ista in quatuor. Primò ponitur Angeli ad Virginem missio. Secundò, mandati mūcti executio, ibi: *Ingressus Angelus ad.* Tertio, Virginis consensus, ibi: *Dixit autem MARIA, ecce ancilla Domini.* Quarto, Angeli regressus, ibi: *Et discessit Angelus.* Circa missionem Angeli, quinque tanguntur, scilicet: tempus, Nūtius, Dominus, locus, & personę ad quam mittitur status, tangitur; ergo primo tēporis opportunitas, quia *in mense sexto:* Nuntij dignitas, quia *Angelus Gabriel,* Domini authoritas, quia *à Domino*, loci congruitas, quia *in ciuitatem Galilææ.* Personæ ad quam mittitur idoneitas; quia *ad virginem desponsatam:* dicit igitur *: in mense autem sexto*; quasi diceret, supra * Elizabeth, postquam concepit occultabat se mensibus quinque. *In mense autem sexto,* idest in Martio, qui fuit mensis sextus à conceptione Ioannis Baptistæ, *Missus est Angelus*, tanquam nuntius, vel legatus. Angelus enim nomen est officij, non naturæ. Psalmus, qui facit Angelos, idest nuntios suos spiritus. *Angelus* inquam *Gabriel.* Beda, Gabriel fortitudo Dei; quia illū nuntiabat, qui deuellare Diabolū veniebat, Ierem. 46. fortis impegit in fortē, scilicet Diabolus in Christū. *Missus* inquā *à Deo*, quòd dicitur Bernard. ne fortè, vt assolet ab aliquo excellentiori Angelo missus putaretur; nesciebāt fortè Angeli mysteriū incarnationis, & verū est, cū omnibus circunstantijs; scilicet quòd de hac Virgine, & hac die conciperetur, sed solus Deus; ideò solus Deus misit. *Missus* inquam *in ciuitatē*, in ciuitate concipi voluit: quia omnes homines ad vnitatem supernæ ciuitatis vocare venit, Isaia 45. Ipse ædificauit. *Ciuitatem* inquam *Galilææ*, non Iudeæ. In signum, quod ad gentes transiturus erat, *Galilea* enim interpretatur transmigratio facta, involubilitas, siue rota, quòd totum conuenit gentilitati; ideò Psalmus vox tronitui tui in rota, idest, annuntiatio tua, & prædicatio in Galilea. Item, vt per hoc significaretur, illa magna transmigratio, qua de sinu Patris venit in vterum Virginis, Ioannis 16. Exiui à Patre, & veni in hunc mūdum. *In ciuitatem*, inquam, *cui nomen Nazareth*, vt adimpleretur illud propheticum, Matth. 2. quoniam Nazareus vocabitur, & Esaias 11. secundùm aliam literam, Nazarenus de radice eius ascendet. Verè credo, quòd noluit nos negligenter audire, quòd tam diligenter voluit enarrare; nominat siquidem, nuntium, dominum, Virginem, ac sponsam, amborumque genus, ciuitatem, & regionem, proprijs designat nominibus: singula enim sunt cœlesti dulcedine redundantia, si haberent Dei * inspectionem, qui fugere nouerit mel de petra.

Ad Virginem desponsatam, hic describitur personæ status ad quam mittitur Angelus. Et primò, ex virginali puritate, quia *Virginem.* Secundò, ex societate coniugali, quia *desponsatam.* Tertiò, ex genere Regali, quia *ex domo Dauid.* Quartò, ex nomine commendabili, quia *MARIA.* Ex virginitate ostenditur esse pudica, ex desponsatione prouata, ex genere gratiosa, ex nomine famosa. *Missus est*, igitur *Angelus ad Virginem*, scilicet pudicam, Isai. 7. Ecce virgo concipiet, &c. *Virginē*, Bernard. quoniā, vt virga, non ex germine. Sic virgo non ex homine, nec virgæ læsit floris emissio, nec virginis pudorem, sacri partus editio. *Virginem* inquam *desponsatam viro*, quia secundum Ambrosium desponsata est, vt testem suæ integritatis haberet; *viro*, inquam, *cui nomē erat Ioseph de domo Dauid*, scilicet tam Ioseph, quam MARIA; iungebantur enim, vt frequentiùs mulieres hominibus de Tribu sua: si ergo Ioseph de domo Dauid, & MARIA. Hoc autem dicit. Primò, vt ostendatur partus dignitas; Hebr. 7. manifestum est, quòd de Tribu Iudà ortus sit Dominus noster. Secundò, vt ostendatur promissorum Dei veritas; quoniam promiserat Dauid de fructu veniris tui, &c. Tertiò, ne contemneretur parentum eius paupertas; quia nobiles erant, licet pauperes.

Et nomen Virginis MARIA, in quo ostēditur famosa, de qua sanctus Bernardus, non est nouiter, aut fortuitu inuenta, sed à sæculo electa, ab altissimo prænotata, sibi præparata, sibi seruata, à patribus præfigurata, à Prophetis præuisa; quòd enim Moysi monstratum est in rubo, & in igne, quòd Aaron in virga, & flore; quòd Gedeoni in vellere, & rore; hoc præuidit Salomon in forte muliere; apertiùs Ieremias declarauit in fœmina, & viro, apertissimè Esaias in virgine, & Domino: Gabriel tandem exibuit ipsam Virginem salutando. *MARIA* enim interpretatur, maris stella, mare amarum, & Domina, & ipsa fuit maris stella, in Filij Dei natiuitate: tunc enim emisit radium, totum mundum illuminantem; amarum mare in filij passione, Lucæ 2. & tuam ipsius animam pertransiuit gladius; sed Domina in sua assumptione, quando super choros Angelorum est exaltata.

Et ingressus Angelus ad eam. Superiùs de-

Deu. 32

Esai. 7.

Heb. 7.

Pſ. 131.

Exod. 3

Iudic. 6

Pro. 31

Iere. 31.

Esai. 11

Luc. 2.

ter-

terminauit Euangelista scilicet missione ad Virginem, hic subdit mandati, siue nuntij executionem, vbi tanguntur tria. Primò, Angeli ingredientis salutatio. *Aue*, inquit, *gratia plena*. Secundò, inquam Virginis verecundantis confortatio, ibi: *Et ait Angelus ei, ne timeas*. Tertiò, ipsius inquirentis certificatio, ibi: *Dixit autem MARIA ad Angelum, quomodo fiet*. Ergo Angelus Virginem salutauit, inuentam in thalamo, confortauit turbatam de verbo audito, certificauit querentem de conceptus modo. In prima tria innuit; Primò, vbi Angelus Virginem inuenit, cùm dicit, *Et ingressus Angelus*. Secundò, quid in eius salutatione, dixit cùm subdit. *Aue gratia plena*. Tertiò ad istam salutationem, qualiter se habuit Virgo, cum addit, *quæ cùm audisset*, dicit ergo: *Et ingressus Angelus ad eam*. Scilicet in thalamum, vbi erat *dixit*, per hoc enim quod dicitur. *Ingressus Angelus ad eam*, patet quod non erat foris in publico, vnde Bernardus: suspicandum non erat, quod apertum inueniret Angelus hostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare coloquia, ne vel orantis turbaretur silentium, vel continentiæ castitas turbaretur.

Isai. 8. Isaias 8. secundùm litteram Iudeorum, ecce Alma concipiet, ideſt Virgo abscondita.

Aue gratia plena Dominus tecum. In hac salutatione commendat Angelus, quatuor in diua Virgine. Primò, vniuersalem culpæ carentiam, cùm dicit, *Aue*. Secundò, redundantem abundantiam gratiæ, cum subdit *gratia plena*. Tertiò, specialem Dei præsentiam, cum addit *Dominus tecum*. Quartò, singularem super mulieres prerrogatiuam, cùm addit *Benedicta tu in mulieribus*, ibidé, O gloriosa domina quæ, & culpa caruit vniuersaliter, & gratia nituit abundanter, & Deum habuit specialiter, & mulieres præcellit, singulariter. Dicit ergo *Aue* quod dicitur ab à quod est sine, ve, quia sine væ; prima enim mulier genuit nos, cum multiplici væ, facta est enim nobis mater malitiæ, mater discordiæ, mater ignorantię, mater miseriæ, ideò,

Iere. 15. Ierem. 15. vę mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? non fęnerauí, nec fęnerauit mihi quisquam, omnes maledicunt mihi. Sed Beata Virgo facta est mater dilectionis, contra væ malitiæ; mater timoris, contra væ discordiæ; mater cognitionis, contra væ ignorantiæ, mater spei sanctæ, contra væ miseriæ;

Eccl. 24. Eccl. 24. ego mater pulchræ dilectionis, &c. Benè ergo dicitur ei *Aue*, ideſt sine væ. Transmutato primæ mulieris nomine. Bernardus reditur fœmina pro fęmina, humilis pro superba, prudés pro fatua, quæ pro ligno mortis, gustū tibi porrigit ligni vitę: *Gratia*

Ibidem. *plena*, Eccles. 24. in me omnis gratia viæ, & veritatis, & verè *gratia plena*, quia eius intellectus plenus veritate, Luc. 2. MARIA conseruabat omnia verba: Affectus charitate, Cantic. 3. nuntiate dilecto, quia amore langueo: Caro puritate, Cāticorum 4. tota pulchra est amica mea, & macula, &c. Manus pietate, Prouer. manum suam apperuit inopi, &c. Mores honestate, Canticorum 7. quam pulchri sunt gressus tui in, &c. Lingua dilectione, Cantic. 4. mel, & lac sub lingua, Vita sanctitate, Prouer. 11. mulier gratiosa inueniet gratiam, ideò meritò sequitur. *Dominus tecum*. Præmiserat Dominus Gabrielem, sed peruenit ad Virginem, quod attendens Gabriel, non dixit Dominus venit, para ei hospitium, sed inueniens hospitium paratum, & Dominum peruenisse dixit: *Dominus tecum*: de alijs sanctis dicitur, quod cum Domino sunt, vt de Enoch, Genes. 5. cum Domino ambulauit, quia voluntati eius obediuit. Sed MARIÆ dicitur quòd Dominus est cum ea, quia eius obediuit voluntati. Infra 2. & erat subditus illis. Ergo *Dominus tecum*, Dominus Pater, qui te præelegit, Dominus Filius, qui te desponsauit, Dominus Spiritus Sanctus, qui te consecrauit, *Dominus* ergo *tecum*, quia tu totius Trinitatis triclinium: *Dominus* quippè Pater tecum, qui te sibi associauit, in vnitate prolis, infrà Euangelista, concipies, & paries Filium, & post: hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. *Dominus* Filius tecum, quia te sibi associauit, in causa nostræ salutis, vt sicut per hominem, & fœminam mors intrauit in mundum: Sic per Christum hominem, & MARIAM Virginem vita. 1. Cor. 15. *Dominus* Spiritus Sanctus tecum, quia te sibi associauit in agenda apud Patrem hominis causa, nam ipse aduocatus, & tu aduocata. *Dominus* ergo *tecum* suam tibi communicans diuinitatem, vt tu ei cōmunices carnem tuam, *Benedicta tu in mulieribus*. Sunt enim mulieres benedictæ aliquæ, quia Virgines, sed non fęcundæ; aliquæ, quia fecundæ, sed non Virgines; sed hæc simul Virgo, & fecunda; & ideò super omnes mulieres benedicta. Hæc est salutatio singularis, nunquam antea tota simul alicui facta: in omni enim humana salutatione ante ista fiebat; aut vitæ imprecatio, vt Daniel. 2. Rex in æternum viue; aut salutis, 2. Reg. 16. Salue Rex, aut benedictionis, vt Messores ad Booz. Ruth. 2. Benedicat tibi Dominus; aut fiebat imprecatio diuinæ præsentiæ, vt Gedeon. Iudicum 2. *Dominus tecum* virorum fortissimè; aut lętitię, vt Thobiæ. Thob. 5. gaudiū tibi sit: hęc autē salutatio Angelica ex omnibus confiata est, quia *Aue*, ideſt, sine væ, ideſt, sine malo, ecce salutatio Thobiæ gaudium tibi sit; *Gratia plena*, ecce salutatio Apostolica, quæ sic salutat gratia vobis, & pax: *Dominus tecum*,

Luc. 2. *Cant. 3.* *Cant. 4.* *Pro. 31.* *Cant. 7.* *Cant. 4.* *Pro. 11.* *Genes. 5.* *Luc. 2.* *1. Co. 15* *Dam. 2.* *2. Re. 16* *Ruth. 2.* *Iudi. 2.* *Thob. 5.*

hæc est salutatio ad Gedeonem, vel Booz, ad Mesores; *Benedicta tu in mulieribus*, hæc est salutatio Booz; ad Ruth, & Mesorum ad Booz; fuit ergo præsens salutatio valdè completa.

Quæ cùm audisset turbata est, habito quid in salutatione Virginis dixit, hic subdit Euangelista, qualiter virgo ad salutationem se habuit, vbi implicatur triplex virtus cõmendans Virginẽ; scilicet modestia, verecũdia, & prudentia; modestia verò in hoc, quòd *Audiuit*, verecundia in hoc, quòd *turbata* fuit, prudentia in hoc, quòd *cogitauit*; dicit ergo, *quæ* scilicet verba, vel *quæ* MARIA, *cùm audisset turbata est*, quantum ad affectum *in sermone eius, & cogitabat*, quãtum ad intellectum, *qualis esset ista salutatio*, & quãtum ad personam salutantem: dicernens, per spiritus discretionem, quòd bonus esset Angelus, & quantum ad salutationem, quòd sancta, quia Domino totã attribuebat. Gratia enim dicitur, quia gratis data, & quantum ad causam, propter quã veniebat, quòd adhuc nesciebat merito deliberans *cogitabat*.

Et ait Angelus ei, superiùs ostendit Euãgelista, qualiter Angelus, Beatam Virginem salutabit, hic ostendit qualiter ipsam de salutatione turbatam confortauit. Confortauit autem eam. Primò ex diuinæ gratiæ collatione, quàm in ea asserit. Secundò ex nouę prolis conceptione, quàm ei promittit ibi, *ecce concipies*. Tertio ex concipiendæ prolis commendatione, quàm mirum atollit ibi, *hic erit magnus*. Circa primum, primò ponitur Angeli à locutio, secundo virginis pauentis à securatio, ibi: *Ne timeas MARIA*, dicit ergo: *Et ait Angelus, ne timeas MARIA*. Beda, turbatam ex salutatione, quasi familiariùs notam vocat ex nomine; & notandum, quòd non dicit, non verecunderis, verecundia decet Virginem Eccles. 36. gratiam super gratiam mulier sancta, & pudorata, sed *ne timeas*, quia perfecta charitas foras mittit timorem; *ne timeas*, in quam, quia nihil habet suspectum societas Virginum, & Angelorum; quia non porto rompheam, vel flammeum gladium ad claudendum paradisum, sicut ille de quo Genes. 3. quia non sum missus ad puniendum, sicut illi de quibus Genes. 29. quia non affero legem oneris, & timoris, sed sum Paranimphus amoris, qui paradisum aperiat, qui legem gratiæ * mentibus infundat, qui misericordiam exerceat, non vindictam. Notãdum super id, *nomẽ Virginis MARIA*, quod virgo quælibet debet habere multas conditiones, ad hoc quod immitetur istam. Primò, quòd sit clausa, nõ vagabunda, Eccles. 42. filia patris abscõdita est: sequitur; ne quando poluatur in virginitate sua; ideò Dina, quia egressa est, vt videret alias mulieres, opressa est à Sichem, Genes. 34. dormiuit cum illa vi opprimens virginem. Secundò, quòd sit tacita, non verbosa, 1. Corinth. 5. mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt quomodo placeat Domino, vnde Eccles. 26. datum Dei mulier sensata, & tacita; quæ contra de muliere fatua dicitur, quòd irretiuit eum sermonibus, &c. Tertiò, quòd sit honesta, non indisciplinata, Ierem. 2. nunquã obliuiscitur virgo ornamenti sui, Sther 2. non quæsiuit Sther mundum muliebrem, sed quæcumque voluit Aggeus custos virginum eidem ad ornamentum dedit. Multę tamen quærũt habitum prouocatiuum ad immunditiam, & ideò immundæ. Tren. 1. virgines eius squalidæ. Quartò, quòd sit humilis & deuota, non efrons, & præsumptuosa, Esai. 47. descende, sede in puluere virgo filia Babilonis. Exemplũ de moniali, quæ nolluit esse Magdalena in paradiso, & non multum post, cum ribaldo exiuit de claustro, Matth. 25. nouissimè veniunt reliquæ virgines, dicentes Domine, Domine, aperi nobis. Quinto, quòd sit fortis, & solicita in sui custodia, non debilis, & incauta. Bestia difficilis est ad seruandum, quæ per se ipsam se prodit, Ierem. 31. reuertere virgo Israel ad ciuitates tuas, vsque quo dissolueris delitijs filia vaga. De Tamar enim dicitur, quòd cũ esset virgo, difficilè videbatur sibi, quòd frater suus quidquid inhonestum ageret, cùm ea tamen * corrumpit eam, 2. Reg. 13. Sexto, quòd sit. * * * * * *

Hic quæritur super illud, *in mense autem sexto*. Contra 25. die Martij, annuntiatus est Dominus, vt dixit Beda. Martius est mensis septimus à Septembri: vnde dicitur Septẽber, quasi septimus imber, scilicet à Marcio, non ergo mense sexto, sed potius septimo. Ad hoc dicendum, quòd mox est Scripturæ Sacræ, non facere vim in minutijs numerorum: vnde non computat octo dies vltimos Septembris, & tunc nõ computato Septembri; sunt sex menses, tantùm à conceptione Ioannis, vel potest dici, quòd quamuis esset septimus, secundùm computationem nostrã, non cum doctrina * secundùm computationem Iudęorum, qui non incipiunt à capite mensis, sed à lunationis initio; secũdùm autẽ istam computationem sextus erat. Itẽ glossa, ibi vigesima quinta die Martij conceptus est Dominus, & passus, quæritur, quare tali tempore? Ad hoc dicendum, quòd huius multiplex conuenietia inuenitur, prima propter mundi in illo tempore creationem, vt scilicet eo tempore recrearetur, quo creatus fuerat. Secundò, propter solis ad nos conuersionem, quia tunc timentibus Deum ortus est sol iustitiæ, Malac. vltimo. Tertia propter noctis diminutionem, & dici augmen-

Gen. 34. 1. *Cor.* 5 *Eccl.* 26 *Ierem.* 2 *Sther* 2. *Tren.* 1. *Esai.* 47 *Mat.* 25 *Iere.* 31. 2. *Reg.* 13. *Malac. vlt.*

Desunt lineæ sex in manuscripto.

mentationem, quia tũc aucta est Dei cogni- A
Rom. 1. tio, Roman. 13. Nox præcessit, dies autem. Quarto, propter temporis dulcedinem, quia in illa sic stillauerunt montes dulcedinem,
Ioel. 3. &c. Amos 9. Quinto, propter auium modulationem, quæ in verè gaudere incipiunt, sic omnes sancti, tunc gauisi sunt, secundum il-
Esai. 20. lud. Esai. 20. lætabuntur coram e. Sexta, propter illius temporis sanctificationẽ; magis enim indigebat, quàm aliud, quia tẽpus veris magis dissolutum est, vt vbi solet a-
Rom. 5. bundare delictum, superabundaret, & gratia, Roman. 5.

Item supra illud, *Missus est Angelus*, videtur, quòd potius debuit mitti Propheta, vt homo hominem nuntiaret. Ad hoc dicẽ- B
dum, quòd missus est Angelus, non Prophe-
ta multiplici ratione. Primo, propter rei magnitudinem, quæ nuntiabatur, rBern. nihil vnquam maius audiuit mundus. Secundo, propter personæ ad quam mittebatur puritatem, quia Angelis cognata est virginitas secundùm Hieronymum. Tertio, propter Angelorum vtilitatem, quia per hoc renouanda erat ruina eorum. Quarto, propter Angeli oppositionẽ, * qui fuerat causa peccati, ille venit propria authoritate ad Euã, sed hic missus ad MARIAM, quia casus in peccatum est ex parte creaturæ, sed reparatio gratiæ à Domino, tanquam authore.

Item super illud, *Desponsatam*, cùm des- C
ponsatio, videatur derogare proposito virginitatis, videtur quòd non debuit desponsari. Ad hoc dicendum, quòd multiplex fuit desponsationis ratio secundum Bedam. Prima, vt per Ioseph ordo generationis texeretur. Secunda, ne quasi adultera lapidaretur,
Leu. 21. quia virgo de Tribu Sacerdotali fornicans, vt adultera lapidabatur, Leuit. 21. Tertia, vt impuditijs virginibus defensionis occasio tolleretur, ne scilicet ad excusandum se dicerent Matrem Domini fuisse infamatam. Quarta, vt solatium virgo, & paruulus haberent, quo fruerentur. Quinta, vt diabolo mysterium cœlaretur : putauit enim eam more solito cõcepisse de viro. Sexta, vt vir- D
go testem suæ virginitatis haberet, ne mala suspicatione famaretur. Ad hoc obiectum dicendum, quòd non consentit Virgo actum coniugalem, quia hic non est de necessitate matrimonij, sed in obligationem, vbi Dominus aliter ordinaret, nec est hoc peccatũ, quando fit non authoritate propria, sed diuina.

Item super illud, *Turbata est*, videtur quod malè, quia nuntiabatur ei bonum, ergo gaudere debuit, non turbari. Ad hoc dicendum, quòd illa turbatio, non fuit iræ, vel doloris, sed pudoris, & admirationis; pudoris, cùm sola videbatur, quasi cum viro; tùm quia tã-
to commendabatur, præconio; pauoris, tùm ex præsentia spiritus, quem videbat hostio clauso repentè intrasse; tùm ex solita * sa- *Forte. Insolita*
lutatione, quia communis modus salutandi erat admirationis: tùm ex prædictorũ magnitudine, tùm pro temporis incertitudine; nesciebat enim, vtrùm præsens esset, aut futurum quod dixerat Angelus: *Dominus tecum*, nec est, nec fuit, nec erit, apposuit, ne scilicet alterum apponens, reliquum videretur negare.

Inuenisti enim gratiam apud Deum. Superius confortauit Virginem Angelus, verbo suo dicens: *Ne timeas MARIA*, hic cõfortat eam ex diuinæ gratiæ dono, vbi tangit huius gratiæ. Primo, communem vtilitatem, cùm dicit *inuenisti*. Secundo, specialem veritatem, cum subdit *apud Deum:* dicit ergo Angelus MARIÆ *inuenisti*, quasi ita dixi *ne timeas*, inueniſti enim gratiam, & ideò benedixerat superius, *gratia plena inuenisti*, inquam *apud Deum*, non apud mundum, cuius falax est gratia, Prouerb. vl- *Prouer.*
tim. falax gratia, & vana est pulchritudo; & *vlt.*
notandum, quòd dicit *inuenisti*, non dicit habuisti, vel meruisti gratiam apud Deum, quare? res habita, vt propria custoditur, sed inuenta, restituitur his qui perdiderũt; ideò benedicit, *inuenisti gratiam*, quasi non tibi soli retinendam, sed tanquam alijs restituendam. Currant ergo ad MARIAM gratiæ inuentricem, qui gratiam amisserunt superbè peccando, & eam inuenient apud eam, ipsam humiliter salutando, nec enim negare poterit se inuenisse, quia testimonium habemus Angelicum dicentem, *& inuenisti enim gratiam apud Deum.*

Ecce concipies in vtero, hic cõfortat Angelus virginem, ex nouæ prolis conceptione, quam ei promittit, vnde innuit huius cõceptionis nouitatem, cùm dicit *ecce* veritatem, cùm subdit *concipies in vtero*, dignitatem. cum addit, *& paries filium*, vtilitatem cum imponit nomen, & *vocauis nomen eius IESVM*, dicit ergo: quasi excito ad audiẽdũ nouum, & mirabile, scilicet mysterium incarnationis, quòd fuit verè mirabile, videre scilicet virtutem in infirmitate, maiestatem in humilitate, æternitatem in morte, in carne Deitatem, in matre virginitatem, in Virgine fœcunditatem, viam invio, compendiũ in deuio. *Ecce ergo concipies in vtero*, ideſt non ab extrinseco de viro, sicut aliæ mulieres, sed in *vtero*, ideſt de Spiritu Sancto, & paries scilicet, sine dolore: Esai. vltim. ante- *Esa. vlt.*
quam parturiret, ideſt dolorem partus sustineret, peperit. In alijs autem parturitio præcedit partum, secundùm illud, Genes. 3. *Genes.* 3
in dolore paries, sed beata Virgo, sine dolore peperit, *Paries inquam filium*, non solum tuum, sed Dei, & ideò non addit tuum, sed dicit simpliciter filium: *& vocabis nomen*

eius

eius IESVM vocabis enim inquam, non imponens, quia ego impono ei; infra 2. vocatum est nomen eius IESVM, quòd vocatum est ab Angelo, prius quàm in vtero conciperetur IESVM, & Saluatorē; ispe enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum Matth. 1. *Mat. 1.*

Hic erit magnus, hic commendat virginem Angelus, ex filij nascituri commendatione. Commendat autem eam valdè exquisitè, &. Primò à naturali potestate, quia *erit magnus*. Secundò à personali proprietate, quia *Filius altissimi*. Tertio à regali dignitate, quia *dabit illi Dominus sedem Dauid*. Quartò ex sibi propria nobilitate, quia *in domo Iacob*. Quintò autem *regni eius, non erit finis*. Dixit ergo, hic scilicet IESVS, quem concipies, & paries, erit *magnus*, non tantùm coram Domino, vt dictum est supra de Præcursore, sed magnus Dominus, secundùm quod dicitur in Psalmo: quoniã Deus magnus Dominus. *Et Filius altissimi*, scilicet Patris. Altus homo, altior Angelus, altissimus Deus. Psalm. tu solus altissimus in omni terra. *Et dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius*, Glos. Plebem Israeliticam, vt in electis Dominus regnet Christus, hic per gratiam, & post per gloriam: vnde impleta est promissio facta Dauid de fructu ventris tui, Ierem. 23. suscitabo Dauid germen iustũ, & regnabit in domo Iacob; quòd debet intelligi, non secundùm successionem carnis, sed fidei. Vnde Glos. *In domo Iacob*, ideſt in Ecclesia tota regnabit; ergo non in domo Abrahæ, de qua reprobatus est vnus, scilicet Ismael, Genes. 21. Eijce ancillam, & filium eius, nec in domo Isac, de qua reprobatus est vnus, scilicet Esau, Hebr. 12. Cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est; *sed in domo Iacob*, ideſt in omnibus electis, quorum vniuersitas intelligitur per *domum*, ideſt familiam *Iacob*, quæ tota recepta est in populum Dei: *regnauit* inquam *in æternum*, quia & hic per gratiam, & per gloriam in futuro, *& regni eius non erit finis*, Psal. Regnauit Dominus in sæcula Deus tuus Sion. *Psal. 94* *Psal. 82* *Pſ. 131.* *Iere. 23.* *Gen. 21.* *Heb. 12.* *Pſ. 145.*

Dixit autem MARIA ad Angelũ. Superius ostendit Euangelista. Primò, qualiter Angelus Virginem salutauit. Secundò, qualiter ipsam turbatam confortauit. Hic Tertiò ostendit, qualiter ipsam inquirẽtem certificauit; vbi primò ponitur Virginis quæstio, secundò quæstionis ratio, *quoniam virum non cognosco*. Tertiò Angeli certificantis respõsio, ibi: *Et respondẽs Angelus: Dixit* ergo autẽ * MARIA Angelica allocutione confortata, audita promissione, sibi facta, *dixit* inquã ad Angelum, *quomodo fiet istud?* scilicet quòd tu promittis me parere, *quia virum non cognosco*, & me non cognituram proposui ex voto. Nouerat quippe modum, quo factus fuerat primus homo, quia de terra, sine viro, & sine muliere, Genes. 1. & quomodo mulier prima, quia de viro, sine muliere, Genes. 2. & quomodo alius homo, quia de viro, & muliere, Genes. 4. sed modus iste quomodo de Virgine, sine viro, nouus erat, Ierem. 31. nouum faciet Dominus super terram fœmina circundabit virum; ideò quærit, verbum, *quomodo fiet istud?* quasi diceret rem credo, sed de modo faciendi inquiro. *Genes. 1* *Genes. 2* *Genes. 4* *Iere. 31.*

Et respondens Angelus. Hic certificat Angelus Virginem inquirentem. Vbi. Primo ostendit ei concipiendi modum. Secundò proponit ei exẽplum, ibi: *Et ecce Elisabeth.* Tertiò allegat posse diuinum, *quia non erit impossibile apud Deum.* In. Prima. Primò tangit incarnationis authorem, scilicet Spiritum Sanctum. Secundò, incarnati dignitatem, scilicet Dei Filium, *ideoque quòd nascetur.* In prima tangit duplex opus Spiritus Sancti. Primùm est gratia sanctificationis, qua ampliùs matrem, & filij carnem sanctificauit. Secundùm est potentia operationis, qua carnẽ sanctificatam Verbo personaliter vniuit, ibi: *Et virtus altissimi.* Dxit ergo, ita quæsiuit MARIA, *quomodo fiet istud, & respondens Angelus dixit ei, Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi*, ideſt desuper veniet in te, Angelus enim malus venit de suptus, * ideò sancti Patres, Esai. 45. rorate cęli desuper; *superueniet* inquã ad purificandũ, & sanctificandũ carnem Dei Filio vniẽdam. Item, *superueniet*, ideſt, super id quod in te est veniat, quia prius in mente venit, & * in mente, & in ventre: vnde prius gratia plena, modo super plena; Itẽ *superueniet*, ideſt, super id, quòd omnes alij habẽt: in te veniet, non vt tu dicaris templum Domini, sicut alij, sed etiam sacrarium Spiritus Sancti. Item, *superueniet*, ideſt, super omne meritum, & intellectum veniet, nõ tantùm mentem, sed etiam ventrem fœcundans, Ioan. 3. vbi spiritus, vult spirat quoad exclusionẽ meriti, & nescis vnde veniat, &c. ergo ad exclusionem cognitionis aduentus sui. *Et virtus altissimi*, ideſt Spiritus Sanctus ab altissimo, scilicet Patre, & Filio procedens, *Obumbrauit tibi*, carnem sanctificatam, Verbo, personaliter vniẽdo; & hic actus dicitur obumbratio; quia tunc corpus oppacuum æterno lumini applicauit. Item *obumbrauit*, ideſt refrigerabit fomitem, totaliter extinguendo. Item *obumbrauit tibi*, in suo ingressu te, non lædendo, sicut vmbra, nec lædit, nec grauat, sed refrigerium parat. Vocatur ergo hic Spiritus Sanctus, quia sanctificans, sed *virtus altissimi*, quia fœcundans, tum à corruptione, virginitatis seruans, sed vmbra, quia refrigerans; potest etiam dici, quòd tanguntur hic tres personæ, Spiritus *Sic lego* ** Suple nunc.* *Ioan. 3.*

San-

Sanctus, sub nomine proprio, filius propter,
1. *Cor.* 1 quòd dicitur *virtus*, 1. Corint. 1. Christum Dei virtutem. Pater propter hoc, quod dicitur. *Altissimus*; virtus ergo *altissimi*, ideſt Filius Dei obumbrauit tibi, ideſt, de te corpus, quasi vmbraculũ assumens, in quo Deus se abscondet, quasi hamum sub cibo. Esai. Verè tu es Deus absconditus, item *obumbrauit*
Esai. 45 *tibi*, ideſt, corpus sumptum de te in vmbraculum Ecclesiæ præparabit, Esai. 4. in vm-
Esai. 4. braculum diei abæstu; sic ergo, vt notetur, tota Trinitas fecisse incarnationem: valdè discretè appropriat hic Spiritui Sancto incarnationis operationem, cùm dicit: *Spiritus Sanctus superueniet in te:* sed Filio carnis assumptionem, cùm subdit, *& virtus altissimi obumbrauit*; sed Patri authoritatem, cũ addit *altissimi*, exemplum de tribus puellis, quæ vnam induunt, non sibi tribus, sed vni de numero sui.

Ideoque quod nascetur. Hic tangit incarnati dignitatem, & primò naturæ humanæ veritatẽ dicit, *ideòque, quod nascetur ex te,*
Ex tua. ideſt, ex tua * vera natura, *Sanctum*, quia de Sancto non nascitur, nisi Sanctum. Secundò gratiæ plenitudinem, per hoc quod dicitur
Dan. 9. *Sanctum*, Daniel. 9. cùm venerit Sanctus Sãctorum. Tertiò, naturæ diuinæ veritatem, cùm dicitur *vocabitur*, vera scilicet appellatione *Filius Dei*. Et *ecce Elisabeth*. Superiùs ostendit Angelus Virgini incarnationis modum; hic verò ad magis certificandum eam induxit exemplum; scilicet cognatæ suæ cõceptum, circa quam tria proponit Angelus Virgini consideranda: scilicet cognationem, vt scilicet cognoscat in filio suo Sacerdotij dignitatem; Elisabeth enim erat de genere sacerdotali, quia de genere Aaron. Tempus conceptus, vt aduertat sapientiæ diuinæ dispensationem in filij incarnatione, quia *eo mense* fuit Christi conceptio, quo fuit hominis perditio, *& hic mensis est sextus*; sterilitatem, & senectutem, vt consideret, diuinæ potentiæ virtutem, vt nihil credat Deo impossibile, qui sterilem, & senem facit concipere, & parere, ibi: *Illi quæ vocatur sterilis*; dicit ergo Angelus, ita concipies MARIA, & paries, etiam sciple, vt facilius credas. *Ecce Elisabeth cognata tua*, ideſt etiam ipsa, *concepit filium in senectute sua*, ideſt sterilis existens de se, & hoc est, quod subditur: *hic mensis*, scilicet Martius, *est sextus illi*, scilicet, ex quo concepit: *illi*, inquam, *quæ vocatur sterilis*, ideſt ipsi Elisabeth, quę publicè sterilis dicebatur.

Quia nõ erit impossibile. Hic allegat Angelus posse diuinum ad confirmãdum, quòd impleri possit suum promissum: dicit ergo, ita dictum est, quòd Elisabeth senex, & sterilis concepit, nec est multum mirandum,
Psal. 32 *quia non erit impossibile apud Deum omne*

A *verbum*, ideſt, omnis res digna Verbo; quia ipse dixit, & facta sunt, Esai 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, &c. *Esai.* 7.

Dixit autem MARIA. Hucusque audiuit Virgo factum, & modum, hic aperit assensum suum, vbi implicantur quatuor, quæ in bona ancilla requiruntur; scilicet, promptitudo in voluntate, cùm dicit, *Ecce*; humilitas, maxima in sermone, cum dicit *ancilla Domini*; obedientia in opere, cùm subdit *fiat*; prudentia in discretione, cum addit, *mihi secundùm verbum tuum*; & hoc est, quòd refert Euangelista. Dixit autem MARIA, ideſt, ad Angelum. *Ecce* quàm
B prompta sum; sicut Samuel 1. Reg. 3. vocasti me, non dicit, quòd compulisti me, vel quia comminatus fuisti; in quo reprehẽditur multorum tarditas, *ancilla Domini*, infra e, * *Euang.*
quia respexit humilitatem ancillæ suæ, *fiat mihi secundùm verbum tuum*. Bern. hic: fiat obsecro mihi verbum, non prolatum quod transeat, sed cõceptum vt maneat; carne indultum, nõ aëre formatum: fiat inquam mihi secundum verbum, non tantum audibile auribus, sed etiam visibile oculis; palpabile manibus, gestabile humeris, *Fiat*, ergo factum est, ita quòd verbum caro factum est, *Ioan.* 1.
Ioannis 1. *Et discessit ab ea Angelus*, scilicet subtrahendo præsentiam visibilem, & benè
C peracto officio, discessit: iam enim venerat sponsus, & ideò recedit Paranimphus, dimittens sponsum in sanctissimo sponsę cubiculo matrimonio consummato.

Hic quæritur super illud, *hic erit magnus*, dictum est, quòd commendatur ex naturali potestate: Cõtra, aut hoc intelligitur de persona, aut de homine assumpto; non primo modo, quia ab æterno est magnus, ratione personæ: non secundo modo; quia homine assumpto, nunquam contingit naturaliter tanta magnitudo: Ad hoc dicendum, quòd loquitur de persona in natura assumpta, & in illa non fuit magnus ab æterno. Item super illud: *Dabit illi Dominus Deus sedẽ Dauid.* Contra secundum Bedam, non regnauit
D in Ierusalem, vbi Dauid regnauit, quinimo turbis eum volentibus constituere regem *Ioan.* 6.
aufugit: Ioan. 6. item Ioan. 18. dixit regnum *Ioa.* 18.
meum non est de hoc mundo. Item Ioan. 1. *Ioan.* 1.
in propria venit, & sui eum non receperunt. Aliqui bene se expediunt, dicentes, quod in Ierusalem regnauit de iure, & si non de facto, vel potest dici, quod est Ierusalem, de qua obijcitur, & spiritualis duplex, de qua hic intelligitur, scilicet Ecclesia militans, & triumphans, qæ per materialem intelligitur: vnde hic ponitur figurans, pro figurato, cùm sedes Dauid naturalis, pro spirituali accipiatur: primam sedem scilicet, in Ecclesia militante, dedit ei Deus in gẽtium,

Mat. 21 & Iudæorum conuersione, vnde Matth. 21. super pullum, & asinam sedisse legitur, id-est super gentilem populum, & Iudaicum: secundam sedem, scilicet in Ecclesia triumphante dedit ei in Ascensione, Esai. 9. Super
Esai. 9. solium Dauid, & super regnum eius sedebit, &c.

Item super illud, *Et regni eius non erit*
1. *Co.* 15. *finis*, contra, 1. Cor. 15. Finis erit cùm tradiderit regnum Patri. Ad hoc dicendum, quod finis erit huius seculi, & regni temporalis non futuri, in quo cum patre regnat in æternum: vel cum tradiderit, non per regni cessationem, sed Deo Patri attribuendo authoritatem; ergo non erit finis, nec quoad gen-
Dan. 7. tem, Daniel. 7. quia regnum altari populo non tradetur, nec quoad legem, quia secundùm Augustinum huius regni vero erit, lex, charitas; charitas nunquam excidit: nec quoad regem, quia Christus resurgens, ex
Rom. 6. mortuis iam non moritur. Rom. 6.

Item super illud *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus.* Contra, erat gratia plena, ergo Spiritum Sanctum habebat, quod autem alicubi est superuenire, non habet. Sed dicatur fuisse gratia plena, per gratiæ perfectionem, hic superuenire, per abundantiorem gratiæ plenitudinem. Contra, si gratia plena fuit, quomodo plus capere potuit? Respondeo secundùm Bernardum, primò erat in mente gratia plena, modo superuenit adimplendum, & fœcundandum in ventre; hic ergo superuenit ad sanctificandum carnem Filio Dei vniendam. Itē ibidem Glos. Bedæ superueniens Spiritus Sanctus in Virgine mentem illius à sorde vitiorum sanctificauit. Contra. Illud fecit: ergo Virgo vitia habuit. Ad hoc dicendum quod castificauit eam à sorde vitiorum, non quæ innerant, sed quæ inesse possent, vt eam purgasset; vnde intelligendum est à sorde vitiorum, id est vnde oriuntur vitia transitiuè, non à sorde, quæ sit vitia intransitiuè. Item cum tota Trinitas operata sit incarnationē, quare potius attribuitur hoc Spiritui Sancto, quàm alij personæ. Ad hoc dicendum, quod tribuitur ei appropiatè, tum propter causam mouentem, scilicet, quia ex amore facta est incarna-
Ioan. 3. tio, Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum; & Sanctus Spiritus amor est propriè, & appropiatè, tum propter inestabile donum gratiæ, quod nobis ibi donatum est, quia Filius Dei datus est nobis, Spiritus Domini est, & ratio dandi cętera.

Item super illud, *Et ecce Elisabeth cognata tua.* Contra MARIA erat de Tribu Iudà Elisabeth de Tribu Leui, Num. vltimo
Nu. vlt. prohibetur. Tribuum commixtio. Ad hoc dicendum, hæc prohibitio fuit, propter possessionum confusionem vitandam; tribus autem Leui possessionem inter alios Israel non habebat; ideò mulieres de Tribu Leui, poterant nubere cui volebant de alijs Tribubus; vnde Beda in Gloss. dixit quod Aaron, qui erat de Tribu Leui, accipiebat vxorem suam de Tribu Iuda; ex quo patet, quòd commistæ erant tribus Regia, & Sacerdotalis.

Item supra illud, *Nō erit impossibile apud Deum omne Verbum*, queritur quod * potius dicit, * Verbum quum factum. Ad hoc dicendum secundùm Bernardum, quod hoc dixit, vt ostenderet, quòd soli Deo idem est facere. Quod loqui, quod velle, secundùm illud Psalmi, quoniam ipse dixit, & *Ps.* 32 facta sunt: quale ergo Verbum erit impossile, ei qui omnia creauit Verbo? quasi diceret nullum, vel hoc dixit, quia non solum res quæ est non est ei impossibile, * sed etiam, * *Impossibilis.* nec aliqua quæ Verbo possit significari. * *Forte quare.*

Exurgens autem MARIA in diebus illis. superius ostendit Euangelista occultum Saluatoris aduentum in hoc mundum Angelico testimonio, vt futurum; hic ostendit ipsum humano testimonio iam factum: & diuiditur ista pars in duas partes: ostendit enim ipsum esse factum. Primò, per opus miraculosum, scilicet per exultationem Ioannis in materno vtero. Secundò, per Verbū prophticum, scilicet in Cantico Zachariæ, ibi Elisabeth, impletum est tempus pariendi; prima in tres. Primò, determinat ingressum Virginis in cognatæ domum. Secundò, multiplicem sequentem effectum, ibi: *Et salutabit Elisabeth.* Tertio, eius moram, ideſt *mansit autem MARIA*: in prima implicantur tria, scilicet Virginis humilitas, quia *exurgens in diebus illis*, quibus filium conceperat, non recordata tanta dignitate; prouitas, quia abijt in montana, non recordata viæ asperitate; celeritas, quia cum festinatione, non recordata pigritiæ corporis; charitas, quia intrabit in domum Elisabeth, non recordata officij labore; dicit ergo ita: Virgo Verbo Angelico consentit, & tunc Angelus discessit: *Exurgens autem MARIA*, ideſt de loco vbi erat, *surgens in diebus illis*, in quibus stillabant montes dulcedinem, Ioel. 3. *Abijt in* *Luc.* 2. *Ioel.* 3. *montana*, scilicet in Ierusalem, quæ erat in montanis, & etiam in tota Iudęa, respectu Galileæ, vnde infra, e, * dicitur, ascendit Ioseph a Galilea in Iudęam; abijt in quam *cum festinatione*, tum pro gaudio, tum pro seruiendi desiderio, tū pro pudore virgineo, Gloss. non gaudet diù videri in publico, Ambros. Non in credula de oraculo, non incerta de nuntio, non dubitans de exemplo; sed læta pro voto, religiosa pro officio, festiua pro gaudio, visitat Elisabeth: *abijt* in quam *in Ciuitatem Iuda*, id est Ierusalem Metropolim Regni Iuda, *intrauit domum Elisabeth*, scilicet vt grandeuæ prægnanti, iuvęcula deseruiret. Ambarū hinc discant mulieres sanctæ,

quam

quàm sedulitatem prægnantibus debeant exhibere cognatis; patet & ex dictis, quòd honestum, non suspectum eligit hospitium; quia domum Pontificis, & cognatæ suæ.

Et salutabit Elisabeth. Recitato ingressu Virginis in domũ cognatæ, hic recitatur multiplex effectus sequens; Et. Primò, quòd virgo beata Elisabeth salutauit. Secundò, quòd Ioannis in matris vtero exultauit, ibi, *& factum est, vt audiuit.* Tertiò, quòd Elisabeth prophetãdo beatam Virginem commendauit, ibi, *repleta est Spiritu Sancto.* Quartò, quòd beata Virgo, gratias agendo de beneficijs tantis, Deum magnificauit, ibi, *Et ait MARIA. Magnificat anima mea Dominum:* dicit ergo, ita: *intrauit MARIA. In domum Zachariæ,* & priùs quàm ingressa est, *salutauit Elisabeth;* prior scilicet, vt humili; *Eccl.* 32 Eccles. 32. Amicum salutare non confunderis, *& factum est, vt audiuit salutationem MARIÆ; exultauit infans* glossa, quia sentit aduentum Domini, quia sicut illa aduentum MARIÆ, sic iste aduentum Domini sentit: *exultauit* inquam *in vtero,* vnde patet, impleta prædictio Angeli, & Spi- *Supra.* ritu Sancto, replebitur adhuc ex vtero matris suæ: ecce quàm magnæ virtutis est beatæ Virginis salutatio, quæ cõfert gaudium, confert Spiritum Sanctum, confert & reuelationem secretorum diuinorum, confert & prophetiæ actum; & ideò libenter salutanda, propter salutationis lucrum; benè ergo MARIA potest ore salutare, quæ salutem habebat in ventre, & in corde.

Et repleta est Spiritu Sancto. Hic ostendit Euãgelista quomodo Elisabeth, beatam Virginem multipliciter commendauit, ad cuius commendationis maiorem euidẽtiam tria tangit; scilicet, commendationis inspirationem in intellectu; cùm dicit: *Et repleta est Spiritu Sancto.* Secundò, commendantis deuotionem in affectu, cùm dicit: *Exclamauit.* Tertiò, ipsius commendationis expressionem in effectu, *Benedicta tu inter.* Dicit ergo: *Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth,* sed post conceptum; Beata Virgo ante conceptum; & sic Spiritu Sancto repleta, *exclamauit voce magna,* non tam clamosa, quàm deuota; deuotio enim magnus clamor est, *Exo.* 14 ita vt vsque in cœlum audiatur, Exod. 14. Quid clamas ad me dictum est Moysi, qui tunc non clamabat ad Deũ oris clamore, sed cordis desiderio; loquebatur enim ad populũ, & dixit: *Benedicta tu.* Hic subdit cõmendationis expressionem, vbi Elisabeth commendat Beatam Virginem ex quinque. Primò ex singularis prærogatiuæ dignitate, idest, *omnium mulierum.* Secundò, ex tãta prolis fœcunditate, *& benedictus fructus.* Tertiò, ex visitationis fœcunditate, & humilitate, *& vnde hoc mihi.* Quartò, ex admirabili virtute, ibi, *ecce enim, vt facta est vox.* Quintò, ex fidei magnitudine, ibi, *& beata, quæ credidisti.* Dicit ergo: *benedicta tu inter mulieres.* Benedicta est MARIA ab Angelo, supra, e, * quia triumphantis Ecclesiæ ruina reparauit, sed hic ab Elisabeth; quia militantem Ecclesiam, quasi iam mortuam suscitauit: nec tamen Angelus addit, & benedictus fructus, quia adhuc non erat fructus suæ iste, sed Elisabet ipsum percipiens, iam conceptum, addidit, *& benedictus fructus ventris tui.* Psalm. benedictus qui venit in nomine Domini Deus noster, &c. *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* idest, qua mea iustitia, vel B meis meritis, accidit hoc mihi sterili, & seni, & secũdùm reputationem hominum maledictæ, vt veniret ad me *Mater Domini,* scilicet, Virgo fœcunda, & benedicta?

Ecce enim vt facta est vox. Hic commendat Elisabet Beatã Virginem ex admirabili virtute, vbi primo replicat salutationem; secundo explicat salutationis virtutem, ibi, *Exultauit in gaudio:* dicit ergo Elisabeth, *ecce* quasi diceret, admiror de humilitate salutationis tuæ; & meritò, scilicet, propter magnificentiam virtutis, quæ apparet in te, *Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ, in auribus meis exultauit.* Suple mox, in gaudio infans in vtero meo; gaudet enim de C præsentia sponsi, amicus sponsi, Ioan. 4. amicus sponsi, qui stat, & audit, & gaudio gaudet; propter vocem sponsi, & benedicit; *exultauit in gaudio,* quia gaudijs est mente interiùs, & exultationem ostendit, motu quodam corporis exteriùs. *Ioan.* 4

Et beata quæ credidisti. Hic commendat Elisabeth Beatã Virginem, ex fidei magnitudine, vbi primò ponit fidei commẽdationem. Secundò, commẽdandi rationem, *quoniam perficientur.* Dicit ergo, & beata, quasi ita dixi: *Benedicta tu, & beata quæ credidisti.* Sicut enim aperta Dei visio, est beatitudo patriæ; sic perfecta cognitio fidei, est beatitudo viæ, Matth. 16. Beatus est Simon *Mat.* 16 D Bariona; quia caro, &c. quoniam ea, quæ dicta sunt tibi à Domino, & ab Angelo misso à Domino, quæ inquam inchoata sunt in cõceptione, *perficientur,* scilicet à Domino, secundùm illud Psalmi, & quæ procedunt de *Psal.* 88 labis meis, non faciam irrita.

Hic quæritur super illud, *& repleta est Spiritu Sancto,* Elisabet. Glos. Prior Ioannes exultat; quia prior sentit gratiam, idest, effectum gratiæ; quia sicut illa MARIÆ, sic iste Domini aduentum sentit. Contra Bernardus nondum venerat ei spiritus vitæ; ergo non viuebat; ergo nihil sentiebat; ad hoc dicendum, quòd loquitur Bernardus de spiritu vitæ manifestæ, & apparentis; non de spiritu vitæ simpliciter; vel pro tanto dici-

tur,

tur sensisse aduentum Domini, quia fecit, ac A si sensisset, scilicet, cùm exultauit in vtero matris.

Item ibidem Glossa; quia filius repletus Spiritu Sancto, repleuit matrem. Contra, aut enim repleuit illam, authoritate, aut mysterio, aut merito; non authoritate, quia hoc est solius Dei, scilicet dare Spiritum Sanctum authoritate; non mysterio, quia sic datur in ministratione Sacramentorum, quæ non poterat tunc ministrare, non merito, cùm non posset adhuc mereri, quia vsum liberi arbitrij non habebat. Ad hoc dicendum, quòd neutro prædictorum modorum, sed ideò per eum dicitur repleta; quia priuilegio eius datus est ei, vel potest dici, quòd licet vsum liberi arbitrij, non haberet per naturam, habebat tamen per gratiam specialem; sicut dicit Augustinus ad Dardanum.

Item super illud, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vētris tui*, cùm benedictio Matris, causetur ex benedictione Filij, & non è contra, debuisset benedictionem Filij, proposuisse benedictioni Matris. Ad hoc dicendum est: quòd seruauit ordinem temporis, non causalitatis, vnde Bernardus, non quia tu benedicta, non * ille benedictus, scilicet fructus ventris tui, sed quia ille te pręuenit in benedictionibus dulcedinis; ideò tu benedicta.

Delendum, nō.

Item super illud, *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater, &c.* nunquid sciebat, quòd ex humilitate Beatæ Virginis erat? Ad hoc dicendum, quòd illud Verbum * erat dubitantis quæstio, sed humilitatis admiratio.

Forte addendum non.

Item, vnde cognouit Elisabeth, quòd Beata Virgo esset Mater Domini. Respondet glossa Bedæ, sic reuelāte Spiritu Sancto, quæ * erat impleta, intellexit quid exultatio infantis significaret, scilicet venisse matrem eius, cuius præcursor erat futurus.

Forte quo.

Item super illud, *Beata quæ credidisti, quia perficientur, &c.* Quæritur, quomodo cognouit Elisabeth annūtiationem Angeli, & consensum Virginis; cùm de nouo, & secreto facta esset. Respondet Ambrosius; D apparet MARIAM non dubitasse, apparet & Elisabeth verba Angeli ad MARIAM dictam, per spiritum cognouisse; & ideò dixit, *Beata quæ credidisti: quoniam*, &c.

Notandum super illud, *Beata quæ credidisti*, quòd credere in Deum valet ad multa bona; valet quippè: Primò ad cognoscendum diuina, sicut lux ad videndum colorata, Ioan. 12. Ego lux veni in mundum, vt omnis qui credit, in tenebris non maneat, Esai. 7. Secundum aliam litteram, nisi credideritis, non intelligetis: ideò Hebræorum 11. Est enim fides substantia rerum sperandarum argumentum, non apparentium. Secundò ad defendendum cognita, sicut notitia ad defendendum vera. Psalm. credidi propter quòd locutus sum, 1. Cor. 4. Et nos credimus propter quòd loquimur: Hebræorum 11. Sancti per fidem vicerunt regna. Ephes. 6. In omnibus sumentes scutum fidei. Tertiò ad impetrandum miracula, sicut assensus ad contrahendum coniugia: Ioan. 11. Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei, Matth. 9. Si credis omnia possibilia sunt credenti, scilicet ad impetrandum, Matth. 21. Si habueritis fidem, sicut granū synapis, &c. Quartò ad sustinēdū aduersa, sicut fundamentum firmū ad stādum contra tempestuosa: Sapient. 16. Sermo tuus hos, qui crediderint in te cōseruat, 1. Timoth. 1. Ob quam causam ego patior, B & non confundor; scio enim, cui credidi, & certus sunt, Hebr. 11. Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt; hoc dicitur de martyribus, qui tot substinuerunt. Quintò ad viuendum in gratia, sicut radix ad viuificandum arbusta: Ioan. 7. Qui credit in me, sicut dicit flumina, de vētre eius fluent, &c. Roman. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei appellatus, sanctus est, amor Dei dat vitā gratiæ, ideò Abach. 2. Iustus in sua fide viuet. Sextò ad vitandum pericula extrema, sicut aspectus tormentorum ad fugiendum illa: Ioan. 11. Omnis qui viuit, & credit in me, C non morietur in æternum, Roman. 10. Omnis qui credit in illum, non confundetur, Hebr. 11. Fide Enoch, translatus est ne videret mortem. Septimò ad lucrandum gaudia cœlestia, sicut coaptatio in filium ad habendum bona paterna: Ioan. 2. Sic Deus dilexit mundum, &c. 1. Petri 2. Vobis igitur honor credentibus, Eccles. 2. Qui timetis Dominum, credite illi, & non euaquabitur merces vestra; qui crediderit, & baptizatus, &c. 1. Thimot. vlt. certa bonum certamen fidei apprehendere vitam æternam.

Ioan. 12 *Esai. 7.* *Heb. 11.* *Psal. 115.* *1. Cor. 4* *Heb. 11.* *Ephes. 6* *Ioan. 11* *Mat. 9.* *Mat. 21.* *Sap. 16.* *1. Tim. 1* *Heb. 11.* *Ioan. 7.* *Rom. 4.* *Abac. 2.* *Ioan. 11* *Rom. 10* *Heb. 11.* *Ioan. 2.* *1. Pet. 2* *Eccl. 2.* *Mar. 16* *1. Timo. vlt.*

Et ait MARIA. Magnificat anima mea. Superiùs ostendit Euangelista, qualiter Elisabeth Spiritu Sancto repleta, Beatam Virginem commendauit; hic subdit canticum Beatæ Virginis, in quo Deum pro acceptis beneficijs magnificauit; huic autem Cantico Euangelista primo præmittit titulum, vt nostram excitet attentionem, cùm dicit, &, *ait MARIA*, quasi diceret, Canticum sequens est Beatæ MARIÆ, & deuotiùs. Et attentiùs debetis ipsum audire: secundò, ponit ipsum Canticum, cùm dicit: *Magnificat anima mea Dominum*, in quo Beata Virgo Deum laudat. Primò, de beneficijs sibi soli factis singulariter. Secundò, de beneficijs sibi factis, & alijs generaliter, ibi: *Et misericordia eius à progenie*; in prima primo tāgit modū laudis, quo eū laudat: Secūdò assignat causam laudis; quare sic laudat, ibi: *Quia*

ref-

respexit. Circa modum laudis proponitur septuplex conditio commendabilis in laudante: proponitur enim eius laus. Primo vero, quia *Magnificat*: deuota, quia *animam meam*, deuita; quia *Dominum* iucunda, quia exultauit spontanea feruorosa, * quia *spiritus meus*, recta, quia *in Domino* necessaria, quia *salutari meo*, fructuosa * dicit ergo.

Desunt in orig.

Magnificat, quasi diceret, ô Elisabeth, tu magnificas me de bonis, quæ vides in me, sed anima mea, *Magnificat Dominum* à quo secundùm Iacobum 1. omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens, &c. *Magnificat ergo anima mea*, non tantùm lingua. Secundùm illud Psalmi: Laudat anima mea Dominum: non sicut illi, de quibus Esai. 29. Populus iste labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me: item magnificat, non paruipendit, nõ tacet, secundùm illud Psalmi: Magnificabo eum in laude, & placebit; non sicut illi, de quibus, Psalm. Non sunt recordati manus. Item *Dominum* non me ipsam, secundùm illud, magnificate Dominum mecum, &c. Non sicut illi de quibus, Matth. 23. Dilatat philateria sua, & magnificat: & quia ad Dei laudem sequatur mentis exultatio, secundum illud Psalm. Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi; & anima quam redimisti, optime subdit *exultauit*, nõ pigritauit, Abac. 3. Exultabo in Deo IESV Christo meo, *spiritus meus*, nõ corpus eius, secundùm illud, Psalm. Anima exultauit in Domino, *anima mea*, vita exultauit in Domino I. delis III. * Domino non in mundo, vnde Psalmus renuit, cõsolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, ergo in *Domino*; quoniã solus bonus, Lucæ 18. Nemo bonus, nisi solus Deus: *salutari*; quia vobis necessarius; *meo*, quia mihi proprius filius, & ideò ab ea petendus; quia eum potest dare, cùm sit finis, vel *in Deo*, omnium, * per creationem *salutari* fidelium, per suam passionem, *meo*, per eius conceptionem, & educationem: ergo *magnificauit Dominũ*, qui timor, exultat *in Deo*, cui honor; *salutari suo*; quia amor.

Iacob. 1. *Psal. 14* *Esai. 29* *Psal. 68* *Psal. 77* *Psal. 33* *Mat. 23* *Psal. 70* *Abac. 3.* *Sic est in originali.* *Psal. 76* *Luc. 18.*

Quia respexit humilitatem. Hic causam assignat, quare sic Deum magnificat, & assignat * triplicé. Primò, respectum diuinæ sapientiæ, quo eam elegit. Secundò, effectum diuinæ potentiæ, quo eam magnificauit, ibi, *quia fecit mihi magna*. Tertiò, sanctitatem diuinæ clementiæ, qua eam sanctificauit, ibi, *& sanctum nomen eius*, respectum verò diuinæ sapientiæ attollit, & ratione obiecti; *quia respexit humilitatem*, & ratione commodi, quia *ex hoc beatam*, &c. Dicit ergo, *magnificat anima mea Dominum*, & merito, quia *respexit*, scilicet de cœlo in terram aspexit, *humilitatem*, non dicit virginitatem: quia secundum Augustinũ, melior est nupta humilis, quàm Virgo superba, *ancillæ suæ*, me eius ancillam humilem; quia de se, quasi de alia loquitur, propter humilitatem seruandam: hanc humilitatem, & à Patre Dauid habuit, de quo, 2. Reg. 6. Ero humilis in oculis meis; & à filio didicit, Matth. 11. Discite à me; quis ergo sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, &c. Ergo Dominus in MARIA respexit humilitatem, vt hic; remunerauit fidem supra Euangelista. * *Beata quæ credidisti*; fœcundauit Virginitatem, Esai. 7. Ecce virgo concipiet, ordinauit charitatem, Cantic. 2. *Ecce enim ex hoc*, quia *respexit humilitatem ancillæ suæ*, vel *ex hoc*, id est, ex humilitate ista, vel *ex hoc*. Supple nunc, id est de cætero. *Beata me dicent omnes generationes*, scilicet Iudæorum, & gentium, vel nominum, & Angelorum; vel diuitum, & pauperum, vel Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, quæ erant tres linguæ præcipuæ, ex quibus collecta Ecclesia, MARIAM beatificat.

2. Reg. 6 *Mat. 11* *Psal. 112.* *Esai. 7.* *Cant. 2.*

Quia fecit mihi magna. Posuit vnam rationem Virgo, quare magnificat Dominũ, hic subdidit aliam, scilicet effectum diuinæ potentiæ, vbi primo tangit effectum; secundo efficientem, qui potens est: dicit ergo, *quia fecit*, quasi ita: *magnificat anima mea Dominum*, & hoc, *quia fecit mihi magna*, Iob 9. Qui facit magna, & inscrutabilia. Vtia magna fecit ei Dominus; fecit enim eam triumphare de Principe Dæmonum, Genes. 3. Ipsa conteret caput tuum: fecit eam Reginam Angelorum; fecit eam habere Deum Filium, cùm hoc seruans ei decus virgineũ; vel secundùm glossam, *fecit mihi magna*; quia in me carnem assumpsit, quia me à peccatis mundauit, quia mihi dona Spiritus Sancti contulit: *fecit* inquam *mihi magna*, qui potens est, quia alius non potuisset facere; sed ipse fecit, qui potens est, Psalmus. Potens est Domine, & veritas tua in æternum: omnino certè omnipotens, Exod. 15. Omni potens nomen eius, hoc est quod suprà dixerat; quia non erat impossibile apud Deũ omne Verbum, sic ergo *potens est*, & *sanctũ nomen eius*. Ps. Sanctũ & terribile nomen eius, ergo *fecit magna, quia potẽs & sanctus*, supra c. & quod nascetur ex te sanctũ, &c. & videte; promisserat ei Angelus, scilicet * Spiritũ Sanctum superuenturum ad sanctificandum, & virtutem altissimi ad incarnationem operãdum; primum confitetur in se impletum, cùm dicit, *& Sanctum nomen eius*, & sanctificaturum; quia particeps sui facit Sanctos, secundùm quod dicit, *fecit mihi magna*, id est, carnem in me assumendo.

Iob 9. *Genes. 3* *Exo. 15* *Vel sibi*

Et misericordia eius. Superiùs magnificauit Dominum, Beata Virgo recollendo pro-

pria

pria beneficia, sibi facta, hic recollédo communia beneficia, sibi, & alijs facta: vbi primo recollit beneficia humano generi generaliter, secundo, beneficium factũ populo Israelitico spiritualiter, ibi, *Suscepit Israel.* Prima in tres: primò recollit beneficium misericordiæ, qua mala relaxat, & bona tribuit: secundò beneficium potentiæ, qua omnia facit, ibi, *fecit potentiam in brachio suo.* Tertiò, beneficium iustitiæ; qua secundum merita retribuit, ibi. *Disperſit superbos mẽte*, &c. & dicit ergo: *Et misericordia:* quasi ita; *fecit mihi magna*, in quo apparet, quòd fecit mihi misericordiam magnam: *& misericordia eius*, scilicet Dei, à me inchoata, extendere *à progenie*, scilicet Iudæorum, *in progenies* gẽtium. Salus enim ex Iudæis est, Ioan. 4. quia incœpit ibi prædicatio salutis; vnde Actor. 13. Vobis oportebat primum loqui Verũ Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos iudicatis vos vitæ æternæ, ecce cõuertimur ad gẽtes. Prius enim fuit misericordia, quasi cum Iudæis, vnde Psalmus; notus in Iudæa Deus; sed iam misericordia Domini plena est terra: ideò benedixit, quia misericordia eius *à progenie*; sed non quibuscunque. Sed *timentibus eum*; illis enim parata est Dei misericordia, Malach. vlt. Orietur vobis timentibus nomen meum, sol iustitiæ. Ergo miseretur Dominus * potestatiuè; ideò dicit. *Eius*, qui potẽs est. Sapient. 11. Misereris omnium, quia omnia potes, &c. Largè, quia *à progenie, & in progenies*, Psalm. Multæ misericordiæ tuæ, multæ Domine: discretè; quia *Timentibus eum*, Psalm. Corroborauit misericordiam suam, super timentes se.

Ioan. 4. Act. 13. Psal. 75 Malac. vlt. Vel Deus Sap. 11. Psal. 118. Psal. 102.

Fecit potentiam. Idest, opera singularis potentialitatis. *In brachio suo*, ideſt, in virtute sua, & hoc primum * modũ creando, Esai. 48. Manus mea fundauit terrã, & dextera mea mensa, est cœlos, Eccles. 38. In brachio suo formauit lutum. Secundò, Diabolum, & suos humiliando. Psal. tu humiliasti, sicut vulneratum superbum. Tertiò, mũdum redimẽdo, Psalm. Redimisti in brachio tuo populum tuum. Quartò, ouem perditam in cœlo reportando, Esai. 40. In brachio suo congregauit agnos. Quintò, totum mũdum iudicando, Esai. 51. Brachia mea populos iudicauit, vel *sic fecit potentiam*, ideſt, potenter operatus, *in brachio*. Glossa in filio, Esai. 53. Brachium Domini, cui reuelatum est? & dicitur Filius brachium Patris; quia sicut à corpore exit brachium, & ab vtroque manus, sic à Patre filius, & ab vtroque Spiritus Sanctus. Item, quia per ipsum filium operatur Pater, Psalm. Omnia in sapientia fecisti.

Forte primo modo. Esai. 48 Eccl. 38 Psal. 88 Psal. 76 Esai. 40 Esai. 51 Esai. 53 Psal. 103.

Disperſit ſuperbos. Post commendationẽ operum misericordiæ, & potentiæ: commẽdat hic, Virgo prudens opera iustitiæ; quia Deus bonos præmiat, & malos punit. Tangit autẽm tria malorum genera, scilicet, superuos corde, potentes dignitate, diuites prosperitate fortunæ: contra tangit tria bonorum genera, *Timentes* Deum *humiles, & pauperes*: dicit ergo. *Disperſit superbos mẽte*, scilicet, cognitione *cordis sui*, omnis * sunt sapientes mundi, qui mente superbiunt, etsi non exterius, Roman. 1. Euanuerunt in cogitationibus suis, hos *disperſit* Dominus, ideſt, dispergi promiserat, *mente cordis sui*, ideſt, voluntatum, & sensuum diuersitate: sicut enim multitudinis credentium erat cor, & anima vna, Actor. 4. Sic talium superborum, sunt contrariæ voluntates, & sensus diuersi, Prouer. 14. Inter superbos semper iurgia sunt, vel *disperſit* Dominus *mente*, ideſt, beneplacito *cordis sui* superbos: Eccles. 10. Radices gentium superborum arefecit Deus.

Forte tales. Rom. 1. Actor. 4 Prou. 4. Eccl. 10

Depoſuit potentes. Hic tangit potentes dignitate, vbi commendat iustitiam diuinam: primò in punitione talium. Secundò, in præmiatione humilium, ibi, *& exaltauit*, dicit ergo, *depoſuit potentes* in dignitate, scilicet, de sede triplici, ideſt, de sede dignitatis præcipitando, Eccles. 10. Sedes Ducum superborum, destruxit. De sede doctrinæ eos execando, vt Iudæos, Esai. 6. Execa cor pupuli huius, Matth. 21. Auferetur à vobis regnum, scilicet, Sacræ Scripturæ. De sede iudiciaria: illud in iudicio, pauperibus tribuẽdo, Iob 36. Iudicium pauperibus tribuit, Matth. 19. Sedebitis super sedes iudicantes, duodecim tribus Israel. *Et exaltauit humiles* infra 14. & 18. qui se humiliat, exaltabitur.

Eccl. 10 Esai. 6. Mat. 21 Iob 36. Mat. 19 Infra 14 & 18.

Eſurientes. Hic tangit abundantes diuitiarum multitudine; vbi commendat iustitiam diuinam: primò in pauperum iustorum præmiatione, ibi: *Et diuites*, dicit ergo: *Esurientes*, ideſt, iustos pauperes, *impleuit bonis*: bonis dicit simpliciter; quia loquitur de bonis spiritualibus, quæ sunt simpliciter bona, vel ad innuendum, quòd de omnibus potest intelligi, scilicet, ex bonis fortunæ, Eccles. 11. Facilè est in oculis Dei, subitò honestare pauperem; exẽplum in Iob. vltimo, & de bonis gratiæ, 1. Petr. 5. Deus superbis resistit humilibus, &c. Item, & de bonis gloriæ; exẽplum in Lazaro, infra 16. Et *diuites*, ideſt, amantes diuitias immoderatè: *dimisit inanes*, ideſt, vacuos bonis spiritualibus. Augustinus. Dives auarus, exteriùs plenùs, interiùs vacuus; carne crepat, & mente mẽdicat, in vita, & temporalibus depauperari permittendo. Eccles. 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis; in morte: bonis omnibus expoliando, Iob 24. Dives cùm dormierit, nihil secum affert: exemplum in di-

1. Pet. 5 Luc. 16. Eccl. 5.

uite,

uite, qui non potuit habere guttam aquæ,
Luc.16. infra 16. post mortem bonis æternis eos priuando.
Esai.66 Esai.66. Ecce serui mei comedent, & vos exurietis; & merito *inanes*, & vacui; quia auarus non implebitur pecunia, nec alia re, quia nihil aliud amat.

Suscepit Israel. Superiùs magnificauit Dominum Beata Virgo, recollendo beneficia facta humano generi generaliter; hic recitando beneficium factũ populo Israelitico specialiter; circa quod tangit tria. Primò, opus suæ diuinæ potentiæ, qua naturam humanam sibi vniuit, ibi: *Suscepit Israel.* Secundò, opus misericordiæ, qua hoc facere dignatus fuit, ibi: *Recordatus misericordiæ.* Tertiò, opus iustitiæ, qua sicut promiserat exhibuit, ibi: Sicut loquutus est: dicit ergo *suscepit*, hoc potest exponi tripliciter. Primò sit; *Israel*, ideſt, Israeliticus populus, siue Iudaicus, *Suscepit puerum*, scilicet IESVM *suum*, ideſt, sibi promissum. Deute-
Deu.18 ronom.18. Prophetam de gente tua, ideſt, de fratribus tuis; sicut me suscitabit tibi Dominus. Item *suum*, quia sibi specialiter
Mat.15 exhibitum. Matth.15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Dico *recordatus misericordiæ suæ*, ideſt, sibi pro-
Esai.63 missæ, & specialiter exhibitæ. Esai.63. Mi-
Esai.9. serationũ Domini recordabor. Esai.9. Paruulus datus est nobis, & filius, &c. Secundò modo sic. *Suscepit*, scilicet, domus * Israel, ideſt, de semine Israel carnem, per quam suscepit populum Israeliticum, & per hoc genus humanum, ad curandum ipsum quantum fuit de se, vel in quam *Puerum suum*, ideſt, seruum humilem, & sibi obedientem
Ps.118. quod petebat. Psalm. suscipe seruum tuum Domine in bonum: quod videns in spiritu impletum regratiando, ait; Exaltabo te Domine, quia suscepisti me, ideſt, naturam
Psa.29. meam. Tertiò modo exponit Beda in gloſſa, sic suscepit puerum suum obedientem sibi, & humilem, vt faceret eum Israel, ideſt, videntem Deum, Dominus inquam, *Recordatur misericordiæ suæ*, ideſt, promissionis misericorditer factæ, & misericorditer adimpletæ, quia quòd hominem redemit, non meritum est hominis, sed donum diuinæ pietatis, cuius misericordiæ
Psa.76. videbatur oblitus esse, differendo incarnationem, propter quod Psalm. nunquid obliuiscetur misereri Deus? Quasi diceret, non;
Abac.1. quia Abacuch 3. cùm iratus fueris misericordiæ recordaueris. *Suscepit* in quam, *sicut*
Hebr.1. *loquutus est ad Patres nostros.* Hebræor. 1. Multipharie multis modis loquens, &c. Abraham, scilicet, cui primo facta est hæc
Gen.22. promissio. Genes.22. Benedicentur in semine tuo omnes gentes, & semini eius, sci-
Ps.131. licet, Dauid Psalm. de fructu ventris tui ponam. *In secula*, quòd potest quatuor modis exponi. Primò sic suscepit Israel, ideſt, carnem de semine Israel *in secula*, scilicet, non deponendam. Secundò, sic recordatus misericordiæ suæ *in secula*, duraturæ, ideſt, in æternum. Tertiò modo sic, sicut locutus est *in secula*, ideſt, à principio sæculorum; forte ipsi Adam in sopori illo, post-
Gen.2. quã dixit homo, ò nunc * ex ossibus meis, &c. Quartò sic, *& semini eius in secula*, scilicet, duranti, quia vsque in finem seculi credentes, non deerunt, qui sunt, semen per imitationem fidei.

Mansit autem MARIA. Hic determinat Euangelista moram Beatæ Virginis, cùm cognata sua, vbi implicat quatuor in
B Beata Virgine. Primò, pudorem virginalem, ibi: *Mansit* Ambrosius, non quia domus * delectaret aliena, sed quia sibi frequentiùs videri in publico displicebat. Secundò, religiositatem, ibi: *Cum illa;* quia mulier cum muliere, & cognata, & sancta, & sancta, * & sene; & ideò nõ suspecta. Tertiò, longanimitatem, & perseuerantiam, ibi: *Tribus mensibus*; in mense autem sexto, à conceptione Ioannis Baptistæ, venerat illuc, & nono mense natus est, & ita expectando virgo perseuerauit, donec Ioannes natus fuit. Quartò honestatem, ibi, & *reuersa est in domum suam*, scilicet, in Nazareth: per hoc autem, quod peracto ob-
C sequio post partum cognatæ suæ, reddijt in domum suam, ostendit quod morari in aliena domo, sine officio inhonestum est.

Hic quæritur super illud, *Magnificat anima mea*, &c. cùm id sit *anima*, & *spiritus*, videtur quod malè copulentur. Ad hoc dicendum, quòd licet idem sint in supposito, tamen differunt ratione; quia anima dicitur in quantum animat corpus, & sic bene viuendo Dominum magnificat: *spiritus*, propter naturæ subtilitatem, & in quantum cælestia contemplatur, & sic eius exultare in Deo, * vel in Deo, * quòd anima *Forte ideo.*
accipitur pro inferiori parte rationis, &
D spiritus pro superiori, sic accipiuntur à Magistro 2. d. 32. libri Sententiarum: ad innuendum; ergo quòd tota anima Virginis Dominum magnificat, & in eo exultat, copulat vnum, alio debet ergo *Deum magnificare* memoria, eius beneficia, recollendo, intelligentia, eius magnitudinem contemplando, voluntas, eius bonitatem præ omnibus appetẽdo; interpretatiua * ipsum ore laudando.

Item super. *Beatam me dicent omnes generationes.* Gloss. Iudæorum, & gentium. Contra Iudæi, non beatificant illam, nec Gentiles. Ad hoc dicendum; quòd ibi fit distributio, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; quia aliqui de singulis generibus, scilicet, fideles, eã beatificant.

Item super illud, *Deposuit potentes*. Contra Roman. 13. Qui potestati resistit; Dei ordinationi resistit. Item Iob 23. Deus potentes non abijcit, cùm ipse sit potens. Ad hoc dicendum, quòd deponit potentes, scilicet, quia potestate abutentes, & de sua potestate gloriantes, & licet omnis potestas sit à Deo, non tamen abusus potestatis.

Rom. 13
Iob 23.

Item super illud *Tribus mensibus*. Contra Virgo prudens vitio carnalitatis, non erat infecta; ergo tantùm in aliena domo morari non debuit. Ad hoc dicendum, quòd non causa familiaritatis; tunc mansit ibi, sed vt videret ortum præcursoris, propter quem maximè venerat, & vt tanto tempore Elisabeth, & Ioannes cresceret profectus: nam si in primo aduentu MARIÆ Spiritu Sancto sunt repleti; multum est illis additum, tanta mora mansionis. Item ideo gloss. vt cresceret Ioannes profectus: contra, tunc non poterat proficere, quia nec opere, cùm esset adhuc in vtero, nec motu bonæ voluntatis, cùm non haberet vsum liberi arbitrij. Ad hoc dicendum, quòd quamuis non haberet per naturam, habuit tamen per specialis gratiæ prærogatiuam, vel dicendum, quod quamuis non posset crescere per meritum proprium, potuit tamen per alienum, scilicet, per meritum Beatæ Virginis.

A

B

Item super illud, *Reuersa est in domum suam*. Gloss. post partum eius, scilicet, Elisabeth, contra insequentibus determinatur partus Elisabeth, scilicet, post reditum Beatæ Virginis in domum suam, vnde postquam dixit Euangelista, *Reuersa est in domum suam*, subdit: Elisabeth, impletum est tempus pariendi. Ad hoc dicendum, quòd reuera post partum Elisabeth, reuersa est Beata Virgo in domum suam, sed hunc ordinem non seruat Euangelista, sed alium, scilicet, vt continuè per ordinem determinaret totum simul, scilicet, Beatæ Virginis ingressum, & moram eius cum cognata, & regressum in domum suam, antequam alia agrederetur.

R. P. F. ALEXIVS A SALO.

NOTA.

ANno à Virgineo partu M. DC. XI. Brixiæ in Italia à Francisco Marchetti typis mandatum fuit, opusculum cuius epigraphe, seu inscriptio est, Ars piè amandi, seu Methodus admirabilis amandæ, & colendæ Virginis gloriosæ MARIÆ, Magnæ omnium nostrum Patronæ. *Assignato Auctoris nomine R. P. Humilis Segalæ, sed quam falsò subreptitieque, ostendit R. P. F. Leonardus Bergomas, ex Seraphica Minorum familia, & Capucinorum, Brixiensium, vigilantissimus Minister Prouincialis, suis publicis literis expeditis Brixiæ* 12. *Iunij eodem anno M. DC. XI. quibus prædictam Artem, seu Methodum à supposititio vendicat, & suo vero parenti, proprioque Auctori restituit, scilicet R. P. F. Alexio à Salò eiusdem S. P. Nostri Francisci filio, & ex Capucinorum præclaro instituto, concionatore egregio, pio scriptore, humili, & deuoto Virginis MARIÆ clientulo; licet de illo nihil agant R. P. F. Zacharias Bouerius in suis Annalibus. Nec R. P. F. Carolus Auemberg in floribus Seraphicis, tamen omnia supra dicta, quam infra dicenda patent, & constant ex editione Gallica fol.* 8. *in qua primò opusculum hoc editum est; quòd cùm tribus prolixioribus censuris approbatũ fuisset, datis Lugduni anno M. DC. XIIII. tandem de ipsius eruditione vltimũ præiudicium fecit Reuerendiss. D. D. Ioannes Petrus Camusius Episcopus Belleyensis. Deinde verò anno M. DC. XXX. R. P. F. Philippus Bosquie-*

rius

rius Cæsari Montanus Minorita Obseruante Prouinciæ Flandriæ omni litterarum genere doctissimus, vt eius testantur opera, Latinitate donauit, & Coloniæ, apud suum Henricum Crithium in 12. regali edendum curauit; dicans Reginæ omnium MARIÆ Virgini Virginum, & Ecclesiæ Romanæ; nominatim verò R. P. ac D. Gaspari Vvinc Abbati San-Dionisiano dignissimo, igitur noster Alexius à Salò fluuius eloquentiæ, atque eius Ars, seu Methodus, deuotionis riuulus, aliquando plagium passa ad MARIAM ad Mare Magnum alueo pleno fluit, & ad proprium redit Auctorem.

PRIVILEGIVM PRIMVM.

Quòd Maria Virgo amet Christianos sibi deuotos, qui se colunt, ac reuerenter, submisseque honorant.

VEro quidem verius est, Virginem sanctissimam (quandoquidem amore, & charitate affatim plena est) omnes omninò homines amore complecti, *eamque instar solis huius* (inquit pius ille Bernardus) *nullo discrimine orbem hũc vniuersum radijs humanitatis, ac beneuolentiæ suæ respergere.* Attamen etiam fatẽdum est, æquioribus oculis ab ea illos cœlitus adspici, qui se amant, qui se debitis obsequijs prosequũtur, quique perfrequenter, tam interdiù, quàm noctu, genua flectentes etiam ad terram vsque genibus Maiestatis illius, velut aduoluuntur. O laudatissimos, & sacratissimos honores! quãdoquidem externatibus istis indicijs publicamus, velutque in claram lucem edimus affectus illos nostros penitùs in corde latentes iuxta tritum illud Diui Gregorij Magni pronuntiatum. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Huic sanctæ Virgini eos vnicè charos esse, qui se ament, id est, amãtes illius ab illa redamari, vel ipsa clarissimè testatur ijs verbis, quæ à Spiritu Sancto illi adscribũtur. *Ego diligentes me diligo*, ait ipsa: ac si diceret. In primis, & præ cæteris eos amo, qui me corde, & animo, veroque amore complectũtur; qui, quà quà possunt, ijs me honoribus prosequuntur, quos mihi putant esse iucundissimos. At quod genus hoc amandi est? Alibi eadem ipsa explicat, cùm se pulchrorum amorum matrem profitetur: *Ego mater pulchræ dilectionis*, quoniam scilicet amor, quo seruos suos complectitur, fidelis, ac sincerus est omnibus numeris, & vndequaque absolutus, dignus omninò matre amantissima, & illa, quæ nobis Deum genuerit.

D. Gre. hom. 30. in Euan.

Eccl. 24

Ibid.

Regina illa illustrissima nos amat, vt filios suos genuinos, quoniam mater nostra est, & proximè, arctissimeque nouis deuincta est. Gentilis nostra est, eiusdem nobiscũ stirpis, & generis. *Caro est de carne nostra*, sanguis ex sanguine, & *os ex ossibus nostris*: qua propter necessarium est, vt vehementer nos diligat, maximè si id meremur fide, ac perseuerantia eidem liberaliter obsequendi. Deipara est, Christipara est, Dei, hominisque mater: Deus autem Pater noster est: *Pater noster, qui es in cœlis*: Christus Filius Dei Patris, frater noster est: *Vade ad fratres meos*, ò amorem immensum! ait ipse Magdalenæ, & *dic eis: Ascẽdo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Beatissima igitur Virgo mater nostra est; IESVS Christus Verbum increatum, & incarnatũ, frater noster: Pater æternus, Pater noster. Hoc genere argumentãdi videtur vti velle deuotus ille Doctor S. Bernardus, scribens in hæc Christi verba ad Ioannem: *Ecce Mater tua: Si MARIA mater tua est* (inquit) *ò homo; ergo IESVS Christus frater tuus est; ergo Pater eius, Pater tuus est, ergo regnum eius, hæreditas tua est, ergo gratia MARIÆ, thesaurus tuus est; nam ferè mater filijs thesaurizat; ergo aduersa tua eius præcordia tangũt; nã viscera eius super filio suo commota sunt. Ergo accipe eam in tuam.* Sic loquitur eloquens ille Doctor. Cõditio nostra verè omniũ beatissima est, qui scilicet ipsam Dei Matrẽ, Augustam huius Vniuersi, Matris loco habeamus, Filiũ autẽ eius Regẽ gloriæ, Regũ gloriã, & verum Deũ nostru, Fratrem vocemus. Ne Angelos quidẽ vnquã tali honore dignatus est. Nam fidem vestrã, *cui dixit Deus aliquandò Angelorum* (inquit Apostolus Paulus) quòd IESV Christo homini, *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Spiritus illi cælites, terque, quaterque beati licèt, nullum tamen ex suis omnibus habent vel vnicum, qui Deus sit, naturæ Angelicæ particeps; nos verò homunciones vix tanti, vnum ex nobis Deum habemus, Dominum eundem Angelorum, humanæ naturę cohortem; ac prætereà quod ampliùs est, fratrem etiam nostrum. Similiter nusquam reperire est, fuisse vnquàm vlli Angelorum dictum, sicut homini. *Ecce Mater tua.* Nam D. Ioannes Euangelista, stans iuxta crucem, vnus totum genus humanum repræsentabat (vt fert Sanctorum Doctorum sententia) cùm benignissimus mundi Saluator nobilissimum

Mat. 6.

Ioan. 20

Ioan. 19

D. Ber. vt verto ex Gallicis.

Heb. 1.

Psal. 2.

Ioan. 19

mum illud pignus, Matrem, inquam, suam, apud eum depositum, eiusque fidei credidit, vt deinceps ei esset matris loco.

Huic igitur statuamus omnes omninò homines beatissimæ illi Matri charos esse: eos verò maximè, qui eam, Matrem suam esse volunt, & ambiunt, eius beneuolentiam affectant, eiusque præsidium, ac patrocinium religiosè implorant.

Præterea, dicere licet, à magna ista Regina Matre eos homines, qui ipsam colant, teneriùs amari, quàm Angelos ipsos, atque hoc quidem ex æterni Patris imitatione, cuius actiones ipsa vna præ cæteris creaturis omninò omnibus, propriùs exactiùsque solet imitari, qui profectò illustriora suæ in nos beneuolentiæ argumenta edidit, quàm in illos ipsos spiritus tam beatos. Ecquod enim amoris illius in nos summi vberius, aut clariùs indicium optemus, quàm sit donum illud pretij certè maximi, quo nos honestauit, quàdoquidem de pretio munerum, qui confert amator amasiæ, amores illius certissimè æstimantur? Ecquod igitur est (inquis) magnum illud munus, quo Pater æternus nos viles terrigenas decorauit? Arrigant aures Angeli, audiant Archangeli, obstupescant omnes cœli Hierarchiæ audiẽtes prodigiosæ huius in nos liberalitatis Dei mentionem. En præsto vobis grande illud donum. Ecce inæstimabile honorarium, cui par nullum est, & cuius pretium æstimare nos datur: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, ideſt, Deus Filium suum mortalibus ægris dono misit, impulsus vehementi illo amore, quo eos prosequebatur, ac velut deperibat, vt eos, tandem calamitatibus illis eriperet, quibus iampridem tam seruiliter premebantur. At quid Angelis ipsis dedit? Nihil præter fœlicitatem æternam, quam (vt Theologi adfirmant) vno, ac solo voluntatis actu meruerunt. Porrò extra controuersiam prorsus omnem est, fuisse maioris pretij donum, Filium suum dedisse: ac morti obiecisse studio salutis mortalium, quàm gloriam æternam Angelis contulisse. *Maius multò est* (inquit Seraphicus ille Bonauentura) *dare Filium suum impietati hominum, quàm dedisse meritis Angelorum gloriam vitæ æternæ.* Fateamur igitur, concludamusque ingenue, amorem Dei Matrisque eius beatissimæ in homines illustrius emicare, ac magis apparere, quàm qui in beatos illos spiritus fuit: quandoquidem is meliora quęda n, & admirabiliora in ipsis produxit, arctioribusque mutuę beneuolentię vinculis obligauit. Sed nec hic quidem finis. Bona enim hæc Domina suos deperiens, non satis amori suo factũ arbitratur, si amorem clientum, & seruulorum sibi deuotorũ reciproci amoris pretio compenset, & redamet amantes; verum etiã eos illo sæpè honore dignatur, vt visat eos, & præsens consoletur, imò & Filij sui honoret præsentia. Id quod cùm quotidiana experientia nos docet, tùm exempla propè infinita, & certissima digito præbent contrectandum; ex quibus vnum, non amplius, dilectum e tam multis, ex speculo Exemplorum emendatorie commemorabo, ab alijs quoque multis authoribus mediocris inter doctos notæ citatum. Fuit adolescentula quædam nobilis, annorum quatuordecim nõ amplius, quæ vt Matrem Virginem amabat ardentissimè, etiam dies, ac noctes pene totas eius cultui obsequioque religiosissimè impendebat. Virguncula hæc annos septem totos ita Deiparæ seruijt, Aduocatæ, & Magistræ suæ semper supplicans quàm modestissimè, vt se hoc beneficio dignaretur, apertæ scilicet visionis charissimi filij eius, ea omnino specie, quali iacuerat in præsepio, cùm eum pepererat mundo. Cùm igitur nocte quadam (creditur autem ea fuisse, quæ Domini natalem antecedit) ea in gynecæum suum, aut priuatum Lararium, quòd, vt honesto loco nata in domo Patris secretius habebat, hac spe, & studio videndi Domini IESV infantili specie secessisset, ibique multis lachrymis, ac suspirijs eum obnixissimè solicitaret, vt beneficium, quod tam vehementer cupiebat, sibi non denegaret; ecce mox, & erepentè clementissima Cœli Augusta adest illi conspicienda, qualis, & quanta in cœlo spectatur, stipata ingenti Angelorum se comitantium corona, & Virgunculæ illi Filiolum suum, quem in sinu gerebat porrigens, sic eam affata est: En tibi Filiola mea, pretiosum illud munus, quod tam vehementer optas: accipe nunc tu illum, amplectere, osculare, & vt libet, adblandire. Accipit illum sancta inuencula, diffluauiatur, collo eius adfigitur, & quã potest tenerrimis, & blãdissimis modis, quoscunque spiritus amoris casti suggerebat, pnerulo IESV gratulatur, blanditur, ac tantùm non lenocinatur, sed diuinus ille puer, in ipso basiorum eius, atque amplexuum æstu eam dignatus vno intuitu, & ea oculorum velut vibrissatione, quæ (opinor) pectora etiam sensus expertia, & velut saxea incendere, & amoris flamma consumere potuisset, ita loquutus est: Tu me amas, adolescentula? Omnino, inquit, ac sic esse persanctè deiero, atque tũ iterũque, iterũque puerulo illi diuino diffluauiando, & amatoria omnia castissimè exercendo, velut adulabatur. Et verò quantum me amas? (addidit tũ puer.) Cui adolescentula: Ardentiùs, quàm corpus meũ. Actũ iterũ puer, sed quanto ardentiùs, aut fortiùs, quã corpus tuũ? Ardẽtiùs (inquit illa) quã ipsum cor meũ. Quanto ardentiùs, quàm

Ioan 3.

quã cor tuũ? (subiecit iterũ puer) Illa verò altum suspirans, & trahens imo de pectore vocem, excepit, ac dixit: Ah! Domine mi, non facilè dixerim, imò omnino dicere non possum, sed ipsum cor meum suppetias ibit linguæ meæ, eritque pro interprete; & cùm hoc diceret, cor eius discissum est, non ferens vim amoris illius sancti, quo distinebatur. Ac tum Virgo glorioſa manibus excipiens (vt credere, fas piumque est) pulchram adolescentulæ illius animulam, ordinibus Angelorum se comitantium inseruit, ipsisque cœlo inuehendam commisit, qui suauissimè concinentes, magno iubilo eam cœlo ciuem nouam futuram intulerũt. Harmoniæ illius sonus familiam totam excitauit. Concursus ad illam omnium factus: apertoque per vim conclaui, inuentum est eius mortuæ corpus humi prostratum, ex quo tam suauis odor efflabatur, vt balsamo, pretiosissimisque prorsus vnguentis delibatum videretur. Ibi duo Patres Dominicani affuerunt, qui postquàm ei pectus apertum est, vt tam subitæ, inexpertatæque mortis causa resciretur; cor eius acceperunt hac sententia literis aureis inscriptum: *Amo te, mi IESV, ardẽtiùs, quàm meipsum; quoniam tu me creasti, redemisti, & gratia tua diuina adoptasti.* Vnde nobis liquidò patet, quãto amore adolescentula hæc Matrem, ac Filium complectebatur, quamque quæstuosa, atque vtilis res est, illo amore languere.

Huius tam illustris exempli lenocinio prouocor, vt & aliud non minus nobile, atque admirabile in medium producam; quòd ex parte priore Chronicorum Ordinis nostri deprompsi, & de Patre, ac legislatore nostro D. Francisco est, viro Virginis MARIÆ amatore ardẽtissimo, vt si quis alius. Igitur, cùm aliquando sanctus ille Pater noster visere Conuentum, nescio quem satis procul disitum constituisset: collega illi decretus est quispiam, vt iunior, ita adhuc rudior rerum diuinarum, ac nondum obsequijs Dei satis deditus. Vt eo ventum est, refectæque sunt aliquantulum fatigatæ vires, primus ante omnes adit quietem pius Pater, vt sic surgeret alacrior, & prior constituto nocturnarum precum tempore. At itineris eius comes contra, Fratribus quibusdam illius loci, eiusdem secùm farinæ, exilisque prudentis, eius familiariter, erupit quamprimùm in asperas, multas insolentesque aduersus virum sanctum inuectiuas. Iste homo (aiebat illis, etiam gestu testante contemptu in Patris vtens) dormit, bibit, comeditque strenuè; imò verò affectat quoque præ cæteris, quæ sibi commoda sunt; qui tamen interiùs hic præse fert sanctitatem, vt *Curios simulat*, ac temerè præscribere A nobis vult, quantum comedamus, & (quod aiunt) buccellas ipsas nobis arbitrio suo scindere, & iura dare, quæ somniat: ac tandem his pluribusque alijs in actiones, vitamque sancti Patris abusus censuris, & obloquijs imprudentibus, constituit sedulò totam eam noctem explorare, quid ageret, vt tandem certò sciret, num surgeret cum cæteris hora nocturnis precibus à maioribus præstituta. Dictum, factum. Oculi eius repentè, Argi instar, peruigilant in statione, arrectæ aures auscultant attentissimè à cellula eius non procul. Altera vigilia noctis audit surgentem; videt eum paulòpost iter versus syluam Conuentui vicinam instituere: sequitur pedetentim, hæ- B ret pede pes; cumque vidisset eum sistere gradum, loco meditationibus, ac precibus destinatis opportuno; abdit se in dumeto ponè, vnde videri facta, & exaudiri verba S. Viri commodissimè possent. Vidit igitur eum humi prostratum, suspiria, & voces amore Dei prorsus ignitas eiaculantem, orantemque obnixissime magnam Cœli Augustam, ostendere sibi, vt dignaretur carissimum suum puellulum IESVM, ea forma, qua cum mundo nascentem effuderat. Vidit, quum iam viri Sancti incalescceret oratio, Virginem beatam radijs præclaris coronatam sancto Patri apparentem, C versamque ad eum, quàm beneuolentissimè offerentem Filium suum, quem in sinu gerebat. Excepit igitur illum vir sanctus, & gratijs Matri etiamlatissimè peractis de beneficio tàm singulari, cœpit in pusionis oscula ruere, oculorum blanditijs alludere, vt viderentur os, oculique eius esse riuales, piè contendentes, vter vinceret maioribus in Filium Virginis casti amoris officijs. Hoc duellum longiusculum fuit magna voluptate vtriusque, & sancti Patris, & in officiosi Fratris, actionis huius admirandæ spectatoris, donec scilicet sol mox ortu, & reditu suo regeret, sanctum receptui canere, & tàm nobile depositum Matri reddere, quæ se eius apud se depositione tam D beneuolè honestarat; ac sic visum illud omne disparuit. Miraculi illius spectaculum, stultum nostrum adolescentem ita commouit, atque ædificauit, vt è vestigio prodiens ex latebris, se ad pij Patris pedes prosterneret, culpamque ingenuè fassus, veniam, perquam submisè precatus est, & moriens deinceps propensionibus illis peruersis, quæ captiuum illum habuerant, vixit auspicijs melioribus, perfectionique illi studuit, quæ animum haud fictè religiosum decebat. Duobus his exemplis probatur euidentissimè primum hoc priuilegium, amorque ille summus, ostenditur,

quo B. Virgo tenerrimè complectitur clientes suos, qui illius ergo opera quædam bona exercent, eique sedulò, ac liberaliter seruiunt. Hi sunt, in quos singulariter oculos habet conuersos, quibus vnicè patrocinatur, quos nusquàm deserit (nisi rebellione aliqua sint ipsi primi eius desertores) donec fœliciter in cœlum, velut in portum tutissimum, intulerit. Omnia hæc paucis complectitur deuotus plane scriptor Bernardus dicens: *Fieri non potest, vt tu clientem tuum, qui in te spes omnes suas collocauerit, deseras, quandoquidem misericordiæ mater es.* Quis igitur huc non incumbet, quantum quidem vires eius patientur, vt totũ se Virginis MARIÆ obsequijs dedat? Quis non honoratissima quæque obsequia solertissimè excogitare conabitur, quibus in tantæ Principis amicitiam, ac gratiam possit irrepere? Magnum aliquid est profectò, Reginæ mundi totius earum esse, Augustæ Cœli, & Angelorum Dominæ gratiam demeruisse. An! Decus illud decora cætera omnia supergreditur: decus non modo terrenæ cuilibet amplitudini præferendum, verùm etiam arctissimis reliquorum Aulicorum omnium Curiæ cælestis fauoribus. Et hæc quidem de priore priuilegio sufficerint; iam ad secundum progrediamur.

PRIVILEGIVM SECVNDVM.

Virginem Clementissimam solere valdè liberaliter gratias suas clientibus suis impartiri.

AMatorem non fictum (vt experientia quotidiana docemur) nulla obsequia, quàm amasiæ suæ impendat, fatigare vnquam possunt, nunquam offerendis ei muneribus, fauoribusque delassatur, quin etiam rebus sibi multo charissimis perlibenter sese exuit, vt ipsa illis indita gloriosè incedat. Nemo nostrum est, qui nesciat, Ionatham Saulis Regis filium, amore illo vi-

1. *Reg.* 8 ctum, quo maximo Dauidem complecte- batur (*dilexit eum Ionathas, quasi animam suam*, ait Sacra Scriptura) tunica, qua indutus erat, se exuisse, eamque porrò Dauidi dedisse, sed & reliquis vestimentis suis,

Ibid. *vsque ad gladium suum* (addit Scriptura, vt suis coloribus vim tanti amoris plenus depingat) *& arcum suum, & vsque ad balteum.* Si mundani amoris ea vis est in animos hominum; quid non poterit diuinus in animos Diuorum beatorum, ac maximè quidem in Virginis MARIÆ, quæ castè, fideliterque amandi certamine, nec mortalium, nec Diuorum iam immortalium, vlli palmam concesserit? Dicamus ergo, vnàque fateamur ingenue, Heroinam illam, ac Cœlicolarum cœlestem Principem, sic clientibus suis affici, vt precibus procuret, suauissimo pretiosissimarum gratiarum, ac cœli thesaurorum rore eos incessanter perfluat: ideoque merito ab hominibus nostris sapientissimis, sanctisque Doctoribus, quæstura Thesaurorum cœlestium ei adsignetur, & Ærarij Dei, ac congiariorum eius dispensatrix vocetur (Pandoram fortasis apte nominauerimus.) Huc dignitatis eam Deus in suo imperio, ac ditione prouexit, eoque honore voluit, eam cæteros omnes clientes suos antecellere, Clauigera illa est gazarum æternarum; arcæ omnes Paradisi, plenæ opum diuinarum in manu eius sunt, quarum minimè tenax est, aut sordidè amara; imò liberaliter confert vniuersis; illis (inquam) qui eas suppliciter ab ea postulant, & meritis inuitant eius liberalitatem, quoniam & ditissima est, & potentissima; æquoque pede ambulant voluntas eius, ac potestas, tàm in cœlo, quàm in terra, *Tibi omnis potestas data est* (ait mellifluus Doctor ipsam religiosè alloquens) *in cœlo, & in terra; adeò, vt tibi licet, quidquid libet, & possis, quicquid velis.* Vel ipsius confessione discimus, eam cœlestibus thesauris exuberare. *In me gratia omnis* *Eccl.* 24 *viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Eademque haud ignara, quanti nostra interest, particeps fieri diuinarum eius diuitiarum, ipsa (quæ eius est humanitas) nos inuitat, vt eas ab ipsa petamus. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me,* *& à generationibus meis implemini.* Vides, *Ibid.* vt amasia hæc nostra, & Domina charissima, semper præstò sit nobiscum ex diuino gratiarum suarum ærario munificè agere? Vides (inquam) vt pene perditè nos deamans, & nostra curans, plenis manibus nobis honores offerat, & omni tempore, & quauis Fortuna superiores? Ecquid igitur, aut quibus distenti moramur? Vnde nobis tantùm hoc frigus, & tam profundus lethargus? quin expergiscimur, vel tandem, & damna nostra sentientes adimus ipsam supplices, admonemusque repræsentandorum rebus ipsis tot promissorum? An fortasis superciliosam aliquam repulsam metuimus, aditum difficilem, aut elatiorem aliquem, ac fastuosum intuitum, vel despectum? Ah! tantum abest. Est enim suauitas ipsa, & modestia ipsissima; nihil neque in cœlo, neque in terra vrbinius ipsa, aut affabilius reperias, teste sancto illo deuotissimo Bernardo. *Quid reformidat humana fragilitas, Vir-* *Interpretis dictio ex Galli cis.* *ginẽ MARIAM adorare? Nihil in ea austerũ est, aut formidabile. Tota humana est, tota plena charitate, & in hominis vrbanitate.*

Et

Et profectò firmissimè vulgo cum Doctoribus credimus, neminem eorum, qui necessitate compulsi eius opem, patrocinium que implorarunt, aut beneficium vllum ab ea ritè expetiverunt, vnquam vana spe lactatum, aut frustratum ab ea recessisse. *O Domina mea* (ait vetus doctor Theophylactus.) *scio te esse hominum protectricem multò maximam. Nam ecquis, ò Virgo immaculata, in te aut de te benè speravit, & confusus est, aut quis mortalium clementiæ tuæ supplex fuit, quem deseruerit?* Dubio igitur omni procul sepositò, & eiusmodi veritatis certissimi; in necessitatibus ad hanc potentissimã, & clemẽtem Heroinam, ac Principem nostram confugiamus, enitamurque digni haberi maximis illis bonis prærogatiuisque insignibus, quibus ea assolet seruos, ac clientes fidei suæ commissos affatim (penè dixi prodigè) cumulare. Ipsa est (vt iam ante diximus) ab Ærario, ac Thesauris Dei ipsa œconoma, ac dispensatrix munerum diuinorum. *Ipsa est collum* (inquit D. Hieronymus) *per quod Saluator noster, qui caput est, Ecclesiæ suæ motum, sensumque omnem spiritalem, vnde animatur, ac sustinetur, infundit, & velut influit.* Truncus est, per quem à radice rami animantur, virescunt, efflorescunt, fructificant; emergitque, quidquid in arbore est, pulcherrimum, ac iucundissimum. Est peluis, & velut crater quidam latissimè patens, in sese primum vberrimas illas, & viuas gratiæ aquas, ac deinde, per suas clepsidras, & canales, eadem alijs diffundens, ac distribuens pro cuiusque, & merito, & capacitate. Itaque grauiter ait sanctus Bonauentura (vt omnia more suo) *esse rem magni miraculi plenam, quòd in MARIAM se tota gratia effuderit, ac receperit plenitudo, ex eaque, velut fonte perenni, tam vbertim ad alios deriuatur.* (quemadmodum ait glorioſus ille sanctus Bernardus) *Cœlicolæ omnes, Terrigenæque vniuersi, adeoque, & Purgatorij Incolæ, imò & ipsa Inferorum mancipia infortunatissima, Dominam suam agnoscant, ad eius pedes in genua procumbant, humiliaque, & debita fidei clientelaris officia persoluãt.* Nulla non professio, nullus non Ordo se eius fidei commisit, sequè in eius clientelam, ac protectionem transtulit, ac Religiosi Ordines maximè, gloria & ornamentum Ecclesiæ Dei maximum, qui omnes sub eius velut alis, & ramis semper apricantur. Nam certè ipsorum Romuli, siue authores (vt vocant) Fundatores incredibili eam amore complexi sunt, eiusque interc essione, prerogatiuis insignibus, & ipsi, & eorum liberi spirituales seu posteri, aucti sunt. Quis non vehementer miretur amorem illum ardentem, quo S. Dominicus Patriarcha ille clarissimus Regi-

Interpretis dictio ex Gall.

Interpretis dictio ex Gall.

nam hanc excelsissimam est prosequutus, cui vni post Deum se totum eius Ordo debet, volensque, ac libens ei acceptum fert omne decus suum atque præsidium? Nam ecquos non ille fauores, gratias, ac beneficia suo Ordini ille obtentu Deiparæ impetrauit? Et vt nulla zeli, aut pietatis viri illius in Deiparam haberemus testimonia; tamen celebre illud, nunquamque satis laudatum eius inuentum precationis, quam Rosarij vocant, abundè eius fidem nobis facere possit. Quam multas (putatis) animarum myriades allexit vir ille sanctus, vt se Virginis cultui totas deuouerent, illo suo tàm religioso orandi inuento? Quot Principes, quot Heroes, & Monarchas? quot Reginas, quot Heroinas? quàm multos cuiusuis conditionis homines, populos, imò, & mundos integros? Etiam ad Antipodes vsque pius ille colendæ Virginis modus peruenit, & ad regiones olim ignotas, peneque, vel solo nomine inauditas (quas nouum mundum appellamus.) Quid verò? Præterire ne silentio possim amorem illum flagrantem, quo D. Franciscus, Pater ille Instituti nostri auctor optimus, arsit in hanc Virginem qui tàm vinacibus, ac voracibus flammis cor eius incendebat, vt perfrequenter amantis, amentis, & cupidissimi instar, carminibus ornatissimè in eius laudem condendis operam daret, & vel vsus illa cantaret, vel à discipulis, & alumnis disciplinæ suæ cantillari, & vibrissationibus religiosissimis exprimi imperaret? Itaque, & ipse de quacunque re orator ad Deum adit, de eadem redit exorator, seu priuatim pro se, seu publicè pro Ordine suo intercederet, patrocinante scilicet illi, & procurante hac eius Domina, vnicè illi charâ, & tenerrimè deamata.

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iouemque — *Virgil. 1. Æneid.*
Concilias: tu das epulis accumbere Diuum.
Illa meas errare boues (vt cernis) & ipsum — *Idem Bucol. Eclog. 1.*
Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

Vnicam è multis commemorabimus, vt omnium notatu dignissimam, quæ non solùm admitti digna est excellentiæ suæ nomine; verum etiam, in ordine miraculorum prorsus omnium, caput, ac primas tenere, multoque maximum, & excelsissimum censeri: seruauit enim, & adhuc dum in præsentiarum seruat, animas multitudine innumerabiles, quæ alioqui pœnis Inferorum æternis addicerentur. Ea est, magna illa, & mirabilis Indulgentia, concessa, & edicta ore Christi ipsius,

coram charissima matre eius, infinitoquè Angelorum beatorum exercitu, in templo Virginis, & Dominæ nostræ, Portiunculæ nuncupato, propè Assisium exorante hoc Beatissimo Patre nostro Francisco. Et quoniam maximo in pretio est apud Christianos omnes, & mysterijs multis excellit, dignaquè est, quàm summatim omnes cognoscant, historiam nunc narrabo, quàm potero commodissimè. Cùm ergo vir ille sanctus aliquando ardentissimè orans Deum, de salute animarum ageret; apparuit ei Angelus imperans, vt ocyssime ad Dominum suum IESVM Christum, in templum proximum se transferret, se cum Matre, & Angelis multis, ibidem præstolãtem. Itaque sanctus exiliens, in templum ad Christum adcurrit, quò cùm prouenisset, ac Dominum vidisset, in summo altari, in solio planè regio, & se digno sedentem, circunstante Matre, & Angelorum infinitorum corona, illicò ad eius pedes procubuit, cui non multò post dixit Dominus Christus: *Scito, Francisce, preces tuas exauditas, & quoniam video, quanto zelo, studioquè, tuquè ordoquè tuus saluti animarum procurandæ incumbitis; pete à me quidlibet ipsis salutare, & optatum feres.* Iacebat interim Sanctus Pater toto corpore humi prostratus, raptus, extraquè se totus, tantæ maiestatis adspectu, sed ipse offerentis blanditiæ, & oblatæ rei amptitudine paululum animo erectus, respondit: *Agnosco equidem Domine Deus me tanto munere indignum, parumquè quod offers meruisse: at quoniam vis me, & hoc cum primis beneficijs erga me tuis celebrare, quorum nomine in ære adhuc multo tuo sum; supplex oro Maiestatem tuam, vt bono totius orbis publico, mihi concedere digneris criminum planè omnium indulgentiam, ijs communicandã, qui confessi, & contriti hoc Portiũculæ Oratorium inuiserint. Te verò, Virgo gloriosa, beneuolentissima Christianorum aduocata, precor obnixè, sic nunc, vt petitioni huic meæ æquissimè filius tuus subscribere dignetur.* Tùm votis eius annuens Virgo, ad Filium conuersa, sic eum affata est: Domine mi, quem aliquando intra viscera ista Dei fauore gestaui, dignare, quæso, ornare hoc beneficio fidelem, hunc clientem tuum, vt qui non alio spectat, quàm ad salutem animarũ, quas vel tu soles cæteris rebus vniuersis anteferre: fiat (inquam) illi, vt petit, & in hoc quidem templo meo, quòd honorificum tibi sit, ac Ecclesiæ tuæ faustum, atque ædificatorium. Tùm tandem sua Maiestas, serenissimè, ac beneuolentissimè bonum illum Patrem ad pedes throni eius prostratum intuitat: *Francisce*, inquit verè, *maxima sunt, quæ petis: verùm illa desideria tua desiderijs meis ipsius consentanea plus etiam meA rentur. Itaque tibi concedo indulgentiam qualem, & quantam postulas: sed surge, & ad Legatum meum Pontificem Maximum, quem penes est ex me potestas ligandi, atque soluendi super terram, atque eum roga nomine meo, vt donum hoc probet.* Et his dictis diuinus Senatus disparuit. Postridie illius diei S. Pater, Dei præcepto parens. Perusium auolat, vbi tùm erat Honorius Papa, omnisque eius Curia, ibique post affixa, more maiorum beatis eius pedibus oscula, narratamque aduentus sui causam, ab eo indulgẽtiam illam, vno cuiuslibet anni solido die, impetrauit. Nondum certus dies fruendo huius gratiæ beneficio decretus erat, neque diuinitus à Christo, neque humanitus ab eius Legato Pontifice Maxim. Sed post S. Patris reditum ad suos, cùm is sub conticinium, seu mediam noctem in cellula ardenter oraret, Diabolus illi specie boni genij apparuit, sicque eum voce fallaci affatus est. *Miser Frãcisce, Eccur te ipsum enecas? cur naturæ tuæ vim infers, eam conterens tot inutilium vigiliarum laboribus? Nescis, noctem quieti adsignatam, somnumque esse præcipuum alimentum vitæque fomentum? In primo adhuc dum ætatis verè versaris: valetudinem tuam cura, & serua diligenter, si me audis; si non studio tui, saltem ordinis tui, cuius salus in tua vnius tota recumbit. Et sanè es corpore optimè constituto, & (vt sic dicam) beatissimæ complexionis, & quæ tibi multos annos promittit, nisi immoderatis, ac indiscretis tuis Stoicitatibus vitæque rigoribus, eam tibi ipsus euertas. Prætereà immoderata ista omnia, vanæque imagines deuotionis, suprà quam credi possit, displicent Deo, vt cui in omni re mediocritas sit acceptissima.* Id quòd audiens vir sanctus, præsentiensquè dolos perfidi illius tentatoris, aures mentemque incantare conãtis fallaci suggestione, subitò exilij, seseque prorsus nudauit, & in syluam Conuentui proximam rubis, ac spinis horrentem celerrimè cucurrit, seque in mediũ spinetum iniecit, ibique sic se huc, illacque volutauit, vt ex toto corpore sanguis erumperet, ac tum secum, ita ratiocinatus dixit: Hem (mea caruncula) quantò tibi vtiliùs fuisset, toto pectore labores doloresque passionis Domini, ac Dei tui recogitasse, quam adeò acerbas insolentiæ tuæ pœnas dare? Dixerat: Et ecce de repente lux magna totam syluam illustrauit, quæ tenebras noctis discutiens videndas obtulit in superficie glaciei (mense enim Ianuario decurrente ista gerebantur) inter spinas sanguine, ipsius omninò rubricantes, aliquot rosas candidas, rubeasque, vnaque aciem Angelorum hinc inde instar sæpis ordinatam, ipsam viam velut fimbriantium (vt sic loquar) ab eo loco in quo erat, ad Oratorium, vsque ipsius, vna-

Mat. 16

voce

voce ei dicentium: *I nunc, Beate Franciſce: I nunc, vbi te Dominus eiuſque alma parens te expectant:* & confeſtim, non ſine miraculo, ſibi viſus eſt veſte noua indutus: Eo iudicio, eum, à quo vocabatur, aggreſſus, roſas viginti quatuor ex illo aceruo ſpecioſo decerpſit, duodecim candidas, totidemque purpureas, ac tùm per viam illam, tàm magnificè beatis illis ſpiritibus, ita ordinatis coronatum, & pretioſis pannis ſtratam venit ad Dominum ſuum ſe præſtolantem more ſuo in primate altari, ſtipatum matre ſua Virgine, & Aulicis Curiæ ſuæ pluſculis. Simulac ſacellum ingreſſus eſt, mox humi ante pedes eius procubuit, & vſus quibus ſolebat iuſtis ſubmiſsionibus, ſic orauit: *Sacra Maieſtas, cui cœlum, & terra ſeruiunt, quãdo quidem mihi dignata es, vt ſic gloria templi huius accreſcat, plenæ indulgentiæ beneficium largiri, vehementer te oro, per diuinas chariſſimæ Matris tuæ perfectiones, vt præſcribere quoque nobis digneris, ecquo die hic concurſum populorum fieri velis, vt beneficio illo tuo perfruantur.* Cui Chriſtus: *Tua, inquit, merita faciũt Franciſce, ne quidquam negare tibi poſsim: quidquid tibi libet, per me licet, ideoquè diem illius gratiæ eſſe iubeo menſis Auguſti Kalendas, a primis illarum veſperis ad occaſum, vſque ſolis diei ſequentis, quem diem Eccleſia mea ſacrauit celebrandæ Apoſtoli mei Petri ex vinculis Herodis eruptioni. Sed quæſo te, dic mihi Domine mi* (ſubiecit tunc vir ſanctus, cum pia gratiarum actione) *ecquis tandem mundo res iſta commodè innoteſceret? aut quis ei tanti prodigij faciet fidem? id curauero ego;* reſpondit ei tùm Dominus; *tu interim ad Legatum meum reuertere, aſſumpto vno quolibet ex Fratribus tuis oculato teſte apparitionis huius, & ad ipſum aliquot hinc decerptas roſas perfer, nam dubio procul, nullam ab eo repulſam patieris.* Hoc modo ſuaui ſanè, iucũdo, & miraculoſo ſupremus cœli Monarcha pio Patri noſtro conceſsit famoſiſsimam illam *indulgentiam*, quæ deinceps à loco ipſo nomen *Portiunculæ* obtinuit: beneficium profectò tãtum, adeoquè ſublime, vt nemini mortaliũ contigerit ſimile, neque accipere, neque fama audire. Itaque hinc quoque, quemadmodum ex laudatiſsima Roſarij religione, quo magnus ille Patriarcha Dominicus, totuſque eius ordo magnificè nobilitati ſunt, euidenter manifeſtiſsimè, quantis fauoribus extraordinarijs ſoleat clementiſsima illa Domina Deipara remunerare cultores ſuos zeloſiores, ac ſeruos fideles.

PRIVILEGIVM TERTIVM.

Quòd virgo Maria inuiſat, & ſoletur cultores ſuos fideles, in neceſsitatibus, atque afflictionibus.

TErtium priuilegium, quo ab hac illuſtr Principe clientes amicique eius honorantur eſt, vt nunquam, quoties cum aduerſitatibus luctantur, merito queri poſsint ſe deſertos ab ea, auxilioue eius deſtitutos. Quod nemini dubium eſſe poteſt. Nam ſi hic eis blanditur, ſic eorum res curat, ac tot bonis cumulat; cur non etiam amet, rebus aduerſis, & reflante fortuna? Quà, quæſo, alia re maiorem amoris ſui fidem facere poteſt amans amaſiæ, vel amica amaſio, vel quiuis amicus amico, quàm ſuccurrendo, ſi fortunis euerſus eſt? Tunc enim optime, aut alià nunquam, teſtatur ſe amicum certum, quandoquidem, vel cenſura Spiritus Sancti, *omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in rebus anguſtis comprobatur.* Atquis mortalium, imo & immortalium creaturarum, plenius, ac fideliùs veri amici officijs ſatisfacit, quàm mater Dei? Omni tempore diligit cultores ſuos, tàm inopiæ, quàm diuitiarũ, tàm luctus, quàm gaudij, tàm rebus aduerſis, & euerſis, quàm proſperis: *omni enim tempore diligit, qui verus amicus eſt,* ſed tùm maximè, cum inſigni aliqua afflictione opprimuntur: tùm enim eis rariſsima beneuolentiæ ſuæ teſtimonia oſtentat, omnia neceſſaria, non ſine miraculis ingentibus, ipſis ſufficiendo. Quàm igitur fœlices beatique erimus nos, ſi merebimur digni haberi amore, tàm benignæ Dominæ, & ſic auxiliari paratę, quandoquidẽ tunc, maximè cum acriùs affligemur, cùm ſub miſeriarum pondere (vt ſic dicam) curuabimur, ac ſuccũbemus (vno verbo) cùm digniores commiſeratione, quã amore cenſebimur; tùm illa nos chariores, & longè commendatiores eſt habitura: ſignanter verò in formidabili illo tempore mortis, quo deſolati, ac deſerti ab omnibus amicis ndiſsimis, & morbórum acerbitatibus vexati, nihil proh dolor! circumcirca nos ſumus intuituri præter turbam terribilem dæmonum ſaluti noſtræ ſempiternæ aduerſantium? Tunc enim ſuauiſsima illa Virgo, aduocata illa fidelis adcurret, aderit, abigetquè noſtra illa importuna, quàm longiſsimè, dolores noſtros leniet, ſpeque certa immortalis vitæ nos implens conſolabitur.

Celeberrimus ille S. Antonius Paduanus, altera Ordin. Minorum gloria, ſolebat (vt in vita eius legere eſt) quoties diabolicis tentationibus agitaretur, recitare elegantẽ illum Virginis hymnum, *O glorioſa Domina, excelſa ſuper ſydera, &c.* & dicto citiùs victor abibat. Accidit aliquãdo, vt cùm orationi operam daret, Diabolus iuratus bo- *Breuia. Rom. in Offic. par. Vir.*

no-

norum operum hostis, rabido conatu in eum irrueret, arreptisque manu faucibus eius, ita gulam ei præstringẽdo arctaret, vt penè suffocaretur, ac in summo vitę discrimine versaretur. Quid verò, tũc ille homo Dei? Mox pius Pater, mox ad consuetum illum sibi hymnum, velut ad tutum asylum recurrit, & ocysimè tota illa violentia abacta est. Similiter, cùm vltimus, cùm morte luctaretur, & vnà cum Fratribus suis septem Psalmos Pœnitentiæ dictos recitasset, ac Sacramentis Christianis munitus esset, rursus secùm tacitus vsitatum suum canticum dixit, *O gloriosa Domina, &c.* & eodem ipso momento Virgo ad eum delapsa illi apparuit, mirequè adspectu præsentiæ suæ ipsum recreauit, idque ei ad beneficij cumulum præstitit, ac dedit, antequam efflaret animam, charissimum, ac optatissimum suum Dominum intueri, ac sic homo Dei gaudio incredibili affectus, beatam animam reddidit Deo suo. Per me licet, audacter libri omnes peruoluantur, omnes historiæ perlustrẽtur, nil metuo, vt quisquam vnquam, aut vsquam inueniat, aliquando contigisse, vt quisquam spes suas omnes in Virgine MARIA sitas habuerit, eiusque opem in aduersis implorarit, qui non eius auxilium senserit, & pro votis inde emerserit. Iure igitur nobis licet, hæc sapientis verba in eius laudem vsurpare, & fidenter cum ipso dicere: *Eccl. 2.* *Respicite filij nationes hominum: & scitote, quia nullus sperauit in Herà, ac Dominà nostrà, & confusus est.* Fingamus animis, omnes Virginis huius cliẽtes e tumulis suis, atque inferis excitari posse, quærique ab ipsis, redierintne, toties ab ea exoratores, quoties ad eam oratores venerunt in vita, pressi necessitatum violentia; quis dubitet, vno omnes ore, ac voce responsuros, conuersis ad eam vultibus, illud D. Bernardi, *B. Ber. serm. 4. in Assumptione.* *sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui inuocatam eam in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse.* Addamus huic miraculũ non minus mirabile, ac potens ad veritatem dicti huius confirmandam, deceptum à me ex libro, cui titulus, *Scala cœli.* Fuit aliquãdo fœmina quædam pia, genere, ac virtutum meritis illustris, & Virginis MARIÆ cliens deuotissima, cui vnicus erat filius, quem iã ætate maturũ inferere statuit familiæ magni cuiusdam Principis, cui maritus quoque suus ætatis partem maximam seruierat liberaliter. Vt fuit ille in procinctu, iam iamque ad illum abiturus, seduxit eum pia mater, sicque solitarium affata est. Quandoquidem (fili mi) iam tempus instat, quo à me auellendus es, rogo te, & iure meo, quod mihi in te cœlum, naturaque concesserunt, tibi impero, vt vinas Deiparę pius cliens, eius opem implorans, quotiescunque vtere morosiore fortunà offerens ei diebus singulis semel, vt minimum, salutationem Angelicã, cùm hac præcula comitatam: *O Virgo beata me hora mortis suscipe, & adiuua,* quòd se facturum recepit ille non inuitus. Et certè degens in Aula inoffense præceptum illud matris suæ obseruauit. At verò, vt est adolescẽtia ferè procliuis in libidines, vitamque solutiorem, facileque imbibit colorem peregrinum, ac mores eorum, quibus sæpè cõuictitat, ephebus ille adolescentulus, vsus familiariter nebulonum consuetudine, adeò exlex, legirupa, & infrænis esse, tamque insolenter viuere, vt breui totius Curiæ illius sceleratissimus publicè haberetur. Hoc genere vitæ offensus Princeps, & animaduertens, surdo se narrare fabulas, cùm eum officij admoneret, nec eum correptione vlla flecti in melius posse; ex Aula eum sua abdicauit, atque ex omni sua, quàm latè patebat, ditione iussit expelli. Impatiens miser tàm pudẽdæ eiectionis, desperatissimè se in sylluas abdidit, vbi quam primũ omnes regionis illius prædones eum sibi summum ducẽ vno ore adsciuerunt. Tùm maximè, tùm perditæ indolis suæ seriò edidit documenta, tùm animum appulit ad vitia omnia, barbarasque inhumanitates exercendas, nullum non immanitatis, violentiæ, ac feritatis genus indiscriminatim exercens, in quemcunque, qui fortè fortunà in manus eius incidisset. Aliquandiu sic ille grassatus est, sed ò Dei iustitiam? *procedis* quidem *lento gradu ad sceleratorum vindictã,* sed profectò *tarditatem supplicij grauitate compensas,* & cum magno fœnore, quasique quæstu, tantillæ moræ ipsorum in peccatis pretium soles exigere. Captus est tãdem incusator ille viarum, & viatorum captator, ac prædo, & manibus, pedibusque post terga reuinctis à Prętore loci in tenebras tetri carceris cõiectus est, qui & eum eo ipso, quo captus est die, nõ diu pastum, capitis damnauit. Miser furtim admonitus sententiæ iam in se latæ, cœpit miseriam suam deplorare, delicta detestari, penèque rabere, ac totus desperare, in mentem reuocans, quanto pudori, ac dolori consanguineis suis, ac imprimis misellę suæ matri futurus esset is nuntius, adeoque improperium infelicitatis suæ. Et ecce cùm maximè angeretur, vir procerus, crocei coloris, luteolus, ac subpallidus, adspectus terribilis, inexpectatò carcerem ingressus, promisit ei libertatem, & è carcere eruptionem, si tamen dictis eius omnibus obediens esse vellet. Sed quis igitur es tu? inquit, tũ illi adolescens, promisso tali paululum recreatus. Sum dæmon (respõdit teter ille homo) huc à Principe meo missus, vt te ad pileum vocem, ac libertate donem, si tamen mandatis eius voles parere. Cui miser, rebus omnibus

vitæ

vitæ postpositis, respondit: Quisquis sis, beneuole dæmon, beneficio isto me sic tibi deuincis, vt negare tibi, nil possim. Igitur inquit dæmon, agedum, nùc bone vir opus omnino est, vt iam iam eiures bona fide, & toto pectore IESVM Christum Redemptorem tuum. Vt ne hoc vnum pactis nostris obstet (ait adolescens) iam iam illum eiuro, & valere iubeo, nec alium deinceps Dominum volo præter illum tuum in me adeò vrbanũ, tamque officiosum. Factum benè respondit Sathanas, sed consequenter etiam nuntium remitte Sacramentis, atque omnibus Ecclesiæ ipsius beneficijs. Et hæc quoque eiuro, ait captiuus. Insuper, abdica etiam Matrem eius, & valere iube fauores eius omnes, omnemque opem, quam ferre tibi illa posset. Ad charum illud MARIÆ nomen adolescens ad se rediens, animoque repetens præceptum, quod dederat mater discedenti, & obtestationes, quibus fidem eius obstrinxerat in procinctu; sic excepit. Ah! Absit, vt patronam meam facillimam, & paratissimã ea iniuria afficiam, tamque parui faciam, vt penè gratis ob tantillum, quòd mihi supereſt vitæ, eã eiurem, cui me mea promissio, totque eius in me beneficia arctissimè deuinxerunt; imò verò contra, ei me totum offero, ei me totum dedo, & voueo: illa me habeat, seruetque (si tamen excipere deditiũ sibi dignabitur) obsequijs gloriæ suæ, vbique & semper seruiturum. Tùm dæmõ, cùm vim sermonis huius ferre nõ posset, summo cum pudore euanuit: captiuus autem illud prædò vehementer dolens, se adeò enormiter in verum Dominum suum peccauisse ingeminare clamores, & lugubres gemitus; & ad vltatum, ac commune miserorum peccatorum asylum sanctam, scilicet, Dei matrẽ confugere, oratione ferè tali eam mille tristibus singultibus interrupta affari: O sancta Virgo, mater misericordiæ, miserere mei miseri peccatoris, neque me à mitissima facie tua repelle. Non deprecor, neque vincula, aut catenas istas, neque mortis mihi iam paratæ supplicium, minimè gentium, quandoquidem delictorum meorum horror, tam tibi penè eripit iuuãdi licentiam, quàm mihi tollit id te præcandi audaciam, sed vnum hoc tantùm te rogo, vt à Filio tuo mihi impetrare digneris peccatorum veniam, & ipsa mihi adesse, atque opitulari, extremam animam efflaturo, quòd vnũ te semper orauí obnixissimè, ac summa animi submissione. Nox illa tota illi insomnis fuit, occupata his lugubribus, pijsque angoribus, & vt primùm illuxit dies, sacri silentiarij copiam petijt, in cuius fidam aurem integrę confessione sacramentali peccata sua transfudit, qua re peracta comprehenderunt eum satellites, & ad supplicij extremi locum eduxerunt. Toto itinere, infelix patritius continenter patronam suam inuocabat, cumque ad sacellum peruenisset, in quo stabat quoddam Virginis simulachrum acu pictum, oculos ad illud extulit, atque sic exclamans, vt cor illi, diffissum iri credi posset, dixit: Eheu! Ah! Spes peccatorum, adiuua me. Tũ stetit in pedes simulachrum, & videntibus vniuersis, caput ad suum clientem, sic eius opem implorantem, molliter inclinauit. Ille vt hoc miraculum vidit, Lictorem orat, vt sibi imaginem Deiparæ adire permittat, vt vel osculum religiosum eius pedibus gratitudinis ergo ob tantam humanitatem adfigat, orauit, exorauit. Mirabile dictu, simul ac se inclinabat ad exosculandos Deiparæ pedes, ipsum eius simulachrum, ò pietatem ineffabilem Virginis! manus prædonis apprehendit, ac sic tenuit, vt nulla satellitum, & sagittariorum vi potuerit inde auelli. Turba populi, vt hoc miraculi vidit, vna voce confertim axclamauit: *Misericordiam, Misericordiam, Gratiam, Gratiam*, atque ita voluerint noluerint lictores, ac iudices, vincula ei soluta sunt, sicque purè, pureque ab omnibus criminibus absolutus dimissus. Cumque omnem euentus illius, ac miraculi causam toti populo narrauisset (quo nomine plebs magnas gratias egit Deo, ac Virgini gloriosæ) in patriam ad suos reuersus est, vbi sic vitam omnem correxit, vt ex sententia omnium vitiorum, cuiusmodi fuerat hactenus, euaderet tandem epitome quædam charissimarum perfectionum, quæ animã Christianè religiosam decere possent.

Huius historiæ serie docemur vbertim, nunquam clientes Virginis Deiparæ, in rebus angustis, ab ea abisse proditos, aut desertos. Ipsa refugium nostrum est, præsidiũ nostrum, solatium nostrum, remedium laborum, afflictionum, atque angorum nostrorum. Itaque D. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, sic eam alloquitur: *Nemo salutem consequitur, nisi per te sancta Virgo; nemo dolorum vacuus, nisi te opitulante, Virgo purissima, nemo beneficio aliquo diuinitus afficitur, nisi te mediatrice, Virgo castissima; nemo peccatis absoluitur, nisi te patrocinante, Virgo quouis honore, ac laude dignissima.* Ecquem quæso sic nudum à Filio tuo, sicut te rerum generis humani vrit solicitudo? Quis nos maiore beneuolentia in aduersis tuetur? Quis citius nobis opitulatur, cùm tentationum tempestatibus agitamur? Quis ardentiori charitate excusat errores, ac lapsus nostros, aut iratum nobis Deum conciliat, & curat à pœnis meritò infligendis absolui? *Itaque* (pergens sanctus ille Patriarcha ait) *ad te confugiat quouis afflictus, oculos ad te conuertat, quisquis undis furentibus huius miseriarum Occeani im-*

Vt quidẽ certo ex Gallicis

impetitur; ad te (inquam) *vt ad Septentrionis conſpectum, aut Cynoſuræ, aut Caſtoris, ac Pollucis, & ſi quod eſt aliud aſtrum vſquam nauigantibus beneuolentius; eius enim ductus ſecuriſsimè, ac celerrimè ad portum optatum deferetur.* Hactenus Germani * ſententia. Hæc igitur doctiſsima oratio, vt quam paulò antè commemorauimus, ſatis (opinor) probat tertium hoc priuilegium, quo clientes Deiparæ ardentiores frui prædicamus. Ergò ad quartum quoque veniamus.

Galli Italizantes vocãt tramontane.

Sic verſa ex Gallicis.

PRIVILEGIVM QVARTVM.

Clientes Virginis vti eâ Patronâ in Cœlis fideliſsimâ.

REuera magnum eſt miſerarum viduarum, pupillorum, orphanorum, & aliorum quorumcumque fortunâ nouercâ vtentium, ſolatium, ſi cum eis negotium pluſculi momenti in Curiâ gerendum incumbit, quod ad eorum, vel fortunas, vel vitam pertineat, Palatinum, ſeu Aulicum aliquem Patricium, ex cuius ore aures Principis, velut pendeat, habeant, quo amico, ac fautore ſecurè vti tunc poſsint. Quid verò ſi ipſa ipſiſſima Regina, Regum mater, eorum cauſam ſuſciperet procurandam, eoque ardore animi tueretur, quo ſuam ipſius, ex qua eardo fortunarum eius penderet; quàm eſſet (putatis) plenius, ſecuriuſque eorum gaudium, à tàm ſplendido patrocinio? Quanto magis nobis fungis proiectiſsimis, vilibus ex argilla opuſculis, & deplorandis Euæ poſteris, quantò magis (inquam) nobis exultandum, iam certioribus factis, nobis in Cœlo apud Deum Patronam eſſe, qua vti poſsimus, quæ ſit & Regina, & ipſius Dei Mater? Ibi illa nos defendit, ſuſcipit noſtrũ patrocinium, ſalutem noſtram curat, per quam diligenter, nihilque tandem omittit, quod faciat ad ſupremum illum Iudicem noſtrum ſerenandum, ac nobis conciliandum. O tutã ſpem miſerorum peccatorũ! Eſt profectò, eſt verè Aduocata apud Deũ noſtra, Illuſtris illa cœleſtis Curiæ Heroina, talemque meritò indigitamus hac pulchra emphaſi verborum, *Eia ergo Aduocata noſtra, &c.* Omnia enim generis noſtri negotia maximè ſeria eius fidei commiſſa, ac in manus eius tradita ſunt; ex quo fit, vt meritò de fœlici cauſarum noſtrarum exitu optimè ſperare debeamus, nixi ſuppetijs Heræ tàm potentis, quod admodum eloquẽter cõfirmat magnus ille Caſsianus: §. *Tota*, inquit, *ſalus humani generis ſita eſt, in multitudine gratiarum, ac fauorum Virginis MARIÆ.* Eccleſia, & communis ſanctorũ opinio Virgini adſcribit certa epitheta honorifica, quæ indicent eam curam ad Deiparam pertinere, & quibus non poteſt non vehementer animus noſter recreari. Vocat eam *Matrem peccatorum; matrem miſericordiæ; ſpem noſtram communem omnium, atque aſylum; mortalium Aduocatam; necnon Redemptricem, Pacificatricem, & inter Deũ homineſque ſequeſtram, ſeu Mediatricem.* Et reuera, an non experientia ipſa docemur, Chriſtianos omnes in eam oculos conuertere, ab omnibuſque vno cõſenſu ſanctum eius nomen inuocari? Viatores eam indigitant *matrem ſuam*; pupilli *tutricem*; ægri *medicinam*; Nautæ, & quicunque in mari verſantur *portum ſuum*, criminibus coop erti *patronam ſuam*; Viatores, & errantes *ſuam ducem*; captiui, & vincti *liberatricem*; deſerti *præſidium ſuum*; deſperabundi, *ſpem ſuam*; afflicti *auxilium ſuum*; oppreſsi *ſolatium ſuum*; vno verbo, nemo non hominum eam nominat, & confitetur *Vnicum Aſylum miſerorum, & ſcopum communem, atque vſitatiſsimum omnium votorum, ſingulorum Eccleſiæ Chriſtianæ filiorum.* Nemo non ad eam adſpirat, ipſamque ſuſpirijs amanter fatigat: omnibus certò conſtat, eam poſſe, quidquid velit; *ſi libet, licet*; nihilque ei tàm adlubeſcere, quàm beneficijs nos plurimis, & maximis afficere.

Itaque, cuiuſuis conditionis homines ad eam agminatim recurrunt, vti ad cumulum omnium cœli theſaurorum; vti ad vberrimum, verumque fontem gratiarum diuinarum; vti ad portam, quæ nunquam ſoleat fruſtrà, infructuoſeuè pulſari. Denique in medijs ſyluis, in ipſo maris profundo, in ipſo ferali, & mortis lectulo; imò, & è ſcalis, & malis crucibus, collo iam infamibus torquibus, & laqueis inſerto; & tergo, inſtante, vt agat agonalia ſua infauſta, lictore, quicunque eius opem congruè implorarunt, manum eius auxiliatricem ſenſerunt, & periculis certiſsima, & extrema malà minitantibus, miraculo magno eruti ſunt. O dulciſsimam, fidamque proiectorum, & miſerorum peccatorum Aduocatam!

In magno illo Tribunali, cui præſidet Rex æternus eius Filius, non interquieſcit, ſed indefeſsè pro nobis, importunè Iudici ſupplicat; neque aliter eſſe poteſt, quin ritè officio illo perfungatur, quandoquidem. §. *in eam vnam confluxerunt* (vt inquit pius, ac deuotus Doctor S. Bernardus) *tres illæ conditiones, quibus pollere debeat optimæ notæ Aduocatus. Vna, vt authoritate, ac fide valeat in Curia, vt Principe, aut Iudice beneuolo vtatur. Altera; vt muneris, atq; artis ſuæ peritus ſit. Tertia, vt benè velit cauſæ, ac iuribus clientum, & cũ fide ac ſedulò agat, quod agit, digne dicere.* Quæ ſit Deiparæ apud Filium authoritas velle pro dignitate eloqui, res eſt viribus, non modo calami huius mei hebetiſsi-

§. *Viuer to ex Gallicis*

§. *Viuer to ex Gallicis*

tissimi altior, sed etiam omni facultate humana, Angelicaque superior. Huc creaturæ vllius vires ire nō possunt. Satis ergo sit (ne arrogātiæ, & ausi alicuius Phaetonthæi notam incurramus) dicere, instar omnium rationum, & probationum omniū vice, ipsam esse Matrem Dei, ac Iudicis; eamque illam vnam dignitatem necessariò concludere, ei vni in ipsum, & de ipso omnia licere, minimumque eius nutum, & ocelluli nictationem, quasi officij admonētis deuincere, imò vero, & cogere Iudicem, ita omnino dicere, pronuntiare, ac facere de nobis, vt ipsa velit, *Pete, Mater mea,* (ait illi) *nec enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Et verò etiam Ecclesia Catholica eam orat, vt matrem gerat pro nobis apud charissimum Filium suū materna authoritate supplicando: *Monstra te esse matrem,* (dicimus) *sumat per te preces, q i pro nobis natus, tulit esse tuus.* In nostris Litanijs quotidianis, ter eam oramus, vt pro nobis intercedere dignetur, vt pote quæ apud Sacrosanctam Trinitatem vna, ac sola Diuos omnes authoritate, ac fide antecellat. Gregorius Nicomediensis in sermonibus suis de Laudibus Virginis eam vocat *Omnipotentem, vbicunque patrocinetur.* Et Petrus Damianus eā adloquens ait: § *Verè, ò Virgo, fecit in te magna, qui potens est, cum tui iuris omnia esse voluit tam in hoc, quàm in altero seculo, adeò vt desperatissimos quosque possis consolari, certa futuræ beatitudinis expectatione. Ecqua enim in re, aut posset, aut vellet suffragio tuo refragari omnipotentia illa, quam tu quondam carne vestita?* Et prosequens S. Doctor: *Accedis* (ait) *Virgo speciosissima ad sacrum hoc altare reconciliationis humanæ, non instar ancillæ supplicis, vt plebs cætera Diuorum, sed instar imperiosæ Matris, quæ iure illo suo præscribere Filio suo videtur, quidquid petat.* § Hactenus Damianus.

Sed nec altera boni patroni conditio illi deest. Nam capacissima sanè est gerēdi muneris illius, nempe omnium, ac singularum necessitatum nostrarum scientissima, vt de ea meritò dici possit: *Scit mater vestra, quia his omnibus indigetis.* Creberrimè igitur eā inuocemus, vt clementem Dominam nostrā, matrem indulgentem, & fidelem Aduocatam, pijs istis, ac religiosis verbis: *Salue Regina, mater misericordiæ, &c.* Et deinde: *Eia ergò aduocata nostra, &c.* Quidam sancti viri, & fide digni viderunt aliquādo, dum hoc canticum Claustrales modularentur, & verba ista nouissima proferrent: *Eia ergò aduocata, &c.* ipsam Virginem tùm Filio suo adstitisse, ac reipsa causæ eorum coram ipso patrocinatam. Tractemus paulò apertiùs exemplum à me depromptum ex Chronicis Fratrum Prædicatorum, qui vni maximè omniū se eius esse clientes profitentur. Fuit quondā in ciuitate Massilienſi fœmina quædam nobilis valdè pia, & dotibus præclarissimis, quæ verò Christianam animam deceret instructissima. Ea aliquando cùm esset in templo Fratrum Prædicatorum sub Completorij finem, & illi more maiorum confluentes cantarent Antiphonam *Salue Regina* in Rosarij sacello, sibi erepente erepta, & extasim passa, quatuor vidit planè notatu dignissima; vnum: Cùm religiosi illi viri canerēt, *Spes nostra salue,* vidit illa Virginem ipsam vicissim adspectu blandissimo eos resalutantem. Alterum: cùm dicerent, *Eia ergò Aduocata nostra,* animaduertit, eam filio suo caput inclinasse specie supplicantis, nomine ipsorum: Tertium, cùm pergerent, dicentes, *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte;* notauit, & ipsam in eos dulces, & placidos oculos contorsisse. Quartum denique: cùm ad pia illa verba peruenissent, *Et IESVM benedictum fructum vētris tui nobis post hoc exilium ostende,* vidit Aduocatam illam benignam offerentem omnibus illis religiosis hominibus, cuilibet sigillatim, alteri post alterum, filiolum, qui illi è collo pendebat, velut amplexandum, ac deosculādum. Vt verò ex beatissimo illo raptu ad se redijt mulier, sacrarum Confessionum suarum auditori viro literato, discreto, & summi iudicij narrauit cum multis lachrymis iucūdissimum illud suum spectaculum. Igitur hoc exemplo, quasi illecebra potenti, adducamur, ac pertrahamur ad cultum iustum tam officiosæ Aduocatæ liberaliter exhibendum, crebroque ei canticum illud admodulādum, quo sic delectatur, & quod tam luculentis signis testatur, sibi esse iucundissimum.

Tertium, quòd in patrono numeris omnibus absolutò vere desideratur, est vt bona fide accuret, quæ eius fidei sunt commissa. Capere animo profectò, integrè non possumus, qua cura, & qua fide Mater Dei causas nostras agat in Curia cęlesti, vt victores Lau reatique euadamus; re autem ipsa possumus quàm maximè effecta diligentiæ ipsius experiri. Habet illa abunde, quidquid Patrono perfecto iure à quoquam optari possit. *Nō deest MARIÆ authoritas, aut potestas* (§ ait deuotus Bernardus) *habet & vim impetrandi: & tàm id vult, quàm quod maximè, quia mater est misericordiæ.* Eam huc cogit officij suscepti ratio, tueri scilicet, & summa fide curare salutem nostram, quandoquidem (sese Iurisconsultorum) Patroni, siue Causidici cuiuscunque munus ineluctabile est, causam illam Argiuè (vt sic dicam) osculatissimeque defendere, cuius semel suscepit patrocinium. Hoc agat, aut hoc non sit. At qui fieri possit, vt celsissimæ huic

Cœli

3. Reg. 5. 2.

Hymn. vespert. de Beata.

Ex Bre. Rom.

§ Vt ver to ex Gal licis.

§ Vt iver to ex Gal licis.

Mat. 6.

Ex Bre. Rom.

§ Vt ver to ex Gal licis.

Cœli, Terræque Augustæ non sit curæ tanti momenti negotium, quanti est salus nostra omnium, cuius in nos summa est, & charitas, & clementia? Aut quo modo non quàm studiosissimè ea Patronæ munere perfungatur, quæ non modò Patrona nostra est, sed & mater beneuolentissima tam nostrùm omnium, quàm Regis, seu Iudicis ipsius, apud quem continenter, atque indefessè libellis supplicibus actitat pro nobis. O rem dictu, captuque mirabilem? vt eadem fœmina mater sit tam Regis, quàm exulis; tam Iudicis, quàm Rei; denique tam Dei, quàm hominis! Ecqui ergò pati possit illa inimicitias vllas, aut turbas inueterascere vtramque prolé suam? Quis credat, eam non totis viribus collectis, & agmine facto adlaboraturam, vt alterum alteri conciliet, & faciat vtrumque vnum? *O beata Virgo* (* ait iterum idem D. Bernardus) *tu mater es Regis, & exulis, Iudicis & supplicis; Numinis, & hominis; mater igitur vtriusque, ferre omninò non potes, nec debes, vt discordent.* Igitur, quà Patrona nostra est, huc irrequiete incumbit, vt iustam Filij sui in nos iram leniat; vt eos illi conciliet, & amicet, qui eius opem implorant, seque ei cum suis totos tradunt. Cuius rei fidem facit exemplum hic adiunctum, quod Ioannes Grithius Ordinis Fratrum Minorum, Author doctissimus, ac bonæ fidei sic narrat. Fuit aliquandò (inquit) miles valdè impius, & totus sceleribus coopertus, insignis prædo, omnis honoris, ac iurium diuinorum, humanorumque contemptor, rediuiuus Mezentius; denique famosus verbero, & omni genere impietatis celeberrimus. Huic tamen, ò felicitatem perditi furciferi! contigerat beneficio Dei vxor virtutis studiosissima, & Cœli Reginæ cliens addicta, quæ in maritum opportunè, importunè solicitando, tantùm potuit, vt ab illo eliceret votum solenne interpositis sacris de colenda Virgine gloriosa, esurialis feriæ quolibet Sabbato obseruatione; & recitatione, vel vnius duntaxat salutationis Angelicæ (*Aue MARIA*) quoties ei videre contingeret Magnæ illius Diuæ imaginem. Dictum, factum, & certè voti reus, votum quoque integrè soluit. At malum! nihil tamen remisit consuetorum scelerum. Cõtigit quodam die, vt victus acutis, & quasi canicularibus caloribus, qui tum fortè fortuna erant mordacissimi, templum ingrederetur, non religione, sed studio vmbræ (vt fit) ac refrigerij, vbi visa Virginis imagine mox ruit in genua, vt voto à se emisso faceret satis. Vix corpus curuauerat, & terram genib⁹ attigerat, cùm ecce Virginem ipsam vidit altare occupantem, vnaque carum filium eius, illi de collo in sinu pendentem, *lacerum crudeliter ora,*

Ora, manusque ambas: *Laniatum corpore toto.* *Virgil. 6 Æneid.*
Nec quicquam nisi vulnus erat; cruor vndique manat; *Idē ibi Ouid. l. 6. Metā. de Marsya decoriato.*
Detectique patent nerui, trepidæque sine vlla
Pelle micant venæ: salientia viscera posses,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.
peneque *ossa* ipsa *dinumerare.* *Psal. 21*

Ille tàm miserando spectaculo sic est territus, vt mox ad Virginem accederet, eamque pia audacia sic affaretur: Dic mihi (quæso) Heroina, ac Domina mea: ecquis adeò insolenter Filium tuum Dominum meum excepit, ac violauit? His à te, cæterisque omnibus peccatoribus plagatus est (excepit illa indignanter, ac contemptim) qui nullo non momento in eum iam regnantem sæuitis acerbiùs, quàm Iudæi ipsi, qui olim eum in malam crucem egerunt adhuc mortalem. His verbis sibi redditus prædo, in seque descendens, & acri dolore de peccatis suis perculsus, oculis lachrymantibus, & ore suspiriis intercluso ita respondit. Agnosco, Virgo sacra, infitiari profectò non possum crimen, cuius me accusas, proh dolor! Ad te oro, & per omnia tibi charissima, supplex te obtestor, & à Filio tuo, quem geris, & præsentem video, mihi impetres eorum veniam, atque amissiam, seu obliuionem sempiternam; ego autem do tibi fidem, ac testor; me deinceps erga eam tam pium fore, ac religiosum, quã fui hactenus illi hostis capitalis, ac pertinax. Vos peccatores (ait tùm Virgo) me misericordiæ matrem vocatis; qui tamen interim continenter me facitis omnis mœroris, ac doloris matrem, vt iam libeat surdis auribus in posterum erga vos esse, neque magis flecti dolosis vestris orationibus, quàm Marpesia aliqua cautes. Ah! mitissima Heroina (inquit prædo, ingeminans suspiria) absit, quæso, vt ita statuas, ac pronunties; at memento, te peccatorum esse patronam, officijque huius iure cogi nomine ipsorum, apud Deum supplex esse, atque ideò, & pro me, qui vnus peccatores omnes longè vici nequitia, maximeque egeo opis tuæ. Tum victa pietate Virgo, oculos iam placidos ad Filium suum conuertit, ac sic eum orauit. Ah! parce, fili mi, parce huic miserando peccatori, qui tanta submissione tibi supplicat. Excusa, mater mea, repulsam; (ait Filius) enormiora sunt eius crimina, quàm vt tàm facilè veniam eorum à me impetret. Illa verò ardentissimè cupiens salutem illius miseri, tùm cœpit eum orare iterumque per quidquid potentissimum esse censebat, ad abducendum à dura sententia Filium; cùmque tandem eum immotum, & inflexilem experiretur, surrexit, stetitque in pedes, & eum è collo depositum in altari molliter locans, iam genua corã illo flexura

** Vt vertoexGallicis.*

vide-

De altera conditione, quâ ornatos esse decet clientes Deiparæ Virginis, nempè Castitate.

Bone Deus! Si Deiparæ illius Virginis clientes illi tam chari fiunt, nomine modestiæ, seu humilitatis, quam colunt; quum forè putamus, si modestiæ illi suæ heroicam quoque virtutem castimoniæ, qua redditur animus pulcher, purus, & mundus ab omni macula impudicitiæ, adiunxerint? Quanto meliore loco apud eum futuri sunt? Quanto arctiore amicitia, ac beneuolentia eos complectetur? Quouis momento temporis dulces, benignique eius oculi in illos amantissimè defigetur, doniſque cœli inexhaustis affatim cumulabuntur. Humilitas, & virginitas, virtutes duæ sunt, quæ in Heroina, ac Principe istâ cœlesti maximè effulserũt. Beata illa Virginitas, quam Humilitas exornat! Felix Humilitas, quam & Virginitas commendat. Humilitas exornat Virginitatem, quâ excludit ab ipsa omnigenâ Præsumptionis vanitatem; Virginitas commendat Humilitatem, quâ prohibet, ne veniat in contemptum. O pudicissimam Virginẽ! En tibi euidens Virginitatis eius testimonium:

Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum nõ cognosco?* Et ecce tibi mox aliud Humilitatis

Ibid. ipsius: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quàm pulchra coniunctio, & velut cõnubium qualitatum, hoc est, Humilitatis virgineæ, & Virginitatis permodestę! O virgo Mater Dei Augustissima! O mater Ancilla Dei modestissima! Quid altius esse potest Matre Dei? Et quid proiectius, quàm se ancillam tamen Domini venditare? *Hæ sunt venustates, hæc monilia, & ornamenta pretiosa* (inquit glorioſus ille Diuus Antonius) *quibus illectus est Filius Dei, vt ventrem illum virgineum eligeret, in quo carnem humanam sibi indueret.*

Igitur mulieres omnes studioſos pudoris, & verecũdiæ, decet imitatrices esse gloriosę huius Virginis, Virginũ Primatis, vt quę sub aquilis eius militent, & illam caput, ac ducem sibi præfecerint. Ipsa enim fuit, quæ prima Virginitatis signum extulit, quæque vna ante omnes voti perpetui, & indissolubilis religione sese illi coram Deo obstrinxit, & prima iter illud aperuit tot pectoribus generosis, ipsum deinde cõsequutis. Ipsa prima pretium eius intellexit, quandoquidẽ tanta religione eam coluit (inquit S. Anselmus) vt eam vouerit, & eam coram Deo custodierit, eo zelo, ac religione, quæ nihil minus, quàm fœminam mortalem redoleat. Nã nomen matris, nihil gloriæ virginitatis derogauit, imò verò etiam illustrauit, ac reddidit mirabiliorem, & solito diuiniorem velut maritans flores pudicæ Virginis, fructibus fœcundæ Matris. Itaque meritò Virgo virginum indigitatur, vt quæ caput, ac dux virginũ fuerit, & author formulæ vitæ oculis omnipotentis multo iucundissimæ.

O terque quaterque beatas virgines, quæ spreta secularis pompæ vanitate, & spiritu Dei agitatæ, voti perpetui religione virginitatem suâ Filio Omnipotentis consecrãt; quia præterquã, quod inquietudinibus illis, quibus vulgò nuptę intricãtur, viuunt extricatæ; etiã solatio, & serenitate quadã incredibili mentis perfruentur, quæ res summa huius vitæ beatitudo est, & omnibus votis expetenda. Libet referre, quia hùc pertinet, pulchrum Nerei, & Achillei in Laudẽ Virginitatis colloquium, cum Domitillà hera sua, Imperatoris Domitiani nepte, quę paulò ante eorũ hortatu, nomen dederat Christo. Hi cùm animaduerterent, Domitillam multum pecuniæ, temporis, ac curæ ponere, vt pulchrè compta procederet; aliquando eã sic ferè affati sunt: Si tanta cura studeres, ò Hera, mentem cohonestare virtutibus, quãta ornas corpus, & expolis vanis istis, & friuolis cultibus; tantum vt oculis vnius Aureliani tibi despõsati placeas; haud dubiè magnam inires gratiam apud IESVM Christũ, qui te sibi spõsum assumens, perpetuus tuus custos esset; imò venustatem ipsam tuã, quã vel lapsus temporis, vel mors ipsa mox vastabit, efficeret venustiorem. Illa tùm, vt adhuc simpliciter, & ex carnis mundique dictamine, vitam instituebat, nondumque satis Christianæ perfectionis præceptis imbuta; respondit eis, nihil in vita mortalium beatius, aut glorioſius esse iusto matrimonio, vtpotè quod abundet (inquiebat illa) bonis omnibus, honoribus, ac beatitatibus. Ah! Hera mea, (inquit tùm Nereus) oculos defigis in labiles ventosæ huius vitę voluptates; at non dignaris oculos conuertere, & vel limis intueri delicias vitæ sempiternæ, perennes illas, & nunquam interituras. Consideras tu quidem voluptates matrimonii comites, sed oculos claudis, & conniues, ad tot onera eius, & quæ vulgò illud circumstant incommoda. Hoc illud est, Hera, de quo te velim seriò ante cogitare, quã iacturam facias illius boni, quod semel amissum dari non potest; vt vnquam recuperes. Ecquod verò bonum illud est? inquies. Libertas est, (inquam) quæ tibi peribit nuptum transeunti; & pulchrum illud nomen puellæ, ac Virginis; quoniam è libera, cuiusmodi nunc es, mancipium fies viri alienigenæ, & ignoti, qui minima zelotypia agitatus prohibebit, ne consanguineis, proximis, & alijs multò tibi charissimis vtaris familiariter; teque tandem tam duriter habebit, vt dubitem, vtrius beatior conditio

rio sit, captiui miseri, an tua. Nereu (respondit tum illa molliter subridens) an regulæ tuæ tam sunt latæ, ac generales, vt nullam exceptionem patiantur? Zelotypia profectò (scio) morbus ferè virorum est, & experimentis ipsius matris meæ, perquàm diuturnis plùs satis edocta sum, ita esse, vt alieno eius vnius dolore discere possim, carere meo: veruntamen non ideò consectarium est id morbi adeò fatale, ac necessarium viris esse, vt Proceres, & qui in viris excellũt, immunes illius, intactique esse non possint; adde pulchram Aureliani mei indolem, vadis optimi, ac certissimi loco mihi esse posse, nunquam id infelicitatis ab illo me passuram, quam mihi tam sinistrè præsagis. Tũ Achilleus excipiens: O Hera, vide ne temere credas, sic fore: quin potiùs etiam omnia tuta time. Adolescentuli enim isti comtuli, & amatores, vt vel tandem in casses eorum præda, quam sectantur, incidat, sibi ipsi imperant, sibi vim faciunt, simulant, dissimulantque omnia, & arte quæsitam lenitatem ostentant; at simulat indagine circumuenta est fera, & capta, laruam exuunt, & ad ingenium suum acerbitatemque redeuntes, desinunt lenocinijs hactenus frequentatis vti, indolem vxorum bonam, atque humanitatem suspectam habent, ipsis sunt iniurij, minaces & toti Æacidini, ac sæpè etiam percussores. Finge tamen nihil fore huiusmodi talia omnia à mariti moribus abfutura quã longissimè; ecquod tandem lucrum, aut cõmodum, quod vel tanti sit, mulieri à consuetudine cum viro accidit? Si pateris, breuiter dixero. Gestare scilicet nouem totos menses vterum cum ingenti fastidio, & grauidam esse cum grauedine, cum nausea, pallore, macie, debilitate membrorum, & cordis deliquijs, languore, & perpetuis doloribus, ac ægri partus, timoribus. Sin thalamus est infœcundus, bone Deus! quæ tum mœstitia! quàm capitale tædium! Sit verò fœcundus, quot tùm periculis obijcitur vxorum valetudo, imò & vita in ipso partu! Quot enim matres vitæ vsuram perdiderunt, dum eam paruulis suis conferunt? Quantis laboribus lactantes lactat, & educat: Quam timet eorum mortem? Quam discruciat deinde infelix pariendi exitus, per ingratitudinem, ac rebellionem liberorum? Taceo, quàm anxia sit puellarum educatio, institutio, & dignè commodeque desponsandi solicitudo; dicam dumtaxat, quoties, & in quot malas cruces agant proles masculæ illos ipsos, quibus id debent, quòd nati sunt. Quanto maior est numerus eorum liberorũ, quos diris deuoueat ipsi eorum patres, matresque sed, & mortuos optent, solatij sui studio, & tot angustiarum tædio, quàm eorum, quorum parentes vitam verè ament, amore so-

A latij inde sui? Imò quod longè est deplorabilius, quàm ingens est eorum liberorum numerus, quos vident parentes probrosè in malam crucem agi, magno gloriæ suæ domesticæ, ac fortunarum detrimento? Quam multi tandem, quorum calamitates infortunati, rerum successus mutat sperata matrum solatia, in mera tormenta; gaudia in mœrores: risus, ludos, & iocos, in lachrymas, & suspiria? Sic ille. Ac tum Nereus, compositis in formam crucis brachijs, oculisque in cœlum porrectis, more extasim patientis ab admirandæ, alicuius rei contemplatione, adiecit: O quàm beata res Virginitas, cuius vnius studium pro asylo est, à miserijs istis vniuersis, quæ animam sui cultricem Deo vnit, & velut maritat! O thesaurum diuitè, & nulli secundum, cuius neque possessio satis æstimari, neque iactura potest reparari! O amorem diuinum, & robur humano altius, quo freta simplex muliercula, generosè superans vsitatam sexus fœminei infirmitatè, resonat carnis cupidinibus, appetitionibus noxijs imperat, de Mundo, de Morte, de Inferis debellatis triumphat, & coronam in cœlis obtinet, quæ tales decet. Hæc & his similia duo isti famuli dicebãt Heræ suæ, quæ cælitùs illustrata prudenter ipsis fidem habuit, seseque deinde in perpetuam IESV Christi sponsam consecrauit, cuius etiam amore, non ita multò post, virginitatis palmæ coronam Martyrij adiunxit.

Cæterùm, notandum est triplicem castitatem in Ecclesia celebrari, & in cuiuslibet earum cultu, ac studio posse quemlibet perfectum esse, & Deiparæ Virgini acceptissimum.

Vnam vocant coniugalem, quæ est, cùm maritus, & vxor ritè officijs quisque suis perfunguntur, ad quæ eos inuicem vocat sua fides, & iura matrimonij.

Altera, est castitas vidualis, quæ est, cùm mulier à vinculis iugalibus, & lege viri iam absoluta, deinceps perpetuam colit continẽtiam, estque hoc genus castitatis, vel D. Pauli censura, superiore excellentior, qui viduam hortans, vt sic perseueret, ait: *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* 1. Cor. 7

Tertia, est Virginalis, quę duas illas gradu, meritoque longè antecellit. Ea illorum est dumtaxat, qui deuota Deo sua virginitate, corpore, animoque impolluti, ab omni impudicitia perseuerant. Quàm est, Deus bone! virtus illa illustris! quæ placet Beatæ Virgini, quę eam omnibus honoribus, ac sæculi huius voluptatibus prætulit!

Quandoquidem igitur quælibet trium horum generum castitas laudatur, ac Virgini Deiparæ vehementer placet; agedũ dent operam clientes illius æquè omnes, Virgi-

nes,

nes, Coniugati, Viduæque vt puritatem colant, quantum fert, ac flagitat Ordo cuiusque. Maximè verò aduigilent, & (vt hic dicam) perpetuo sint in armis, vt fortiter repellant insidias illas, quas nobis noctu, & interdiù struunt aduersarij nostri, quod à nemine omninò, non dico sciri, sed ne animo quidem fingi, aut concipi possit, quot fraudibus, atque insidijs illi emitantur, vt nos in venerem inconcessam, & peccatum aliquod carnis pertrahant. Nam in hoc genere belli maximè acres sunt, atque ardentes aduersus Christianos, quod his verbis nos clarissimè docet magnus Ecclesiæ pater S. Augustinus:

D. Aug. in serm.

Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis: nam ibi continua pugna, & rarior victoria. O quàm certum, ac Sybillæ folio verius est, nostrisque ipsorum damnis auctoratum, hoc apophthegma. Nam profectò præliū est irrequietum nullas, neque indutias, neque relaxationes admittens, & valde rara victoria.

Et verò, nunquid reipsa videre, atque experiri est, quantillus sit numerus generosè repugnantium, quàm ingens contrà est illorum effœminatorum, ac imbellium turba, quos primus impetus, ac solicitatio concutit, & arma de manibus excutit, & sub iugū brutarum carnis cupiditatum turpiter mittit. Non igitur est, cur valde miremur tantam ab hostibus nostris animarum stragem exerceri, easque magnis aceruis in æterna Inferorum barathra præcipitari. Quot, hei mihi! quot viri, fœminæque omnis ætatis, & conditionis, hoc vitio carnis illecti, cursu, & laxatis frænis feruntur in terribile illud supplicium armamentarium? S. Augustini oratio certè terrifica est, qua ait, pene mortales omnes exceptis paruulis, miserè perire, hoc genere peccati, *Exceptis paruulis* (ait vir ille magnus) *pauci adulti saluantur, huius vitij occasione.* Quis non hinc obstupescat? Quis non miretur, vnaque vbertim deploret mortalium cæcitatem? Verum enimuerò, vbi mihi sunt illi, qui se Virginis clientes venditat, & tamen etiam in luxibus suis, & libidinibus sensuum ex legibus perseuerant? salutis suæ securi viuunt, quòd rosarium suum recitent, quòd Sabbatharijs ieiunijs Deiparam honorent, aut aliud quodlibet religionis opusculum eius amore exerceant. O mentes hominum cæcas! ò pectora cæca, & iudicij inania! Minimè gentium, minimè gentium: securi non sunt illi, sed vehementer falluntur, & immeritò sibi arrogant titulum tam splendidū Marianę clientelæ. Non sunt illi clientes Deiparæ, nō, sed hostes eius capitales, quòd tesseram gerant, & colores insignes hostis omnium, quo habeat Diua illa, o iosissimi, & capitalissimi. O quàm multi iam in Infernum præcipitati sunt, qui horum instar singulari quoque religione hanc Virginem colebāt, quod diuina monita ad ipsos eius interpellatione perlata, stulta salutis suæ præsumptione contempserunt! Nō ita, non ita. Si saluti nostræ certo consultum volumus, seriò parendum est diuinis adflatibus, ejciendæque procul ex animis nostris sordes illæ sensuales, & vita caste, pure, & innocenter instituenda est, sicque Heroinam hanc demerebimur, atque ita fiet, vt nobis, quàm optimè velit, eisque beneficijs nos afficiat, quibus solet suos liberalissimè.

Ad Castitatis autem custodiam necessaria est fuga omnium irritamentorum, occasionumque ruinæ ipsius, quod in hoc belli genere fugā vincendum sit. Qui enim nimis fideter amat periculum, vel tandem, quàm libet pede tardo, in illud incidit, ibique interit. Nemo vires suas cogitans, & superiorum temporum victorias animo repetens, fiat confidentior, atque audacior, cùm minimo occasiuncula satis esse possit; vt minime temporis momento omnem meritorum eius gazam, & gloriæ eius trophæa vniuersa, tot annis, ac sudoribus parta, prædo occupet, euertatque. Quin potius quilibet contemptis omnibus illis friuolis punctis honoris (vt alij vocant) vel vt nos, officij & vrbanitatis studijs, quæ Mundus occinit, prudēter declinet scopulos, & pericula sub speciosō prætextu latentia.

Multi enim in certum exitium ruerunt, ob nimium studium, obseruationemque similium, vel quòd non possent, vel quod nō auderent illa recti, & vrbani specie prohibiti, occasionibus peccandi valedicere. Fugiat, moneo, fugiat, inquam, quisque eorum respectum consortiumque, à quibus possit ad vitium illud plane detestandum prouocari, idque iuxta præceptum Domini ipsius nostri: *Si manus tua, aut pes tuus scandalizat te* (inquit) *abscinde, & proijce abs te.* Nam sibi pedem abscindere, oculumque expungere, & proijcere, non aliud est, quàm ea obiecta, occasionesque fugere, quibus possit vitiosa nostra libido, & concupiscētia inflammari. Omnes omninò castitatis serij amatores, & studiosi, quales fuerūt pleræque multæ virgines sanctæ, & cùm primis S. Brigida, non modò à peccandi occasionibus longissimè, studiosissimeque fugerunt; verum etiā Deo obnixè supplicarunt, vt se in deformes transformaret, & specie sui vultus pluriculè arridentem, & illecebrosam verteret in despicabilem, & fastidientem deformitatem.

Mat. 5.

Quinimò exemplis eorum abūdamus, qui studio certioris custodiæ virtutis huius heroicæ, suas ipsi facies deformarunt, & aliorum, quibus iucundius fuit pati, sibi vitam eripi, quàm castimoniam: cuius rei fidem facere

cere libet, producto exemplo, quod ex 19. cap. tom. 2. Chronicorum Ordinis Fratrum Minorum, à me hausum est.

Patricius quidam natione Burgundio filiam habuit adeò amantem, & seculam Deiparæ clientulam, vt à teneris annis virginitatem ei suam vouerit, Nymphula illa nobilis, & iuuenis, vt sortita erat animam bona, & bonæ indolis, sic toto corpore erat valde spectabilis, adeò vt omnium spectatorum oculos, animosque ad se raperet, accenderetque in ipsis studium adamandi, eique amanter ancillandi. Cum primis Patris eius, seu Scutifer, seu Armiger domesticus sic eam deperire cœpit, vt nullas non artes, vires que experiretur, vt ei se formæ illius amatorem esse persuaderet, si forte sic animum Virginis incedere ad amorem reciprocum posset. At, cùm etiam sic oleum, operam que perderet, & res pro votis non succederet; ab Amore improbo quo perditè agitabatur, consilium temerarium, atque impudens mendicat, & accipit. Cùm enim aliquando vidisset à Domino suo seruos omnes venatum abductos, solamque illam in arce relictam Heri sui filiam, aut dumtaxat aliquot adolescentulas, seu ancillas cubiculares illi adesse, quas tamen amator ille probè norat negotijs alijs destinari potiùs, quàm stare in filiæ herilis sida custodia; arbitratus se hic opportunissimam, scelerata omnia in virginem incustoditam audendi, nactum occasionem: & venantium cœtu furtim se subduxit, in arcemque redijt, vbi cùm eam, multùm diuque quæsisset, tandem in sacello (capellam vocant) invenit ad pedes imaginis Deiparæ Dominæ nostræ religiosè prostratam, quo impudenter irruens, oblitus, & quam appeteret, atque. Impeteret, & quo loco faceret, ac raberet, cœpit reditus sui causam ei aperire, eamque adiurare, tentare, agere lenocinijs, quàm potuit maximis, vt consentiret nequitiæ, quã ei (vellet) nollet parabat. Nobilis, & casta Virgo sic obstupuit, audita amatoris temeritate, atque ità perhorruit libidinosam supplicationem (puellula scilicet, ac talium periculorum inexperta) vt ad tempusculum immobilis, & omnis sensus expers fieret; sed mox, vt sibi reddita fuit, torum acerbumque præ ira intuens, & pudibundo fastidio vtens. Apage, inquit, impudens, apage, & apud alias pudoris sui, & castimoniæ minùs, quàm sim ego, solicitas, prode, & ostenta stultitias tuas. At, malum! vndè tibi hoc tantum insolentiæ? An vllum huc te meum dictum, aut factum indecorum incitauit? Procul hinc fuge, procul (inquam) à me si sapis; neque me stultis istis blanditijs tuis importunè obtunde, aut faciam, vt certò vitæ, & capitis tui periculo discas, quàm te deceat, mei similes reuereri. Totus ira expalluit infelix ille offensus, tam ferreo responso, ac repulsa, & extemplo feruidus ira, euaginans gladium, mucronemque iugulo puellæ obijciens, sic eam alloquitur est: Verbulo duntaxat hic opus, nõ amplius: ità statue, aut iam iam morti occumbere, aut amori meo succumbere. Vt ego amori tuõ succumbam cruciarie? respondit Virgo, vt tuæ libidini morem geram? furcifer, Ah! optè prius dilaniari millies, quàm sic pudorem meum sinam violari, aut consentiam faciens tam indignum in me admitti: consule tibi seriò (inquit tum amator ille Armiger) neque falsò puta, esse quidquam, quod à cæpto hoc me auocet. Excipiensque tum virgo, iam virago; Agedum, inquit, agedum, lodes barbare, id tantum age, ac deinde inter tuos iactita, à te proditorie heri tui filiam in ipsa eius domo, fuisse trucidatam imbellem, inermem, armatam tantum animo pectore, ac studio nihil consentiendi ferinæ, ac barbaræ huic tuæ libidini. Heroico igitur illo puellæ responso sceleratus iste sic exanimatus, sibique sic ereptus est, vt oblitus reuerentiæ, rerumque omnium vno ictu simul, ac semel caput ei gladio ex humeris decusserit, eaque sic prostrata, & exanimata, tremens, ac stupens fuga sibi consulerit, & in sui, seu patrui, seu auunculi domo, qui forte fortuna tunc Ecclesiæ eius loci erat Curio, asylũ sibi quæsierit, qui grauissimè tam fœdo facinore offensus, ei imperauit, vt loco occultiore, sic vnà locum indicauit, sese tantisper abderet, dum Missæ sacrificium, cui iam accinctus erat, absolueret, ac tumeius fugæ, ac securitati veriùs prouideret, Angelus interim arreptam obtruncatæ virgunculæ nostræ caput, sic corpori trunco aptauit, ac adglutinauit, vt nulla cicatrix, aut ictus vestigium remaneret, præter lineolam purpuream araneæ filo similem, adeoque tenuem, vt nisi proximè inspectaretur, videri non posset, quæ circum circa eburneum rediuiuæ Virginis collum remansit sufficiens tam memorandi prodigij posteris monumentum. Ea igitur sic vitæ, integritatique suæ restituta, in templum processit, Missæ sacris adstitura, quæ mœstus parricidæ illius, seu patruus, seu auunculus celebrabat, qui ab altari ad templi natum progrediens, votiuas ibi vt fit oblationes populi excepturus, ac præter spem omnem intuitus Nympham saluam, ac sanam, quo loco solebat, præsentem, stetit perplexus, & attonito similis. Hem, quid id est (inquiebat iterumque iterumque:) Illane sit forsitan, quam nepos noster, ille nimis nepos trucidarat. Est. Non est. Non fit mihi verisimile. Aliquis late terror; haud dubiè, diabolus hic fraus aliqua, qui vt nepotem huc desperationis præcipitaret, sic eum fefellerit, assumpta specie huius virgunculæ. Non tamen

Vide chronica Or. Mi. tom. 2. lib. 2. c. 19. fol. 65. B.

men ita secum disputans, sic animo satisfecit, quin sacris rite peractis, extẽplo ad Nympham, proprius accesserit, studio plenius indagandæ veritatis. Simulac igitur hac fini eam affatus est; illa ipsi narrat factum, vehemẽter plangens, & acerrimè exprobrans temerarium nepotis in se conatum, & stuprũ oblatum, ac maxime Dei Matrisque eius cõtemptum. Tùm tandem homo misellus adtonitus tam inusitati facinoris narratione, cœpit lachrymabũdus eam, per vniuersa illi cœlo terraque charissima obtestari, vellet nepoti suo tantam sceleris gratiam facere. Cui illa; facilè, quòd ad me attinet, inquit, libens volensque ignosco; at criminis læsæ Maiestatis diuinæ, cuius (vt ex me iam audisti) tam fæde reus est, gratiam facere iuris mei non est, multò minus à pœna, quæ illi grauissima parata est, absoluere. Si tu, quà potes, ignoscis (respondit tum bonus sacrificus) dubio procul, nec clemẽtissimus Deus indulgentiam est illi negaturus. Dixerat, & de repente Armigerum ex latebris prodire iussit, qui ad pedes grauiter læsæ virginis procidens, ipsisque oscula figens, & lachrymis spargens supplex veniam facti eam poposcit. Quæ statim iubens eum surgere eum affata est, eo vultu, qui tantæ iniuriæ veram amnistiam testaretur dicens. Amice mi chare, iam tuo, seu patruo, seu auunculo fidem dedi, dissimulare me, ac tibi prorsus factum ignoscere, me vnã spectat iniuria: testor tamen te, nisi mox digna pœnitentia emendes factum, & Dei sanctissimæque Matris contemptum vbertim expies; daturũ haud dubie, pœnas atrociores diuinitùs, quàm quæcumque possent humanitùs meritis tuis pessimus irrogari. Ah! Hera mea (respondit tũ ille, per quam reuerenter se gerens, & oculos rubentes, mersosque lachrymis leniter attollens) quàm vrbane, ac clementer mecũ agis, cui parum sit vitam dare, cuius tollendæ ius tibi fecit nequitia mea, nisi præterea me humaniter doceas artes eiusdem conseruandę! Verumtamen supplex te obtestor, vt eam gratiã gratia noua cumulare digneris, qua me non minùs, quàm priore illa tibi es deuinctura, nempe, vt quo mihi ore factam tam atrocis iniuriæ gratiam pronũtiasti, eodẽ & illo ipso actus, fructusque dignos pœnitentiæ mihi imperes, ac præscribas. Cui illa, quandoquidem ita vis, ac ius eus rei in me transfers, faciam quidem, sed sic, vt quę dicam, magis sint consilij, quã prẽcepti. Ego igitur author tibi sim, vtpote, quæ optime tibi velim, anxieque sum fœlicitatis tuæ solicita, vt des nomẽ Ordini Minorum, & ante omnia accuratissimam exomologesin facias omnium peccatorũ. Gratijs igitur per quam reuerenter actis, valedixit Armiger ille Heræ suę clementissimæ, nõ multò post,

A simulat omnibus sigillatim eius consilijs ad amussim satisfecit, militiæ D. Francisci adscribi se fecit, in qua eos fecit progressus, vt breui perfectissimis totius eius Ordinis militibus meritò posset æquari. Ex quibus videre est, quàm parata sit Virgo Deipara illis opem ferre, quos amor ipsius peruigiles custodes effecit rei pretiosissimæ castitatis, & quibus vitam potius tollas, quàm ipsos vities, aut corrumpas.

TERTIA CONDITIO.

Qua decet insignes esse Virginis MARIÆ Clientes, est Mundities, & Puritas cordis.

B Cùm beatissima Virgo speculum sit speciosissimum, ac splendidissimum, non Modestiæ tantum, & Castitatis, verum etiã Puritatis cordis nulli secundæ; nobis qui clientulorum illius nomine censemur; iure incũbit illud ipsum speculum indefessis oculis intueri, vt perpetuus trium illarum gratiarum, quæ in illa tam excellẽter emicant, adspectus, nos ad earundem amorem, studiumque excitent, imprimis ad munditiam animi colẽdam, vt quælit animæ perfectissima pulchritudo, & ornatus longè eminentissimus. Igitur Puritas cordis, nihil est aliud (Alberti Magni quidem sententia, quam vsurpat S.
C Antoninus) quàm separatio ab omni impuritate, quæ peccatum est, & accessio ad summam puritatem, qui Deus est, hocque ipsum est, in quo maximè vera animæ sanctitudo constituitur. Nam ea quo oculatius, & vberius ab erratis, & mendis repurgatur, hoc fit perfectior, & sanctior. Diuinus etiã ille vir Sanctus Dionysius, cùm sanctitatem definit, ait, esse perfectam puritatem, omnis peccati expertem, & nulla sorde fœdatam; quapropter verè pronuntiare licet, puritatem nihil aliud esse, quàm culpæ cuiuscũque immunitatem. Iam igitur pio Lectori cẽsendum relinquo, qua puritate nituit anima sanctissimæ Virginis Deipare, quæ vna, ac sola in-
D ter omnes meros Adæ filios libera, atque expers fuit omnis culpæ, non actualis tantũ, sed etiam originalis, & congenitæ, quandoquidem (vt ait D. Anselmus) *Decens erat, vt ea puritate, quà maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret*, quod profectò non esset, nisi egregiè illi à peccato originali diuinitus cautum esset. Nam quemadmodum Deus iam olim ab æterno constituerat, seu prædestinarat, illuc honoris, ac dignitatis eam aliquando prouehere, vt altiùs creatura vlla prouehi non posset; ita consectariũ erat, vt eam quoque tanta puritate, eoque virtutum globo decoraret, vt vberioris nemo capax esset. Ac profectò in eam vnam, ac solam plura Potentiæ, Sapientiæ, ac Boni-

D. Anſ. libro de cõceptu Virgin.

nitatis suæ munera globatim congessit, eam ornans, ac locupletans prærogationibus infinitis naturæ vsu altioribus, quàm contulerit reliquis creaturis sparsim, & per partes vniuersis. Et quidem oculis mentis plenè à quoquam cerneretur Virginis illius pulchritudo, & elegantia; appareret profectò Deus, in illius vnius virgunculæ adeò excellenti opusculo mirabilior, quàm in creatione, mirabilique structura partium omnium huius vniuersi, vt potè qui non nunc tam affectatè studuerit ibi dives, liberalis, ac potens videri, vt hic in exornanda, ac vndequaque perpolienda Deipara, sancto (inquam) illo miraculo Virginum. Nihil vnquam nisi purum, & incoinquinatum à purisDei manibus proficiscitur. Angelos puros, ac sanctos creauit vnà cum cœlis purissimis. Hominem quoq; purum, & sanctum ex terra puriore. Mulierem etiam ædificauit ex carne pura, & sancta, ossibusque Adami, quo adhuc dùm nil purius erat, aut innocentius. Ratio est, quoniam quò quidque est fonti puritatis vicinius, hoc etiam est purius. At *quid splendidius Dei matre* esse potest, *quam splẽdor elegit*? ait D. Ambrosius. Quid purius concipi animo, aut fingi potest illa ipsa, quam puritas ipsissima omnib⁹ prætulit? Quid clarius, aut tersius Nympha illa, quam ipse Dei Filius ex omnibus vnam decerpsit, quæse carne sua circumuestiret? Si huc processit bonitas Dei, vt creaturis nonnullis dederit nasci gratiosas, & peccati cuiusuis expertes, ò sublime donum! cur quæso, hoc priuilegij matri ipsius Collatoris denegetur? Quidquid gratiæ (affirmãt Doctores sancti) diuinitùs, collatum est cuicunque creaturæ, id omne in Dei quoque matre reperiri ius fasque est, & quidem multò vberiùs, atque excellentiùs, quòd dedeceat Matrem filijs inferiorem videri, Reginam clientibus, subditisque, & (vt vocant) vassallis suis. Si ergo Angeli, adeoq; Adamus ipse, & Eua, creati sunt gratia Dei dotati, & perfecta innocentia; qua fronte hanc Angelorum Augustam, & damnorum Adami, atque Euæ reparatricem, fraudare donis illis, & honoribus audeamus? Altius aliquid audeamus, & dicamus ab ea non solum æquari. sed vltrà quàm fingi animo possit, superari puritate atque innocentia mortales omnes fœminas, virosque omnes, Angelos, atque Archãgelos, & ipsos celsissimos cœli Seraphinos. Hoc illud est, quod ait S. Hilarius in hoc cum ipsa colloquio: *O Virgo*, inquit, *fœminarum beatissima, quæ Angelos ipsos vincis puritate.* Igitur, cùm ea sit sanctitas MARIÆ purissimæ, rectè à nobis colligitur, eam nulla vnquam macula fuisse contaminatam, imò ne vmbram quidem solam vllius erroris, aut imperfectionis in ipsa apparuisse. Porrò vitam eius immaculatam videamus animaduertamusque, in ipsa, velut in vero Dei ipsius conopæo, ac tabernaculo, ideam castitatis sedeã fixisse, formam honestatis, typum atque exemplar summæ puritatis, scholam virtutum omnium: virginem fuisse mente, & corpore, verè modestam, & humilem corde, in verbis grauem, in omni actione plenam prudentiæ: e cellula, ac Musæolo suo nunquam egredi solitam, nisi eam summa eliceret, aut extruderet necessitas: valdè sobriè, ac parcè vixisse, & morti, ac internecioni sensuum studuisse, sanctum pudorem semper in fronte gestasse, compositissimè incessisse, simplicem, & inaffectatum corporis cultum amauisse, in voce autem miram lenitatem; sæpè flesse, ridere vnquam nescisse; loquelæ fuisse parcissimam, nunquam otiosam: vix inueniri à quoquam potuisse, quin vel Librum aliquem, eumque spiritalem, & animæ salutarem in manibus haberet; vel oraret, raptaque, & semper exstasin patienti similis videretur, vnam ipsam, ac solam grauiori odio in peccatum arsisse, quã omnis simul hominũ globus, quantus quãtus sit, quòd limpidiore, & pleniore malignitatis eius cognitione omnes antecelleret, & præ cæteris intelligeret quanto *odiosit Deo impius, & impietas eius*: nullo *Sap.* 14. non temporis momento solita obnixissimè contendere, vt virtute, ac sanctitate omni floreret; deniq; honores omnes, dignitates, opes, & quidquid mundus iste miratur, ne flocci quidem faceret, vt cui iam indice Deo prænosse datum erat, fore se aliquandò Reginam cœli, & Augustam Vniuersi. Qui fieri igitur potuisset, vt peccaret aliquando, quæ tàm sapienter vitam instituebat, & erat animo tot virtutibus beato, totque diuinis dotibus exornato? Et vestram fidem! vnde putamus (inquit Dionysius Carthusianus) diuinos illos radios è facie Virginis velut è quadam meridiani Solis rota promicantes, quibus tàm gratiosa apud omnes, tamque spectabilis amabilisque oculis omnium intuentium euadebat, ortum habuisse; nisi ex pulcherrima animæ eius harmonia, atque ex splendore puritatis Beatarum omnium eius potentiarum? Et quidem tanta erat eius ipsius puritatis energia, vt solus eius adspectus (aiunt vnanimiter DD. Ambr. ac noster Bonauentura) perditissimum quemque, & libidinibus flagrantissimum, reformaret. At vero res miranda profectò est, & quæ homines æquè, Angelosque incredibili stupore impleat, quòd eadem vnà, & Mater, & Virgo sit; Virgo (inquam) pura, & simul Mater fœcunda. O prodigium magnum, & memorabile! O prærogatiuam huic vni, ac soli virtutum Phœnici propriam! Nam nunquam auditum nobis est, cuiquam alteri tributum fuisse celebre hoc elogium, vt æterna Virgo audi-

audiret; & *Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum* verè diceretur. Et tamen ex Fidei Catholicæ articulis est, & de quo dubitare vetat communis consensus Ecclesiæ. Hùc si placet adducamus illustre miraculum aliquandò factum à B. Patre Ægidio, sancti Patris nostri Francisci Achate indiuiduo.

Fertur Theologus quidam Ordinis Sancti Dominici aliquando vehementer fuisse tentatus à Diabolo, Timone, Zoilo, & hoste gloriæ Virg. iuratissimo, vt de virginitate Deiparæ illibatissima ita dubitaret, vt nullis, neque conatibus, neque remedijs posset importunæ illius tentationis victor euadere. Cupiens igitur ille, vt fit de tota re cum spiritali aliquo viro conferre, si qua fortè hinc curari posset, & confirmari; audita B. Patris Ægidij, viri religiosissimi, & vitæ sanctitate celeberrimi, fama, adire eum constituit, & certè adijt. Cum ergo iam Conuentui, ac sancti Patris domicilio propinquaret, sanctus Pater diuinitùs admonitus aduentus illius, & causæ, venit Dominicano obuiam, & quàm potuit vrbanissimè excepit; ac post religiosas consalutatiunculas, & proloquia tunc vsitata, vltrò citroque habita, derepente, etiam antequam Theologus ille celebris de tentatione sua, vel verbulo duntaxat mutuisset; sic eum affari cœpit B. Ægidius: Mi frater, & amice, *Ipsa virgo est ante partum*, (& leniter virga, quam tunc forte manu tenebat, terram fodicás, effecit, vt mox lilium speciosum terra effunderet.) Deinde, conuersus ad eundem Theologum, addidit: Mi Frater, *Virgo est in partu*, (& iterum terram eadem virgula feriens, aliud lilium eduxit.) Ac tertiũ, eum alloquutus: Mi Frater, *Virgo est post partum*, (& subitò, iterata terræ percussione, tertiũ lilium erupit.) Re sic gesta, & Theologo iam à tentatione, & dubitatione illa sua liberato, vir Dei cõuentum suum victor Diaboli, & triumphans repetijt, factus Theologo illi admirabilis, & author gratias Deo referendi, de tam mirabili liberatione sui, à tam molesta tentatione. Et hæc hìc dixerim ad fidem Virginis Deiparæ, communis omnium nostrùm Dominę charissimæ, puritate, pleniùs confirmandam.

Itaque quisquis sibi persuasit, atque imperauit, ritè gloriosam hanc Angelorum Reginam colere, & quasi à pedibus illi esse; obnixè studeat, eam imitari, in puritatis huius innocentiæque cultu, idest, det operam, vt nullo peccati genere animus eius inquinetur, maximeque capitali, quoniam (ait Doctor Angelicus) hoc magis puritas crescit, quo longiùs recedit à culpa. Ac his artibus, & beatitatem, & nomen illorum mundicordiũ, sibi comparabit, de quibus loquitur Dominus noster, cùm ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Tùm corde mũdo est Christianus (vt tandè clariùs loquar) cùm est illi conscia mens recti, inconsciaque peccati omnis mortiferi: at vno gradu puritatis altior fit, cùm non solum vitat capitalia, sed etiam venialia, & quæ nugæ vulgò creduntur, puritatis autem verticem perfectionemque adtingit, cùm illam vitiorum omnium fugam, etiam stipat sanctarum aliquarum virtutum cultu, & habituum laudatorum; ita S. Chrysostomus istud esse *mundo corde*, interpretatur. Diuus quoque Hieronymus ait, eum *mundo corde* esse, cuius conscientiam nullius peccati memoria lancinat, aut morsicat. Et talis quidem fuit Domina hæc nostra charissima: nam refert S. Bonauentura, virum quendam sanctitate cõspicuum cœlitùs fuisse edoctum, Virginem Deiparam nullos, toto vitæ laudatissimæ decursu, quantus quantus fuit, passam morsus conscientiæ: O beatos, & millies beatos, qui omnis peccati saltem lætalis expertes, & pulchra illa, niueaque puritatis stola induti, amant, coluntque officiosè, vti par est, altissimam istam Heroidem Dominam, & Heram Vniuersi.

Illi, illi, veri sunt illius pedisequi, illi illi sunt aulici eius dilectissimi, & in delicijs habiti: illi, illi Equitum eius sunt Primates illustrissimi, & primi apud eam ordinis. Illi, illi, ex hac vita in alterã meliorem transmigrantes, priuilegiarij eius erunt, singularibus dotati prærogatiuis, & gloria quadam priua in cœlo coronabuntur.

Sunt, qui scribant, sanctum Ludouicum ex Minorita Archipræsulem Tholosanum, ex nobili Regum Gallorum sanguine oriundũ, nunquam peccatum vllum lethale, (mirabile dictu) perpetrasse. Diem suum obijt bonus ille Præsul, anno ætatis suæ 24. & semestri, quo autem temporis articulo hic emigrauit, illo ipso quidam F. Minor, celebris Concionator, valde procul agens ab eo loco, vbi virum Dei contigit expirare, & nullius rei magis nescius, quàm mortis Ludouici, vidit ingentem Angelorum chorum animam sancti viri cœlo inferentium, & cãtu magno, & modulatissimo dicentium: *Sic fit seruienti Deo in munditia, & puritate.* Relatu domesticorum, & eorum omnium, qui illustri illo Principe familiariter vsi sunt, abundè innotuit, quanta fuerit eius puritas, atque innocentia. Omnes enim vnanimi consensu testati sint, nunquam vidisse se, aut audisse elapsum illi, neque verbum vllũ, neque factum, nota peccati mortalis infamandum.

Quòd si verò (vt diximus) casti, & mundi cordis homines, Virgini sunt in delicijs; certè eos, qui se peccato prostituunt, & vitam

Mat. 5.

Ex offi. FF. Minorũ, in Octa. Festiu.

tam viuunt infamem, & scandalorum fœcundam, æquè odio habet, & perhorrescit, adeo, vt oculis parum æquis; peneque toruis omnes eorum operas, cultus, obsequiaque sibi ab illis impensa intueatur, vt quæ ex Limoso cordis immundi, atque infecti fonte proueniant. Id quod sequens historia abunde confirmat, quam sic refert Pelbartus, doctus ille Minorita. Adolescens quidam nobilis, etsi nequitia erat perditissimus, & vitijs omnibus adolescentiæ vsitatis notandus, tamen in tanto malorum agmine hoc habebat boni, vt primo quodam affectu coleret Matrem Dei. Hic igitur cùm aliquando in media quadam sylua errans, fame, ac lassitudine graui laboraret, ad ipsam confugit, & lachrymis obortis orauit, sibi vt opem in eo necessitatis articulo ferre dignaretur. Vt orare desijt. B. Virgo ei apparuit stipata magna formosarum, & honestarum puellarum caterua, in manibus habentium patinas pingues, intus foriſque sordidas, & olidas, refertas nihilominùs cibis exoticis, & delicatissimis, quos primum misero illi famelico vescendos proposuit, & ait. Accipe, & vt libet, epulare Ah! Domina mea (respondit ille) qui possim vesci cibis eiusmodi? Sunt quidem certè missus isti pulchri, & sapidi fateor; sed ipsarum patinarum, ac lancium sordes, in quibus offerũtur, magis mihi fastidium, ac nauseam cient, & ab edendo deterrent, quam orexina cuant. Sic (excepit tum Virgo ipsum verbis proprijs captum tenens) sic etiam oratiunculæ illæ, quas mihi offers quotidie, speciosæ quidem sunt profectò, & bonæ; sed putri cordis, & pectoris tui purulenti tabum, ex quo procedunt plus me ab ipsis auertit, quam ipsæ alliciant. Et hoc dicto, euanuit illa cum toto fœmineo commitatu suo; adolescens autem monito illo salutari vsus sapienter, vitæ suæ sordidissimæ æternum valedixit, & magno puritatis, & deuotionis exemplaris studio, Dominam illam sic auxiliatam deinceps coluit.

Igitur, quibuscumque volupe est glorioso hoc nomine seruulorum Virginis Deiparæ gloriari, ij toto pectore contendant (quo grata ei fiant obsequia sua) altissimum puritatis huius, & munditiæ cordis gradum adipisci, id est, viuere vitam omnis inquinamenti peccati, non mortalis tãtum, sed & venialis expertem, quoad eius fieri potest. Nam quò studiosius dabunt operam, ne vel minutulo quocunque erratulo corda sua sordescant; hoc magis valebunt gratia, & vitæ sanctitate. O terque quaterque beatam animam illam, quæ eniti tur, vt indies hac animi puritate fiat excellentior! quandoquidem his artibus fiet, vt ei semper porta pateat, ad ampliores gratias, ac omne genus perfectionis consequendum, quodcunque tandem ambierit; diuinamque bonitatem sibi deuincìet, vt vbertim sese ipsi communicet. Nam id proprium Dei est, vt se mundis pectoris hominibus communicet, se manifestet, secretorumque suorum longè maximorum ipsos sæpè conscios faciat, & impleat solatio singulari. Sed ad supremam illam Spiritus Sancti suauitatem ritè gustandam, necessarius est animus illimis, & purgatissimus. Cùm autem animus res sit admodum nobilis, & delicata, minimo deliquio offenditur, & puritate ea destituitur, quæ digna sit tanti boni collatione; nam (beati Patris Ægidij sensu) est instar speculi splendidissimi, quod minimo oris halitu prorsus obscuratur. Hac de causa, Hebræus ille sapiens tãto studio nos hortatur, ad eius peruigilem custodiam: *Omni custodia, inquit, serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Nam verbulum vnum otiosum, dictiuncula, aut narratiuncula quæuis lepidula, & risum excions, actio leuiuscula, vibrissario oculi, seu adspectus minùs pudicus, curiositas, inutilis, risus immoderatior, & alia minutula sexcenta, quæ nos in nugis, in floccis, & adiaphoris numeramus, vehementer splendorem eius obnubilant, & meritò mirè derogant. Ad mũditiem igitur cordis ritè tuendam sensus corporis arctè refrenandi sunt, visus scilicet, auditus, odoratus, gustatus, & tactus, qui, vt perfidiosissimi animæ nostræ hostes, proditoriè portas latè aperiunt morti sempiternæ. Prou. 4.

Pulchra profectò est similitudo illa, seu parabola qua monemur ad sensus illos nostros coercendos, illa (inquam) qua Beatus Iacoponus, Ordinis Seraphici sancti Francisci quondam professor. Fuit aliquando (inquiebat bonus ille Pater) virgũcula quædam formosissima monilis alicuius ingentis pretij hæres, sed erant ei quoque fratres quinque pauperes admodum, & rerum omnium egeni, quorum vnus Musicus erat, alter Pictor; tertius, Pigmentarius, aut Suffitor; quartus, Coquus; quintus, Leno. Venit aliquando ad eam qui Musicus erat, & sermone non minùs illecebroso, quam mœsto vtens, sic eam affatus est: Miserere mei sororcula mea, quæso miserere mei; vides quò miseriæ prolapsus sim. Ah! si quid apud te charitas potest, nisi tota saxea es, & pietatis expers, fer opem dona me annulo tuo, vnde inopiam hanc meam discutiam. Est munus illud valde magnum, imò maius meritis meis fateor; sed considera, quantùm gloriæ adcrescat nomini tuo, si vitam fratris tui, tibique omniũ deditissimi, imò seruulorum tuorum paratissimi, voluptati tuæ antetuleris, vitã heu! iam dirà fame, & omnium rerum egestate, feminecem. Et his dictis conticuit, visusque torrens doloris vocem ei intercluisse: sed ipsa dolis eius inexorabilis, sic ei respondit:

Mi frater, & amice, nihil non amore tui fecerim perlibenter; at vnum illud, quòd postulas dare omninò nõ possum, quòd admonitu eiusdem charitatis, quæ me ad opem tibi præstandam inuitat, compellar commoda mea ipsius, tuis anteferre? Non clam te est, ab hoc monili vitam meam, & bonum omne meum pendere, imò verò exititiũ meum, à iactura, aut periculo eius, auelli omninò non posse, neque illo pereunte perire? Quid igitur tibi vis vt faciam? An vt pro te moriar, meque enecem, vt tu viuas? vt inops, & omnium egena fiam, vt te locupletem? Esto igitur esto (inquit tum Musicus, interrumpens sororculæ orationem) quandoquidem gratis à te impetrare non possum, agedum licere quæso illud, & mihi iusto pretio vende. At quantum dabis? respondit illa. Citharam, inquit ille, meam arripiam, & vocem meam suauisonis eius accentibus scitè maritans, vnam atque alteram tibi odam concinam auditu valdè iucundam, ex optimis scilicet illis, & in Curia celebratissimis. Tũ illa licitatione tam insigni audita, in risum erupit, & dixit: At verò finita iam cantilena illa tua, quamlibet Orlandica, & suaui, quid mihi supererit, vnde in posterum sustenter? Homo sum, cibi egens: non sum chamæleõ, aut si quod est *animal, quòd ventis nutritur, & aura.* Itaque te, mi frater, obnixè oro.

Virg. 4. Æneid. *Desine meque tuis incendere, teque querelis,* & precibus istis, & ignosce, si fas mihi non est, effectum dare, quod flagitas. Nam non statui certè ego vendere pretio, tam vili monile, tam nobile. Illo digresso, ingressus Pictor, eandem cœpit canere cãtilenam, idemque poscere, oblata commercij nomine tabella, magnæ artis, & spectabili, sed is quoque narrauit surdæ fabulam, abijtque instar primi, re infecta. Sequuti sunt Pigmentarius & Coquus, & admissi, idem ab ea ordine postularunt; ille loco pretij offerens thymiama, seu mixturam odorum variorum, longè suauissimam, & delitijs refertissimam, cui par toto orbe reperiri vix posset; alter, ciborum delitias, & meras cupedias, nectar fortè Deorum, & ambrosiam; sed nec illi magis exauditi, quàm priores. Superest aduentus Lenonis, hominis admodum astuti, & inaffectato illo, incantatorioque dicendi genere versatissimi, qui oratione valde potenti, & ad persuadendum aptissima vsus, idem sibi dari supplicauit, promittens tantæ liberalitatis rependium, numerum innumerum amatorum, sed ipsi quoque eadem moneta est satisfactum, qua prioribus, passusque est repulsam. Post tempusculum, Rex quidam potens, & celebri monilis illius fama inescatus, ad eam etiam venit rogatum, vt se hoc munere dignaretur, data fide, si faceret, ducturum se eam in vxorem, & datu-

rum, dotis nomine, vitam & ditionem sempiternam. Cui illa, promissi amplitudine victa, nec non conditione, ac perfectione offerentis, respondit: Talis tãtusque es, mi Here, vt sine imprudentiæ nota repelli nõ possis. Igitur tu tu *dono duc, doque* libens *volentibus, cum magnis Dys,* teque dominu eius perpetuum creo, *nec mi aurum posco, nec mi pretium dederis tu* tantum muneris imparitatem candide excusare, & supplere dignare, & vilitati ancillulæ tibi offerentis ignoscere. Solebat verò pius ille Pater parabolam istam suam ferè sic exponere. Animus, Virgo est, monile pretiosum, voluntas, seu liberum arbitrium: fratres quinque sensus, quinque naturales, nempe Visus, Pictor, Auditus, Musicus, Fumigator, Odoratus; Gustatus, Coquus, Tactus, Leno, quòd is sensus, cæterorum omnium potentissimus, animasque longè potentius ad cupiditates effectusque nefarios inclinet. Fatua certè admodum fuisset Virgo illa, si monile illud tanti pretij, rebus tam vilibus postposuisset, peneque gratis tradidisset: ex quo sequitur, animam illam parum valere iudicio, quæ voluntatis suæ libertatem, donum Dei tam nobile sub iugum sensuum corporis mittit, ob specimen boni phantasticum, & vmbram meram voluptatis. *Cic. lib. 1. Offic.*

Liceret hic, imò meritò deceret, me acerbè inueni, & cœlum terramque testari, in eos, qui nescio cuius in Deiparam Virginem leuiculæ pietatis obtentu, audent tamè sensibus suis frœna laxare, & cupiditates suas extra carceres omnes metasque sinunt effundi; quodque deterrimum est, ad extremum vsque vitæ spiritum, pertinacissimè in cœno libidinum suarum defixi perstãt, spe vmbratili, quasi certissimę salutis, quàm sibi ab hoc pietatis exercitiolo pollicẽtur. O summam dementiam! O satanicam cæcitatem! O homines insensatos, omnisque iudicij egenos! Ah miseros! An non animaduertunt se à dęmone vinctos catena leuiter aurata turpium voluptatum trahi, deducique per itinera bestialibus delicijs constrata, in barathrum Inferni sempiternum? Multos videmus (quòd pudens, & flens dico) pietatis illius, quam Annuntiationem vocant, obseruantissimos, atque adeò studiosos, vt mille mortes antè passuri sint, quàm vel tenuissimè illius iura violare, aut officijs deesse. Et profectò illũ eorum Zelum mirificè laudo, propositumque eorum dignum omnibus punctis, & suffragijs affirmo: atquid facias? Abutũtur illo studio, & detorquent tanto liberiùs audaciusque cœno sensilium, & brutalium turpitudinum sese immergentes impunitatis cõfidẽtia, quam in ipsis excitant, crebri & quotidiani successus illius religionis. Liceat mihi per vos, inquiũt, liceat mihi voluptua-

ri,

ri, iucundeque otia terere; neque voluptates meas, importunis istis inferni terroribus, interturbat. Hera illa mea, cui vni totus seruio, abundè me tuebitur à tormentis illis, quæ mihi tam horrida fingitis, ac pingitis. Nam quæ amicis, & cultoribus suis nunquã solet deesse facillimè mihi morte ingruente gratiam impetrabit, qua fretus veram peccatorum exomologesim facere possim, ac sic in Paradysum, & beatorum ciuitatem irrum pere. Ita miselli illi in peccatis animos obfirmant, malè concludentes ex priuis fauoribus, quibus beata Deipara nonnullos sibi deuinctos clientes, & sanctos amatores suos, eripiens eos, perneſcio quas ambages viarum, & artium, periculo damnationis sempiternæ. Sed errant toto cœlo certè Arithmetici isti sic numerantes. Nam naufragi illi seruati, quos narrant, rectè benignitate illius vsi sunt, & ad animæ suæ salutem inflexerũt, operibus bonis respondentes diuinis inspirationibus eius interuentu concessis; isti verò, quanquam ab ipsa naufragio, & periculo euidenti, insidijsque, & conatibus inimicorũ suorum erepti, & à violentia furoreque barbaro prædonum piratarumque redempti, ac tãdem deuincti beneficijs multitudine innumerabilibus, aut potius optimis consilijs, ad vitam sanctius reformatiusque instituendã: isti, inquam, isti perfrictæ frontis hypocritæ, obsurdescunt, negligunt, imò contemnunt monita illius, vera fauoris eius argumenta; Vnde certò mihi certius persuadeo, salutem ipsorum admodum incertam esse. Præterea, differt peccator à peccatore; nec genius idem est omnium. Nam quidam deliberatè peccant, & religione, quà benè in Virginem animantur, abutuntur: imò (vt iam à me ostensum est) inde fidenter erumpunt in libidinum omnium licentiam, atque ij quidem alterum iam pedem habent in Inferno, aut ab eo non procul absunt. Alij in peccatum prolabuntur, mobilitate magis, & mollitie animi, ac imbellia ad sensuum suorum repræsionẽ, quam nequitia, & affectata malitia; quod vel indè agnoscere est, quod semper occultis conscientiæ diris agitantur, lachrymoseque desierant ex malorum suorum lato, vel tandem aliquando emergere, quamlibet quotidiè procrastinent: & qui eiusmodi sunt, faciliùs ad gratiam Dei excipiendã aptãtur, vtendosque afflatus sacrosque animi motus, quibus ipsos Beata Virgo velut cliẽtulos suos obsequentes, impetrat diuinitus agitari. Cæterum vtrisque serio conandum est, vt Deiparam quam poterunt dignissimis honoribus atque obsequijs prosequantur, proclinationibus humillimis, seu actibus alijs amoris, ac reuerentiæ suppliciter eam orantes, vt à Filio suo ipsis impetret internam lucem, ac mentem meliorem; ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus. Sed nec desinant laudabilibus Annunciationis exercitijs quotidie operam dare, quod quicunque in eis indefesse versati sunt, tandem insignia operæ suæ pretia retulerunt. Eodem plane voco, & hortor iustos, ac timentes Deum, quoniam, si homines perditissimi, & Dei hostes capitales, tot priuis fauoribus diuinitus cumulantur Deiparæ vnius interuentu; quantò pluribus instiũsque ornabitur vir iustus Dei seruus, & amicus perfamiliaris: Negari enim omnino non potest, hominem iustum inalbo amicorum Dei, & glorioſæ Matris eius esse conscriptum; contra verò impium, & peccato mortifico irretitum, haberi pro hoste capitali. Cuius rei fidem facit sequens historia, quam narrant Chronicę Fratrum Minorum.

Frater quidam Minor, vir vitæ sanctissimæ, solebat omnibus, quos fortè alloqueretur, quibusve fieret obuius, supplicare, vt se precibus suis commendatum apud Deum habere dignarentur. Contigit igitur aliquãdo, vt ei Vrbem, neſcio quam ingredienti occurreret mulier quædam magna peccatrix ibi vulgò credita, cuiusmodi esse, & fama erat, & erat; quam & suppliciter, quoad eius fieri potuit, orauit, vt pro ipso preces ad Deum, & Virginẽ MARIAM fundere vellet. Illa autem stupens ad tam inusitatam auribus suis supplicationem, respondit. Ah! Pater mi, quò tibi orationes meæ ad supẽros, peccatricis totius, quam latè patet, orbis facilè maximæ? Qua spe, votis aut * supplicijs muliebribus te commendas? At excipiens ille; quæcunque, ait, sis tandem, & cuius cuiusmodi; dignare (quæso) me vel precum tuarum beneficio tibi deuincere. Et ecce (mirabile dictu) vt templum ingressa est mulier, vtque reuerenter. B. Virginis ibi simulachrum salutauit; venit illi in mentem viri illius religiosi, moxque in genua procumbens, & salutationem Angelicam in gratiam eius semel recitans, mente excesit, ac vidit Deiparam submisse Filio, quem in sinu gerebat, supplicantem, vt ne preces mulierculæ repelleret. He! dulcissima mea mater (respondit pusiũculus) vin tu*, vt inuisæ huius fœminæ, & hostis meæ capitalis, preces exaudiam, quamquam fusas in gratiam amici, & clientis mei? Ha, agedum fili mi (excepit tuum Virgo) gratis eius miserere, eamque tibi concilia, vel in amici tui gratiam. Misella tum muliercula illa, vt ad se rediit, prorsus adtonita illo mentali spectaculo sibi tam insolenti ocyssimè ad religiosum illum Patrem venit, narrataque tota historia peccatorum omnium, quæ in vita tota perpetrasset, exomologesim iustam apud eam fecit; ac reliquo deinceps vitæ tempore, in tam facilis, & paratæ miserorum

* (Supplicis)

pecca-

peccatorum patronæ clientela, magno omnium exemplo, religiosè perseuerauit. Vitentigitur Virginis clientes peccatum capitale omne genus, & munditiæ cordis innocentiæque studeant; si tamen volunt eius animum sibi deuincire, Regique æterno eius Filio placere. Nam (dicente Scriptura) *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Pro.22.

CONDITIO QVARTA.

Deiparæ Virginis clientes, oportere munditiem cordis incontaminatam tueantur, frequenter vti sanctis Sacramentis, maximè verò Confessionis.

QVanquam ipsa clientelæ nostræ professione erga purissimam vniuersi Augustam, teneamur quam studiosissimè cordis puritatem consectari, ea tamen miseria est conditionis nostræ fragilis, & caducæ, & oneris grauissimi carnis huius nostræ, & procliuitatis inauditæ ad vitia omne genus, ab adolescentia, ac naturæ corruptela, vt aliter fieri ægerrimè possit, quin animas nostras, suam quisque sic aut sic valdè frequenter contaminemus. Possumus quidem (gratia Dei cooperante) à peccatis mortiferis cauere, taliumque omninò expertem vitam agere, vt religiosi viri plerique multi, qui ad extremum vsque vitæ spiritum in ea puritate (quod tamen nouit vnus Deus) perseuerant; aut, vt minimum, nullum post abitum hinc, & obitum suum nullum, quantum videtur, signum capitalis peccati posteris relinquunt: sed non datus mortalibus à venialibus illis vndequaq; euadere. Nullus, & nemo est mortalium Adæ filiorum, qui non aut parum, aut multum talibus insordescat. Apostoli ipsi, quamlibet insignibus, & eminentibus sanctitatis muneribus illustrati, ita vitam agere non potuerunt, vt non istis quoque aliquatenus inficerentur. Priua ea gratiæ soli Deiparæ concessa fuit, sola virgo ea puritate potuit gloriari, qua sub Deo maior nequit intelligi; tota pura, tota pulchra, & omnis peccati expers, vt credit, & cantibus publicis, profitetur Ecclesia, his verbis: *Tota pulchra es MARIA, & macula non est in te.* Cant. 4. Dominus autem noster prouidit, vt nobis in promptu esset remedium, cuius vsu animæ nostræ maculis suis, seu venialibus, seu capitalibus expeditissimè perpurgarentur, nempè Sacramentum salutare Pœnitentiæ, cùm scilicet vitæ malè actæ pertœsi, & verè pœnitentes, apud sacrum Silentiarum, & legitimum Confessionis auricularis auditorem, exomologesin faciendo, nos ipsos emundamus, & ab omni inquinamento sanctificamus. Hinc Beatus ille, & doctus Bernardus, *Ama Confessionem*, ait, *si affectas* Bernar.

A *decorè*; quasi diceret, si tibi volupe confiteri peccata tua, si tamen vis animam tuam euadere specie, & pulchritudine spectabilem. Nam vt, quod verum est, dicamus (quod, & docet facer Pœnitentiæ Catechismus) nihil potentius ad extirpandas radicitus prauas animi cupiditates, & ad viuum resecandas curuas in malum propensiones, & ocyssimè reformandum quicquid deforme est, salutaris huius Sacramenti frequentatione.

Omnia Ecclesiæ Sacramenta, vt SS. Patres Concilij Tridentini docent, IESVM Christum Dominum nostrum authorem habent, & originem suam ex sacro eius latere
B tranfosso acceperunt, eo ipso temporis articulo, quo sanguis, & aqua simul inde vbertim eruperunt, & quot sunt Sacramenta, tot sunt aquæ ductus, & canales, per quos, non gutturniorum more, tenuiter, sed vbertim diuinarum gratiarum aquæ ad nos deriuantur. Ergo quisquis se Sacramentali Confessioni accingit, sic secum reputet, ac si ad fontem aliquem sanguine Christi redundantem accedat, ibique omnes animæ sordes eluat, ac bruta vitia deponat. Hoc ipsum est, quod indicatum voluit Ioannes Apostolus, cum dixit: *Sanguis IESV Christi, emundat nos ab omni peccato.* 1. Ioan. 1.
C O quàm benignè, & clementer nobiscum egit Saluator noster! O quàm tenere nos amauit, cùm remedij genus adeò pretiosum nobis contulit, cuius vsu quoties cuique nostrum collibitum est, mentem nequitijs perpurgamus, & quoties animam, aut pollnimus, aut iugulamus, ac prorsus enecamus offensa aliqua Numinis capitali, toties eandem possumus permundare, pristinæ pulchritudini restituere, & (ò facultatem omnipotentem!) à morte excitare, vitæque reddere; à peccato, ad gratiã; à vitio, ad virtutem; ab æterno exitio, ad beatam immortalitatem traducere.

Ea est vis peccati lethalis, vt animam rationis capacem vehementer deformet. Nam eam adeò fœdat, vt si ea à quoquam oculis
D corporis tunc videri posset, credibile sit, eum spectaculi teterrimi horrore moriturum, peccato delectabili eam omnifariè Dæmoni configurante. At quam primum pacibus ritè perfectis, in gratiam cum Deo, vsu Sacramenti pœnitentiæ redijt; tùm tantæ rursus pulchritudini redditur, quanta nec credi, nec fingi potest, Magnus ille Pontifex S. Gregor. affirmat, animam hominis ad imaginem, & similitudinem Dei creatam, adeò formosam esse, *etiã in puris naturalibus*, vt si eam oculis istis cernere possemus, nõ modò mirabiles sui amores excitaret, sed etiam ad sui adorationem cogeret, imò verò fidem nobis faceret, se valdè parum pulchritudine cedere suo Creatori. Itaque singulari quadam

prudentia (ait doctissimus Franciscanus Titelmannus) Deus eam tantam eius pulchritudinem corporis huius terrestris, & corruptibilis massa, velut peplo, obtexit, ne fortè impotenter de sua adeò excellenti specie glorians, eodem vanæ præsumptionis, & arrogantiæ prosiliret, quæ Lucifero eiusque coniuratis exitium attulit sempiternum. A

Ea res causam dedit priscis illis, & celebratissimis solitudinem Ægypti hospitibus, in nescio quam insensilitatem euanescendi, extraque seipsos animo erumpendi, quoties animum appellabant, ad sertò cogitandum animæ suæ obiectique finalis dignitatem.

De S. Antonio Abbate certè memoriæ proditum est, ipsum, quoties curandum ei B esset, cibo potuque corpus suum, aut somnus capiendus, aut quomodocunque corporeis necessitatibus seruiendum, valdè erubescere solitum, animam creaturam adeò nobilem, eo vsque demissam fuisse, vt massæ carnis huius proiectissimæ, vice mancipij, & vilissimi aquarioli, & caculæ præstare cogeretur. Itaque si anima rationis particeps, & ab origine prima speciali tam admirandæ, quæ aut qualis (quæso) tunc erit, postquam vsu Confessionis sacramentalis fuerit tota, & perpurgata, ac denique ornata gratia Dei sui? Non illustrissima quæcunque, & lumina, non doctissima quæcumque, & limitissima oratio, satis digne possint, vel minimam excellentiæ eius partem eloqui. Non sol iste, vel in meridie, & omnibus suis radijs circumseptus (ait S. Ioannes ille aurei oris Orator) tanto splendore orbem istum illustrat, quantum gratia Dei animis nostris confert ornamenti, cùm in ipsos illabi dignatur.

Huc commodissimè quadrat, quod de sancta Catharina Senensi legimus, quæ cùm aliquando Concionatorem valde eruditum concionantem audisset, ac fortè fortuna (vt fit) excellenter tractantem, de gratiæ diuinæ in animis mortalium effectis, deque rara pulchritudine, quam ipsis confert: exarsit ingenti cupiditate gratiæ illius cognoscendæ, videndæque animæ, quam eiusmodi gratia compleuisset. Egressa igitur auditorio D cum ipsi alta mente hæreret, ac recursaret illa cogitatio, vocem è cœlo sibi audire visa est, sic se alloquentem: Catharina mox voti compos fies. Igitur sub noctis crepusculum, cum esset lararium suum ingressa, ibique Deum ardenter oraret, vt hoc ipsum impetraret; ecce repentè illi apparuit nescio quis Maiestatem præ se ferens incredibilem, radijs miræ claritatis circumseptus, cuius adspectu adeò perculsa est, vt mox ad eius pedes ruceret, iam iamque adoratum illum iret, ipsum Deum esse verum arbitrata, nisi his verbis, ipse vetuisset; vide ne id feceris Catharina; non enim, vt falsò credis, Deus sum. Ecquis igitur es tu? (inquit illa.) Ego (respondit tunc ille) sum animus latronis illius, pro quo nuper orauisti, cùm ad malam crucem traheretur. Ac nunc quidem aftatim decoctus, omnisque peccati scoria per purgatus, flammisque illis purgatorijs absolutus, in cœlum euolo, quò me ante transferre nec debui, nec volui, quàm imperio Dei parerem, quo iussus sum hac tibi forma apparere, vt cupiditati huic tuæ videndi decoris, ac splendoris spiritus humani gratia diuina condecorati fieret satis; & his dictis euanuit: Hæc sancta Nympha, deinceps Dei beneficio singulari potuit omnium ad se ventitantium internates animi qualitates intueri: vnde & aliquando sic affata est confessionum suarum auditorem: Ah! Pater mi! si animæ pulchritudinem oculis corporis cerneres, credo equidem, nec vana fides, te millies, ac rursus millies intermori nihil esse ducturum (si tamen toties vitam profudi dere posse datum esset) illius seruandæ, saluandæque gratia.

Ea vis est sancti huius Pœnitentiæ Sacramenti, vt non tantum peccati sordibus perpurget animum pœnitentis, sed ditet quoque bonis, ad virtutem propensionibus, & è mancipio peccati, ignauoque ad bonum, liberum, ac sui iuris efficiat, necnon agilem ad omne opus.

C Confirmemus autem hanc veritatem exemplo, quod Cæsarius Historicus grauis, & valdè probatus, refert cum primis. Ait ergo scriptor ille, Theologum quendam insignem, omnique virtutum genere clarum bonique exempli, Dom. Thomam nomine, morti iam proximum, vidisse in cubiculi sui angulo dæmonem forma terribili, quem sic præfidenter, & vultu minaci affatus sit: Quid hic agis cruenta bestia? Fare, age, dic mihi nihil mentiens, ecquid te in Christianorum vita, ac studijs maximè cruciat? vt autem vidit dæmonem silere, ac ne mutire quidem; exclamauit zelo Dei languidam, & moribundam vocem confirmante: Adiuro te per Deum viuum, iudicaturum viuos, & mortuos, vt mihi hæc edisseras vera iubenti, & quidē nullis cum ambagibus. Tum demum adiuratione, tam potenti coactus dæmon ita respondit: sic habeto, nihil in Ecclesia Dei esse, quòd æquè nos discruciet, vt frequens peccatorum Confessio, quod homo, quamdiu perstat in peccato aliquo mortali, velut manibus pedibusque vinctus est, neque in potestate eius est, operi vlli bono, vita æterna digno manum, aut pedem admouere. Cùm verò ad exomologesin recurrit, tum catenis effractis, quibus captiuus tenebatur, abit in libertatem, & facilis illi, atque expedita est ad omne opus bonum via. Et his dictis, vir ille sanctus, incredibili cum voluptate animum cœlo,

cor-

corpus terræ reddidit. Et profectò aliud nihil sunt peccata, quàm vincula, quibus ligamur, & Inferorum potestati tradimur. Nam quid aliud significat sacerdos, cùm pœnitentem sic affatur: *Ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis*, quam, Ego te vinculis peccatorum tuorum exsoluo, & manumitto, I domum liber? O virtutem magnam, & cunctipotentem Confessionis! imò verius, ò suauitatem amoris! ò pietatem amore dignissimam clementissimi Redemptoris nostri! Videmus (inquiunt sancti Patres) cuicunque reo in foro seculari crimen suum coram iudicibus suis laicis confiteri contingit, eundem quam primum capitis damnari, aut mulari, aut certè alio quocunque genere pœnæ affici, pro modo, & ratione delicti; adeò vt non possit, neque lachrymis suis, neque precibus, aut prorsus abrogare, aut certè derogare, ac mitigare, ius summum latæ in se sententiæ. At in Ecclesiæ tribunali, in quo Sacerdos Prætoris instar præsidet, vt Legatus tamen, & vicem IESV Christi Domini nostri, peccator ibi in iudicio coram illo Dei Legato crimen suum confitens, absoluitur, & dimittitur, cum spe magna vitæ sempiternæ.

Deceret igitur Christianum vnumquemque, simulac per lubricitatem viæ, ac naturæ lapsum se in peccatum mortiferum intelligeret, exomologesin apud sacerdotem facere, nec pati, vel ad momentum, animam in luto, & sordibus hærere.

Ecquis est (ait sacer Catechismus) qui non mox, vt in veste maculam fortè animaduertit, omni studio contendat eam auellere?

Quanto igitur maiore contentione, ac celeritate vtendum est, in animæ euacuatione à sorde peccati tam plena contagij? Nam quanquam in confesso est, hominem sola vi contritionis, cum firmo cõfitendi voto, posse peccati mortiferi veniam promereri, & in gratiam cum Deo læso redire; vndè tamen illi certò constare potest, pœnitudinem, & dolorem suum de peccato, habere apud Deũ suum pondus, & iustam vim Contritionis, ac non potius mœstitudinem imperfectam, à timore pœnæ magis profectam, & extortam, quàm à vero amore Dei, speque veniæ, & gratiæ, vti oportet, deriuatam? Nam forte (vt Doctores quidam aiunt) tantùm adtritio est, quæ est dolor claudicans, imperfectus, nec sufficiens ad gratiam Dei nobis conciliandam, quo dolore tactus licet peccator, periret tamen in æternum, si sic mori eum contingeret. Cùm verò huic adtritioni, & fœmineo (vt sic dicam) dolori, vim masculam Confessionis adiungit; efficacia illius Sacramenti fit contritus, redit cum Deo in gratiam, & cùm sic moritur, euolat certus salutis sempiternæ. O rem stupendam! ò esse

A &us mirabiles Confessionis Sacramentalis!

Hoc illud erat, quod seruorum Dei maximum quemque animabat, ad sic celerandam, vel minimorum suorum erratulorum confessionem, maximè verò cùm erat ipsis hinc alio in perpetuum trasmigrandum. Nam quamvis apud Deum essent gratiosissimi, imò, & miraculis clarerent; non tamen in vltima illa vitæ suæ periodo negligebant, vel de minimis, & quali peccatorum atomis, quorumcunque meminissent, exomologesin facere, vt animus ipsorum omni imperfectione permundatus, dignius se sisteret Deo suo, principi, & fonti omnis puritatis, ac perfectionis. Si sancti alicuius anima (ait quidam gra-
B uis Author) hinc emigrans, fortè fortuna animaduerteret se hadhucdum veniabilis peccatuli sordè, vel tenuissimè maculatam; ipsa semet sponte sua, præ pudore in Ætnæos purgatorij ignes præcipitem daret, vt ibi decocta tota perpurgaretur. Deus bone! ecquis hinc possit non obstupescere? Et addit; si fortè aliquis vnus Angelorũ, Purgatorias illas Baias, ac diras Thermas ingressus, optionem daret animæ cuicunq; vel in balneis illis ignitissimis remanendi, ad finem vsq; mundi huius, aut è vestigio in cœlum euolandi, seseq; oculis Dei sistendi, cum quãlibet tenui, macula peccati; ipsam dubio procul electurã potius, diuturnã illam, & flebilem ibi moram,
C vt vel tandé de coctione illa, assatione lõga, & in frixorio illo versatione lẽta, ac multiplici, tãtò diguiùs in beatum, & optatũ Dei, ac vnici sponsi sui, conspectum possit prodire.

Ergò si oculis sanctæ Matris Dei adeò grata est illa cordis mundities; dent operam clientes Aulicique eius omnes quà quà possunt, ea sese vbertim exornent, ac semel sic ornati, in posterum velis remisque, & equis caueant, ne rursus iacturam eius faciant, aut ab ea excidant. Qua propter intelligant (iuxta communem Doctorum sententiam) nihil ita conferre ad munditiam cordis sibi comparandam, atque amplificandam eius possessionem, eiusque excidium, si fortè con-
D tingat, reparandum, atque Confessionis vsitandæ frequentiam. O quam difficilè dictu est, quàm commodus, & vtilis sit frequens vsus sancti huius Sacramenti! Nam qui frequenter peccata apud Sacerdotem confitetur, gratiam gratiæ quotidie accumulat, puritatem puritati adiungit, & pulchritudinem pulchritudini, & Monarchæ æterni beneuolentiam magis magisque sibi conciliat. Qui sæpè exomologesin facit, multò vigilantiore oculo est, ne conscientiæ suæ vestem rursus inquinet, quam iam iam in sacro Pœnitentiæ fonte abluerit!

Qui sæpè Confessionis remedio vtitur, dat operam, ne in ea vitia relabatur, quæ Sacerdoti semel detexerit, ne iterum cogatur

fateri, ingenti cum pudore maleficium probasse, quod aliquando improbarit. Qui sæpè pendet ab aure sacerdotis, per peccatorum Confessionem; minore labore, ac fastidio rationes secum init peccatorem, alacrius adit Silentiarum mysticum, fitque magis idoneus ad dignè sumendum corpus Christi Domini nostri: denique noctu interdiuque viuit tranquillius, & animo sereniore, quod bonorum, & desiderabilium mortalis huius vitæ multò est maximum. Quam rem confirmat his verbis sacer Catechismus: *Qui sanctè religiosque hoc Sacramento vtuntur, magna pace, & tranquillitate conscientiæ vtuntur, cum ingenti animi voluptate.* An non verò id satis docet ipsa experientia? An non vel digito tangitur, verum esse, quod dicitur? Qui peccatis coopertus, ad pedes Confessarij sui peruolutus, ea iam enumerare incipit, bone Deus, quo non, quæso, mœrore, & inquietudine conficitur? Olympio maiorem montem humeris sibi gestare videtur, eiusque immani pondere suffocari. Postquam verò sarcinam illam molestam deposuit, & exanimo funestum venenum euomuit, & à sacerdote vinculis peccatorum suorum exsolutus est, Deus bone! quo gaudio, qua voluptate afficitur? animus illi totus incredibili lætitia diffluit, ac dilatatur, tantoque amore Dei exardescit, vt si vitam Deo impendere illum oporteret, in beatitatibus suis esset numeraturus. Quid verò futurum putas, si crebrò, & familiariter Sacramento illo salutari vteretur? Quam foret tota vita beatus! voluptates quælibet sæculi huius, etiam rarissimæ, & exquisitissimæ, illius fœlicitati non possunt comparari. Idem curis inutilibus quibuscunque moriens videri potest, viuere in Paradyso delitiarum solidis voluptatibus plenus, exuberans, & circumseptus. Christianum deceret peregrinationem miliarium decies mille, & iterum tantundem suscipere (si fieri sic posset) studio reperiundi sacerdotis, eique exomologesin faciendi, ac consequendi beneficij perfectæ absolutionis à peccatis, ad beatitatem illam internam, quam dico consequendam, & perfruendam. At proh dolor! hodie infinitos videre est, eius rei adeò incuriosos, vt propè dedignentur, vel ad quatuor, aut quinque dumtaxat passus moueri, vt onere illo peccatorum adeò graui, & molesto liberentur. Quanto verò deteriores illi sunt, qui totos quinque, & decem annos in sordibus suis iacent inconfessi, & inexpiati? Vestram fidem: quam stupent (putatis) & vna deflent Angeli cæcam eorum obstinationem? Videmus hoc tempore homines multitudine innumerabiles desperatissimos, cuiusmodi sunt prædones, homicidæ, piratæ, & eius farinæ nebulones priuata quadam religione erga Deiparam Virginem benè animatos, quam inoffensè obseruitant, quale est, quotidie Rosarium suum recitare, sabbathis omnibus ieiunare, & similia quædam obire; sed tamen vitia omne genus, ac prorsus enormia eosdem consectari nullo animi dolore, aut pœnitudine.

Quid putemus pronuntiandum de tam crudelibus, tamque barbaris animarum suarum parricidis, qui tam cœco contemptu reijciunt eam tam salutarem voluptatem? saltem quandoquidem, & se venditant, & haberi volunt, & sunt aliquo modo clementissimæ huius peccatorum patronæ clientes; oporteat eos aliquando ad eam piè suspirare, & desideria religiosa eiaculari, eique supplicare, vt iustam à Filio ipsis impetret nequitiæ suæ notitiam, ac contritionem. Nam eiusmodi suspiria obsequijs illis, quibus eam colunt, consociata videri possint vim habitura impetrandæ dispositionis idoneæ, ad gratiæ diuinæ infusionem, quoniam opera charitatis, inquiunt Theologi, etsi in peccato mortali patrata, vim habent aptandi peccatoris susceptioni gratiæ Dei, & quod inde sequitur, æternæ vitæ: vt quòdam Magnati cuidam illustri, quanquam peccatori facilè æui sui maximo accidit, vel ideò duntaxat, quod aliquando duos miselios Franciscanos opportune iuuisset, allato ad ipsos straminum vno duntaxat manipulo, quem lassis corporibus suis ad quietem capiendam substernerent. Inuenit historiam illam attentè legere, vt potè valdè elegantem, & salutaribus documentis refertam. Ea *ex tomo secundo Chroniconum Ordinis S. Patris nostri Francisci*, deprompta est.

EXEMPLVM ADMIRABILE.

DVO Fratres Ordinis Minorum fortè fortuna, Hyeme iam sæuiente, ex Conuentu Parisiensi egressi, ipsissimo discessus sui die, aspero valdè, & importuno imbre excepti sunt. Sub vesperum autem, qui natu maior erat socium sic cœpit affari: Fatisco, mi Frater, & amice, & deficiunt me vires; hic ergò, quæso te, gradum sistamus; nam non est vt longius progredi possim. Ah! Pater mi (respondit alter) quid sit hoc, aut istuc quo modo fieri possit, vt in medio luto gradum sistamus, & immoti hæreamus, cum pluuia, rigidoque frigore stando luctatur? Mihi videre videor (excipit bonus senex) domum non ita procul à via regia; eo contendamus; erit fortasse, qui nos, amore Dei ἀπροσ pera carentes, & sic madentes, & lassos domum colliget, vt εὐάπροσ id est verè, ex mente Diogenis, debiles, & mancos. Cui iunior. Ah! Pater mi, ne illuc quæso diuertamus: Hospes enim loci dominus, capitalis Dei hostis Diog. Laert. lib. 6. vit in Diog.

hostis est, & in clientes eius malè animatus. Quin etiam passim iactatur, non vsum eum, ab annis hinc iam triginta, Confessione sacramentali. Iacta est alea (inquit senior:) nos eo tendere necesse est; Deus qui famulis suis nunquam deest, cætera prouidebit, si sic ei videbitur. Dictum, factum Ambo pari consensu, & gradu, recta arcem illam procul visam petunt. Fores pulsantibus responsum est, abesse loci Dominum, venatum exisse, sed mox adfuturum. Ac tum Hera ipsa supervenit, quæ vt eos tam misellos, madentes, & luto fœdatos vidit; Patres mei, inquit, vereor si vos intro admisero, forè, vt malè à viro meo, ego vosque tractemur. Nam si fortè eum id rescire contingat; haud dubiè affatim duris verbis, fustuariisque durioribus, ego vosque vapulabimus: si autem vos excluſero, est cur timeam offensam Dei, & pœnam ab eo tantæ inurbanitatis, imò crudelitatis; sed alterutrum contingat, malò patere iniustæ viri mei violentiæ ab hac humanitate & officio, quàm iræ Dei iustæ, à tam in hospito pectore. Et hæc loquens intrò eos ducit ipsa in angulum, & locum suæ arcis inaccessum, minusque frequentatum, ibique eosque furtim abscondit, donec, marito secedente, & somnum capiente, commodè posset eis opitulari, ac necessaria importare. Dum hæc geruntur? ecce tibi Donus arcis cum suo comitatu, & omni venatico instrumento redit, & mensæ, vt parata erant omnia, assidet ad focum luculentum, & (vt solent venatores) auidè cibum capit: Pia autem Domina, ciborum hinc copiam videns, illinc sciens miserorum seruorum Dei inediam, & egestatem omnium, animo sic discruciabatur, atque Angebatur, vt cibum caperè non posset, nec solitâ vultus hilaritate maritum recreare, qua ille re animaduersa; Aduersi ne aliquid (ait) accidit tibi, ò hera, ò corculum meum? vnde tibi hic vultus tam nubilus, & procul à solita serenitate? Domine mi (excepit tunc illa) perlibenter rem, vt est, tibi confiterer, nisi bilem tibi in nasum ciere formidarem. Tum ille; Fare age (inquit) hoc tantum à me quid timeas, aut quid non speres, quandoquidem nihil, quod à te sit, possit mihi esse iniucundum. Domine mi (inquit illa:) subreditum à venatione tuum. Duo miselli Franciscani, bene lassi, madentes, & rigido frigore semineces huc diuerterunt, orantes, vt se hac nocte hospites, admitterem; & profectò admisi, & Dei amor vicit in me, timorem tui. Nunc autem visa hac mensæ nostræ vbertate deliciarum, & commoditatum affluentia; miserorum verò illorum Dei seruorum laboris, & omnium rerum penuriæ memor, non possum non miseriæ ipsorum compati, in vultuque meo pictum non gerere cordolium meum, ex ipsorum egestate conceptum. Et his dictis non sine multis lachrymis gratia Dei etiam singulari benefortunante, cor immitis, & immanis huius Atheï sic emollijt Hera, vt statim præceperit eos coram produci, & ipsus à cœna surgens, eis obuiam ierit, & in infimis Aulæ gradibus exceperit, tanta in ipsos vrbanitate, & honorificentia vtens, quanta in germanum suum posset. Quæ res toti familiæ, adeoque eius vxori, tantæ admirationi fuit, vt oculis suis vix crederent, mendaces illos, ac fallaces esse arbitrati, cùm viderent ab Hero suo tam generosè victam naturam, & inueteratam consuetudinem. Quod si actio illa mirabilis visa est, multò vsæ sunt mirabiliores, quæ deindè sunt eam consecutæ. Nam posiquam eos ad focum adduxit, & vestes vidit egregiè madentes, pedesque sanguinolentos, ac frigore laceros, vultus pallentes, & languidos; sic animo commotus est, & corpore fremuit, vt ocyssimè adferri tepidam aquam iusserit, pedes ipsorum ipsus in tepida allata lauerit; denique arreptum straminum manipulum, in cubiculum suo vicinum ipsos importauerit, & suis ipse manibus lectulum eis inaè composuerit. Posiquam exempta fames epulis, mensisque remotis, cœnatum fuit, bonus iam ille Dominus seniorem duorum Franciscanorum ad se distrahens, eum seorsim ita cœpit affari. Quæso, dic mihi, Pater mi, sperarine aliquid possit de salute hominis nunquam in vita vsi sacra peccatorum suorum confessione. Haud dubiè, respondit senior, Domine mi, sanus saluusque æternum erit, si iusta pœnitudine Deum placauerit, quam bis immaniter peccauerit. Nam ipsius Dei pronuntiatum, & oraculum est. Quacunque hora peccator peccata sua deflerit, vita viuet, & non morietur. Id si sic se habet (subiecit tum Regulus) supplex te oro, si tibi opportunum videtur hac vna re me tibi deuincire digneris, vt Confessionis meæ nunc sis auditor. At pius Pater supra quam credi posset, fatigatus, & somnum vix vincens, & adulta iam nocte, ac præterea iudicans, negotium hoc totum magnæ moræ futurum ab homine tali, & tamdiù inconfesso: Amabò, inquit, Domine mi, rem differamus, si placet, in crastinum diem, & interim tibi vacabit affatim recogitare annos retrò actos, & conscientiam more maiorum excutere, quæ pars summè necessaria est, ad sancti huius Sacramenti integritatem. Verum (inquit tum Nobilis hospes) ecquis, Pater mi, certò nobis permittat crastinum diem? Nihilominus in crastinū tota res, vtriusque consensione dilata est. Sed senior extraordinariè anxius, ac solicitus salutis huius noui Pœnitentiæ tyronis, simulac cellulā ingressus est, in genua prorsit, orans Deum ardentissimè, vt sineret hospitē suū superesse

tantum tantisper, donec effectum daret, quod in votis habebat, i. e. vniuersim confiteretur, quidquid tandem in vita quomodocunque peccauisset, eaque oratione facta lectulo incubuit, altissimeque obdormiyt. Et ecce, Medinoctio vidit in somnis Angelos Cacodæmonesque acerrimè litigantes, vtris cederet possessio animæ viri illius nobilis iam iam defuncti. Cacodæmones rectè suã esse causabantur, à mille immanibus peccatis, quæ olim in vita patrauisset: Angeli contra suam dicebant, à paucul is eiusdem opusculis bonis, sic vt Iudex iam sententiæ mortis in eum dicendæ se accingeret; cùm ecce Angelus eius tutelaris exclamauit, quæso Domine mi, vel tantisper suspende sententiam, penè enim mihi excideràt commemorare, quanta is charitate hac ipsa nocte hospitio exceperit duos Maiestatis tuæ clientulos, quæ vna, ac solares, sensu meo, possit ac debeat flectere te ad misericordiam, atque absolutionem misellæ huius animæ tam acriter accusatæ. Tum Iudex, nouo illo humanitatis officio commotus, sententiam pro anima illa rea dixit, eius accusatoribus, cum pudore in barathrum illum teterrimum relegatis, quò pertractum ibant illam, si fortè causa cecidisset. His ita geri, ac dici visis, de repentè pius Pater euigilauit, & vt certissimè credens somnium suum veri aliquid habere, socium suum excitauit, & Frater mi, dixit, Frater mi, heu! Hospes noster, huius arcis Regulus excessit è viuis. Excessit? respondit eius collega adhuc dùm somno semisepultus. Etiam verè excessit è viuis, respondit senex, & quod maius est, saluus est, & beatus: narratoque ei somnio suo, & addito, quod vox quædam cœlestis ita rem habere ei affirmasset, è lecto exilierunt in pedes, & excitatis aliquot ibi seruulis, secumque ductis, Heræ cellulam adierunt, quæ attonita eorum aduentu tam intempestiuo, Ecquid hoc rei est, inquit, Patres mei? Tam citone discessus à nobis hora illuxit? Omninò respondit senex, sed non recessus nostri à vobis, sed anima viri tui ex hoc infelici sæculo. Ah! Deus bone! quid mihi narratis? (exclamauit illa:) Mortuus est miser maritus meus, & quod est deplorabilius, miserrimè damnatus, & Inferis addictus! Damnatus? (interrupit vir ille bonus) imò verò contra, Domina mea, constanter affirmo saluum esse, & conscriptum cœli ciuem. Et qui, quæso, aut vnde discere id potuisti? excepit Hera. Qui mihi mortis eius nuntius fuit (adiecit Pater) idem ipse saluum eum esse affirmauit; nec multò post, ipsi omnem rei seriem articulatim narrauit, adijciens eloquentissimæ narrationi, consolatoria quæque eaque potentissima, sic vt Hospita nobilis nihil tam neque dixerit, neque fecerit indecorè, aut quod se dignum non esset, se gerens, cùm in funere, & exequijs mariti, tum in cæteris officijs, negotijsque, æquè constanter planè, vt Christianam fœminam decet, & vxorem viri amantissimam. Hoc exemplo sane raro, doctore, & authore possent peccatores doceri humanitatem in pauperes, & spem firmam de misericordia à Deo impetranda, quantalibet grauitate, ac multitudine peccatorum obruantur. Cùm Deus Opt. Max. nulli supplici vnquam deneget indulgentiam. Sed imprimis hinc scitè docentur, iubenturque sanctis Dei afflatibus serio respondere, & vti occasionibus atque auxilijs diuinitus ad sui conuersionem oblatis, vt hic Eques nobilis, qui, præter hospitij beneficium duobus hisce Minoritis impensum, & iustum de anteactæ vitæ peccatis dolorem, etiam certò decreuerat exomologesin facere, quod dubio procul fecisset, nisi tam repentina, & inexpectata morte fuisset è viuis ereptus.

RELIQVIÆ, SEV APPENDIX conditionis quartæ.

Oportere, clientes sacræ Virginis Deiparæ, frequenter vti Sacramenti Altaris communione.

QVemadmodum igitur necessarium est serenissimæ Angelorum Augustæ clientibus, vt modestiam, castitatem, & cordis munditiam constanter colant, sæpè vti Pœnitentiæ Sacramento, & crebra peccatorum confessione: ita oportet eosdem frequenter fieri participes sanctissimi Sacramenti Altaris, ad animarum suarum pulchritudinem amplificandam, seque Deo ibi præsenti gloriosissimè, nec aliter, quàm in ipso Cœlo, & Beatorum consessu arctissimo vinculo coniungendos. Ecquis tam beatæ naturæ est, vt non dicam dignè eloqui, sed duntaxat concipere animo possit minimam excellentiarum, rerum admirabilium, & singularium gratiarum partem, quæ suaui illo ineffabilique Sacramento contineatur? Sacramenta cætera gratiam, quidem conferunt, dignè accendentibus seque vtentibus; hoc verò est gratiæ fons ipsissimus, influens longè vberius cæteris, in animos eorum, qui cum dignitate ad se accedunt. Cætera, Dei sunt illa quidem, seu à Deo; hoc verò, Deus ipse est, Sacramentorum author, & bonorum nostrorum omnium ipsa scaturigo. Cætera sunt media quædam, & quasi vehicula hominum ad Deum; istud verò finis est obiectumque vniuersorum, quoniam quæcunque sanctitas promanat à cæteris, mera dispositio est, ad istud maiore dignitate suscipiendum. Itaque summo iure S. Dionysius ille Magnus Areopagita vocat illud Sacramentum perfectiuum (vt sic loquar) & consum-

ſummatiuum, quod ſcilicet cætera omnia perficiat, & compleat.

Omnium momentorum, quæ nos ad vſum frequentem ſacratiſsimæ Communionis poſſint impellere, nullum eſt exemplo ipſius Deiparæ potentius, quæ propè nullum diem præterire patiebatur, quo non pietate incredibili charum ſuum Dominum, ac Filium ſumeret. Ita affirmant Albert. Magnus, S. Antoninus, Sotus, & Doctus Suarez. At quis non dico negare, ſed vel de pronuntiati huius veritate ambigere audeat? niſi qui vehementer impudens ſit, ac temerarius, qui ſecum reputet Deiparam fuiſſe clariſsimum modeſtiæ ſpeculum, magiſtram omnis virtutis, ducem, & pharum omnium naſcentis Eccleſiæ Chriſtianorum? Certum eſt (inquiunt Theologi noſtri) è Sacramentis illis ſeptem, quibus ditata, ac nobilitata eſt Eccleſia, Beatam Virginem vſam duobus maximè neceſſarijs, & poſitis in præcepto, quorum alterum eſt Baptiſmus: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Euthymius enim refert baptizatam fuiſſe Chriſti manibus ipſam Deiparam, necnon Apoſtolum Sanctum Petrum, qui deinceps collegas omnes ſuos baptizarit: *Quidam* (ait vir ille magnus) *temporibus Apoſtolorum admodum vicini, ſcripſerunt, IESVM Chriſtum ipſiſsimum Virgini Deiparæ, ac Petro Baptiſma contuliſſe.* Alterum Sacramentum, quo nos, vti lege Dei ſanctum eſt, eſt ſanctiſsima Euchariſtia, quod haud dubiè ſæpiſsimè ſumpſit Deipara, imò quotidie vtpote quæ tota amore Filij eſſet abſorpta, eidem tota conformis, & ſimillima; quod ipſum etiam omnes Eccleſiæ adoleſcentis Chriſtiani (ſenſo eiuſdem authoris) vſurpabant, vt ſcribit Sanctus Lucas. *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Act. 2.

Apoſtoli ipſi omnes ſacerdotes erant, imò & Epiſcopi, à Chriſto ipſo ordinati, & conſtituti, itaque, & Miſſam celebrabant, & ſacrum corpus Chriſti ſumebant. Nam *ego accepi à Domino, quod, & tradidi vobis*, aiebat magnus ille S. Paulus de ſe ipſo. Et illuſtris Apoſtolus S. Andræas, Ægeæ Proconſuli ſe ſolicitanti, vt Dijs immolaret, reſpondit ingenti libertate: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus, & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cuius carnem poſteaquam omnis populus credentium manducauerit; Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus.* Albertus Magnus, illuſtris ille Apelles Virginis, id eſt, pictor, ac ſcriptor perfectionum eius, ait, S. Ioannem Apoſtolum Deiparæ ſacerdotem fuiſſe, vtpote qui ſingularem eius curam gereret; coramque ipſa Sacris operatum fuiſſe, & corporis Chriſti Communionem illi adminiſtraſſe; ipſamque Deiparam iam morti proximam iuſsiſſe ſanctum illud, ac ſalutare Sacramentum ſibi afferri, quod, & more ſuo ſumma religione, & animi corporiſque ſubmiſsione acceperit: imò verò etiam creditur Sacramenti Vnctionis extremæ beneficio vti voluiſſe.

1. *Co.* 11

Incredibile eſt, & mortalium credulitate altius, quàm reuerenter, & ardenter bona illa Domina, pane illo ſuauiſsimo vitæ æternæ veſcebatur. Nam ſi quorundam ſanctorum amor, & religio erga Sacramentum illud eiuſmodi fuit, vt ſpectatores in admirationem raperentur: cuiuſmodi (quæſo) erat huius Sanctæ Virginis reuerentia, quæ vna, ac ſola plenius intelligebat dignitatem, quam ſancti globatim omnes? Sancta Catharina Senenſis aliquando Patri ſuo ſacrarum confeſsionum auditori narrabat, magna ſe fame cruciari, loquens ſcilicet de impatienti ſuo deſiderio veſcendi ſacro illo pane Angelorum; itaque, & ſæpè numerò viſa eſt, poſt myſticam illam refectionem quatuor, & quinque horarum ſpatio extatica, & prorſus extra ſe raptæ perſimilis. Quid de Patre meo S. Franciſco dicam? vrebatur totus; imò amoris erga ſanctiſsimum hoc Sacramentum exceſſu moriebatur. Nam ſumebat illud (idque valdè frequenter) adeò patheticè, vt qui ſpectarent attoniti ſtarent, ſeque mox, & inaduertenter tangi ſinerent viuaciſsimis amoris motibus erga ferculum hoc cœleſte, cuius ſuauitate vir ille ebrius videbatur. Tantaque reuerentia illud complectebatur, vt metuens ne fortè contingeret illud à ſe non tractari pro dignitate, ſemper ſacerdotij dignitatem ſit auerſatus. Cumque acriter vrgeretur, vt pateretur ſe ſacerdotem conſecrari; ad arma, & præſidia illi vſitata orationum recurrit, in quibus cùm deliberaret cum optimo ſuo Magiſtro, & rerum agendarum duce, conſentiret nec ne; Angelus ei apparuit, phialam plenam loquere neſcio quo illimi, & puriſsima manu geſtans; & *Franciſe* (inquit) *cui libeat ſanctum Sacramentum cum dignitate tractare, eum oportet tanta cordis animique puritate nitere, quanta vides eſſe, quod hac cryſtallo continetur:* Cuius oraculi conſideratione, & admonitu, humilis ſeruus Dei firmiſsimè conſtituit nunquam ad ſecerdotij gradum aſſurgere, ſuam Diaconi dignitatem abundè, & plus ſatis ſibi eſſe arbitratus, quandoquidem ſacerdotij dignitas tantam efflagitaret puritatem.

Sanctam etiam Claram illi coætaneam, non minor erga idem S. Sacramentum religio tangebat. Nunquam enim ad epulum illud accedebat, quin oculos propè effleret, & faciem totam lachrymis inundaret, corque

pari zelo inflammaretur. Nec verò mirum est, si homines tanta cum submissione sui, tã reuerenter adeant ad altaris Sacramentum, cùm sciamus illud ab Angelis, imò & à malis quoque genijs reuerenter adorari.

Cum B. Frater Stephanus (vt *in Chronicis Ordinis Minorum legere est*) aliquando sacris operaretur, magno cum Cœlestium rerum sapore & deuotione; contigit, Acolytũ responsatorem somno intempestiuo occupari. Sed illo munus suum non obeunte, domicellæ duæ admodum religiosæ, MARIA & Eliura, quæ fortè fortuna Stephani Sacro intererant, viderunt, simulac ad sanctæ Hostiæ eleuationem Stephanus peruenisset: duos Angelos specie duorum adolescentium formonsimorum, viderunt, vicem somnolenti illius Acolythi obeuntes, vtrumque accensam facem manu gestantem, qui demissa iam, & reposita in altari Sacri Corporis Christi Hostia euanuerint, magna Domicellarum admiratione, adorato prius, quanta fieri potuit reuerentia, Deo, ac Domino suo ac nostro. Si sancti Angeli erga sanctum hoc Sacramentum valdè reuerenter se gerunt: non minor propè est ipsorum dæmonum reuerentia, vt satis probat sequens historia.

Fuit aliquando in Germania matrona quædam nobis energumena, quæ ante id miseriæ singulari probitate, atque in Deum pietate excellebat. Contigit quodam die ea egrediente è templo, ad cuius valtas frequẽs tunc collectus populus adstabat, Sacerdos quidam sacrum viaticum infirmo deferens, illac iter faceret. Tum circunflua turba omnis adeoque, & illa ipsa energumena, in genua proruerunt, studio diuinum ferculum adorandi, prẽter Iudæum nescio quem vnum ibi fortè fortuna cæteris adgregatum, qui flocci rem fecit; quo illa viso contemptu, confestim ad Iudæum accessit, & acri colapho illi impacto, *Impudentissimè mortalium ait, cur defraudas rerum omnium Creatorem iustis honoribus?* Deum vnum, ac solum reuereri lege tenemur (respondit ei Hebræus totus opprobrio illo pudibundus.) Quorsum igitur (ò mendax, & veterator spiritus) vrges, vt vnum adorem, qui etsi Deus fortè esset, tamen pares, & socios haberet multitudine innumerabiles? Et vt ita quidem rem se habere appareat, an non tot sunt eiusmodi Deastri, quot Missas toto orbe contingit celebrari? Tum energumena arreptum cribrum Iudæo dans in manus iussit, vt illud soli opponeret, videretque radios eius diuersos, per infinitos cribri illius quasi poros & foramina, transmeantes. Quod cum is fecisset; *Agedum dic* (inquit tunc illa) *totne tu Soles esse censes, quot hic radios vides, an verò vnicum?* Egregiam verò quæstionem respondit Iudæus. Vulgò Lippisque, & tonsoribus notum est, vnicum esse Solem, à quo tot radij proficiscantur. *Igitur homo barde, & stipes* (ait Domicella) *Deus* vnicus quoque est, indiuiduus, & immutabilis, diffundens tamen, & communicans locis diuersis radios Diuinitatis suæ, in ipso altaris Sacramento. Ac sic Domicella misera licet, & energumena, Hebræum illum impudentem, & petram scandali, adunco naso suspendit, & pervicit argumento illo sanè inextricabili, quidquid tandem possit obganniri.

Non satis est Augustæ Cœli Reginæ, eidemque Matri, & Sponsæ Conditoris huius vniuersi in terris sanctum hoc Sacramentum adorasse, nisi etiam in Cœlo idipsum exequatur. Nec fallo, nec fallor. Veritatis huius mihi autor est Vincentius, narrans *libr. 7. Speculi sui historialis*, historiam hanc certè admirandam, quàm & alij multi grauissimi, & spectatę fidei scriptores confirmarunt.

Fuit quondam (inquit ille) Curio quidam paruus admodum, libidinosus, voluptatum mancipium, ad rem adtentior, & sanguinis succique miserarum ouium suarum sitientior, quàm procurandæ salutis ipsarum sempiternæ.

Non missura cutem, nisi plena cruoris, Hirudo. *Hor. li. de arte.*

In huius ergo Parrochia, hinc Patricius quidam, idemque valdè diues; illinc verò, infelix quædam vidua, & omnium rerum egena, eodemque tempore in morbos tam graues inciderunt, vt iam iam morituri censerentur. Accersitur ergo Curio iste Reuerendus à Patricio illo, vt se Sacramentis Christianis præmuneret. Dicto citiùs cum suo vicario ad Patricium accurrit, aductus potiùs lucelli inde eliciendi auiditate, quàm vlla salutis animæ eius solicitudine. Vt cubiculum Patricij ingressus est, vidit illũ in molli, & splendidè ornato lectulo decumbentem multorum nobilium virorum fœminarumque corona circumcinctum, studiosè illum consalutantium, & grauiter, vt certè apparebat eius ægritudinem dolentium, qui tamen velut patrimonijs eius inhiantes, illum mox mori mallent, quàm conualescere, & frui vita longiore. Curio igitur iste, primum ex more salutatis vrbanissimè adstantibus (quarum ille rerum, non erat rudis aut tyro imperitus) proprius ad ægrum valdè reuerenter accessit, & extorta, velut per vim, & tenaci forcipe, qualicunque peccatorum confessiuncula, viatico Sacramentali illum refecit. Deinde cœpit adulatorio gestu, verbisque mellitis scisitari ecqui valeret? quæ corporis pars esset affecta grauius? & præterea, fictam atque affectatam præ se ferens sympathiam, spem bonam vi-

vitæ longioris facere, quanquam, & ipse pari cum cæteris desiderio mortis eius teneretur. Dum hæc hypocriticè aguntur, dum ægrum suum ita meus Pastor consolatur, aut potius Regulum, & patricium illum miserum ludificatur; aduentat, qui eum verbis viduæ supplex oraret, vt ad eam amore Dei Sacramentum altaris perferret, vt cui iam mors, & extremus halitus in summis pene labijs esset: quæ oratio Pastori illi auaro vix nauci, & flocci fuit. Id conspicatus vicarius eius; seducto dixit cum lachrymis. Mi Here, grauiter peccauerimus, si miseram illam mulierculam è vita emigrare patiemur sine viatico, & neglectis legitimis circa eam officijs, ac muneribus nostris, quæ nullo discrimine tam erga pauperes, quàm locupletes, Ecclesiæ legibus obire, tenemur. Adeamus ad eam, amabo; neque eam, tanto rerum cardine deseramus, qnæso. Curio verbis illis grauissimè excandescens, ita respondit: Apage, stultè, & minutuli iudicij homuncio: Quæ enim nostra fuerit imprudentia, si Patricium hunc incuratum dimiserimus, cuius cura maximè in rem nostram fuerit; auersi studio viduę pannosæ & mendicę, cuius totum peculium, & patrimonium solis laceris vetustate panniculis, & pedestribus vermium copijs, constet. Ah! Domine mi (inquit tum officiosus ille vicarius) ne grauius feras, quæ dico: si tamen quod hortor, exequi tibi molestum est; patere saltem me obire vices tuas, & supplere. Fac quodlibet, fac (excepit tum Curio incuriosus) neque deinceps mihi nugis tuis caput obtundas. Ergo arrepto vicarius Sacramento, abijt charam illam, & adorandam sarcinam gerens ad paruum magale, vilemque viduæ desertæ casulam, rerum quidem omnium egenæ, sed virtutibus profectò opulentæ, & quod caput est, præsentis rei, singularis erga Virginem religionis. Vt ad ianuam tugurioli venit, conspexit misellam in paleis, & stramineo lecto iacentem more feræ: sed cui iam adstabat Augusta Cœlorum Regina, & innumerabilis conuentus Angelorum, Virginumque, insoliti splendoris. Obstupuit primò adspectu tam Venerabilis coronæ Vicarius, nec vltra pedem protulit incertus, ingrederetur ne, an gradum retro reuocaret; sed mox confirmatus consideratione, sarcinæ quam gerebat, fidenter magale ingressus est, & ecce ipso momento Deipara Virgo, totusque eius comitatus in facies suas prociderunt, ac religiosissimè S. Sacramentum adorarunt, sicque enanuerunt. Tum pius sacrificius ingenti gaudio delibutus, ac diffluens, proximè ad viduam accessit, opportunissimè eius confessionem excepit, eamque communione sacri corporis Christi armauit; quibus vix expletis; pulchra illa animula, diruptis vinculis, quibus hic ægrè tenebatur, in Cœlum veterem patriam suam cupidissimè, & volatu celerrimo reuersa est. At Patricio illi infelici contrario planè omnia contigere. Nam simulac Vicarius Curionis ad ipsum reuersus est, vidit eum in lectulo circumseptum horrenda quasi Maurorum phalange, pauentem, trementem, irrequiete eiulantem, & vlulatibus terrificis omnia complentem. Ferte opem (inclamabat nonnunquam) ferte opem amici mei, violenter me barbari, & crudeles isti hinc raptant, cor mihi arrodunt, & deuorant. Ah! perij miser. Eheu! nullus sum. Et quanquam Curio, cæterique adstites vnà omnes eum solari conarentur; clamorum tamen finis nullus erat, quos dum fortissimè repetit, erupit anima è corpore, moxque in crudelis illius Maurorum turmæ manus incidit, à quibus verisimile est raptatâ fuisse, & illatam in tormenta eiusmodi farinæ hominibus destinta.

Iam non dicam, sed potius animis cogitandum cuilibet rationis capaci relinquo, quanto secretorum Dei iudiciorum horrore perculsus miserrimus Vicarius, illo tam terrifico spectaculo ad sua redierit, & quàm ingenti reuerentiæ spiritu erga Sanctum hoc Sacramentum eius mentem complerit conspectus tam submissæ adorationis, qua vti erga illud ipsum ipsa ipsissima Deipara Virgo omnisque ipsius Venerabilis comitatus, visa illa fuerat, in viduæ casa. Quidquid sit tandem, decet omnes Deiparæ clientes fieri religiosiores, exempli tam rari lectione, indeque elicere pulchra documenta, nec non amoris aculeos erga panem illum Cœlestem, valere iussis procul vulgatis opiniunculis conscientiarum minutularum, & (vt vocant) scrupulosarũ, frequentiorem vsum Communionis irrumpere adscribentium. An nesciunt insensati illi, & rudes homines, ferculum illud vocari *panem nostrum quotidianum? Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ait veritas ipsissima. An ignorant sanctos Lucam, & Dionysion Areopagitam testari, Christianos qui primoris solitos quotidie pabulo illo cœlesti vti, magna cum voluptate? Adeant, & audiant sanctum Ambrosium de venerabili hoc Sacramento verba facientem, hortantemque fideles, vt reparent vires pane illo Angelorum. *Serue Dei* (inquit) *nulla dies abeat, qua panem illum non comedas; quandoquidem nullo non de die illius eges ad Purgationem, Restaurationem, & Solamen.* Sed & Doctor Angelicus D. Thomas ait, eos, qui deuotionis incrementum in se sentiunt, posse, ac debere illo vesci securè. Et, quamquam consultum videatur, aliquando spiritu modestiæ à mensa illa abstinere; tamen est consultiùs accedere

Mat. 6.

Act. 2.

* *Vt quidem ver toex Ga.*

re

re affectu amoris inuitante. Id quod abunde probatur D. Bonauenturæ nostri exemplo, quem in tenera ætate, iam tamen Minoritam, valdè sæpè ab vsu sanctæ Communionis abstinuisse accepimus, potius profundæ modestiæ studio, quàm iustæ ad eam præparationis, aut pacis conscientiæ defectu. Cùm igitur is aliquando Missam religiosissime audiret, operante sacris quodam è Collegis suis, Deus tantæ humilitatis serui sui misertus, Angelorum ministerio partem hostiæ tripartitæ ex Altari sumptam ad eum misit manducandam, pro facto beneuolentiæ singularis, admonebatur Missam facere, ac deponere timorem illum panicum mysterijs participandi: sed deinceps sæpè cum Deo suo illius escæ vsu crebro versari, quem videret se tanta amoris sinceritate complecti. Sed iam satis abunde (opinor) dictum est, de conditionibus necessarijs sacræ huius Virginis clientibus. Itaque iam dicamus de adorationibus, siue (si sic malis) de reuerentijs tam illustrem Heroinam decentibus, primumque agamus de ipsarum dignitate.

Quæ, & quanta sit dignitas seu adorationum seu reuerentiarum, in cultu Augustissimæ Virginis Deiparæ, Cœli, ac Terræ Imperatricis adhibendarum.

CAPVT I.

OMnium diuinorum obsequiorum facilè diuinissimum est, ac primorem locum obtinet adoratio illa, quam Theologi nostri vocabulo Latriæ indigitant, quæ est honos ille summus soli Deo debitus, adspectu amplitudinis eius, infinitæque maiestatis. Et quidem ea adoratio (vt ait S. Damascenus) posita est in actu interiore, seu animi, quo se creatura Creatori, ac Domino suo submittit, idque foris testatur signis quibusdam externatibus reuerentiæ, & humilitatis; vt, verbi causa, nudatione capitis, ac pilei depositione, genuflexione, corporis inclinatione, & sui ad terram prostratione. Hoc nobilissimo adorandi modo, id est, Latria, Triumuiri illi, Reges Orientis, Dominum Iesum adhucdum pusionem, & lallantem in sinu Virginis Matris suæ adorauerunt. *Et intrantes domum* (ait S. Matthæus) *inuenerunt puerum cum MARIA Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Quibus verbis satis apparet, excellentem, & magnam fuisse eam adorationem Triumuiralem, quandoquidem simulac nunc in nostris Catholicorum templis ea narratio pronuntiatur, siue à Diaconis, siue Sacerdotibus, dum sacris operantur ipsi Regis, ac Monarchæ potentissimi, pileos, coronasque capitibus detrahunt, & genua capuq; humiliter incuruant.

Mat. 2.

Dicamus etiam, adorationem quæ Beatæ Virgini debetur dignitatis esse præcipuæ inter obsequia quęcunque, quibus coli à quocunque possit. Nobilissimum illum adorationis Deiparæ actum, Theologi vocant Hyperduliam, quæ est priuatus quidam honos illi Virgini debitus, vt creaturarum omnium longæ excellentissimæ, imò vt Theotoco, id est Matri, Dei, Angelorum Reginæ, Heroinæ, ac Heræ nulli secundæ Vniuersorum.

Ciues omnes illi cœlites, honoris sibi, ac gloriæ magnæ loco habent excelsam hanc Cœli Augustam tam Regis, ac supremi sui Monarchæ Matrem adorare.

Theologi quidam affirmant Deum, simulac Angelos creauisset, eis reuelasse, à se iam olim decretum fuisse, Filium suum vnigenitum in terram destinare, vt hominem indueret, eumque hominem in personæ vnitate Filio suo coniunctum Deum ipsorum, ac caput fore, diuinosque illos spiritus illud ipsum in mente diuina contemplatos mox in Verbi Diuini adorationem prorupisse, ac deinde (vt Doctore Angelico Diuo Thoma præitore, affirmat Suarezius, Virgini quoq; MARIÆ adorationis iustæ cultum impendisse, vt certò futuræ olim Deo parenti, ac sic legitimæ Principi, ac Heræ suæ.

Huic veritati nemo non Doctorum hactenus subscripsit, adeoque magnus ille Ecclesiæ Pater S. Paulus docet, ad Filium Dei, vt primum in Orbem hunc terræ è Cœlo venit, Angelos omnes confluxisse, eique adorationis cultum impendisse. *Et cum iterum* (ait ille) *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* D. Bonauentura noster cum alijs quibusdam doctoribus nostris docent, quamprimum natus fuit in stabulo Æterni Patris Filius, Angelos turmatim è Cœlis in terram delapsos, vt velut metallitim alij post alios eum perquam reuerenter adorarent, ac fortè specie humana adspectabili, vt essent humanitati eius conformiores; & deinde ad beatam eius Matrem ordine reuersos, singillatim, ac personatim, eam quoque iustæ adorationis cultu persequutus, additis in vtriusque gloriam hymnis diuinis, & suauissimis cantilenis.

Heb. 1.

Ergò si beati illi spiritus adeò reuerenter Virginem etiam tum adorabant, cum adhucdum in terra versaretur; ecquantus est (putatis) honos ille, quo nunc illam prosequuntur, iam primas post Deum in Cœlo tenentem, iamque ea gloria splendentem, cui par fingi non possit, nec non Charissimo Filio suo à dextris assidentem? Ego certè in ea sum sententia, vt credam eorum iucundissimum ordinariumque exercitium positum esse, in Matris, ac Filij adoratione. Et reuera sanctus Ioānes in cœlum raptus vidit.

An-

Apoc.7. *Angelos omnes in circuitu Throni Diuinæ Maiestatis prostratos in facies suas adorantes* Sanctam Trinitatem, & Beatissimam Virginem Filiam Patris, Matrem Filij, sponsam Spiritus Sancti. Ex quo apparet quanta sit dignitas operę adorationis tam Latrię, quàm Hyperduliæ, cuius scilicet exercitio ipsi cœlestes Aulici occupantur.

Ergo si beati illi spiritus illa tam magnificæ adorationis specie Deiparam prosequuntur; an non æquius sit à nobis eam pari honore affici, ac coli, quos eo prouocant singularia illa beneficia, & fauores, quibus nos liberaliùs, quàm ipsi ab illa afficimur, & arctius eius obsequijs deuincimur? Vacemus igitur, seriò vacemus, & toti simus in hoc Diuino Angelorum exercitio, sæpè genuflectentes, caput inclinantes, & alia eiusmodi facientes, religionis, & bene uolentiæ in supremam illam omnium Heram nostræ testimonia, vt pro virili mereamur beneficia illa, quibus affatim, & incessanter eos beat, qui se clientes eius, & cultores esse illis motibus, & moribus profitentur.

Ratum, & illustre est exemplum, quod refert liber inscriptus, *Scala Cœli*, quod dicitur fuisse quondam in Anglia Monachum singularis in Dei Matrem pietatis, qui cum primis eam profundis, & demissis reuerentijs colebat, tunc, verò maximè cùm nominis eius pronuntiatio auribus ipsius insonabat. Igitur pius ille Pater tandem aliquando ętate grauis, & ordinarijs senectæ incommodis circumseptus, eo debilitatis incidit, vt lecto affixus immobiliter perpetuò adhæreret, ac ne quidem locum loco mutare posset; quapropter suus Abbas, duos è suis delectos Monachos adolescentiores benè vegetes, & fortes ipsi assignauit, qui in necessarijs ipsi opę ferrent. At cùm fieri haud commodè posset, vt ei continenter adessent; contigit aliquando, vt cùm optaret se vel tantillum mouere, eosque ipse absentes multum diuque frustra inclamasset, & insuper vanius tentasset ipse, sese à loco in locum transferre; re desperata ad consuetum afflictis refugium tandem cōuersus, *ò Virgo clementissima*, inquit, *fer opē misello clienti tuo*; & ecce tibi dicto citiùs Regina Cœlorum illi apparuit, Virginum multarum agmine stipata, è quibus duæ eum molliter arreptum, vti optabat, & quo cupiebat erexerunt, ipsaque Regina dulci sua præsentia, & blandissimis verbis affatim ipsum consolata est, adiecitque (certissimo argumento voluptatis, quam ex eius obsequijs, & religione capiebat maximam) vitæ eius annorum viginti corollarium cum integra valetudine, ac viribus, quantis nunquam antea vsus fuisset. Beneficium profectò insuetum, quo pius ille senex, non tam viribus corporis auctior factus est, quàm beneuolentiæ incremento, & ardentiore studio se tam officiosæ, ac clementissimæ Dominæ magis magisque in posterum consecrandi.

Verum enim verò in hoc tam laudato studio, danda sedulò est opera, vt exteris corporis actibus etiam interiores cordis adiungamus, videlicet profundum amoris sensum, ad hanc Virginem Beatissimam, animo semper illam concipientes, vt nobis adstantem, & placidis lætisque oculis obsequia nostra intuentem. Nam si ex animo ipsam amamus, affectus ille fenestram nobis aperiet ad magnam cum ea familiaritatem ineundam, cogetque nos eius cum voluptate recordari, frequenter de ea habere sermonem, & cum ipsa colloqui, & in angustijs nostris omnibus eius opem implorare. O quàm facile erit ei, quem beatus hic affectus impleuerit verè conijcere se ex numero electorum, & ad beatam gloriam prędestinatorum esse, & quod vnius consectarium est (vt iam à nobis dictum est) illa spe futuræ beatitudinis æternæ, tranquillè, & cum magna animi voluptate degere iuxta illud Apostoli, *Spe gaudentes*! Nam vt author quidam grauis affirmat, si experiris te singulari quadam pietate, ac religione tangi erga Deiparam Virginem MARIAM; ea tibi nota est prædestinationis, ac salutis tuæ sempiternæ, quo nomine merito lætari possis. *Rom.12*

Hos motus religiososque amoris, reuerentiæ affectus aliquando in se experta est mulier quædam loco illustri nata, sed huius mundi opibus destituta, & pauper (vt legimus in libro inscripto, *Scala Cœli*.) Huic erant filiæ duæ, quas magno studio docuit Matrem Dei amare, & religiosè colere, sed ea tandem fortunis omnibus euersa, & ad sūmam, & non tolerandam inopiam redacta, templum adijt, & in genua procidens coram Virginis imagine, voce suspirijs amoris interrupta, & singultibus medios sonos impedientibus, dixit: *Virgo Sanctissima, refugiū afflictorum, quorum pars magna sum, ecce tibi puellas duas, quibus Filius tuus dilectus nuptias meas, nihil tale merentibus beauit, vtriusque formam atque ætatem vides: nec clam te est, quàm sim inutilis, cùm ad pudicitiam ipsarum tutandam, tum ad victum, cultumque omnem illis, præstandum: eas ergo tibi reddo, in sanctas illas manus tuas trado, tuæque vnius ambas committo fidei, & quoniam non habeo, nec pascendi eas, nec commodè vestiendi copiam; te obtestor, ne abs te has segreges, neue deseras; sed quæ mihi harum bono & commodo desunt, supplere digneris; te istis deinceps quasi viram do, amicum, tutorem, patrem: pignora hæc mea duo tibi committo, & tuæ mando fidei.* Mirabile dictu. Orationē absoluit, è templo excessit, & ecce occurrit ei adolescens formosus, incessu, & specie supra

pra hominem, & certè creditur Angelus fuisse, à Deipara ad eam allegatus (qui centũ auri libras illi numerans, dixit: *Accipe, Domina mea; en tibi pecuniã, Domino meo piæ memoriæ marito à me, nemine conscio, debitam, excusa, quæso tantam meam in ære illo dissoluendo tarditatem*. Abijt domum bona Domina, actis officiosissimè adolescẽti illi gratijs, gaudens, & hilaris, cæpitque filiabus suis cultum generi conuenientem inde comparare, ac sensim reliqua omnia, quæ familiæ honestæ necessaria deinceps videbantur: sed, malum! popellus, vt est ad maledicendum, quàm ad iuuandum, ac benefaciendum propẽsior, mox cœpit, quod diuinum erat beneficium, credere turpem quæstum esse, ac meretricium & quidquid in ea virtutis, ac magnanimitatis elucebat, nequiter interpretari inque ipsarum dedecus retorquere. Id quod simulac heroica illa mulier adorata est, filias conuocat, & lachrymis obortis. *Ite*, inquit, *filiæ meæ charissimæ, ite ad Matrem vestram optimam, ac tutricẽ Virginem MARIAM, & quam potestis obnixissimè, eam precamini vt à nobis detergat iniustissimam hanc infamiæ labem*. Dictum factum. Honestissimæ illæ virgũculæ nobiles in genua prostratæ, coram illa ipsa imagine, nihil eorum omiserũt, quæ ad Deiparę animum commouendum, ad iustam miseriæ suæ commiserationem, facere posse videretur. Nec profectò eas spes sua fefellit. Nam benigna earum Tutrix, de repentè eam famæ malignitatem sic extinxit, vt ipse regionis illius Princeps boni nominis ipsarum odore, qui iam in ore erat omni populo, illectus, ambas designauerit Abbatissas duorum monasterium recenter à se constructorum.

Quàm placeat Virgini Beatissimæ exercitiũ adorationum, ac genuflexionum.

CAPVT VII.

NEmo adeò ignarus est, peregrinus, & in schola ciuilitatis morum tam tyro, ac nouitius, qui nesciat, quo maiore honore afficimus quemcunque bene merentem, eo ipsũ affici maiori voluptate. Diximus superiore capite, adorationem cui adiũctæ sint reuerẽtiæ, & profundissimæ genuflexiones, præcipuo loco haberi in omni cultu, quã Dei Matri impẽdere possimus. Igitur voluptas, quã ex ea capit, superat alias omnes, quascunque ex alijs nostris erga eã obsequijs capere possit. Exercitium istud prorsus Angelicum est, quoniam nemo est Cœlestium Aulicorum, qui non in illo occupetur: & cum illud ipsum in terris mortales actitamus, pares simus beatis illis spiritibus, & in Homines, Angelos euadimus, summo genere honoris summam Vniuersi Dominam & Augustam, vna cũ ipsis afficiẽtes. Nam is honos quem illi tribuimus in terris, non minore eam afficit voluptate, quàm qui ei in Cœlo ab Angelis impenditur: imò fieri possit vt plerique multi mortaliũ sint, qui tanta sui submissione, tantique animi ardore huius adorationis studio vacẽt vt plusculos ipsorum in eo genere superent, & quod consectarium est, sibi maiorem gloriam concilient, quàm sit ea, qua nũc illi profruuntur. O nos cęcos! cur non igitur totas noctes, totosque, ac solidos dies illius cultui impendimus, si tantam ex eo capit illa voluptatem, & ad nos redit tantùm gloriæ? Ieiunia profectò, vigiliæ, ciliciorum & vestium pilis, horrentium gestationes, statarũ precum, officia coronarum & rosariorum recitationes, & alia vota, ac religiosæ, mentis (quas vocãt) deuotiones, quas illi offerimus, mirificè illi placent, quis neget? at quæ tanta vis est & doctrinæ & eloquentiæ, vel Seraphinorum ipsorum, vt dignè eloqui possit, quæ & quanta sit voluptas, quam capit Deipara ex adoratione sui, ab intimo cordis adorantium erumpẽte, quàm reuerentiæ, & alia extera interni affectus & cultus signa concitantur?

Adde, & angelis ipsis, adeoque toti Cœlitum Curiæ, esse Iucundissimum intueri Heram suam sic à mortalibus honorari. Nam, si pueri nobiliũ à pedibus, imò vt maximi quique Princeps, Aulici Regiæ temporalis, animis tripudiãt, cũ Reginæ suæ vident insigne aliquod honoris genus deferri; quo gaudio qua alacritate (putatis) beati isti spiritus, pedisequi, & felices huius Heroinæ aulici afficiuntur, cùm eam vidẽt tantis honoribus cumulari? Ipsi Trinitati admodum volupe est, intueri, sic eam à suis Clientibus honorari, in qua vna vnicè sibi complacuit, Patri, quod Filiæ suæ charissimæ tantum deferatur. Filio, quod suæ Matri dulcissimæ, Spiritui sancto, quod sponsæ suæ suauissimæ tam honorificè seruiatur.

Ergo mortales omnes, cuiuscunque tandẽ Ordinis sexus, & conditionis, studiosissimè hęc adorandi exercitia frequentent, dentque operam omnem, vt glorioſissimam, ac semper Virginem MARIAM cum reuerẽtia colant, maximè, quòd honos illi impensus facit ad gloriam IESV Christi, Magistri & Seruatoris nostri. Nam quis nesciat, quidquid obsequij diuo alicui amore Dei impenditur, id omne ad gloriam Dei pertinere, cuius gratia & beneficio est quod est Diuus ille? Cùm igitur virginem, tanquam creaturarũ omnium excelsissimam, ac perfectissimã honoramus; Deum ipsum honoramus, reapse profitentes, ea omnia, quæ Deiparam nobis spectabilem, atque admirabilem reddunt ab eius liberalitate proficiscĩ; & gratias ei immortales agẽtes, & laudibus ipsum efferentes qui scilicet me-

meram creaturam, consanguineam & æqualem nostram, eò perfectionis & gloriæ euexerit. Huc accedit, quod cultus & Reuerentia, quæ Matri, fluxio, & amore Filij, à mortalibus impenditur, à Filio excipitur, vt iuris sui, quoniam matri defertur respectu filij, & quia scitur, quam incredibile amore Matrem filius prosequatur. Immo verò crescit mortalium erga filium religio, cum ea, qua colitur mater; quòd mater vtpotè filio fidelissima, ad illum adducat, quotquot ad eam aduentant, omnemque dat operam, vt eos Deo conciliet, ac deuinciat. Et quemadmodum quandocunque glorioſissimam hanc Virginem honoramus, Deum in ipsa honoramus; ita spes nostras in Deo reponimus, cum in eius præsidio conquiescimus. Nam sperare in Deo, est nihil quàm sibi polliceri de ijs quæ faciunt ad salutem nostram. At auxiliorum diuinorum illud multo maximum est, quod à Deo, nobis sua mater in matrem nostram & aduocatam adsignetur, coram tribunali suæ Maiestatis pro nobis acturam; doceamurque Ecclesiæ Christi Magisterio, Deiparæ dicere *spes nostra salue, Eia ergò aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.*

Bre. Rõ ex Hermano cõtracto Monach Benedictino.

Hoc illud est, quod diuinum illud Ecclesiæ ornamentum S. Augustinus docere nos velle videtur, his verbis.* *Tu es vnica spes peccatorum: à te sola veniã peccatorum expectamus, & operum nostrorum bonorum remunerationem.*

**vt quidem verto ex Gall.*

Cùm igitur certo sciamus, Deum à nobis honorari, quoties Beatam hanc Virginem honoramus; huc affluescendi summo, vt eam sæpe noctu interdiuque profundis genuflexionibus colamus, partim primo diluculo, partim noctis crepusculo; partim alto noctis conticinio, quod tempus maximè idoneum est excitandę mortalium pietati, vacandique nobilissimo huic exercitio, illi præ cæteris gratissimo, vt certè ipsa indicare dignata est cuidam ex fratribus nostris Capucinis, viro singularis erga Virginem Deiparam religionis, vt si quisquam alius certo quem nosce nobis contigerit. Religiosus iste vir & probus sic assueuerat, vt quolibet Deiparam profundis reuerentijs demulceret. Cuius studij tam obseruans fuit, vt nunquam quieti se daret quin pensum illud absoluisset, sed aliquando ob multitudinem negotiorum, quibus in conuentu quodam die fuerat maiorum imperio distentus, arbitratus non posse centenarium reuerentiarum numerũ persoluere; statuit deinceps mediam partem rescindere, & quinquaginta cæteris contentus esse. Cùm igitur die quodam pio illi exercitio operam daret, apparuit illi Beata Virgo splendido vestitu, quem chlamijs stellis fulgentibus vno tantùm latere variegata tegebat, sicque eum affata est? *Quid istuc est fili mi? vnde tibi iste amoris tepor? Cœperas Chlamidem hanc illustribus istis stellis quas vides, ornare reuerentijs illis, quas quotidie mihi impendebas, quo genere honoris cumprimis delector: nunc autem leuiculæ excusatiunculæ prætextu, abis opere pendente & imperfecto. Sed nihil moror excusationes quascunque; absoluas oportet, quod cœpisti, si tamen meus esse vis, & aliquam apud me gratiam inire:* Sicque loquta, euanuit; Vir autem pius monito illo factus prudentior, ad antiquum morem redijt, in eoque ad extremum vsque vitæ spiritum ardenti ardentius solito in hoc honorandæ virginis studio, perseuerans, nobis odorem vitæ suæ suauissimum reliquit, atque exemplum optimum studiosè, ac feruidè colendæ Virginis huius ante Virgines omnes, admirandæ Phœnicis Virginum. Sed nemo sibi persuadeat hoc honoris genus, quod illi exhibemus, solas mulierculas, ac plebeculam decere. Eius enim merita, & dignitas, qua in cœlo censetur, obligant æquè omnes, magnos, paruos, doctos, indoctosque, vt eam colant & venerentur. Ipsi Patriarchę & Prophetæ (vt sancti doctores affirmant) eam agnouerunt, & in spiritu adorauerunt, mille & mille ante annis, quàm in lucem ederetur. Quid Patriarcas & Prophetas loquor? Imò verò & Angeli ipsi simulac creati sunt, verbum Dei intuiti, eam viderunt, nouerunt, & submisse sese in genua prosternentes, eam adorauerunt, vt prædestinatam & certò futuram; Heri, ac Principis sui parentem, & Dominam suam. Quid maius dici potest? Ipse Dei filius, iam homo factus, legis decretis parere voluit, & omnibus omnino officijs, quæ filium frugi obedientemque, & iusta in parentes pietate præditum decent, studiosissimè prosequi. Prætereà ad primores primitiuæ Ecclesiæ Christianos descendamus. Apostoli ipsi eam valdè coluerunt, quin & Templa ipsi ædificarunt, altaria erexerunt, & (quorundam autorum grauium senso) famosam illam & sacram cellam Lauretanam consecrarunt. Ad Magnates seculi huius longe eminentissimos veniamus. An non videmus eam ab Imperatoribus, Regibus, ipsisque Summis Pontificibus omni reuerentiæ genere excipi, & detractis sibi coronis suis, diadematisque et submissis adorari? Ipsi prisci Ecclesiæ doctores, quibus eam laudibus, & honorum titulis affecerunt? Imò verò quibus non cumularunt? quàm excellentem, quamque diuinam prædicant libris suis sancti; Hieronymus, Augustinus, Chrisostomus, alijque scriptores multitudine innumerabiles? Quàm prope diuinæ laudes eius publicauit Angelicus Doctor? Seraphicus Doctor D. Bonauentura

noster

noster annon in omni scriptorum suorum genere suauem quandam summamque erga eam spirat pietatem? Albertus Magnus nonne pretium amoris sui erga eandem accepit, non sine miraculo, philosophiæ naturalis perfectam peritiam? Ad nostrum Alexandrum Halensem, Doctorem illum irrefragabilem* sanctorum Bonauenturæ & Thomæ præceptorem: (vt tandem aliquis sit referendorum authorum finis:) veniamus, & paucis narremus eius quoque in Sanctam Virginem religionem, & quid eum dicere mundo extremum vale impulerit, vt Ordini Minorum nomen daret instar militis cœlo generosè militaturi, sub Aquilis, ac sacris vexillis Santissimi Patris nostri Francisci.

** Card. Bellar. libr. de Scriptoribus Eccles.*

Alexander igitur ille Halensis natione Anglus, homo excelsi ingenii, & singularis doctrinæ, Primus Theologiæ in vniuersitate Parisiensi professor, fons & origo omnium Theologorum scholasticorum; Papæ! quos & quàm magnos pietatis huius duces & defensores sequimur! sic Deiparam coluit, vt aliqando se voto deuinxerit, *Nihil se negaturum earum rerum, quæcunque tandem ab eo Virginis nomine & amore allegato, poscerentur.* Id quod simulac resciuit Domicella quædam non ignobilis, ad Monachos Bernardinos cucurrit, eisque clam hoc Doctoris votum indicauit, affirmans posse (nisi ipsi sibi deessent) suum ordinem tanti & tam rari ornamenti accesione illustrari. Boni illi Patres animati Domicellæ illius persuasionibus, & veritatis dicti sui confirmationibus, rem tentare constituerunt, & profectò domum eius adierunt, à quo & humaniter excepti sunt, & colloquijs doctis benè spiritualibus, & Alexandro illo Magno dignis, diutiusculè pasti sunt; sed malum! seu obliti, seu nescio quid veriti, seu diuino quodam consilio tantum virum Ordini D. Francisci, tam nascenti reseruante, impediti, discesserunt, nulla omnino facta rei ipsius, quæ eos ad illum traxerat mentione. Bona Domicella, vt silentium illud resciuit, arbritrata Bernardinos forsitan de dictorum eius fide dubitare, ad PP. Dominicanorum Conuentum abiit, idemque eis significauit, quod ante Bernardinis. Præfectus conuentus mox duos ex suis destinauit certiores factos voti doctoris Alexandri, & admonitos quid facto opus esset, & qua industria: sed cùm duo illi Dominicani Dom. Alexandrum alloquerentur, de repentè & ex improuiso, fratres duo Minores, manticis, seu mendicabulis suis onerati interuenere, quorum alter diuinitus adflatus, sic Dom. Alexandrum affatus est: Domine Alexander, *iam tempus est missas faciendi eas vanitates, quæ te hactenus deceptum habuerunt. Itaque te moneo & rogo in nomine Dei, & Beatæ Matris eius, vt D. Francisci habitum tibi adsciscas; certò enim mihi constat, eius ordinem opera tua indigere.* His auditis, Patres Dominicani obstupuerunt, & verò ipse Alexander multo magis, qui Spiritu sancto agitatus, vimque ei faciente voti emissi religione & amore in Virginem respondit. *Ita Patres mei, ite, præite duntaxat, iam iam vos sequor.* Ita vir ille Ter Maximus extremum vale dixit mundo, & F. Minor conscriptus est: sed cum more maiorum, anno tirocinij, *probaretur eius spiritus, an ex Deo esset,* pertœsus arcti rigoris regula, vehementer agitari cœpit desiderio deserendæ nouæ stationis; Cumque iam transfuga fieri constituisset; Ecce tibi pium Patrem nostrum Franciscum lectulo eius adstantem, eique in somnis apparentem, ponderosæ crucis gestamine prægrauatum, & obnixe conantem ad præruptæ excelsæque rupis Cacumen erumpere, quo adspectu commotus ad commiserationem Halensis, opem & manus adiutrices ei prætendit, vicariamque operam obtulit ad erumpendum. Sed vix sanctus irato similis oculis eum limis intuitus *Apage,* inquit, *homo ignaue & tepide, abi, & opem istam tuam offer effæminatis, & delicatulis tui similibus. Nam sublenicula mollique è panno Cruce succumbis; istam immanem & ligneam qui ferre possis?* Ingenuus Nouitius non surda aure cœleste illud monitum excepit, sed hinc doctus, per cruces & rerum difficultates, velut per regiam viam, patere mortalibus ascensum in cœlum alacriter vouit Deo Franciscanismum, in eoque cum laude mortuus est.

Votum Alexād. Halensis

1. Ioā. 4.

Quòd Angeli hominesque teneantur Virginem gloriosam reuereri, vel ideò quòd Deipara sit, seu Mater Dei.

OMnium amplitudinum dignitatum, fauorum, ac priuilegiorum, quibus Maiestas diuina MARIAM Virginem beatissimam cumulauit, nulla eminentior illa, qua mater Dei, è tam multis vna electa & facta est. Nam ea dignitas transgreditur vniuersas, quamcunque tandem diuinitus concessam sciamus cuicunque creaturæ. Hæc omni sublimitate cœlesti, & ipsarum Hierarchiarum cœlestium, est excelsior. Hæc spirat diuinum aliquid, infinitum, immensum, incomprehensibile, & supereminet, quæ cunque verbis eloqui, aut animis concipere Angeli hominesque possint. Hoc illud est, quod S. Augustin. initio libri de Assumptione Virginis significatum voluit, cum dixit:* *Nullius mens concipere, nullius lingua satis eloqui possit, huius gratiæ ac dignitatis effectum:* Pius Bernardus multifariam, multisque modis, valdeque exaggerat sublimitatē illius

** vt verto ex Gal*

illius dignitatis. S. Anselmus quodam libro de excelentia Virginis, ait, post Deum nullam neque in cœlo neque in terra, dignitatem reperiri, quæ illi possit æquari:* *Dum taxat, dicere, hoc tantùm, sanctam MARIAM Virginem, esse Deiparam, seu Dei Matrem (ait vir ille sanctus) est id eloqui, quod altitudinem omnem transcendat, quæcunque post Deum dici aut animo fingi possit.*

**vt vertò ex Gall.*

Inde natum illud est, quod SS. Patres inferunt, Maternitatis diuinæ titulũ, esse principium ac fontem, ex quo scaturiant prærogatiuæ, & gratiæ omnes singulares Virginis huius gloriosæ. Eccur (inquiunt) ante secula omnia prædestinatione quadam priua in Matrem Dei delecta est? Eccur in S. Annæ Matris vtero Spiritus sancti beneficio, facta est sancta & immaculata? nisi vt esset hospitiũ, & tabernaculum dignum filio Dei? Cur conceptio eius peccatum originale nesciuit; nisi quia Verbũ Dei, ex eius carne carnẽ mundissimam & maculæ omnis expertem sibi erat ad sumpturum? Cur morte obita, & cœlo recepta considere iussa est supra thronos Hierarchiasque cœlestes omnes; nisi quod esset mater Dei? Cur Regina Cœli decreta est? Cur Augusta Imperatrix vniuersi cum plenitudine potestatis in creaturas omnes, nisi quia datum illi vni fuit. Omnipotentem, & supremum omnium Monarcham genuisse? Cur denique omnes cœli terræque adeoque, & inferorum satrapæ, audito eius nomine glorioso incuruantur; nisi quia Dominorum altissimum, genuit, peperit, aluitque, cui flectitur omne genu, coram quo Magnatũ maximus quisque non aliud est, quàm tenuis vmbram, & nihil? O amplitudinem! ò rem stupendam! eam tam excelsam, tam sublimem tamque raram dignitatem virgunculæ concessam! Quis non hinc obstupescat? Quem non tantæ rei admiratio extra se raptum teneat? Matrem Dei esse & vna Virginem! ventriculi sui puncto inclusisse eum, *quem cœli cœlorum capere non possunt*! Matrem esse delitiarum patris æterni, summique boni Angelorum! Denique produxisse! (ò prodigiũ admirabile!) Creatorem ipsum suum, & patrem suum genuisse! non est quod obstrepatur; eæ res vniuersæ capacitate omni superiores sunt; naturæ nostræ stupori sunt. Et profecto non frusta Ecclesia mater nostra, ei versum hunc accinit: *Tu genuisti Natura mirante, tuum sanctum Genitorem.*

Bre. Rũ

Igitur Sancta virgo, quia mater Dei est, maximo illo cultu quo potest creatura honorari, quem Theologi Hyperduliam indigitant, digna est, & si (senso Suarezij,) ea species cultus subdiuidi possit in alias duas, nempe in Inferiorem & Superiorem. Inferior est cultus, ille qui priuatim sanctis quibusdam impenditur, adspectu excellentis alicuius dignitatis, aut gratiæ creatæ: vt S. Ioãni Baptistæ, & Apostolis, ratione tituli & ordinis eminentis, quem sunt adepti; vt nostro etiam Francisco magno, ratione mirabilium & sacrorum illorum stigmatum, quibus tanto miraculo ipsis Domini IESV manibus, vnicus indelebiliter insignitus fuit. Superior singularis est, & priore illa multò sublimior, eaque priuatim, seclusis omnibus creaturis, soli Beatæ Virgini Heræ Nostræ omnium conuenit: Vt quam Deus Pater dignatus sit honore gignendi, pariendi, alendi educandique Summi omnium nostrum Monarchæ.

Adspectu excelsæ, ac summi illius dignitatis ipsius, vniuersæ Cœli, ac Terræ creaturæ, eam reuerentur, ac Principem suam profitentur. Audito, lectore eius nomine Prælati, Regesque æquè omnes capita submittunt & genua flectunt. Generationes prorsus omnes eam laudant, & colunt, vt in cantico illo suo vaticinata est, cùm ait: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*. Et, vestram fidem: quis populus, aut quæ natio in terris vsquam degit tam barbara, quæ eam non adoret, aut non beatarum beatissimam tota animi submissione fateatur? Ipsi Iudæi adeoque ipsorum. Rabbini honorificis titulis eam in suis libris cumularunt, vxores quoque eorum, etiam quæ errorum suorum fuerunt tenacissimæ, aliquando vel coactæ eius nomen celebrarunt, atque auxilium implorarunt. Libet hìc referre historiam admiratione dignam huc pertinentem, quam olim doctus P. Peibartus noster suo virginem MARIÆ (vt vocat) stellario inseruit. Matronam quandam Iudæam (ait ille) parturienrem, cum acutissimis puerperij doloribus torqueretur, Christianæ quędam mulierculę, quæ ad eam (vt fit) ex sympathia & commiseratione visitandam obstreticatur conuenerant, hortatæ sunt, vt Virginis Deiparæ potentis Christianorum Lucinæ opem imploraret, ac sic fore, vt tormentis puerperij citissimè, ac fæliciſsimè eriperetur, fidem habuit misella consilio sociarum, & sublatis mox in cœlum oculis iam moribundis, quantillum vocis attenuatæ, & semimortuæ illi superfuit, totum his precibus eiaculandis impendit: O me miseram, quæso te ò Virgo misericors miserere mei, religio ac professio mea quidem (non infiteor) & peccatum execrandum gentis meæ in filium tuum charissimum paricidæ, faciunt, vt prorsus indigna sim, quæ opem tuam implorem, aut sperem, sed si clementiæ tuæ consueta bonitas, indignitatem meam dissimulans, tormeno isto puerperij plus quam siculo me absoluerit; do fidem me abiuraturam errorrẽ eligionis meę

Luc. 1.

&

& daturã caput meum baptismi vestri aquis tingendum, nec non prolis ex me nascituræ, & victuram morituramque in cultu tuo, tuique obseruantia.

Vix dixerat, & penè dicto citius vt optauit, peperit masculum, cum quo vna paucis post diebus Baptismi Sacramentum accepit. Non multo post maritus eius peregrè redigens negotijs peractis, quæ eum foras extraxerant, cùm rem totam subaudisset, euaginato protinus gladio, & furijs infernalibus agitatus, innocentem illum pusionem suum vix bene natum barbarè trucidauit, qua vna re sic Neophyta nostra animo perturbata est, vt nullo neque dignitatis, neq, Charitatis coniugalis respectu seruato domo eruperit, & implens cœlum clamoribus, fœmineoque eiulatu exclamauerit: adeste amici mei opem ferte, adeste opem ferte parricidium prohibete, quæso; est qui pusiunculum meum heu! est qui pusiunculum meum trucidarit: & tota platea discurrens instar amentis in acta verbaque insolentissima prorupit, quæcunque suggerere potest tantus dolor matri recenti à puerperio & lactentem suum filiolum depereunti; & vt sic loquar: idolatranti.

Ingens mox populi frequentia afflictam illam matrem circunsepsit studio reciscendi, & quid causæ esset miseræ, sic plangendi atque eiulandi, patricida autem metuens Iudicum magnus excessit, euasit, erupit, fuga, per ambages viarum obliquasque semitas, quibus ad portam vrbis tenditur, arrepta, quam cum forte fortuna clausam reperisset, Deiparæ sacellum proximum prosilijt, quod ei opportunissimè nocte illa ædituorum negligentia fortuita non clauserat.

Ibi latens patricida ille, & vexatus sæuis illis furijs, quas pati solent, qui eiusmodi facinora perpetrarunt, fortuito oculos iniecit in Heræ nostræ imaginem, ibi in principe altari stantem, cuius adspectus illum tanto pudore affecit, vt mox ad eius pedes procideret, & cum singultu medios sermonis sonos interrumpente; Ah! nimium hoc est Domina mea, (inquit) nimium hoc est vrbanam esse, hostem tuum prope te pati, atque eum occultare quærentibus, ac iustas illatæ tibi ab illo iniuriæ pœnas poscentibus. Ah! Vere hoc illud est, quod ex alijs sæpè fando audiui, clementiam tuam meram miraculorum esse artificem atque officinam; neque illius, aut fundum vllum sciri, aut mensuram clementiam (inquam) tuam. Heu! quam nunc obtestor, non vt me viuum seruet: nam criminis mei fœditas, quam perhorresco, mihi abstulit eius rei omne tam desiderium, quàm meritum; sed hoc tantum vt sceleris mei digneris non meminisse, & lachrymarum mearum diluuio iram tuam iustam immergere, gratamque habere oblationem, ac translationem irretractibilem cordis atq, obsequij mei, quam iam nunc tibi, ac Filio tuo Domino meo facio, quod felix, ac faustum sit.

Nondum orationem finierat, & libebat sanè plura dicere, cùm ecce derepentè se armigerorum turma, aliorumque Magistratus satellitum grege stipatum vidit, qui collo duriter arreptum ad Vrbanum Prætorem traxerunt ad cuius ille pedes se statim proiecit, & sic (tamen vultu satis pleno fiduciæ) eum affatus est: illi Here nulla ego adductus neque voluntate, neque spe animi tui huc inflectendi, vt te miserat mei, barbari parricidæ & violatoris sanguinis sui, hic adsto hoc vultu ac gestu: (id enim foret scelus meum non toleranda quadam impudentia cumulare:) sed duntaxat, vt à te gratiam eam impetrem quam mihi nullo propè iure negare possis. Quæ igitur est illa? inquit Prætor. Baptismus, mi Here, (subiecit Hebræus) quo & me tingi iubeas, antequam extremo supplicio afficias, adiuro te per Christianum nomen venerabile, quo censeris. Adtonitus his verbis Prætor, & ad commiserationem impulsus, ocyssimè adduci sacerdotem, qui cum Baptizaret, iubet: ipsusque Iudæo fieri voluit lustricus Pater; baptismoque collato intrusit, nihilominus hominem in Tullianum, & carcerem publicum, postridiè de crimine Iudæi per otium plenius atque exactius cogniturus, & dignis crimine pœnis affecturus; tanta est, vis studij Iustitiæ in viris bonis, vt animum quem semel occuparit, reddat immotum, & aduersus morbos animi, atque affectus omnes, inuidum. Dum hæc aguntur, captiui interim vxor, cadauer prolis suæ fixius intuita, motum eius aliquem animaduertit, quinimo ipsi quoque subire visum est viuentis instar; cumque vna beatam viri sui conuersionem etiam didicisset; arripuit pusiunculum suum, atque amenti simulis præ gaudio ad Palatium euolauit, vbi illum Iudicibus sanum saluumque ostentauit, cicatricem duntaxat & tenue vulneris vestigium habentem. Ea res priori mirabilior, cum ad priorem quoque accessisset, ita Prætoris animum commouerunt, vt illico miserum hominem criminis reum, ac nocentem purè planeque absoluerit, & excarcere liberum abire permiserit, qui rectè se ad sactam Virginem contulit, gratias illi religiosè acturus, quam iam vtriusque miraculi autorem agnoscebat; & (vt Rabbinus erat, & legis Doctor) scripsit pereruditè laudes Deiparæ Virginis, aduersus gentis suæ perfidiam, ac inuictam pertinaciam. Quid? Turcæ etiam ipsi, Maurique, & alij Mahumetanæ sectæ populi, hanc sacram, & Beatam Virginem colunt, Dei Matrem agnos-

agnoſcunt, horrendis mathematum fulminibus diuerberant eos (vt in eorum Alcorano legere eſt) qui ipſam non ſatis reuerentur: ſanctum eius nomen honorant, ac ſeueriſsimis pœnis eos excipiunt, qui euomunt in illud blaſphemias. Quid verò dicamus de Chriſtianis? Quæ vrbs, quis vicus, quis pagus, quamlibet anguſtus, & nullius nominis,

Virg. 1. Æneid. *Quæ regio interris, eius non plena clientum,* eamque

Quaqua poſſunt honorãtium? *Plena* quoque *eſt omnis terra gloria eius.* Sed nondum ſtatim finis. Non ipſa Virgo dumtaxat colitur, ſed ipſæ etiam imagines, & ſimulachra; certè vt ſolebat iunior quidam ſcholaſticus, qui (vt refert Vincentius in ſpeculo ſuo hiſtoriali) ſic eam (vt ita loquar) deperibat, vt, quoties ei contingeret, quamcunque eius imaginem intueri hoc tantum, toties in genua rueret, vnaque ſemel ſalutationem Angelicam recitaret, vel piã hanc oratiũculam.

Ex Leone X. *Beata viſcera MARIÆ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filiũ, & beata vbera, quæ lactauerunt IESVM Chriſtum Dominum meum.* Sed, vt Deo non inſolens eſt electos ſuos tentare magnis afflictionibus, hic militiæ literariæ, tam religioſus tyro, tã nouo etiam inſuetoque genere morbi diuinitus percuſſus eſt, vt labra ſibi ipſe linguãque morderet, velut rabie percitus, quamvis morbi faciebat. Cùm igitur die quodã morbus in eum ſæuiſsimè graſſaretur, ad lectuli ſui pedes vidit iuuenem facie ſpecioſiſsima, & ita ſplendida, vt aciem oculorum, etiam aquilinorum poſſet hebetare (erat is haud dubiè bonus eius genius Angelus adſcriptus illi tutelaris) qui miſereſcẽti ſimilis, oculos ad cœlum extulit, & lamentans, quærulaque voce vtens. *Vide, ò Domina mea ah! Vide, inquit, miſerum tuum clientulum, ſedulum & frequentem illum, olim ſalutatorem tuum, ſolitum tot teſtimonijs illuſtribus profiteri, quàm te deamaret, tam miſerrimè in lectulo vili tabeſcentem, ſolatio quouis humano deſtitutum, & intolerabilia tolerantem. Vide, inquam, vide, ſed oculis miſericordiæ, & paratis ſuccurrere, hanc linguam illam labia illa, quæ toties eius pietas laudibus tuis celebrandis exercuit, iam morſibus eius ipſius dilaniata, & ſanguine fœdata. Fer illi opem, ò Hera auguſtiſsima, porrige tam fœdè vexato manũ adiutricem. Ad quem enim, aut quo eheu! eum ire velis? vel cuius alterius opem implorare, aut expectare, quàm tuam, vnius, ac ſolius ſpei miſerorum, & aſyli cõmunis omnium dirè afflictorum?* Sic loquutus euanuit, & illicò æger vim orationis illius expertus, corpus extulit, ſurrexit è lectulo non ſine miraculo, tam ſanus, & membris omnibus confirmatis, quàm aliàs vnquam ante morbum, pauciſque poſt diebus A religioni ſeueræ admodum diſciplinæ nomen dedit, ne tanto beneficio ingratus cenſeretur, vbi & vixit in Beatam Virginem liberatricem ſuam, & in Angelum tutelarem ſuum, cauſsidicum atque interceſſorem pro ſe tam potentem, tanto obſeruantior, & religioſior.

Beatiſsimæ Virgini reuerentiam, & adorationem deberi, ob illam gloriæ ſublimitatem, qua cunctos Beatos anteit.

CAPVT VI.

Quilibet cœlitum Hæres iam factus, ac profeſſor bonorum æternorum, adoratione illa dignus eſt, quam Theologi noſtri Duliam vocant, quæ venerationis ſpecies eſt, quam vulgò ſanctis omnibus, etiam minorum gentium debemus, quoque amplior eſt gloriæ gradus, qua fruitur quiſque in cœlis, tantò maiorem oportet eſſe venerationem, qua illum mortales proſequimur in terris. Quid iam dicemus de Hera noſtra beatiſsima ordinibus, ac dignitatibus cœli omnibus prælata, & ſedere iuſſa, nullo intermedio ad dextram Filij ſui, æterno Patri longè chariſsimi? An non tibi videtur, iure ſuo à nobis illa exigere, vt ſe præ cæteris Diuis omnibus honoremus, quandoquidem omnes, & meritis, & gloria longiſsimè antecellit: Quòd ſi verum eſt, gloriæ menſura gratiæ, menſura æſtimari, quandoquidem quiſquis inter mortales, plus gratiæ fuerit adeptus, idem plus gloriæ inter beatos cœlites conſequetur: ecque amabo, creatura quamlibet ea Sancta ſit, ac numeris omnibus abſoluta, ampliora gratia cumulata fuit, quam Domina noſtra beatiſsima? Nam quis in Eccleſia Catholica, tam hoſpes, ac peregrinus, vt neſciat ei, ſimulat in Matris vtero ſanctificata fuit, plus gratiarum infuſum diuinitus fuiſſe, quàm Angelis ipſis, gratiarum, inquam, quæ ſemper ad extrema, vſque vitæ eius tempora ſuccreuerunt, nam quolibet temporis momento, quocunque opere, quacunque tandem occaſione, creſcebat Deipara meritis apud Deum, à cuius contemplatione nunquam, ne tum quidem cum exterius occupabatur, non vel ad latum vnguem, diſcedebat. Id quod Albertus ille Magnus admodum eloquenter in ſuo libro *de Beata Virgine* exaggerat, ſed præterea admirabilius multo eſt, quòd ait deuotus ille Sanctus Bernardus. * *Iſta,* inquit, *Filia ſimul, & Mater Altiſsimi, non tantum in ſomnis, & vigilans, ſed etiam dormiens rerum cœleſtium contemplatione fruebatur, cum nihil in rerum natura eſſet, quòd vel tantiſper ſpiritale eius aſtruumque, cum Deo commercium poſſet interrumpere, adeò, vt etiam cum altiſsimè ſoporaretur, &*

* *Vt qui dẽ verto ex Gall.*

in vtramque aurem, (vt dicitur) dormiret, altius diuinius que contemplaretur, quàm sancti quicumque etiam perfectissimi, cùm maximè vigilarent, & orarent ardentissimè.

Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vt lepores palpebris patentibus, & leones apertis oculis somnos capere dicuntur, & leguntur; sic animo peruigilante Deipara solo corpore

Zac. 12. dormiebat. *Effuderat Dominus* super Deiparam *spiritum gratiæ, & precum,* (vt loquitur Zacharias.)

Ecquius ergo tam subtile est ingenium, vt vel concipere, & intelligere possit immensum gratiæ, & meritorum Deiparæ Occeanum, ac, quòd indesequitur, infinitam eius gloriam, quæ merces est gratiæ! Quia vt idē

D. Bern. ser. 1. in Assum. initio. Sanctus Bernardus ait, *Quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris; tantùm & in cœlis obtinet gloriæ singularis.* Cōcludamus igitur tādem, ac statuamus gloriam, ac beatitudinem, quæ Filiæ, Matri, ac sponsæ æterni Dei contigit in cœlo, neque animo comprehendi, neque eloquio enarrari posse longissimeque omnem cœlestium Hierarchiarum, & omnium beatorum gloriæ celsitudinem post se relinquere, etiam senso Doctoris aureo semper eloquentiæ torrente fluentis Ioan. Chrysostom. * *Quid sanctius,* in-

**Vt verto ex Gallic.* quit, *MARIA Virgine gloriosa? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphini, non Cherubini. Denique quidquid creatum, & virile est, Virgine MARIA minus est.* Et S. Anselmus.

**Vt qui dē verto ex Gall.* * *Ineffabilis,* ait, *& semper admiranda est huius mulieris gratia, & excellentia*: ac, deinde conuerso ad ipsam sermone subijcit. *Quid vltra eloquī possint, ò Hera mea, eum mihi, vel conanti dumtaxat gratiæ, gloriæ, ac beatitatis tuæ immensitatem intueri, sensus hebescat, & lingua in ore rigeat, atque obmutescat?* Neque tantum, ex gratiarum eius diuinarum vbertate, fas nobis est eius amplitudinem, & dignitatem, quàm in cœlo adepta est, colligere; verum etiam ex eius profundissima animi demissione, seu (vt nunc scholæ loquuntur) humilitate. Nam cùm in confesso sit, vel toto orbe Iudice, quo quisque se hic in terris profundiùs submiserit, hoc sublimiorem futurum in cœlis, vel Doctrice veritate increata, cùm sæpiusculè ait: *Qui se humiliat exaltabitur,* &

Luc. 14 & 18. Mat. 23 Mar. 10 Magni Ambrosij senso: dicentis. * *Quo se deiecerit homo in hac vita profundius, eo in altera futurus est gloriosior,* & subijcientis:

**Vt qui dē verto ex Gall.* *Nam quot humilitatis gradus hic descenderit, totidem gloriæ, illic ascendet.* Vestram fidem: ecquis vnquam ex mortalium immortalium que creaturarum cœtu vniuerso humilior prouectiorque (certè in oculis sui, ac senso suo) hac Virgine, alioqui nunquam satis pro dignitate æstimabili? Dicere profecto summo iure possumus, eam hac vna tanti pretij virtute, sic sibi Deum deuinxisse, & gratiam eius totam sic sibi conciliasse, vt ipsum è cœlo descendere compulerit, & hominē in vtero suo induere, eamque in sponsam Matremque charissimā, sibi è tam multis vnam adsciscire, vt & ipsa (in pulcherrimo illo suo Cantico, *Magnificat*) ingenuè profitetur. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* O virtutū potentissimā humilitatem! S. Bernardinus noster Doctor, & Concionator nobilis affirmat, Deiparam, cum ore Angeli diuinitus salutaretur, solo illo humilitatis actu, quo se Dei voluntati totam dedidit, seque ancillam eius nuncupauit, dicens: *Ecce ancilla Domini,* vberiorem gratiam gloriamque promeruisse vnam ipsam, ac solam, quam homines Angelosque coniunctim, & globatim omnes, quandoquidem illo vnico actu, summam illam, & omnibus nominibus admirandam dignitatem Matris Dei promeruit. Nam (vt ait deuotus Bernardus) **nūquam illi contigisset Angelis vniuersis anteferri, nisi ipsa prius homines sibi prætulisset vniuersos.* *Luc. 1.* **Vt quidem ego verto ex Gall.*

Si quibusdam Diuis, vt Sancto Patri nostro Francisco datum est, velut dignum ingentis ipsorum humilitatis pretium ad altissimos Seraphinorum thronos conscendere, ipsisque inseri, (qui ordo inter primos est Angelorum, & diuinitati ipsi propinquissimus) ad quam gloriæ immensitatem (amabo) prouecta credēda nobis est humilis Deipara MARIA, tota pura, & immaculata, tota sancta antequam nata, & cui nulla culpa, non vel minima, neque nota, neque innata vnquam fuit? Candidè & ingenuè profiteamur gloriam, ac beatitatem MARIÆ longè ampliorem esse gloria Sāctorū, atque Angelorū, tātoque excedere, quātò vasta cœli totius circūferentia pūctulo vno diffusior est, quātò splendidū solis iubar, exigua luce cādelæ est luminosius, quātò vastus Occeanus, tantilla aquæ guttula, & totus denique terræ globus, pugillo pulueris est corpulentior.

Iure igitur flectendum est omne genu ei virgini, cui in throno tantæ maiestatis sedere datum est, adorādaque est, vt excelsa Angelorum hominumque Regina. Quòd si verò ipsa creaturas omnes Maiestate, & honore longè supereminet, certè nemini cedit formæ quoque pulchritudine. Nam fieri non possit, quin mortalium oculi, si vel tantillum pulchritudinis faciei eius radium, nullius medij interpositu cernerent, mox repercussi contabescerent, atque obtenebrescerent, tantæ claritatis tolerandæ impotentia, cuius obtutu etiam caligant, vel oculi ipsorum Angelorum, cœlestium scilicet Aquilarum. Quàm rem exemplo isto

au-

autorat Heroldus quidam, Ordinis Fratrũ Prædicatorum Monachus, quòd ad posteros scripto transmisit.

Fuit (inquit ille) iuuenis quidã scriptor, Virginis Deiparæ cliens officiosissimus, cui pro more erat, illam perfrequenter profundissimis reuerentijs salutare. Cùm ergo is in literis sacris mediocriter versatus esset, in quibus Deiparæ species vberrimè celebratur, cœpit eum incredibile videndæ Virginis desiderium, cuius impulsu obnixè eam orauit, vt se ipsi aliquando spectandam præbere dignaretur; ea pulchritudine, qua & quanta spectari solet in cœlis. Igitur cum aliquando eidem ea de re ardentius supplicaret, audijt vocem è cœlo dicentem sibi. Ah! nimium est, quod amice petis, & viribus tuis altiùs Icari more, ceratis pennis volare contendis. Aut moderatius aliquid opta, aut planè desiste optare, quòd optas, damno certè tuo maximo. Nam huius rei, quam affectas, pretium aut supplicium, minus esse non potest cœcitate, & certa oculorum iactura. Susque deque habeo, respondit ille, cæcus sim an videns. Multò malim visum, imò & vitam amittere, quàm videndæ, vel semel Deiparæ beneficium, non obtinere, si tamen Dominæ meæ graue non est, tanto me honore dignari. Tantillo deinde temporis interuallo elapso, rem diligentius pensitans, atque intelligens illam cæcitatis mulctam, quàm ei vox cœlestis interminabatur, si optato spectaculo frui daretur, sibi forè molestissimam, qua scilicet statim necessariè ad pudenda mendicabula, & manticam redigeretur, cautissimè viam quandam mediam commentus est, qua & videret quidem quãtum satis quod affectabat, & tamen cæcus nõ fieret, quòd vnum timebat; statuit scilicet alterum oculorum suorum claudere, altero autem Virginem Deiparam, cùm ei appareret, intueri, qua cautela fieret, vt partim fieret, vt partim voti sui compos fieret, partim pœnam curiositati suæ debitam euaderet. Cùm igitur dies celica voce apparitioni illi præfixus illuxisset, tum Augusta cœlestis ei apparuit pulchritudine, & claritudine incredibili circũamicta; ipse verò sibi cautè prouidens, manum alteri oculorum obtendit, alteroque eam affatim, & fixissimè est contemplatus, quẽ (mirabile dictu) simulat illa ex oculis euanuisset, non dumtaxat hebetatũ sensit, sed etiam solita vidẽdi vi prorsus destitutum. Tantum verò abfuit, vt is acturam illam, iam defioculus deploraret, vt contra vehementer doleret, seque mente cœcum, & stolidum fuisse diceret, qui tantillæ rei parcens, plenum tãtæ voluptatis vsum à se prohibuisset, dicoque in genua prouolutus, brachijsque in crucis formam extensis, & oculis ad cœlum dolenter erectis, rursus Deiparam orauit, iterum ei vt apparere dignaretur, pacisceus cum ipsa, non dereliqui duntaxat visus amissione, sed & de vitæ quoque iactura, vt illa tanta fœlicitate, qua sic videnda cœlorum Augusta capitur, iterum frueretur dulcissima virgo nescia, & insueta clientum lachrymis quidquam negare, iterum ei apparere dignata est, vt voto eius satisfaceret, eadem planè specie, quam prius ei ostenderat, sed longè alio exitu. Nã non modo oculo superstiti, & sano nihil nocuit, verũ etiam alterum illum luce, iam priuatum benignè sanitati restituit, quàm speciei sui splendor nimius vitiarat.

Verùm nõ Angelos beatosque omnes pulchritudine, ac splendore duntaxat antecellit, sed etiam gaudio ipso essentiali (vt vocat schola iunior) quo cumulatissimè, & redundanter dotata est. Nam nemini dubium esse potest, quin fœlicitatis amplitudine illi cedant, qui etiam illi cedunt gloria, & honore, quòd possessio alterius, alterius sit mensura.

Doctores sancti plerique multi affirmant, Virginem plus gloriæ solam adeptam esse, quàm sancti vna Angelique omnes, adeò vt, si posset singulorum gloria conglobari, & in quadam quasi Critolai libra, cum sola solius Virginis Deiportæ gloria ponderari, tantum propensura esset laus gloriæ Virginis huius solius, vt terram, & maria posset deprimere, ideſt, vnius MARIÆ gloriam fore infinitè cæterorum omnium gloria superiorem. Videte igitur, & ipsi Iudices estote, quo voluptatis torrente, quibus delicijs Deipara Virgo in cœlo perfruatur, quandoquidem (sensu Augustini, concione quadam de cœlesti beatitudine) ita se res habẽt, vt si posset guttula gaudiorum Paradisi casu in Infernum defluere, ipsa damnatorum tormenta essent ipsis allatura voluptatem. O admirabilem sententiam! vt vel vna stilla, aut atomus deliciarum cœli tantam vim habeat condiendi supplicia damnatorum, vt deinde possint illis dulcescere! An ignoramus ipsum Apostolorum Principem, cùm in arido cœlorumque excessu retorrido mõte, Dominum suum spectaret transformatum, & quadam immortalium gloriæ, particella circumseptum, & summis velut labijs (vt sic loquar) gloriam cœlestem delibaret, illis suauitatibus factũ esset velut ebriũ, & sibi velut ereptum exclamasse, *Domine bonũ est nos hic esse*? Verùm singulari speculatione, & admiratione dignum est exemplum illud, quòd nunc sum proditurus, haustum ex S. Antonini Archiepiscopi monumentis, quod eius ætate, in quodam Monasterio S. Basilij traditur contigisse. *Cic. lib. 5. Tusc. quæst.* *Mat. 17.*

Monachus quidam pietate, non vulgari illustris (ait magnus ille vir) frequens in deliciarum cœlestium cõtemplatione, illarum amo-

amore, ac desiderio, ita captus est, vt indefesse Deum precaretur, sibi vt liceret in hac vita, vel ipsarum guttulam dumtaxat prægustare. Cùm igitur is mirabili precum importunitate, atque assiduitate vnum, illud certè plenum curiositatis à Deo efflagitasset; ecce aliquãdo auem audiuit, nescio quid rustici quidem cantus, sed miræ voluptatis garrientem, & vibriscantem, non procul à cellula sua, qua modulatione mox sibi aures insueto gaudio sensit titillari, animumque sibi totum surripi, dulci & illecebroso illo miraculo, adeò vt illico amẽtis instar è Monasterio erumperet, studio plenius audiendi cantus illius, & eum auem illam psaltriam fortè conspexisset arte, & mira elegantia saltitantem, & arboritim fugitantem, cœpit eam lentè sequi, sed cum eam propiusculè essset assequutus, auis velut indignabunda, & offensa eius præsentia, in secretiorem arboris cuiusdam proceræ, iuxta Monasterium ipsum natæ angulum auolauit. Monachus ille pius impigrè eam sectatus, tandem post longam vestigationem reperit in arbore velut in nidulo insidentem, ibique blandis suis cantibus repetendis, iterumque indulgentem, ad cuius illeradicem mox concedit, & ipse ita oculis auribusque diuino illi obiecto velut adfixus, atque adglutinatus, vt Argus totusque oculeus credi possit effectus, ad pulchritudinem eiusdem intuendam (quę illi haud dubiè naturali maior erat) aut potius Midas, & totus auditus, seu solis auribus constans, vt harmonicas illius auiculę voces plenius dulciusque hauriens, suauiùs animũ pasceret. Vt verò in se ab illa voluptate est reuersus, & mens tantisper erepta, illi reddita est; cœpit gradu lento, & pedetentim ad Monasterium reuerti, arbitratus non plus vna, aut altera hora, cantibus auiculæ cælestis illius psaltriæ aures prębuisse. Sed ille, vt vidit Monasterium suum penè totum à fundamentis instauratum, & nouum factum, validisque muris circum vallatum, constitit, sed adeò attonitus, vt tantisper immotus, & elinguis staret, deinde velut ex alto somno repentè excitatus, sic secum: *Quid isthuc*, inquit, *miraculi est? quid hoc prodigij? Vigilo egone, an dormio? An fortè phantasmata, & diabolica ludibria oculorum aliqua video? Omnino. Nam vt homines vniuersi ad opus confluant, & operas conferant, non ædificarint vel biduo, quòd duarum horarum vix spatio, à pauculis Monachis debilibus confectum video. At quidquid tandem isthuc sit, mihi rei veritas scisciranda est.* Dixerat. Et tantillum accedens, ac pede tremulo, & dubitabundo, statim non aliter, ac si ab aliquo violẽter repulsus esset, ad passus quinque, aut sex retrocessit, dicens: *Quid agam? Quo ibo, aut quo me vertam? Me ne vt oculis clausis in periculum manifestum præcipitem? An non animaduerto, insidias istas, & fraudes esse mihi paratas ab hoste generis humani, vt me eam perditum? Sed quid ego homo pusillanimis timeo? An ignoro pijs, & seruis Dei gloriosum esse, Dæmonum odijs patere? horum velitationes, & prælia, virtutis esse tyrocinia, eorumque validissimas colluctationes meros gradus esse, quibus ad perfectionis fastigium ascenditur? Ita est quidem, sed affectate, & sponte in manifesta pericula, quæ vitando, aut declinando superari facilius possint ruere, plus temeritatis, & indiscretæ arrogantiæ habet, quàm magnanimitatis, ac sæpius sinistros exitus vnius, quàm gloriosa præmia alterius experitur.* Sic bonus ille Pater diutiusculè animo suspensus stetit, inter sic, & non, ideſt, valde dubitans hoccine, illud ne faceret, corpore interim, ita in diuersa se mouente, planè vt mens eius diuersis consilijs agitabatur. Sed tandem, timore cedente audaciæ, generosam indignationem concepit, ac simul faciem pulchro verecundi ruboris colore suffudit, ingenuæ mentis teste certissimo. Quæ *ignauia*, inquit, *quæ mea animi mollities est isthæc? Insonium perhorrescere? hostem metuere toties impugnatum, & expugnatum? Quid? An non idem mihi minus nunc est, qui olim fuit? Non eadem arma, quibus à me toties vis eius est repulsa, & irritæ factæ eius insidiæ, & tendiculæ, etiam captiosissimæ?* Et hæc dicens promouit gradum recta versus Monasterij portam, currenti similis; & ecce eam pulsanti nouum stupendi argumentum: videbat enim eius valuas, totamque molem materia, & arte, tunc multo nobiliorem, quàm cùm inde excessisset. Quis ibi stat? (inquit ei Ianitor.) Quis es tu? Quid tu vis, Pater mi? Quid velim, rogas? (respondit ipse magis magisque adtonitus.) Hospitium si placet, Monasterij huius alumnus scilicet. Tu ne? (subiecit clauiger eum, tunc adtentius considerans.) Et à quo tempore? amabo Pater hinc abisti? Ab vna, aut altera hora, respondit bonus Pater, quum scilicet in vicinum nemus ibam, orationis gratia: imò verò tu quis es? A quo tempore factus es collega hic noster, & præterea portitoris officium adeptus? Ignosce (quæso) id vrgenti, cùm te hic antea nunquam viderim, quòd quidem meminerim. Tu mihi ludis nescio quis, aut perfrictæ frontis scurra videris à verbis, ac gestu (ait tunc Ostiarius secum, & tacituo,) & cõuersus ad hospitem illum, & defixis oculis, intuitus, ita respondit. Hic ista (quæso) Pater, vel tantisper, dum ad Abbatem meum excurram, & alloquar; nam te non ausim ante petitam ab eo licentiam admittere.

Ve-

Venit igitur Abbas, & cognita post multos vltrò citroque habitos sermones rei veritate veteres ex archiuis commentarios, & regestas actorum Monasterij tabulas, proferri iubet, quibus ritè consultis comperit, ab annis sexaginta supra trecentos, & amplius, vixisse Abbatem illum, sub quo pius ille Pater se aiebat mundo valere iusso, vixisse! O miros effectus æternæ fœlicitatis Paradisi!

Si tot annorum cumulus visus est horula tantilla pio huic Patri sola dulcedine cantus vnius auiculæ, aut potius Angeli in auiculã transformati, Deus immortalis! quid faciẽt Harmonicæ illæ diuinorum phonascorum Cœli concertationes? Si Monacho huic Beato contigit tot annos morari, sub tegmine fagi fortasis, aut alius arboris cuiuscúque, ac nullo sensu, neque *tempestatum* famis, aut sitis, neque iniuriarum Hyemis, aut Æstatis, interim molestè affici, ob vnam vix guttulam voluptatum Paradisi primoribus labris libatam; quid erit bone Deus! quid erit, cùm dabitur magnis prolixisque hausti bus potare, & inebriari torrente æternarum voluptatum? *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*, ait Rex Propheta. Cùm igitur Beata Virgo, sit proxima à Deo palatij illius cœlestis Domina, & Augusta, sitque canalis quidam, per quem iste perennium gaudiorum torrens, ad omnes cœlestis Curię Aulicos deriuatur, eosque cumulatissimè implet inenarrabili voluptate; honoremus eam, adoremus eam, & indefessè officijs illis, & reuerentijs demulceamus de quibus dicere iam cœpimus, & posthac dicemus vberius, capitibus sequentibus.

Thren. 5

Psal. 35

Beatam Virginem nobis esse honorandam ob Dominium eius in omnes omnino Cœli, ac Terræ Creaturas.

CAPVT III.

Nobilibus omnibus, Diuitibus, Probis, ac virtuti præditis, iussus honos debetur, ob excellentes illas, quibus pollent prærrogatiuas, sed quo quisque honoratior est, & dignitatibus, seu magistratibus eminẽtior, hoc maiori reuerẽtia est dignior, vulgoque magis honoratur, id quod experiri est in Prelatis, in Proceribus, & alijs sæculi huius Primoribus. At cum Beata Virgo sanctitatis perfectissimum quoddam sit exemplar, & omnigenę perfectionis quędam epitome, dilecta scilicet è tam multis vnica, ab Omnipotente Deo in Matrem, euecta super omnes Choros, & Ordines Angelorum, denique adepta creaturarum omnium superiorũ inferiorumque imperiũ; ius fasque est, vt mortales omnes Angelique adeò ipsi in genua ei

A prouoluantur, subditorum, ac seruorum more, & adorabundi eam venerentur, Augustãque vniuersorum vociferando profiteantur. Sed quis tam duri oris, & deploratæ verecũdiæ, vt litem ei mouere ausit, aut velit indignatione huius adtributi ipsi summo iure debiti? Quis ei deneget eum honorem, qui illam tam iusto titulo contingit? Regina inde est MARIA, Filius eius IESVS Christus *Rex sit Regũ, & Dominus dominantiũ.* *Apo.* 19.

At quis tam est in Ecclesia peregrinus, ac iuris communis adeò imperitus, vt nesciat, cuicumque incumbat Regem reuereri, eidẽ incumbere, Reginam quoque venerari? Beata Virgo (vt iam ante à nobis dictum est) Dei

B Patris filia est, Filij mater, & sponsa Spiritus Sancti; itaque Filia, Mater, & spõsa Sanctæ Trinitatis. Cùm igitur tanta necessitudine, & vinculo coniuncta est Deo, præcipuè autem Dei Verbo incarnato, Filio suo, quẽ totus Orbis Deum suum esse profitetur; dubitari non potest, quin ipsa eiusdem sit Regina. Hoc illud est, quod ait Sanctus Athanasius dicens: * *Quoniã ille Rex est, & Dominus; Mater quæ eum genuit, consequẽter Regina, ac Mater censetur*, Idipsum voluit Damascenus inferre, cùm dixit: *Haud dubiè rerum omnium Domina, ac Regina creata est, quandoquidem Mater est ipsius Creatoris.* **Vt quidẽ verto ex Gall.*

Affirmemus ergo constanter, ipsam Vniuersi Reginam esse, eique absolutè, nulla re-

C strictiora (vt vocant) clausula limitante, dominari, atque imperare (vt vulgò dicitur) virgula omnibus mortalibus, atque immortalibus, haud aliter, ac Palatij quidam regij Magister solo virgulæ, quam gerit motu, inter reliquos Aulæ domesticos, aut Venator quispiam inter catulos sola fustis vibratione; quapropter omnium oculi sunt in eam conuersi, vt clientum, & seruorum ad Dominos, omni reuerentia eam prosequẽdo, & promptitissimè obediendo. Huius rei contẽplatione, & potentia admiratione, qua toti huic orbi imperitat, ita D. Bernardus exclamat. * *O te felicẽ MARIA! data est tibi omnis potestas in Cœlo, & in Terra, adeò, vt tibi quidquid velis, possis.* Velle tuum, ac posse tuũ conuertuntur. Ecclesia quidẽ mater nostra titulis eam valdè multis solet honorare, sed sæpiusculè Reginam Cœlorum nuncupat, & Dominam Angelorum, *Aue, Regina Cœlorũ* (ait) Aue Domina Angelorũ. Fatentur omnes, eius Principis ampliorem esse potentiam, ac magnificẽtiam, cuius imperij pomœria latiùs se extendant: quinimo si fortè fortuna vni, ac soli contingeret, toto orbe principari, & populis omnibus iura dare (quo tamen mortalium nemo pertigit, nisi voto, & ambitione fortasis, vt Sathanas Christo mendacissimè dixerit aliquando, (*Hæc omnia tibi dabo si, &c.*) es- *Matt.* 4

**Vt quidẽ verto ex Gall.*

In Antiphona post Puri.

set profectò amplitudo. Principis illius sum A
ma, & digna omnium nostrum admiratione.
At totum hoc quod animo fingimus, quid
est nisi punctum valdè exile, si cœlorum am-
plitudini libeat comparare? Virgo tamen
glorioſa toti Mundo vna dominatur, estque
vera Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum Auguſta, & beati earum regionum populi omnes indigenæ, inquilini, aduenæque, merita eius continentur, & interruptè, ita concelebrãt, vt dicere liceat, *Cœli enarrant*
Pſal. 18 *gloriam MARIÆ*, & more clientum eius modeſtiſsimorum, magni honoris loco ducunt, ſi ei obſequi, ſeruire, ancillari permittantur. Denique valdè parum eſt, quod dicimus; quidquid de Regni fœliciſsimi Virginis glorioſæ, vel pulchritudine, latitudine, amplitudine, & magnificentia dicamus, aut dicere conemur; etſi exiguũ illud quod dicimus, valdè magnum, & propè incredibile conemur. B

An non eſt hoc, ſupra quam dici poteſt, mirabile, totum hunc terræ globum ſi Cœlo compares, non eſſe aliud quàm tenue punctulum, ac velut atomum iacentem in medio ſphæræ ampliſsimæ? Quàm vaſtos (putatis) & immenſos eſſe oportet cœlorum orbes, ſi globus terræ, cui inſident tot regiones, totque Prouinciæ, cùm contingit illis comparari, induit punctuli vnius penè inuiſibilis rationem? Communis eſt opinio C
Aquam Terra: Aerem Aqua; Ignem Aere decuplo eſſe vaſtiorem, ac ſic res omnes cœleſtes hoc vaſtitate magis, ac magis creſcere, quo plus adtolluntur, & ſunt cœlo empyreo propriores. Et revera quis noſtrum ignorat, Lunam totam ſui cœli orbitam percurrere vno vix menſe? At ſi Luna (quod docent Mathematici peritiores) orbem cœli ſtelliferi haberet decurrendum, non vel triginta ſex millibus annorum eũ decurreret, cùm tamen cœlum illud ſtellatum, cum empyrio æterna illa beatorum manſione comparatum, anguſta tantùm, ac breuis ſemita ſit, aut (ſi verius dicã) nucis calyculus. Quapropter priſci quidam, & graues Authores D
**Thom. Stapletõ in prõptuarij ſui moralis præf. ad lectorẽ parte Hyemali*
(vt refert noſter Philippus Diez, * Authorum Conciones, & concionatoria, nunc ſcribentium facilè Princeps) docent ſi ingens quodpiam ſaxum è cœlo huc deijceretur, annos plures mille quingentis in itinere hęſurum, antequam terras attingeret. * *Cœlum Empyreum*, ait magnus ille vir, *tantò abeſt à terra interuallo, vt ſi inde lapis molaris deruderetur, eſſe qui mordicus teneant, huc nõ peruenturum ante annos mille quingentos.*
** Vt qui dẽ verto ex Gall.*
Quis eo vel audito, vel lecto, non obſtupeſcat? Quis non totus mirabundus exclamet? Domine *conſideraui opera tua, & expaui*, totuſque ſaxo ſimilis dirigui.

Propheta quiſpiam contemplatus amplitudinem præluſtriſsimi palatij conditoris omniũ Dei, adtonito ſimilis clamat: *O Iſrael quã magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & nõ habet finem excelſus, & immenſus.* Vaſtiſsimum profecto oportet eſſe palatiũ illud cæleſte, in quo ſinguli beati propriam manſionem ſint habituri, & ibi thronum quiſque ſuum euectũ pro modo, ac numero meritorũ, quòd Chriſtus, ac Dominus ipſe noſter nos docuit, cùm diſcipulos ſuos de diſceſſu hinc ipſius ſubtriſtes conſolans, dixit: *Nõ turbetur cor veſtrum. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* S. Vincentius Dominicanus, de mãſionibus regni illius agens, ait, *ſingulos beatos cœli ciues decretos maius ſpatium ad habitandum adepturos, illo quo diſtat Oriens ab extremo Occidente.* Sed numerus cœli incolarum, tam Hominum, quàm Angelorum multitudine innumerabilis eſt, qui vnica huius terreni orbis incolæ opponi poſsit. Vos ergo Iudices ipſi eſtote, & ſententiam ferte quantam oporteat eſſe illius, ſeu Capitolij, ſeu Palatij æterni vaſtitatem.

Baru. 3

Ioan. 14

At Beata Virgo, non modo Hera, ac Domina tam ampli imperij eſt; verum vtitur etiam ſpiritibus illis beatis vice Aulicorum, ac pedis eius claudẽtium quorum ad omnia paratiſsimorum, turmatim ſemper, & ordinatiſsimè latera, Curiamque ipſius magnificè implentium. Nam ſi (quod docet Chryſoſtomus) dum adhuc cum mortalibus, mortalis, & ipſa, & mortalium miſerijs obnoxia verſaretur, cuſtodes corporis ſui, ſtipatores, atque adminiſtros, Angelos numero prope infinitos, Deo adſignante, habuit, qui eam aduerſus inſidias, & ſtratagemata Inferorum tuerentur, ad conſeruandum Regi ſuo ſacrũ illud, conopæum, liberũ & vndequaque impollutum: quot, amabo, myriades eorundem eius obſequijs decretas arbitramur, cùm iam eo dignitatis, & gloriæ prouecta eſt? Sed quis poſsit, vel animo complecti, vel verbis eloqui numerum ipſi coram pro regia dignitate miniſtrãtium? Propheta Daniel, cùm meminit multitudinis Angelorum, inquit, *Millia millium miniſtrabãt ei, & decies milies centena millia aſsiſtebant ei*, quibus verbis nil aliud, quàm ipſos multitudine innumerabiles eſſe, ſignificat S. Dionyſij Areopagitæ ſententia eſt, Angelorum numerum longe ſuperiorem eſſe rebus omnibus, quæ corpore, & materia conſtant; ſcimus enim res eam omnes fluxas, & ſublunares tanti non eſſe ſi cœlis comparentur, qui corporum nobiliſsima, & perfectiſsima eſſe cenſentur: imò verò, quod ex ipſis alio ſuperius eſt, eodem illo longe eſſe præſtantius; ſupremum autem omnium, reliqua infinite antecellere perhibetur.

Dan. 7.

Itaque ſtellæ iſtæ, quæ nobis vix tantulæ eſſe

esse videntur, multò maiores sunt toto hoc globo, qui inferiora tamen hæc omnia complectitur.

Nemo etiam nostrum nescit, vnicuique mortalium, qui ab Adamo cõdito fuerit vnquam, aut superstit, aut erit, vsque ad nouissimi iudicij diem, semper fuisse, esse ac forè diuinitus decretum Angelum tutelarem singulis suum, qui eũ custodiat, protegat, ac defendat, vt docet Ecclesia, qua in re Deus est omnibus idem, Probo, & Improbo, Innocẽti, & Scelesto, nemo hominum ab huius custodiæ beneficio secernitur.

Virg. 1. Æneid. *Tros Tyriusque illi, nullo discrimine habetur.* Fatendum igitur necessario est, Ordinem infimum Angelorum, cui soli munus illius tutelæ, ac custodiæ mortalium decretum est, vincere numero homines vniuersos quotquot tandem viuunt, vixerunt, & ad occasum vsque mundi huius victuri sunt.

Quid ergo de reliquis choris Angelorum, quandoquidem (vt iam à nobis dictum est) eorum numerus tanto maior est, quo est illo sublimior, atque perfectior. Itaque (aiunt nonnulli) longè minori labore possent cœli, astra, guttæ maris, arborum folia, plantæ terræ, atomi per Solis radios volitantes numerari, quàm certo dici, quanta sit Angelorum multitudo, quæ à nullo, præterquam à Deo solo potest definiri, aut determinari.

Sed dictis addamus præterea ad charissimæ Dominæ nostræ gloriam vberius amplificandam, aliud etiam mirabile; nempe, quòd Angeli, quorum tantus est numerus, omnes varietate gloriæ singuli à singulis differunt, adeò vt quemadmodum ingentis voluptatis pratum, alijs & alijs infinitorum florum coloribus pulcherrimè variegatum intueri; sic omnino iucundissimum esse oportet spectare immensam illam cœli planitiem, habitatã numero innumerabili Angelorum, quos singulos à singulis pulchritudo, & gloria essentialis distinguat, quorum gloria & pulchritudo semper capiat incrementum, pro ratione meritorum, & dignitatis singulorum. Quanta igitur gloria, atque excellentia est eius, qui primatim phalangis illius cœlestis habeat, cum gloria, vel postremi, ac omnium minimi sit planè incredibilis?

Inde cuique nostrum licet assurgere, ad concipiendam animo multifariam Beatæ Virginis celsitudinem. Nam si Curia tantæ est excellentiæ, si Aulici eius tam potẽtes, & suspiciendi sunt, quæ amplitudo, quæ magnificentia erit illius Heroidis, cui pro virili singuli eorum maxima submissione ancillantur. At beati illi spiritus, instar administrorum eius iudissimorum, perpetuo eius throno adstant, Maiestatem eius adorantes motus omnes oculorum eius obseruantes, vt ad nutationem & quodcunque voluntatis eius, vel tenuissimum iudicium, vt omnia dicto & nutu citius, ad salutem mortalium, (cuius illa solicitior est, quam credi possit) integerrime exequantur. Ita sentit eximius Doctor S. Augustinus, cùm ait Sanctum Michaelem cælestis illius exercitus Principem, & Imperatorem, cæterosque Aulicos beatos, Reginam suam circumstare, in oculis eam semper habere, sedulòque obseruare, numquid imperatura sit mortalibus salutare. * *Sanctus Michael* (ait magnus ille Theologus, aquila Doctorum Ecclesiæ) *omnesque Angeli, in Curia cœlesti vigilantissimè Beatã Virginem obseruant, si fortè quidquam ab ea decernatur, quòd faciat ad animæ cuiuspiam salutem sempiternam.* Statuamus igitur excellẽtias Beatæ huius Virginis tales tantasque esse, vt neque animo, & cogitatione concipi possint, neque sermone explicari, non linguis hominum, non Angelorum; eamque secundam à Deo rerum in Cœlo potiri, & iura dare, vtpote Hierarchiarum cœlestium Reginam, & Matrem summi Monarchæ, rerumque omnium Creatoris. * *Vt qui dẽ certo ex Gall.*

Neque ea cœli duntaxat, & Angelorum Regina est, & Augusta, sed etiam Mundi huius, quàm latè patet, omniumque incolarũ. Hinc Theologi nostri, per frequenter eam eam indigitant *Reginam Mundi*, S. verò Gregorius Pontif. Maxim. ẽpiusculè eam *Dominam omnium Christianorum* appellat, & est profectò, quandoquidem ea partim saluti nostræ autrix fuit, singulari quodã modo redemptioni nostræ cooperata. Ac, quẽadmodum IESVS Christus, Rex, ac Dominus noster, quòd nos redemerit; ita Beata virgo Regina, Hera, ac Domina nostra, quòd in opere salutis nostræ manus operamque aliquam præstitit, & concurrit modo suo. Eius enim interuẽtu, Deus ipse Redemptor noster est, quod meo sanè iudicio magnæ illecebræ, imò verò arctissimi vinculi loco nobis est, vt æquè omnes, ex animo & toto pectore, nos eius gloriæ, & obsequijs totos deuouecamus, ac velut immolemus.

Sed & absoluta huius Augustæ potestas, ad perduelles, vsque legiones Inferorum peruadit. Nam ad solam benedicti nominis Deiparæ inuocationẽ, superbissimi illi spiritus diffugiunt attonitis similes, & fulmine percussis. * *Cùm mihi dicere contingit, Aue MARIA* (ait pius ille S. Bernardus) *ridet Cœlum, gaudet Angelus, Mundus exultat, Infernus tremit, dæmones fugiunt.* S. Brigitta, libro primo Reuelationum suarum, ait, dignitatem personæ, & ordine illo solo, quem in Cœlo sustinet sola Beata Virgo, cogi vel ipsos demones ei honores iustos * *Vt qui dẽ certo ex Gall.*

impendere, & obsequi. Et addit prætereà, cùm forte contingit (vt fit) quempiam à Tyrannis illis infernalibus male haberi, molestari, aut quocunque modo infestari, si illius opẽ imploret, ipsos illicò minima oculi ipsius nictatione abigi, prosterni, ac disiparı, vt qui nullo modo, nec minacias eius, nec vultus terrorem, ferre possint, quem multò magis perhorrescunt, quàm tormentorum, ac suppliciorum quorumcumque incremẽtum, quibuscunque tandem affici possint. Et si quando iure experiri aduersus animam aliquam, coram æterno iudice præsumant; eos tum simulac Deipara suscipere dignatur eius patrocinium; cum summo pudore causa casuros certum est. Vnius rei fidem abundè facit exemplum, sequens, quòd in Heræ nostræ miraculorum Promptuario reperire est, & refertur prætereà à R. P. F. Pelbarto Themestuario Theologo, & Concionatore ex noctris admirando, in stellario eius de B. Virgine.

Narrat ille, fuisse aliquãdo virum nescio, quem tam perditum, & naturæ adeò corruptæ, & ad malum propensæ, vt nihil in omni vita boni egerit, præterquam quod quolibet die aliquot reuerentijs, & præculis Deiparam honoraret, qui quamuis frequenter internis stimulis agitaretur; ad morum vitæque emendationem, tantùm tamen abfuerit, vt ideò peccandi finem faceret, quin potius magis magisque in malo obduraret, perpetuo scilicet eius ludo, & velut exercitio. Tandem cùm propè esset, vt animam ageret, extasin passus est, & (vt ei videbatur) à nescio quo horrendo dæmonum grege ad tribunal Dei tractus, qui miris clamoribus, & vlulatibus, iure de ipso agi, ab eo efflagitabant. Quid verò vobis vultis, aut petitis? ait tunc eis Deus Iudex. Scelestũ hunc (responderunt illi) quem abundè facinora sua nostri iuris fecerunt, & ita peculium nostrum, vt exutus sis omni iure, nobis illum negandi, aut eripiendi: nemoque alius à nobis meritò suum dicere queat. Admodum temere loquimini, ò arrogantissima capita (excepit abrupit que, tunc Virgo eorum inuectiuam, vt valdè opportune, & pauitanti reo conuenienter, superuenerat) & quid respondebitis, inquit, si vobis fecero fidem, rationibus irrefragabilibus, & omni exceptione maioribus, vos summa iniquitate flagitare, vt hic iuris, vestri fiat; temereque, & friuolè poscere, vt tradatur tyrannidi vestræ. Ac tùm cœpit Virgo longa oratione narrare viri opera bona, & suo patronæ fidelissimę more, ex archiuis antiquitatis occultissimis in medium proferre, quidquid facere dum poterat ad miseri absolutionem, ac iustificationem. Vix autem orationem absoluerat, cùm ecce princeps legationis partium aduersarum in risum cachinnumque insolentem, & immoderatum solutus mox, ita respondit: Hæccine, ò Hera illius sunt opera huc pertinentia? Hæccine illa sunt, ob quæ tu tibi victoriam, & triumphũ in hac causa, in procinctu, & ante victoriam, iactabunda polliceris. Ha, ha, he! Nisi aliud aliquid efficacius in loculis tibi restet proferendum, tua atque huius causa fœdè claudicat, estque loco tam aduerso, vt efficere nequeas, quin nostra triumphet. Dixit, & vna tot miselli rei delicta atrocia exposuit, & dicta rationibus adeò validis confirmauit, vt iam iam casurus causa videretur, nisi eius aduocata fauorem, & gratiam ei impetrasset, quòd iure non poterat, simulac enim illa causam responsis commodis destitutam animaduertit, ad arma fœminis, matribusque vsitata se conuertit, procidit scilicet ad genua Prætoris, prensauit, basiauit, & strinxit, quæ mox ab eo erecta, & blandè surgere iussa, Iudicem nouissimè affata est: Si actores isti (vt se vocant) legitimi essent, & aliquid iuris, aut detrimenti in hac causa proprij proferrent (mi Here, & Iudex æquissimè) probarem equidem illum eorum, tantùm persequẽdi iuris sui feruorem, aut certè per me nõ staret, quo minus victores discederent. Sed quo illis hæc, tam longa criminum tela, & textum, quæ ordine præferunt? *Quo molem, hanc immanis equi statuere? quiane petunt*, isthinc commodi? cui bono hæc altercatio? quid ad illos, huius peccatoris tanta, & tam frequens diuinorum tuorum afflatuum inspirationumque sanctarum contemptio, quàm sic nunc iactant? An zelus aliquis fortasis, & amor tui immoderatus, ipsos huc commouet? Aut verò, arcta quædam tui suique honoris communio, eos vrget tibi læso succurrere, & tuas vlciscı iniurias? Aut denique, opinantur forsitan, decere se, accurare, vt à nemine impunè in te peccetur? At ipsi, qua peccandi authores sunt, atque incentores, primi & ante omnes in ius vocandi sunt, seuereque plectendi. Si qua in quenquam iniuria est; ea tota, Domine mi, tota in vnum te est; vt in te vnum cusa est hæc faba, & tua vnius, ac solius Maiestas læsa est, ita tuum quoque vnius est, pœnam exposcere; vt *tibi* vni, ac *soli* misellus hic peccauit; ita vni tibi dare pœnas debet, & pati paratus est: non arma aduersus iustitiam capere, aut singulari certamine tecum, quasi parcum pari contendere, sed intus seriò, & toto corde pœnitere, sed oculis lachrymari, sed ore gemere, & altè suspirare, vt per eam vim tibi gratissimam, cogat misericordiam tuam, in quam solã peccauit, vbertim in se indulgentiæ tuæ fontes derivare. Enormitas quidem fateor libens (& immensa copia peccatorum, indulgen-

Virg. 1. Æneid.

Psal. 50

tiæ

tiæ illi repugnant, vetantque illum mitius aliquid de te sperare, quàm diram mortem, quàm ignes, & ardores sempiternos. Sed si vnquam preces apud te meæ quidquam potuerunt, & superioribus temporibus.

Virg.4. Æneid. *Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quicquam*

Dulce meum, adiuro te, per ego hæc brachia, quondam tenellæ humanitatis tuæ gestatoria, per hæc vbera tui altricia; *per ego has lachrymas, dextramque tuam te Oro (si quis adhuc precibus locus) exue mentem*, vlciscendi, & perdendi huius miselli, vel stillulam sanguinis illius tui nobilissimi, quem adeò prodige olim, vt nos tibi redimeres effudisti, mihi impartire, vt in meritorũ eius infinitæ profunditatis abyssum, peccatorum rei huius deploratissimi Occeanum immergam, & Occeanum Occeano absorbeam; vna tamen sanctissimè illius nomine pollicens, vitijs deinceps omnibus seriò vale dicturum illum, & tempus in omne posthac forè seruum tuum fidelissimum, tibique non seruiturum modo, sed & liberalissimè ancillaturum: suspirijs enim eius, quæ frequentissima, ac mœstissima trahit eximo pectore, & tacite eius, quàm in vultu eius lego, peccatorum suorum confessioni, velut fideiussoribus, & vadimonijs certissimis, fidem habeo, ita fore. Sic effata Virgo, facta iudici reuerentia profundissima siluit. Prætor autem prius, quam responderet, & sententiam ferret, oculos tantisper deorsum defixit, cogitabundo similis, & velut librans secum, & pensitans pondera, & vim rationum vtrimque allatarum, partibus interim *Spemque*,

Virg.1. Æneid. *Metumque inter* æquè *dubijs:* ac tandem sursum eos adtollens, & perblandè in Deiparam conuertens, sic eam affatus est. Ita certè est, Mater mea dulcissima, ita est, maximum est profecto, quod petis: sedensque reus ipse tãto munere, nullo modo dignus est: at quid tali patronæ negari possit? *Ego te, quæ plurima fando.*

Virg.4. Æneid. *Enumerare vales nunquam Regina, negabo Promeritam.* Ille igitur in gratiam tui, donum hoc, & indulgentiam peccatorum, quàm illi sic efflagitas, habeat, certus, si male beneficio vtetur, nullius tantæ clementiæ in posterum à me obtinendæ. Sic dicta sententia, illico dæmones magno, cum pudore suo diffugerunt, vlulantes horrendè ista vociferantes: Ha! Certò præsciebamus, nos si iure illa reo patrocinãte, experiremur, prorsus causa casuros. Nimia, Nimia inuidendaque est eius potentia, quoties, & pro quocunque tandem intercedat. Nimium, ah nimium tribuit illi Iudex, vt triumphare nobis vlla in causa liceat, pro illa qua vires suas nobis opponat. Miserius autem reus, sibi ex raptu illo terrifico tandem redditus, adstantibus quæ viderat, atque audierat, cum multis lachrymis, & suspirijs enarrauit, & fœliciter deceptis medicorum crisibus, ac censuris, sed vt ipsebus Inferorum elusis, corpore, & animo prorsus conualuit, & mox dato nomine Religioni cuipiam, libellum repudij dedit Mundo fallaci, & superioris vitæ intemperantijs finem imposuit.

Hinc cuique nostrum videre licet, quanti sit sanguis Filij Dei, & quantæ sint authoritatis apud eum pro nobis aduersus hostium nostrorum impetus, fidelis huius nostæ patronæ intercessiones.

Beatam Virginem summo honore à nobis colendam esse, quòd Mater nostra sit dulcissima, & longè clementissima.

CAPVT VI.

Beatam Virginem, cùm in funesto monte Caluariæ, iuxta Crucem, vna cũ D. Ioanne Euãgelista, lachrymis tota pene, vt Niobe quædam, liquescens, staret tamen constantissimè, IESVS Christus iam in crucem actus, & suffixus, oculis blandis, & misericordiæ plenis intuitus, sic eam affatus est: *Mulier ecce filius tuus*, Ioannem nutu, aut *Ioan.19* nictatione, qua tum potuit, illi ostendens: deinde, oculis iam in Ioannem conuersis, adiecit. *Ecce Mater tua, & ex ea hora accepit eam* charus ille *discipulus in sua*, iuxta correctionem Romanam, & Domini Lucæ Notationes; vel (vt olim legebatur in *Ibid. vbi variè legitur.* quibusdam exemplaribus) *in suam*, quæ & illi toto deinceps reliquo vitæ tẽpore summæ curæ fuit, & vt vera mater habita, & culta duplici honore, reuerẽtiæ scilicet, & prouidentiæ. Magnum ex verbis istis Doctores sancti mysterium eliciunt. Aiunt enim IESVM Christum, cùm Ioannem Matri suæ filium dedit, tum fideles vnà omnes illi in filios, velut adoptionis iure, commendasse. Nam si Ioannes (inquiũt) pro fidelibus, vnus pro omnibus, ibi stabat, quòd nemini dubiũ esse potest; sequitur cùm Virgo illi in Matrem est assignata, eandem tunc quoque omnibus fidelibus Christianis fuisse Matrem decretam. Quæ vna res D. Bernardo tantæ admirationi fuit, vt adtonito similis exclamarit: * *O verbum verbum omni admiratione dignum, Ecce Mater tua! Nam sic ò homo, MARIA mater tua est, ergo IESVS frater tuus est: ac consectarie Pater ipsius, pater tuus est. Accipe igitur illam in tuam.* Et verò ita est profectò: Nam si Deus, Pater noster est, *Pater noster, qui es in cœlis*, dicimus in oratione Dominica, si IESVS Chri- *Matt.6* stus frater noster est (vade ad fratres meos, ait ipse, Magdalenæ) & si tandem Virgo ipsa, Mater Dei est, ipsa igitur eadem Mater *Ioan.20* nostra est, & nos, gratia & iure adoptionis,

* *Vt quì dẽ verto ex Gall.*

eius-

ciusdem filij sumus; & hac argumentandi specie videtur D. Anselmus vti velle. * *Si IESVS Christus* (inquit) *MARIÆ filius, frater noster est; cur non ipsa, quæ Mater illius est, etiam mater nostra sit?* Quantam igitur esse oportet nostram huic animi voluptatem? Quantam fiduciam nostram, qui certò sciamus, eandem cum Filio Dei nobis matrem esse, cœlo, & huic vniuerso dominantem? Mater igitur nostra est, si Mater Dei est; sed mater est benigna, clemens, nil spirans nisi indulgentiam, & misericordiam. *Hoc opus, hic labor est*, eius diurnus nocturnusque, clementer nobiscum agere, & opem ferre. Nemo non cũ Ecclesia eam vocat Mater misericordiæ. *MARIA Mater gratiæ. Mater Misericordiæ.*

Item: *Salue Regina Mater misericordiæ.*

Sed & nos miselli peccatores, qui continenter gemimus, suspiramus *in hac lachrymarum valle*, & terra mœroris, eam supplici ter oramus, vt *illos suos misericordes oculos ad nos conuertat, & IESVM* charissimum suum *Filium benedictum fructum ventris sui, nobis post hoc exilium ostendat.* Et verò cur (putatis) in singulis nostris Catholicorum templis, domicilijs, platearum angulis, atque adeò angiportibus occurrunt spectandæ imagines Heræ huius, ac Dñæ nostræ, pue riportæ, id est, filiolum suum semper, vel in vlnis, vel in gremio baiulantis, nisi vt spectaculo illo pio doceamur, illam perpetuò, & indefessè in hoc vno versari, vt Filium suum nobis conciliet, & det perfruendum? Quasi diceret. Accipite, mortales, accipite, charum meum Filium, Patris Æterni meum vnigenitum. Ille vos deperiens, & amore vestri victus de cœlo in terram descendit, hominem vobiscum induit, tot molestissimis angarijs operisque seruilibus sponte se obiecit, seque Patri suo in ara crucis ferali sacrificandum stitit ipse; morteque turpissima, & omnium crudelissima tolerata legationis suæ munus absoluit. Eia *soluite corda metu, secludite curas*, & fidenter ad eum accedite: totus agnus, & mitis est, totus benignus, & misericors. Si accedere propriùs formidatis, memores frequentium vestrarum in eum offensionum: etiam recordamini eũdem factum pro vobis pusiunculum homunculum vix cubitalem, aut pugillarem, pusillitate eius in viros magnos, ac semideos crescere tis; sed & succurrat animis vestris puerulorum iras stuppeas esse, & velut è stipula, id est magna facilitate esse placabiles. Accipite illum igitur (mihi credite) tollite, efferte eum vobis, ecce offero eum vobis, doque libens, dono ducite, non potest eius possessio non esse vobis iucundissima atque vtilissima. Sed vt siris tantò dono digniores, hostilia castra deserite, & vitijs omnibus, ac peccandi desiderijs omnibus extremum vale dicite eiusque pedibus submissè aduoluti corda vestra in manus illius consignate, totos vos votaque vestra illi dedite, vtatur, abutaturvobis vt molli cera sicut collibuerit vobis; & huius operæ, ac patientiæ pretium summum quod habebit persoluet; pretium quo nullum maius, aut dignius animo concipi possit, cum Mortis Temporisque iniurijs, victoria haud dubia, certaturum. O beatam, & milies beatam illam animam, quæ multis huius Deiportæ Virginis allecebris tracta, vtetur hac regia, imo plane diuina liberalitate, & ad eam velut præsidium fidissimũ asylumq; fan ctissimum recurret, quoties res, aut spes suas vel turbatas, vel euersas senserit: semper enim experietur portam sibi patere, ad gratias fauoresque cœli impetrandos, nullamque poterit repulsam pati, dum tamen libellus eius supplicibus sola honesta postulentur. * *Nam mihi persuadere non possum, ò Magna, & Augusta Regina* (inquit pius ille S. Bernardus) *posse illum à te deseri, cuius spes omnes in te sint sitæ.* Theophilus etiam citatus in libello, cuius inscriptio est, *Speculum Virginis MARIÆ.* * *Scio*, inquit, *ò Domina Augustissima, nos tibi quam maximæ curæ esse. Ecquem enim vmquam inte sperare contigit, & confusus est? Aut quis opem tuam aliquandò improrauit, & repulsam passus, aut desertus est?* Huc pertinet, quod ait Doctor Origenes: * *Mihi persuasissimum est, Virginem MARIAM indefessè inuocatam, inuocantis necessitatibus nunquam defuturam, cùm sit prorsus misericors, & plena gratia: vndè aliter fieri non potest, quin misereatur eius qui opem ipsius imploret.*

O bona verba! satis profecto efficacia, vt perditissimi cuiusque, & desperatissimi animum noua spe salutis impleant, & quodam quasi fascino mordacissimos quorumcunque afflictorum dolores sistant! Qua Mater nostra est, tenerrimè nos diligit, & res nostras, ne quid capiant detrimenti, procurat diligentius, quam Mater quæcunque cuiuscunque vnigeniti. Et certè nunquam deest nobis; temporibus difficilissimis fert opem, in periculis adiuuat, subleuat in laboribus, & quibuslibet malis inuicta eripit, quoties illi supplices sumus, quà decet religione, ac fiducia. Aduocata apud summum, ac primarium huius Vniuersi Præsidentem nostra est, suscipit patrocinium nostri, causas nostras agit, bonorum immortalium nobis impetrat consortium, omnemque explorat occasionem, nobis obtinendi alicuius beneficij singularis. Hinc D. Bernardus, considerata tantæ Matris in cœlo nostræ, & aduocatæ potentia, mortales omnes hortatur, adire cum fiducia ad thronum gratiæ

** Vt quidẽ verto ex Gall.*

Virg. 6. Æneid.

Bre. Rõ.

Vt quidẽ verto ex Gall.

Vt quidẽ verto ex Gall.

Vt quidẽ verto ex Gall.

Virg. 1. Æneid.

**Vt ver to ex Gallic.*

gratiæ Dei. * *Accede*, inquit, *accede confidenter ad tribunal diuinæ Maiestatis, vbi est Mater coram Filio, Filius coram Patre, Filius ostendit Patri latus, & vulnera, Mater Filio pectus, & vbera: nullam pati possis repulsam, vbi tot sunt charitatis insignia.* Sed nondum finis, Officiosæ huic Matri satis non est, tot nos beneficijs cumulare, nisi etiam omnem lapidem moueat, vt Filium suum nobis iratum placet, eique conciliet subditos tam ingratè perduelles! O quoties iustus hic Iudex orbem hunc vniuersum funditus subuertisset, & campos pulueremque fecisset, vbi nunc tot vrbes; vt dicere fas esset, *Hi fuerunt illic.* Quot animæ, iam in medijs flammis æternum arderent, nisi ea intercessisset, & decreta iustitiæ Dei merito ipsis irati, singulari beneficio auertisset? An huius rei testimonium dari possit euidētius, quàm sit memorabilis illa S. Dominici, bone Deus! quanti viri, & quàm D. Francisco nostro intimi! visio nocturna? Cum nocte quadam pius ille Pater Deum oraret, vidit IESVM Christum Dominum nostrum sedentem ad dexteram Patris, ira stupēda inflammatum, armata manu telis tribus igneis, iam iamque paratum illis iactis ferire capita mortalium, vt fœcunda, tunc culpæ sæcula, & genus triplex peccatorum, vt ipsis vsitatissimorum, ita ipsi odiosissimorum, superbię scilicet, auaritiæ, & Venereæ voluptatis, dignè vlciscereturr, & iacturum fuisse profectò, si non Regina Mater author placidæ pacis Filio interuenisset, & iusta arma matris oppositu impedisset. Appello Domine (inquit illa, armis Filij opponens caput innoxium, & pedibus eius aduoluta, nec non genua arctissimè complexa) appello, inquam ab hac ira quamlibet iusta, ad solemnem illam tibi misericordiam.

Psal. 86

Apud Sur. in vita S. Domin.

Senec. in Thebai. Acto. 3. vox Iocastæ matris. Ibidē. Actor. 4 Virg. 1. Æneid.

Stabo inter arma; petere qui fratrem volet
Petat ante matrem. Tela, qui fuerit pius
Rogante ponat Matre.
In me arma, & ignes vertito, in me omnis
ruat
Vnam ira; *aut placida compostus pace, quiesce.* Appello.
inquam, & supllex Matrem tuam oro, si non decretum planè totum rescindere, saltē aliqua mitigare, aut manum tantisper suspendere. Nam, heu! quid nunc tibi vis? quo parata tibi, hæc arma? in quorum nunc excidiū coniurasti? An operum tuorum elegantissimam partem libet confringere? an clientes tuos perdere, quorum ibi Lytrum, ac redemptio tot riuis sanguinis, & tot cruciatibus stetit? An verò tu (ait tum interpellans Filius sermonem Matris, iam surgere, & assidere iussæ) blandè, & *vultu, quo cœlum tempestatesque serenat.*

Virg. 11. Æneid.

Vis me, aut suades, ab illis pati tam indignā, eorumque peruicaciam abire inultam? Non sit hoc perduelliones ipsorum authorare, & ius dare in posterum audendi in me omnia, & iurisdictionem iuraque mea omnia, vt faciunt, proculcandi? Non sit hoc potentiam meam contemptui manifesto obijcere, gloriam meam ipsorum insolētię prostituere, & censuræ libidinique ipsorum leges meas velut palearum vice substernere? Ah! Fili mi (subiecit tum Mater) si ad peccandum faciles sunt, & lubrici, etiam sunt ad pœnitendum.

Ad saniora consilia haud dubiè conuertentur, & officij sui erga te memores, euadent obedientiores simulac placita sua significaueris. Et hucrerum, en tibi percommodè duos clientulos tuos obsequentissimos (prosequuta sermone ei ostēdit hinc ipsum S. Dominicum, spectatorem stupendæ illius actionis, illinc verò S. Patrem nostrum Franciscum) quos allegare ad mortales possis (si tamen maiestati tuæ, ita videbitur) vt concionibus, & monitionibus suis sint illis cito, & seriò pœnitendi authores. Quod si obduruerint, & (quod absit) antiquum obtinuerint; sanctè tibi promitto, per me non staturum, quin eos iustitiæ tuæ rigor liberrimè, & durissimè vlciscatur; me non vel digitum vltra moturam, vt non plectantur, his dictis conuersus Deus, & compressus omnis iræ diuinę quamlibet magnę, & iustissimè inflammatæ impetus, dedit precibus Matris suę victas manus: & cum ira, in pharetram parata tela in perduellium vltione reposuit, & gladium (vt sic loquar) misit in vaginam. Cùm igitur in Cœlis Matre tam diserta, tamque potente ad exorandum vtamur, concurramus ad eam turmatim omnes, & sub pallij eius vmbram ab ira Dei illic protegendi, confluamus, more paruulorum, qui simulac patrem sibi dirè iratum vident, ad matres ocyssimè confugiunt, & sub stolis earum sibi latibulum quærunt, ne fortè ab irato patre iam fasces, & virgas ostentante virgentur. Curramus (inquam) & ad illam tam piā matrem certatim conuolemus; tunc verò maximè, cùm in aliquo periculo, aut necessitate versamur, dicentes: sub tuum præsidiū confugimus, *ò sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper*, eaque nos dubio procul, sub pallium suum est admissura, & à meritis pœnis protectura. Forsitan, & maternam huius Bonæ Diuæ erga nos pietatem inde disceremus: apud Christianos more receptum est, vt ferè chlamydata, & stolata, seu veste longè syrmatis, & prolixè defluentis tecta pingatur, sub qua velut sub Laureto, cùm tonat, & fulgurat, plerique multi mortales delitescunt. Nam ea in omnes nullo discrimine eius hospi-

Breuiar. Rom. in complet. de B. Virgin.

pitalitas, & obumbratio, non alterius rei est symbolum, quàm pietatis eius publicæ, & omnibus æquè paratæ, qua neminem repellit; imò verò omnes omninò admittit, & in fidem suam recipit, quotquot ad eam perfugiunt. Itaque (ait Sanctus quispiam Doctor)

Vt verto ex Gall. * *si ad patrem, enormitate scelerum tuorum perterritus accedere omnino non audes, ad Filium diuerte: sin autem etiam Filij à te quoque nimia peccandi licentia irritati, conspectum reformidas; agedum, ad Matrem eius recurre, quæ procultè dubio excipiet, & Filij tibi infensi iram sufflaminabit, illique te planè conciliabit* D. Chrysostomus in concione quadam, sermone ad Virginem conuerso,

vt verto ex Gall. sic ait. * *Ab æterno in Dei matrem electa es, hoc fine, vt quem Deus summo iure, & sincerè Iustitiæ ordine ritè seruato, seruare, & saluare non posset; seruaretur tamen clementiæ tuæ intercessione.* Huc facit pulchra illa visio B. Fratris Leonis; quo socio S. Franciscus Patriarcha, & Legislator noster familiariter vtebatur, quam in libro Conformitatum Ordinis ipsius reperire est. Beatus iste, & religiosus vir aliquandò in somnis sibi visus est videre diem Iudicij nouissimi, in quo

Psal. 74 Deus *accipiet tempus, & iustitias iudicabit*, imò, & iudicata reiudicabit, apparatum in vastissima campi planitie, vbi alter, & alter Angelus *Tuba* quisque *sua, terribilem sonitum procul æreconoro, Increpuit*: & humanum taratantara dicens, ciuit omnes, mortales mortuosque, & simul loco stato adesse iussit. Cumque iret is clamor cœlo, vidit duas prælongas scalas attolli, rubeam vnam, candidam alteram, vtramque ab imò terræ, cœlo caput inferentem, in quarum fastigio positus erat thronus, in quo erat Iudex omnia discussurus, & de omnibus laturus stabilissimam sententiam, nunquam nec reuocandam, nec mitigandam: His timidissimè spectandis intentissimus pius Pater (vt erant omnia sanè horrifica) vidit tandem Præsidem prodeuntem fulminibus circumseptum, oculis terribilibus, quales ferè sunt furentibns, & indicia manifestissima ingentis indignationis fronte gerentem, qui in rubentis scalæ vertice compositè, & cum incredibili Maiestate consedit. Ac tùm intuitus etiam est S. Patrem nostrum Franciscum, animantem pro virili, ac spe bona implentem animos citatorum, & comparentium, vt ad Iudicem fidenter ascenderent, cuius audita voce, cum non pauci audaculi imprudenter, & temerè per scalæ rubræ gradus ascendere conarentur; derepentè deturbati sunt, hi ex quinto gradu, isti ex decimo, illi ex tricesimo, alij etiam ex proximo fastigij gradu, solo terrifici Iudicis illius adspectu ita repulsi. Cumquè hæc Patriarcha noster intueretur, & satis causam lapsus tam multorum animo

Virg. 9. Æneid.

A complecteretur; clamosiùs solito agere cœpit, & dicere. *Animosè, amici mei, animosè, nolite vt corpore sic etiam animis concidere, ad scalam alteram illam diuertite, & fidenter ascendite; illac illac enim haud dubiè imperium quod affectatis occupabitis*; quibus Francisci consilijs animati plusculi ad scalam prædictam transilierunt, & ascenderunt, in cuius summo vertice dulcissimam Heram, & Dominam nostram omnium repererunt, à qua perhumaniter excepti sunt, & in regnũ cœlorum introducti. Ex hoc viso, & his ipsis, quæ superius diximus manifestum fit, quod affirmamus, videlicet Virginem Deiparam, Matrem nostram dulcissimam esse, &

B nostri amantissimam, amarique nos ab ipsa perditè (si fas est sic loqui) & deperiri; & prope anxie salutem nostram sempiternam ab ipsa in cœlo procurari. Ius igitur fasque est, à nobis eam redamari, coli, nullo non genere honoris, ac obsequij affici, certè quo eam delectari intelligamus, cuiusmodi sunt, totum se illi deuouere, ipsam ritè reuereri, adorare certis recurrentibusque temporibus submissis genuflexionibus, secura cordium nostrorum in fidem eius, & velut in manum traditione, votorumque, ac desiderıorum nostrorum ardentiorum, & vsitatiorum, in eius gloriam ordinatione. Adde, nos etiam lege hùc teneri. Nam si diuinis humanisque legibus cautum est, vnumquemque matrem

C carnis suæ reuereri (*honora matrem tuam,* *Exo. 20.* aic Scriptura:) quãtò religiosius nobis honoranda est mater illa nostra spiritalis, cœlestis, diuina, cuius beneficio spiritalem vitam accepimus, & quæ nos quodam modo genuit ad vitam immortalem? Illius ope, ex Satanæ vnguibus, ac tyrannide potenter eruti sumus, & manu missi ex carceribus ipsius horrendis, & meris immanium tormentorum officinis. Ipsi debemus pulcherrima nomina nostra, id est quod filij Dei, quòd fratres IESV Christi nominamur, & sumus, & facti capaces hæreditatis regni cœlorum exasse, quandoquidem ex eius sanctissimis visceribus ortus est Saluator Mundi, Redemptor

D noster omnium, author opifexque immediatus salutis nostræ.

Igitur indefesse præcelsam hanc Cœli Augustam veneremur, quod non Angeli modo, mortalesque omnes faciunt, sed & Deus, ipse charissimus Dominus, & Magister noster. Eam enim ille colit, & semper coluit adhuc mortalis mortalem, vt Matrem suam charissimam: *Et erat subditus illi.* Ita est *Lucæ 2.* profectò. Verbum Dei incarnatum sub pauperis, & simplicis virgunculæ iugo, ac disciplina vixit, reuerenter coluit, & vt Matri suæ obsequens fuit, patiens ipse sponte sua legem quam tulerat, dicens *Honora matrem.* *Exod. 20*

Legibus diuinis humanisque Filius quilibet

bet Matri subditus est: igitur, & Filius Dei, quòd verus genuinusque MARIÆ filius sit, eidem deuinctus est, & quidem multò arctius, quàm reliquum filiorum vulgus matribus suis, quòd in terra hæc vna, ac sola illi mater, & pater fuerit, & hunc vnicum solumque genuerit. Itaque (ait methodus eam alloquens.) * *Lætare ò Hera, vel inde, quòd cùm habeas tibi deuinctissimum, cui totus hic orbis deuinctus est, vt potè qui omnibus beneficia conferat, ipse nihil à quoquam accipiat.* Sic ille ipse, qui legem nxit de parentibus honorandis, vt legis suæ obseruatione omnibus præiret, Matri suæ in omnibus obsequentissimus eiusque obseruantissimus fuit, quæcunque tandem illa iure Matris vtens, ab eo posceret, aut iuberet.

**Vt verto ex Gallic.*

Neque verò tantum, cùm adhuc mortalis esset, ipsam honorauit, sed etiam postquam gloriam Resurrectionis fuit adeptus, eam his decentissimis verbis (vt Doctores quidam affirmant) salutans, *Salue sancta parens.* Honorauit eam quoque, cùm ipsa in cœlum ingeti triumpho recepta est, obuiam illi progressus (vt quondam Salomon Bethsabæ matri suæ) stipatus flore nobilitatis cœli primariæ, & iubens sibi assidere in throno augustissimo, qui diceret vtrumque cõmunicata illi plenitudine potestatis, & iuris vitæ necisque (vt dicitur) in creaturas omnes Cœli, Terræ, & Inferorum, sine clausulis vlli restrictorijs, vnde & nunc ab omnibus colitur, adoratur, eique flectitur omne genu, vt Filiæ, Matri sponsæque Sanctæ Trinitatis, Heroinæ, & Heræ Angelorum, mortalium Augustæ, & Matri dulcissimæ; omniumque Christianorum aduocatæ fidelissimæ, quotquot de illa studeant bene mereri.

3. *Reg.* 2

Vt frequentandæ sint, & osculandæ genuum flexiones, studio honorandæ Virginis Beatissimæ, Dominæ, & Heræ nostræ.

CAPVT VII.

Capitulis superioribus vidimus, quo in pretio habendæ sint genuum flexiones, & quam gratum sit hoc obsequij genus Virgini gloriosæ. Sed & abundè edocti sumus, ecquibus stimulis hic incitemur, quæve causæ nos moueant, vt sic Diuam honoremus, quę

1 sunt *Vna*, quòd summi Monarchæ sit parens,
2 *Altera*, quòd gloriæ amplitudine omnes antecellat; *Tertia*, quòd choris, & Hierarchijs
3 Angelorum vniuersis sit prælata, *Quarta*;
4 quòd tota Vniuersi huius, quam latè patet ditione dominetur; *denique* quia mater nostra est, Possim profectò, & aliàs plusquàm in medium proferre, non parum nos stimulaturas, ad decentem reuerendæ huius Heroinæ cultum, sed ab illo tam prolixi tractatus Occeano, auocor ad alia æquè vtilia, & huc commoda, pertractanda; de modo scilicet ritè exercendarum harum adorationum; ac præterea vereor, ne tædiosus lectori ham, omnia nimis anxiè colligendo.

Ato igitur necessarium imprimis esse, vt abacta procul à nobis pigritia quacsique corporali, conemur, quantum vires nostræ patiétur, sæpè noctu, & interdiu in genua procumbere, vt Virginem hanc nobilissimam proni adoremus. Ac, vt melius munere illo sacro perfungamur, locus opportunus quærendus est, tempus commodum, & legitimæ circunstantiæ adiungendæ. *Locus* sit secretus, & nemini, aut paucis peruius, vt à nemine, quod agitur. Quòd ad *Tempus* attinet nulla, non hora huic operi apta est, præcipuè tamen Auroræ, & mane lucescens, quod tum vires corporis sint vegetiores, & somno refectæ, mens ipsa purgatior, & spiritus vitales promptiores, & subtiliores. Vesperæ quoque huc valdè commoda est, vt quę fere valere iubeat omnia longæ diei negotia, & participare incipiat noctis quieti, ac tranquillitati.

Legere est apud Suriuni, Sanctam Elisabetham Regis Hungariæ filiam huic adeò liberali, & heroicæ exercitationi deditam fuisse, vt ad eam commodius, & maiore cum animi voluptate, exercendum præciperet vni cuidam ex aulicis suis pedissequis, vt noctibus singulis præfixa quadam hora, ipsam, vellicato aliquantulum pede excitaret, ac tùm ocyus deserto mariti dormientis latere, surgere soleret, & bonam noctis partem, pijs & submissis genuflexionibus sæpè repetendis impenderet, quòd etiam colligere, licet ex his Breuiarij Romani verbis. *Nocturno tempore piamarum spreta mollitie, viri fugiebat amplexus, orationibus, & genuflexionibus occupanda.* Vt, quòd sentio dicam, credo ego ipsos Angelos, quum pulchras istas Heroidis illius genere quidem, & opibus amplissimæ, sed virtutum tamẽ nomine amplioris actiones spectarent ex alto, totos præ gaudio exultasse, ac tantu modo choreatim tripudiasse, admirantes à mortali creatura æquari suam in hoc religioso cultu Dei diligentiam. Cùm igitur nox, vt plurimum nullo rerum diurnarum tumultu fluxu refluxuque interturbetur, sanè videtur, etiam esse pio huic operi exercendo conuenientissima.

Breuiar. Roman. Lect. 5. 2. Noct.

Sed, vt paucis agam, deligat sibi quisque locum, horam, ac tempus, quòd iudicio suo videbitur aptissimum, spectata conditione, & persona, quam quisque sustineat. Nolo nunc præscribere certum reuerentiarum huiusmodi numerum, capitibus enim sequentibus materiam hanc refero, sed breuem dumtaxat methodum earum exercendarum docere, quam nemo non vsurpare possit, & quidem

dem promptissimè, & facilitate incredibili. Cuicumque igitur, seu eorum qui datis religioni alicui nominibus in Monasterijs viuunt, & sui non sunt; quã qui seu eorũ qui sui sunt, & liberi degunt domi suæ in seculo, cordi erit religiosa hæc exercitatio, discat ille primum sic consuescere. Quoties in cellulam se recipiet, fores claudat, & pessulam obducat, ibique mox reuerentiam profundam Virgini offerat, & vel brachijs cancellatis, & in crucis modum perplexis, vel manibus iunctis, eam, quanta poterit submissione, adoret, ac deinde familiæ negotia, & quam quisque norit artem, eam liberè exerceat. E cellula egressurus antequam reducat pessulum, & fores recludat, simili reuerentia Virginem honoret, vel si mauult, vno tantũ polite humi procumbat, ac tùm vna mentem sursum in cœlum adtollat, vndè pia ista mater illum prospectat, multãque ex ea eius actione capit voluptatem. O illum millies, & iterum millies beatum, quisquis in ea tam sublimi opere operam collocat, quandoquidem quoties illo honoris genere Deiparam afficiet, toties eam sibi arctissimè deuinciet, & propemodum coget vicissim sui meminisse, necnon apud Filium res eius accurare, & beneficij aliquid ei impetrare; vt taceam, cùm sic quoque in continua erga Deum, pietate, ac sui recollectione versaturum, mentemque suam gratia plenam, & sensu amoris affectam erga Deiparam ipsam conseruaturum.

Sed agedùm quæso, attentè obseruemus elegantes exercitij huius honorum, & reuerentiarum circunstantias. Breue est admodũ, & non multæ moræ, ac remoræ aliorum negotiorum: nullius laboris; facillimum cuicunque libẽti, & conanti. Non alio hic studio, aut labore opus est, quàm vnica genuum curuatione, in ipso ingressu in cubiculum, & inde egressuque: & tamen ingentis est meriti, quod scilicet actus ipse obseruantiæ, & adorationis sit celsissimus, nobilissimus, & excellentissimus omnium honorum atque obsequiorum, ad cultum Beatæ Deiparæ pertinentem. Igitur frequenter, & summa cum voluptate esset nobis hæc exercitatio vsurpanda; exercitatio Angelis, & iucundissimam, & vsitatissimam. Quid enim aliud beatæ illæ mentes in cœlo actitant, quàm vt proximè post Deum, sanctissimam eius Matrem perpetuo adorent? Quod sunt ibi sursum in Curia triumphante Angeli, Archangeli, Throni, Cherubini, & Seraphini, iam discincti, & sine bello: id nos sumus adhuc dum accincti hic in militante, & adhuc belli gerente. Illi sunt Augustæ huius Heroinæ Aulici, & seruuli à pedibus in cœlo; nos autem in terra. Vos igitur, ò beati, vos ò beati Virginis clientuli, ò Homines Angeli, vos

A inquam adiuro, & obtestor, simul videamus (quæso) quæ sint artes amandi, quibus obsequijs solent amantes amasias suas, & quas Dominas, ac tantum non Deas suas mortales vocant, demulcere, vt ipsis seruiant, imò vt eis ancillentur; ac deinde eorum studia, diligentia, & anxia ancillandi, & amasijs suis placendi solicitudo, sint nobis speculi vice, atq; exempli, quid in Deipara colenda certatim imitemur. Assidui sunt illi apud suas illas, & velut ipsis assuti, & indiuidui, seruilique more expileati, & nudo semper capite, genu submisse inflexo, quoties aut eas alloqui, aut eas præterire contigit, stant auritissimi, oculatissimique, & expeditissimi ad excipienda

B quæuis ipsarum imperia, ac nutus, ad eadem exequenda autem multo expeditiores. Amãt molestias, affectant ipsa pericula, ambitiosè mendicant, operas suas gratuitas etiam laboriosissimas ab illis requiri ea se præstari; denique omnem occasionem peruestigant commodè ostentandi, ac venditandi, quàm depereant eas, perditeque adament, quam alati sint, & parati ipsis ancillari, & hæc omnia spe sola nescio cuius boni fallacis, ac dico perituri, & pœnitẽdi! Ah! si vel tantisper, & è primore duntaxat limine, ista consideremus; ardebunt nobis rubore vultus, totique pudoris immensitate purpurascent, viso nostro non tepore, sed mero gelu, & stupore, in

C colenda honorandaque Cœli Regina, cuius tamen interceßione speramus, tandem non fluxum nescio quid, aut fumos vt illi, sed solida, & infinita bona adipisci ipseque animus noster vim stimuli huius non ferens, ardentissimè feretur, vt seruiat, vt odoret dies, & noctes totas, religiosis, & profundis inclinationibus, potentissimam istam Diuam, ac Dominam nostram.

Cogitandum etiam nobis est, & animis repetendum, quanto studio sancti superioris æui dignis eam honoribus prosequi conãbantur, quoque zelo ad vsurpandas inclinationes illas, atque adorationes ferebantur, cùm sit reperire quosdam ex priscis illis, qui

D horas totas in hoc vno exercitationis genere collocarent. Laurentius Surius in vita S. Alberti narrat, virum illum religiosum pro more habuisse, vt centies genua flecteret quinquagies autem toto corpore in terram procumberet interdiù, & singulis tam genuum flexionibus quàm corporis humi prostrationibus adderet orationem Angelicam, ita vt beata illa, & pulchella animula centies, & quinquagies, quoties die Virginem MARIAM sui cordis delicium obiectum sibi, post Deum charissimum omnium viuentium. Item nobis author est, Sanctam quandam Catharinam Suedam, S. Brigidæ filiam, orationi, à teneris vnguiculis, ita fuisse deditam, vt præterquam quodlibet die

pen-

pensum Horarum Marianarum persoluebat, & septem Psalmorum, qui sunt ad pœnitentiam, aliarum; eiusmodi piarum orationum superpondium, etiam quatuor horas solidas interdiù impenderet submittendis in terram genibus, cum ingenti nimbo lachrymarum. Sed mirabile est, omniq́ue alio mirabili mirabilius, quòd scribit S. Ioannes Damascenus, de prodigio illo sanctitatis S. Simeone, stylite dico, seu Columnario, à columnis, in quibus, nunc his, nunc istis vitam agebat. Refert ille pium, illum Patrem annos supra triginta vixisse columnæ 36. cubitis altæ insistentem, in montis vertice, intectum, indefensum, & planè expositum Solis ardoribus, Hyemis asperitatibus, ventorumque afflatibus, vbi tamen bis millies quotidie corpus incuruabat. Et certe B. Theodoretus Cyri Episcopus refert, vnum è seruulis suis, cùm aliquando ei enumerare collibuisset, quot inclinationibus ille vteretur, numerasse quadraginta supra mille ducentas, seruulumque illum pie curiosulum ante numerando fatigatum desisse, quàm Simonem eas exercendo, &, quòd admirationé auget, addit, corpus totum in orbem curuasse, quoties caput inclinaret, adeò vt summa fronte extremos pedum articulos adtingeret. O miracula priscæ pietatis Catholicorum!

Euagr. lib. 1. hist. Eccle. c. 33 M. Mirul. lib. 1. exēp. c. 9.

Hoc exercitij genus, non moderatius in D. Apostolo S. Bartholomeo fuit, qui scilicet, centies noctu, centies interdiu genua flecteret. Mirabile dictu profectò, hominem ad Apostolatus apicem prouectum, & prouocandi Euangelij laboribus obiectum, ideoq́ue & perpetuò in itineribus, in peregrinationibus, & toto orbe percurrendo sese fatigantem, tam frequenter hoc genus pietatis, etiam exercuisse. Debuit ille omnium perfectissimè scire, homo scilicet illuminatissimus, vim pretiumque eiusmodi piarum adorationum, qui tãti eas fecerit, & tam frequens in earum exercitio versatus sit.

Sed mirum non est, Sanctos Dei amicos opera tam inusitata feciſſe, spemque ferè omnem sui imitandi posteris ademisse, quãdoquidem gratia Dei qua abundabant, & S. Spiritus ignes flagrantissimi, qui pectora eorum perurebat, & cumulus perfectionũ, quibus ornabantur, sic eos supra naturam fortes reddebant, constantes, & aptos heroicis illis laboribus. Nos verò fragilitatis, ac debilitatis nostri conscij, & aptitudine illa, ac vigore spiritus quo pellebant destituti, si nõ possumus tot talesque, præcisè genuflexiones exercere; tot saltem talesque præstemus, quot qualesque possumus pro viricularum nostrarum exilitate, non ampliùs, ne fortè, si ad tantum numerum, cui pares non sumus, aspiremus, ipso excessu tabescat nostra deuotio, quoniam (si sanctis Doctoribus credimus) satius est, pauculas feruenter, & attente exhibere, quàm plusculas cum tædio, & distractionibus; ne dicam, ea moderatione factas, cum nobis fore vtiliores, tùm Deiparæ ipsi gratiores. Et huius quidem rei fidem facit exemplum, quòd nunc dicam, depromptum ex speculo exemplorum. Est autem tale. Consueuerat Monialis quædam quotidie centies quinquagies salutationem Angelicã recitare, & toties profundè, ac reuerẽter corpus incuruare. Sed quoniã numeri magnitudine zelus eius hebetabatur, diuinitus est admonita, tertiã illius numeri partem reseindere, sed solitò religiosius cætera exequi. Huc pertinet, quòd S. Hieronymus ait, laudabilius esse, vel vnicum psalmum magno spiritu, & hilariter recitare, quàm totum Psalterium, ægrè, & tepidè. * *Malim*, ait Sanctus ille Doctor, *Psalmum vnicum religiosè, & alacriter cantare, quàm cum tædio, & nauſea, vel integrum Psalterium.* Esset quidem profectò multo consultius plurima eiusmodi opuscula facere feruidè, & animo in Deum erecto, quàm pauculæ pari religione. Opera enim bona, quo sunt difficiliora, eo maioris sunt meriti, ac ponderis apud Deum, veriusque Dei, ac Deiparæ beatissimæ gratiam Authoribus suis conciliant.

**Vt ver to ex Gal lic.*

Hoc reuerentiarum exercitio vtendum maxime diebus B. Virgini sacris.

CAPVT VIII.

Ecclesia quæ duce, ac præceptore Spiritu Sancto semper vtitur, semper & ab omni retrò ætate, Virgini Deiparæ templa, & aras erexit, ac sacrauit, eamque votis, hymnis, cantibus, laudibus, alijsque pleriſque multis honorum, & obsequiorum generibus semper honorauit, quæ non commemoro, ne lectoris abutar patientia. Sed eadem Ecclesia pro imperij sui iure, cui refragari, aut excusando tergiuersari fas non est, vt eandem Deiparam sublimi, illo hyperduliæ honore, quẽ illi debemus, commodius veneremur, quosdam dies ipsi festos, ac solemnes esse sanciuit.

Festi autem illi dies, & solemnitates Virgini cõsecratæ, in duas classes distingui possunt, in maiorem scilicet, & minorem. Maiore classe continenter, Conceptionis ipsius dies, Natalis, Purificationis, Annuntiationis Angelicæ, Triumphi, & Assumptionis in cœlum. Minore verò, dies illi, de quorum obseruantia præcepto cautum non est, cuiusmodi est Præsentationis eius, Visitationis, & aliæ, quibus & Sabbathum accẽsetur. Dicamus igitur (vt à festis minorum gentium, seu inferioris classis, initium capiat hæc oratio) Sabbathum speciatim Virgini fuisse ab

Ec-

Ecclesia Catholica dedicatum, maximè verò à sacro Concilio Tridentino, quod sanciuit, vt omni Sabbato, & Missa, & preces horariæ, seu Officium horarum (vt vocant) canonicarum, in honorem ipsius Deiparæ celebrentur, nisi festo aliquo celebriore is dies præoccupetur. Præterea, multorum prisci ævi fidelium Christianorum mos semper receptus fuit, Sabbato, Virginem eſuriali cultu, & ieiunio honorare; quæ religio, & ipsi Deiparæ est iucundissima, & ipsis Sabbatarijs ieiunatoribus perutilis, vt historia sequens certam fidem facit.

D. Anselmus refert, Latroné nescio quem famosissimum malæ vtique famæ, aliquando primo diluculo in casam inopis viduæ irrupisse, explicandi * voluntate; sed cũ omnia obiter oculis perlustrasset, eamque rapinis suis indignam iudicasset, tum cœpisse affari misellam viduam, & cum ea iocari, ac velut procari. Hem mea Commater, ait (sic viri vocant sponsionum lustricarum socias) nunquid adhucdum forte ieiuna es, à potu, ac cibo? Egone (respondit illa) mi Here? Absit à me, Deusque, & superi omnes à me auertãt, vt sic mea vota resoluam, quibus, conceptis verbis, sanctè promisi me quouis currentis anni Sabbato ieiunium piè seruaturam. Omni sabbato? (inquit ille.) Et verò cur id tandem? Quoniam (excepit tunc illa) à Concionatore quodam doctrinæ nomine valdè celebri, & præterea vitæ sanctitate multò illustriore, didici, neminem Sabbatariorum, id est, eorum, qui Sabbatinis diebus, studio vel sic colendæ Virginis Deiparæ, ieiunio se macerauerint, posse mori inexpiatum mysticæ Confessionis Sacramento. His auditis attonitus prædo ille, mox Conscientiæ stimulis cœpit agitari, vitæ à se retrò actæ recordatus, qui tantisper mentem ei velut eripuerunt; deinde cœpit velut ex improuiso excitatus à somno; vnum in terram poplitem curuare, oculisq; & manibus in cœlum erectis, dicere: Quandoquidem ita se res habent, ò Regina Angelorum clementissima, & stipendijs tam regijs obsequia tibi præstita remuneras; sanctè, & cum iurisiurandi serij interpositione, tibi promitto, ac recipio, me cuiuslibet hebdomadæ Sabbato ieiunaturum, ad instar huius ancillæ toto vitæ meæ reliquo tempore, quantum per valetudinem Dei beneficio licebit. Dixit, & deinceps summa fide promissis stetit, & esurialem illam feriam coluit. Vt tamen nec sic à consuetis Latrocinijs abstinebat: contigit, ipsum aliquando in viatores incautè incidere, & ab eis cæsim gladio percussum caput amittere, truncumque iacere. Vt abibant pedetentim percussores illi mortuum illum rati, & exultantes, quòd Rempublicam tàm feliciter, tàm celebri nebulone, & viarum infesto-

Expoliandi.

re, liberassent, ecce iacentis, & mortui caput à ceruice reuulsum exclamare cœpit: Confessionem Domini mei, confessionem saltem, oro, vt facere per vos mihi liceat. Quam adtoniti (putatis) iteterũt viatores illi, audito clamore illo mortui hominis tam prodigioso? Alteri alteros intuiti, diù præ admiratione sic obstupuerunt, vt aliquandiù immoti starent, non procedere, nõ retrocedere, non fugere possent. Tandem verò sibi redditi, & commiseratione commoti, ad proximum pagum concito cursu contendentes, Curionem loci rerum gestarum admonuerunt, qui ocyssime ad mortuum accurrit, stipatus parochianis, quos visendæ rei tam stupendæ studium multos illuc trahebat, & capite prædonis suo corpori admoto, confessionem eius, vti optarat, excepit. Re ita benè curata, prædo ille pœnitens, actis vrbanè gratijs Curioni de tanto sibi præstito beneficio, clara, & alta voce, quæ ab omni circunstantium corona ritè exaudiri, & intelligi posset, sic eundem affatus est: * *Domine nihil boni tota vita mea egi, præterquam, quod sabbathis omnibus studio Deiparæ honorandæ ieiunium colui. Simulac verò lætaliter gladio percussus sum, horrenda dæmonum turba me circumstetit, vt corpus meum arreptum efferrent: sed Beata Virgo superueniens, vt mihi opem ferret illos sola sua diuina præsentia perterritos mox longissimè à me dissipauit, neque me efflare animam ante permisit, quàm satis adtererer, & peccata mea ritè confiterer.* Dixit, & rogatis ipectatoribus, vt precibus suis Deum illi conciliarent, hinc ad vitam beatiorem emigrauit.

Verto ex Gall.

Quandoquidem igitur hic sabbathi dies vnicè Virgini sacer est; consultissimum fuerit, illum religioso ieiunio celebrare; magis tamen nobilissimo hoc adorationis exercitio, quòd meritò ac dignitate longè antecellat, tàm istud, quàm alia exercitia, quæ corpore fieri consuerint. Licebit igitur cuiuis toties Virginem reuerenter salutare quoties ita salutandam zelus suus dictauerit, aut quoties otium, & commoda tempora permittent. Cæterum, ad maiorem conscientiæ serenitatem; author sim certum numerum constituendi, & cum primis censeo numerum 63. illi diei esse conuenientissimum, vt numerus reuerentiarum sit par numero salutationum Angelicarum, quæ Rosario continentur, quod (ex Doctorum aliquorũ mente) annorum numerum designat, quibus Deipara vixerit mortalis in terris. Vnde, cùm hæ reuerentiæ exercebuntur, commodum erit Rosarium in manus summere, vt quoties genuflectetur, toties granulum inde deprimatur, silentio quidem, & tacitè, sed mox ei adiuncta mentis, & oculorum in cœlum eleuatione, coram beatissima hac Heroina,

roinâ, & tanto illam adorandi ſtudio, quanto fieret, ſi reipſa, & ſpectabiliter nobis præſens eſſet. Profuerit adiungere ſingulis reuerentijs verba duo priora ſalutationis Angelicæ (Aue MARIA) aut totam pronuntiare inclinando ſubmiſſe, vel genu, vel caput, ad duo illa verba (Aue MARIA) Archangeli proxenetæ exemplo, qui (quorundam ſenſo) capite ſic inclinato, & flexis poplitibus, eam ſalutauit. Hæc de re latius diſſerendi locum dabit caput libelli huius vndecimum, vbi methodum apprimè, elegantem huius exercitationis ſumus tradituri. Quòd attinet ad alia feſta minora Deiparæ, licebit vt ipſo Sabbathi die exerceri, cùm ſint eiuſdem gradus, & prædicamenti. Sed ad maiora, & celebriora tranſeamus.

Quo eſt ſolemnitas maior, hoc reuerentia maiorem à nobis ſuo iure exigit, pluſque exercitiorum ſpiritualium. Vidimus ſuperius, ecquæ ſolemnitates Deiparæ maiores cenſeantur: iam duobus verbis ſaltem agamus de munere reuerentiarum illis diebus illis offerendarum. Cùm ergo numerus centenarius, perfectus, & myſticus in Sacris Scripturis habeatur, probauerim, imò & cuiuis Deiparæ clienti libenter author ſim, eam, feſtis illis centum ſalutationum numero venerandi, non tamen toto ſimul earum agmine: (nam id fortè tædioſum accidere poſſit clientulo,) ſed per partes temporumque interualla, & iterumque iterumque repetito opere: verbi cauſa, vt mane in aurora partem operæ illius ſacræ præſtet, circa meridiem, tantundem, ſub veſperam, quòd reliquum ſit, aut certè media nocte, ſi fieri poſſit. Idem de 63. illis ſuperius dictis ſentio; quoniam methodum hanc ſequuti, religioſius, ac feruentius eadem præſtabimus, eoque ſæpiùs nobis ipſis refricabimus memoriam chariſsimæ huius Heræ noſtræ, & totum diem multò ardentiore in eam affectu percurremus. Quòd ſi feſtum tale ſit, vt Octauam habeat, totos illos octo dies cenſeo ſimilibus, & totidem reuerentijs occupandos. Solent quidam Virginis clientes eam mille reuerentijs venerari, ſic diſpertitis in ſingulos dies Octauæ decurrentis. Initium huius obſequij capiunt à vigilia ipſius feſti, qua eam decem, & centum reuerentijs honorant, ac ſic per reliquos octauæ dies eundem numerum perſoluendo, octauo demum die ſuperſunt centum & viginti, vt chiliadem inclinationum impleant, qui numerus perfectione, & myſterijs inſignis eſt.

Fuit nobiliſsimum ſanè exercitium ſanctæ Margaritæ Regis Hungarorum quondam filiæ vſitatiſsimum, quæ in ſacro Ordine Patrum Dominicanorum religioſæ militiæ nomen dederat, vt R. P. Guarinus eiuſ-

A dem Ordinis Doctor ſcribit in eius vita. Nam erat illa adeò flagranti in Virginem amore, & obſeruantia, vt vbicunque ei fortè occurreret, vel ſola eius imaguncula, mox in genua rueret, & ſalutationem Angelicam recitaret; maiorum verò feſtorum (de quibus dixi) peruigilijs ieiunaret, ſolo pane, & aqua contenta, & à Feſto ipſo vſque ad Octauam incluſiuè, millies Aue MARIANVM recitaret, & ſingula ſingulis ſui proſtrationibus religioſiſsimis cumularet. *O quam te memores*, Virgo Dominicana, à tam raro, & verè Heroico, pietatis in Virginem Deiparam exercitio! *Virg. 1. Aneid.*

B

De Feſtis IESV Chriſti Domini noſtri.

CAPVT IX.

Bella iſta Feſtorum Marialium occaſio allicit me, & valdè inuitat, vt etiam Domini noſtri feſta attingam, & corollariè, vt etiam mortales æquè omnes, qui nomine Chriſtiano cenſentur, inuitem, ad harum genuflexionum exercitium illis quoque diebus vſitandum, quoniam ſi ratio iubet, vel creaturam adſpectu virtutis in ipſa repertæ à nobis coli, & honorari; eadem potentius à nobis extorquet, coli creatorem, à quo, vt à fonte, omnis perfectio, & merita omnia in ipſam creaturam deriuantur. Nobis igitur

C neceſſariò adorandus eſt Deus, ſed adoratione Latriæ, quæ eius vnius, ac ſolius propria eſt, vt Cœli, ac Domini noſtri omnium *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* *Deut. 6 Mat. 5.*

Feſta IESV Chriſti Domini noſtri Octauam habentia, ſunt numero quinque, Natalis eius ſcilicet, Adoratio trium Regum, Reſurrectio glorioſa, Aſcenſio triumphans, & feſtum corporis eius, ideſt, Sancti Sacramenti Altaris. Hæc Feſta illa ſunt, quibus maximè his Latriæ adorationibus colendus nobis eſt Deus. Natalem Domini primore loco conſtitui, quòd ea ipſa hora, qua nobis natus eſt, beati ſpiritus illi vna omnes (vt

D Doctores quidam ſentiunt) è cœlo in terram delapſi confluxerunt agminatim, & per turmas optime ordinati puerulum illum Deum, vel in vili præſepio, vel in dulci gremio Matris beatiſsimę adorauerunt, quantum iuſtis quoque honoribus affatim affecerunt. Ita animus pius, qui illum diem cupiet hoc religioſo exercitio decorare, ſanctum ſtabulum Bethlehemiticum tota contentione, ſibi repræſentabit, eoque pias ſuas genuflexiones, & ſubmiſſas adorationes diriget, ibique vſurpabit vſitabitque coram beatiſſimo illo Pari amantium, non aliter ac ſi reipſa coram, & viſibiliter ambo Mater, & Filius ipſi adeſſent.

Magalia ipsa, ideſt Magorum Feſtum, non aliud ſpirant, quàm adorationes meas. Illo enim ipſo die, auguſtus ille puer IESVS Chriſtus in ſinu Matris, ab vniuerſis Gentibus in tribus illis Principibus, adoratione Latriæ honoratus eſt. Ac quam reuerenter, quantaque animi corporiſque ſubmiſsione eum Reges illi adorarint, facilè eſt conſequi ex verbis iſtis S. Euangeliſtæ Matthæi. *Et intrantes domum* (inquit ille) *inuenerunt puerum, cùm MARIA Matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* *Matt.* 2

Reſurrectionis ſolemnitas, vt cæteras omnes dignitate longè antecellit, etiam dignior eſt hoc genere cultus, atque adorationis, quòd illo ipſo die IESVM Chriſtum, gloriosè à mortuis excitatum, à morte & Inferis reducem, ouantem, imò triumphantem, Angeli iterum omnes cœleſtes adorarunt, victoriam illi congratulantes, & aërem totum epinicijs, & cantibus triumphalibus complentes.

Quid dicam de celeberrima eius admirabilique Aſcenſione, quandoquidem illo die redux Dominus noſter, ſummo triumpho in cœlum poſtliminio reuerſus eſt, & ſedere cœpit corporatus ad dexteram Dei Patris, vt Deus eiuſdem cum illo ſubſtantiæ, virtutis, atque potentiæ, quandoquidem (inquã) illo die tota cœleſtium Curia, ſubmiſsè ante thronum eius proſtrata, nuda clientelæ ſuæ obſequia, & fidei pactæ, & ſemper paratiſsimæ teſtimonia volens libenſque exhibuit, & nouo velut Sacramento authorauit.

Veniamus ad nouiſsimum, illud pretioſiſsimi corporis Chriſti, feſtum, quòd cætera omnia velut gyro complectitur, & à nobis præ cæteris exigit ſanctam iſtam adorationum exercitationem. Atat! An nõ eſt feſtum hoc quotidianum? An non omni die celebratur? Omni tempore? Et toto, quàm latè patet, orbe, non, vt feſta quædam alia, vna tantum vrbe, aut vno duntaxat templo? An non quotidie videmus Miſſas multitudine innumerabiles celebrari, & à Chriſtianis plurimis in omnibus Chriſtiani nominis ditionibus ſumi diuinam Euchariſtiam? An non videmus in omnibus templis, non modo vrbium, ſed etiam pagorum, & viculorum ſacrum corpus Domini noſtri IESV Chriſti adſeruari, & admodum reuerenter haberi, quòd nihilo differt, ſi ſubſtantiam, & gloriã diuinam ſpectes, ab eo quod à tot iam ſeculis cælo receptum eſt, vtpotè pariter illi glorioſum, immortale, omnipotens, & ab Angelis adoratum, ideſt, idem illud ipſiſsimum? Quapropter deceret nos, quoties vel templum aliquod ingredimur, aut altare præterimus, vbi ſedem habeat venerabile hoc Sacramentum, toties nulla mora in genua ruere, poſtratiſque corporibus reuerenter terram oſculari. O beatum fidelem illum Chriſtianum, qui egregie hoc adorandi officio fungetur, non obiter duntaxat, curſim & perfunctoriè, vt plerique multi proh dolor! ſed cum feruore ſpiritus, & viuido ſenſu preſentis ibi diuinæ Maieſtatis. Forte enim hoc officij tam efficaciter het, vt Deo oblatum in mortui, alicuius gratiam vim habiturum ſit, vt eius animam Purgatorij pœnis eripiat, cœloque inferat, vbi indefeſſe deinceps Deum oret, pro ſalute illius vindicis ſui, ac liberatoris. O excellentiam! ò potentiam reuerentiarum iſtarum adorationumque diuinarum ſanè admirabilem!

Ninilominus ſunt (ah! *quis talia fando temperet à lachrymis?* ego certè nõ poſſum) ſunt (inquam) Chriſtiani nonnulli tam bardi, tam impiè ruſtici, tam modicæ erga diuinum hoc Sacramentum fidei, vt vix ei dignentur caput detegere, aut vel tenuiter poplitem flectere. Impudentia, & irreligioſa capita, an ignoratis, myſterium hoc nulla humana ratiocinatione capi poſſe? neſcitis, *fidem eſſe argumentum, non apparentium*, id-eſt, debere vicem prædis, vadis, obſidis omnis rationis, & cautionis obtinere apud Chriſtiano. *Quòd non capis, quòd non vides* (cantat Eccleſia Catholica) *animoſa firmat fides.* Et præterea. *Ad firmandum cor ſyncerum, ſola fides ſufficit.* An nunquam fando audiſtis, aut legendo didiciſtis, quot probationibus, & miraculis huius rei veritas, ſit confirmata? An non ſacra hæc hoſtia, quàm adeò contemnitis ſæpè in ipſorum Sacerdotum manibus, forma puſiunculi, ſpectabilem ſe tractabilemque præbuit? Et, quod mirabilius eſt, an non ipſæ beſtiæ, hic certè oculatiores vobis, ac prudentiores, in hoſtia conſecrata Deum adorarunt, & Deum, ac Dominum ſuum Optim. Maxim. quaqua potuere, ibi eſſe profeſsè ſunt? Ac, ne videar ſine teſte loqui, & dũtaxat nugis canoris vti, atque vt gloriæ Eccleſiæ Catholicæ conſulatur, aduerſarij autem ipſius digno ruboro perfundantur; iam iam proferam duo miracula probatiſsimæ monetę, & Sibyllæ, etiam Cumanæ, folijs (vt dicitur) veriora. *Virg. 2. Æneid.* *Heb. 11.* *Ex D. Thoma Aquin. in Proſa: Item in Hymno.*

Pariſijs, anno Gratiæ quinquageſimo ſupra milleſimum ducenteſimum, cùm quidam ſacrificus Miſſam in ſacello, non procul à Palatio celebraret, & iam Hoſtiam Catholico ritu adtolleret, populoque adorandam oſtẽtaret, apparuit inter eius manus puerulus ſtupẽdæ pulchritudinis. Illicò peruenit ſermo ad Regem Galliæ S. Ludouicum, tunc regnantem, qui Aulico cuidam ſuo familiariori, ſe acriter valdè vrgẽti, vt ad tã rarum miraculum viſendum properaret, reſpondit ani-

animosa profectò fide. *Visat, qui dubitat: Nam ego quidem illud quotidie oculis fidei video.* O responsum humano altius, ac verè dignum Rege tam illustri!

Alterum miraculum contigit Tolosæ, vrbe Galliæ valdè celebri, (vt Chronicis quidem Ordinis Fratrum Minorum proditum est, & Laurentius Surius, alijque multi Doctores, consentiunt.) Cum aliquando D. Antonius, cognomento Paduanus noster ibi forte fortuna in certamen incidisset, cum Hæretico, nescio quo, valdè pertinaci, qui Deum in Sacramento Altaris verè, ac reipsa esse negaret, & pernegaret, & cùm se tandem victum, vinctumque nodis plusquam Gordijs, & indissolubilibus argumentorum, & rationum S. Antonij animaduerteret, iamquè tela & verba, quibus viro Dei refragaretur, sibi deesse; cæci erroris sui pertinax sic S. Patrem affatus esset. Quid tot verbis, luctisque vanis opus est? Vincis (fateor) disputando, Vincis, sed subtilitatibus magis, & Labyrinthæis argumentorum tuorum inuolucris, & ambagibus, quàm rei ipsius veritate. Experimentis (si placet) agamus: Angedum, ede mihi miraculũ aliquod, quod dictis tuis respondeat, & do fidem, fassurum me, ita esse de hoc S. Sacramento, vt dicis tu, ac doces, præter omnem verisimilitudinem. Placere sibi tum conditionem, præfidenter respondit Sanctus Pater certissimus forè, vt is qui nobis, ita credere, & sic venerari præcepit, opem mox afferret defensioni fidei huius, ac cultus necessariam. Et addidit, verum enimuero, næ quas tu nobis rimas, atque artes elabendi nobis, & eludendorum promissorum tuorum inuenias: age, elige tu ipse ecquo miraculi genere velis me nunc vti, vt tibi abundè satisfactum putes. Est mihi mula domi (inquit tunc nequiter subridens, & importunè in rotam seria iocans Hæreticus:) illam ego habitam in præsepibus impastam, & triduanis ieiunijs ante maceratam, ad te in medium huius vrbis forum maius producam, quo & tu cum tuo insigni isto ficto, & cocto Deo, quem nobis venditas, conuenies. Ibi ergo, si mula mea fame rabida, vinculis soluta, auenam quam illi vescendam proponam relinquens, & famis suæ oblita, ad adorandum illum tuum Deum se conuerterit, do fidem, illicò me in tuum adorandi, illius ritum transiturum, pariquè tecum reuerentia habiturum. Igitur, his pactis vltrò citroque datis, & acceptis.

Virg. 7. Æneid. Ibidem lib. 8. *Dicitur hic subitò Tolosana, per agmina rumor*, & totam viciniam, imò omnibus pene totius regni illius *terris dicta fama* est, quapropter tantus, quasi torrens populorum vndique in eam vrbem cõfluxit, vt vix Hospites suos capere posset. Simulat conductus A dies illuxit, vterque in forum, quasi in stadium, & pulueream Olympicum certamini paratum prodijt, stipantibus fautoribus, his hæreticum (vt fit,) alijs S. Antonium Catholicum, sanctus Pater altare ibi parari iusserat, vbi & Sacris tunc operatus est, adstantibus Vrbis primoribus, singulis facem ardentem manu gestantibus, ac valdè stupentibus profectò tanti, tamque sublimis incœpti audaciam, & multum auentibus, vt pio Patri felix faustumque esset. Igitur Pater Antonius ante eam Missæ partem, quam Catholici vocamus Communionem, Hostia, manu accepta, paululũ ab altari abiens, venit ad areolam, vbi mula index, & iudex tãtæ veritatis futura stabat capistrata, quàm tunc hæreticus dissoluit, eique auenam sapidam, optimam, vberem, & ad victoriam promouendam (quis nesciat?) aptissimam, proposuit, in quam, cùm bestia fame triduana, iam propè rabida magno impetu mox irruisset, & semel fauces famelicas quoad eius fieri potuit, implesset, illicò superuenit sanctus, & animosa fide audax, sic eam velut intelligentem affatus est: * *In nomine Domini illius, quem ego (indignus licet) hic manu gero, tibi præcipio, vt auena hac neglecta, iam iam adores tuum Creatorem.* Mirabile dictu! Ibi famelica illa mula dicto citius, relicto auenæ sapidissimæ pabulo, imò etiam expuens, & velut excreando, reiectans tantillum, illud quod perceperat, & partim iam moluerat, iamque in stomachum defluebat, inclinato capite ad sanctum virum venit, & flexis magna submissione genibus Sanctum Sacramentum adorauit, magnis plausibus, & iubilis inter Catholicos excitatis, ingenti autem hæreticorum pudore, & (quod negotij caput est) ad saniorem mentem reducto hero suo, hæretico illo tam pertinace.

* Vt verẽ toex Gallic.

Quoniam verò feria sexta cuiusuis hebdomadæ, Domino nostro IESV Christo sacra est, quòd eo die tam acerba passus sit, & mortuus, in gratiam nostri, Christianis fidelibus author sim addendi ordinarijs præfatis exercitijs, velut superpondij vice, in honorem quinque illorum illustriorũ vulnerum Saluatoris nostri, quinque adorationes, id-est, vt quinquies genua flectant, & cũ singulis adorationibus corpus quoque incuruent etiam religiosè terram basiando. Nam quãuis actus isti Latriæ nonnihil difficultatis habeant; sunt tamen paruæ moræ, & magni meriti: ac deinde zelus ille interior quo animati ista exercebimus, faciet, vt facilis tandem, & cùm voluptate, sit ista exercitatio.

De Sanctorum Festis.

CAPVT X.

Quandoquidem nunc egimus de adoratione, quæ Festis Filij Dei æterni, & Beatæ Matris eius debetur; censeo non abs re fore, vt nunc paucis quoque adorationem illam adtingamus, quæ sanctorum festi dies honorandi videantur, cùm ea sit mens Ecclesiæ eos celebrantis, vt eis iustus cultus impendatur, quem Theologi nostri passim Duliam appellãt. Est fidei, probatumque & sancitum à Concilijs plusculis, ac nominatim à Tridentino sessione vigesimaquinta, Angelis, & hominibus sanctis venerationem deberi, ratione sanctitatis, ac beatitatis, quàm in cœlis adepti sunt. Diebus igitur, qui ipsis dicati sunt, maximè primoricus ipsorum exercendæ sunt plusculæ tales reuerentiæ, vt ipsos religiosè honoremus. Festis simplicibus (vt vocant) quæ non tam sanctè ab Ecclesia præcipiuntur, satis fuerit semel, & iterum, vt minimum, sic eum Diuum, illum, qui die illo colitur, adorasse, antequam in lectulum ad somnum corpus componatur. Si verò cõtigerit diem celebrari Diuo alicui Sacrum, quem præ cæteris impensius diligamus, aut quo singulari apud Deum patrono vti soleamus; is à nobis tunc adorationibus quoque singularibus honorandus erit, pluribus aut paucioribus, pro modo amoris erga eum in adorante. Quisquis igitur apud se constituerit ritè Diuos colere, quos habet cariores; is assuescat, vt quemlibet ipsorum, antequam ad quietem membra componat, vel vna saltem profunda adoratione veneretur, & fingat eos sibi adesse præsentes, & velut oculis cum gaudio intueri. Nam, vt ij corpore, & spectabiliter nobis non adsint, adsunt certè spiritu, plenissimeque intelligũt, qua reuerentia eos afficiamus, & clientulorum suorum res priuatim adcurant; nec desinunt apud Deum fauores, ac beneficia lauta, & opportuna eis impetrare. Orthodoxum est, & Doctorum Sanctorum Conciliorumque calculis approbatum, quod hic affirmo.

Et quoniam sunt ex Sanctis quidam, qui, nonnullis in Ecclesia Catholica Ordinibus, ac Religionibus initium dederunt, qui & per antonomasiam Patriarchæ appellantur; quia quemadmodum Abrahamus inde Patriarchæ nomen adeptus est, quòd tam ingentis populi pater fuerit, ita eos Patrum Patriarcharumque nominibus possumus insignire, quoniam tam multos habuerunt, habiturique sunt, seriè perpetua, & minimè interrupta posteros religiosæ disciplinæ suæ sectatores, cuiusmodi fuit magnus ille Monachorum Pater Diuus Benedictus, Sanctus Augustinus, & famosissimus Sanctus Dominicus, ac Seraphicus Pater noster Beatus Franciscus; omnes & singuli soboles, tam masculæ, quàm fœmininæ, & laicæ, & clericæ multitudine innumerabilis, in Christo genitores, & Patriarchæ. Itaque decet filios omnes singulorum valdè solicitos esse gloriæ Ordinis illius, cuius leges profitentur, & vestitu ab alijs secernuntur, authoremque Ordinis sui reuerentijs istis venerari, non modo diebus eorum cultui speciatim dedicatis, sed & quolibet die totius anni decurrentis, certo adorationum numero, velut ancillari. Cuicunque autem cordi erit, vt quotidie seipso melior fiat, & erga Ordinis sui authorem obseruantior; is me authore, sibi eligat certum hebdomadę diem, præcipuè, si ei commodum est, feriam quartam huic rei aptissimam, coneturque illo die abstinẽtia se aliqua macerare; in omnibus pietatis exercitijs, & obsequijs suis, gloriam eius spectare, eoque collimare (etsi omnia ad maiorem Dei gloriam resultent) & aliquam cuiusque diei horulam seriè impendere, gestis eius, & laudatis moribus animo reuolutantis, & velut ruminandis.

Communis Doctorum sentẽtia est, quemlibet cuiuslibet Ordinis, seu Religionis authorem, adcurare priuatim, & singulariter res suorum, Ordinem suum tueri aduersus Dæmonum impetus, fautoribus suorum iusta rependere, subneruare potentiam aduersariorum, eorumque conatus egregiè retundere, eique semper apud Deum ingenti cura patrocinari, neque verò tantum vniuersum Ordinem suum illi curæ esse, sed & priuatim singulorum eum profitentium, adeoque illorum omnium, qui veros ipsorum filios ament, & clientulos officiosos se illis exhibeant. In hoc genere cum primis excelluit Sanctus Franciscus Patriarcha noster, vt probat sequens historia, ex Ordinis nostri Annalibus eruta. Pauxillo posttẽpore, quàm S. Pater Franciscus corpus solo, cœlo animam beatam reddidisset, Frater Leo vnicè Patris sui amans, & quo vno socio familiarissimè in vita S. Pater vtebatur; ægrius ferens Patris absentiam, Deum precari constituit, & eius beneficio iterum antequam hominibus eriperetur, Patris faciem sibi liceret intueri; itaque se in locum abditissimum recepit, vt ei orationi vacaret attentius, & minorę periculo interrumpendæ attentionis, vbi pius Pater noster, qui certè nunc in cœlo filios suos tenerius amat, & beatius deperit, quàm cum in terris adhuc mortalem vitam ageret, ocyus ei (vt auebat) apparuit, emicans splendore propè intolerabili, vultu læto, & sereno, humeris alas duas auratas gerens, sed & manibus æquè pedibusque vnguium prælongorum, & præacutorum ordine instar aquilæ præmunitis. Obstupuit primo

mo aspectu, Frater Leo sicque, licet stupefactus dicam? an stupefactus? visione rei tam optatæ, tamen illico in B, Patrem irruit, pedes manusque ambas osculaturus, sed vt eũ vidit vnguibus aliisque homini insuetis munitum, constitit mirabundus, sicque cum affatus est: *Quid hoc rei est, Pater mi? quid sibi vult hic apparatus? quid alæ istæ in humeris? quid vngues manibus pedibusque præfixi? quidve petunt? quæ religio? aut quæ machina? Belli? an Pacis? Nolli expauescere frater mi amicissime*, excepit Sanctus. *Nil aliud sunt apparatus isti, quàm signa ergate meosque omnes beneuolentiæ. Nam certo tibi persuadeas oportet. Deum Optim. Maxim. quo primum die me cœlo recepit, & beatorum cœtibus inseruit, isto cum primis munere, ac donatiuo me beauisse, quo possim fratribus, & deuotis clientulis meis, opem meam rebus aduersis implorantibus succurrere, & quidem has alas vngues que quos vides, mini ex aëre finxi, & adaptaui, studio demonstrandi, alatum, id est, celerrimum, atque expeditissimum fore me, ad meos adiubandos; asperum verò etiam, & aculeatum ad vlciscendos meorum persequutores, atque aduersarios, seu Religiosi fuerint illi, seu Laici, nullo discrimine. Tros Tyriusque mihi, nullo discrimine agetur.* Igitur non potest Patriarchæ huius filijs, non admodum iucũdum, ac volupe esse recordari, sed vti Patre in cœlo tam solicito suorum, & rerum omnium ipsis commodarum, & vtilium: quare quod inde sequitur, huc illis quoque vicissim incumbendum est, vt ipsum iustis, & meritis honoribus prosequantur, quod vt facilius expleãt, me authore, & hortatore, exercitationem de qua superius actum est, amplectentur, nominatim autem, nullum diem abire sibi permittent, quo nõ sacra eius stigmata, ipsi vni cum Christo, Christi beneficio & manu, facta communia, conspicua, & perennia, salutent, flexis quinquies genibus magna cum animi submissione, gratulantes illi priuatam hanc stigmatum gloriam, quo honore, & obsequio nullum ipsi ab eis præstantiùs potest exhiberi.

Virg. 2. Æneid.

B

D

De adoratione Angelorum.

CAPVT XI.

Si rectè legibus cautum est, vt Sancti quõdam mortales, à nobis adhuc mortalibus veneratione, & adoratione, iusta ipsisque cõgrua colantur, (vt abundè superiori capite probauimus,) æquius multo est, Angelos à nobis similiter adorari, nobilissimas scilicet creaturas, qua spectantia spectatur, & perfectissimas imagines bonitatis, ac omnipotentiæ sui Creatoris. Et quanquam in confesso est, Angelos hominesque communem habere Creatorem Deum, vtrosque æquè esse opus eiusdem summi artificis, & ad eius imaginem expressos, memoriæque suæ intellectus, ac liberę voluntatis facultate gratiæ eius capaces esse, gloriæque ipsius, ac beatitatis participes, multasque hominibus patere vias, per quas æquare se Angelo possint, imò verò, ratione nobilissimæ illius vnionis hypostaticæ Verbi æterni cum homine, & dignitatis, qua nunc ille Homo Deus, eiusque beata parens in Cœlo censentur; videri, mortales ipsis Angelis adferendos: tamen si pensiculatè naturas vtrorumque conferamus, mox meridiana luce clarius fiet, Angelos multis (vt sic dicam) parasangis, atque interuallis excellentiæ hominem post se relinquere. Nam quemadmodum fieri nunquam potest, vt plumbum quamlibet recoctum, & vel purgatum septies, ad argenti meri excellentiam adtingat, neque argentum ipsum ad auri; si nec corpus, quantumlibet nobile, & excellens, æquare tamen animæ dignitatem vnquam potest, nec animus hominis in certamen dignitatis, cum vllo spiritu Angelico, etiam cælitum minimo, potest descendere, si nudam naturam spectemus. Hoc illud est, quod Dominus noster significatum voluit (vt Doctorum nonnullorum est sententia) his verbis: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno cœlorum maior est illo.* *Mat. 11.*

C

Sed, prius quàm hærentis adhuc solo naviculæ funem præscindamus, & solutis anchoris, altius in salum argumenti huius feramur, scire iuuant, hanc adorationis vocem latè patere, vt Deum, Homines, Angelosque complecti. Ita videmus, in plusculis Sanctæ Scripturæ locis, cum in Dei causis, tum in creaturarum eius, vsurpari. Sic legimus ab Israelitis, nunc Deum, nunc suum Regem Dauidẽ adorari: *Et inclinarunt* (inquit) *& adorauerunt Deum, & deinde Regem.* Et Filij Iacob leguntur, fratrem suum iam toti Ægypto imperitantem adorauisse, *Cumque adorassent eum fratres sui.* Quapropter consultò Doctores nostri, veteresque nouique certas, sibi voces delegere, quibus aptè varias adorationum species distinguerent, nempe, Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ. Latriæ adoratio significat summi honoris genus, vni, ac soli Deo debitum, ratione supremæ eius, & incomparabilis excellentiæ: adoratio Duliæ, seu honorifica seruitus, ea est, quam Angelo Hominique debetur ratione, aut sanctitatis, aut Heroicæ eminentisque alicuius in quolibet ipsorum repertæ virtutis: Hiperdulia autem, soli Virgini Deiparæ de-

Par. 29

Gen. 42.

cernitur, vt quam longè lateque dignitate, sanctitate, & perfectione virtutum heroicarum Angelos alioſque Diuos omnes præeat, & caput efferat: *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, qua de re iam ſatis antea diximus. Dicamus ergo (vt paucis abſoluam?) Angelos atque homines honore dignos, à nobis oportere adorari. Eſt fidei articulus (inquit Suarez) Felicis Papæ huius nominis primi diffinitione certus, Concilij Romani, & Synodi 7. calculis authoratus D. Auguſtin. de S. Petro loquens ait. * *Infinita credentium multitudo beatum Piſcatorem Petrum adorat.* Et alibi. * *homines*, inquit, *digna ſunt obſeruantia, & honore, & ſi multum eis additur, etiam adoratione*. Aſſertioni huic conuenienter videmus in Scripturis Sacris, mortales pluſculos Angelis adorationis cultum impendiſſe. Et verò, an non Abrahamus eiuſque frater Lothus, Angelos ſpecie viatorum adorarunt tres patruos, nepos duos? Ioſue, fulmen illud belli, & dux populi Dei celeberrimus, an non eodem honore excepit eum, qui viri ſpecie ipſi quondam in agro vrbis Ierichò, euaginato gladio, apparuit. *Cecidit Ioſue pronus in terram. Et adorans ait, quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum?* inquit ſacer textus.

Virg. Ecl. 1. Buc.

* *Vt ver to ex Gallic.*

* *Similiter.*

Gen. 18

Gen. 19

Ioſ. 5.

Quandoquidem igitur officij noſtri eſt, eos adorare, demus operam, (vt officio huic noſtro non videamur defuiſſe; tot genuflexionibus eos veneremur, quot ſuggeret nobis diuinus inſtinctus, & noſtræ erga ipſos pietatis affectus; eos adorando, nobiliſsimas creaturas, & cœli ciues digniſsimos, diuinis, & gratiæ, & gloriæ beneficijs locupletiſsimos, & diuinæ naturæ conſortes.

Sed momentorum omnium, nos mortales, ad ipſos officiosè honorandos, impellentium, iudicio meo multo potentiſsimum eſt; incredibilis ipſorum perfectio, & præluſtres illæ prærogatiuæ, quibus in Cœlo nobilitantur. Nam, ſi quam vitam viuant illi, attentè ſpectabimus, incorrupta eſt, adeoque, & incorruptibilis, & immortalis. Si eorum naturam, & conditionem, incorporei ſunt, nullius neceſsitatis legibus obnoxij; neque ſciunt quid ſint miſeriæ, aut afflictiones, quibus hic nos miſeri mortales opprimimur. Quòd ſi in mentem venit, quantæ ſint illi agilitatis, & promptitudinis ad res omnes agendas, videbimus, nihil hic dari, aut animo fingi poſſe expeditius, aut rapidius, ſed & cœlos ipſos, quos tamen à motuum celeritate miramur, & laudamus, plumbeos planè, & meras teſtitudines eſſe, & brabium totumque ſtadium ipſis meritò cedere, ſi de velocitate cum ipſis contenderint.

Iam, de intellectus ipſorum excellentia, & capacitate; quid eſt quod dignè à nobis dici poſsit, cuius vi perpetuò concipiunt, & intelligunt, nullius ope diſcurſus; cuique ab initio ſuæ creationis ſcire, & continere datum diuinitus ad ea omnia, quæcumque ſola naturæ vi ſciri poſſunt, vt ſinguli pro totius naturæ bibliothecis, & ſcientiæ armarijs, ſciturientibus eſſe poſsint. Quid de voluntatis cuiuſque ipſorum conſtantia, atque efficacitate dicamus, qua valdè volunt quidquid volunt, nec vnquam retractant, ſi quid ſemel conſtituerunt? Quid de memoriæ fide, & tenacitate, qua fit, vt nihil eorum obliuiſcantur, quam ſemel perceperunt, vel Themiſtocle, (qui tamen omnium quam vellet meminerat) & ipſo Simonide, memoriæ licet magiſtro, beatiores? Quid de eorum potentia, & viribus adeò vaſtis, & immenſis, vt vel vnus ex eis olim centum octoginta quinque millium armatorum ſtragem, vna nocte, in caſtris Aſſyriorum, nihil inde defeſſus, ediderit, & (quod amplius eſt) Angelus vnicus incredibili facilitate torquet, ac rotat Cœlum primum, cui tota hæc Terrarum Mariumque machina collata, exile punctum eſt, & quidem rotatione tam æqua, & ſcitè temperata, vt tot iam annorum millibus, nec notata, nec fando audita ſit ordinis vlla perturbatio, & hyperbaton? Ac (vt nihil hic omittamus eorum, quam ad gloriam horum Dei pediſſequorum honorariorum, & nobilium diuinæ Maieſtatis velut Viredariorum, & Curſorum, expeditiorum certè, quàm quos Celeres quondam ſuos Romulus vocabat,) libet hic agere de eorum ordine, & multitudine. In ſuprema Angelorum Hierarchia, quæ à ſolo Deo, nullo mediante, illuminatur, tres Ordines recenſentur, Seraphinorum, Cherubinorum, & Thronorum. Seraphini, reliquos omnes feruore charitatis antecellunt, Cherubini ſcientiæ amplitudine, Throni, intuitione in Deo, cauſarum diuinorum eius operum clarore. In altera Hierarchia, etiam ſunt tres chori, Dominationum, ſcilicet, Virtutum, ab Poteſtatum. In vltima eſt claſsis Principatuum, Archangelorum, & Angelorum. Nam quamuis hoc angeli nomen ſit commune omnium; illo tamen chorus vltimus ipſorum priuatim appellatur, quod propriè nuntium, aut Legatum ſignificet, vnde non naturæ nomen eſt, ſed officij. Quia verò ſpiritus illius ordinis inferioris, fere Legati, & interpretes voluntatis diuinæ *facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius*, ad nos mortales deſtinantur; nos illis nomen hoc commune vniuerſorum, velut ipſorum proprium vulgò tribuimus.

Cicer. 4. de Fin. & 4. Academ.

4. Reg. 19.

Pſ. 102.

No-

Notandum tamen est à D. Paulo, cum de Angelis superioribus loquitur, dici *esse*
Hebr.1. *omnes administratorios* Dei *Spiritus, missos propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Quæ verba Sanctus Dionysius Areopagita eius auditor, discipulus & filius in Christo, S. Gregorius, S. Ioannes Damascenus, & Sanctus Thomas interpretantes, docent, choros prioris Hierarchiæ non mitti ad homines, sed ad Angelos Hierarchiæ sequentis; hos verò, ad Angelos tertiæ. At Sanctus Gregorius Nazianzenus, Sanctus Cyrillus, Sanctus Chrysostomus, Sanctus Augustinus, plusculique alij Doctores, sentiunt, Angelos Superiores ad negotia certè mortalium curanda vulgò non destinari, quòd id muneris proprium sit Angelorum B infimæ Hitrarchiæ: destinatos tamen sæpè fuisse, cùm de negotijs summis nostri causa ageretur; cuiusmodi Seraphinum illum
Isai.6. fuisse dicunt, labia qui Isaiæ adtactu *calculi* igniti, *quem forcipe tulerat de altari*, per-
Iob 6. mundauit; Raphaelem qui multo tempore
& seqq. Tobiæ iuniori peregrinanti, & dux itineris,
Luc.1. & comes fuit; Gabrielem Archangelum, qui diuini, & optatissimi illius toti mundo nuntij ad Virginem interpres venit; maximè verò Sanctum Michaelem, qui, vt Ecclesiæ Princeps, sæpè missus est; vt præsidio esset, & prouideret, ne quid ea Respub. caperet detrimenti.

Iam, si Ordines eorum illustres sunt, & admirabiles, numerus profectò æquè stupẽ- C dus est, vt qui infinitus sit, solique Deo ipsi cognitus. Si decuit Deum, vti amplum hoc mundi theatrum magna creaturarum corporearum varietate decorauit, sic etiam cœlos ornare infinita multitudine creaturarum totius materiæ expertum, spiritualium, inadspectabilium, & corruptionis impatientium, quales sunt Angeli; vos ipsi vobiscum cogitate, quantam eorum multitudinem creatam oportuerit, quandoquidem totus hic orbis Cœlo comparatus (vt ante diximus) tenuissimum punctum est, situm in medio vastissimæ Sphæræ huius vniuersi. Pius ille Rex Iob, cùm de Angelis loquitur, pernegat posse numerari, non vel ab ipsis argyrocopis, & nummularijs arithmetice do- D
Iob 25. ctissimis: *Nunquid est numerus militum eius?* inquit. Hic, velut in quodam cardine suo, sita gloria, & Maiestas suprema summi Monarchæ huius Vniuersi, qui ipsos condidit, & ipsis velut satellitibus, & militibus vtitur, quandoquidem imprimis Regi honorificum est, multos nobiles, & Aulicos numerare, qui ei adstent, seruiant, & velut ancillentur, vel docente Spiritu Sancto, his
Pro.14. verbis: *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* Ac ne hanc rem prorsus intactam præ-

A teriisse videar, proferam opinionem Doctorum celeberrimorum, & omni exceptione maiorum; ac primum Alberti Magni. Magnus ille vir affirmat, esse nouem Angelorum choros, & quemlibet chorum habere suas legiones: legionem constare numero sex millium sexcentorum sexaginta sex Angelorum; totque esse legiones in quolibet choro, quot sint Angeli in vna legione. Alij augent numerum, decem pro vno constituentes, sic; vt numerus Chori Archangelorum, decuplo maior sit numero chori inferioris Angelorum, ac sic de cæteris vicissim omnibus, pari proportione; adeò vt Angeli chori infimi numerum constituant quadraginta quatuor millionum (quolibet milio- B ne faciente decies centum millia) & quadringentorum quinque millium, quingentorum quinquaginta sex Angelorum Archangelorum multitudo decuplo est numerosior. Hæc quamlibet compendiaria Ordinum Angelicorum enumeratio, ad tantum tamen numerum peruadit, vt, quantum anxia supputatione (quam studio lectori pio opusculi huius gratificandi, hic posui) consequi potui, & exprimere, si quis tot grana frumenti sumeret, quot Angeli illo continentur; impleret tandem turres trecentas quatuor supra nouem millia, quarum turrium quælibet, circuitum haberet vlnarum, seu extensionum vtriusque brachij; quadraginta; altitudinem verò centum; C quæ veritas haud obscura est, aut captu difficilis, ingenio Arithmeticæ, & Geometriæ perito. Quidam maiorem numerum constituere, in quibus est Vincentius Spargiatus Ordine Dominicanus, qui ait numerum Angelorum Inferni flammis addictorum, constituere quadringentos sexaginta sex milliones millionum, sexcenta sexaginta sex millia millionum: numerumque infimi chori Angelorum, constituere millionem millionum, & quadringenta millia millionum, Archangelos decuplo excedere eum numerum, Principatus, esse decuplo Archangelis numerosiores, & (vt paucis dicam) Seraphinos, Cherubinis decuplo plures esse. Sola Seraphinorum multitudo tanta est, vt octaua eius pars numero superet omnem cæterorum chororum multitudinem conglobatam. Idem dicamus de Cherubinis inferiorum comparatione; ita consequenter de reliquis omnibus.

Hæc Angelorum summa, seu computus, sic ab illo bono Patre constitutus, cæteros longè superat; imò verò talis est, vt alius quidam Pater, eiusdem sacri instituti, F. scilicet Antonius Poltus intrepidè affirmare audeat, omnes ciuitates, & pagos Christianismum professos, (imò vel quotquot toto,

quàm latè patet, orbe continentur) quamlibet euaquatos complanatos eos quis fingat, capaces tamen esse non posse tot granorum frumentariorum, quot Angelos summa illa complectatur.

Quis non obstupescat, totusque animo euanescat, lecta, audita, & pensiculata beatorum Angelorum tam ingenti multitudine creaturarum Dei, tam sublimium, tam excellentium productarum studio diuinæ gloriæ, & vna vtilitatis nostræ? Isti sunt Cœli ciues, Aulici, Imperatoris summi IESV Christi stipatores, & Magistratus rerum potententes. Animis consequi non possumus nos mortales, quàm profunda submissione, aut qua reuerentia Imperatoriæ illi Maiestati obsequantur, quantaque promptitudine imperata omnia ritè exequi conentur æquè omnes, qua de re sic Regum patientissimus Iob loquitur: *Sub quo curuantur, qui portant orbem.* Et, *columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Et expeditè imperia Dei exequuntur, vt Rex Propheta eos ipsos alloquens dicat: *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius: ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis volũtatem eius,* instar seruorum optimæ notæ, *in auditu auris obeditis* Deo: pene dicto citius, facitis quod iubet, adeoque imperia ferè anteuertitis studio ritè ancillandi. Et hęc est prima ratio, cur eos honorare, & reuerenter colere teneamur.

Iob 9. *Iob 26.* *Psal. 102.* *Psal. 17*

Altera est priore illa multo potentior, tot scilicet obsequia, quibus amplissimis nos sibi quotidie Primates illi Aulici, & ministri Dei arctissimè deuinciunt. Nam etsi Deus Optim. Maxim. fons est, origo & causa prima bonorum omnium, seu Naturæ, seu Gratiæ, seu Gloriæ, quibus nos mortales contingit ornari; sunt tamen Angeli velut canales, tubi, & quidam aquæductus commodissimi, per quos ad nos deriuantur, quandoquidem Deus ipsis vtitur, vt manibus, & instrumentis, ad obeunda illa omnia, quæ illi collibuerint, & in Cœlo, & in Terra. Sed ne in capite isto vno peccem nimia prolixitate, pium lectorem nunc amandabo ad Scripturæ Sanctæ libros, testes satis vberes beneficiorum, quibus publicè priuatimque mortales ab Angelis hactenus cumulatè affecti sunt. Itaque ad nostrum ouium gregem (vt dicitur) ideſt ad rem, ad praxin adorationũ, seu mauis ad genuflexiones, à quibus tantisper digressi sumus, nunc reuertamur.

Igitur si pro ipsorum dignitate, & amplitudine gloriæ ad quam prouecti sunt, facti scilicet Deo principio suo proximi, naturæque eius diuinæ participes, eos honorare libet, iuuerit primum secedere, & secretum quærere, mentemque purgatam, & quasi colatam à rerum terrenarum omnium affectus adtollere, & ad Cœlum Empyreum, vique eiaculari (qua re fiet, vt magis in cœlo, quá in terra versemur, cũ pars hominis melior, & præstantior sit animus:) ac tùm in cœlites fixe intueri, notare ipsorũ ordinẽ, dispositionem, pulchritudinem, celsitudinem, opulentiam, splendorem, gloriam, denique & perfectionem admirandam, in qua nec Zoilus, nec Momus quidquam meritò desideret, & sic quemque secum dicere: Hic chorus, cæteros celsitudine, pulchritudine, splendore, & meritis antecellet, & mille conceptibus speciosis occupari, quos suggeret dignitas argumenti. Deinde profuerit mentis oculos hilariter, & venerabundè toto cœlo circumspicere reuerenter, & turmatim alteros post alteros salutare (& si fortè chorus Seraphinorum nos magis capiet, aut in amorem sui alliciet, ius fasque erit eo spectando salutandoque diutiusculè immorari: congratulando eorum omniũ amplitudini, & prærogatiuis; denique submisse prostratis, ideſt, humilitatis animis coram augustissimo Dei throno eum laudare, habere ei gratiam, gratiasque immortales ei agere, nomine creationis tam nobilium ministrorum, & tam illustrium Imperij eius amplissimi ornamentorum.

Licebit eundem ordinem sequi, in consalutandis etiam Sanctis quõdam mortalibus, Patriarchis scilicet, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, & si qui sunt alij, in primis autem si quos vnicè, aut præ cæteris colimus, eos honorando gestibus ante dictis, congratulando, collætando, adorando, & gestiendo ipsos alloqui tota animi, & cordis effusione, & familiariter eis detegere, quæ nos cruciant, & variè distrahant, prensare, & orationum suarum suffragia ambire, quandoquidem (sensu Doctorum quorundam) vident, & intelligunt in Deo ipso necessitates mortalium omnes, vota & optiones nostras, amores nostros, qua in eos beneuolentia simus, & quam colamus eos reuerenter.

Valdè probem, imò cuilibet Catholico fideli, auẽti iustis honoribus beatos istos spiritus venerari, author sim præscribendi, sibi numerum aliquem certum, reuerentiarum, nouem, si placet, quia nouem choris distinguuntur, ac sic quemlibet chorum vna genuflexione venerãdi. Verùm enimuero quoniam Ecclesia meminit, & colit nominatim tres istos chori superioris Angelos, S. Michaelem, S. Gabrielem, & S. Raphaelem, ego certè consultum putarim, ab his ipsis colendæ naturæ Angelicæ initium capere, ac primum à B. Michaele, vt Principe omnium cæterorum.

Nam

Nam, etsi (Beati Laurentij Iustiniani sen-
so) omnes cœli milites nobis honorādi sunt;
tamen in primis reuerendus est, totius exer-
citus Imperator, ob præcipuam celsitudinis
eius dignitatem, & priuilegia vni illi à Deo
concessa, ob inuictam fortitudinem, ob sin-
gularem Creatoris erga eum beneuolentiā,
denique ob constantiam roburque eius ad-
mirabile, tum maximè perspectum, quum
aduersus Draconem Infernalem eiusque cō-
iuratos perduelles, in cœlis, quasi Pharsali-
cis, aut Philippicis quibusdam campis ordi-
natis acietibus, iusto prælio decertauit, &
vicit. Et profectò iure Ecclesia, cum præci-
puis honoribus afficit, velut ingenuè confi-
tens eum protectorem, ac tutelarem suum,
&qui charitate maxima, excipere soleat ani-
mas piorum, & electorum è viuis ad Deum
emigrantes. Deinde ad S. Gabrielem adiri
probauerim, vti ad legatum Dei, & internū-
tium desideratissimum salutis nostræ sem-
piternæ, ad Virginem semper augustissimā,
clementissimam, & charissimam Dominam
nostram. Denique ad S. Raphaelem putem
transeundum, tanquam ad ducem tutissimū,
ac defensorem fortissimum peregrinantium
eius præsidium implorantium, qui Tobiam
iuniorem inoffensum perduxit quo voluit,
& domum præter omnem spem, atque expe-
ctationem parentum, *sanum*, ac saluum *re-*
Tob.12. *duxit*.

Has igitur genuflexiones exorsurus, & iā
in locum ab alijs semotum receptus, sic in
genua te prosternes duodecies, ac si eos cor-
poratos præsentes, & adspectabiles oculis
cerneres, qui licet à te non visi, te vident ta-
men ex alto, teque in oculis suis gerunt. Pri-
ma adoratione salutabis S. Michaelē, Prin-
cipem, & Imperatorem cœlestis exercitus;
altera, magnificum Legatum, & paranym-
phum salutis nostræ Gabrielem; tertia ipsum
S. Raphaelem: cæteris cæteros Angelorum
choros, ordine suo omnes, & singulos. Libet
hic subijcere methodum, quàm perfacilè
æquè omnes sequi possint.

PRAXIS ADORATIONIS Angelorum.

Dicenda sunt quæ sequuntur.

* I. *Veneror* te, ac reuereor S. Michael glo-
riose, Primus totius Curiæ cœlestis.

* II. *Veneror* te, ac reuereor, S. Gabriel Le
gate Dei beatæ, ad MARIAM Virginem,
de re summa summarum.

* III. *Veneror* te, ac reuereor, Raphael be-
neuolentissime, qui Dei bonitatem obse-
quijs tuis, testatissimam fecisti Tobiæ iu-
niori.

* IV. *Veneror vos*, & reuereor, Seraphini
ardentissimi, indefessè flagrantes in Ætna
diuinæ charitatis, & in medijs Amoris Dei
incendijs.

* V. *Veneror vos*, & reuereor, Cherubini
Sanctissimi, qui scientia, & clara Dei cogni-
tione, Angelos omnes inferiorum Ordinum
longissimè anteitis.

* VI. *Veneror vos*, & reuereor Throni for-
tunatissimi, vel ea re, quòd in vobis Monar-
cha æternus acquieuerit, vt ope vestra, animæ
nostræ, ad quietem optatam, & illam spiri-
tus tranquillitatem disponantur.

* VII. *Veneror vos*, & reuereor, Domina-
tiones nobilissimæ, quæ pro modo imperij,
& plenitudinis potestatis diuinitus vobis
concessæ inferiorum ordinum spiritus diri-
gitis.

* VIII. *Veneror vos*, & reuereor, Virtutes
incredibilis roboris, Legati Regis summi,
ad cælestis militiæ exercitus ordinandos.

* IX. *Veneror vos*, & reuereor, Potestates
fortissimæ, quarum ordini, diuinitus datum
est, vt insolentiam potestatum Infernalium.

Imperio premat, ac vinclis, & carcere fræ- *Virg. 1.*
net, quamlibet indignantium: alioqui eas, ni- *Æneid.*
hil non ausuras, omniaque non tantùm per-
uertere, sed & funditus euertere tentaturas.
Ni facit, maria, ac terras, cœlumque profun-
dum,
Quippè ferant rapidi secum, verrantque *Idē ibid.*
per auras.

* X. *Veneror vos*, & reuereor, Principatus
magnificentissimi, quorum fidei, & curæ
Principes, Reges, & Imperatores, adeoque
supremi Ecclesiæ Proceres, ac Pontifices
concrediti sunt, & commendati.

* XI. *Veneror vos*, & reuereor, Archangeli
inuicti, quibus diuinitus Prouinciarū, Reg-
norumque cura, ac tutela populorum com-
missa est: & mysteriorum altissimorum, ad
communem eorum salutem spectantium, sig-
nificatio.

* XII. *Veneror vos*, & reuereor quoque An-
geli modestissimi, qui non dedignamini cum
hominibus conuersari, eorumque tutelam,
ac patrocinium, tam beneuolenter, ac dili-
genter amplecti.

Si quis autem est adeò lubricæ, ac labilis
memoriæ, vt exactè verborum horum om-
nium nequeat recordari, is sic dicat simpli-
citer. Veneror te, & reuereor, S. Michael
glorioſe. Veneror te, & reuereor, S. Gabriel
glorioſe. Veneror te, & reuereor. S. Raphael
glorioſe.

Veneror vos, & reuereor, Seraphini glo-
riosi, ac sic gradatim prosequatur, nuda tan-
tum nomina ordinum proferendo, vt Che-
rubinorum, Thronorum, Dominationum,
Virtutum, Potestatum, Principatuum, Ar-
changelorum, & Angelorum. Item, poterit
ad memoriam iuuandam, ab vltimo choro
adorationes suas exordiri, & in supremum

de-

desinere. Quod si methodi quoque huius, nec capax, nec tenax est, adoret tantùm nouies etiam omninò tacitus, nec vel animo solo repetens eorum nomina, aut epitheta honorifica, solummodo intendat primum venerari, priore reuerentia: alterum, altera; atque ita cæteros, cæteris, nec propterea minus grata erunt toti illi beatorum spirituum consessui, religiosa illa eius obsequia, vt idiotissimo magno exhibeantur.

Superest igitur, vt vnus hebdomadæ dies deligatur, & eorum cultui, & his adorationibus assignetur: & mihi quidem videtur feria tertia, quam laici diem Martis vocant, admodum sanctæ huic exercitationi conuenire, quòd Ecclesia Catholica in rubricis Missæ generalibus, assignans Missis illis, quas nòs Catholici votiuas vulgò vocamus, quilibet suum, ac proprium diem; feriam hebdomadæ tertiam (nisi præoccupata sit officio aliquo singulari) adscribat celebrationi Missæ de Angelis, gestiens illos tunc iustis honoribus venerari. Quisquis igitur secum statuerit Angelis semel hebdomatim iustam venerationem impendere; is decerpat inde feriam illam tertiam, illorumq; cultui eam adtribuat; & qua hora commodissimè poterit, ipsos, genuflexionibus istis honoret. Quod si sacerdotis fungitur; celebret illo die (si potest) Missam de Angelis: sin verò laicus est, det operam, vt vel tali Missæ intersit, vel iubeat talem celebrari studio, sic ipsos singulariter honorandi.

Et quoniam Angeli Psalmis cantuque mire delectantur, phonasci ipsi, & perpetui cantores Dei Altissimi, delectantur (inquam) ità omninò, *cùm psallitur spiritu, psallitur, & mente*; quandocunque ad psallendum conuenerimus, magno studio contendamus, vt reuerenter, animoque præsenti, & erecto, id faciamus, nobis persuadentes, nos *in conspectu Angelorum psallere*, qui & nos cum voluptate incredibili, auribus purgatissimis, & huc arrectissimis, attentissimè audiunt. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, aiebat Rex Propheta, idemque magnus Psalmista, *Adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo*. Huc pertinet, quod de B. Bernardo legitur, in historia virorum Ordinis Cistertiensis illustriorum. Fertur beatus ille vir, aliquando vidisse, cum lætum illud epinicium, & victoriale canticum (*Te Deum*) caneretur, Angelos miro splendore spectabiles, vultu læto, & pleno Maiestatis, de choro in chorum transeuntes, & ipsos ordines cantorum obeuntes, ac nunc hos nunc illos Monachos excitantes, vt sanctum illum hymnum, opus sanctorum Ambrosij, & Augustini, pro dignitate concinerent, sic testati, illum sibi esse familiarem, magnamq; ex illius auditione capere voluptatem.

Ps. 127.

Ibidem.

Bre. Rō.

A Alio quodam tempore, cùm preces statæ, & Canonicæ cantarentur, eidem Sancto viro contigit intueri Angelos, attentissimè notariorum, & librariorum instar excipientes, & describentes verba singula Monachorum, ac tanta diligentia, vt nec vel syllabam, aut apicem sibi perire paterentur, quamlibet tepidè, ac negligenter (ne dicam *fraudulēter*, vt nonnunquam à quibusdam, proh dolor! *fit opus Domini*) pronuntiaretur. Quosdam ex Notarijs illis cælestibus vidit litteris aureis pingentes, quosdam autem argenteis, nonnullos vsitato attramento; alios etiam aqua limo, ac luto horrenda. Sensum autem, aut vim spectaculi illius dignatus est Deus B. viro mox ita interpretari; litteras scilicet aureas, iudices illorum esse, qui cū feruore Spiritus, & tota mentis contentione psallerēt; argenteas autem illorum, qui attentè quidem, ac piè cantarent, sed non pari feruore; atratas autem eorum qui diuino officio intentione quidam rectà vacarent, humanum tamen aliquid paterentur, & per negligentiam sinerent animos suos dissipari, & variè distrahi: denique lutosas illas, & aqua minimè illimi factas, eorum quibus somnus obreperet, & animus sciens volensque cogitationes vagas profanasque admitteret, & (vt vulgò aiunt) totam Hispaniam ibi arces locans, & castella ædificans, pererraret. His visis magna voluptate inde affectus est pius Pater, quod piæ psalmodiæ tanti essent, vt Angelis auditoribus, & spectatoribus vti condecorarique mererentur: dolens contra grauiter, esse quosdam, qui tepidè, flaccidè, & animo longè latè peregrinantes, taxata officij sui diuini pensa persoluebant. Igitur tam speciosо exemplo animati, & illius Sanctorum Angelorum præsentia, & audientię conscij, quoties gregatim in templo Laudibus Dei canendis occupamur, demus operam, vt id deuotè præstemus, excitatis animis, & perpurgatis, nō modò, quia *locus in quo stamus, terra sancta est; & viuit Dominus in cuius cōspectu stamus*; verum etiam quia *spectaculum facti sumus Angelis*; & spiritibus illis beatis.

Ier. 48.

Exod. 3.
3. Re. 17
1. Co. 4.

D O fœlix, imò, ò nimium fœlix, qui adlaborarit eos egregiè amare, & obsequijs istis honorarijs, & genuflexionibus submissi animi indicibus, colere, quas pro modo dignitatis suæ abundè merentur; quoniam non solum ipsis intercessoribus gratiosis apud Deum vsurus est, sed etiam defensoribus fortissimis, ac diligentissimis aduersus omnes impetus, adde, & seruatoribus, ab irruptionibus, & laqueis dæmonum hostium suorum capitaliū; deniq; adiutoribus tūc officiosissimis, cùm illi ex hac vita infortunatissima, ad beatam illam, & immortalem, erit ignotis itineribus traijciendum.

Qui

Qua reuerentia coli à nobis oporteat Angelum Custodem.

CAPVT XII.

Dignum profectò, & iustum est, Angelos à nobis religiosè coli, vel ob tot beneficia, quæ publicè omnes eorum magnificentia accipimus, dum irrequietè vastam huius mundi machinam moderantur. Verum enim verò quis explicet, quàm arctioribus vinculis, sibi deuinctos nos singulos habeat, vt sepiè colamus, Angelus noster tutelaris, vnumquemque suus, qui cuiusque custos diuino Imperio decretus est, (si tamen gratitudinis leges putamus à nobis quoque hic esse obseruandas) cuius Angeli, nullo nō vitæ momento fauorem opemque experimur? Sibyllæ foliis verius, ac certius est, & omnium Doctorum cōsensione receptum, *vnumquēque* (IESVM Christum Redemptorem nostrum semper excipio) *ab ortu natiuitatis, habere in custodiam sui Angelum delegatum.* *D. Hie. libro de commēt. in Mat.* *Quām bonus Israel Deus!* Quanta in nos vltes creaturas, terræ & luti filios, charitate ille flagrat, cui parum fuit elementa, corpora mixta, omnia denique corporea à se creata homuntionis vnius, velicæ, vtris & omasi animati, obsequijs subiecisse, nisi etiam *Angelis suis mandaret* de illo ipso, *vt custodiāt eum in omnibus vijs suis*: vt velut *in manibus suis portent eum, ne fortè offendat ad lapidem pedem suum*, & creaturam adeò excellentem, tanta gloria, tāta potentia, & sapientia præditam, vice pædagogi ad bonum, & virtutem, & ducis ad veri cognitionem, cuique nostrum esse iuberet, vt quondam Rex Philippus, Aristotelem summum Philosophum suo Alexandro. *Psal. 90*

Sed si bonitatem Dei miramur, in tanto custode nobis assignando, est profectò vnde non minus miremur eiusdem potentiam, in creatione Angelorum adeò multorum, vt chorus eorum infimus vnus, ac solus abunde sufficiat custodiæ omnium, non tantùm nūc mortalium, sed etiām omnium ab orbe condito hactenus mortuorum, imo & ad nouissimum vsque iudicij diem nasciturorū. Iam autem coniecturis verisimilibus persuasum vulgò est, numerum mortalium qui nunc sunt, ad quinque, aut sex milliones millionū adtingere, quibus singulis cōsequens est, singulos custodes, ac tutores esse adsignatos. Sed pergamus, dicamusque ad maiorem huius argumenti lucem, Angelum Petri custodem, nullius anteà alterius ab illo vnquam fuisse tutelarem, sed quorundam Doctorum sententiam, esse Deum simulac homini cuicunque animam rationis participem infundendo creet, & creando infundat; tum quoque Angelo cuipiam hactenus immuni, resi-

A di, inconductō, & hic velut tyroni, decernere illius ipsius custodiam, & circa ipsum excubias: vbi ergo mihi terrarum quisquam Arithmeticum mortalem, numerandi tam peritum, etiam in illis, seu Antuerpiensium, seu Hispalensium, seu Venetorum, quibuscunque nisi Numularijs, tam numeri [illegible] assiduè intentis, reperiat, qui mihi promteri audeat, se posse, non dico edicere, aut planè scire, sed vel dicere, aut animo quantumuis probabiliter fingere, quot nullia millionum animarum hactenus creatarum, aut deinceps sit creaturus, ad illum vsque diem, quem vltimum nouit quidem. *C. auso componere Vesper O. suppos?* *Virg. 1. Æneid.*

B Ego huic sententiæ, quo vadit verisimili, facilè subscripserim, non modo cōsideratione diuinæ potentiæ, sed etiam excellentiæ legatorum ac deputatorum istorum, denique & ordinis naturalis creaturarum. Quoniam si Angelo cuicunque illo Tutelæ munere, iam aliàs antè functo, iterum eadem alterius cura committeretur, & antiquo ludo velut rursus includeretur; videri posset, ideò diuinitus, ita decerni, quòd iustus numerus deesset ordini illi infimo Angelorum, pluresque homines, quàm Angeli numeraretur, quòd manifestè falsum est, quoniam si Archangelorum ordo ordinem Angelorum decuplo superat multitudine, ob naturæ in ipsis maiorem excellentiam (vt in superioribus docuimus;) consectarium est Angelos, vt multo nobiliores hominibus, etiam decuplo plures hominibus esse oportere.

C Egestas autem, ac necessitas nostra præsidij huius Angeli inde est, quòd animi nostri sint immortales, sociique Angelorum, & in imperio cœlesti tandem futuri eorum consortes, & cohæredes. Hinc quoque eadem nascitur, quòd admodum inermes, enerues, & fragiles sumus, hebetes rerum, & valde multarum rudes, atque imperiti, & præterea perpetuis bellis agitamur ab aduersarijs maximè astutis, & potentibus, vulpinas pelles Leoninis assutas gerentibus, qui more leo-

D num nocturnorum, impostorum, & ob me- *1. Pet. 5*
diam plusquam triduanam, iam fame rabidorum, nos perpetuis incursionibus, in itinere vitæ huius periculoso, circumeundo exagitant, quærentes quem intercipiant, & deuorent.

Hinc, hinc illæ lachrymæ nostræ, & opis Angelicæ nobis ista tanta necessitas, ad impetus illos retundendos, & declinandas hostiles insidias, *vt custodiant* illi nos in omnibus vijs, motibus & actibus *nostris*. At qui fieri possit (inquiet dubitantius aliquis, ac sciolus) vt Angeli tutelares nostri nunquam à lateribus nostris discedant, cùm tamen dicat Dominus ipse noster, eos semper in conspectu Dei versari, quæ res tota ipsorum *Psal. 90*

gloria

Mat. 15 gloria est, & summum bonum? *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Cui quæstioni sic ex D. Gregorio Papa respondeo; Angelos certè esse in cœlis, non tamen præsentia reali, & velut in loco, cum alibi quoque Scriptura dicat, eos diuinitus *mitti in ministerium*, & sit meridiana luce clarius, Angelum non posse in duobus locis esse, vno eodemque tempore; sed in cœlo versari dicuntur, à Dei perpetua visione, contemplationeque nunquam interrupta: quoniam Deus vbique præsens est, & omni loco Angelos suos beare potest, tam in Inferno positos, quam in cœlo. *Vbi Papa, ibi Roma*, dicitur vulgò: sic vbi Deus ibi beatitudo, erga quos tamen Deo collibuerit, speculo scilicet pulcherrimo, sed libero, & voluntario.

Hebr. 1.

Et quidem, ad inflammandos semper magis, ac magis animos nostros, ad studium colendorum Angelorum, pro nobis semper excubantium, libet hic demonstrare Lectori, qui sint fauores quotidiani, & quæ obsequia, quibus illi nos indefesse demerentur: & quãquam ea sint multitudine innumerabilia, dabo operã, vt tribus duntaxat capitibus præcipuis illa complectar. Primum ergo illud est, quòd mille periculis malisque nos eripiunt, id est, mille siniſtros euentus, & rerum exitus infortunatos diuertunt; in quos alioqui certò prolaberemur, eorum præsidio destituti. Audiamus, quæso, Regem Prophetam hac ipsa de re doctè, & clarissimè pro-

Psal. 90 nuntiantem: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Et tuam fidem! fatere ingenuè; nunquam ne tibi contigit iter facere platea hac, aut illa, ibique fortè (vt fit) aliquantulum commorari, nulla tamen certa causa gradum tuum, & animum quasi compedibus iniectis sistente: & ruere interim de-

Cic. lib. 2. de Orat. Valer. Max. lib. 1. c. 8. Suid.

repente ex alto immanem trabem, aut aliud quidlibet ante pedes tuos, vndè poteras grauissimè lædi, & membro aliquo mutilari, aut etiam vita destitui, si vel latum pedem vlterius fuisses progressus?

Nunquamne tibi accidit è domo aliqua excessisse, & mox ab excito tuo (vt de Simonide narrant maximi scriptores) tectum corruisse? Nunquamne expertus es, nullo certo, consilio viam te aliquam ingredi noluisse, aliam præferre maluisse, ac sic certam mortem tibi, vel ab hostibus tuis, vel à viarum incubatoribus, certissimè paratam, effugisse?

Repete animo ab omni retrò tempore præterita omnia, & quæcunque tibi sigillatim mirabilia, nec opinanti in vita contigerunt; & comperies dubio procul, te pericula eiusmodi plusc ula, & non rarò, nulla etiam tua cura, declinauisse. Illa, illa sunt bona custodiæ Angeli Tutoris tui effecta.

Ista Iacob pius ille Patriarcha abundè intellexit, qui, quod ex tot periculis, quibus in vita obiectus fuisset, semper emersisset, custodi sui Angelo adscribebat, iam moribundus, & nouissima verba, benedictionemque, vel paternam, vel auitam, suis ex Ioſepho filio nepotulis pronuntians: *Angelus* (inquit) *qui eruit me de cunctis malis benedicat pueris istis.* Idem tum præstitit Heroina illa celeberrima Betulienſis Iuditha, cùm iam capite iudomiti anteà Holofernis, importuni in bello amatoris sui, suo sibi pugione fortiter prætruncato, & in peram Ancillæ coniecto, victrix, ex Assyriorum castris, Betuliam ad suos extrema omnia pauidè expectantes, reuerteretur: *Viuit ipse Dominus* (inquit) *quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem & indè huc reuertentem; & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati, reuocauit me vobis, gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.*

Gen. 24.

Iudit. 13

Et, quanquam præsidiarij illi nostri Angeli, omnibus probis improbisque æquè excubant, & pernigilant, Argo Poetarum centoculo insomniores; singulari tamen studio iustum tuentur, cuius spes omnes, & ambitus votorum omnis in Deo situs est, vt egregiè declarat Rex Psalmista: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Et profecto dubitandum non est, quin quicunque vitam probè sapienterq; instituant, priuatim curæ sint Deo, eosque singulariter Angelis suis commendet, vt non oscitanter eos tueantur, neque euerti patiantur aduersis, in quæ alioqui incurrent: *Angelis enim suis mandauit de te* (ait idem Propheta) ac si diceret: Ite serui Dei, qui nihil speratis in hac vita mortali, quàm placere Deo; ite, ite bonis auibus, & Deo benè fauente, per plateas vrbium, per vias inuias desertorum auiorum; ite (inquam) quandoquidem ducibus inuisilibus vtimini, & viarum præmonstratoribus optimis, & quouis Mercurio cercioribus; Alexicàcis, seu malorum depulsoribus, & iteruersoribus, quouis Hercule fortioribus, Dormite, dormite securi in vtramque aurem, seclusis, & (vt dicitur) sub cerui cal positis solicitudinibus contemptisque nocturnis diurnisue terroribus, quandoquidem tam fidis excubitoribus, nunquam dum dormitis dormituris, aut dormitaturis, diuinitus cõmissi estis. Et quis est, ò terque quaterq; beati, qui iniurius vobis esse possit, pro quibus excubant Dei, ipsius excubitores, & custodes (vt sic dicam) corporis diuinæ suæ maiestatis? *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculca-*

Psal. 90.

Ibidem.

Psal. 90

bis

bis Leonem, & Draconem. Ita est omnino, *Vir. lib. 3. Geor. Idè Bucol. Eclog. 9.* non ab ipsis Aspidibus, non à Basiliscis, quorum ea vis est, vt perimant *vtcunque videndo*, &, si quem *videre priores*) quidnam detrimenti capietis: & quanquam pedibus nudis adtingatis, & prematis ferocissimos Leones, & Dracones, vel solo visu terribiles, vobis tamen fraudi non erunt, quoniam Angeli Custodes illi vestri ordinarij, in gratiam vestri illos ferocitate sua, & tota vi nocendi à natura ipsis indita antè exarmabunt.

Alterum beneficium, quo nos afficit Angelus ille custos nobis decretus, sunt sana consilia, & salutaria monita, quibus nos opportunè instruit. Et huius quidé rei illustre B exemplum legimus, de Angelo illo, quo fidissimo Achate, Duce, Comite, & Protectore Tobias iunior in longa illa, ac per difficili sua peregrinatione vsus est, qui optimis consilijs illum præmuniuit vxorem ducturum, prouidè, ac prudenter præmonens, quid ipsi ante, quid post nuptias esset agendum, à quibus die ipso genialj abstinendum, quibus cõtra vacandum, vt malum propè fatale (vt sic loquar) futuræ vxoris euaderet; ordiretur scilicet istas tam suspectas nuptias, alio prorsus modo, quàm mariti eius priores, & quã solent fere Epicurei, & viri carnales, à continentia, à vigilijs, & triduanis orationibus.

Sic Angelus ille, qui custos nostri decretus est, perpetuus est in consilijs salutaribus *Tob. 6.* nobis suggerendis, in exhortationibus, ad opera pia, & vitæ æternæ meritoria, quæ haud dubie susque deque haberemus, & prorsus negligeremus, nisi ab illo traheremur, nunc nos huc alliciente exemplis Domini nostri IESV Christi, aut Sanctorum eius; nunc voluntatem nostram inflammante diuinæ bonitatis contemplatione, beneficiorumque illius grata recordatione, nunc facem magni luminis intellectui nostro præferente, proposito iusto terrore pœnarum æternarum, & carcerum quouis Labyrintho inextricabiliorum.

Agedum, da gloriam Deo, & fatere liberaliter (quæso) nunquamne comperisti, sic tecum actũ esse, vt, cùm in immane aliquod facinus, aut flagitium perpetrandum iã consensisses, iam iamque manus operi esses adiunctarus, senseris intus, & in animo, nescio quos agones, & cordis quasi auersantis palpitationes, imò nescio quam, & nescio cuius *Vir. lib. Bucol. Eclog. 9* vocem tibi surdè submusitantem: *Quo te Mœri, pedes?* siste gradum; contine manum, *Idem 2. Æneid.* vide ne feceris, *Corripe nate fugam*, hinc *Vid. Herodotũ in Clio,* auola, miser: quid agis, aut moliris, vt audeas facinus tam abominãdum! vt in Deum Creatorem tuum, ita pecces! vt sic animam tuam æternum eas perditum! Heus, homo, Cræsus, Marius, Cæsar est, quem telo petis,

A *Ne occide Cræsum*, ah Deus est, Christus est quem offendis. Ah! dulcissime rerum! ah! vox ista, (si nescis) vox est Angeli Custodis tui, sic te alloquẽtis, verbis ipsius Dei, communis Domini, illius ac tui. O quoties iam summa illa Dei Maiestas, te, velut *telluris inutile pondus*, hinc fulmine abreptum trà-stulisset ad Inferos. *pag. 34. Celium libro 5. noct. c. 9 Horat.*

Pallentesque vmbras Erebi, noctemque profundam, ignibus ibi æternis arsurum, nisi beati huius spiritus orationes interceßissent, & Deum tibi iustè iratum placauissent! Nescis parabolam hanc, ex ipsius Domini nostri ore aliquando profectam? *Virg. 4. Æneid.*

Ait, patremfamilias fuisse, qui, cùm ficulneam suam, iam totum triennium sterilem B esse grauiter ferret, dixerit vineæ cultori. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam. Vt quid etiam terram occupat?* Hortulanum autem, vt arborem illam amabat, ita Domino respondisse: *Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Et siquidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam*, quasi diceret. Liceat mihi extrema tentare remedia infœcunditatis: si nec eorũ vsu feracé arborẽ fecero, mox, vt iubes excidero, & ignibus tradidero, in fauillas redigendam. Doctores Sancti cùm hũc locum C elucidant, aiunt, hortulanum hunc esse Angelum Custodem, cuiusque Deumque Optim. Maxim. cum vidit nos terram occupare otiantes, & nullis bonis operibus intentos instar arboris infœcundæ, & in agro locum alterius vberem fructum daturæ frustra tueri, tum imperare tolli è medio, & mori: Angelum verò, illius inertis, & ignauæ animæ tutorem tum in genua procidentem intercedere, mortem tam subitam deprecari, supplicare submissè Maiestati diuinæ dissimilet cum eo, vel tantisper, indutias concedat, vel ad tempusculum, ijsque tandem, & ægrè impetratis, ad peccatorem illum adeò sterilem bonorum operum, non adcurrere tan- *Luc. 13. Ibid.*

tùm, sed *super pennas ventorum*, & aquila- D rum, fulminis alis ocyorem, aduolare, duriter increpare de tanta ignauia, & vita tam ex lege legirupa, tam enormiter, & fœdè hactenus transacta, vocare, abstrahere, impellere, & prope cogere ad meliora, vel reluctantem, & vitulantem. Idque fit, cùm post peccatum, subit mentem terror mortis, rigidique & plusquam Manliani iudicij, quod iam iam emigrantes in ianuis expectat, & flammarum illarum Inferni æternarum nos præstolantium, & nobis paratarum, nisi sanioribus vsi consilijs extremum vale peccatis serio dicamus, & alios mores aliamque illicò vitam arripiamus, inuereratam execrati. Quod si peccator, monitis eius Salu- *Psal. 17 & 103.*

ta-

taribus exàuditis, ad ſanam mentem redierit, eiuſque inſpiratu ad optima quæquæ adſpirauerit, bone Deus! vt geſtit; vt gaudio cor ſubſilit, voluptateque incredibili (putatis) exultat, non vnus tantùm ille Angelus, ſed tota ſimul Cœlitum Curia, cui nil antiquius eſt, aut optatius, ſalute miſerorum mortalium!

Tertium, & vltimum, huius quidem loci beneficium, cuius nomine in magno Angeli Tutoris noſtri ære ſumus, cuius diſſoluendi vix quiſquam eſt capax, eſt indiuidua illa eius ſocietas, qua ille à primo die ortus cuiuſque noſtrum, ad periodum vſque vitæ vltimam, nunquam, vel latum vnguem à latere tuo tuus, meo meus, diſcedit: ſemper *in manibus portat te* tuus, me meus; adeoque in oculis ſuis gerit pupillis ſuis charius; tantaque fide comitatur, vt nunquam te tuus, me meus deſerat, quamlibet à nobis contemnatur, emittatur, ac tantum non extrudatur, pœneque fuſtibus abigatur, dum ſcilicet libidines complectimur, & hilariter ſcientes volenteſque in abyſſum peccatorum profundiſsimam præcipites nos damus. Ah! quã paucos eiuſmodi Achates, & tam fidos, Pylades, aut Theſeos reperire eſt, qui nunquam ſuos Æneas quamlibet multis tempeſtatibus vexentur, nec ſuos Oreſtes; vt vt parricidialibus furijs periculosè agitentur; nec ſuos Pirithoos deſerunt, aut ab oculis tantiſper abeſſe ſinunt.

Pſ. 90.

Non; vel ſi *Infernas viuus adiret aquas*! Mihi enim vide (exempli cauſa) nobilem puellulam, in primo vitæ ſuæ Vere conſtitutam, & forma iam florentiſsimam: videas eam tum amatoribus mille circumſeptam, & obrutam multitudine ad pedes eius idolatriam iucundam exercentium, eius nutibus obedientium, ſeſe illi totos deuouentium, & nimij honoris loco habentium, ſi quid ea ipſis imperare dignetur: ſic nimirum ſe habẽt res illius, quamdiù ætatis eſt floridæ, adoleſcentula, & adoleſcenturiens. At eadem defloruerit, & non dico incanuerit, ac defloratæ ſenio ſit; non, dum hoc ſit; ſed iam hebetior paululò ſit lux illa, & venuſtas oculorum eius, olim tam coruſcantium, & tam ludibundorum: obſcuriuſculus ſic color ille genarum quondam optimus: iam occipiat frons illa, nuper ebore quouis, aut ſpeculo cryſtallino planior, vel tenuiter rogari: Lippiant iam, & cereum neſcio quid deſtillent oculi illi olim tam ſyderei, tàm loquaculi, tàm pleni cupidinibus, & pellacijs fallaciſsimis; tum ocyſsimè, velut audito (*plaudite*) & acta fabula amatores eius omnes.

Ouid. lib. 1. Triſt. eleg. 4.

Diffugiunt, nec noſcitur vlli
Agminibus comitum quæ modo cincta fuit.

Ouid. vbi ſup.

Seruulorum illorum, & amaſiorum ante certatim illi ancillantium turba euaneſcit; & velut repentè exorto

—— nigranti commiſta grandine, nimbo, *Virg. 4. Æneid.*

Diffugiunt comites, & nocte teguntur opaca: Relicta tum ibi ſola anu, domina olim illa tot gentium; illi ipſa, qui beatos ſe nuper ſentiebant, ſi ei ſinerentur quomodocumque ancillari; nunc eam deteſtantur, ac tantum non fuſtuario à ſe amoliuntur.

At non talis eſt Angelus ille cuſtos noſter, & tutor. Is, vt ſemel quempiam ſibi diuinitus commendatum in fidem recepit, tam tenerè, ac tenaciter illum deinceps amat, vt nunquam poſtea eundem, non ſi vel in ſummam inopiam miſeriamque prolapſum, vel ipſi Deo exoſum iam factum, vel deſertum proiectumque ab hominibus vniuerſis videat, Achates fideliſsimus deſerat, aut poſsit obliuiſci; Id certè verò verius eſt amorem illum Tutoris huius tantum erga pupillum, & fideicõmiſſum ſuum indè oriri; quod prorſus neſciat extremum rerum ipſius exitum, id eſt ignorat, præſcitus ne ſit, an prædeſtinatus: (nam ſi id certo illi conſtaret, fortaſsè non tanta fide, neque tam accuratè tueretur: ſed quoniam ei finis hominis omnino ignotus eſt; & præterea, quòd videat Deum ipſum odio quidem capitali culpam proſequi, ſed non ideo tamen deſiſtere deinceps oculis æquis placidiſque ipſum peccatorem intueri; ideo nec ipſe qui ſcilicet probè intelligat, quàm tenerè amet Deus hominem, nunquam patitur, vlla parte ſuam erga pignus ſibi commiſſum beneuolentiam tepeſcere, donec æternum capitis damnatum videat, & addictum pœnis ſempiternis, nulla ſpe miſericordiæ, aut ſententiæ mitioris. Officij etiam eſt Angelorum horum tutelarium, cum primis, vt preces noſtras, vigilias, inſomnias, eleemoſynas, cæteraque bona opera, quibus euadimus Deo acceptiores, opportunè illi offerant, cuius rei fidem certiſsimam faciunt hæc Angeli Raphaelis verba, quibus affatur Tobiam iuniorem: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino*, inſtar ſcilicet Magiſtri libellorum ſupplicum. Hoc ipſum ſignificabant *Angeli* illi *aſcendentes, & deſcendentes*, è famoſa illa ſcala, quam priſcus Patriarcha Iacob olim vidit in ſomnis, non quod in Angelis ſit motus qualis eſt corporum; ſed, quod tamquam decreti curatores, & defenſores noſtri in terra, ita res noſtras adcurãt, ac fœlicitatis noſtræ ſic ſunt in cœlo ſoliciti, vt amici, & ipſi fratres fratrum non poſsint ardentius. Domine mi clementiſsimè (inquiet Angelus veri alicuius Chriſtiani cuſtos) bona Maieſtatis tuæ pace dixerim, vide quæſo,

Tob. 12.

Gen. 28.

vt

vt hic seruulus tuus fortiter de hac tam valida tentatione triumpharit. Iudicet Maiestas tua, an non optime in hunc collocatum sic beneficium sanguinis, quem olim in Caluariæ Monte in gratiam eius, tam prodigè profudisti. An vanè cum tot muneribus alijs cumularis. Accipe Domine (dicet alius hac vestem, quàm iam iam tibi talis obtulit, eum nudum, sub cuius persona tu latuisti misericorditer vestiuit. Vel Domine oculos ad viduam hanc piam dignanter inflecte, cuius genas deformarunt lachrymæ, quas solus ardor amoris, quo te complectitur illi tã vberes, & caletes expressit, vt faciem eius adusserint, & rugis totam, quaqua fluxerunt, exararint. Domine (adijciet tandem alius quispiam) dignare, & hunc pium Monachum clementer intueri, exanimen, & planè mortuum mundo, studio quondam in te reuiuiscendi; adtende quo zelo iam in altari tibi significat, & immolat hostiam Missæ mysticam, & incruentam! aut qua ibi charitate memoria repetit amarissimam mortem, & Passionem tuam. Huius pronuntiati fidem faciunt hæc verba Canonis Missæ. *Iube res eas per manus sanctorum tuorum Angelorum, in sublime Altare tuum, in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ.*

Ex Missali Roman.

Verùm enimuero, etsi beati illi spiritus, sint nobis perpetui comites, neque à lateribus nostris vmquam, vel latum vnguem, aut tantisper discedant; tamen maximè in formidoloso illo mortis articulo vires suas studiumque erga nos suum ostentant, tuenturque tum validissimè, aduersus Harpyas infernates, vt optimè Ludouicus Gonzaga Societ. IESV Religiosus, erga beatos hos spiritus mirè pius, maximè erga Angelum Custodem suum, docet in meditationibus illis, quas hac ipsa de re composuit, multo hortatu, & precibus cuiusdam Patris eiusdem societatis. Illic igitur ait ille Angelum Custodem nostri decretum, singulariter nobis opem ferre moribundis, nihilque non tunc moliri, in nostri defensionem aduersus insidias, & manifestos impetus dæmonis (qui tum quoque, nihil negligit artium suarum veteratoriarum viresque suas omnes exerit, vt nos opprimat, vincat secum abstrahendos in Infernum (adlaborareque huc imprimis, ne in eos defectus, in quos vulgatissimè ruere, tunc mortales solent, nempe infidelitatis, seu incredulitatis, & desperationis illabamur; vt tandem præsentis vitæ calamitatibus subducti, cum ipso in Cœlum beatam Patriam nostrã fœliciter transmigrare possimus. Et pergens idem ait, simulac animus è carcere corporis euolauit, Angelum mox ei comitem exhibere, consolatorem hortatoremque, vt fidenter, & magna spe Tribunal Dei adeat; ipsique hac fini, refricare meritorũ pretiosissimi sanguinis Christi memoriã, in quibus tum maximè sitas spes eius omnes esse oportet. Ac cum Iudicis sententia irretractabilis, ita fert, vt qui diem suum obijt, ad pleniorem delictorum suorum excoctionem, & lustrationem, Purgatoriæ Ætnæ flammis tantisper deuoueatur; frequẽter ibi eum ab Angelo visitari, confirmari, nuntiaríque preces, & opera pia superstitu, ad eius liberationem accelerandam facta, & dulci spe mox instantis absolutionis, ab illis tormentis recreari. Simulac autem perpurgata omnia, eundem ab eodem educi leniter ex horrendo illo baratro, ac fit totum pulchrũ, & splendentem, vno momento in beatam illam Paradisi mansionem introduci, ad Patrem suum cælestem, vt ab eo diuinis eius manibus dignè, & pro meritis coronetur, iuxta prædestinationis suæ æternæ propositum, quo rerum nos miseri mortales adhuc in hac lachrymarum valle relicti superstites, perpetuò adspiramus, ac respiramus. O millies, & iterum millies beatam animam illã, quæ, postquam fidem datam Creatori suo seruauerit, ceream tractabilem, ac mobilem in omnes Angeli Custodis sui internos motus, ac suasus sese præbuerit, & posteris bonum vitæ suæ odorem reliquerit; his gradibus in Cœlum Empyreum se admissam videt, illic, cum Deo suo, & sanctis eius omnibus, æternum regnaturam! Sed nunc ad praxin veniamus, dicamusque paulò distinctius, ecquibus honoribus, atque obsequijs quemque Angeli sui custodis gratiam ablãdiri, & demereri oporteat.

Quando quidem igitur certissima fide credimus vnicuique mortalium decretum esse, diuinitus Angelum, qui te meque regat, foueat, & protegat, Angelum inquam creaturam tantæ pulchritudinis, nobilitatis atque excellentiæ, vt aliquid conari in illius naturæ laudes, etiam elegantissimè, & eloquentissimè, dicere, fuerit potius ipsam obscurare, quàm minimam partem meritorum eius exprimere, quapropter de Angelis, sicut *de Carthagine* quidam ait *silere me lius* aliquando *putem, quàm pauca dicere:* Angelum, cui curæ sit nos perpetuò comitari nos ab innumeris periculis, per quam studiosè tueri, armare consilijs salutaribus, certè nobis vicissim adcurandum est, vt talionem officiorũ reddamus pro virili, quòd quidem duobus modis commodè fieri à nobis posse censeo: Vno si studuerimus perpetuò piè, & reuerenter in eius conspectu versari: Altero si iustis eum honoribus prosequemur. Igitur sic nobiscũ philosophemur. Si fortè nobis aliquando cõtingeret (vt fit) in conspectu alicuius Principis, patre Monarcha amplissimo, & potentissimo, nati & primogeniti quidem versari, amabo quam

Salust. de bello Iugurt. c. 19.

ciui-

ciuiliter, & compoſito ei toto corpore, ore & opere adſtaremus? Quanto ſtudio caueremus, ne in ruſticitatis, & Grobianiatatis (vt ſic dicam, vitium aloquod fortè fortuna coram illo incideremus? D. Bernardum Doctorem illum melliſluum certè, & lacteo eloquentiæ fonte manantem audiamus, cum hęc Pſalmiſtæ verba ſuccernit, & cribillat, *quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Quantam*, ò homo mortalis (inquit tum celebris hic Doctor) *quantam tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam! Reuerentiam, pro præſentia; Deuotionem pro beneuolentia; Fiduciam pro cuſtodia! Caute ambula, vt videlicet cui adſunt Angeli, ſicut eis mandatũ eſt, in omnibus vijs tuis. In quouis diuerſorio, in quouis angulo, Angelo tuo reuerentiã habe. Tu ne audeas, illo præſente; quod vidente me non auderes.* Quibus verbis docet nos pius ille Doctor, vt Angelum noſtrum tutelarem noſtrorũ omnium operum, dictorumque teſtem ſemper adhibeamus; vt ne in oculis eius ea perpetrare auſimus, quæ, homine quocunque mortali præſente, ac vidente (qui quamlibet excellat, multò tamen Angelo iſto dignitate, & merito inferior eſt) non auderemus, niſi cum atra nota extremæ impudentiæ.

Pſal. 90

D. Ber. ſer. 12. in Pſal. Qui habitat.

Secundò, ille à nobis honorandus: eſt modis omnibus decentiſsimis, quos animis concipere poſsimus; vt, verbi cauſa, ſi per temporum viciſsitudines, alijs atque alijs reuerentiarũ, & genuflexionũ artificijs eum honoremus; cui ſtudio veſpere videtur oportuniſsima, cùm in cellulas noſtras, aut locũ quẽuis à turbis ſegregatũ, & clauſum recepti, vacare iã incipiemus his adorationũ exercitationibus (de quibus tam ſæpè diximus) in honorem Dei Diuorumque illorũ, quos præ cæteris colimus, atq; obſeruamus: Tunc enim, & in eiuſmodi ſolitudinibus, facilè eſt addere illis honoribus, iſta nunc profundæ reuerentiæ, nunc genuflexionis ſuperpondia coram Angelo illo Cuſtode noſtræ: Similiter priuſquam in lectulo nos componamus, profuerit illum inuocare vulgata hac precatiuncula: *Angele Dei, qui cuſtos es mei, &c.* Qua eum rogamus, vt nobis ſecurè dormientibus, adſtet in excubijs, & hac ipſa nocte, vigilanter ab hoſtis noſtri capitalis inſidijs tueri dignetur.

Item ſimulac è mollibus plumis ſurgimus, & foras egredi conſtituimus; abſit, vt negligamus eidem ſupplicare, vt ne grauetur dux, & comes nobis adeſſe, vt periculis illis occurrere, ac præuertere, quæ non inſolens eſt nunc corporibus, nunc animis mortalium accidere.

Conſultiſsimum etiam fuerit, eundem aliquando verbis, aliquando tacitis cogitationibus blandè affari, & animi noſtri ſenſa arcaniora, ac neceſsitates enarrare familiariter, ferè vt apud fratrem, aut amicum intimum vſurparemus. Dominus Alexander Luzagus vir Patricius, & quod caput eſt, virtutum ſtudioſiſsimus, qui etiam magnæ vitę ſanctæ nobis reliquit argumenta, miro Angeli Cuſtodis amore flagrabat, & iam in more ſanè laudabilem receperat; vt quoties quempiam ſalutaret, intenderet hoc ipſum honoris in Angelum eius cuſtodem referre, non verò in eum quem obuium factum (vt fit) ſalutabat. Pulchrum profectò factum, iuſtius enim eſt, ac melius, in eiuſmodi ſalutationibus, ferri animo in præſentiam ſpiritus cœleſtis, omni quaqua ſpectetur parte excellentis, quàm in hominem mortalem, peccatorem, viſe ſui mancipium, & infelix vitiorum mortiſque ludribiũ. Hunc ſapientẽ hunc Patricium imitemur, & cùm fortè quemlibet vrbanius ſaluare iubebimus, mentem altiùs ad Angelum ipſius Protectorem adtollamus ſic nos ipſos, & Angelum tacitè alloquentes: Ego te ſaluto ſpiritus beate, comes huius viri, aut fœminæ. O nos terque quaterque beatos, ſi Angelis nos his honoris amoriſque in eos noſtri argumentis probauerimus; quoniam his artibus ipſos nobis demerebimur, familiariter ipſis vtemur noſtrique, & negotiorum noſtrorum vehementer ſolicitos experiemur.

Qua Methodo, vtendum in exercitijs adorationum, vt dignè colatur Mater Dei.

CAPVT XIII.

QVoniam ita ſingulari Dei prouidentiæ viſum fuit, nos ſic creare, vt duabus partibus conſtaremus, animo ſcilicet, & corpore, vt nunc deorſum in terra, nunc ſurſum in cœlo, ipſum ſummi honoris genere, ſeu latria ipſi vni debita coleremus; ratio poſtulat, vt vtramque noſtri partem, obſequijs omnigenis diuinæ Maieſtatis eius dedicemus.

Cuius rei exemplum à Sanctis, & Deo charis hominibus accepimus, qui eum religioſis corporum proſtrationibus, ac genuflexionibus venerati ſunt. At quid de ſanctis loquor? ipſe Sanctus ſanctorum IESVS Chriſtus Dominus noſter, vt nobis exemplo præiret, perfrequenter cùm hic in terris hominem gereret, Patrem æternum poplitibus flexis, & toto corpore in terram proſtrato adorabat, quemadmodum, & pridie Paſsionis, cùm ter in hortis in genua ſanctiſsima procidit, & procubuit perdiù coram Patre: *Et poſitis genibus* (ait S. Euangeliſta Lucas) *procidit in faciẽ ſuam* (ſcribit S. Matth.) *procidit ſuper terrã* (inquit S. Marc.) Ex quibus verbis

Luc. 22. Mat. 26 Mar. 14

verbis colligere est, quàm reuereretur Patrem suum æternum deuotissimus hic Filius,
Ioan. 4. adorans eum *in spiritu & veritate*, vtraque assumpti hominis parte, animo scilicet, & corpore.

Christianus igitur bonæ notæ, quandocunque constituerit Dei Matrem iustis honoribus venerari; id ita faciendum sciat, vt intelligatur eam, ab ipso internis externisque viribus honorari. Primum igitur locus aliquis illi deligendus est submotus, & procul à turbis (quoniam etiam scriptum est:
Matt. 6 *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum*) vt collecto tranquilloque animo incipiat, atque absoluat reuerentias illas, quibus putet posse Deiparam, sibi blandiri: ac tum incipiat breuiter tamen meditari, quæ sit dignitatis isthæc exercitatio honoraria, nobilissima sanè, & prorsus Angelica, ac vniuersim ab omnibus Aulicis, & primoribus Curiæ cœlestis Magistratibus vsurpata. Eadem quoque breuitate, studeat animo concipere celsitudines Virginis Deiparæ, & quantum Diuos Diuasque, simul omnes illa vna antecellat, illius gloriæ amplitudine, quàm vberiorem, & longè capaciore mẽsura, quàm cæterum Sanctorum vulgus, adepta est. Proponat illam sibi, excelso & põpatico throno, qualis talem Augustam decet, sedentem immensa Maiestate, incredibili pulchritudine, & mille Solibus splendidiore; circumstipatam beatis cœlitum agminibus, eam reuerentijs, quàm possunt maximè submissis venerantes: ac tum cum omni modestia se cælestibus illis adorantium turmis adiungens, incipiat sensim genuflexiones istas exercere, ac tacitè quidem, animo dumtaxat occupato, & intento considerationi, tot immensarum Virginis amplitudinum, oculisque mentis in potentiam, pulchritudinemque, eius incredibilem, religiosè defixis, ac interim, dum adoratorio hoc munere fungitur, irrequietè producat actus amoris, & congratulationis in Virginem excitans intus in animo quosdam lætos, ac festos ignes (vt sic loquar) dulces concepti gaudij testes, de eius tot donarijs, ac prærogatiuis omni laude maioribus, illi diuinitus collatis, cuiusmodi cum primis est, quòd Dei Mater electa sit, atque ita, modo quodam particeps facta diuinæ Maiestatis, talia iusti applausus, & congratulationis signa demonstraus, qualia quantaque demonstraret, si suam ipsius Matrem, quæ se in lucem ediuisset, illi; ipsis tantis affici honoribus intueretur. O! eccuius tanta eloquentiæ vis esse possit, vt actuum horum vim, ac merita dignè exprimat? Non, non. Nemo hominum mihi persuaserit, in vel Seraphinos ipsos posse eorum actuum potentiam, ac pretium non dico loqui; sed nec animis concipere pro dignitate, tanti sunt scilicet in oculis illustris huius Heroinæ Angelorum.

Monialis olim quædam (vt narrat Pater * Heroldus alicui Ordin. S. Dominici religiosus) morbo grauissimo vexata, cùm totos sex dies cum morte luctata esset, incredibili sororum adstantium cordolio, ac sympathia, septimo tandem expirauit. Paucis post obitum diebus, visa est Conuentus sui sub Priorissæ (vt vocant) sicque eam affata est: sic habeto (Mater mea) mercedem, quam reddit Deus minimis nostris operibus bonis, tãtam esse, vt si mihi permissu Dei, liceret reuiuiscere, & in corpus reuerti, ex animo certè reuerterer, eosdem dolores passura, quos tam acerbos, & mordacissimos in oculis vestris tuli, tantum vt mihi fas esset, vel semel recitare Angelicam illam salutationem. (*Aue MARIA*) & mihi consequi fructum illius recitationis, vt etiam frigidula, & mente errabunda factæ, dum tamen in statu gratiæ, & nulla cum peccati mortalis contaminatione. Si ergo Monialis illa pia, perlibenter tot se doloribus obiecisset, vt operis, tam exiguæ moræ, tam facilis operæ meritum, ac fructum consequi posset; amabo quibus stipendijs, quibus trophæis, honorumque titulis anima illa ornabitur, quæ decenter huic adorationum exercitio iustam operam nauarit; quandoquidem illud accensendum sit præstantissimis obsequijs, quæcunque tandem Deo, beatæque eius Matri, possint ab Ecclesia impendi?

**Gallus interpres habet (Heroidae) pro quo reposui (Heroldus) sed diuinã-do.*

Hactenus copiosè diximus de actibus animæ interioribus vsitandis, dum hæ vtilissimæ adorationes exercentur: itaque iam etiam ad ipsos corporis motus, qui nil aliud sunt, quàm exteri actus honoris, ac reuerentiæ, veniamus. Principio igitur vtrumque genu in terram deprimendum est, ante pectus cancellandæ manus, & caput nonnihil proclinandum: deinde facta oratione surgendum: mox eadem iteranda, eadem corporis compositione, ac sic vicissim continuanda omnia, quamdiu collibuerit. Poterunt nihilominus (si sic visum fuerit) adorationes istæ fieri, dextro tantum genu ad terram vsque inflexo, manibus coniunctis, & mentis oculis in beatam Virginem perpetuò defixis. Quòd si cui tædiosum fortè sit exercitium tantæ moræ, aut idem fatigato, vel male affecto sit corpore, nihil peccauerit, si genibus scabellum supponat, aut manibus podio fulcrone initatur, vt corpus tantò facilius, nunc attollat, nunc deprimat. Quòd si etiam sic nimis molestum est hoc opus, age, partim adoret vti diximus, partim corpus caputque profundè inclinet: nam hoc reuerentiæ genus, satis habet religionis, & ob-

seruantiæ, imò à plerisque sanctis Monachis, & cuiusuis Ordinis Religiosis vsurpatur in superiorum suorum conspectu adde, & in ipso rerum sacrarum, ac diuinarum ministerio.

Verùm enimverò, non sufficit ad vnguem sequi, hanc methodum deuotionis externæ, nisi & quædam verba, vel vocalia, vel mentalia illi maritentur, cuiusmodi esse possit, si dicatur, cùm in ipso adorandi actu versabimur: *Adoro te Mater Dei*, hocque ipsum repetere, quoties noua reuerentia vtemur. Nam hoc epitheto non video, quid altius, aut honorincentius excogitare quispiam possit. Sed & fas erit duo hæc verba pronuntiare, (*Aue MARIA*) è cœlo allata, & ab Archangelo Gabriele, cùm *missus à Deo ad B. Virginem*. Legatus, & Paranymphus ea salutauit, pronuntiata: cumque pronuntiabuntur, fecerit verus Deiparæ adorator pro officio, & rei dignitate, si caput, imò & genua, inclinauerit, quandoquidem passim pie creditur: & ipse Archangelus eadem incuruasse, cùm ipsa protulit, iam seriò adorans scilicet magna submissione eam puellulam, quam (quòd in Magni Dei Matrem, ex tot millibus sui seculi, & omnium ante, & post ipsam seculorum millibus vna electa esset) Heram iam tum, & principem suam profitebatur. Videntur certe Pictores nobis huius rei fidem facere velle, cùm ferè diuinum hûc Legatum repræsentant mirè Vrbanum, & obseruantiæ pleniſſimum, curuatis genibus, manibus cancellatis, & capite religiosè demisso, coram Deipara, *quoties* in tabulis suis nobis figurant Annuntiationem. Fingamus etiam animis, quoties adorationes istas exercebimus, & bellis his blandulisque vocibus vtemur *Aue MARIA*: nos toties ad eam adorandam passibus æquis, cum Angelo Dei legato, quasi comites procedere. At, quid dico passibus æquis, aut paribus? Nos enim, nos Angeli terrestres, eam nobilius, excellentius, magnificentiusque salutamus, quàm fecerit Angelus ille cœlestis. An non ita est? *Nota.* Ille enim eam salutauit duntaxat, vt Virginem, hoc tantum instar cæterarum: nos autem, vt iam re ipsa Matrem Dei, Filiam, ac Sponsam Sanctissimæ Trinitatis longè charissimam. Ille eam salutauit habitantem in humili casa, & vix tanti; in Nazareth oppidulo (alius fortè dixerit viculo vix trium, aut quatuor forsitan magaliorum semirutorum.) At nos iam triumphantem, in excelso illo, & sublimissimo Augustissimi Monarchæ nostri palatio.

Ille eam salutauit adhuc dum mortalem, & mortis tributariam (si sic loqui licet) & earum rerum, quæ cuique humanitus citra peccatum accidere possunt, adhuc vectigalem, fortunæque clientem. At nos humanis omnibus, iam casibus altiorem mortalia ista ex alto è portu, & tuto despectantem, gloria immortali circumseptum, & tanta Luce fulgentem, vt toti Paradiso splendori, & ornamento esse possit. O amplitudinem! ò miracula venerabilium harum adorationum, quibus potentissimam hanc Augustam, & vndequaque meritissimam Vniuersi Dominam, nos quasi tot Angeli terrestres, & mortales, ita salutamus. Seriò igitur, & toto pectore, vt veri eius adoratores, hoc tam nobile exercitationis genus amplectamur, sæpè sæpius Deiparam, ita adorantes, vt docui, quo gratissimo obsequio, sic eam demerebimur, vt deinceps ea familiarissima, & benevolentissima in negotijs nostris omnibus vti possimus.

Similibus reuerentijs erga ipsum Deum, & Sanctos esse vtendum.

CAPVT XIV.

Satis copiosè (opinor) iam tractauimus, de methodo corporali, & spiritali, ideſt, exteriori, & inferiori qua sit vtendum in exercitijs reuerentiarum, seu salutationum Deiparæ debitarum, quo digniùs iustis eam honoribus celebremus. Sic autem sentio nobis quoque esse procedendum, cùm de Deo honorando agitur, vt interior deuotio, qua pectus nostrum egregiè factum obpletumque esse oportet, foras in externos reuerentiæ actus erumpat. Quòd tum à nobis rectè fiet, si prius quàm ad genuflexiones accedamus, mentis oculos ad Deum adtollamus, seriò eius amplitudinem, & perfectiones nullo creato intellectu comprehensibiles, attendêdo, intus ei gratulando quantum fieri potest suam amplitudinem, & infinitè congaudendo, quòd sit qui, qualis, & quantus est; quòd sit tantæ tamque absolutæ in nos, adeoque totum hoc Vniuersum potentiæ. Hunc autem Heroicum voluntatis actum comitentur magnæ, & profundæ reuerentiæ, adorando, facie ad terram propè vsque deiecta, Maiestatem illam infinitam, *in cuius throni conspectu, Angeli cadunt in facies suas, & adorant eum.* *Apoc. 7.*

Atque, vt id fiat tanto perfectius, quisquis se Christianum plusculo ardentiorem præstare statuerit, is ad quamlibet genuum flexionem, etiam proclinet, quàm poterit profundissimè, adorans authorem, & Creatorê suum genibus, corpore, facie, corde autê ipso multò magis, in terram latè prostratis.

Assuescat manè quoque cum è lectulo exilit: & vespere, cùm se grabato committit, genibus in terram positis, Deum omnipotêtem profundè reuereri, rantisper flexis genibus se continens, atque interim ictum

ocu-

oculorum blandulum, & castè propaculum eiaculetur in augustam illam, & incomprehensibilem Maiestatem, eliciens atque imperans, sibi actus gaudij, & gratulationis internos, de tantæ gloriæ, & dominationis eius tam latæ, Cœlo Terraque ius dicentis, amplitudine.

Hoc laudato adorandi genere vtatur, quoties ei genua flectere contigerit, eique actum aliquem amoris in Deum adiungat; quo opere nullum præstantius ab vllis creaturis, seu cæligenis, seu terrigenis potest exerceri. Nam si fieri posset, vt in Angelum vnum, aut hominem vnum omnes Angelorum hominumque perfectiones cõflatæ globatim confluerent; idem tamen ille nondum capax esse edendi operis excellentioris, quàm sit amare Deum, quòd hoc ipsum sit perpetuum, & nunquam interruptum opus Dei, quòd erga se ipsum nunquam non exercet, ideò se amat, lætatur, sibique gratulatur de bonis suis infinitis, philautus est, amator sui est, quatenus sua Maiestas amabilis est, ideò, infinitè: quoniam infinitè amabilis est, ratione infinitæ bonitatis suæ, atque excellentiæ. Eos igitur actus amoris producat, hisque adiungat exteriores actus reuerentiæ, quorum tanta vtilitas est, atque excellentia, vt minimus eorum possit ad celsissimum gradum perfectionis, & gloriæ hominem prouehere.

Huc pertinet, quòd tomo secundo Chronicorum Ordinis Minorum legitur, visos scilicet aliquando fœminæ cuidam nobili, & virtutis studiosæ, cum mente in Deum rapta esset, hac vita defungi Fratres Minores triginta, Conuentus Parisiensis alumnos, ex quibus quinque purgatorijs flammis addicti essent, cæteri vigintiquinque in cœlum, nulla mora illati, quorum vltimus fuisset Ordinum Seraphinorum insitus. Pia Mulier attonita eiusmodi spectaculo, mox ad Conuentum Fratrum Minorum vrbis suæ (quæ itinere decem ferè milliarium Gallicorum distabat à Lutetia) venit, locique Guardiano visa exposuit, qui (vt vir erat idoneus tanto muneri, & magni iudicij) eam hortatus est, vt si ita esset, precibus Deum solicitaret, vt veritatem totius rei confirmare dignaretur, edicto nomine Fratris illius, quem Ordini Seraphinorum è tam multis vnum inseruisset. Credidit Guardiano mulier, & vt iussa erat, Deum orauit, cumque tantisper orasset, audiuit vocem è cœlo dicentem, nouum illum ciuem Seraphicum vocari Fratrem Venantium. Guardianus audito illo responso mox nuntium Parisios destinat, veritatem rei plenius scisciatum, qui reuersus retulit, à paucis retro diebus Fratres Minores triginta è viuis emigrasse, Fratremque illum Venantium, cuius cognoscendi præcipuam curam ei impoſuerat Guardianus, fuisse quidem simplicem Fratrem Laicum, nihilominus sanctitatis valde eminentis, cuius partes essent rei vestiariæ curam gerere, vestes Fratribus distribuere, laceras & dissutas reparare, atque interpolare, quas partes tantâ charitate obibat, vt hanc tantam mercedem in cœlo meruerit adipisci.

Igitur si pius iste Fraterculus, quia munus, tam vile, tam magnâ charitate exercuerat, tanta gloria dignus visus est, ecquam quæso mercedem, aut quem gloriæ gradum, anima illa consequuturatibi videtur, quæ suis omnibus amoris viribus, officium hoc nobilissimum Angelorum, de quo loquimur exercuerit? Angeli enim certe in cœlo incredibiliter exultantes, summi boni gratia, quòd in Deo reperitur ipsum amant, & flexis poplitibus, tota virtute, totoque voluntatis suæ robore, adorant, quòd ipsum hos terrigenæ, & luteorum domorum incolæ, præstare quoque possumus, & quidem maiore commodo nostro, quam illi. Agant enim illi quidquid collibitum ipsis fuerit, fiectant genua, & indesinenter actus amoris, & reuerentiæ ad Deum eliciant, nunquam tamen ad honoris gradum prouehêtur illo altiorem, quem nunc obtinent, quòd fieri nullo modo possit, vt Angelus quisquam inferior, ad gloriam superioris essentialem (vt vocant) queat pertingere. Non possunt Angeli Archangelis æquari, neque Angeli Thronis: denique nec Cherubini, Seraphinorum supremam illam dignitatis altitudinem consequi. Nos verò, quamlibet miseri vilissimique mortales, præsidio gratiæ Dei adiutante, possumus & gratia, & gloria Angelos anteuertere, Archangelos superare, anteire Principatus, Thronis præsidere, Cherubinos præcellere, & ad Seraphinorum, vsque dignitatem ascendere. Sed quo tandem id modo, quaue scala Iacob, aut quibus gradibus? Illo scilicet exercitio nobilissimo, de quo à nobis ante est dictum.

Illius enim visitatione, coram Deo nos abijcimus humillimè, sanctoque eius arbitrio totos nos dedimus, & subijcimus, ingenueque præ nobis ferimus egere nos eius miseratione; sed & amplitudinem ipsius, & augustam Maiestatem vti possimus publicamus; supremum illum honorem Latriæ, qui ab omnibus omnino creaturis illi debetur, illi exhibemus: denique opus illud exercemus, quo nullum maius possit ipsius exercere quodque semper ipsus exerceat, quòd est, ipsum amore prosequi. Igitur amore Dei (animæ mihi in Christo charissimæ) amore Dei (quæso) memori mente consilia

hæc tam salutaria singuli altissimè recondamus, quæ solus salutis vestræ omnium amor mihi extulit, & hic expressit, eaque studiosè exerceamus, quorum tanta sit dignitas, atque vtilitas, & merces tam honorifica. Et hæc de supremo Latriæ cultu, hactenus dicta sint.

Posthæc, Sancti ipsi nobis Duliæ cultu honorandi sunt, tam actibus animæ interioribus, quàm exterioribus corporis, diebus illis maxime, quos ipsis Mater Ecclesia dedicauit, quoniam propter exteras illas corporis reuerentias, seu proclinationes illi debitas, cuius festus agitur dies, etiam necesse est actus quosdam internos à voluntate prolicere, congaudere, ipsique gratulari honorem, ac beatitatem, quam iam adeptus est.

Præterea, gratiæ Deo immortales agendæ sunt, prædestinationis eius nomine, qua ante sæcula omnia, ipsi tanta sanctitas, & gloria adsignata est, & diuinæ gratiæ beneficio præuius, præuentusque est tot insignibus prærogatiuis, & virtutibus specialibus, & in vita apud cæteros mortales glorioſa fama sanctitatis, nobilitatus: post mortem verò etiam auctus gloria miraculorum, cœlo receptus, & incorporabili gloria coronatus: denique pompaticè, & ingentis triumphi magnificentia, ab Ecclesia celebratus, nec non ab omnibus verè Catholicèque Christianis, omnigeno honore, & cultu affectus. Eodem ipso die etiam animo repetēda sunt gesta eius singularia, & notatu digniora: vt, verbi causa, quo animi feruore, ac studio, viuens amabat, & colebat Deum, quanto eius amore flagrabat, aut potius (liceat sic dicere) Deum Optim. Maxim. deperibat, quanta, & quàm fraterna erat in proximum quēque charitatem, vt idem cum quispiam in-
2. Co. 11 firmaretur, *vrebatur*, vt aduersa proximi velut propria lamentabatur: vt longè lateque emicabant illius Humilitas, Obedientia, Paupertas, Castitas, & alia excellentis, cuiuslibet animæ ornamenta: vt diuitias, & mundi vanitates vtroque pede, & seriò proculcabat: quo adipiscendę summæ perfectionis studio flagrabat: vt *corpus* suum *sæuè*, ac duriter *castigabat*, parcè pascebat, *& in ser-*
1. Cor. 9 *uitutem redigebat*: vt nihil nisi cœleste spirabat, suspirabat, atque ambibat.

Item, recurrant animis magnum eius orādi studium, nocturnæ eius preces, cum lachrymarum suauissimarum vbertate, cupido & zelus salutis animarum immensus: vt Inferorum faucibus plusculas eruerit, atque extorserit, has vi orationum suarum, illas consilijs saluaribus, vt perpetuus erat in luctis cum satana: vt ex prælijs omnibus cum illo etiam grauissimis, semper ouans, ac triumphans Dei gratia reuertebatur. Quàm familiariter Deo suo vtebatur: vt sæpè sæ-

A pius prægustabat animo cœlestem ambrosiam: vt crebro visitationibus Angelorum fruebatur: denique affectum esse ipsum illis honoribus, ac præmijs in Cœlo, quæ sancti virtutibus suis, per gratiam Dei, promerentur. Hæc & his similia in mentem reuocanda sunt, & volutanda, quo die Diui cuiusplam festum celebratur; ac, vt plus ei honoris à nobis accedat, audienda religiosissimè Missa, Psalmi, Hymnique in eius laudem decantandi, denique magna ante meridiani tēporis pars in sanctis, ac pijs obsequijs, ad sanctæ gloriam consumenda: ita inquam, quandocunque Ecclesiastica lege cautum est, &
B edictum totum diem ipsi festum, ac votiuum esse: tum præcipuè exercitationes illę de quibus diximus, vsurpandæ vtpote ipsi longè ante alias quascunque gratissimæ.

Superest, vt nunc tandem dictis addam monitiunculam, quàm ex Bellarmini Illustrissimi quōdam Cardinalis, operibus hausi, quæ talis est: quòd ad signa adorationis externa spectat: vt, verbi causa, quod ad reuerentias, capitis inclinationes, & genuum flexiones adtinet; eas ipsas quibus Deum, MARIAM Virginem, & Sanctos honoramus, esse profecto concolores (vt sic dicam) & vniformes qua corpus, & forinseca actoris spectantur; qua verò ipse animus adoratoris adtenditur, singulas à singulis valdè
C differre; qua intentione scilicet adorantis; qua merito; qua scopi, & obiecti nobilitate. Adoramus, enim Deum genuū flexione, ad-spectu amplitudinis, & Maiestatis eius immensæ, bonitatis infinitę, vt qui omnium nostrum sit principium & fons, ac finis vltimus. Sāctos autem adoramus, vt gratiæ Dei cœlestique gloriæ participes: At Virginem MARIAM, vt Deiportam, vt Deiparam Domini, ac Dei nostri IESV Christi veram parentem, creaturarum omnium reliquarum longè principem, ac multis nominibus titulisque valdè illustribus præcellentem. Sic in Scriptura sancta videre est, Abrahamum inclinasse caput, corpus, & adoratione vsum
D coram Deo, Angelis, ac mortalibus ipsis, ijsdem nullo discrimine, reuerentiæ signis externis illos omnes excipientem; sed tamen intus in animo longè aliter, atque aliter vnumquemque ipsorum adorauisse. Nam vt vir erat iudicij certè acris, atque excellentis, probè norat vim, & officium cuiuslibet adorationis. Hoc modo intelligendas puta cæteras adorationes omnes, quæ varijs scripturæ locis occurrant.

(*)

Ius

Ius fasque esse, religiosè genua flectere, coram quacunque pia Deiparæ Dominæ nostræ imagine.

CAPVT XV.

Antiqua Ecclesiæ consuetudine receptum est, imagines venerari, vt Domini, ac Dei nostri, ita & Hæræ, ac Dominæ nostræ, aliorumque Sanctorum; imò verò articulis Fidei accensendum, traditione Apostolica ad nos traductum, vt plusquam Concilia Sacra testantur. Tamen haud ofcitanter notãdum est, nos Catholicos quoties imaginem sacrã veneramur, non id facere studio imaginis, aut quia sit, vel saxea, vel lignea, vel ex materia quacunque alia, minimè gentium; sed quia nobis eum refert, cuius imago est, sicque intelligendus est vetus hic, & peruulgatus aphorismus. *Honos qui imagini exhibetur, refertur ad prototypum*, quãdoquidem vna eademque res est imaginem adorare, vt eum ipsum, quem illa repræsentat. Hoc ipsum inferre vult Sacrum Concilium Tridentinum, cùm ait: *Per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoramus, & Sanctos quorum illæ similitudines gerunt adoramus.* Sic Synodus septima. * *Qui adorant imaginem, in ipsa adorant Regem.* O vocem præclaram. Igitur cùm Virginis Deiparæ imaginem intuemur, ac veneramur, Virginem ipsam, in imagine quæ ipsam exprimit, intuemur, ac veneramur. Ita affirmat Origenes. * *Qui cuiuspiam imaginem videt, eum videt, cuius imago est.* Quoniam igitur hoc dogma planè verum est, & Catholicum, profuerit, quotiescunque animum ad sanctum hoc genuflexionum opus appellere collibuerit, nobis ob oculos imaginem quampiam statuere (etsi non est id omnino necessarium, si cui non libeat) elegantem, & illecebrosam ad pietatem, quòd ipsa obiectorum elegantia nescio, quid latentis energiæ habeat, ad animi affectus validius commouendos. Id causæ fuit cur S. Bernardinus noster totus paruulus, & nondum exepheborum numero, auebat plurimum habere Deiparæ Virginis (quàm medullitus colebat, ac penè dixi deperibat) imaginem scitè, & alicuius Apellis manu pictam, præoculis, cùm eam salutare gestiebat. Itaque quotidie Senis ad exteram Vrbis portam, cui Camoliæ nomen erat exibat, vbi valde elegans Dominæ nostræ imago, tunc erat, coram qua in genua præcumbens, diutiusculè orabat, & mentem diuinarum rerum contemplatione pascebat. Consueuerat autem, quotiescũque domum prodibat, sic cognatam quandam suam Materteræ suæ Dianæ filiam nomine Tobiam, etiam in Virginis cultum propensissimam, ita affari: *Vale, cognata mea, ad Dominam meam, visendi studio, proficiscor.* Sed illa principio iocari illum arbitrata, rem susque deque habuit, & cum iocante iocata est. Videns autem Tobia Dianæ filia puerulum illum, illa frequentiusculè repetentem, & visitationẽ, illam nullo die omittere, ire, redire que assiduissimè, tandem & ipsa aliquando sic eum affata est. Adeone igitur formosa est (ò animule mi) vultuque adeò venusto, & liberali, Domina illa tua, cuius amore sic vreris?

An Phœbi soror, an Nymphārum sanguinis vna?

An pulchra sit, quæris (respondit dum puerulus) charissima mea consobrina? an pulchra sit? Ah! *quærenti, talibus ille*

Suspirans, imoque trahens à pectore vocem, respondit:

O! quam te memorem, Virgo? namque haud tibi vultus

Mortalis. Nec vox hominem sonat. O Dea certè putari possis. Tam *pulchra est, & formosa amica* hæc, & Hera *mea*, vt me mihi eripuerit, & planè animam meam deprædata sit. De ea re non dubito (excepit tunc pia consobrina:) Nimis enim sapis nimisque magnanimus es, vt amasiam è tam multis vnam tibi deligas, quę non sit formosissima, & te digna. Sed, amabo, *indica mihi, vbi pascat, vbi cubet*, & habitet, *quam* sic *diligit anima tua.* Extra vrbem, ad Camoliæ portam (subiecit puerulus,) & necesse habeo quotidie *exire, & videre illam*, alioqui nulla ex re voluptatem capturus, aut dormiturus:

Nec placidam membris dat cura quietem.

His dictis perculit piæ Tobiæ animum, quæ inde suspectos habere cœpit hos tantos pueruli amores, ne quid fortè monstri, aut diabolicæ fraudis, ac proditionis illis subesset, non ignara, quàm sit illa ætas cerea, & facilis in vitium flecti, insidijsque Vlyssis tãti veteratoris superari. Ergo omnia deinceps explorare, ac percontari statuit, locumque ipsum adire, vt animum scrupulo isto, non sanè tenui liberaret. Itaque primulo diei sequentis diluculo, in vetusculą quadam, & deserta casa, non procul à dicta Vrbis porta se abdidit, ibique cum silentio multo aliquamdiu amatorculum illum spectauit. Vt igitur venit Amator ille Marianus, mox ad eam portam sistit gradum, procumbit humi in genua, coram Deiparæ ibi effigie, & perquam diù orans hæret, ac non dissimulatum amorem, neque cælatum plenius indicat, quæ res nouam nostram exploratricem Tobiam, vt reddidit adronitam, ita mira voluptate recreauit: ac vt fieret totius negotij certior, postridie latebras hesternas repetit, & *sedibus hæret ijsdem*, vbi, ab eodem, coram

Concil. Trident. sess. 25. de inuocatione, veneratione, &c. pagina mihi 202.

** Vt vertito ex Gallic. Similiter.*

(Carmeliæ) legit offi. Breuiarij. Camuliæ legit Ioa. Henricus in suo Mercur. Italico in Sena, pagina. 166 Sur. 20. Maij c. 7. vitæ S. Bernardini. Narrat eandem histor. Ioa. Henric. vbi sup. pagina mihi 174.

Virg. 1. Æneid. Idē ibid.

Cant. 1.

Luc. 14.

Virg. 4. Æneid.

eadem, eadem agitari deprehendit, ac prætereà ex quadam domicella, illius loci vicina didicit, visum illic sæpiùs puerum illum fuisse, eadem in eodem sancti amoris theatro actitantem. Tobia tamen nondum satis secura, ita scilicet *res est solliciti plena timoris amor*. Et, *Amanti, semel aspexisse, non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.*

Ouid. epi. 1. Heroi. D. Greg. hom. 25. in Euang. Virg. 4. Æneid.

Quis fallere posit amantem? nihilominus se semet in omnia vertit, & post tot clarissima casti amoris in Deiparam argumenta, voluit ex ore ipsius amantis cõfessionem amoris, ac nomen amicè extorquere. Seducit ergo Tobia puerũ procul ab omni teste, & hilariter blandeque his eum affata est. *Quotidie mihi iactas, ocellule mi, te amare, & Dominam aliquam habere; itaque velim nolim, cogor rogare, te*, vt mihi fauore, & ingenua confessione edas, nomenque genusque, & opes Amatæ illius tuæ, quàm sic deperis: habuero magnæ gratiæ, & beneficij loco, si edixeris, *Quæ genus, vnde domo:*

Virgil. lib. 8. Æneid.

Si bene quid de te merui: fuit aut tibi quidquam
Dulce meum:

Fatere, *mihique hæc edissere vera roganti:* Morior enim ignorationis rei huius impatientia. Id si præstes ocellulus meus eris, & tanto semper charior: doque fidem, rependium huius gratiæ, tibi à me hoc fore, facturam me omnia, & cœlũ terramque (vt aiũt) moturam, vt tibi fausta omnia hic accidant. Inique mecum agis (consobrina mea, respõdit puer Bernardinus,) quid opus est tot precibus, vbi liceat imperare?

Idẽ lib. 1 Æneid.

Tuus, ò cognata, quid optes,
Explorare labor: me iussa capescere fas est.

Ita est profectò violentia illa amoris, quo te complector, id mihi extorquet, quòd alteri ingenuè, atque obstinatè essem negaturus. Quæso ergo te excepit, tum Tobia cognata, omnis hìc moræ impatiens, has sermonis vrbanitates missas faciamus, & mihi liberaliter fatere, ecque tandem sit fortunata illa Domina, & amasia tua? Regina cœlorum est (subiecit Bernardinus,) Huius vnius virtus vultusque animum hunc captiuum habet.

Solus hic (amor) inflexit sensus, animumque labantem

Idem 4. Æneid.

Impulit; agnosco magnæ vestigia flammæ, ea vna ac sola est, cuius vnius gratiam quotidie excursibus, totque genuflexionibus aucupor, & conor eblãdiri: illa, illa (inquam) illa vna tandem ac sola est, cui me me totum totum deuoui deuoui, obsequiaque vniuersa irretractabiliter consecraui. Sed quia nondum hic in terris mihi, licet eam intueri, & *dextræ iungere dextram*, mortalem immortali,

Idem 1. Æneid.

Nõ datur: ac veras audire, & reddere voces:

A eam ob rem quotidie domo ex eo rectè ad extimam Vrbis nostræ portam, ibique animum, vt possum pasco aspectu amplissimæ imaginis ipsius, quæ in portæ Camoliæ superliminari altè visitur, omnium quæ Senis Vrbe nostra spectantur, oculis meis gratissima. Tum Tobia flens largiter præ gaudio: ego verò mi consobrine, laudo, inquit, amores tuos, ac suadeo, vt amasiam tam formosam tantique meriti amare pergas magis, ac magis, eiusque beneuolentiam obsequijs omnibus captis, atque ita apud illam te geras, vt te vicissim amet, quãdoquidem non parum vtile rebus tuis futurum est, si apud eam fias gratiosus.

B Ea piè colendæ imaginis Deiparæ consuetudo, mirè cruciat humani generis hostem, vehementissimasque tentationes frequenter frangit, atque expugnat: cuius rei hdem abunde nobis fecerit historia quædam, quam refert Damascenus: Pater autem Franciscus Suarez, Clericus Societatis IESV, repetit in tractatu suo de Adoratione. Narrat ille, religiosum quendam notæ pietatis solitum quotidie adorare, per quam reuerenter B. Virginis imaginem. Cùm autem is aliquando vehementer à Dæmone tentaretur, sed gnauiter resisteret, ne ab eo vinceretur; apparuit illi suus antagonista, promittens deinceps pacem firmam ar-

C maque deponere, æternumque ab omni impugnatione quamlibet tenui, desistere, si finem adorandæ imaginis Deiparæ, & ipse facere vellet. Sed vix religiosus quauis Marpesia cautè fortior, constanter negabit ab eo Sancto Officio se vnquam destitutum, ac sic promeruit tanto faciliùs, ac gloriosius de illa oppugnatione infernali triumphare. Iuuerit non parum, eritque nobis magni calcaris loco, ad venerandas Virginis imagines, seu pictas, seu sculptas, si memineri-

D mus, certissimeque nobis persuaserimus, ipsam ex alto cœlo oculos in nos defigere, nostra officia intueri, voluptatemque incredibilem capere, ex nostra illa erga se reuerentia.

Ad maiorem autem Deiparæ gloriam, vtamur hac sublimi, atque eleganti animi reflexione. Fingamus animis: Heroidam aliquam excellentem, & primariæ nobilitatis velle, simulachrum suum, seu sculptum, seu pictum in theatro aliquo præclustri, & magni sumptus, collocari studio gloriæ, vt à subditis suis eodem honore coleretur, quo ipsa ipsissima, si ibi præsens oculis corporis cerneretur: pollicitatione etiam addita, confore, vt nemo eorum, qui se in tabula illa, aut statua sic venerarentur, recederet indonatus, & quidem magnificè, ipsa autem è cancellis, ac transenna Zelotypica (ne à quodam videretur) spectatrix suæ gloriæ, seque

in

in effigie adorantium esset, tantoque maiorem ex illo spectaculo caperet voluptatem, quo illustriora reuerentiæ ipsorum erga se signa videret, imò postea Aulicis suis primoribus valdè exultanter, & acta ibi omnia narraret, & prætereà quantam inde cœpisset, & adhuc caperet voluptatem: amabo quid facerent (putatis) eius clientes, si fando audirent, & se ab Heroina, & Domina sua tunc visos, & se adeò illi, ideò placuisse? An non accurrerēt, aut potius certatim aduolarent, ad adorandum Reginæ suæ simulachrum, imò ipsam Reginam suam in simulachro? An non liberrimè omnia tentarent, & facerent, vt eidem placerent, aliquo genere reuerentiæ? Non: Non mihi fit verisimile, reperiri posse mortalem vllum tam parcum, adeoque sordidè auarum temporis, cui non ingenuè viderentur huic operi posthabenda omnia, non tam spe magnorum inde præmiorum obtinendorum, quàm mero ei placendi desiderio. Sed chara Hera nostra, Vniuersi Domina, & Regina, sic se habet erga nos. E cœlo enim illa prospectat, eos, qui in effigie sua eam colunt, submissis corporum proclinationibus, aut alijs reuerentiæ generibus, ac mirè sibi hinc placet, ac de ijs sermonem habet inter cælites Aulicos suos, ac fortè sic loquitur: Ehodum, venite, & videte, nobilissimæ mentes, venite inquam, & videte mecum, vt hæc animula, corpore fragili, & imperfecto vestita, & prægrauata, vos æquar votis, & spiritalibus desiderijs. Non animaduertitis, quantum operæ, ac studij ponat, vt me honoret gratiosis suis, & decoris genuflexionibus? Non notatis, vt sudet in hoc opere, & quam amet ipsum laborem, ac sudorem suum? Non adtenditis qua constātia in hoc laborioso adorandi exercitio, quo & vos sic delectamini, & tam familiariter vtimini, perseueret, quāque labor suus ei placeat, solo amore mei ipsam recreante? Agite dum Angeli beatissimi, agite dum, accingimini, citò castra moueamus, feramus ei suppetias aduersus impugnationes, quas à dæmonibus hostibus suis patitur, consolemur eam, præsentiæ nostræ præsidio, ereptamque è carcere suo luteo, huc adducamus beandam, vel tandem iusta obsequiorum suorum mercede.

Satis probat, quòd diximus, exemplum illud, quòd ex speculo exemplorum iam iam producam, visum etiam Patri * Razzo Dominicano dignum, quòd in suo Hortulo trāsplantaret, etsi obiter. Fuit aliquando opinioni nescio, cui filia casta, innocens, & maximæ erga MARIAM Virginem obseruātiæ. Huius partes erant, gregem ouium foras in agros educere, quibus pabulantibus, illa in humile Sacellum Virgini dicatum se recipiebat, in quo fortè fortuna (vt sit) erat illius simulachrum sculptum specie tenentis in gremio filiolum suum, vbi flexis genibus pie orabat, & salutabat Diuam in effigie: & dolens eam adeò incultam esse, quòd sacellum illud plane desertum esset, stylo simplici pio, vulgoque agrestium vsitato, sic illam affabatur: Domina mea, Regina cœli, & Mater Dei mei, ægrè admodum fero, imaginem tuam hanc, ita flocci pendi, ac tam indecore haberi, mihique deesse, vnde illam decētius vestiam pro votorum meorum ampitudine. At quoniam vires, fortunæque tenuitas prohibent, ne te vrbanius corporeo cultu, pro libito exornem; dabo operam quam potero, vt spiritali ornamento suppleam, teque rosis, ac floribus humilium orationum mearum respergam, & colam, pro viribus, & puellæ rusticæ facultatibus. Cùm igitur aliquot annos sic Deiparam religiosè coluisset; visum fuit Reginæ cœli, quæ incredibilem ex pijs illis eius exercitijs voluptatem cœperat, virgunculam illam laboribus, pabulandarum ouium, ac curis cæteris vitæ agrestis absoluere, eamque Filij sui beneficio, hinc ad se in cœlum traducere. Cumque graui morbo, mortis ordinario præcursore, tentari iam cœpisset; tum Religiosi duo vitæ probitate illustres, videre sibi visi sunt vnus in somnis, alter vigilans, & orans, quæ nunc dicam. Vnus, vt erat totus orationibus intentus, vidit turbam magnam Virginum versicoloribus vestibus magnificè circumuestitarum, pulchris ordinibus distinctarum procul ad se venientem, vnde splendor mortali, & humano maior, idemque oculis gratissimus radiabat; quas, vt spectabiles coram ipso trāsibant, valdè reuerenter salutauit, à quibus mox, & ipse sit resalutatus, sed multo silentio, ac ne gry quidem audito.

Turma illa iam prætegressa, successit alia, etiam Virginum vestibus candidis insignium, longeque priores illas splendore, & pulchritudine antecedētium, quæ illo quoque salutato, & eodem quo priores silentio transierunt. Istam sequuta est tertia turma, & erant singulæ rubro cultu notabiles, & comptæ elegantius, quàm credi possit, quarum nullæ pulchritudine cultuque cedebant prioribus: agmen autem claudebat Regina quædam miræ Maiestatis, rebus omnibus, quæ animo fingi possint amore dignæ, & venerabiles excellens reliquas illas Virginum beatarum cohortes, quæ præcesserant, ad cuius pedes mox Religiosus ille, augusta eius præsentia adtonitus, procubuit, eidem, quanta poterat animi corporisque submissione, supplicans, vt ei indicare, non grauaretur, primum ecquæ esset ipsa, deinde quæ cæteræ, quæ tam pul-

**Gallica habēt P. Razzi.*

chro ordine, & cultu se comitabantur. Ego sum Mater Dei (respondit ei tunc illa,) quascunque autem hic mecum vidisti, Virgines sunt, quæ indelibatam castitatem perpetuò, ad extremum vsque vitæ spiritum sancte coluerunt. Primum agmen earum est, quæ suspensa ancipitique sententia inter Virginitatem, & matrimonium neutri addictæ perstiterunt, sed morte præuentæ, gloriam ac brauium virginitatis acceperunt. Alterum, earum est, quę virginitatis votum tota vita inoffensè seruauerunt.

Vltimum verò, cæteras splendore, ac speciè longe superantium, earum est, quæ non sola Virginitate claruerunt, sed etiam amore sponsi sui cœlestis, sanguine prodigè effuso, præter vsitata Virginitatis præmia, etiã palmam, & lauream martyrij coronam meruerunt. Nunc autem rectà mihi iter est in pagum illum, quem in vicinia vides, ibique vilio pauperculam opilionis filiam, & ipsam in vita custodem ouium iam moribundam, & cum morte luctantem, vt illam cum his Virginibus conscribam comitem, & grates illi dignas in cœlo persoluam, ob cultum religiosum, quo imagunculam quandam meã, nõ procul hinc in exiguo sacello, eoque plane deserto, positam, amore mei sæpe venerata est. Cumque hæc diceret, acies illa tota virginum ordinatissima, dicto citiùs, euanuit. Religiosi autem illi duo, non multò post prima data occasione, alter alteri quæ nocte illa vterque, alter vigilans, & orans, alter in somnis vidissent, non parum attoniti enarrarunt.

Posthæc ad pagum, quem Deipara nominarat, æquis passibus conuolarunt, vbi cum per quamdiu frustra de domo Virginis illic ægrotantis quæsissent; tandem in senem inciderunt, qui & nomen, & domum pastorculæ indicauit. Ingressi gurgustiolum, inuenerunt misellam Virginem solam omnino, inter mera, & pauca stramina iacentem, quæ oculis languentibus in eos conuersis blandè intuita, & vocem semimortuam vti poterat animans, ita musitauit potius quàm loquuta est: *Ah! Patres mei, vtinam in pretium benignæ operæ huius in me sic visitandæ vestræ, vobis cœlitus daretur clarè intueri egregium, illud comitum agmen, quæ me iam circunstant!* Et hæc dicens emisso pertenui suspirio, animam beatam in manus Deiparæ beatissimæ, quæ se misellam gloriosa illa virginum corona (vt eadem ipsis ante reuelauerat) stipata inuisere dignata fuerat, reddidit quæ mox beatis illis accensita est, & in palatium æternum animis sanctis destinatũ abducta. Hinc videre licet, quàm deamet illustrissima hæc Heroina suas imagines, quãtoque cum fœnore illis præmia persoluat,

A qui ipsam piè, vel in eius imaginibus reuerentur.

Vt autem frequentiore imaginis adspectu, ad frequentiorem quoque ipsius Deiparæ cultum, ac reuerentiam incitentur, consultum fuerit, fidelem Christianum habere ipsius imaginem in honesta aliqua cubiculi sui parte locatam, aut verò etiam, vel e collo, vel aliunde, pendulam religiosè gestare, quòd solebat Sancta Hedvviga Dux quondam Poloniæ, cuius tanta erat erga Deiparam obseruantia, vt quo sæpiùs posset ipsius meminisse, quocunque se cõferret illuc semper eius effigiem publicè manibus circumferret.

B Itaque anno à morte eius quinto post vigesimum, cùm Hedvvigæ illius sepulchrum aperiretur, vt reliquiæ sancti corporis in locum decentiorem, & illis miraculis dignum, quibus quotidie coruscabat, transferrentur, inuẽtum est corpus eius omne carnibus planè exutum, tres autem manus eius dextræ digiti (rem stupendam!) à refossoribus reperti sunt incorrupti, & adhuc arctè tenentes illam Deiparæ Virginis imagunculam, quàm gestare solebat dum viueret; moriens verò nunquam dimiserat, imò adeò firmiter tenuerat, vt nulla vi cuiusquam (vt nec claua de manibus Herculis) potuerit illi extorqueri.

C Similiter, quoties & vbicunque nobis velut in oculos imago Deiparæ incurrit; ibidem toties nos decet caput aperire, genuflectere, aut alio quolibet genere honoris eam afficere, vt more veterum Christianorum melioris notæ fieri receptum est. Idem obseruantiæ genus nobis vsurpandum est, quoties vel auribus nostris nomen eius, & sanctum, & venerabile insonuerit, vel ipsi illud pronuntiauerimus, quòd nomen sancti maiores nostri olim tanti faciebant, vt S. Girardus Episcopus Pannoniæ (* Vngariã vocat ætas nostra) tota Diocœsi sua edixerit, omnes caput humiliter proclinare, & genuflectere, quoties Sanctissimum, & amabile Magnæ Dei Matris Virginis nomen pronuntiaretur. En vobis, quàm vetus, ac priscus sit inter Catholicos hic vsus reuerentiarum, quas docemus.

D

Hic sermo, de reuerentia mellitissimi nominis MARIÆ, me inuitat, ac tantùm non cogit, vt vel vno verbulo dicam, quàm reuerenter habendum sit ipsum nomen *Dei*, adeoque & *IESV* Seruatoris nostri, Sanctissimæ Trinitatis nomen magno in honore habet Ecclesia. Itaque in hoc celeberrimo versiculo, *Gloria Patri, & Filio, &c.* sit expressa trium personarum Patris, Filij, & Spiritus Sancti mentio, & dum profertur, non est fidelium quisquam, qui tum caput non in-

* *Zachæ rias Lilius in suo Orbis Breuiario, verbo, Pannonia.*

inclinet, & profunda reuerentia non veneretur. Apud ipsissimam Virginem Beatam, ac cælites omnes versiculus iste tanti est, vt valdè profundè sese inclinent. Quoties pronuntiatur, quòd historia illa docemur, quam narrat Petrus Damianus. Refert ille virum quendam spectatæ vitæ, cum nocte quadam publicis orationibus Matutinis interesset, in extasim raptum vidisse in templo Deiparæ, ingenti Angelorum Virginumque numero stipatam, & ad princeps Altare venisse, ibique vna cum comitibus illis omnibus in genua procubuisse; ac, quoties pius hic versiculus *Gloria Patri, & Filio, &c.* cãtabatur, toties omnem illum beatorum chorum sese in terram religiosè prostrauisse. E spectaculo admonitum bonum illum virum, propius ad altare (vt certè ei videbatur) accessisse, & cùm ad pedes Regina Angelorum procidisset, dixisse. Vnde verò hoc tibi Domina mea, vt tu quoque tam submissè corpus inclines? Id idcirco agimus (respondit ei pia Mater) quod, cum Sanctus hic versiculus *Gloria Patri, &c.* ab Ecclesia canitur, nos cœli cives æquè omnes nouam capimus voluptatem, ex honore personæ Sanctissimæ Trinitatis decenter impenso: quanquam nõ aliud ferè opus iucũdiùs, aut crebrius in cœlo exerceamus, quàm vt corã altissimo Dei throno incuruemur, benedicentes, & magnificantes eum, nomine infinitæ illius charitatis, ac potentiæ eius, qua mũdum creauit, redemit, ac gloriæ æternæ prædestinauit electos suos omnes, nec exleges, nec legirupas, sed tabularum ambarum legis suæ obseruantes. Et his dictis chorus ille totus disparuit.

Imò verò, & ij, qui ad hunc versiculũ corpus non inclinant, grauissimas pœnas diuinitus luunt, vt ex tomo secundo Chronicorum Ordinum Fratrum Minorum discere est, vbi fertur religiosus quidam, quòd ex ignauia quadam paruaque consuetudine, cũ in viuis ageret, nunquam corpus curuaret, cùm pius ille versiculus in choro cantaretur, post obitum hac pœna mulctatus fuisse, vt scilicet in fastigio columnæ altissimæ, & augustæ in medio mari stantis, constitutus, ibi centies interdiu, & centies noctu, volens nolens, edicto Iudicis, corpus curuare, & quidem profundissimè cogeretur, donec omnes reuerentiarum iustarum omissiones vitę superioris, illo supplemento deleuisset. Tandem satisfactione sic expleta, significauisse cuidam collegæ suo, se, quoties sese ibi curuaret, toties terrores tantos passum fuisse, vt crederet Infernum illo tormento suo, nihil sæuius habere, præter illam ibi pœnarum æternitatem.

Prætereà glorioſissimum nomen IESV, valdè reuerenter honorandum est, quo vno tota nostra redemptio, & iustificatio contiA netur, cuique Angeli, & mortales omnes, adeoque spiritus ipsi Infernales genua flectunt, velint nolint. *In nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium terrestrium, & Infernorum.* Idem honoris genus à nobis exigitur, cùm paucula hæc verba, ab vniuersis Ecclesijs adeò celebrata, proferũtur: *Et verbum caro factum est.* Item, ad ista, ex symbolo Niceno, quòd vulgò canit Ecclesia: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine. Et homo factus est*, quibus nobis memoria refricatur suauissimæ clementiæ Dei, & infinitæ charitatis, qua se in tantum sæuissimorum tormẽtorum Occeanum studio salutis nostræ sempiternæ præcipitauit. Et profectò, valdè impius, imò prorsus ingratus est homo ille, qui vel tum non aliB quo honoris actu studet Deo gratum se exhibere, ac velut rependere, si non par parĩ (quòd fieri omnino nequit) sed pro parte virili, nomine tanti fauoris, ac beneficij, quo illum totumque genus nostrum affecit, cùm sic moriens redemit.

Phil. 2.

Ioan. 1.

Admirabilis certè est, & planè digna historia, quàm mortales omnes, qua auditione, qua lectione, & quauis commemoratione cognoscãt, quàm scribit Cæsarius author famosissimus, & (sensu meo) maiore fide dignus, quàm quibusdam videatur, quòd non temere omnia asserat, sed dubia dubiè, & nomina personarum locorumque, & tempora commemoret. Ait ergo ille Patricium quendam vanum, & incredibilis arrogantiæ aliquãdo Missæ sacrificio interfuisse in temC plo quodam Cathedrali, cumque ad memorabilia illa Symboli Niceni verba ventum esset. *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine. Et homo factus est*, videretque neminem, nõ genua tum flectere, solùm tamen non dignatum, vel caput detegere, sed vt erat immotum prorsus, instar statuę saxeę constitisse, nullo dato signo, vel minimo cuiusmodi reuerentiæ. Sed non diù mansisse impunitam intolerabilem, illã irreuerẽtiam. Illicò enim apparuisse dæmonem specie mirè horrenda, & cùm ad eum vultu furenti accessisset, vehementem colaphum illi incussisse, ac dixisse: *Homule superbe, an non audis quemadmodum Deus omD nipotens amore tui homo factus sit? Non te pudet hic sedere, superbeque erecto, & operto capite, audientem, Deum eo humilitatis sese abiecisse studio tui? Et qua re tu cæteris es dignior, quæso, aut melior? Quid habes, cuius nomine excuseris ab huius honoris officio, quem totus illi orbis impendit? ò ingratum caput! Si is, qui sic à te contemnitur, vel minima parte beneficij quo te affecit, me aliquando affecisset, non ea, qua tu effronte impudentia dedignans humi in genua procumbere, imò verò, vel ad Infernum inferiorem,*

Nauar. etiam refert to. 1. operũ de Orat. & Horis Canonicis cap. 4. §. 8. pag. 586

rem vsque me deprimerem. Et his, in ingratissimum illud, & inhonorum caput pronuntiatis; in tenuas auras Demonem euanuisse.

Superesse nunc quidem de cultu imaginibus Dei, & Sanctorum debito dicere; sed quia iusto longior esset hic sermo; verbum non addam rationibus superius adductis, quibus satis probatum est, ad prototypom redire, quidquid honoris imagini eius impenditur; itaque etiam differre inter se tria hæc genera adorationis Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ, vt iam satis copiosè docuimus. Cætera iam persequar.

De adorationibus in Rosarij recitatione exercendis.

CAPVT XVI.

CApitibus superioribus, varias adorationum species, easque elegantes in medium produximus, & satis copiosè (opinor) de ipsis diximus: sed excellit ista, de qua iam nunc dicturi sumus, & quam velim vsurpari; nempè, vt quoties, inter recitandum Rosarium, salutabimus, dulcissimam Dominam nostram Cœli Reginam, his verbis (*Ave MARIA*) etiam reuerentiam aliquam honorificam, ac religiosam adiungamus.

Satis liquere potest adorationis huius pretium, vel ex ipsius Rosarij, Angelicæque salutationis, excellentia.

Rosarium, vel hoc nomine in primis nobile est, quòd aliud nihil contineat, quàm meras orationes, quas Domino, ac Deo nostro Doctore, interprete autem Gabriele Angelorum cælestium primoribus accensito, didicimus; orationes (inquam) adeò nobiles, vt Ecclesia penè nullas vsurpet, quæ non longè lateque sint istis inferiores.

Excellit præterea, vel idcirco, quod planè mysticum sit, à numero Salutationis Angelicæ ibi ter, & sexagies repetitæ, ad significandos annos illos sexaginta tres, quibus creditur in terris Virgo Deipara vixisse. Itaque potest Christianus pius, ac religiosus, dum Rosarium suum reuerenter recitat, ad singulos globulos, res insigniores à Deipara vno anno gestas, laudatasque eius consuetudines, animo repetere. O quanta messis insignium meditationum, ab hac Angelica exercitatione colligi potest! Animo percurrere licet annos omnes vitæ Virginis huius sanctissimæ, à primo ad nouissimum vsque: ac mox, Salutationem Angelicam illi offerre cum religiosa reuerentia. Et (sensu meo) his artibus Angelo ipso Dei interprete atque Oratore euademus, longè superiores, quòd scilicet is semel dumtaxat, non amplius, hanc decoram Salutationem Virginis vsurparit; nos verò sæpius, ac sæpius, si hoc genere exercitationis vtemur.

Ecquid aliud (quæso) agimus (cum Rosarium recitamus, Angelicam recitationem pronuntiantes, qua vna oratione nihil est Beatæ Virgini charius, aut iucundius) quàm Stephanoploci 1. coronarum textores euadimus, & coronam pretiosam nobis ipsis, variegatam intertextis rosis, liliisque pulcherrimis, & perpetuò virentibus, miri honoris gloriæque immortalis, paramus, ac plectimus, qua timus aliquando tandem, in beata patria nostra laureandi? Visus aliquando est Angelus interim, dùm nescio quis obsequiosus Virginis MARIÆ cliens Rosarium suum recitaret; ad singulas harum vocum repetitiones (*Ave MARIA*) inserere filo aureo singulas rosas pulcherrimas, ad singulas autem orationes Dominicas, lilium odoris suauissimi, cuius rei fidem abundè facit miraculum, quod nunc dicam hausturn ex thomo tertio Chrononicorum Ordinis Fratrum Minorum. Pater Guardianus quispiam, Virginis cliens auditior, Nouitio cuidam cui nomen Ludouicus Albanus, iniunxerat, vt quotidie ieiunus, & siccus Rosarium recitaret. Contigit F. hunc Ludouicum, die quodam, certis Conuentus negotijs pluscule, vt fit, occupatum, pensum illud orationum neglexisse: sub horam autem prandij (vt iam erant Religiosi ad mensam conscisturi) Guardianum fortè fortuna ex eo quæsiuisse, num Rosarium, vti iussus erat recitasset; eumque culpam, & negligentiam suam fassum, à Patre Guardiano valde seuerè increpitum nomine eius inobediētiæ, illicoque ad templum ex cænatione ablegatum fuisse: ibiq; iussum absoluere pensum præscriptum ante refectionem. Abijsse, & adijsse templum nulla mora Nouitium, & obedire quam obaudire, seu subsannare, paratiorem, dicto Guardiani paruisse, in genua coram Altari Principe procidisse: & valdè attentè Rosarium imperatū recitasse. Breui post interuallo temporis, Patrem Guardianum misisse ex Mensæ ministris aliquem vnum, visum, & cogniturum quid Nouitius ageret, pareret necne, aut quo modo: Fratrem autem illum missum cognitorem, cautè, & nullo strepitu edito, per ostium rempli semi apertum, prospicientem vidisse adstitem Angelum latus oranti Nouitio claudentem, filoque aureo decem rosas, & lilium aureum vnum inserentem, fuisseque spectaculo illo sic attonitum, vt nec ad Superiorem redire, nec responsum Guardiano suo afferre cognitor ille meminerit; eaque tanta non redeuntis mora anxium Guardianum eodem alterum destinauisse, quo etiam non redeunte misisse, & tertium, imò, & quartum. Denique vt animaduertit, ibi hærere, quotquot missi essent, ipsum cum Patribus Fratribus vnà omnibus exijsse,

exijsse, ad templum venisse spectatum, eque esset tantæ moræ tam multorum causa; sed hos quoque omnes, quasi carminibus factos immobiles, eadem cum Nouitio voluptate visionis Angelicæ captos, ibidē præstitisse reditus minimè solicitos. Nouitio autem pensum Rosarij sui tandem absoluēte, Angelum quoque coronam suam è rosis, & lilijs aureis intertextam absoluisse, eaque ipsa caput illi decenter coronasse, hisque per actis euanuisse: locum autem in quo Nouitius hic orauerat, plusculis post annis suauissimum semper rosarum liliorumque odorem, ad memoriam tanti miraculi diuturnam, efflauisse.

Hæc religio, qua de nunc agimus, maximi certè pretij est, ob Rosarij ipsius æstimationem, sed multo magis à salutationis Angelicæ excellentia, à qua huius exercitationis vis tota pendet, vti & Rosarij ipsius. Quinque autem de causis video maximam esse huius orationis excellentiam. Vna est, quòd Deum ipsum authorem habuit, in ipso cœli prætorio, (vt sic dicam) in Lyceo ipso, & quasi Parnasso sanctissimæque Trinitatis Senatu: iussusque est eam primus pronuntiare vnus ex Primoribus illustrissimi militiæ cœlestis, Angelus scilicet Gabriel. Hinc Albertus Magnus in hæc verba, *Missus est, &c.* ait Angelum, cùm Virginem salutauit, his verbis vsum, *Aue gratia plena*, non vt suis, sed Dei ipsius. * *Angelus* (ait magnus ille vir) *non pronuntiauit hanc salutationem in auribus Virginis beatissimæ, vt suam, aut à se conceptam, sed vt Dei ipsius Patris, Filij, & Spiritus Sancti, ideſt, vt à Trinitate compositam.* Altera causa est, quoniā interpres, seu recitator huius orationis, fuit vnus summis ex Seraphinis, sensu Gregorij Magni Pontificis, & aliorum Doctorum plusculorum. Et certè, ratio exigebat, vt is ex Curiæ cœlestis primoribus esset, quandoquidem de re maxima, & qua nulla maior, aut admirabilior à Principe vniuersorum vnquam agitata est, Orator, & nuntius primus veniebat.

**Vt ver toex Gallic.*

Tertia excellentiæ causa, ab obiecti dignitate procedit, ideſt ab ipsa B. Virginis persona, cuius amplitudo, & perfectionum moles, omne humani Angelicique intellectus acumen longissimè transcendit, non sic *nubes excedit Olympus.*

Quarta, ex magnifica, & stupenda celebritate, qua Angelus in illustrissimæ huius legationis profunctione vsus est, quandoquidem non solus ad Virginem venit, sed magna multitudine aliorum quoque Angelorum stipatus, pretiosa veste candida ornatus, mirè circumcirca radiante fereque, vt *Matutina rubent radiati lumina Solis,* & lætissimo vultu, pleno tamen iustæ reuerentiæ, in cellulam Virginis, sine strepitu illapsus, eam salutauit, confessus eius plenitudinem gratiæ, Deique præsentiam, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Meritò igitur religiosa hæc puella turbata dicitur, adspectu tantæ maiestatis, & tam insolentis magnificentiæ; maximè verò audita salute adeò inusitata, & excelsis illis honoris titulis, qui ex Oratoris illius cælestis ore melliſluo, singulis verbis, lactei torrentis instar erumpebant. Nam (vt scitissimè more suo, notat noster Nicolaus Lyranus, Doctor literalis planissimus vnà, & plenissimus) non illam terruit Angeli præsentia, cum eis alioqui perfamiliariter vteretur, sæpe eos intueretur, & crebro alloqueretur, sed insolens illa, & extraordinaria salutatio duntaxat, ideoque subiecit Euangelista, *& cogitabat qualis esset ista salutatio*, ideſt, quàm illustris esset hæc cœlestis legatio, quam Angelus, tam magnificè obiret, apud vilem virgunculam (qui illi de se sensus perpetuus, & proprius fuit.

Lucret. lib. 1.

Luc. 1.

Denique, nobilitas huius salutationis inde quoque oritur, quòd cumulum omnem virtutum, gratiarum, priuilegiorum, dignitatum, amplitudinum diuinitus beatæ Deiparæ concessarum complectatur; nec nō maxima, & celsissima quæque mysteria redemptionis nostræ, indeque splendidissimè promicent, amor immensus, bonitas inæstimabilis, sapientia inscrutabilis, & incomprehēsibilis omnipotentia ipsius Dei. O ampliſſimas Angelicæ salutationis excellentias! Qui fieri possit, vt religiosus amator, & plane deuotus MARIÆ cliens, non vehementer miretur, si vel tantisper animaduertat pretium huius mysticæ orationis? O! quanto conatu illi vtendum esset, ad eam iusta cum reuerentia recitandam! Quàm multiplici, & suaui sensu castæ voluptatis, ac gaudij intus affici eum deceret, cœlestes illas voces lætitiæ, & solatij pleniſſimas recitantem? Non me contineo: nolens volens cogor fateri, me mihi eripi amplitudine huius argumenti, onusque non meis duntaxat viribus, sed & Angelicis maius esse, exequi vel minimam partem dignitatis huius precatiunculæ.

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum. *Virg. 6. Æneid.*

Quisquis igitur Virginem demereri, iusta obsequij huius religiosi pensione, ideſt Rosarij recitatione, secum statuerit, is principio, & antequam opus ordiatur, studeat in eam mentis oculos defigere, ac sibi præsentem fingere, sedentem in throno sublimi, ac pleno maiestatis, Angelis vndique, & sanctis circumseptam, augustam eius præsentiam stupentibus. Et hæc quidem cogitatio celeriter, & velut momento concipienda est, ac deinde Rosarium inchoandum, & ad recita-

tio-

tionem quamlibet harum vocum (Ave MARIA) reuerenter honoranda Deipara, aut caput ei religiosè inclinandum, si fortè iam antè in genua procubuerit. Et dum verba illa pronuntiat, eadem etiam corde ruminet; quandoquidem quot verba, tot tituli, totque honora præconia sunt, quæ à nobis illi officiosè decantantur. Quod si quis per ignorantiam verborum vim, ac sensum capere non poterit; ille oculos mentis cogitationemque (vt iam prædiximus) ad Virginem gloriosam adtollat, eaque recitans sic se gerat, neque minus reuerenter se habeat, quam si coràm, & spectabiliter ipsam alloqueretur. Hoc illud ipsum est, quod Nauarrus docet in commentarijs, cum agit de attentione necessaria, in recitatione tam orationis Dominicæ, quàm huius Angelicæ salutationis.

Nau. tom. 1. tract. de orat. & horis Canonicis. Vt verto ex Gall.

* *Ipso orationis Dominicæ* principio (inquit celebris ille Doctor) *velut in instanti concipiatur quàm fieri potest maximus infinitæ Dei Maiestatis sensus; & similiter V. MARIÆ, in salutationis Angelicæ primordio, eo ferè modo, quo solet quisquis magnum Monarcham, aut insignem aliquam Heroinam, alloquitur.* Id attentionis genus pervtile est, tam eruditis, quàm rudibus, vtpotè quod cohibeat euagationem, & recollectionem habeat eleuationem mentis orantium, & psallentium, sed & latè ianuam aperiat ad coitionem in familiaritatem magnam cum Deo, & rerum cœlestium notitiam: quin & imitationem habet beatæ illius Diuæ Catharinæ Senensis, quam Angelus sic aliquando affatus est: *Quoniam excelso animo Deum concipis, ideò tibi societate cœlestium frui concessum est.*

Vt verto ex Gall.

Notandum verò est, hunc reuerentiæ actũ (de quo diximus satis fusè) prætermittendum esse principio huius orationis, nempè ad hæc verba Ave MARIA. Huc vel naturæ instinctu, videmur inuitari. Cum enim cuipiam salutem impartimur; solemus ferè, cum dicimus (salue, aut seruet te Deus) aliquo honoris actu verba nostra condire, in beneuolentiæ, aut reuerentiæ erga salutatum nostræ testimonium. Quòd, si in hoc honorandæ Virginis exercitio, operam iustam præstiterimus, incredibili voluptate Dominam, & Heram nostram affecerimus, imò eius capiti coronam auream singulis salutationibus imposuerimus. Id nie sequens Historia docuit, quam aliquando Veronæ, è suggestu, Beatus Bernardinus Feltrensis diserte recitauit. Religiosus quidam pius (inquiebat ibi tunc ille) vt aliquando Rosarium suum penè altare recitabat, arbitratus latebras illas satis esse, vt à nemine hoc agés videretur; fortè fortunà tamen à Collega, & Fratre quodam suo, Religioso, operi simili similes latebras etiam quærente, & in eundem locum (vt fit) incidente, visus est, qui postea retulit, quoties ille has voces (Ave MARIA) pronuntiaret; toties Angelos illos qui Deiparæ latus proprius claudebant, ingentis pretij corona caput Virginis induere, moxque exuere, ac rursus eidem reponere, quoties scilicet pius ille orator eam ijsdem verbis salutabat; reliquos autem ibidem Angelos qui coniuxerat, quoties eidem eadem voces (Ave MARIA) repetebat; toties eidem Heræ, & Dominæ iuæ, ac nostræ lilium, aut certe rosam offerre. Eiusmodi fuit pij illius Religiosi vilio, non parui certè solatij loco futura omnibus, qui cum magno religionis sensu, & reuerenter Rosarij Mariani recitatione delectantur, studio Beatæ Virginis MARIÆ, vel sic pro virili honorandæ.

Monita quædam illustria, & notatu digna, ad Rosarium dignius recitandum, ex Nauarri commentariorum tomo altero, aliisque scriptoribus.

CAPVT XVII.

EXimius ille Doctor Nauarrus vult, aut potius laudat, ac monet pium Deiparæ clientem, vt diuidat, seu interrumpat Rosarij recitationem, quamuis aliquo, vel voto, vel imperio illud recitare teneatur; id est, vt per partes recitet, & alijs atque alijs horis, verbi causa; certa die hora, duas aut tres decades, alia totidem vel plures, aut pauciores, vt vsus, & commodum erit oranti: ac sic licet illud diuidere, non modo in tres partes (vt vulgò fit) verum etiam quamlibet trium illarum partium, quarum quæuis quinque decadibus salutationum Angelicarum constat in plusculas particellas, noctu, & interdiu recitandas, sic vt pars manè, pars meridie, pars vesperi, aut quacunque noctis hora possit recitari. Et quidem vt fidem dicto suo faciat, affert Horatum septem Canonicarum, quas vocant exemplum. * *Nam, vt illæ* (inquit) *etsi spatio vnius Diei recitandæ sint, quandoquidem non sunt septem officia, sed vnicum; mos tamen peruulgatusque vsus Ecclesia est, vt in septem dies naturalis interualla distribuantur: sic, quanquam Rosarium ipsum vnica sit oratio; secari tamen non diuidi potest in tot partes, quot pausarum notas, seu decades habent.*

Vt verto ex Gall.

O commodam, simul, & mitem, ac consolatoriam, æque omnibus cuiuscunque tandem Ordinis, aut conditionis sint, illam doctissimi hominis Nauarri sententiam! quandoquidem sic, vel inter maximos quosque negotiorum quasi torrentes vnicuique licebit Virginem persæpe salutare, eiusque gra-

tiam

tiam pio illo obsequio eblãdiri. Ita fas erit, A vel negotiosissimis Mercatoribus alteram Rosarij particulam recitare, ad forum, ad portus, ad angiportus, ad negotia sua Euripi instar cursitando, & reuersitando : alteram, cùm se domum receperint. Ciues ac Patricij non grauatim, idem fecerint, aut vrbem adeuntes, aut peregrè ex agro redeũtes: Causidicis idem licebit in Palatio, ac Prætorio, aut alibi dùm suos, vel renuntiatores litium, vel Procuratores, vel Aduocatos, aliosque Curiæ ministros præstolabuntur. Commoda quoque erit eadem partiendi indulgentia sodalibus Phratriæ cuiuscunque dum alij aliorum coitionem spectant. Denique poterunt Christiani æquè omnes eadem gratia vti, siue, cùm indulgentiæ dipiscendæ causa B se ad templa plura, vel vnicum conferunt, siue cum Missæ primordia spectant, seu eundo, aut redeudo quocunque, & vndecunque tandem, & poterunt commodè, & cum dignitate, hoc genus religionis adeò illustre, & vtile exercere.

Ex hac autem Rosarij recitandi religione, seu alio priuatæ orationis genere, Christiano redit messis sanè multa, & vtilissima. Primùm enim, ita Deum suũ, Reginamque eius matrem sæpè alloquitur, & paucis quidem, quòd non paruæ vtilitatis est, *quum breuis oratio cœlos penetret*, dum tamẽ ferueat. Hùc spectans Sanctus Chrysostomus, homilia quadam ad Pop. Antiochenum, breuiculæ, sed frequẽtis potius orationis, quàm C prolixæ, sed raræ, quæ facilè tepescit, nobis author est; imò verò idem etiam affirmat, eam esse IESV Christi, ac D. Pauli sententiam.

Breuia Roman. xxix. Septem.

**Vt ver to ex Gal lic.* * *IESVS Christus* (ait Chrysostomus) *& Paulus edixerunt orationes breues, & frequentes fieri, & per breuia interualla.* Ita breuiter orabant (vt refert Ioannes Cassianus) prysci Ægypti Monachi affirmantes, orationem breuem, sed crebram prolixiore, sed rara esse multò vtiliorem.

Deinde, ex hoc sancti obsequij genere, & hoc cõsequitur boni, vt sit homo attẽtior ad orationem, & ardentior, vel ratione breuitatis ipsius. Videmus enim ferè eos, quibus multa semel, ac simul dicenda sunt, properare, ac præcipitare, vt citius absoluant, quæ res Zelum ipsis motumque, nec non meriti magnam partem suffuretur. D

Prætereà, ac tertiò, hac arte sæpiùs memoriam dilectæ Dominæ suæ Virginis MARIÆ sibi refricat, & abit maiore casti amoris eius incendio inflammatus.

Denique partitione ista crebrius exercet nobilissimum hoc opus adorationis, salutans cum religiosissimis reuerẽtijs Reginam cœli, & totius huius vniuersi. Sin quisquam adeò totus negotijs immersus est, & cooperatus, vt ei non vacet die Rosarium absoluere: esto, agedum, vel semel vna hebdomade absoluat, decadem vnicam illius quotidie recitando, quæ res adeò facilis est, vt nemini id negligenti vlla excusatio possit vllo iure patrocinari.

Insignis modus Rosarij recitandi, alternis.

Vir ille doctus Nauarrus laudat, vehemẽter, & hortatur nos, ad Coronæ, ac Rosarij recitationem alternantem, seu eam quæ a duobus vicissim salutationem Angelicã pronuntiantibus fit, instar Religiosorum, in choris suis Diuinum Officium, alternatim, & Antiphoniacè, recitantium, prisco Ecclesiæ ritu Sanctus Ignatius maior, seu is, qui Apostolis coætaneus fuit, aliquando extasin passus, vidit (vt in Historia Ecclesiastica legere est) Angelorum aciem scitissimè ordinatam, supremum Dei thronum circunstantem, ex quibus nunc isti, nunc illi, Hymnos, & Cantica Laudis, Deo alternis decantabant. Quo etiam spectat, quòd in vetere Hymno officij de S. Michaele psallimus:

Alternantes, concrepando
Melos damus vocibus.

Itaque facile est concludere, hanc laudandi Dei, ac beatissimæ Deiparæ methodum Angelis esse familiarẽ, adeoque iucundam mortalibus, vt tædium omne, ac fastidium ab ipsorum animis, aut propellat, aut abstergat.

Quibus ergo collibuerit Rosarium recitare socialiter, binis aut ternis: (Nam de numero certo nulla quæstio est: necessarium fuerit, vt manibus volutantes Rosarium, silenter dicant orationem Dominicam; ac tũ voce plusculo elatiore, & quæ intelligi possit, alterni pronuntient Aue MARIA. Sic solebat Nauarrus ipse cum amicis suis recitare, dum Romæ per plateas iter faceret, ad Stationes (vt vocant) seu templa statiua, aut etiam domi cum domesticis, *quontam* (vt ait) * *hic recitandi modus efficacior est, ad ciendam deuotionem, attentionem, & intelligentiam, quòd præces illæ, quæ distinctè dicuntur, plus sapiant animo palato, & attentius pronuntientur; imò verò præbeant, etiam ingenuis latiorem spatiandi campum, per amœna, quasi vereta speculationum mysteriorum sub verbis latentiũ, maximè orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ.*

**Vt ver to ex Gal lic.*

Ita pijs religiosis occasio nascetur, post pastum corporum, etiam recreandorum animorum, hoc opusculo spiritali, dum bini, & bini, in peristylijs suis, seu sacris ambulacris (claustra vulgus vocant) aut hortis, concoquendi, ac digerendi cibi causa, ambulabunt coronam alterius recitando, inter deambulandum. Patricij similiter, ciuesque paulò locupletiores, poterunt, dum peregrinabuntur,

tur, idem genus pietatis exercere, ac sic vtiliter fallere tempus (quo nihil pretiosius mortales habent) & cum spe certa messis vberrimæ fructuum animabus suis valdè pro futurorum. Oportet, & Iuuentutem, cùm ad spatiandum prodit, aut ad ludrica quæcunque licita, meminisse sui erga Cœli Reginam officij, vt ei ante omnia salutem dicat eo modo, quo diximus. Matronæ quoque, & adolescentulæ nubiles, si quando (vt fit) ex vrbe pedem efferent, seu visitandi templi alicuius gratia, seu studio boni operis cuiuscunque, tantumdem præstent. Viatores quoque deceat, vt laborem tædiumque itineris fallant, recitatione coronæ mentem occupare: quo studio etiam ostium clauserint maledicentijs, scommatis, & irrisionibus illis, quibus ferè obnoxij esse solent, qui longiusculè peregrinantur.

Denique, patres, & matres, familias, pædagogos puerulorumque præceptores, oportet omni studio contendere, vt modi huius Angelici orandi praxin atq; vsum in familias suas introducant, & morem exemplo suo autorent. Ergo paterfamilias, simulac negotiorum diurnorum tumultibus finem dederit, familiam suam omnem in cellam aliquam commodam, & huc destinatam conuocet, ibique omnes in duos choros secti Religiosorum instar, in genua procumbant, & Rosario in manus accepto, vnà omnes submissa voce Dominicam Orationem recitent: ac tùm is chorus, in quo steterit, Herus velut quidam militiæ Marianæ Primipilus, dicat prior *Ave MARIA*, voce plusculo elatore: cumque ille absoluerit, alter chorus succedat idem eodem tono recitans, adducto semper post recitationem quamlibet granulo ex Corona, donec ad alterum Dominicæ orationis signum pertigerint, quod rursus sileuter dicent, ac sic, eodem alternatim tenore prosequendo, Rosarium, seu Coronam absoluent. Meminerint etiam quoties hæc verba (*Ave MARIA*) pronuntiabunt, si iam in genua prociderunt, omnes caput inclinare; aut, si erecti orant, Deiparam charissimam Dominam nostram, insigni reuerentia salutare. O millies, & iterum millies beatos, qui cum gustu, & sensu spiritali, huic nobili, Angelico, diuinoque exercitio iustam operam dederint! quandoquidem, præterquam quod turpem culpabilis otij notam, & fabulas inutiles plusculas effugerint; etiam pulchro quasi connubio (velut Angeli quidam mortales) suas voces suauissimis illis cœlitum symphonijs coniunxerint; mixtique cælitibus alternatim laudes, amplitudines, dotes, ac perfectiones Dei, Matrisque eius gloriosissimæ celebrauerint; quæ globatim omnes, oratiunculis illis Dominica, & Angelica, velut in epitomen, & breuem tabellam scitissimè, & coactè, continetur. O beatam domum! ò fortunatam familiam! in qua quotidie viget hæc orandi praxis, quod eam Deus Opt. Max. ideò serenissimis oculis, & cum benedictionibus plurimis, semper spectabit; Reginæ autem ipsi cœlorum perpetuo curæ erit, porrò Angeli pro ea stabunt in armis, vt ab omnibus aduersis fortunæ ictibus eam propugnent, atque omnes dæmonum obsidiones impetusque coerceant. *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* *Psal.* 33

Omnes igitur, senes cum iunioribus, Patricij cum mechanicis, docti cum indoctis, magno animorum ardore, ac contentione, tàm nobili operæ suscipiendæ se dedant, & bona fide totoque affectu complectantur, & in familijs suis autorent, inserant, plantent, & irrigent, quod perbreuis sit, perfacilis, & valdè iucunda, & nemini non conueniens. Neque eam quisquam contemnat, prætextu vanitatis, & decori nescio cuius humani (vt vocant) seu decentiæ; quasi solos ea res deceat rudes, imperitos, & aulia ingenia. Nam (vt ideni Nauarrus ait) hæc res doctos eo magis decet, quòd doctrinæ, & intelligentiæ suæ præsidio, plus inde commodi, quàm idiotæ, & ineruditi, consequuntur. Sciebat vir ille magnus, tot dotibus Christiano homine dignis, illustris, pretiam sancti huius Rosarij, qui scilicet illud semper manibus gestare soleret, sæpeque recitabat, cum magno sensu suauitatis spiritalis, domi forisque, & tam multa de eo elegantia sanè, & memorabilia scripsit, & posteritati reliquit. Legat qui volet alterum commentariorum eius tomum, ibi multa occurrent pulchra illius elogia, pulchræ laboris messes, & larga operæ in hoc exercitio collocatę pretia; denique, & scitissimæ methodi Rosarij sanctissimæ Dominæ nostræ recitandi.

Nonnunquam quidem (illius sensu) valdè expedit, recitationem illius in plures diei horas, atque interualla partiri: sed si tamen mihi etiam liberè licet eloqui quod sentio, post hominis tam rari ingenij sententiam: censeo ego etiam profuturum, ac fortassis vtilius fore, aliquando, imò quam fieri poterit creberrimè, vno tenore, ac spiritu recitare. Nam, quis certò scit, an dum ita interruptè recitatur, non incidet (vt fit) negotij nescio quid, aut impedimenti legitimi, cuius occasione, separata, deuotionis prosequutione, vel inuitus fraudetur? Tam *multa* scilicet *cadunt* (vt dicitur) *inter calicem, supremaque labra.* Qua propter, me autore, cui vacabit vno tractu illud absoluere; is nullo modo differat: quoniam vetere prouerbio dicitur: *Qui tempus habet, tempus non expectet.* Liberum tamen omnibus erit, eligere, quod satius ei videbitur, & afflatui, quo diuinitus agita-

Vide A. Gell. lib. 13. noct. Attic. c. 16. & Erasmi Chiliades col. mihi 145

agitabitur, conuenientius. Sed coronidem tandem huic capitulo imponamus, exempli non ignobilis commemoratione, vnde plenius intelligamus, quàm volupe sit Matri Dei, Rosarium à suis religiosè recitari, quãque deamet illos recitatores, seduloque eis patrocinetur. Quo tempore beatus F. Bernardinus Feltrius, * Ticini concionatoris munus obibat, Domicella quædam perillustri genere nata à liberis suis, qua docendo, qua monendo, hortandoque impetraret, vt quotidie, antequam ad scholas, & Magistros se conferrent, Coronulam Marianam recitarent coram sancta imagine Deiparæ in suo cubiculo constituta. Contigit ergo aliquando, vt paruis illis eius liberis, in ponte (vt fit) incautè deambulantibus, ex ipsis vnus quispiam miser in flumen laberetur. Simulac infortuniũ illud subaudijt Mater; mox mox ad Deiparam aduolat; & oculis in cœlum erectis, & in torrente lachrymarum natantibus, O vera Dei Mater (inquit) spes afflictorum ordinaria: eheu! Si sic visum pietati tuæ, miseram hanc prolem meam his vndis eripe, & afflictissimæ matri suæ eam redde: veruntamen *fiat voluntas tua*, & semel, non amplius recitata, quam potuit religiosissimè Angelica salutatione, ad flumen auolauit, vbi ingentem populi turbam studio succurrendi, & extrahendi pueruli, iam (vt videbatur) aut aquis præfocati, aut iam iam suffocandi, reperit concurrisse: & ecce, vt ad pontem peruenerat; cœpit filiolus eius apparere, ex profundo emergere, supernatare, ac matrem inclamare. Itaque illa vix sui compos præ gaudio, & ipsa exclamare cœpit, *Animosè, corculum meum, animosè MARIÆ Virginis opem tibi implora.* Interim sanum, & salutum illum homunculum turba expiscatur, magnoque plausu omnium extractus, ad matrem refertur, quæ cùm arctè complexa, & lachrymans, sic affata est. *Ah! fili mi, non hominibus, aut piscatoribus istis debes salutem istã.* Non verè (respõdit ille ocyus,) *non, mater mea, non, sed illi pulchræ Heroinæ, coronam cuius imagine nos quotidie Rosariolum recitare docuisti, & planè voluisti:* ac tũ latiùs ei enarrauit, vt se, vix bene prolapsum è ponte, Diua illa mox in sinum excepisset, &, aduersus vndas hiantes, iamque, iamque se absorpturas, defendisset. Circunstans corona his attonita, cœpit Deum, almamque eius matrem, multis laudibus concelebrare, quàm viderant adeò paratam succurrere, & opem ferre clientulis suis, eiusque præsidium ex animo, & religiosè implorantibus.

** Gallicè à Pauie.*

Matt. 6

De singulari, & excellentissima Sancti Rosarij deuotione.

Seruulis, & ancillis liberaliter, & ex fide seruientibus vnicum hoc studium est, vt toto pectore, & ingenuè heris suis seruiãt eosque honorent, nouaque quotidie reuerentię, & obsequij genera dormientes vigilantes somniant, atque excogitant, vt eorum animos sibi concilient, eosque ad paria in se studia, ac beneficia vicissim prouocent. Rex Propheta sic in quodam psalmo olim canebat: *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:* quasi diceret: vt Ancilla sedula, indefessè Dominam suam in oculis habet, vt notet, vel nutus, nictationes, ictusque oculorum eius, vt quàm citissimè imperijs eius votisque pareat, iustoque honore afficiat: sic & nos Domine Deus, oculis ad te erectis stamus, paratissimi, more seruulorum, & merorum mancipiorũ, sanctis legibus tuis parere, & iussa tua omnia dicto citius exequi. *Psal. 122*

Quandoquidem ergo, gratia & singulari Dei beneficio, Christiani nati, & renati sumus, serui Dei, & glorioſæ eius parẽtis Virginis clientuli: obnixissimè conemur, vt nullum non obsequiorum honorumque genus, quibus eos delectari, vel tenuiter suspicabimur, ipsis liberaliter, ac spontè exhibeamus. Iam antea profectò insignia quæda, & notatu complexuque digna obsequia videor mihi produxisse; sed libet præterea vnum aliquod proponere, cui facile cætera omnia (quamlibet alioqui excellant) merito longissimè cedũt, ac pretio. Est ipsa Rosarij religio, ac pietas, res adeò nunc famosa, & omni commẽdatione digna, cui Scriptores nostri omnes, etiam eloquentissimi quique, multo plus laudis, & præconiorum debent, quàm aut hactenus ei exhibuerint, aut vnquam in posterum exhibere ei poterunt, vt toti in hoc sint, aut fuerint.

Non temerè, nec sine magno mysterio, factum est, vt fideles vniuersim omnes lætum, & suaue Rosarij nomen illi tribuerint. Vt enim hortus rosis alijsque plurimis floribus, pictus, & variegatus, spectatorum suorum oculos animosque recreat: sic sanctissimum Rosarium grata illa varietate, ac multitudine orationum Dominicarum, & Angelicarum intertextarum, quibus, quasi pulcherrimis, & suauè olentibus rosis constat, miram adfert voluptatem animis, illud recitantium, qua par est attentione, ac reuerentia.

Præterea, *Sertum*, seu *Corona*, vocatur, quòd quemadmodum corona ex varijs floribus contexta, cuiuscũque capiti imponatur, eidem miram confert gratiam, egregieque exornat, ita qui scitè Rosarium recitat, coronam sibi texit ex meris rosis cælestibus, & alteram gaudij, ac lætitiæ, quàm glorioso Heræ suæ capiti religiosè imponat. *Rosariũ*

rum

rursus ideò appellant; quod quemadmodum rosa è spinis nascitur, ibique pura, & illæsa seruatur: sic salutis Angelicæ toties, & quasi molestæ ibi repetitæ recitatione, virgineam Deiparæ castitatem nobis in mentem reuocamus, quæ quamquam ex parentibus peccatoribus (vt homines nobiscum erant) nata sit, & in hoc mundo, vectigali perpetuo, ac tributario peccati, tot annos inter mortales vixerit: vixit tamen semper intacta Virgo, & præstitit incontaminata, expersque peccati cuiuscunque. *Rosarij* quoque nomen hinc accepit à Rosa; quod sicut rosa florum regina est, floresque omnes, & pulchritudine, & odoris suauitate longè antecellit, cùm (teste Plinio) flos nullus boni odoris fragrantiam tam longè lateque quàm ipsa rosa, diffundat: ità hæc celebratissima nunc Rosarij pietas, ac deuotio, cæteris omnibus antefertur, miramque suauitatem odoris longissimè exhalat, etiam ad Barbarorum vsque toto orbe remotissimorum regiones peruagantem. Ægrè vsquam Vrbem vllam, Prouinciam, aut Regnum inuenias, in qua non Phratria aliqua, aut Ara erecta sit laudatæ huius religionis, studio honorandæ huius Heroinæ, quam sursum in cœlo sol radiosissimus, & plusquam meridianus circumuestit: *(mulier amicta sole.)* Deinde, hæc *Rosarij* pietas à nostris Pontificibus Maximis, tot thesauris, pretij non facilè æstimandi, locupletata est, vt propè nullus toto anno circuli dies illucescat, quo non liceat Christi fidelibus Occeanum (vt sic dicam) Indulgentiarum, & remissionum pœnarum temporalium peccatis suis debitarum, promereri. Hoc tantum bonum B. Patriarchæ Dominico, vt Roma Romulo sui fundationem, debemus Christiani, cuius in primis studio institutum fuit, alijsque nonnullis Patribus sanctis ordinis illius amplissimi, qui reuelante ipsissima Virgine gloriosa doctis suis ad populos concionibus, mirè, & cum iusta pompa Ecclesiastica, ex ruinis suis obliuioneque cui illud hostis virtutum omnium iuratissimi astutia propè æternum addixerat, excitarunt. Et quidem hoc sacrum Rosarij mysterium, non à solis mortalibus apparatu sumptuosissimo, & Maiestate plena reuerentiæ hic in terra celebratur; verum etiam ab Angelis ipsis in Cœlo ipso, vti ex visione sequenti discere est, quam narrant Authores duo graues, Lanspergius scilicet Carthusianus, in aureo illo suo de Hymnis libro; & nominatissimus ille Abbas Lætiensis, Ludouicus Blosius, in speculo suo spirituali. Aiunt illi, Priori cuidam Carthusiæ * Treuirensis, magno seruo Dei, per quàm diù in religiosa

Apo. 12.

** De Treuieris ait inter pres Gal.*

A Rosarij recitatione versato, aliquando contigisse vt extasin pateretur (quod persæpe illi accidebat) vidisseque tunc mentis oculis beatissimos Cœlites incredibili alacritate laudantes IESVM Christum Dominum nostrum, necnon sanctissimam eius matrem, vsu sacrorum illorum mysteriorum, quæ Rosario continentur, vnaque suppliciter commendantes Deo mortales illos omnes quotquot consuescent hic in terra, se in stadio, ac studio huius pietatis, exercere. Præterea; diuinitùs, & reuelante Deo didicisse certo confore, vt qui dignè in huius pietatis studio versabuntur. Virginis intercessione, plenam peccatorum suorum indulgentiam hic consequantur; aliaque plura beneficia priua, B & singularia; in cœlo autem innumeras laureolas locupletes, & solidæ gloriæ velut superpondia. Hinc animo consequi licet, quanta sit S. Rosarij excellentia; quamque acceptam, & gratam cùm Dominus ipse noster eiusque beatissima Mater, tum cœlites Aulici eius omnes illius oblationem habeant.

Igitur omni studio contendamus, vt quà decet religione, & reuerentia, illud recitemus, sicque aliquandò metamus inæstimabiles thesauros illos, qui in ipso abditi continentur.

Constat Rosarium decadibus quindecim, id est quindecim orationibus Dominicis; salutationibus verò Angelicis centum quin- C quaginta; potestque in tres partes diuidi, magno nostro commodo, & laude, quòd beatæ Virgini gratius sit, partem illius pensi duntaxat vnam ritè, & attentè illi offerri, quam totam massam vno quidem spiritu, ac tenore, sed cum tædio, & varijs mentis in diuersa distractæ, & agitatæ erroribus. Fas etiam iusq; est in qualibet eius portione recitanda, versari in meditatione mysteriorum ad eam pertinentium; verbi causa, dum prior pars recitatur, profuerit repetere animo mysteria quinquæ lætissima, & plurimæ iucunditatis. *Primà* decade, veniet in mentem honorifica legatio, & dicta Virgini salus ab Angelo valdè reuerenter, necnon beatæ Verbi diuini in virgineo eius ventre con- D ceptio, opera Spiritus Sancti. *Altera*, visitatio illa officiosa, & plena charitatis, qua Elizabetam cognatam suam honorauit, in qua multa edidit meritorum, & amplitudinis gratiæque apud Deum suæ testimonia. *Tertia*, Saluatoris nostri natiuitas in misero desertoque stabulo, omni prorsus auxilio solatioque humano destituti, sed ab Angelis, qua decuit adorationis magnificentia, plausuque excepti. *Quarta* Præsentatio pueruli IESV in templo à Matre facta, in sinum Iusti senis Simeonis, qui vnà cum Anna, & ipsa vetula religiosissima, ac Prohetissa, de futuris oblati pusiunculi magnalibus, atque amplitu-

plitudine vaticinati sunt. *Quinta*, memoriam refricabit IESV duodennis triduum perditi, eiusdemque post mœstissimæ Matris Virginis diligentissimè inquirendi laborem varium, & permolestum, tandem in templo reperti, in medio Doctorum disputantis, summa cum auditorum omnium admiratione *super prudentia, & responsis eius*, tam præconibus, & annos longè anticipantibus. Sensus præuenerat annos. *Altera* etiam Rosarij pars, dum recitatur, cohonestanda est singulis Decadibus, alicuius mysterij veterum dolorum, & angustiarum Christi meditatione sympathica. *Prima* decas, in mentem reuocet orationem illam, qua in monte Oliuarum, in horto, Dominus noster calicis sui amarissimi epotationem apud Patrem deprecatus est, tanto agone, tam anxiè, & tam dolenter, vt ex eius corpore vndique toto, non visitatus ille aquæ sudor, sed sanguis merus, ac verus vbertim eruperit, satis ad terram circumcircà tepefaciendam; adeò, vt nisi Diuinitas Humanitatem flaccescentem, ac labentem sustentasset, sub tantæ afflictionis pondere succumbens Dominus noster fuerit animam efflaturus. *Altera*, admonebit plagosæ illius, & plusquam Orbilianæ in Scholis, aut seruilis, in stabulis nobilium, Flagellationis Christi, quæ adeò aspera, mordax, & immanis fuit, vt vastum sanguinis flumen (si sic loqui licet) ex corpore eius Virgineo, & omni rosa delicatiore, hauserit, peneque vitam eius exhauriret, ac *spiritum ebiberet. Tertia*, commemorabit acerbissimam regij capitis Christi coronationem, quòd iam ictibus plane liuidum, imò & tuber totum erat; adde & prophanatum, sputisque teterrimis horridum; coronationem (inquam) non è rosis Præstanis, mollibus, & suauè olentibus, sed è spinis rigentibus, & acutissimis, ac fortè meris rhamnis contortis, quæ tantùm sanguinis ex sacro illo Dei vertice expressêrunt, vt facies tota deformiter rubricaretur, vestes patientis, adeoque ipsum Prætorij pauimentum purpurarentur, ac nonnunquam in ipsos, vsque tortores, & spectatores, ac tantæ barbariæ particeps, erumperet,

Luc. 2. Quid nu merasanos? vixi matu rior annis.

Eleg. ad L. Augustam.

Iob 6.

Ouidius lib 4. Met.

Non aliter, quàm, cum vitiato fistula plumbo
Scinditur, & tenui stridente foramine, longas
Eiaculatur aquas, atque ictibus aera rumpit.

Quarta, repræsentabit laboriosissimam nodosæ, inelaboratæ, indedolatæque, & ponderosissimæ, Crucis gestationem, ad montem, vsque Caluariæ, sub quo immani onere sæpè gemere, & in terram ruere, & ruendo, debili corpus totum permolere, dulcis Saluator noster cogebatur. *Quinta*, Crucifixionem eiusdem oculis obijciet, rem tantæ immanitatis, vt nullius tantum fit ingenij flumen, nulla dicendi, aut scribendi, tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam dignè eam detestari, sed nec satis exprimere, quamlibet nudè possit, vtpote, quæ non ab Angelis, magis quàm ab hominibus, queat cogitatione comprehendi.

Eodem planè modo, cùm ad tertiam Rosarij partem recitandam ventum erit, decebit mysteria alia quinque ad Christi IESV gloriam pertinentia, in mentem reuocari, quæ sint, gloriosa seruatoris nostri Resurrectio; eiusdem Ascensus in cœlum; pompatica, & quouis triumpho glorioſior B. Deiparæ in cœlum Assumptio; sacra eiusdem Coronatio, ac denique eiusdem in Dominam, ac Reginam cœli, ac terræ, cum amplissima plenitudine potestatis, Inauguratio, & (vt nostri loquuntur) Inuestitio.

Notandum est tamen, non omninò necessarium esse, ad iustam mesem, & fructum, qui ex recitatione Rosarij speratur, plena manu consequendum, his mysteriorum meditationibus, quas mox proponebam, per singula suo ordine immorari, & quasi ad scopulum angi, cùm satis sit, vnum aut alterum è tam multis deligi, quòd primum, aut gratissimum in mentem venerit, ipsumque interim animo versari, dum Rosarium recitabitur. Fas etiam est (sensu Doctoris Nauarri) vocaliter illud recitare, id est, Dominicam orationem, atque Angelicam salutationem ore pronuntiare, nulla facta superius dictorum meditatione, dum tamen, anima ad verba, aut ipsorum sensa, & significata, adtentus sit.

Rem magis adspiciunt, quàm vocem Numina Cœli.

Ioan. Despaus. in Syntaxi, pag. mihi 28.

Cæterum, vt rudiores crassoque sub aëre nati, & minus perfecti, etiam fructuum admirandæ huius studij pietatis participes fiant, necessarium est, recitaturi Rosarium, antequam ordiantur, animo fingant, Virginem se intueri, ea specie, seu aliquo trium illorum modorum, quibus vsitatius à Pictoribus solet in tabulis, aut statuis repræsentari; nempè, aut orantis specie in cellula sua, & legationem diuinam, ac beata nuntia, post salutationem præmissam, ab Angelo attentè audientis; aut si sic malit, gestantis in sinu IESVM adhuc lallantem, & lactentem, eumque arctè complectentis, & basiolis pressis, ac mordentibus iterumque, iterumque, vt

chariſsimum filiolum primogenitum, vnigenitumque preſſulè diſſuauiantis, eique perquam reuerenter, vt Deo, ac vero Domino ſuo, ancillantis, & liberaliter optata omnia pro virili miniſtrantis: aut denique, ſi poſsint hoc quoque, regnantis habitu, & in cœlo gloria vndique radiantis dignantiſque; imò verò etiam geſtientis, ac ſibi placentis, in precum noſtrarum exauditione, & honorum, quibus eam proſequimur acceptione. Hic orandi modus excellit, mihique valdè probatur, vt nulli non ſexui conditionique hominum conuenit. Iſque idem ille ipſe eſt, quo eximius Doctor Nauarrus, octogenario iam maior, vſus eſt, vt laudatiſsimo, non modo cùm Roſarium recitaret; ſed etiam quandocunque ei orare contingeret, ſemper mente concipiendo, antequam ad rem veniret, obiecti amplitudinem, & ſpectabilem præſentiam. Hæc ars confirmandæ attentionis facilis eſt, animi recreatrix, & plena religionis: mentem in gradu ſuo immotam tenet, memoriam collectam, & ad rem, ac pronuntiata vigilantem; ſed & viam latè aperit, ac ſternit animis noſtris, ad magnam cum Deo, beataque eius Matre, familiaritatem ineundam. Et profectò officij noſtri eſſet, eidem imprimis ſtudere, in eiuſque præ cæteris exercitatione verſari, ac ſic prope diem magnos in via Dei progreſſus faceremus, & in cœlo theſaurizaremus, ac reconderemus diuitias, quibus beari animus noſter æternum poſſet. Libet his aſſuere rem ſanè admirandam, vnde planè intelligatur, quale quantumque, ſit operæ in Roſarij recitatione poſitæ pretium, & quàm commodum, atque vtile ſit Phratriæ deuotæ Roſarij nomen dare, eique inſeri; quàm rem totam hauſi ex libello, cui titulus, *Roſarium Dominæ noſtræ*.

Quo tempore magnus ille magni, & docti in Eccleſia Ordinis, quaſi Romulus, & fundator Sanctus Dominicus, verè vir Dei, ac Domini noſtri, munus concionatoris obibat in Regno Aragonæ, * *Damiſella* quædam adhuc adoleſcentula, ætate integra, nomine Alexandra, illum quodam die, à concione redeuntem, in qua is diligentiſsimè, de omnibus penè Roſarij laudibus perorarat, orauit, vt ſe Phratriæ Roſarij ſororem conſcriberet. Conſcripta mox fuit illa certè, & inſita Reipubl. illi Marianæ ciuis, & malum, dum antiquo ſuo more comitur, dum pectitur, & annus abit ornando corpore, cadauere, & cibo vermium mox futuro, otium ſæpè deerat penſo precum, quas Deo vouerat, perſoluendo, præcipuo licet animæ eius ornamento. Fortè fortuna (vt fit) duo tunc adoleſcentuli valde nobiles, eius amatores, furijs amoris rivalem, non patientis agitati, alter alterum, ad Monomachiam, ſeu ſingulare certamen prouocarunt, & mox egreſsi in arenam ſeptumque duello conſtitutum, ambo, alter in alterius ſanguine, vulneribus mutuis ibidem mactati conciderunt, terramque ore momorderunt. Interfectorum parentes infortunij, tam miſerabilis admoniti, non neſcij, liberos ſuos cœco Domiſellæ illius amore agitatos, ſic vitas animaſque vna ſuas peraidiſſe, ad eam concorditer venerunt, & alternatim certatimque.

Nunc dextra ingeminant ictus, nunc ille ſiniſtra,
Nec mora, nec requies, quàm multa grandine nimbi *Virgil. lib. 5. Æneid.*
Culminibus crepitant, ſic denſis ictibus Heros
Creber vterque manu pulſant, verſantque puellam,
Iactantemque vtroque caput, craſſumque cruorem
Ore reiectantem, miſtoſque in ſanguine dentes;

Eunque ipſa inclamando, ab eis expoſceret ius ſpatiumque faciendæ Confeſsionis peccatorum; ipſi contra ne forte proderentur, eam obtruncarunt, & capite mox in puteum iniecto, varie diffugerunt. Sed Domina noſtra (vt ſemper ſolicita eſt clientulorum imprimis ſuorum, etiam quamlibet lentorum, & tepidorum) S. Dominico Tragœdiam, illam totam barbariſsimam detexit, qui pauculis poſt diebus, vt Virginis imperijs obſequens eſſet, ad puteum venit, & ecce, illo ibique nomine inclamante Alexandram ſuam, (mirabile dictu) coram multis ibi circumſtantibus, qui eo tum confluxerant: caput illud Alexandræ ſic auulſum à corpore, ex puteo ſenſim extractum eſt ab Angelis, & loricæ, ſeu margini putei illarum affixum, quòd repentè Sanctum Dominicum, per ſacra omnia orauit, vt dignaretur oculiſsimè Confeſsionis ſuæ fieri auditor, & ampliſsimæ abſolutionis eſſe largitor, gratiaſque illi egit, quàm potuit maximas, eo nomine maximè, quòd eam Phratriæ ſancti Roſarij ſororem conſcripſiſſet. Audijt S. Pater, & abſoluit: ſciſcitans autem, tum tandem pius Pater, ecquid verò ab ipſo obtruncationis tempore, ipſi accidiſſet? reſponſum trifarium ab ea accepit notatu certè digniſsimum. Vnum, ſe, meritis Phratriarum Sancti Roſarij toto, quàm latè patet orbe ſparſarum, in ipſo ſuæ mortis articulo, perfectæ contritionis gratiam diuinitus accepiſſe, abſque qua haud dubiè pœnis æternis fuiſſet deſtinata. Alterum, quòd, ſimulac caput ab humeris reuulſum fuerat, Dæmones eam vehementer per-

* *Ioan. Textor vtitur hac voce.*

perterruissent minis suis pluſquam Aacidanis, & horrendorum ſpectrorum, & velut manducorum, apparitionibus; defensam tamen, ac tutam fuisse, gloriosæ Matris Dei præsidio. Tertium, flammis purgatorijs ad ducentos annos addictam se fuisse, quòd duorum illorum nobilium adoleſcentium, amatorum suorum, mutuæ cædi causam dedisset: & ad alios quingentos, quòd luxu vestium, & vanis colendi ornandique corporis sui artibus, animabus plusculis ansam pereundi præbuisset: sperare se tamen, propediem liberatum iri, orationibus, ac meritis Fratrum, ac Sororum Phratriæ sancti Rosarij conscriptorum. His dictis, & postquam biduum ad FF. conscriptorum consolationem, vixisset, caput ad corpus redijt, atque adhæsit, ac sic anima ex vtroque egressa, Alexandra honorificè in sepulchrum illata est. Quintodecimo post die, visa est. Sancti Dominico, amicta veste splendida, & stellata, pulchrior, & micantior Lucifero, seu stella illa matutina, etiam diei cuiuscunque lucidissimi, ac serenissimi, & post aliquot vrbanas, ac pias gratiarum actiones, de tot tantisque eius in se beneficijs, duobus verbis, non pluribus vsa est, sed quibus laudes religion vsus Rosarij vberrimas, atque amplissimas complexa est. Vno dicebat se ab animabus in carcere purgatorio, adhuc dum vinctis, missam cum Legatæ potestate, quæ vno ore omnes, magna submissione animi, Dominico supplicabant, eas vt Phratriæ Rosarij accenſere, & conscribere dignaretur, vt consortes cum viuis fierent meritorum Congregationis illius. Altero, Angelos vehementer illa Fraternitate delectari, Deumque ipsum iactare, se illius Patrem esse, & velut Mecænatem; Beatissimam verò Virginem, Matrem, & his dictis gloriosè in cœlum euolasse.

Vel hoc exemplo solo oporteat nos omnes omnino animari, ad danda nomina illi Rosarij societati, & studio plenioris participationis fructuum inde exuberantium, ad totum recitandum, vel semel hebdomadatim. Quòd si quisquam fortè adeò delicatulus Virginis MARIÆ miles est, vt nolit eam tantam vocalium orationum farcinam recitandæ Coronæ, ac simul Rosarij, ceu loricam ad armaturam nimis grauem, subire humeris; saltem alterutrum recitet, eligat, quo erit animus propensior, aut quod ei sua conditio, & persona quam sustinet, permiserint. Præterea, meminerit, vt in fine decadis cuiusque, seu Corollæ, seu Rosarij, profunda reuerentia vtatur, humi procumbens in genua sic, aut vocaliter, aut mentaliter affando Deiparam: Adoro te Mater Dei sanctissima, Angeli Diuique omnes misse, ac mille benedictiones tibi impartiant, cum quibus spero confore, te bene fauente, Deique mei gratia adspirante, vt propediem te laudem, benedicam, atque adorem in cœlo, in sæcula sæculorum. Minutula ista pietas, magno animi vigore confecta, animum fixum immotumque tenebit in oratione, ac Coronullæ, aut Rosarij recitatione, atque implebit suauitate, & amore in Beatam Virginem, quàm aueo, & voueo semper miseris peccatoribus patrocinari, *nunc & in hora mortis nostræ.*

De duodecim illis adorationibus celeberrimis, vsurpandis in memoriam dignitatum, ac priuilegiorum B. Virginis diuinitus concessorum, quorum figura est corona illa stellarum duodecim, sanctum eius caput ambiens.

Beatus Euangelista S. Ioannes, in præcelsis illis, ac diuinis visionibus Apocalypsis suæ, vidit aliquando mulierem longè speciosissimam, *amictam Sole, Luna sub pedibus* eius stante, *& in capite eius coronam stellarum duodecim*, miri gratissimique splendoris, Sancti Præceptores, & Doctores nostri, dum in huius mysterij explicatione versantur, affirmant, mulierem istam esse ipsam Reginam cœlorum, totam pulchram, & splendentem fulgore inusitato gloriæ, ac Maiestatis. *Luna sub pedibus eius* esse dicitur, quòd in ea terrenum nihil est, sed tota in Deum rapta, non vel nauci faciens, ac pedibus generosè proculcans corporata ista omnia, ac subiunaria. *Amicta sole est*, id est, dum hic inter mortales vixit, ardentissimi amoris Dei flammæ, velut vestes quædam, eius pectus corpusque semper ambierunt. Aut verò dicamus, *Solem*, illum, quo *amicta* dicitur, esse Verbum æternum, Solem Iustitiæ Dominum nostrum IESVM Christum, quòd cum vtero eius virgineo gestaretur, non animam eius solùm tanto splendore implebat, sed etiam corpus vniuersum à plantæ pedis, vsque ad verticem, * *vt Ioseph vir eius* (vt refert Sanctus Bernardus) *nunquam ausus fuerit, sed nec potuerit quidem, fixis irrepercussisque oculis* (*multo minus, quàm lucentem hunc Cœli globum*) *quamdiu vterum gestarit, intuerit.* Possumus præterea *sole amictam* illam dicere, ab amplitudine illa gloriæ, quàm in cœlis adepta est, cuius splendore mansiones Paradisi omnes illustrantur, incolæque eius omnes incredibiliter recreantur.

Apoc. 12.

* Vt vertò ex Gallic.

Stellæ illæ *duodecim* coronam constituétes, qua sacrum eius caput cingitur, non aliud indicant, quàm dignitates illas duodecim, cæteras omnes supereminentes, quibus Deus Optim. Maxim. eam sic nobilitauit, vt amplitudine, excellentia, nobilitate, Monarchas orbis huius omnes, adeoque ipsas Hierarchias cœli Seraphicas supergrediatur. Vel ipsa re suis tam admirandis prærogatiuis, laudat, magnificat, & immortalibus gratiarum actionibus celebrat Dominum Deum, ipsarum prodigum largitorem, in suo illo insigni Cantico: *Magnificat anima mea Dominũ, &c.* inquit, *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen eius.* *Magna* ait, nec indicat tamen, quæ sint illa, quòd gratiæ illæ dona, & priuilegia, in ipsam potenti manu Dei globatim congesta, nec animis capi, nec verbis illis, aut scriptis possint explicari. Sed quanquam fatemur, dignitates huic Beatæ Virgini concessas: esse & multitudine, & amplitudine infinitas, adeoque prorsus inenarrabiles; dabimus tamen omnem operam, vt ad numerum stellarum, antè dictarum duodecim cogamus, & velut includamus. Agedum ergo, incipiamus de ijs, vt licebit balbutire.

Luc. 1.

Stellæ primæ declaratio.

Stella prima, aut (si sic malumus) prima dignitas, quę amplissimam Dominam nostram adeò excellenter exornat, est æterna ipsius, ac singularis prædestinatio. Nam *antequam formaretur terra, & orbis: antequam quicquam faceret à principio, &,* velante omnia sæcula, diuinitus electa est, ac prædestinata sanctificationi, gratiæ plenitudini, & summo donorum cœlestium cumulo, vt his ornamentis iam aucta, aptior foret Verbi æterni conceptioni. Huius prædestinationis ipsius meminit Ecclesia, cùm hæc verba illi accommodat: *Dominus possedit me, in initio viarum suarum, &c.* Et isthæc, *Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c.* Sanctus Bernardinus noster de Virginis Prædestinatione agens, ipsamque alloquens, ait: * *In mente diuina prædestinata fuisti ante omnem creaturam, vt fieres ipsius Dei Mater.* Hæc est stella illa prima, qua caput Reginæ Angelorum ornatur, sed notandum est, id Deo ipsi esse velut iampridem præteritum, quòd nobis futurum, ac præsens est. Hinc Sanctus Paulus tractans de prædestinatione Dei, quidquid natura sua, adhuc dum futurum erat, ac gerendum, sic describit, velut iam factum, ac pręteritum: *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos, & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.*

Prou. 8

Prou. 8

Eccl. 24

* Vt verto ex Gallis.

Rom. 8.

A

Igitur cum Sancta hæc Virgo semper in oculis Dei versata sit, vt charissimum diuini amoris sui obiectum suo, quodam iure potuit, in has voces erumpere, sibique tribuere: *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Simulac Angelis datum est esse; statim oculis in splendidissimum, illud mentis diuinæ speculum conuersis, viderunt almam hanc adolescentulam multò fortunatissimam, eiusque amplitudines, & excellentias, quibus esset tandem potitura. Eccui dubium esse possit, quin inter speciosas illas ideas, & similitudines rerum, iam tum Angelis diuinitus infusas, idea hæc Virginis fuerit omnium charissima, cùm illa Humanitatis IESV Christi, quàm ex ea nascituram clarissimè peruidebant? O! vt tum gestiebant, ac tantum non tripudiabant beati illi spiritus, cùm in contemplatione, tam optati, ac sublimis mysterij instaurationis mortalium aliquando tandem peragendæ Virginis interuentu, versabantur! *Vbi eras cùm me laudarent, simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* ait Sapientia Dei, ex beata hac Virgine nata, & incarnata.

Eccl. 24

B

Iob 38.

Cùm igitur singulari prædestinatione electa fuerit, & prælata omni creaturæ; oportuit consequenter profectò, omnes creaturas virtute, & excellentia illi multum cedere. Nam omni dubio procul, vt eo honoris prouecta est, quo maiorem creatura, nulla possit adipisci; sic illi tantum gratiæ, ac sanctitatis diuinitus collatum est, quo maior non potest meræ creaturæ conferri: omnigena scilicet gratia ornata est, quæcunque necessaria visa est, vt digna capaxque redderetur, quæ fieret tandem Mater ipsius Dei, qui in eam vnam plura, ac manifestiora Potentiæ suæ, Sapientiæ, ac Bonitatis infinitæ argumenta coegit, & globatim congessit, quàm in reliquas, simul omnes alias, vbi vbi sint, creaturas. Si quis oculis tam Lynceis, ac perspicacibus esset, vt posset elegantias perfectiones, ac dotes omnes, quibus anima Virginis summis, & immensis fulgebat, intueri, & prorsus penetrare, miraretur profectò magis magnalia Dei, in vno hoc opusculo, tã perfecto, quàm in admirabili totius magni huius Vniuersi structura, quòd nõ tantũ magnificẽtię, liberalitatis, ac potentiæ condendo illo ostentare, quàm tũ in ritè absoluenda, & ad vnguem perpoliẽda, sanctæ huius, ac Beatæ Virginis fabrica.

C

D

* *Sæpius in libro moratur Persius vno,*
Quàm leuis in tota Marsus Amazonide.

Vnicum sed Leone ait prou.

* Martial. lib. 4. Epig. 29.

Stellæ

Stellæ alterius declaratio,

II.

ALTERA ſtella, quæ Dominæ noſtræ chariſsimæ magno ornamento eſt, vocatur dignitas Sanctificationis, ſiue Conceptionis, per quam factum, vt cùm anima eius ſanctiſsima cœpit corpus ipſius animare, & velut connubio quodam copulari, ne minima quidem peccati originalis macula contaminata eſt. Nam Deipara in ipſo ipſiſsimo Conceptionis ſuæ inſtanti (vt ſcholæ loquuntur) ampliore gratiæ cumulo dotata eſt, quàm antea vmquam, aut poſteà creatura quæcunque, ſeu cœleſtis, ſeu terreſtris, & humana, quamcunque tandem Sanctitatis menſuram ea diuinitus acceperit. Nam diuina hæc Infans puellula adhucdum in ipſis vteri materni penetralibus iacens, cœpit rectæ rationis opera iam tum exercere, ipſaque facultate iam vti adeò magnificè, vt ex omni Sanctorum choro, nemo, non vel ætate adulta, plenius, aut magnificentius, amando, ac contemplando Deum Creatorem ſuum gradu eminentiore, quàm homines Angelique ſimul vniuerſi. Oportebat quidem (vt videtur) rigido iure, qua ſcilicet filia Adami erat, & ipſa, viaque naturali trita, & omnibus communi, concepta, tam quoque ſordibus peruulgatis peccati originalis intingi, atque inſici; necnon incidere in defectus inde inſtar corollarij oriundos: ſed tamen, diuinæ gratiæ redundantia præoccupata, ne leuiſsimè quidem ab illo tingi, aut obfuſcari potuit, præelecta ſcilicet ab æterno Mater Dei; & priuilegio pluſquam Cæſareo, & maximè ſingulari, exempta oneribus, & grauaminibus, in quæ vulgò præcipitati æquè omnes mortales ſumus, vna Adami protoparentis noſtri perduellione, atque inobedientia, quod ſic deceret tanti filij dignitatem, taliſque Matris excellentiam, quod & hoc modo factum eſt. Quo inſtanti Deus Optimus Maximus Beatiſsimæ Virginis animam creabat, atque in exile hoc corpuſculum, in (viſceribus S. Matris eius Annæ iam maturum, & animabile, creando infundebat; eodem ipſo, eam diuinæ ſuæ gratiæ opibus impleuit, quæ ei pro aſylo fuit, aduerſus naturalia peccati communis contagia; adeò, vt nullo iure vnquam in dæmonis venerit poteſtatem. Velle autem, vel verbis eloqui, vel animo concipere, quæ fuerit menſura gratię illi collatæ, ſimulac Mater Anna eam concepit, & ſe corpori eius anima permiſcuit, & perſonauit; id non opis eſt noſtræ, nec virium duntaxat mearum (quæ quam ſint exiguæ, ſatis ſentio) ſed ne quidem creaturæ (nec mea vana fides, vt arbitror) alterius cuiuſcunque. Nam apud Deum, non, vt vna filiarum Adæ, & in catalogo cæterarum conſcripta, habebatur peccatrix, perduellis, & hoſtis; ha minimè gentium, ſed vt electa ex omni fœmineo ſexu vna, quæ Mater ſua tandem in *plenitudine temporis* fieret; ſuppleret, quidquid nobis deeſſet; & pedibus *contereret caput*, faſtoque ſerpentis Infernatis. Et ſi cœlum empyreum, ſeu ignitum ideò clarius micat, & puritate nobilitateque ſubſtantiæ ſuæ reliquis cœlis (vt ignis cæteris elementis) antecellit, quoniam in ipſo, velut in theatro commodo, ſublimis illa actio Viſionis Dei exercenda eſt; veſtram fidem! qualem (quæſo) decuit eſſe eam Virginem, quæ ipſi Deo in iuſtum hoſpitium, ac dignum palatium deſtinabatur; & in qua imò, & ex qua, Verbum æternum homo confieri, & Humanitatem noſtram quidam quaſi Matrimonij ſtabiliſsimi, & æterni vinculo ſibi copulare geſtiebat? Et quæ, aut quanta eſt illa (Deus bone) gloria toti miſero generi mortalium, vt mera, ac pura creatura hoc tantùm: vt Adami filia, communi naturæ ordine, id eſt, ex viro, & muliere concepta, & nata tanta gratia, & tam inſigni priuilegio, vna fuerit decorata, vt non ſolùm peccato originali, & actuali, præuentionis, ſeu anticipationis iure præcepta fuerit; ſed etiam ſimulac in vtero nata homo eſt, cœperit viuere vitam ſupercæleſtem, gratioſam, ac planè diuinam? Quantus inde miſeris peccatoribus confidentiæ ſtimulus (qui tamen ardeant deſiderio emergendi è luto peccatorum) quod ea aduocata potentiſsima vti poſsint, quæ de peccato adeò glorioſè triumpharit? Quę ipſis ſolatij ſeges, vt hęc Virgo, cùm ab ipſis inuocatur, actutum, velut Pallas quędam ſeſe armet, in armis ſtet pro ipſis, & prælio decertet, ne vnquam ipſos Inferni Tyrannus obprimat, vincat, vinciat, & ęternum mancipiorum inſtar pro libidine habeat? Neque vero homines ſoli, ſed Angeli quoque ipſi vehementer gloriantur, Reginam ſuam, & Regis ſui Matrem, tot dotibus coruſcare, totque priuilegijs circumſeptam eſſe, quibus cauſam dedit puriſsima iſta eius Conceptio? Hoc ipſum, eſt quod Sancto Vincentio Ferrarienſi hanc ſententiam extorſit, qua dixit; * *Quo inſtanti concepta fuit Virgo, eodem Hierarchias cœleſtes omnes vehementer in cœlo, vt feſtis maximis ſolet, iubilaſſe.* *Vt verto ex Gall.*

Galat. 4
Geneſ. 3

Stellæ tertiæ declaratio,

III.

STELLA tertia, seu dignitas, quæ ad coronæ Principalis Reginæ, ac Heræ nostræ contexturam concurrit, est eius Puritas virginalis, qua Spiritus Sanctus Sponsus eius, ipso Conceptionis instanti, eam decorauit. Si ante sancta iam tùm fuit, antequam nasceretur, & hanc communem lucem intueretur; quanta (putatis) puritate sanctitatis, reliquo toto vitæ tempore, coruscare debuit? *Tanta* puritas illius fuit, vt (Diui Anselmi sensu) *nulla maior sub Deo queat intelligi. Decuit* (ait Magnus ille Doctor) *Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Theodoreto placet, non vel Angelorum puritatem, puritati MARIÆ parem esse: quod elucidat in hæc verba Cantici Canticorum: *Sexaginta sunt Reginæ.* * *Inter animas mortalium cœlo cum beatis receptas* (inquit) *est instar columbæ electæ MARIA Mater, & Virgo, quæ meruit IESVM Christum generare, quæ dubio procul puritate Cherubinos, ac Seraphinos ipsos antecellit.* Virgo hæc beata eò sanctitatis pertigerat, ac puritatis, sicque affectibus suis imperitabat, vt nullus vmquam motus à recta rationis orbita deuius in eam irruperit, aut irrepserit, neque desiderium vllum illicitum, aut quod præter decorum officiumque esset, admiserit; sed nec denique in peccatum vllum quamlibet exile, ac veniabile vmquam prolapsa sit, vt vult Sacrosanctum Concilium Tridentinum: imò & credi inconcussa fide iubet, assentiente communi Doctorum omnium Ecclesiæ celebriorum sententia. Et certè, amor ille incomparabilis, quo virtutem illam Angelicam complectebatur, ei persuasit (quod docet idem Doctor Sanctus Anselmus) vt penè à cunis ipsis, ac crepundijs, virginitatis suæ florem Deo æternum consecraret, & licèt vix benè trimula, sancti tamen Templi repagulis se includeret; adeò vt dux, & princeps fuerit, & inuentrix prima sic colendæ raræ huius virtutis, quæ homines Angelis æquat, pares facit, imò fortiores. Ipsa omnium prima, & sine exemplo fuit, quæ votum virginitatis perpetuò colendæ sponte conceperit, ac Deo fidem huius dederit; prima strauit viam illam ante ignotam tot generosis pectoribus, quorum virginitate iam ornatur Ecclesia Dei, quæ idcirco hoc præclaro honoris titulo eam dignatur, vt *Virginem Virginum*, vulgò appellitet. Ac profectò necessarium plane erat, vt incredibili puritate excelleret, quo fieri mereretur hospita, adeoque hospitium, & Tabernaculum ipsum Spiritus Sancti, Mater Filij

Cant. 6. Vt verto ex Gall.

A Dei æterni, cœlorum lumen, & speculum omnigenæ puritatis, ac perfectionis.

Pretiosum hunc Virginitatis florem adeò deperibat Deipara nostra, vt ætate valdè tenera, parentibus suis valere iussis, & delicijs terrenis procul abditis, sanctæ communium, & temporariarum virginum societati, in abdito, & clauso Templi Dei loco degentium se se ipsa æterna virgo, mansura adiungeret, ibique ad annum ætatis quartumdecimum vsque vixerit, neque eam, nec inde, nec à voto reuellere vmquam potuerint, parentum prædia valdè luculenta, quorum interim hæredem eam fecerat plena orbitas; mortuo scilicet vtroque eius parente (qui in viuis esse desierant, B egregiè diuites, & honorati, anno ætatis ipsius circiter vndecimo.) Et vt nubilis, & matura viro iam fuit, sincerè, plenè, ac planè eos aspernata est maritos, qui cateruatim procabantur, eiusque nuptias ardentissimè affectabant, aiens, se conceptis verbis votum perpetuæ virginitatis emisisse (consentientibus, ac tantùm non sic volentibus æquè ambobus patre, & matre) paratamque esse, mille potiùs mortes dirissimas perpeti, quàm à voto semel emisso, vel latum vngem, non desiderio, ac ne quidem cogitatione, discedere.

Mihi vel tellus opem prius ima dehiscat,
C *Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,*
Vmbras pallentes Erebi, noctemque profundam,
Antè, pudor quam te violem, aut mea vota resoluam. *Virgil. 4 Æneï.*
Ille meos primus qui me sibi iunxit, amores
Abstulit: ille regat semper seruetque sepulchro.

Obstupefacti tanta nouitate Sacerdotes, ad preces recurrerunt, oraculumque diuinum consuluerunt, ecquid hic ipsis facto opus esset, quibus respondit Dominus, vt quot-
D quot tunc superstites essent, Ierosolymir Dauidici sanguinis reliquiæ masculæ, omnes velut ad comitia conuocarent, edicto facto MARIAM Virginem illius fore vxorem, cui illam sors ipsa decerneret.

Virgo quoque ipsa priuatim diuinitus edocta est, pareret liberè sacerdotum de se secreto; certò enim confore Dei ope, ac præsidio, vt Virginitas sua ex nuptijs nihil caperet detrimenti, sed puram illibatamque permansuram. Felix ergo illa sors tandem cecidit super S. Ioseph, Iudæum ex tribu Iuda, Bethlehemo oppidulo oriundum, arte fabrum lignarium, virum ætate maturum, virginè coniugijq; hactenus

ctenus neſcium, multis animi corporiſque dotibus inſignem; denique vno verbo, ſponſum ſponſa tali dignum; ac ſic MARIA Virgo, ætatis ſuæ tertio decimo ſemeſtri amplius, data eſt vxor marito, eiuſque cuſtodiæ tradita, eius vt deinceps curam gereret, quanta opus eſſet.

Stellæ quartæ declaratio, IV.

QVARTA ſtella, cæteris omnibus, & pulchritudine, & ſplendore ſupereminentior, eſt glorioſa Maternitas, ſeu gloria inde procedens, quod Mater Dei ſit * *quæ dignitas certè tanta eſt* (ait Sanctus Auguſtinus) *vt amplitudinem omnem mortalem, ſed & altitudinem, ac dignitatem quamlibet, quæ ſub Deo fingi, aut animo capi poſſit, tranſcendat.* * *Sapit aliquid infiniti* (vt tradit Sanctus Thomas) *quod ſummam habeat cum perſona infinita coniunctionem, eaque vna dignitas cogit nos* (ait ille) *excellentiori genere adorationis eam venerari, quàm aliam è Diuis illis creaturis, quamcumque: quod operatione ſua ad Diuinitatis confinia propius accedat.*

* *Vt vero ex Gall.*

* *Similiter.*

Sed, veſtram fidem! an non res eſt admodum ſtupenda, & mera puellula ſimilis nobis hoc tantum, in viſceribus ſuis geſtet, quem totus tremit orbis, & in breuiculo vreri ſui clauſtro eum totum, quantus quantus eſt, includat? vt

Quem terra Pontus æthera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Clauſtrum MARIÆ baiulet?
Cui Luna, Sol, & omnia
Deſeruiunt per tempora,
Perfuſa Cœli gratia
Geſtent puellæ viſcera?
Beata Mater munere,
Cuius ſupernus artifex
Mundum pugillo continens
Ventris ſub arca clauſus eſt!

Quibus pauculis, ſed illuſtribus quaterniun culis verſuum, egregiè profectò exprimit, Mater Eccleſia iſtam magnæ huius Dei Matris amplitudinem.

An non planè inuſitatum, & quod ipſam Naturam in ſtuporem mentiſque, vt ſic dicam, hebetudinem repere poſsit, vt eadem puellula ſit Mater, & Virgo vno eodemque tempore, & ſenſu (vt ſchola loquitur) compoſito? Vt eadem ſit Mater fœcunda, & Virgo impolluta? vt concipiat, pariatque, illæſa vndecunque virginitate? Vt filium habeat, qui in cœlo ſit in ſiuu Patris, in terra autem in ventriculo Matris? vt filius ille idem fuerit genitus ex Patre in cœlo ſine Matre; hic verò in terra, ex Matre ſine Patre? hic exclamat, ſcilicet ſtupens Magnus Origenes ad hæc verba, *Cùm eſſet deſponſata, &c. O magna* (inquit) *admirationis gratia! O inenarrabilis ſuauitas! O ineffabile magnumque Sacramentum! Ipſa eademque Virgo, ipſa, & Mater Domini, ipſa & genitrix, ipſa eius ancilla plaſmatio eius, ipſa quæ genuit. Quis vnquàm iſta audiuit? Quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater, Virgo eſſet, & intacta generaret, quæ & Virgo permanſit; & genuit? ſicut enim quandam rubus comburi videbatur: & ignis eum non tangebat: & ſicut tres pueri in camino ignis incluſi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis, vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluſo, clauſtris non apertis allatum eſt prandium ab Abacuc: ita & hæc Virgo ſancta genuit Deum, ſed intacta permanſit Mater effecta eſt, ſed virginitatem non amiſit. Genuit infantem, & vt dictum eſt, virgo permanſit. Virgo ergo genuit, & Virgo permanſit. Mater filij facta eſt, & caſtitatis ſigillum non perdidit. Quare? quia non homo iſte tantùm, qui videbatur, ſed vnigenitus erat Deus, qui in carne videbatur.* *Origen. tom. 3. hom. 1. in diuerſos prope initium.*

Et paulò ante. *Mater Dei vnigeniti Domini, & Regis omnium: plaſmatoris, & creatoris cunctorum. Illius, qui in excelſis ſine Matre: & in terra eſt ſine patre. Ipſius, qui in Cœlis ſecundùm Deitatem, in ſinu eſt Patris, & in terris ſecundùm corporis ſuſceptionem, in ſinu eſt Matris.* Sic ibi loquitur Origenes. Myſterium hoc adeò magnum eſt, & omni capacitate altius, vt vel Virgo ipſa, quanquam extraordinarijs Sancti Spiritus illuminationibus illuſtrata, vix ægreque capere tùm potuerit, cùm Angelus Dei de hac ipſa re decretus legatus eam affaretur de negotijs ſalutis noſtræ ſempiternæ, & diceret fieri poſſe, vt conciperet, pareretque; nulla tamen, vel tenuiſſima virginitatis eius iniuria; vnde & ab illo ita ſciſcitabatur: *Quomodo fiet iſtud: quoniam virum non cognoſco?* Angelus verò ipſe, velut tanti myſterij enucleandi incapacem ſe quoque obliquè confitens, ad Spiritus Sancti opem, velut ad ſacram ancoram, recurrit, dicens: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* O amplitudinem maternæ illius dignitatis, Angelis propemodum æquè hominibuſque ineffabilem! Sed eandem hanc maternam dignitatem, ſublimioribus honorum titulis, ac præconijs inſuper exaggeremus. *Lucæ 1.* *Lucæ 1.*

Adamus, simulac profundum illum soporem, quem illi Deus immiserat, vt interim ex vna costarum eius inoffensè, ac insensiliter Euam matrem viuentium futuram, conderet, discussserat, mòx in has voces erupit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* * Mysterium hoc IESV Christo aptare conemur; dicamusque vi illius vnionis Dei cum IESV Christi Humanitate, tam arctè adhæsisse Humanam naturam Diuinæ, & Diuinam humanæ in Verbi æterni persona, vt qua proprietate possum de meo ipsius corpore dicere, *Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, eadem potest Filius Dei omnipotentis quoque de * Humanitate sua dicere: *Hæc est caro de carne mea, hoc est os ex ossibus meis*: ipsaque Virgo nihil erret, si intrepidè dicat, de Filio suo IESV Christo, *Hæc caro mea est, hæc ossa mea sunt*, quandoquidem (S. Augustini sensu) *caro IESV Christi, erat ipsissima caro MARIÆ.*

Num. 2.

* Hic omisi aliquot verba vertere, vt mihi nõ intellecta, vel gallicè velim Italica habuisse.

* Vide an non fortè legendum sit (Matre.)

Hinc infert Petrus Damianus * *Deum in Virgine esse eximiè, & non dumtaxat per Essentiam, Potentiam, & Præsentiam, vt vulgò in cæteris creaturis, nec tantùm per gratiæ præsidium, vt in anima Iusti cuiuscunque, verùm modo longè excellentiori, id est, identitate, quandoquidem Filius ipsius idem ille est, qui est Filius Dei: & quia & caro est de carne eius, & os ex ossibus eius*; Et quia ex ipsa sacro-sancti corporis sui substantiam hausit, quæ res profectò tam inexhaustæ speculationis est, vt silentium imperet, & tremorem præclarissimis quibusque ingenijs conciliet.

* Vt verto ex Gall.

en. 2.

Hæc adeò arcta vnio, aut (si mauis) identitas, quæ inter Deum, ac Virginem reperitur, à Doctore Angelico, *parente, seu affinitatis*, quam Virgo cum Deo tunc contraxerit, nomine insignitur, quod de nulla quacunque creatura alia potest affirmari, quarum omnino nulla, non in hominibus, non in Angelis ex quacunque, vel Hierarchia, vel classe, seu ordine sit, naturæ vinculo sic Deo coniuncta est, vt Virgo hæc vna, Filius enim naturalis Dei Patris, etiam naturalis filius huius est. Huius ipsius rei consideratione addu ctus sanctus Anselmus ait: * *Non potuit Patris æterni cor pati, vnigenitum hunc suum, & dilectum Filium esse suum solius; sed voluit, vt verè vnigenitus, ac naturalis MARIÆ esset tandem quoque Filius; non quòd duo sint Filij; alter, Patris cœlestis: alter Beatæ Virginis: sed vt vnus idemque ille, qui Filius Dei erat, in vna eademque persona similiter fieret MARIÆ filius: & qui MARIÆ filius erat, esset pariter, in vnitate personæ Filius Dei.* Inde fit nobis mortalibus euidentissimum, eam ipsam Virginem, quæ sponsa est Spiritus Sancti, quo artifice Filium Dei in vtero concepit; eam (inquam) ipsam, quæ verè, ac re ipsa Mater Dei est, & modo quodam priuo illique vni communicato Sponsa Patris æterni, toti Sanctæ Trinitati esse deuinctissimam, illis fœderum generibus, quibus nulla mortales habent arctiora. Vt tandem de tabula tractatus huius, de suprema ista Maternitatis dignitate, manum tollamus, & alio conferamus: ingenuè pronuntiemus, titulo illo vno, nullum non genus acroamatum, atque elogiorum quamlibet illustrium, ac sublimium, quæ in honorem Deiparæ nemo fingi possint contineri.

Vt verto ex Gall.

A

B

C

D

Stellæ Quintæ declaratio, V.

QVINTA stella, tota pulchra, & corruscans illa, qua cœlestis hæc Heroina decoratur, est illuminatio, seu illustratio intellectus ipsius, tum facta, cum eam Spiritus Sanctus obumbrauit, vt pronuntiauit Angelus eam verbis istis salutans; *Spiritus Sanctus superuenit in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Diuina ista obumbratio Virginis tum facta est, cùm Verbum æternum in eius vtero incarnabatur, vt eam conceptionis eiusmodi, tam mirabilis, naturæque vim omnem transcendentis, capacem efficeret. Obumbrauit eam, inquam, diuina sua virtute, vt ferre, & perferre posset flammeos illos eius ardores, alioqui haud dubiè liquanda, consumenda, & in tenuem fauillam reditura, inter suauissimas illas, & ardentes amoris Dei flammas.

Luc. 1.

Neque verò corpus duntaxat D. MARIÆ Spiritus Sanctus obumbrauit (aiunt concorditer Sancti Augustinus, & Damascenus) verum etiam animum ipsius, implens eam Luce, ac splendore perfectissimo. Vmbra Spiritus Sancti, lumen eius, & gratia est, sic, vt obumbrare ipsius sit illustrare quempiam, gratia sua, ac virtute.

Hinc, cùm in Virginem superuenit, eamque obumbrauit in ipso Incarnationis actu, menti eius, & intelligendi facultati, velut facem quandam ardentem, prætulit, eamque illuminauit; docuit, & omnes ignorationis tenebras longè lateque discussit; imò vi luminis illius sui diuini effecit,

vt

vt deinceps Virgo apta & capax esset intelligendi mysterij sublimissimi Incarnationis Filij Dei, aliorumque multorum cęlestium secretorum; ac *sensum illi aperuit, vt plenissimè intelligeret Scripturas.* Luc. 24 Sanctas omnes, communicato etiam spiritu prophetico longè vberiore, & oculatiore, quàm cęteris Prophetis omnibus vmquàm infundi contigerit.

Scriptorum plerorumque multorum, Sanctorum & grauium, vt Sancti Antonini, Sancti Bernardi, Sancti Cypriani, Vbertini Casallensis Franciscani, & aliorum plusculorum opinio est, Beatam Virginem, ipso Incarnationis IESV Christi articulo, pluries raptam in tertium cœlum fuisse, ibique ad ipsum diuinæ essentiæ clarum conspectum vsque dignanter admissam, visumque ipsi Deum, *facie ad faciem*, Exo. 33 & quidem clarius, ac plenius, quàm vidisset olim anteà vel Moyses ipse, vel posteà Diuus Paulus. Robertus Abbas ad illa Cantici verba. *Oculi tui columbarum;* 2. Co. 12 Cãtic. 1. planissimè dicit * *Virginem raptam in tertium cœlum, ibique quædam vidisse arcana, quæ non licet homini loqui, valuis velisque latius, illi deductis, & apertis quàm ipsi D. Paulo posteà.* *Vt vertito ex Gall.

Eo priuilegio nil ferè rarius, cuius gratia si cuiquam mortalium diuinitus concessa fuit; ego prorsus sentio, negari non debuisse ipsius Dei almæ parenti, quæ meritis homines omnes Angelosque, sic antecellit, vt splendor solis carbunculi scintillas, aut exiles quasi stillas luminis stellulæ etiam minimæ, longissimè transcendit. Sed quæ lingua tam eloquens est, vt exprimere pro dignitate possit, qui sacri motus cor Virginis agitarint, in ipso puncto diuinæ Incarnationis? quis ardor, qui ignes eius affectus, ac voluntates tunc inflammarint? quo gaudio tandem pulchella illa anima fuerit delibuta; quum *in eam* Lucæ 1. superuenit Spiritus Sanctus, & quo temporis momento Verbum ipsum diuinum veste carnis nostræ sese induens, eam Matris Dei titulo nobilitauit.

Quibus (putatis) & quàm splendidis diuinisque radijs castam Virginis faciem exornauit illa Spiritus Sancti illustratio? In oculis eius geminæ pudici amoris faces promicabant, quarum sanctæ flammæ ea vi pollebant, vt ardores concupiscentiæ motusque bestiales in quolibet eius spectatore omnino restinguerent, hoc modo ignem igni suffocantes. Ita prorsus; solus Deiparæ adspectus perditissimum quemque reformabat, & saxeos, æreosque animos, & quouis chalybe inflexibiliora ingenia, ad veræ virtutis amorem inflectebat. Quod non est à vero nimis abhorrens, & fidem

A facilè impetrarit. Nam si Moyses colloquio familiariori cum Angelo ad suos rediens visus est, *faciem*, & frontem habere, *cornutam*, id est, radiosam solis instar, & plenam maiestatis, adeò, vt nemo irrepercussis oculis eum posset intueri, quæ res ipsi eam authoritatem conciliauit, vt deinceps Israelitarum populus libens legibus ab eo perscriptis integrè pareret; ecquid de MARIA censendum est, quæ à teneris semper cum Angelis versabatur, magni honoris loco habebant, erat, si qua possent illi placere, atque ancillari? An non credibile est, in facie eius eam eluxisse Maiestatem, cuius nescio qua vi occulta, quàm facilius est animo consequi, quàm verbis eloqui, reuerberarentur, & velut hebetarentur obuiantium adspectus omnes precaces, & temerarij, si qui fortè in eam irreuerentius, vibrati defigerentur? Deu. 34

B

Intellectus fortunatissimæ huius virgunculæ adeò lympidus, illimis, illuminatus, ac perspicax erat, vt nosset creaturas omnes ipsarumque Creatorem; sciret fugienda sectandaque: denique etiam quo amoris, aut odij gradu obiecta singula digna essent. Amore Dei sui tota, Ætnæ siculæ instar, conflagrabat, *diligens eum ex toto corde*, fortius quàm temporaria, quæcunque; *in tota animâ*, plus, quam vitam suam ipsius corporalem, ac spiritalem; *in tota mente*, supra omnem gloriam, adeoque præ omnibus honoribus fauoribusque, quos, vel in Paradiso ipso Dei, optare possit quisquam, aut somniare. Tanta animi eius malacia & tranquilitas erat, facultatesque eius apprehensiuæ, & appetitiuæ omnes tàm serenæ, pacatæ, & finibus suis contentæ, vt nulla esset inferioris aduersus superiorem perduellio, superiorque ipsa, miti & pacifico dominatu, inferioribus imperaret.

C

* *Nec vires errasse eius, campoue, feroue:*
Nec nocuisse vlli: & fortunam habuisse nocendi:
Et tenuisse animum contra sua sæcula rectum;
Altius & vitijs exeruisse caput.

D

* *Ex Elogia ad Liuiam August. inter opera Ouidij.*

Quocunque ferebatur, sanctimoniæ odorem longè lateque efflabat, quotidie crescentem, & vehementiorem, cum IESVM Christum, imò Deum ipsum totamque Diuinitatem in ventre gestaret. Nam antè etiam quàm fieret Mater Dei, eo sanctimoniæ pertigerat, vt solo suo adspectu, omnem peccandi libidinem, & malesuadam distortamque voluntatem reuelleret funditus

tus ex animis eorum, qui oculos fortè in eam conuertissent.

Quo sanctitatis Oceano plenam fuisse Virginem illam oportuit, cuius oculi tanta vi diuinitus collata pollerent? Est res ista profecto nostra mortalium capacitate maior, quàm ideò dignius venerari non possumus, quàm de ipsa discretè reuerenterque silendo. Licebit tamen cuique in eius rei speculatione priuatim versari, meditari, & quæstum spiritalem nonnullum aucupari, ex rerum tam ineffabilium, abstrusarum, sublimiumque cogitatione. *Hoc opus, hic labor est.* *Virg. 6. Æneid.*

Stellæ sextæ declaratio.
VI.

SExta stella exornans regium Heræ nostræ charissimè diadema, cuius vnius admiratione maximè impulsus est Altissimus, vt eam in sponsam sibi adscisceret, est Gratiæ diuinæ, omnigenæque virtutis plenitudo. Fuisse illam *gratia plenam*, nullus relinquitur ambigendi locus, nec alio huius rei teste opus est, quàm Angelo ipso, Dei legato, qui eam salutans ait: *Aue gratia plena.* Et certè, (S. Augustini sensu) * *illam gratia plenam esse oportuit, vt digna esset conceptu partuque Verbi æterni.* Diuis plerisque multis contigit impleri gratia, & Spiritu Sancto, vt Zachariæ, Elisabethæ, ipsorum filio Ioanni Baptistæ, Apostolis, septem Diaconis, & alijs nonnullis: at non oportuit omnes, quotquot gratia pleni fuerunt, æquè vbertim, & pariter plenos esse. Nam fons quidem verè dicitur plenus, fluuius plenus, & plenus lacus; sed valdè differenter. Redemptor noster IESVS Christus gratia plenus fuit, instar fontis limpidissimi, à quo velut scaturgine viua, & perenni, profluit omnis aliorum gratia, & vt à capite in membra diffunditur. Et Virgo *gratia plena fuit*, more fluminis abundantis, ex fonte emanantis, eidemque adhærentis; cæteri verò sancti, lacuum, aut vasorum instar, etiam hac pleni fuerunt, pro sua quisque capacitate, & quisque quantum ei satis fuit. Cùm verò Angelus Virginem saluere iussit, vocans eam *gratiâ plenam*, de plenitudine longè alia & vberiore, singulari, atque excellentiore loquebatur, adeoque ampla, vt in quancumque meram creaturam aliam à MARIA cadere non possit. Talis enim, ac tanta est, vt etiam exuberet, seseque in cæteros omnes diffundat, *restituens captiuis* (ait D. Bernardus) *suam libertatem, mœstis solatium, peccatoribus veniam, iustis gratiam, Angelis lætitiam, Sanctissimæ Trinitati gloriam, Verbo æterno propriæ carnis substantiam:* atque (vt ait ille præclarissimus Ecclesiæ Doctor D. Hieronymus) *cæteris per partes præstatur; MARIÆ, verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ*; idque ideò, quòd author ipse fonsque gratiarum in purissimis eius visceribus aliquandiu habuerit domicilium. Igitur si gratia Dei plena erat; consequitur sanè, eamdem rarissimis etiam quibusque virtutibus, ac donis cœlestibus, quotquot vnquam diuinitus reliquis Sanctis concessa sint, abundasse. Ecclesiæ Patres, ac nominatim Sãctus Cyrillus, Sanctus Hieronymus, & Origines, affirmant eam non tantum sic fuisse gratia plenam; sed & dotes omnes, gratias, virtutes, reliquosque fauores diuinitus in reliquos Sanctos sparsim distributos, in vnam S. MARIÆ Deiparæ simul confluxisse personam, & quidem perfectius multò, quàm in ipsos vniuersos. Vt paucis concludam, si sedulò cuncta librentur. *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa* (vel D. Hieronymi censura.) *Off. Or. Min. de Cõcept. in 2. vesperis.*

Quòd si virtutes Deiparæ diuinitus concessæ, etiam antequam Mater Dei fieret, tales tantæque fuerunt: quantas (quæso) eas esse oportuit, quas tum demum acceperit, cùm Filius Dei in eius gremium illapsus est, ibi stola candida humanitatis nostræ vestiendus? Nullius est tanta vis eloquentiæ, vt effari hæc possit, nullius tanta viuacitas ingenij, vt vel concipere duntaxat queat. Infinita illa sunt, & eiusmodi, vt non magis ab Angelis, quàm ab hominibus, capi possint, aut dici pro dignitate. Nam (vt ait D. Bernardus) * *quemadmodum ipsius Dei excellentiæ, ac perfectiones sunt infinitæ, & omni captu superiores; sic cœlestes gratiæ sanctæque virtutes, quæ in Deiparam, cum ipso Verbo Dei cùm conciperetur, vna conuenerunt, acumen intellectus cuiuscunque, præterquam Christi, & Deiparæ ipsius, quæ ipsas accepit eminenter, transcendunt.*

Præterea, hanc Filij Dei Matrem perfectio quælibet moralis, & sancta egregiè ornauit. Finge enim animo quamcumque libeat pulchram decori, aut virtutis partem, & eam ipsam reperies in Virgine Deipara vberius, atque eminentiùs, quàm in vlla cuiuscunque classis creatura, etiam perfectissima, & numeris omnibus absoluta: adeò, vt si vel Angelo cuipiam diuinitus concessum fuisset inter mortales, in carne mortali mortalem nasci, & cum hominibus conuersari, non fuerit ille par Deiparæ futurus, modestia, & cuiusuis decori in omni vita obseruatione: *O quam te memorem, Virgo! namque haud tibi vultus.* *Virg. 1. Æneid.*

Mortalis. Nec vox hominem sonat. Pandora,

*Lucæ 1. * vt vertо ex Gall.*

Lucæ 1. Vide D. Bernar. serm. 4. de Assũ. in fine. D. Hie. ad Soph. serm. de Assumptione.

dora, Pandora, atque etiam illa famosissima Zeusis Heracleotæ imagine, collectas omnium prope Virginum Crotoniatarum pulchritudines continente, & in Iunonis quondam templo Crotone, ornamenti ergò posita, locupletiorem, amabiliorem, ac perfectiorem quis nesciat? Vt autem adstruam sermonis huius veritatem. Libet in medium nunc proferre quasdam eius raras virtutes, laudatosque animi habitus, quos ex nonnullorum sanctorum, & irrefragabilium Doctorum libris diligenti studio hausi. Dicamus ergò, Deiparæ vitam tot virtutibus illustrem fuisse, tam cœlestem, atque admirabilem; vel ab ipsis cunis, & tenerrimis infantiæ eius vnguiculis, vt S. Ambrosius bone Deus! qui vir, & quantus eam vnam virginibus omnibus, figuram, & speculum omnis probitatis proponat, his ferè verbis:

**Vide Cic. li. 2 de Inuēt. Rhe. initio.* **Nemini nocebat, aut grauis erat, vt causas haberet nocendi. Omnibus beneuola, & quaqua poterat, benefica & benigna, superiores docta, & semper parata reuereri, nulli æqualium inuidere, insueta se, aut sua iactare, in omni actione; motum ductumque rationis æquis passibus sequi; nullam non virtutum consectari. Quandò ipsa, vel vultu solo læsit parentes? Sed nec cum amicis, cum consanguineis, aut affinitate cõiunctis, vel tenuissime litigauit. Humiles nunquam contempsit, vt cùm ipsis sermones miscere nollet; minores non fecit ludos suos, nec dedignata est cum pauperibus conuersari. Non erat incessus eius affectatè grauis, sed nec leuitate dissolutus; nec sermo elatus, aut militaris: sed modestia illa, quæ plurima in verbis æquè gestisque eius relucebat, internam eius sanctimoniam, & virtutem animæ perfectam abundè testabantur, ferè vt superbum domus vestibulum diuitias interiores omni voce clarius eloquuntur. Nunquàm domo egrediebatur, nisi templum ingressura, idque cum patre, ac matre, aut consanguine. Regressa domum è templo, solitudine sic delectabatur, vt ei esset oppidum carcer; solitudo, paradisus; ibique seriis, & saluti animæ vtilibus occupationibus sese exercebat.* Iuuerit audire ipsum Ambrosium sua verba resonantem. *Sit vobis* (inquit ille) *tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Beatæ MARIÆ; de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt.* Et post paucula. *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret effectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens: loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi verecunda sermone: arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere. Non lædere eros, benè velle omnibus: assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere: fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vultu læsit parentes? quando dissensit propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? eos solos solita cætus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia.*

Nihil toruum in oculis: nihil in verbis procax: nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior: non incessus solutior: non vox petulantior, vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, &c. Et paulò post, *Prodire domo nescia, nisi cùm ad ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis.* Hactenus D. Ambrosius, apud quem his etiam multò plura reperias.

Diuus quoque Hieronymus heroicas eius cœlestesque virtutes describit, & quidquid Ierosolymis, in sacro illo Virginum Templariarum Collegio ætate iam paulò adultiore, exercere soleret; sic loquitur. *Virgo Dei conabatur prima semper omnium in studijs humanitatis humillima; charitate feruentissima; puritatis studiosissima, & omni virtutum genere clarissima. Inuictum ab oratione Spiritum non relaxabat*, & (vt loquitur Propheta) *in lege Dei meditabatur die, ac nocte, socias in oculis suis gerebat, ne qua fortè ipsarum verbo indisciplinato laberetur, ne quid diceret, ageretur perperam, & vel tantillo deuium à decoro; & cùm salutabatur, resalutabat perquam submissè, his verbulis* (Laus Deo) *Denique tota Virginis vita acta in Templo, speculum, & norma viuendi fuit, omnibus numeris absolutissima, quàm adolescentulæ omnes consectentur, imitenturque in studijs orationis, humilitatis, modestiæ, solitudinis, silentij, pudoris virginalis, cæterarumque virtutum omnium, decentissimorum sane, ac verorum huius sexus, natura decori cultus auidi, ornamentorum.*

D. Amb lib. 2. de Virgin. post initium.

Psal. 1.

Stellæ septimæ declaratio.

VII.

SEptima coronæ Virginis stella cæteris decore, & splendore nihilo inferior, est amplissima illa dignitas indè orta, quòd silentiaria, seu ab intimis Consilij secretis-

que

que, & Cubicularia Dei Altissimi creata est. Ferè videmus ita comparatum esse, vt, qui Principibus à cubiculis sunt, & Secretis si res gerant diligenter, & qua fide oportet, sint ijsdem charissimi, familiarissimi & conscij consiliorum ipsorum omnium etiam abditissimorum, & ne eorum vxoribus quidem communicandorum, vix etiam subuculis, & interulis eorumdem committendorum. At quis silentiarus, aut Cubicularius vmquam legitur, aut narratur, maiore, aut fide, aut diligentia vsus in negotijs Principis sui gerendis, quàm sanctissima hæc Virgo, quæ summo Regi gloriæ studio incredibili ancillata est in omni vita, tam cùm adhuc in cunis ille lacteret, & vagiret, quàm cum ablactatus puerasceret, atque adolescenturiret; & iam vir virens, ac ætate florens esset? Ipsa adhuc dum puellula? Illo adhuc lallante, & lactente, lactantes omnes tam matres quàm nutrices adscitas, vicit sedulitate illi in credibili charitate & promptitudine, fascijs illum inuoluens, & euoluens, purgans, fascians, & pannis opportunis circumdans, vilibus illis quidem pretio, sed quauis Alpina niue, vel recentissima candidioribus, & mundissimis: aliquandò suis basiolis illum materne dissuauians, aliquando molliter premens, & pectori pectusculum eius applicans, & mille blanditijs plusquam maternis vtens, virginea *vbera* sua è cœlo ple-
Cant. 1. na *meliora vino* ori eius inferebat, & lacte
Psa. 18. *super mel, & fauum dulciore* amantissimè propinato pascebat, eique adeò amanter, ac reuerenter ancillabatur, * *vt* quoties (Alberti Magni sensu) *ipsum è cunis euigilantem tolleret, aut cunis redderet dormiturientem, ipsum adoraret præmissa ingenti reuerentia, ac sæpiusculè mentem adtollens in speculationem amoris illius infiniti, qui huc eum, & ad tam indigna è cœlo detraxerat, sineret se sibi altissimè eripi,* totamque noctem sic cœlis illata transigeret. O terque quaterque beatam animam!

Denique, totos triginta annos ei summa fide ancillata est, quouis tempore, quauis ætate, quouis loco, comes eius indiuidua in rerum inopia, in laboribus, in miserijs, & rebus aduersissimis, in itineribus omnibus, quæ tam Hyeme quàm Æstate; tàm Frigore, quàm Æstu sæuiente, tàm aere nimboso & pluuioso, quàm sereno & arente: denique angustiarum, & fatigationum eius omnium consors, & particeps, & (vt sic loquar) calicis eius compotrix, ac tantùm non præguſtatrix. Sed profectò: si adeò abundè probauit Virgo Deipara suam fidem, ac ancillandi liberalitatem: non est etiam passus Monarcha ille summus, amorem suum reciprocum ab illa in ipso desiderari, aut familiarem sui vsum, aut secretorum diuinitatis suæ maximè sublimium communicationem, & penè parem consiliorum diuinorum conscientiam, vt quam silentiariam dignissimam, ac fidelissimam prælegisset. Quapropter, quotiescunque oraret, sibi ab eo explicari quidpiam ex mysterijs illis Cœli sublimioribus, vt (verbi causa) de summa Trinitate, de ordine Angelorum, de vocatione Gentium, de Fidelium in sancta Ecclesia vnione, & concordia, toties nulla repulsa exorabat, illeque Filius optimus dicto citius explicabat & perquàm familiariter docebat quiquid fuerat scisitata. Si Discipulos nihil Secretorum Patris cælabat, quod in amicis eos numeraret: (*Iam non dicam vos seruos* (aiebat) *vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*:) quanto magis eadem ab eodem Matri suæ charissimæ communicata oportuit? si triennio vno illo, quo illi familiariter ipso vsi sunt amico & doctore, auditoresque eius assidui fuerunt, adeò docti rerum diuinarum redierunt, quid de Virgine censendum, quæ totos triginta, & amplius annos, consuetudine eius, aut potius schola, ac disciplina vsa est, quandoquidem eam certis cuiusque diei horis docebat scientiam sublimem, & ipsis Angelis incognitam magnus ille *scientiarum Dominus*? Solent deinde Reges magnanimi ferè eos, qui ipsis à Cubiculis, ac Secretis intimis sunt, promouere, eminentibus honorum titulis decorare, Marchiones, Comites, aut Barones creare, adeoque prouehere, vt suos faciant conuiuas, & ad mensæ suæ communionem admittant; & beneuolentiam erga ipsos suam argumentis pluribus restari, quam erga ipsos Proceres, & Curiæ suæ Primores. Quibus non ergò honoris titulis illustrauit, aut quò non dignitatis. Rex gloriæ prouexit ancillam istam suam, & secretorum eius conscium fidelissimam? Si quæ ad vitam hanc mortalem spectant circunspicimus; an non mox id in oculos incurrat, notatu sanè dignum, quòd Deus Optimus Maximus ipsam adhuc dum tenuis fortunæ, & (vt dicitur) terræ filiam latentem, iacentemque, & nulli propè, nisi Deo soli notam, tot & tam stupendis honorum prærogatiuis ornauerit, vt earum minima omni speculatione sit altior? Sin verò ipsam, vt iam immortalem, illatam cœlo, & vita gloriæ iam perfruentem, consideremus; animaduertemus eam ad prælatum gloriæ, & dignitatis gradum esse prouectam. Non enim in classe Virginum est Deiparæ; non in ordine Confessorum;

Ioa. 15.

2. *Re.* 2.

rum ; non in exercitu Martyrum , non in sacro Collegio Apostolorum ; non in sodalitio Patriarcharum , & Prophetarum , vt gregaria aliqua , & vna ex turbis illis ; minimè gentium ; sed eximia, sed omnes cœlestes Hierarchias longè transcendens, sedet in throno operis superbissimi , ad dexteram Principis Cœli IESV Christi, Filij sui , instar Heroinæ; & Heræ veræ , ac supremæ illius Curiæ beatorum , & (vt canit Rex Propheta)

Ps. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato , circumdata varietate.* Nemo non beatorum locum illi primorem volens libensque concedit , eiusque iussis ad amussim obtemperat : vna vox est ad illam omnium.

Virg. 1. Æneid. *Tuus , ò Regina , quidoptes,*
Explorare labor , nos iussa capessere fas est. Præsidet machinæ huic mundi vniuersæ : negotia omnia Trinitatis etiam maxima, eius nutu ; & velut manu expe-

Gen. 30. diuntur : *(non est quidquam , quod non in eius* ibi *sit potestate :)* adeò vt Cœlicolæ ipsi omnes , terrigenæque , & filij hominum tàm qui adhuc mortales sunt, quàm qui defuncti vita, Purgatorij carceris repagulis iam clausi meliora expectant : sed & qui Inferorum supplicijs æternum deuoti sunt, eam agnoscunt Heram, & Dominam suam , & in genua illi perquam submissè procumbunt.

Stellæ Octauæ declaratio,

VIII.

STELLA octaua diadematis Heræ nostræ est, Contemplationis priuilegium, qua frui datum illi est diuinitus , quamdiu

** Vt verto ex Gall.* vixit. Nam B. Virgo * *simulac in Matris vtero sanctificata est* , (ait Pater Suarezius) *eodem instanti vsum rationis accepit , ipsumque recta ad Deum suum ocyssimè conuertit , ipsum cognoscendo , ipsum amando , & fixissimè contemplando , nunquam , vel tantisper à diuinorum mysteriorum contemplatione , animo discedens. Hos beneficio* (addit ille) *si decorati fuere Angeli , quam primum creati sunt ; æquius certè fuit , illud ipsum illi concedi , quæ Dei Mater erat prædestinata , & designata , nec non beatorum spirituum omnium Hera , & Princeps serenissima* . Deinde fortunatissima hæc puellula , cùm adhuc templaria esset , id est Ierosolymis , inter Sanctimoniales , & Virgines Deo sacras , (Vestales Romani prisci discerent) Templo pro domicilio vteretur ; altissima contemplatione fruebatur, supplicans diuinæ clementiæ, & ardentissimè orans , non sine suspirijs, & amoris singultibus medias voces interrumpentibus , vt Messiæ venturi Incarnatio accelararetur. Authores plerique multi graues scribunt Angelos perpetuos eius annonarios fuisse , & quotidie illi à ferculis poculisque sedulo ministrasse ; altoresque , ac pocillatores istos magni honoris loco habuisse, quod tantæ Heroinæ sic possent ancillari ; eosdemque interim secreta ingentia illi aperuisse , & dulcibus, & familiaribus colloquijs animum quoque eius pauisse : Quid dicamus de extasibus , & suauissimis raptibus illis , quibus beabatur toto illo nouem mensium spatio, quo venter eius beatus tumuit, grauidus sine grauedine , & Verbum Dei artifice Spiritu Sancto incarnatum molliter instar rhedæ , & sacræ Arcæ vehens , donec pareret ? Sæpiusculè sibi tota eripiebatur , & in Deum absorbebatur , & nonnunquam ipsum facie ad faciem intuebatur *per modum transcuntis* (vt quibusdam placuit.) Profectò non deerat illi campus à se ipsa auolandi spatiosus , nec materia vberrima contemplandi , animo euanescendi , & vel in tertium vsque cœlum inuolandi, nunquam neque à latere , neque à beato conspectu illius sui discedendi ; Filij inquam illius *in quo* vti dilecto suo æternus *Pater sibi benè complacuit.* Ecquis non *Mat. 3. & 17.* dico eloqui , sed vel animo plenè fingere queat suauitatis mentis eius inuanescentis, sese.que altissimè efferentis , quoties in contemplatione excessiui , & immoderati amoris illius versabatur , cuius impetu factũ videbat , vt *quem cœli cœlorum capere non possunt , qui cœlos palmo ponderauit , qui terram pugillo continet* , idem sub exigui corpusculi velo lateret inclusus ? *2. Paralip. 3. Isai. 40. Hymno Eccles.* Mihi certè fit verisimile , imò & planè credo , illam totas , & solidas noctes multas animo peregrinatam; seria huius miraculosi prodigij recordatione , & contemplatione , sequutus sanctorum Bonauenturæ, & Bernardini nostrorum ; necnon docti Canisij libratissima præiudicia , * *qui se cœlitus edoctos aiunt , Deiparam ferè noctes omnes solidas in diuinorum mysteriorum meditatione transegisse.* Præterea , erat Deipara sic corpore comparata , & talis temperamenti, necnon adeò sobria , & cibi potusque tam parci, vt non multo somno egeret : quin præterea * *credibile est* (inquit P. Suarezius) *eam sic diuini amoris igne arsisse, vel non raro, vel tantillo illo tẽpusculo quod somno indulgebat, de repẽte, nec opinatè expergisceretur , fereq ; vt veri amãtes solent magno amoris impetu ad Deum conuerteretur , vnicum , ac proprium affectuũ, & cogitationum ipsius obiectum.* S. Bernardin.

** Vt verto ex Gallic.*

** Vt verto ex Gallic.*

din. noster ait * *eam contemplationis supernaturalis beneficio vsam, vel in somnis, longè perfectius, quàm nunc soleant, aut soluerint olim sanctissimi quique, etiam insomnes, & vigilantes.* Iure igitur concludere liceat, eam nunquam, neque vigilantem, neque dormientem, neque in cellula quidlibet manibus agentem, à meditatione fuisse distractam, & fidenter tandem cum Canisio sentire, & dicere, * totam Deiparæ vitam extasim contemplationemque perpetuam fuisse.

* *Vt verto ex Gallic.*

* *Vt verto ex Gallic.*

Quidquid videret, audiret, & quomodocunque occurreret, erat ei meditandi argumentum. Valdè frequenter, & admodum attentè, in Scripturarum sanctarum (quas etiam perfectissimè intelligebat, tam ingenij acumine adiuta, quàm ingenti lumine, quo diuinitus irradiabatur) lectione versabatur. Parcissimè cibum capiebat, & solitudinis silentijque cultu, & animi tranquillitate, sese comparabat ad meditandum, & Deum sibi stabili coniugio vniendum; quibus studijs tam assiduam operam dabat, vt non tam mortalis, quàm diuina videretur. Itaque diuinitus quoque factum est, vt in Archiuis sacris altissimum silentium esset, de Patre eius, ac Matre, instar prisci Melchisedechi; nempe vt inde intelligeremus, Deiparam non spectandam, vel terrigenam aliquam creaturam, sed vt è cœlo lapsam, & terra longè altius ortam. Denique & Angeli ipsi adiutare, & opitulari his cœlestibus MARIÆ studijs videbantur, annonarij scilicet eius, pocillatores, & sportularij eius facti, statum victum, & (vt vulgò vocant) præbendam iustam quotidie illi afferentes, quamdiù Templaria fuit, & in sacra Ierosolymorum æde fixam sedem habuit; ne qua fortè annonæ victusque parandi solicitudo, vel tantillum temporis, tam sublimi operi conueniens, ac dicatum ei suffuraretur, quòd priuilegium quia S. Paulo Eremitarum principi diuinitus concessum est, non est cur Virgini huic quoque indultum miremur, quæ illum multis parasangis omnigena perfectione, & meritis antecessit.

Hebr. 7.

D. Hie. in vita S. Pauli Eremit. fol. mihi 202. 8.

At, cur miremur, illam diuinam potius visam, quàm humanam, quæ eo innocentiæ peruenisse credatur, vt ne, vel in minimum peccatum vnquam inciderit, sed nec primum quidem motum vllum à rectæ rationis regula torum, ac deflectentem passa sit: imò (vt grauis quidam scriptor nobis author est) * *nata sit peccandi impotens, quòd foret à Filij dignitate, & à Matris honore, alienum, si Virgo tantæ dignitati destinata, vt Mater Dei fieret, nata fuisset capax vitij, aut imperfectionis cuiuscunque, etiam tenuissimæ.* Qui verò capax vitij esse potuisset illa, cuius mentem Deus ipse in sui amore, & contemplatione defixam, ac pendulam perpetuò continebat? Continebat ibi ipsam profectò, nec non in vilitatis suæ indefessa cogitatione, & nihil sui cognitione, hincque fiebat, vt se profundissimè submitteret, atque intelligeret, quòd celsitudinis se misellam Domisellam Deus prouexisset, cùm eam è tot fœminarum millibus, vnam in Matrem sibi, prorsus immerentem delegisset. Hinc fiebat, vt semper mente agitaret, ac, (vt sic loquar) vigilans dormiensque somniaret, si forte excogitare tandem posset, aut reperire nouas, & inusitatas obsequiorum species, nouas ancillandi formas, quibus ei gratificari posset, gratiamque ipsius magis magisque demereri. Hoc eius propositum, hoc eius votum fuit, hic omnium eius cogitationum scopus vnicus fuit. Addamus istis, si libet, carnem sensusque omnes in Deipara sacra Sanctorum morte omnino mortuos fuisse, Angelisque serio imperatam eius peruigilem protectionem, nec vni duntaxat id in mandatis datum, sed vniuersis, qui alternatim per turmas ei ancillabantur, eamque tuebantur, velut viuum Verbi Dei, veri ipsorum Dei, & Principis, Tabernaculum. Præterea, Tartarei illi spiritus præsentiam eius studiosius declinabant, quàm muscæ magnos ignes, quàm Cedrinum odorem serpentes, quàm amaracum sues. Nam, si magni, & Sancti illi Abbates Antonius, & Bernard. Dæmonibus adeò terribilis fuisse creduntur, quid censendum de ipsa Dei alma parente? Ex alio capite, Deipara ipsa magis oderat omne peccatum, quàm nos toxicum, quàm canem, & anguem, quòd plenissimè nosset, hominem, quandocunque ei peccare contingit, à gratia Dei prorsus excidere, & reum haberi perduellionis, adeò vt nihil volupe illi esset, præter virtutis exercitium, & studium acre, & perpetuum sanctimoniæ. Denique, dignitates, honores, opesque mundi huius omnes illi sordebant, & instar cruciarij erant, cùm præsciret, se propediem forè cœlorum Reginam, & Heram primatem vniuersi. Tot igitur diuinis præsidijs circunsepta Virgo, an non commodissimè in meditationibus tota, & semper versari potuit, Deoque viri vinclis plusquam adamantinis, & quouis nodo Gordo insolubilioribus, colligata.

A

B

C

D

Stellæ nonæ declaratio.

IX.

STELLA nona caput Heræ nostræ exornans, est dignitas Transcendentiæ (vt sic loquar) seu supereminentiæ, qua terrigenis omnibus, imò etiam cælitibus creaturis, prælata est, eamque propriè Exaltationem Dominæ nostræ indigitant, signatque ipsam omnibus esse prælatam, supra omnem Cœli celsitudinem, supra Sanctorum omnium classes omnes, supra cunctas Angelorum Hierarchias diuino nutu euectam, vt docet S. Mater Ecclesia, & canticis in eius laudem editis proclamat, dicens; *Exaltata est Sancta Dei genitrix super choros Angelorum, ad cœlestia regna.* Et profectò, ius fasque non sinebant, summum illum gloriæ Monarcham, alium ipsi locum, aut gradum in regno suo decernere, quàm altissimum, & suo proximum. Nàm quia Mater ipsius vt Filij eius, eam venerari, honorare, & omnibus bonis officiosissimè cumulare. Non enim honos ille, quem liberi debent parentibus, sola reuerentia, & verbis placidis, æstimatur; sed munificentia, & beneficiorum collatione liberali quantum liberorum vires opesque patiuntur. Qua propter (ait Hyppolytus) * *Qui sic edixit: Honora Patrem, & Matrem; idem, vt cum primis sua iussa subiret, & quam legem olim scripto tulerat, ferret quoque facto, & exemplo; Matri suæ contulit, quidquid debuit qua Filius gratiæ, gloriæ, & dignitatis.*

Quod habuit summum pretium persoluit. Nil ò tibi amice relictum est.

Omnia Deiphobo soluisti, & funeris vmbris.

Priuilegia, prærogatiuæque Virginis vniuersæ, duobus maximè fundamentis nituntur, quorum vnum, ipsa Filij immensa potestas est, cuius adspectu, Diuus Augustinus, tractans de Virginis Assumptione, tàm corpore, quàm animo, ait * *Deum ita facere potuisse. Cùm ergo in confesso sit, ita eum facere potuisse; ecquæ digna ratio mihi proferri potest, cur ita non fecerit?* Eodem planè Augustiniano modo, de hac Virginis exaltatione, licet argumentari.

Alterum est dignitas Maternitatis, id est, quia Dei, & Creatoris omnium Mater est; dignitas sanè, & ipsa immensa; adeò vt quemadmodum titulus Filij Dei, principium, regula, ac via quasi quædam regia est, quam sequi nos oportet, ad concipiendam Humanitatis IESV Christi excellentiam; ita titulus hic, ac cognomentum Matris Dei, principium, ac fons est, ex quo prærogatiuæ eius omnes, gratiæque eius vnius priuæ, & propriæ quarto modo, nec non celsitudines gloriæ illius, nobis sunt eliciendæ, ac deriuandæ. Ratio ipsa, & naturalis rerum ordo nos docet, Matrem esse Filio suo, omnium parentum, & amicorum post Patrem primam, ac proximam. Cùm igitur B. Virgo sit Mater IESV Christi, sequitur necessariò eius carnem, ex qua caro IESV Christi Filij eius elicita permolita, & compacta est, altius cæteris creaturis omnibus euehi, & cum Christo exaltari debuisse; nec parem gratia, & gloria illi dari posse, non magis cœlo, quàm in terra.

Nec quemquàm iam ferre potest Christi sue priorem,
Alma Parens sue parem. *Lucan. lib. 1. Phars.*

Filius iste, cognomento bonus, IESVS Christus, noluit Matrem suam redigere in ordinem, vel primæ Hierarchiæ, qua Angeli, Archangeli, ac Principatus continentur; quòd sic quoque cæteris illis sex ordinibus supereminentibus fuisset inferior: non in alterius, quòd etiam sic Thronis, Cherubinis, ac Seraphinis eam subiecisset: sed nec in tertiæ, ac supremæ, quòd ne tum quoque dignitas eius summa supereminens, & incomparabilis fuisset, vt esse oportuit; sed pares etiam sic habuisset, quod parum decere videretur. Nam gratiæ illæ omnes, dona, ac priuilegia, quæ cuicunque creaturæ meræ diuinitus concessa sunt, debentur multo ampliore forma, ac mensura ipsi Matri Dei, ne ipsa Mater Dei vllo nomine seruis Filij Regina ipsa Aulicis eiusdem, & suis inferior censeatur; imò ne vllus ex ipsis illi par videri possit: vndè, & thronum stupendæ gloriæ, & incredibilis Maiestatis ipsi assignauit, & erexit (vt tradunt Doctores Sancti) in Hierarchiam nouam, ac singularem, cæteris omnibus excellentiorem.

Incedit Diuum Regina: Deique,
Alma parens, Coniuxque sai. *Vide Virg. 1. Ænei.*

At quæ mens capere, quæ lingua non dico eloqui, sed vel nude narrare queat gloriam Virginis huius glorioſæ? *Si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus illis qui diligunt illum*; quis mortalium iustè æstimet pondus, numerum, ac mensuram bonorum, quibus cumulatissimè idem ille condecorauit, eam quæ se genuit, lactauit, aluit, & illi plusquam ancillariter, tanto affectu, ac studio seruiens necessaria omnia procurauit? Fruitur omni ea gloria, & beatitate, quæcunque animo fingi, aut merito optari sub Deo possit. Sanctis omnibus sanctior est, & beatior etiam beatissimis: eius gratiæ gratiam

parem

Bre. Ro. 15. Aug. in festo Assum. — *Vt verto ex Gall.* — *Terent. in Andr. act. 1. scen. 1.* — *Virgil. libr. 6. Ænei.* — *Vt verto ex Gall.* — 1. *Co. 2.* *Isai. 64.*

parem reperire non est, nec eius gloriæ gloriã cuiusquã æqualem. MARIA, Margarita quædam est (vt sic dicam:) *Principem* enim *culmẽque omnium rerum pretij margaritæ tenent*, teste Plinio? & haud in promptu est, vt *duo reperiantur indiscreti*, eiusdem sensu? ideoque dici putant Vniones? Etiam author meriti pretijque nostri est MARIA Virgo: *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem*, non gratia, non gloria. Vnio est, vnio est, maximè vnus. Margarita est, MARIA Deipara, ab omnibus creaturis multis nominibus discreta. O MARIA! O Margarita! O Vnio summi pretij! Doctores, & Magistri nostri Sãcti, de glorioſa hac Virginis Exaltatione, miranda profectò scriptis mandauerunt. Sanctus Bernardus in primis ait, eam gloriam, qua nunc in cœlo perfruitur, summæ illi gratiæ, qua in terris impleta fuit, parem esse, his verbis: *Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris: tantùm, & in cœlis adepta est præ cæteris: tantùm, & in cœlis obtinet gloriæ singularis.* Et paulò ante. *Vt nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei MARIA susceperit;* (sic) *nec in cœlis regali solio, in quo MARIAM hodie MARIÆ filius sublimauit*, sibique assedere iussit, & latus dextram claudere. Et alibi. * *Gloria MARIÆ animis capi non potest, nec linguis exprimi. Ipsi proceres, & Aulici Cœlites in eius contemplatione obstupescunt, & prorsus euanescunt.* Andreas Cretensis docet, * *MARIÆ gloriam omnis ingenij captu superiorem esse, quòd ea vna maior, & vberior sit, quàm Sanctorum, & Angelorum ipsorum vna, & globatim vniuersorum.* Sanctus Damascenus, ait multum differre Matrem Dei, ab eius clientibus Diuus Chrysostomus affirmat, Virginem Seraphinis longè esse glorioſiorem, & frustra comparari. Beatus Iustinianus scribit, * *quidquid aut beatitatis, aut honoris possit priuatim in quocunque Sanctorum reperiri: id iure coactum, & conglobatum in MARIA vberrimè inueniri.* Seraphicus quoque Doctor, Sanctus Bonauentura noster, docet * *Immensam Dei potentiam, ac bonitatem splendidius in vna, ac sola Virgine MARIA euideri, & imicare, quàm in toto creaturarum cæterarum omnium globo, ipsarumque perfectiones in ipsam, velut quãdam epitomen, longè perfectius confluxisse*, sicque loquitur. * *Quemadmodum Beatissima Virgo MARIA cæteros Diuos omnes gratijs, ac meritis antecellit: ita omnes quoque anteit, gloriæ, & præmij amplitudine.* Hæc, & alia his similia, sancti pronuntiant, cùm in sermonem, de sublimi Exaltatione excellentiaque Beatæ Virginis, incidunt, valdè conformiter amplissimis, illis priuilegijs, illi concessis, quòd eam Deus in Matrem è tot millibus vnam sibi delegerit, qua vna dignitate nulla maior potest creaturæ contingere, cui parem oportet esse eam dignitatem, quàm stellam nonam dicimus, qua cum primis constat pretioſum charæ nostræ Principis vndequaque formoſæ, sanctæ, & in æternum beatæ, diadema.

Pli. lib. 6. natu. hist. cap. 35.

D. Ber. serm. 1. de Assumpt.

Idẽ ibid.

** Vt ver to ex Gal lic.*

** Vt ver to ex Gal lic.*

** Vt ver to ex Gal lic.*

** Similiter.*

** Vt ver to ex Gal lic.*

Stellæ decimæ declaratio.

X.

Stella decima, quæ tota elegans est, & radians, mireque Beatissimam Virginem illustrat, est latum eius Imperium, ac Dominatus in toto hoc, quam longè latèque patet, vniuerso. Nam creaturæ ad vnam omnes, tam cœli, quàm terræ, adeoque ipsorum Inferorum eam Dominam agnoscunt, eius dicto, ac nutui parent, reformidant, adorant: * *quod deceat* (inquit Sanctus Ioan. Damascenus,) *Matris gloriam, ijsdem cum Filio bonis, atque honoribus gaudere.* Ac, * *si qui ex ipsa natus est* (inquit Sanctus Athanasius) *Rex noster est, summusque Dictator; sequitur profectò, & ipsam Reginam, & Dominam nostrum omnium Maximam habendam esse,* * *An non enim* (vt loquitur D. Bernardus) *legitimè eorum omnium Domina est, quorum Filius eius sit Dominus.* Ingenuè igitur libereque profiteamur, illustrissimam hanc Augustam toto hoc Vniuerso regnare, & æquis passibus potestatem eius, cum voluntate procedere, id est, posse quidquid velit, nec velle quidquam, quòd non possit. Si quid libet, licet.

** Vt ver to ex Gal lic.*

** Vt ver to ex Gal lic.*

** Idẽ.*

Sanctus Bernardus tam latam, hanc eius potentiam adtentius adspectans, exclamat: * *Tibi datum, ò Domina mea, omnia posse in cœlo, & in terra, & facere quidquid animo tuo collibuerit.* O rem ingenti admiratione dignam! O prodigium inauditum! An non inusitata quædam res est, & cuius consideratione omnes obstupescant, ita Omnipotenti visum fuisse, vt ea certa quodammodo, pari secum iure vteretur, & cœlo terræque, omnique creaturæ imperitaret? * Sancta Brigitta, in reuelationum suarum narratione, etiam refert, B. Virgini, simulac solemni pompa, & triumpho cœlum ingressa est, Deum in cœlorum omnium altissimo throno considere dedisse, sociam regni eam fecisse, imperium totius Vniuersi contulisse, Dominam, ac Magistram Equitum cœlestium, totiusque militiæ Angelorum dixisse: cui

Simili-ter.

** al Bri gitta.*

sen-

sententiæ, & ipsa subscribit, his verbis à Spiritu Sancto illi adtributis. *In omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui.* Et profectò res est omni admiratione superior, quòd puellula Dictaturam perpetuam, & irretractabilem in Cœlo, & Terra, & in Inferis ipsis vltimoque Tartaro, exerceat, & hoc ipso, cum ipso rerum omnium Creatore, & Rectore, de paritate, æqualitate, ac similitudine, possit quodammodo (vt sic loquar) contendere. Sed excedit excessum omnem, Terramque in Cœlos ipsos admiratione concutit, videturque ipsa natura ab eo abhorrere, vt Deiparæ aliquod etiam imperium sit in Omnipotentem ipsum, Cœli Terræque Creatorem, ferè exemplo.

Eccl. 24

Horat. Car. li. 3. Ode. 1

Regum timendorum in proprios greges. Nam certè.

Reges in ipsos imperium est Iouis. Ait ille.

Sene. in Thyeste, Act. 3.

Omne sub regno grauiore regnum est. Ait alius.

Ingne. Virgil. Bucol.

Torua leæna lupum sequitur: lupus ipse, capellam. Ait tertius.

Eccl. 2. Ioan. 19

Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper, ait primus, & nouissimus Pilato Iudici insolescenti.

Quot vt animis capere possimus, recordemur, eam Dei Matrem esse, ipsumque si in Terra constitutus ei paruit, iugoque præceptorum eius collum libens submisit, etiam nunc in Cœlo regnantem, qua Filius eiusdem esse perstat, perstare in eodem officio, præstare se mollem, & cereum ad iussa eius, & votis pijsque eius desiderijs omnibus non grauate subscribere; denique quidquid tandem optet, libentissimè indulgere, ferè, vt his verbis Salomonis ad Matrem exprimitur. *Pete, Mater mea; neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Augusta hæc Imperatrix, vt nobis depingat expressiùs, quæ & quanta sit potestatis suæ, apud Deum amplitudo, quatuor dicit notatu dignissima. *Gyrum Cœli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti.* Primo sententiæ huius membro significans, se toti Cœlo imperare; altero, in medio Inferno regnare; tertio, suo vnius fauore, & gratia, vinctos in purgatorijs illis barathris, inde liberari, absolui, & multum solatij consequi: quarto, res vniuersas ex arbitrio nutuque suo pendere. Denique: quid aliud ad amplissimam hanc summamque Beatæ Virginis dignitatem verbis celebrandam

3. Reg. 2

Eccles.

A aliud dicamus, quàm penes ipsam esse ius vitæ mortisque in omnes creaturas, & Dominam esse Vniuersi? Vir quidam sanè grauis, & in ipsam priùs, excellentias eius scitè (sensu meo,) exprimit, in pia quadam, & ardenti ad eam oratione, quam hic visum fuit commodum inserere, ad solatium piorum huius Heroinæ clientulorum. * *O Virgo pura,* (inquit ille) *& singulariter Beata, plena gratiæ, & gloriæ, quæ mulieres omnes beneactionum copia, superasti; quæ Angelos, puritatis claritudine, longissimè post te relinquis; & inter omnes Sanctos, humanitatis, & clementiæ laude, tantùm eminens.* *Viver. ex Gall.*

B *Quantum Poma aliàs inter caput extulit orbes, (si tamen sic licet tàm paruis tam magna componere;) tu Dictaturam, post Filium tuum, toto hoc, quam late patet Orbe exerces; tu mortalibus ægris, & quomodocunque miseris, benignè, porrigis dexteram, sic vt non modo nulla dies habeat, quin linea ducta supersit misericordiæ tuæ in genus humanum; sed ne momentum quidem. O Virgo amabilis æquè, & admirabilis, quæ Filium Altissimi, & Mundi Saluatorem genuisti. O Mater salutis; fons misericordiæ: animæ nostræ miseræ, & moribundæ; si tamen nondum plusquam quatriduanæ & fœtidæ, mortuæ, te suspirant, ad te adspirant, tibi supplicant, te salutant, & Mundi Reginam agnoscunt, adplaudunt, amplitudinesque tuas tibi gratulantur; de gloria, de Imperio tuo latoque Dominatu collætantur: immò, & de glorioso tuo ad Filij tui dexteram conscisso, vbi ad Diuinitatis similitudinem proximè accedens, detersaque propè omni Humanitatis corporeitate, Cœlos ipsos arbitratu tuo moderaris, Soli lucem impartiris, mundo imperas, Inferni factum sine fastu calcas, & stellas ordinas; cui elementa ancillantur, & anni tempestates obsequuntur: quam Angeli adorando venerantur, dæmones trepidi reuerentur: cui populi Regesque adgeniculantur, Beata genua tua præsantes, nulloque* *Vir. Bucol. Ecc.* *Faustus And. in Distic. Ioan. 11*

C

D *non honoris officio, & clientelæ professione, Sanctè adulantur. Maiestatis tuæ (ò Cœlorum, Inferorum, Terræque Domina) ea est amplitudo, ab collato illo Imperio, vt à nemine possit pro dignitate explicari.*

Non, vel si linguæ centum sint, oraque centum.

Ferrea vox. Vlucres Cœlum peruolantes, feræ in montibus errantes, serpentes in cauernis delitescentes, pisces inter fluctus natitantes, creaturæ tandem omnes te Heram agnoscunt, Matrem, Filiam, ac Sponsam Dei, ac Domini rerum omnium. Sola oculorum tuorum nictatione, das floribus gemmascere: seminibus emergere: germini-

bus crescere : terræ ali, & alere: fluminibus decurrere : & ventis. Minima fauoris tui aspiratione, pro arbitrio inflectis, ac reflectis destinata, & ordines causarum secundarum reordinans neque apud ipsam primam rerum causam (quidquid tandem optes) vllam vnquam pateris repulsam. Illos ergo misericordes & benignos oculos tuos, ad nos miseros (ò vtinam miserandos!) pecatores conuerte, & potentiæ tuæ amplitudinem ostende, nos ipsos vincendo: nobis illa orationum tuarum vt incredibili, & meritis tuis, omnis rei impossibilis (vt sic loquar) victoribus impetra plenariam, & plenissimam criminibus nostris indulgentiam, gratiæ diuinæ dignitatem, atque, vt decursò lamentabilis huius exilij spatio in Cœlum Beatorum idoneis, & statis gradibus ascendamus, ibi Deo summo illo omnium nostrum bono, & totius felicitatis, ac beatitudinis nostræ centro, perfruituri.

STELLÆ VNDECIMÆ *Declaratio. XI.*

Stella vndecima pretiosissimæ coronæ Virgininis, adeò effulgurantis naturæ est, vt non dumtaxat eius diuinum caput exornet, sed in nos quoque splendoris sui radios vbertim diffundat, & beet, incredibile in nos æternæ salutis beneficium deriuando. Stellam istam non aliud interpretor, quàm sublimem *Mediatricis* inter Filium suum, & nos mortales dignitatem; vnam ex rationibus illis causalibus, quarum intuitu Deus (vt Sancti Doctores affirmant) ab æterno sibi Beatam hanc Virginem delegit in Matrem, & in hunc orbem destinauit; ac deinde in Cœlum recepit, extollens eam supra omnium creaturam altitudinem, totique vniuerso cum potestatis plenitudine præficiens, eoque euehens, vt *Mediatricis* potentissimæ munere, in gratiam peccatorum, fungeretur, maternis precibus suis iustum eius furorem mitigans, & mortales illi reconcilians.

* *IESVS Christus* (ait Sanctus Bernardus) *abundè vnus, ac solus sufficiens erat profectò, ad generis nostri reparationem, vt potè ex quo omnis sufficientia nostra est; rationibus nostris commodum non erat eum solitarium esse; eum in hac Virgine collegam adeò conuenientem habere, magis nobis expediebat. Verum quidem est, Filium hominis IESVM Christum, fidelem planè, & præpotentem esse Mediatorem: sed mortales augustam illam diuinamque eius Maiestatem in Humanitate, qua velut Laconico velo tegitur, pellucentem, & transparentem, reformidant.*

* *vt vtero ex Gall.*

1. Cor. 3

*Quamuis enim sit multò clementissimus, & suauissimus, semper tamen retinet Iudiciariam illam potestatem, qua fit, vt rei sontesque ad thronum gratiæ eius adire magis perhorrescant. Itaque Mediatricis munus concessum est Beatæ Virgini, vt quam iure non debeat humana fragilitas pertimescere, in qua scilicet nihil austerum, aut formidabile, sed potius omnis suauitas, benignitas, bonitas, & (quod fœminei sexus proprium est) omnigenæ misericordiæ vbertas. * Quid ad MARIAM trepidet humana fragilitas? Nihil in ea austerum, nihil terribile. Tota suauis est, plena pietatis, plena gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ. Affectum compatiendi, subueniendi abundat, effectui nuocantibus eam subuenit vniuersis. Denique omnibus omnia facta est: omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiunt vniuersi.* Hactenus Magnus Diuus Bernardus mellitissimè, vt solet omnia, apis scilicet penè Attica.

* *Verba ipsissimi Diui Bernardeveris. Apoca.*

Quantacunque igitur mole, aut fæce peccatorum homo quiuis prælus sordidusque iaceat; habet cur non desperet salutem, sed toda fiducia recurrere audeat, ad misericordem hanc Heroinam, cui in gratiam mortalium adultum est, glorioſum hoc *Mediatricis* munus, inter IESVM Christum, & peccatorem quemcunque, & ipsa summa fide, instar Patroni optimi, peruigilis, & in omnia intenti, causas nostræ salutis actitat; atque, vt mater misericordiæ, stat brachijs latè extensis, & sinu aperto, velut parata peccatores vniuersos admittere, qui eius opem implorarint. Fieri non potest, vt quis æternum pereat, qui ad eam decenter perfugerit.

In hac certè sententia est Doctus, & Sanctus vir Anselmus: * *O te Beata* (inquit ille) *MARIA! quemadmodum non potest non perire, quem despexeris; sic non potest non saluus fieri, qui ad te perfugerit, & gratiam apud te inuenerit.* Huc pertinet preclaræ illæ lacteo melleoque eloquentiæ fontis manantis Patris Sanctique Doctoris * Bernardi voces, tam charæ, & familiares pijs Concionatoribus, & toties ab eis ad populum vsurpatæ, ad animandos peccatores eosque alioqui desperaturos, ad certam spem salutis erigendos: Habes, ò homo (ait magnus ille Doctor) cur magna fiducia ad Deum accedas; quandoquidem, *Christus nudato latere, Patri ostendit latus, & vulnera: MARIA, Christo pectus, & vbera, nec potest vllo modo esse repulsa, vbi cõcurrunt, & orant, omni lingua disertius, hæc clementiæ * monumenta, & charitatis insignia.* Magni solatij res est miseris peccatoribus, quòd

* *vt ver. ex Gall.*

* *Arno. Carn. patius Ab. Bonæ. Vallis. Trac. de laudib. Mariæ,*

* *fortè mel (monumenta.)*

quòd sciant in Cœlo ipso degere, apud tribunal æterni sui Iudicis, Patronam suam, imò Matrem beneuolentissimam, quæ eadem vera eiusdem Dei sit Mater, Cùm saluator noster è crucis alta trabe penderet, hominem Deo reconcilians in Caluariæ monte; Ioannem Euangelistam charum discipulum, ocellulum, & castum delicium suum, Virgini commendauit, dicens: *Mulier, ecce, filius tuus;* ijsdem autem verbis, censent Sancti Doctores nostri, ipsum omne hominum genus in terris illi commendauisse, ac in primis peccatores, tanquam filios eius genuinos & ex ipsa natos. Ergò benedicta illa Mater duos tunc filios in illo monte Caluariæ habebat, & vtrumque mortuum, vnum corpore, alterum spiritu, vnum, infando & plusquàm Siculo Crucis pudendæ tormento; alterum animi pusilitate, & ignauia; vnum qui natura filius eius erat alterum qui solo benignæ adoptionis beneficio; vnum insontem, imò fontem totius innocentiæ; alterum peccatorem, & *qui humani à se alienum putaret*. Hoc videtur S. Anselmus spectasse, cùm ait: * *O tutum perfugium! Ipsa Dei Mater, mater etiam nostra est: vterque MARIÆ, filius, mortuus est, tempore acerbæ passionis Christi; alter ipsius Crucis acerbitate, alter animi sui perfidia. Itaque tunc viscera MARIÆ, stupendus amator impleuit, animamque ipsius gladius doloris pertransiuit*. Nulli matri tantum accidere possit voluptatis, de filio vnigenito, quem è mortuo videat potenter, & non sine ingenti miraculo, sibi nec opinanti reuixisse, quantum est gaudium illud, quod capit Santissima Virgo, ex seriâ Peccatoris ad saniora consilia, & ad Deum conuersione, ac supplici maternæ benignitatis suæ imploratione.

Ioã. 16. *Terẽ. in Heaut. Acto. 1. scen. 1. vtverto ex Gall.* *Luc. 2.*

Incredibilem, voluptatem illi creat, quisquis eius patrocinium inuocat. Et sic ego quidem interpretor, eam nullà sua dignitate (si Matris Dei excipias) adeò delectari, aut gloriari, atque vna ista qua *peccatorũ Mater* à Filio tùnc maximè instituta est: mireque ipsis condolet, ac compatitur, quoties ad eius præsidium perfugiunt. Ipsum MARIÆ nomen, mite & blandulum nescio quid spirat. *MARIA mater gratiæ, Mater misericordiæ*, accinit illi Ecclesia, indicaturiens infinitam Beatæ huius Virginis clementiam. Hinc S. Ignatius, Maior ille, Apostolis coæuus, & Martyr eam orat, *vt Misericordiæ suæ pallium si prætendat*, vt potè vera, & naturalis Dei mater; Mater autem peccatorum ab ipsis adoptata, & creta Filij sui decreto. * *Admitte me nunc* (ait hic Sanctus Martyr)

In Breu Rõ. sæpè

A *in maternæ pietatis tuæ sinum. Tu excellentissima Dei Mater, tu vera Saluatoris parens, & Mater adoptata peccatorum.* Eccùr putamus (quæso) Deiparam vulgò fere pingi palliatam, seu chlamyde sinuosissima, & prælongi syrmatis latè terram verrentis, superindutam, sub qua (vt sub matrum suarum alis solet grex tener pullorum, adhuc implumium frigentium, aut pauentium) mortales infiniti (& in primis Prædicatores ordinis S. Dominici) tuto deliteścant; cur hoc (inquam) nisi ad significandam latissimè patentem, imò ingentem eius misericordiam, qua omnibus perfugis, eiusque patrocinium spe magna implorantibus, pro asylo
B muroque firmissimo est, & protegit? Et quoniam Magnus ille Patriarcha S. Dominicus tutelæ Deiparæ almum suum Prædicarum Ordinem vnicè commendauit, ac defendendum dedit; hinc fit, vt & ipsi Virgini nihil prius, aut antiquius sit, procuratione singulari rerum, negotiorum, domorum, virorumque sanctissimæ illius, doctissimæque, & nobis Franciscanis, (more institutoque Fundatorum) amicissimæ, ac coniunctissimæ Congregationis. Pius enim ille Patriarcha Dominicus, vt præsagij, iam sepede (vt dicitur) stare in cymbà vectorum ex hac vita emigrantium, & *solum sibi superesse sepulchrum*; fertur toto pectore
C ad Virginem conuersus, & oculis lachrymarum imbre perfusis, sic eam affatus (vt quidem postea, ipsa Dei porta reuelante, didicit Sancta Brigitta;) * *Admitte Regina potentissima, admitte Fratres meos, à me hactenus habitos educatosque tanta solicitudine, sub lætissimum misericordiæ tuæ pallium. Rege illos, animos eorum excita, & vires suffice, nequando prævaleat antiquus hostis aduersus eos, & insolenter victor victis insultet*, sicque Deiparam illi respondisse: *Do fidem mi Dominice amicorum charissime, quandoquidem me in vita habuisti te ipso chariorem, tutricem me perpetuam & certissimam filiorum tuorum fo-*
D *fore, iamque nunc istos, & posteros omnes. Et natos natorum, & qui nascentur ab illis.*

Iob. 17. * vt verto ex Gall. Virgi. li. 3. Ænei

Ex regularum tuarum præscripto, & Imperio victuros, sub pallij mei vmbram (vt rogas) admittere; pallij (inquam) id est, misericordiæ meæ, quam nulli supplici soleo denegare. En quanta sit cœlestis huius Heroinæ, Principis nostrę, in pios clientes suos clementia, adeoque in peccatores ipsos, qui se fidei eius committant; denique in nos miseros mortales vniuersos, quia Mater Dei est, *Mater gratiæ, Mater misericordiæ*, Mediatrix nostra hominum, & Dei, quæ cum primis summa eius dignatas censenda est,

quàm nobis ſtella diadematis eius vndecima repræſentat.

Stellæ duodecimæ declaratio.

XII.

STella duodecima & vltima, quæ ſplendiſſima radiorum ſuorum luce, toti orbi notior eſt, quàm ſol ipſe eſt *MARIÆ veneratio* latiſſimè patens, eique impenſa publicè, & ab Vniuerſis. Nam & Angeli ſurſum in Cœlo, & Homines hic in Terra deorſum, eam venerantur, & Beatam confitentur. Ità impletur Prophetia illa, qua in celeberrimo Cantico illo ſuo. *Magnificat*, ſic ipſa verè
Lucæ 1. vaticinata eſt: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Eccùr ita? ò Virgo
Ibid. fortunatiſſima cur ita? *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Sic Virgo diuinum animi tumque veritatis oraculum præſagijt, fore, vt ob glorioſa illa priuilegia ſua ampliſſimaſque dignitates (maximè autem ob vndecim illas iam ordine memoratas) *ſe beatam dicerent omnes generationes.* Ipſa dixit, & factum eſt.

Et rem quidem ità habere, an non indè euidetur, quòd nulla ſit regio aut pars orbis, etiam ab hoc noſtro clamite remotiſſima, nec in hominibus gens vlla, tam barbara, tam inurbana, & tam ferrea ſit, quàm fingi poſsit, quæ non benedicat, non dilaudet, non adoret Magnam Matrem Dei, Virginem MARIAM, Cœli Terræque Reginam Auguſtiſsimam. Principio quicunque Chriſti nomine cenſentur, ij certè Templa, Sacella, Oratoria illi ponunt. Aras erigunt; vota conſecrant Phratrias, & ſacras ſodalitates, ab eius nomine, feſtis, ac beneficijs inſtituunt. Nulla regio eſt, ſeu anguſta ſit; ſeu longè, ſeu latè pateat, ſeu fertilis ſit ſeu infertilis, ac ſterilis, in qua non vel Templum eius aliquod, vel certè Oratorium reperias. Sed nec mortalium quiſquam adeò eſt impius, & ſceleribus coopertus, cuius animum non aliqua in ipſam religio, & pietas tangat. Quid? Ipſi Iudæi (vel Ioſepho teſte, in ſuis. Antiquit. libris) ipſi, ipſi inquam Iudæi, quamuis capitales coniuratique Chriſtiani nominis hoſtes, MARIAM, quoque laudibus efferunt. Et verò S. Bonauentura noſter Doctor vbique Seraphicus Angelici intimus, & condiſcipulus, ait: Iudæos ipſos affirmare MARIAM fuiſſe mortalium ſine controuerſia formoſiſsimam, nec tamen ideò quamquam (ò rem huic mortalium vni quarto modo propriam!) amore eius libidinoſo arſiſſe; potius pudiciſsimum eius, & plenum Virgineæ diuinæque quodammodo Maieſtatis intuitum, ſolitum impuras omnes cogitationes ſpectatorum iugulare, aut certè procul abigere, & animos puros caſtoſque efficere gentes aliæ, à Fide tamen Chriſtiana abhorrentiſsimæ, vt feritate barbaræ, non minori reuerentia eam proſequuntur. Vt enim ſcribit S. Antonius, parte Summæ ſuæ Tertia. Turcæ etiam Maurique MARIAM adorant & laudant in ſuis; ſeu Templis, ſeu (vt vocant) Mezchitis; adeòque ſunt Mariani nominis obſeruantes, vt perquàm ſeverè in eos animaduertant, qui illud blaſphement, aut irreuerentiùs vſurpent. Ex his ergò liquet vt B. Virgo vniuerſim ab omnibus honoretur, quam eius dignitatem ſtella duodecima repreſentat, cuius præſens commemoratio, finem pulcherrimæ diadematis MARIALIS texturæ dabit ſatis opportunam.

Quiſquis igitur veri nominis Fidelis, & Chriſtianus velet harum duodecim dignitatum meminiſſe; imò verò glorioſum verticem huius ampliſsimæ Principis Angelorum, illuſtri harum duodecim ſtellarum ſpiritalium diademate coronare; is me autore, duodecim quotidiè ſubmiſsis & profundis reuerentijs eam condecoret: cumque ipſas exercebit, tacitus tamen, & nullum vocalem ſonum edens cogitet, & oculis mentis repræſentet immenſam MARIÆ amplitudinem, ex imoque pectore eliciat, actus congratulatorios, vt in capitibus ſuperioribus docebamus. Multi rerum ſpiritalium ſtudioſi, ac Magiſtri, in memoriam ſtellarum harum, quibus corona Mariana conſtat, duodecies ſalutationem Angelicam recitant. Et profecto ea pietas gratiam ſuam ſanè maximam habet, mihique placet non mediocriter: veruntamen, vt præterea plus vel ſpeciei, vel ſatis habeat, autor ſim adiungendæ toties ſubmiſsioris reuerentiæ, quoties duæ priores hæ voces (Aue MARIA) pronuntiabuntur; ſic enim totiès & ſalutabitur & adorabitur; ad inſtar Angeli Gabrielis, glorioſa hæc Heroina, & Regina Angelorum.

Profuerit etiam, vt reuerentiarum harum exercitia ardentius, ac religioſius fiant, & ad alendos igniculos amoris in Virginem noſtri; ad ſingulas ingeniculationes, proferre titulum è multis vnum aliquem amplitudini & Maieſtati Virginis congruentem, *farique iuuantia verba.* Coegi hic in faſciculum, duodecim titulos eius facilè eminentiſsimos, & vnà in praxin redegi.

I. *Adoro te*, ò MARIA, Summi Æterniique Imperatoris, Illuſtris filia. II. *Adoro te*, ò MARIA, ſponſa cœleſtis Spiritus Sancti. III. *Adoro te*, ò MARIA Incarnati Verbi, Mater glorioſa. IV. *Adoro te*, ò MARIA Mater ſanctiſſima.

sima Omnipotentis. V. *Adoro te*, ò MARIA, Filia, sponsa, & Mater, Trinitati Sanctissimæ charissima. VI. *Adoro te*, ò MARIA, in excelso gloriæ Throno sedens, ante cœlestes omnes Angelorum Hierarchias. VII. *Adoro te*, ò MARIA, sanctioris gratiarum diuinarum Ærarij arcaria, & clauigera. VIII. *Adoro te*, ò MARIA, Regina Cœlorum Augustissima. IX. *Adoro te*, ò MARIA, Angelorum Magistra dignissima. X. *Adoro te*, ò MARIA, Imperatrix totius Vniuersi. XI. *Adoro te*, ò MARIA, Mater nostra misericordissima & spectatissimæ fidei Aduocata. XII. *Adoro te*, ò MARIA, Regibus & Monarchis mortalibus omnibus chara & honorata: & vel ab ipsis Aulicis Principibusque Cœlestibus adorata.

Hic subieci aliud Adorationis genus, datâ tamen pio Lectori optione, vtrumlibet exercendi.

I. *Adoro te*, ò MARIA, cum Cœlitibus Angelis vniuersis. II. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Archangelorum. III. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Virtutum. IV. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Principatum. V. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Potestatum. VI. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Dominationum. VII. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Thronorum. VIII. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Cherubinorum. IX. *Adoro te*, ò MARIA, cum Ordine Seraphinorum. X. *Adoro te*, ò MARIA, cum toto genere mortalium. XI. *Adoro te*, ò MARIA, cum animabus omnibus piè defunctorum. XII. *Adoro te*, denique ò MARIA, & si possim velim te adorare, cum creaturis Cœli, Terræ, Infernique vniuersis.

Virginis studiosus, & adorabundus cultor, genuflexiones istas duodecim, magno animi ardore, exerceat, quòd singulæ mysterij grauidæ sint; & quoties se illi reuerenter incuruarit, toties fulgentissima stella, caput sanctæ huius Heroinæ ornauerit; cumque pensum hoc compleuerit, coronam pertexuerit, chariorem certè ipsi & gratiorem, quàm si illam mũdus quiuis muliebris, gemmæque ex vltimo Oriente quæsitæ, imò etiam lucentes stellæ cœlo detractæ confluentes cum maximæ quoque artis accessione exornassent. Fuere, qui Angelos viderint astantes quibusdam religiosioribus Deiparæ clientibus, qui ex ore sic Virginem adorantium, & Angelicam Salutationem recitantium, rosas Præstanis, Prouincialibus, & Hollandicis pulchriores colligerent, & innodarent, textamque demum ex eis corollam capiti benedicto Heræ suæ charissimæ imponerent. Oh! Hinc abundè docemur, ex studio hoc nostro sic repetito adorandi, Virginem magnam capere voluptatem, ipsisque clientibus operam illam vltissimam esse, & ad meritorum cumulum pertinere.

Ac, quoniam hoc ipsum studium, cum congratulatione coniunctum, qua collætamur Virginique applaudimus, de honorum, quibus in Cœlo perfruitur, accessione sic multo gratius illi est; visum mihi fuit operę pretium, hìc adijcere duodecim alios genuflexionum modos, duodecim illis eius dignitatibus respondentes, quas superius vbertim declarauimus, quòd eas ipsas exercendo, etiam in mentem reuocabimus metallitim, & ordine singulas duodecim eius dignitates, quibus excellit in Cœlo, magna & incredibili sua cum voluptate. Igitur, quotiescunque aliquo reuerentiæ genere Virginem colet quilibet eius clientulus: etiam vel mente, vel ore, dicat, aliquam ex subscriptis istis preculis iaculatorijs vnam, eo ordine, quo sunt à me hic dispositæ.

Reuerentiæ duodecim, dignitibus duodecim Virginis respondentes.

I. *Mihi* guadeo, tibique & tecum toto pectore gratulor, ò Virgo glorioſa, fuisse te ab æterno destinatam Seruatoris nostri matrem, & Sancti Spiritus Sanctuarium. II. *Mihi* gaudeo, tibique & tecum toto pectore gratulor, ò Virgo glorioſa conceptam te incontaminatè, & sine originali peccato, adeò vt pulchritudine & puritate Angelos ipsos cœlestes antecellas. III. *Mihi* gaudeo, tibique & tecum toto pectore gratulor, ò Virgo glorioſa, te primam omnium, voti perpetui religione, Virginitatem tuam Deo consecrasse, viamque strauisse tot Virginibus, quæ te, in tam raro, & generoso cœpto sequutæ sunt. IV. *Mihi* gaudeo, tibique & tecum toto pectore gratulor, ò Virgo glorioſa, te veram, ac naturalem Omnipotentis Matrem esse, quæ tua summa in Cœlo dignitas est, ex qua etiam omnis gloria tua, ac decus dependet, ac velut ex fonte ortum suum habet. V. *Mihi* gaudeo, tibique & tecum gratulor, & colletor, ò Virgo glorioſa, tanta te illustratione à Spiritu Sancto decoratam, ipso Incarnationis diuino articulo. VI. *Congratulor* tibi, ò Virgo glorioſa, & toto pectore congaudeo, plenitudinem gratiæ tibi fuisse collatã, teq; omnigena virtute & perfectione fuisse dotatam. VII. *Condelector* tibi, ò Virgo glorioſa, mihiq; incredibiliter arridet, te dignã visã esse, quæ Ancilla & silentiaria sum-

mi Monarchæ noſtri fideliſsima creareris: ſic vt vellet pene *ſolam Maximus ille.*

Virg. 4. Æneid.

Te colere, arcanis etiam tibi credere ſenſus:
Sola Dei & molles, aditus & tempora noſſes.

VIII. *Valde* me tecum delectat, Virgo glorioſa, tecumque toto pectore gaudeo, Priuilegij illius ampiſsimi nomine, quo te Deus honeſtauit, nempè vt cęleſti, contemplationi inceſſanter fruereris. IX. *Pari* te cum lætitia afficior, Virgo glorioſa, tibique toto pectore gratulator, te in ſublimi throno gloriæ ſedere, ſupra choros omnes Angelorum, ac ſic modo quodam, *te penes eſt, vnà vaſti cuſtodia mundi.* X. *Tecum* gaudeo, Virgo glorioſa totoque pectore gratulor, amplitudinem ditionis, ac poteſtatis tuæ, in totum hoc Vniuerſum, imperijſque tuis Cœlum, Terram, Inferoſque ipſos colla ſubmittere. XI. *Tecum* gaudeo, Virgo glorioſa, totoque pectore tibi gratulor, te Matrem nobis contigiſſe dulciſsimam, beneuolentiſsimam, omnemque mouere lapidem, more fidelis Aduocatæ, vt hic nobis benè ſit, & beemur in æternum. XII. *Exulto* denique tecum; Virgo glorioſa, & quàquà poſſum tibi gratulor, nomen tuum apud gentes omnes celebrari, amplitudinem tuam laudari; gratias tuas, actaque, & merita tua altiſsimè decantari.

Sic autem ſentio ego quidem, genus hoc genuflexionum excellere, imò ipſi Virgini eſſe omnium acceptiſsimum, quod egregiè tunc teſtata eſt, cum S. Brigidæ filius nomine Carolus expiraret, qui inter cætera religionis erga B. Virginem exercitia, iſto maximè delectabatur, quo ipſi congaudebat, & honoribus prærogatiuiſque quibus ipſa fruitur, applaudebat. Rem ipſam hic narrabo ad maiorem pronuntiati huius confirmationem, planè vt eius Mater in Reuelationibus ſuis eam deſcripſit. Erat piæ illi matronæ filius vnicus nomine Carolus, vir ingentis animi, magni vſus, & valde potens armis, ſed qui præmaturè & ætate florentiſsima è viuis exceſſerit. Cùm eius rei nuntius triſtis ad Matrem eius, in Terra Sancta peregrinantem, perlatus eſſet, ſubitò in genua procubuit, perculſa profectò dolore peruulgato, & quem ferè vel fortiſsimis quibuſque eiuſmodi iactura ſolet creare, ſed illo maximè, quem illi excitabat ſalutis ipſius incertitudo: cœpit multum ſuſpirans, & vbertim lachymans, orare Cœlorum Reginam, vt certiorem ſe facere dignaretur, quo loco res ſumma, ſeu ſalus animæ filij ſui verſaretur. Ardentius oranti apparuit Deipara Virgo, ſicque eam affata eſt: * *De filij tui ſalute, ne dubites, Filia mea: ea res mihi cu-*

**vt vertо ex Gall.*

ræ fuit, quantæ oportuit. Nam moribundum, & iam iam efflaturum animam, viſitaui, ſicque animum illius præmuniui, vt nulla tentatione poſſet expugnari. Sed nec vllatenus in Fide rebus vacillare. Quin etiam effeci, vt imperturbatè & impetertitè, imò alacriter mortem exciperet, ne forſitam aliquis illius rigor, aut horror ipſum cogeret vel deſperare de ſalute, vel blasfemare. Ex cellula quoque ipſius, magnam dæmonum frequentiam abegi terrore præſentiæ meæ, conantem quà dolis, quà viribus, pertrahere ipſum in gehennam: & ſimulac expirauit, animam eius in ſinum meum ſuſcepit, & aduerſus omnem agminis illius infernatis violentiam defendi. Eiuſmodi fuit Virginis reuelatio & collocutio cum S. Brigida, de filij ipſius morte. Quis autem fuerit cauſæ eius exitus, quæue iudicij ſententia, non ità multò pòſt ei quoque iudicare Virgo dignata eſt, hoc ferè modo ad S. Sepulchrum Domini noſtri cum die quodam ſancta hæc matrona Ieroſolymis, oraret, exſtaſim paſſa, viſa ſibi eſt introducta fuiſſe in Palatium vaſtum & ſumptuoſum, ibique videre IESVM Chriſtum Dominum noſtrum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, cuiuſmodi ferè ſunt Throni Imperatorum, matre Deiparara illi proximè aſsidente, infinita Angelorum multitudine ipſos coronante. Tum, in conſpectum formidabilis illius Iudicis prodijſſe animam Filij S. Brigidæ, claudente latus eius dextrum Angelo ipſius cuſtode, Diabolo autem ſiniſtrum, qui etiam voce horrida, & terrifica ſic exclamarit: * *Te Iudex omni potens, inuoco, teque oro iuſtè mecum agere, & iniuram illam, qua maxima, quæ mihi vnquam contigerit, affectus ſum, digne vlciſci.* Iudice autem, à quo tam male habitus eſſet, ſciſcitante, Diabolum reſpondiſſe: *A Matre tua, Domina mea, quæ contempta omni Iuris æquitate, arroganter auſa eſt animam hominis huius ſceleratam, per vim mihi extorquere quam hic coram te timidè adgeniculatam vides; Cùm enim ea cum morte luctaretur; irrupit ipſa in cellam eius, meque cum meis omnibus indè, fas nefaſue eſſet, indecore abegit; ſed neque accedere ad eam prapiuſculè mihi permiſit, vt more meo eam tentarem in illo rerum cardine. Fraudans me (nulla mea in ipſam iniura) licentia mihi à tua Maieſtate iam olim conceſſa agitandorum hominum his illiſque tentationum generibus, maximè vero inſtante morte, quo tantillo tẽpuſculo, ſerio vtrinque tota opum vi agitur de æterna vel ſalute, vel interitu. Hinc vides Domine mi, magnane ea ſit iniuria, & an non iuſtus dolor me huc pertraxerit, ius meum perſequuturum, & petiturum damni illius reparationem.*

**vt vertо ex Gall.*

Iàm

Iàm dæmon in epilogo, ac per oratione versabatur, cum Beata Virgo excipiens, ità respondit: **Quanquam fons & pater mendacij sis, & mendationum scateas, indeque gloriam captes; tamè nunc vera locutus es. Eripui tibi (fateor) facultatem, ac licentiam animæ Caroli, ac euertendæ; infestandæ sed longè maiori iure, quàm à te stet in hac actione & causæ dictione, quam tamen adeò iustam nobis videri vis, & picturatis tuis verbis conaris. Iudici persuadere. Nam Carolus cum in viuis esset, amoris erga me vehementis impetu propellente, nulla re magis delectabatur, quã congratulationibus, & plausibus inde conceptis, quòd me Deus in Matrem sibi ex omnibus fœminis vnam delegisset, & super omnem cœli altitudinem collocasset, adeò vt voluptatem istam vnã præferret thesauris vniuersis, illos non empturus, vel sola cessatione aut desitione mihi inde congaudendi & gratulandi: quin immò secum quoque tacitus affirmabat, se, si fieri posset, vt ea dignitas mihi tolleretur, & posset ipse vel obsistere, vel impetrare ne mihi dimeretur; non passurum mihi tolli, non si vel rarissimis illis delicijs, quas mundus vehementer miratur, illi idcircò frui concederetur: sed malle tormentis omnibus grauissimis obijci, quàm videre, vel minima me dignitatis illius parte priuari. Inùnc ergò, & censè, an non maximo eius merito factum sit, vt eam de manibus tuis crudelissimis extorserim; & an non æquius fuerit, ipsam à me per beneuolentiam tibi eripi & seruari, quàm te illam perditum ire, solo capitalis odij eius impulsu? Rectè inquis Domina mea, & valdè bonæ sunt omnes hæ tuæ rationes* (ait Diabolus, sermonem interrumpens:) *non tamen satis excusare possint euidentissimam illam tuam in me iniuriam. Non enim tibi satis fuit, me à Caroli lecto & cubiculo turpiter abegisse, nisi etiam animam illius simulac è corpore erupit, raperes contra fas iusque omne, quam à me supremo & generali hominum accusatore offerri Iudici discutiendam oportebat, ibique à me accusari omnium nequitiarum & proteruiarum, quas in vita perpetrasset.*

*Vt vertoex Gall.

Deindè, ad Iudicem conuersus: *Præses æterne* (dixit Diabolus) *cuius Æquitas Potestasque pares sunt, à te efflagito, vt in sceleratam hanc animam mihi à Matre tua Domina mea extortam, statuas quod iustum est. Ac, ne fortè iniustum, aut ineptum videatur, quod postulo; sic accipe de filio isto Brigidæ, ipsum simulac ratione vti cœpit, qua boni malique distantiam intelligere facillimè potuit, maluisse tamen vanis mundi voluptatibus, & carnis Libidinibus indulgere, quàm viam diuinorum mandatorum tuorum ingredi:* & his ita globatim propositis, cœpit coram Iudice omnia & singula eius peccata enumerare, tàm veniabilia, quàm capitalia & Læsæ Maiestatis, quæ miser ille adolescens tota vita perpetrasset, ac tandem concludere, pœnis seueriss imis esse subijciendum. Cui postulationi, Angelus custos, qui (vt diximus,) etiã aderat, ità respondit: *Audi, barbare & crudelis, audi iurate hostis generis humani: fateor, verò verius esse quod loqueris. An verò nescis, Brigidam matrem eius, matronam sanctam, & virtutis omnigenæ studiosissimam, non ignaram procliuitatis eius ad malum, quotidiè in gratiam eius vota concepisse, ardentissimisque precibus Deum adeò fatigasse, vt merita sit, filij sui visceribus timorem Dei tam altè imprimi, vt quoties illi humanitus labi in vitium qualecunque contingeret; dicto citius ad se reuersus, vehementer doleret factum, & culpam omnem contritione cordis, & perfecta oris confessione expiaret? Quod autem ad peccata illa eius spectat, quæ nobis, vt victoriæ spem, obiectas, an nescis Deum illi clementer remisisse, ob magnam eleemosynarum vim, & opera charitatis, quæ Mater eius sancta illa matrona mero amoris in Deum impulsu, vt filio Carolo prodessent, creberima exercuit? Aut & hoc ignoras. Brigidam totos triginta annos, noctes, ac dies cœlum infinitis precibus pulsasse, illachrymasse, ac ingemuisse, vt filio suo daretur, diuinitus, stare firmiter in fide, ac Dei obsequio, atque indè, eum sic diuinis flammis arsisse, vt nihil cupidius affectaret, quàm, vt in omnibus & per omnia obsecundaret Dei voluntati?* His verbis adtonitus, menteque confusus dæmon, & impotenter, ac ægerrimè ferens, spes suas omnes in fumum euanuisse; in has impatientiæ voces, ac blasphemias erupit: *Deus vetulam maledictam & superstitiosam, cum lachrymis, & mussitationibus eius perduit, per quam & causa, & spe prorsus excidi, operamque hic omnem perdidi;* & his dictis terribiliter vlulans, mox à conspectu Dei se proripuit; anima autem Caroli, iàm ritè expiata, & ab omni sorde peccati emaculata, decreto Domini Dei, sanctæque Matris eius accedente sententia, in cœlum, æternis gaudijs fruitura tandem recepta est. Per Angelum autem Dei cursorem, atque interpretem santæ huic Matronæ indicatum est, non in gratiam tantùm eius visionem hanc illi contigisse, sed cæterorum quoque, vt scilicet hinc discerent, quàm prosint peccatoribus etiam desperatissimis orationes, à iustis gratiosisque apud Deum hominibus fusæ pro ipsis, vt tandem ad se, & saniora consilia redeant, & ad beatitudinis æternæ metã & quietem perringant. Et quanquàm Iudicium illud, quod Brigida sibi videre visa erat, videri posset factum, post iustum aliquod, à morte Caroli sui, temporis interuallum; tamen in momento & ictu oculi, mox vt Ca-

*Vt vertoex Gall

rolus expirarat, gestum fuisse coram Deo. Ex hac autem narratione id colligere est; Nos, si Virginem Deiparam studiosè colamus, sincerè amemus magnificumque nobis & pulchrum ducamus ipsi ancillari; semperque in eius clientela sedulò versari; vsuros quoque ipsa tandem familiariter, & præsidenter, eiusque patrocinio perliberale, cum in vita tum in morte experturos.

Methodus elegans Adorandæ Matris Dei, gaudiorum commemoratione, quæ præcipua ipsi in vita contigerunt.

IN ea ferè sententia omnes sumus, Virgini in vita septem præcipua gaudia accidisse.

Vnum; ex Annuntiatione Angelica puerperij diuini salua Virginitate. *Alterum*; à Visitatione Sanctæ Elisabethæ. *Tertium*; à Natiuitate gloriosa Domini nostri. *Quartum*; ab Adoratione Magorum. *Quintum*; ab Inuentione filij sui IESV perditi in Templo. *Sextum*; ab Apparitione Domini nostri, simulac resurrexerat. *Septimum*; à beata sua Morte, & gloriosa in Cœlum Assumptione.

Amantiores atque ardentiores clientuli non inconsultè facerent, si quotidiè gaudiorum illorum memoriam refricarent, ruminarent, ac recitarent. Sic enim & ipsam noua quadam eaque incredibili voluptate essent, recreaturi; & sibi cumulum meritorum gloriæ infinitæ, congesturi. Angelus Gabriel salutans Virginem, lætitiæ profectò magnæ nuntius ei fuit, his verbis: *Aue MARIA*, id est, *Lætare MARIA*. Hæc enim vocula Aue (Origenis sensu) tãtumdem est, ac si diceret, *Gaude*, Ecclesia quoque ipsa sæpiculè ipsam lætari iubet. In quadam Antiphona sic ei accinit, *Gaude Virgo, gloriosa*: in alia, *Regina Cœli, lætare*, &c. & alibi, *Gaude & Lætare Virgo MARIA*. Nos ergò eius exemplo, ipsi quoque septem gloriosa illa sua gaudia nũtiemus, addita singulis sua reuerentia, & deuota proclinatione. Lectoris commodo, & rei facilitatandæ consulturus, methodum commodam, & minimè operosam hic subiecci.

I. *Lætare*, MARIA, te ab Angelo Cœli interprete salutatam, Verbum diuinum in sacra viscera tua concepisse, cum inbredibili animæ tuæ santissimæ voluptate. II. *Lætare*, MARIA, te diuino amore inflammatam, & à S. Spiritu afflatam, arduorum Iudææ montium iuga, ac difficultates superasse vt cognatam tuam Elisabetham visitares, eique salutem congratulationisque verba de fœcunditate diceres; vbi & Laudes tuas magnificas ex eius cygnæo yetulæ ore audisti, & reciprocissim, tu spiritu rapta Laudes illas omnes tuas in Deum, ac Dominum tuum magnificentissimè regessisti, ipsumque memorabili cantico prædicasti. III. *Lætare*, MARIA, natum ex te esse post nouem menses exactos, diuinum illum Messiam, quem tot votis, & tam cupidè vndecunque tandem nasci, ad salutem Mundi, præoptaras, & prodisse totum Lumine cœlesti radiantem, atque ab Angelorum beatorum turmis vniuersis fuisse adoratum. IV. *Lætare*, MARIA, visos tibi tres simul Reges Orientis, ad filij tui vixdum nati pedes humi procumbere, & stratos in facies suas adorare, vt Deum Verum, Regem, & Mundi Saluatorem; ex ea enim re, ò Mater Beata, magnam te voluptatem capere oportuit, videntem tam properata, & præcoqua futuræ eius magnitudinis testimonia, & tam certa sequuturæ tandem conuersionis Gentium præsagia, ac velut pignora. V. *Lætare*, MARIA, de filio tuo perdito, tandem non tam inuento, quàm reperto in Templo, post triduanam disquisitionem, & omnium locorum perlustrationem, magno tuo corporis labore, maiore cordolio, in medio Doctorum, iam stupentium tam progiosam in puero duodenni, & fabro doctrinam, facilitatemque plusquam Oedipicam dissoluendi griphos eorum omnes, ænignata, & Sphingica senum argumenta, atque explicandi abditissima quæque, & nodosissima Sanctæ Scripturæ mysteria. VI. *Lætare*. MARIA, te ex tristissimo illorum dolorum mordacissimorum Oceano, in quo tota sexta feria, necnon Sabbato, mersa iacuisti, tandem miraculo magno, non tam emersisse, quàm extractam fuisse, & suauissimè velut reuixisse, gaudioque te digno delibutam, quum primò diei Dominici diluculo tibi contigit filium tuum charissimum, delicium tuum, & desideriorum, ac teneriorum cogitationum tuarum animulum, rediuiuum, & velut renatum intueri, Sanctorum Patrum corona stipatum, de morte triumphantem, gloriosis Inferorum spolijs onustum; denique, tanta gloria, & felicitate exuberantem, quantis triduo antè doloribus, & afflictionibus visus tibi fuerat circumseptus, vt certè *habet præteriti doloris secura recordatio delectationem*. VII. *Lætare*, MARIA, te moribundam iam iamque experaturam, miraculoso Apostolorum aduentu honoratam, ac triduo post curatum funus tuum, in cœlum inuectam fuisse, coronatam, & à Sancta Trinitate Reginam Angelorum totiusque Vniuersi dictam, & constitutam.

Cic. lib. 5. epp. Fam. ep. 12.

Nar-

Narrat S. Anſelmus inter Dominæ noſtræ miracula à ſe ſcripta, Virginé Monacho cuidam benè pio, quotidiè ſeptem illa beatæ Heræ ſuæ gaudia animam repetenti, apparuiſſe, dum iam cum morte luctaretur, & multa in ſuo hinc tranſitu (vt fit) vereretur, ſicque affactam illum fuiſſe: * *Ecquæ tibi, fili mi, cauſa pertimeſcendi, qui me toties grata commemoratione gaudiorum illorũ, quæ mihi omnium maxima viuenti contigerunt, recreaſti? Tantum bono animo eſto, & procul Panicos iſtos terrores à te abige. Nã doſidem, nihil te aduerſi paſſurum, ſed participem gaudiorum illorum mox futurum, quorum totties mihi memoriam, per virili refricaſti.* Sic animo confirmatus eſt ille, & velut exſtaſin paſſus, adſpectu illo, & iucundo permiſſo Illuſtris illius Heroinæ cœleſtis, vt ſibi viſus planè conualuiſſe, geſtiret corpus ſurrigere, è lectulo exilire, pedibus eius ſe aduoluere, gratias acturus nomine tanti fauoris, ſed id piè conantem anima deſeruit, quã mòx Beata Virgo, Angelique adſtites, æternis bonis fruituram, cœlo intulere.

**vt vert. to ex Gall.*

Gaudia illa, ſeu iucunda ille myſteria vſui eſſe poſſunt, & meditationi ſeruire, ſingulis horis Officij (vt vocant) Virginis, vt, verbi cauſa: primum cum ante lucanæ, ſeu Matutinæ preces recitantur; alterum, *ad Primam*; tertiam *ad Tertiam*; quartum *ad Sextam*; quintum, *ad Nonam*; ſextum, *ad Veſperas*; ſeptimum, ad *Completorium*; eaque exercitatione, euadet animis vtentis religioſior, & ſibi præſentior, cum ſeptem Officij minoris beatæ Virginis Horæ (vt vocari ſolent) cantillantur.

Similiter applicari meditando poterunt eædem illæ ſeptem conſolationes, decadi cui libet ipſius Roſarij, vt prima Decade primum gaudium ruminando, ac ſic cœtera ordine ſingula ad ſeptimum vſque, quod eſt, vltimum, in cuius meditatione verſabitur animus, cùm ad recitationem ſeptimæ orationis Dominicæ, & trium ſequentium ſalutationum Angelicarum ventum erit. Hoc pietatis genere incredibiliter Virgo delectatur, vt Pelbartus noſter vir egregiè doctus (etiam Magni Panigarolæ noſtri iudicio) in ſuo Deiparæ ſtellario, ſcribit, Virginem ipſam cuidam clienti ſuo chariſsimo reuelaſſe.

R.P.F. Frncisc. Panigarol. Epiſc. Aſtēſ. in Rhreto. c.3. pag. 36.

Narrat enim ille, adoleſcentem quẽdam Ordini Minorum nomen dediſſe, cui in ſeculo, & antequam F. Minor cenſeretur, vſitatum erat quotidiè ſertum è floribus hortenſibus texere, & illo caput imaginis Dominæ noſtræ peramanter coronare. Sed poſtquam Franciſci Ordini eſt accenſitus, vt vidit ſe non poſſe id genus conſuetæ pietatis exercere, quod hoc ideoneos flores ibi reperire pro arbitrio non poſſet, vano illo prætextu deceptum ſenem conſtituiſſe, dimiſſo Franciſcano cilicio & cultu, ad ſeculum, & ad ſua regredi. Serio autem de diſceſſu cogitanti, B. Virginem nec opinanti apparuiſſe, & dixiſſe.

Virg. Eclog. 6. Bucol.

Quò te Moeri pedes? an quò via ducit? in vrbem?

Omitte, fili mi, omitte, iſta molimina, neque hinc effer pedem. Caue, ſi te amas, ne, dum friuolè gratiam meam affectas, eò contra proruas, idque agas, vnde me grauiter irrites, & in odium tui armes. Si tibi tanti eſt, vt me ſerto corones; illud ex meris ſalutationibus Angelicis deinceps mihi contexe, quod gratius multo mihi atque acceptius illo fuerit, cuius tu cauſa de transfugio, & ad tuos reditu cogitas; idque facilio modo: Principio ſemel orationem Dominicam recitabis, in memoriam voluptatis illius, quam tunc cepi incredibilem, cùm me Angelus ſalutauit, & dicto citius in vterum meum Filius & Dominus meus IESVS Chriſtus ex me naſciturus illabi dignatus eſt; gratias Deo agendo, de honore illo tanto, quo me immerentem tunc affecit, cùm è tam multis vnam in ſuam Matrem delegit: & lecta oratione Dominica, leges decies Angelicam ſalutationem. Deindè; tantundem facies, animo repetens gaudium, quo affecta ſum, cùm Eliſabetham cognatam meam vidi, audiui, & intellexi, eam Verbi diuini Incarnationem, Spiritu Sancto doctore, dedicaſſe. Tertio eaſdem preculas repetens, animo volutans ſacrum meum puerperium, quo incorrupta, & nullo doloris ſenſu, edidi mundo Saluatorem. Quartò, idem præſtabis in memoriam reuocans gaudium animi mei, cùm Filium meum vidi à Magis poſtratis tam reuerenter adorari. Quintò, eiſdem precibus recitandis, recordaueris gaudij, quo affecta ſum, reperto in Templo Filio meo, poſt triduanam illius, vbique perueſtigationem. Sexto, iterabis eaſdem orationes, & cogitabis, quantam ceperim voluptatem ex Filij mei Reſurrectione, cùm rediuiuus me primam omnium viſitare dignatus eſt. Tandem, in gaudij gloriæque illius memoriam, quam tunc accepi, cùm in cœlum tranſlata ſum, recitabis ſemel Pater noſter, ter Aue MARIA, ſicque explebitur numerus ſeptem orationum Dominicarum, & ſexaginta trium ſalutationum Angelicarum. Hunc orationum iſtarum numerum, ſi, velut quoddam quaſi penſum diurnum, quotidiè mihi obtuleris; ſic habeto, ſertum hoc mihi ſanè longè acceptiſsimum fore, tibique multo vtilius illo, quod olim in ſeculo ex horti tui floribus

A B C D

ribus mihi contexebas. Et, his dictis, Deipa- A ram euanuisse, nouitiumque illum melius animatum, & multa voluptate delibutum reliquisse, qui deinceps nunquam in vita, à tàm salutaris præcepti vsu, & executione, vel latum vnguem recesserit.

Accidit autem aliquandò, vt eodem illo Fratre hoc genus orationis ex Deiparæ disciplina, exercente, Pater ipsius spiritalis casu interueniret, & per semiapertam cellulæ eius ianuam intuens, viderit coram paruo illo oratore Angelum late coruscantem, filo aureo quod manu forte gerebat, rosas specioßissimas inserentem, ipsisque interdum lilia aurea interponentem, denique simulac Nouitius orare desisset, tunc Angelum illum stephanoplocum, duas sili sui aurei extremitates modo colligantem, in coronæ speciem figurasse, eaque capiti eius imposita, disparuisse. Pater Nouitij pædagogus, seu institutor, tantæ rei nouitate stupefactus interposito sanctæ obedientiæ, quàm illi debebat, nomine, illi mox imperat edicere, ecquid tunc animo versaret, extrema illa oratione quam faciebat. *Nihil aliud* (inquit ille) *nisi quod Rosarium in honorem Reginæ cœlorum recitabam eo modo, quo me vti voluit ipsa, meque docuit.* Quid ais (inquit tunc Pater ille, vehementer admirans) vt illa voluit, & te docuit ipsissima? quid moras? *Etiam Pater*, (respondit Nouitius) *vt illa voluit, & me docuit ipsissima*: ac tùm ordine ei exposuit colloquia illa familiarissima, quæ cum ipso Deipara nuperrimè habuisset. Tum pius Pater vix gaudium suum capiens, & attonitus narratione rerum tam mirabilium, sic Nouitium suum, iam tantum Deiparæ Virginis Oratorem, & quasi Sacellanum, lachrymis obortis, tenerrimè affatus est: *Perge, fili mi, perge, eodem pede, quo tam feliciter cœpisti. Nec enim dubito, quin aliam tibi in cœlo coronam gratijs innumeris illustrem gloriosa Virgo præpararit.* Non ita multò pòst, Nouitius Ordini nomen dedit, & Franciscanismum professus est, seque deinde in hoc gente pietatis diligentissimè exercens, vixit apud Sanctis- D mam Virginem Deiparam eximiè gratiosus, & raris fauoribus honoratus.

Solebat D. Bernardinus noster, in horum septem mysteriorum meditatione totus esse, quoties Rosarium Dominæ nostræ recitaret, quæ etiam illi aliquando apparens, sic eum affata est: *Hoc deuotionis tuæ genere valde delector, Fili mi, in cuius rei fidem, effeci, vt à Filio meo crearere Concionator insignis, & polleres gratia miraculorum; ac præterea, do fidem, confore tandem, vt consors in cœlo fias gaudiorum illorum, in quorum contemplatione tam serio in terra, studio honoris mei, video te versari.* Et cœpit profectò vir ille sanctus, paulò pòst miraculis claresc ere, gratijs innumerabilibus abundare, eruditissimisque suis concionibus, & vi miraculorum prodigiosorum, peccatores numero propè infinitos ad meliora conuertere, & alioqui perditos Deo reddere.

De reuerentijs internis, quibus possumus Matrem Dei adorare. Item de loco, Tempore, & occasionibus, quibus sint vsurpandæ.

HActenus nobis dictum est de Adorationum vsu, quæ actionibus tam extrinsecis, quàm intrinsecis constent, quod eo (vt diximus) animus corpusque confluant, & B operas conferant. Sed quoniam nec decorum imò nec ius fasque permittant. Adorationes particulares cuiusque publicè exerceri, tàm ratione Loci, & Temporis, quàm Astantium, & rerum similium, quæ publicum, & spectabilem exercitationum, corporalium vsum parum probant; ideò consultum fuerit, eas intus tantum, & ab homine interiori exerceri, id est, ex voluntate eas elicere, quod adoratio interna nihil aliud sit, quàm virtutis actus, à voluntate, aut interioris deuotionis affectu productus. Imò S. Thomas docet, adorationem, quæ Deo, & Beatis exhibetur, in affectu interno, ac C deuotione præcipuè consistere. Qua propter, si quis iustus obex intercedet, quo prohibeatur quispiam adorationibus externis, & corporalibus operam dare, quarum tamen vis tota ab intrinseco profluit; ad mentalium vsum recurrendum est, & ipsæ quandoquidem sic quoque efficaces sunt, & vtiles suis autoribus, vt Deus Beatique, quorum amore, & studio fiunt, plurimum illis delectentur. *Veri adoratores adorabunt Patrem spiritu, & veritate.* *Ioan. 4.*

Et quoniam huc maximè collimamus, vt de adorationibus Deiparæ debitis tractemus, hoc agamus, & pergamus de adorationibus internis dicere, principioque, ostendamus Tempus, Locumque, quibus commodè ardens Virginis amator, atque adorator debeat eas exercere. Igitur, sic sentio, quouis Tempore, & Loco, producere eum posse sola voluntate, vel centurias chiliadesque actuum studiosorum, seu virtutis, id est, quotquot volet in cordis abdito recessu Dominam suam beatissimam adorando; sed tum maximè, cum in cœtu hominum versatur, aut in conuiuijs est, aut in spatationibus, in Ludis, in iocis inter amicos: seu cum domi, aut fori est, seu in plateis, seu in agris, vel solus, vel socijs stipatus; seu verò etiam sit in lectulo simulac euigilat, oportet eum eiusmodi Locis, & Occasionibus, per temporum interualla, mente in B. Virginem efferri,

ferri, & voluntate producere religiosos deuotionis actus, & sic secum, & silentio eam affari: Adoro te, Mater Domini mei IESV Christi. Adoro te, Regina Angelorum, Imperatrix Vniuersi. Adoro te Domina mea clementissima, & alijs eiusmodi. O felicem, qui sic se gesserit quandoquidem, & in medijs mundinis, & foris, inter arma, & tympana, & tumultus quoslibet populares etiam militares, licebit ei æquè mereri, ac si esset in angustijs minimæ cellulæ inclusus, aut sponte in deserto, quamlibet deuio, & inuio, abditus! O benedictum panem illum, quo vescetur! O felix vinum, quo potabitur! O beatas voluptates, & tædiosi temporis lætas illusiones, quas sibi licitè, & recta intentione vsurpabit! quandoquidem comitantibus his adorationum internarũ nobilibus exercitationibus, in lucro erunt omnes, & euadent meritoriæ beatitudinis sempiternæ.

Similiter, quoties auribus eius æs campanum horologij insonuerit, horarum index; toties interno mentis actu Virginem adoret. Idem præstet, cum virginis Officium recitabitur, id est (idque cedro minioque quod aiunt, serioque notetur) ipso cuiuslibet Officij horarij Dominæ nostræ exordio, mente dumtaxat (vel certè capitis, aut genuum inflexione, si solus est, & sine teste) adoret Deiparam reuerenter, & cogitando producat actum congratulationis in conclaui mentis suæ, dicens: Non me capio, præ voluptate, & plausu, ò B. Virgo, quod te videam Matrem esse Altissimi, Reginam Cœli, & Terræ; & Cantoribus recitando Officio occupatis, ipse interim indesinenter spiritualibus eiusmodi actibus multiplicandis vacet. Et (si possit, nemine animaduertente,) etiam adgeniculetur. Mirè enim id prodest, ad pigritiam, ac tepiditatem omnem à se abigendam, zelum feruoremque excitandum, & tota cordis alacritate modulandos Psalmos, Canticaque spiritalia, denique, & ad continendum animum in perpetua serio colendæ B. Virginis MARIÆ voluntate.

Sunt præterea quædam alia, quibus vetatur homo adorationes externas aliaque opera Virtutis corporalia exercere: videlicet, Infirmitas, seu morbus, Debilitas, Senectus, & aliæ vsitatæ humani corporis afflictiones. Sed non idcircò hasta abijcienda est, aut animo despondendum; potius exultandum, superesse cordis animique libertatem, qua liceat interna opera exercere, ac tanta quidem contentione, ac feruore, vt quod ipsorum maximè exile esse, & vix tanti apud homines, apud Deum tamen futurum sit gratius, & excellentioris meriti, quàm quodlibet corporale etiam excellentissimum; possitque breui ad summum perfectionis apicem, hominem his studentem prouehere: Igitur, si bonus cliens, & ardens cultor virginis, sibi satis paratus videatur, seu cum adhuc dum iacet supinus in lectulo, seu cum super lectulum stat semierectus, seu cum ante focum mordente frigore sedet specie tenus otians, & inutilis operetur interim in anim sui officina, quæstuique intendat, nobilissimos ibi adorationis actus vbertim producendo. O sublimem, & Heroicam disciplinam, quæ nos possit etiam toto corpore otiantes, vel ipsis cælitibus Angelis æquare, & immensis cœli diuitijs locupletare! Quid est tandem abdere se in vastas eremos, ibique durè herbarum radicibus, & succo victitare? Quid est, degere more feræ, *in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, procul à cœtibus hominum? Potest religiosus animus, potest, instar pij Eremitæ, animum in corpusculi sui Oratorio colligere, ibique (in confessu, & frequentia hominum) in genua ruere, orare, loqui ingemiscere, reuereri, adorare, & colere Deum suum, Matremque eius sanctissimam. Hi adorationum actus, præterquam, quòd in portu nauigant, tuti à vana gloria, pirata certè qui nos perfrequenter spoliat pulcherrimorumque operum spectabilium, & externorum meritis exuit, etiam valdè excellunt, & multæ sunt, vtilitatis quæstus, quod originem ducant ab intimo cordis, quod animus eos informet, & ipsa voluntas producat. Quemadmodum enim animus, vt pars hominis superior, longè corpus antecellit dignitate; sic dici non potest, quantum cedant dignitate operationes solius corporis externæ, internis animæ solius. Et, vt maioris meriti est oratio, quæ sola mente, & tacitè fit, quàm quæ fit sola voce, & menti labiorumque motitatione; sic actus operationesque mentales incredibiliter excellunt, & superant merito sui, eas quæ solo corpore exercentur, itaque vix flocci faciendum est, quidquid fit sola vi corpotis, quamlibet alioqui sit admirabile, nisi ope instrumentorum animæ fiat, atque in Deum referatur. Hoc ipsum spectabat S. Paulus, cùm scriberet, *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est*, id est, corpus operibus exercere, parum ad rem facit, & vix tanti est. 1. Tim. 4.

Vt, vndè digressi sumus, eo regrediatur oratio; valdè conandum est clientulo, & cultori Reginæ cœlorũ, vt in adorationibus interioribus multus sit, pro ratione Loci, Temporis, & Naturæ suæ constitutione, Opera nihilominus illi danda est, vt maritet (si potest) reuerentias animi internas, cum externis illis, quæ corpore fiunt; quòd tum maioris erunt, & ponderis, & meriti: adde, si sic non fiat, notam esse manifestam miseræ, & non ferendæ ignauiæ.

Cant. 2. Vide Bonau. c. 17. vitæ Christi. vide praxin Roderiguezij tr. 3. cap. 9. Item Antiquitates Franciscen. 5.

Hùc

Hùc facit exemplum, à Pelbarto noſtro, doctiſsimo illo homine memoratum, quod in ipſa Hungaria eius æuo accidit, & ait, ſe, ex Franciſcano venerando, & ſpectandæ fidei didiciſſe. Memorat ergò Pelbartus, Franciſcanum quendam pro more habuiſſe, vt tunc è lecto exiliret, cum trino æris Campani ſonitu, ſigna ſalutandæ Deiparæ, ſeu recitandæ ſalutationis Angelicæ, laudabili Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, ederentur; & ter quoque Deiparam tunc ſalutaret ipſis Angeli verbis, toties genibus in terram curuatis. Accidiſſe autem die quodam, vt pius Frater ignauia quadam, & corporis (vt fit) grauedine victus, dum Nola idem ſignum daret, non ſurgeret, more ſuo; ſed e lectulo delicatulorum, mollium, & pigrorum inſtar, Virginem ſalutaret. Quæris, quo euentu? Dicam. Iterum ſoporatus Frater ille ſomnians ſibi videre viſus eſt ipſum Templi campanile faſtigium ſuum adeò ſubmiſsè inflectere, vt Crux ei impoſita, terram penè adtingeret, idque tertium faceret: actum viſus etiam ſibi eſt audire vocem, ità ſe affantem: *O te miſerum, & ignauum! Ecce, vides, creaturam hanc, maſſam omnis IESVS expertem, coram Deipara procumbere; tu verò interim, qui tamen ab initio creationis mens rationis capax infuſa eſt, non dignaris, vel loco moueri, vt tantillo honore eam afficias!* Hoc viſo commotus Frater ille, & tactus amaro dolore cordis intrinſecus, de tanta hac ſua ignauia, deinceps nunquam deſtitit deuotioni huic olim ſuæ, tam laudatæ, & plenæ honoris, operam dare, & quidem amantius maioreque animi feruore, quàm hactenus ſoleret. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, &c.*

Rom. 8.

D. Aug. lib. 14. Ciuit.

Allicit erectos ad meliora pudor, ait quidam.

Decet profecto mentalibus iſtis genuflexionibus aſſueſcere; ſed cum vegeto robuſtoque corpore ſumus, nec ſe ingerit quod huic ſtudio legitimè obſtet, ne parcamus corpori, ſed alacriter concordibus vinculis vtriuſque ſubſtantiæ opera maritemus, id eſt, & mente, & corpore Virginem reuerenter adoremus, quamdoquidem, (vt iam à nobis dictum eſt,) ab ambarum duarum exercitationum adeò religioſarum coitione, magnum accedit vtrique viciſsim alteri ab altera meriti incrementum. Prætereà, interdum, ſi quandò fortaſſe templum aliquod, ſeu Oratorium, ſeu Sacellum, nobis iter agentibus occurrit, mox introeamus, ibique, flexis genibus, nos noſtraque Domino Deo, & benedictæ eius Matri ſaltem paucis commendemus. Huius officij nobis autor eſt Dominus noſter exemplo ſuo, qui ſcilicet quotieſcunque Ieroſolymos ingrederetur, primum adibat Templum, ibique in genua procumbens (quà homo erat) Patrem ſuum æternum adorabat, & ſupplex orabat, vt in pluribus Scripturæ locis videre eſt. Hinc ortum eſt, vt primi Capucini Patres, & maiores noſtri, in conſtitutionibus illis, quas, vt purius pleniuſque vitam noſtram, adamuſsim, & regulam S. Patris noſtri Franciſci, componeremus, poſteris ſcripto tradiderunt, ſeriò ediderint, vt cum peregrinando aliquam, ſeu Vrbem, ſeu Pagum, ſeu Abbatiam nos ingredi contigerit, ante omnia in Templum deflectamus, vt religioſa ibi reuerentia ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum adoremus. Et ad loca noſtra regreſsi (ſic loquuntur illæ) vt æterni Patris filij legitimi nihil prius nobis ſit, aut antiquius Templi ingreſſu, ibique reuerentijs aliquot, & oratiunculis vſi, tum, &c.

Sæpiuſculè contigit, vt nonnulli, quod ſic in Templa, aut Sacella ex obliquo obuia, tantillum è via declinantes, ſeſeque religionis ergo contuliſſent, etiam pericula ingentia, in quæ aliqui certiſsimè recta ibant præcipites, euitarint. Accidit hoc in primis matronæ cuidam. Patriciæ, viri nobilis, & locupletis, vxori, ſed cuius opes, Oeconomiæ ignoratione, aut deſpicientia, non multò poſt in magnam penuriam abierint, vt docet ſequens hiſtoria, quam refert Illuſtriſsimus quondam Genuenſium Archiepiſcopus Iacobus* Voragineus, in Hiſtoria ſua de Virginis Deiparæ Aſſumptione.

Textus Gallicè habet (Voragius.)

Fuit aliquandò (inquit ille) vir quidam Nobilis diues, & potens vxorem habens omnigena virtute ornatiſsimam, & ante omnia ſpectabilem religione, & pietate in Dei Matrem ſingulari, adeoque, vt vix dies vllus illi abiret, quo non coleret Virginem deuotis, ac profundis reuerentijs. Nobilis iſte eius maritus, intemperanter liberalis (prodigum dicamus) omnes opes ſuas tandem profudit, eoquè miſeriæ ruit, vt iam illis inuideret, quos antea noluiſſet, niſi miſerando, vel obliquè duntaxat intueri. Quàm miſerum eſt, fuiſſe felicem!

Tulit tamen, ille fortiter, ac celauit ad tempuſculum egeſtatem ſuam; ſed, inſtante quodam feſto die, quo genialis ſolebat conſanguineos, affines, & amicos ſuos domi excipere, pudens, confuſus, & conſilij inops, & (vt prouerbio à Gallis dicitur) neſcius, ecquo tandem ligno in ſagittas tornandas vteretur, furtim in deſertum ſeceſsit, extremum hoc rebus ſuis remedium probans, vt abſentia multifariè colorata, vti poſſet, velut prætextu honeſtiſsimo, cum ad ſumptus ordinarios genialis illius conuiuij recurrentis quaqua, euadendos, tum ad inopiam ſuam, & curtam de inſupellectibilem, ſubtiliter diſsimulandam. Vt ergò per nemus iter faciebat deplorans, & deteſtans infortunia

tunia sua; ecce, vir quidam statura procerus, colore fuscus, ac badius adspectu terrifico horrendus, derepentè ipsi apparuit, equo insidens æquè horrendo, sciscitans, ecquæ illi sic dolendi, ac lugendi, causæ essent? Tum miser Patricius quamlibet alioqui animo forti, cœpit tamen viso illo monstro hominis tam horrifico stupere, sed animo tamen paululum confirmatus narrationem instituit causarum miseriæ suæ, suique in vastam eam solitudinem recessus, tremula tamen voce, & timidè, quis nesciat? * *Si nihil est* (ait tunc ipsi Eques ille) *agedum, fac tantum vt viuas hilaris, & missus fac queremonias istas, viro eiusmodi planè indignas: Nam do fidem, facturum me, vt ad felicitatem prestinam reuertare: imò viuas opulentius, ac voluptuosius, quã anteà hactenus vnquã; si tamen tu quoq; vicissim des mihi fidẽ facturũ te quæ iussero.* Rẽ valdè magnã esse oportet (respõdit Patricius ille) cui nõ satisfaciã, ne ingratus tanto beneficio quod promittis, videri possim, quod possit, vel ingratissimum quemque cogere, vt agat, aut, vt minimum, agere conetur, etiam quod fieri non possit. Vnum hoc à te peto hoc tantum, (respondit dæmon, in Equitem illum egregium scilicet transfiguratus, studio commodius fallendi hominis) *vt mihi polliceare te huc, vertente anno, hoc ipso die, & hora, quæ nunc est, vxorem tuam adducturum.* Facillimè, nulla mora fidem huius rei dedit miserè, & abundè edoctus, quid sibi facto opus esset, miro cum gaudio domum reuertitur; cumque eo loco, quem Diabolus ei indicarat, sedulo quæsisset, thesaurum ingentem defossum reperit, quo mox prædia, ac dominia deuendita redemit, & ad priores imò maiores redijt voluptates, & profusiones, in luxus, ac magnificos rei vestiariæ cibariæque apparatus. En quò inopia, & opulentia perducant miseros. Die autem statò illucescente, iussit vxorem equum stratum conscendere, sed mentitus, sibi in viciniam non adeò procul proficiscendum, vbi necessario præsentem ipsam quoque secum esse aporteat. Misella Domisella siniſtrum nescio quid, ex discessu tam repentino, ac properato ominata; ac præterea, aduersum aliquid legens in maritivultu, cui sceleris iam iam committendi conscientia multum vsitatæ hilaritatis detraxerat; animum ad fidem suam Aduocatam, sacram Virginem MARIAM, conuertit, & sibi in tam dubijs rebus adesse orauit. Deindè, equum inscendit, parata in casus omnes, tantùm potest in generosis pectoribus, studium parendi superiori potestati, vt etiam clausis Andabatarum more oculis in manifesta pericula ruere audeat. Cùm igitur multum iam itineris confeciſſent, tandem commodum propè apparuit facellum humile Dominæ nostræ, vbi bona cum mariti venia, exequo descendens Domisella, & Sacellum ingressa, cœpit, erumpentibus lachrymis, & altis suspirijs, orare B. Virginem ardentissimo mentis affectu, vt sibi in periculis præsidio esse dignaretur, sicque orans, profundè obdormiuit. Interim, ò gratiam, & beneficium, notatu dignissimum! Deipara, dicto citius, assumpta specie compositioneque illius ancillæ suæ tam fidelis, e sacello prodijt, equumque expectantem, & frænos mandentem inscendit, Patricium quasi maritum sequuta credentem vxorem suam esse.

Vt verto ex Gall.

Et ecce, in primo syluæ aditu, adfuit princeps tenebrarum, furens, & magno cum tumultu, sed veritus proprius accedere ad Virginem, mox primoque adspectu à se agnitam, oculis furibundis ad Patricium conuersis, simili minitanti, sic eum affatus est. *Ah! ingratum caput, & ò te fraudulentum!* * *Hæccine est merces tãti beneficij in te mei? An non dederas fidem, huc te vxorem tuam productum? Et ecce, vice illius, tu perfide, ad me sistis ipsam Matrem Dei. Vxorem ego tuam, non MARIAM istam volebam, vt mihi, vel tãdem pœnas daret tot indignitatum, & iniuriarum, quibus maximis me hactenus onerauit, sic honorando, & ex animo colendo istam Reginam Angelorum.*

Ac tum excipiens Deipara, sic illi respondit: *Quid? Sceleratè, quid? Vlcisci tu volebas amorem erga me matronæ illius? Huccine igitur temeritatis progrederis tu, vt clientulos meos, & mei studiosos, lædere audeas, & vel capillum eorum vellicare? Apage hinc, teque ocyssimè alio proripe, sic volo, sic iubeo; fuge, inquam, ilico in infimam Inferni abyssum, & abi in pessimam ibi crucem tibi; & caue-sis, ne deinceps quidquam in clientes, & mihi deuota capita audeas, nisi quam primum pœnas meritis tuis dignas dare collibeat.* Tum dæmon naso (vt dicitur) sesquipedali aduncoque suspensus, & totus pudore infernali perfusus, dicto citius aufugit, tanto interim strepitu, & tarantara edito, vt nemus omne in chaos antiquum ruere, & redire videri posset. Miser verò Patricius mox ex equo delapsus, ad Matris Dei pedes toto corpore prostratus catelli more, proruit adorabundus, peccati veniam implorans; cui Virgo, post acerbiorem increpationem, præcepit, nulla mora ad sacellum illud regredi, vbi tantisper gradum fixerat, ibique certò inuenturum eum pollicetur vxorem suam alte soporatam; ac præterea imperat, vt simulac domum redierit, Diabolicos suos thesauros, vtpotè animæ suæ exitiales, eijciat, effundat, perdat. Paruit ille edictis Deiparæ ordine omnibus per quam religiosæ, omnibusque nouis opibus, quæsitis nequissimè, fortiter abiectis, & omni vitiorum praua con-

consuetudine æternum valere iussa, euasit seipso ditior multò, quàm anteà vnquam fuisset, Virgine, post Deum Opt. Max. sic procurante, quæ nunquam deest clientulis suis opem eius piè implorantibus in aduersis; quin etiam exquisitis beneficijs, & gratijs illos priuatim beat, quos videt adorationum harum exteriorum, atque interiorum esse studiosos, de quibus hactenus à nobis copiosè dictum est, productis in medium rationibus, narrationibus authoritatibus, atque exemplis certè admirandis, quandoquidem ille huius operis scopus præcipuus, & huc noster cursus fuit, quo tandem; Deo fautore, peruenimus; Sanctissimæ tamen Matris eius, ac clementissimæ Dominæ nostræ intercessione, quam cernui, & supplices rogamus etiam præcari, vt participes aliquando, vel tamdem fieri mereamur bonorum illorum æternorum, quibus solis desideria vniuersa omnium abundè complectitur, & homo vndequaque beatus efficitur.

R. P. F. ALBERTVS MAGNVS.

NOTA.

SI Aluertus vocatus; hic, de iure locum obtinet, in nostra Virginea Bibliotheca. Si autem Albertus, vt communiter scribitur, ante nostrum Alexandrum Alensem reponendus erat. Sed cùm quæstio sit de nomine, & loco; parum, vel nihil ad rem nostram. Magnus verò cognominatus fuit, non ob familiam, sed ob præclaras virtutes, insignemque doctrinam; in quibus, non solùm Magnus, sed millies Maximus extitit. Ex parentibus illustribus natus; nimirum, ex Regulis Bolstatensibus in Sueuia, in agro Laugiegensi, ad Danubij ripas sito. Ad Sacram S. P. N. Dominici, & Prædicatorum Ordinem, adhuc iuuenis, conuolauit: vbi tantam pietati, & studijs litterarum, operam dedit; vt splendor totius Germaniæ factus; in vita, sanctitate, & doctrina, nemo ei anteponendus, nec dum æquandus esset. Parisijs, Coloniæ, & Agrippinæ, Scolasticam Theologiam, præstantissimè docens; magni nominis discipulos educauit; inter quos, vnicum Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem. Vrbano II. & Rodulpho Imperatore cogentibus; Episcopatu Ratisponensi præfectus est, Anno M. CCLXII. Et fuit in ordine 28 Episcopus. Quem cum aliquo tempore, scilicet, trium annorum curriculo, administrasset, ad consueta studia, & humilia pietatis exercitia suspirans, mortuo Vrbano IV, deposita Administratione, reddit ad Fratres suos; vbi legens, scribens, & docens, anno ætatis LXXXVII. Coloniæ sanctissimè obijt: anno verò à virgineo partu M. CCLXXX. Fertur claruisse miraculis in vita, & post transitum. Beatorum Cathalogo adscriptum esse: ac sæpius de eius canonizatione actum, & in Episcopatu Ratisponensi, ac Colonien si, eius coli festum: refert R. P. F. Alphonsus Fernandez Placentinus, Prædicatorum familiæ alumnus, de suæ Religionis scriptoribus Germanicis, fol. 320. Viuæ vocis oraculum, seu rescriptum, SS. D. P. Gregorij XIV. Pon. Max. de celebratione festi Alberti Magni, in Cathedrali Ratisponensi; datum die 14. Septembris anno M. DC. XXII. legi apud R. P. F. Vincentium Iustinianum, ad calcem vitæ nostri Alberti Magni positum. Hæc de moribus, & vita dicta sufficiant. De doctrina verò, & scientia; quæ, & quanta scripserit Theologica, Philosophica, Naturalia, Positiua, Conciona-

toria,

toria, Diuina, & Humana, quòd penè innumerabilia sunt; nam præter ea, quæ Poseuinus, Tritemius, Gesnerus, & alij referunt; ego met alia plura vidi, & legi, quorum Cathalogum ob breuitatem ommitto. Quantus verò, & quàm dulcis gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis MARIÆ feruentissimus amator, integerrimus cultor, Altisonans preco, & Prædicator, hic Scripturæ fax, & errorum malleus extiterit. Ostendit in primis, quòd iubente Domina omnium Deipara, Sacrum Prædicatorum Ordinem sit ingressus; vt refert Ioannis Coppensteinus in eius vitæ principio. Item, quòd ob huius Sacratissimæ Matris meritis, in eadem perseuerauerit Religione, vt attestatur Fr. Petrus de Prusia; ac tandem (Abulense in libro 3. Reg. cap. 3. referente) orauerit Dominam nostram, vt non permitteret eum mori in opinionibus Philosophorum, sed in sola fide, & fertur, quòd per quinquenium ante mortem fuit omnino ignarus, ita vt, nec primas litteras, nec sciret, nec cognosceret. Potissimè tamen eius deuotio constat, & probatur, & omni patefiunt mundo eius de hac Regina cœlorum MARIA & peccatorum aduocata, deuotissima scripta.

I. Emm scripsit Mariale, seu de laudibus Sanctæ MARIÆ super Missus est Gabriel Angelus: Cuius inscriptio sic se habet: celeberrimi sacræ paginæ Doctoris Fr. Alberti cognominati Magni, ob scientiarum omnium excellentiam, & Ratisponensis Episcopi de Ordine Fratrum Prædicatorum, liber quàm deuotissimus de Intemeratæ Dei Genitricis MARIÆ laudibus fœliciter incipit. Quod opus impressum fuit Venetijs per Lazarum de Soardis, anno M. DC. IV. in 12. Quod etiam opus Typis mandatum fuit Coloniæ per Quentellum, anno M. DC. IX. in 4. aliquibus illustratum marginibus, & in 126. tantùm quæstionibus, seu capitibus diuisum, sub hoc Epigraphe: summa quæ de laudibus inscribitur Christiaræ Virginis MARIÆ super Euangelium Lucæ, quod incipit: Missus est Angelus Gabriel: Ex qua inscriptionum diuersitate collegi titulum à Bibliopolæ arbitrio fuisse præfixum, nec ad opusculi substantiam, & Alberti calamum pertinere; ideò consultò prætermittam

II. Scripsit Bibliam Beatæ Virginis MARIÆ, cuius eximi operis cùm iam aliquibus ab hinc annis originale peruetustum in pergameno manuscriptum in Bibliotecha Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ repertum Pluteo 5. num. 10. inuenissem absque authoris nomine (sed tunc quod Alberti Magni esset mihi ex eo solùm constabat; quia integras sententias, & quæstiones de verbo ad verbum, excellentias, & alia, ex suo Mariali in hanc transcripserat Bibliam) tandem beneficio R. P. F. Petri de los Angeles Commissarij Generalis S. MARIÆ ex Mercede, opusculum hoc sub nomine Alberti Magni ad manus meas peruenit diligentia, & studio R. P. F. Vincentij Iustiniani Ordinis Prædicatorũ Coloniæ anno M. DC. XXV. in 8. cusum. Et D. D. Alberto Ratisponensi Episcopo Sacri Romani Imperij Principi dicatũ. Loquens autẽ de præstantia vtilitate, & de singulari metodo, & doctrina huius aureæ Marianæ Bibliæ, inquit Vincẽtius. Adieci thesaurẽ, quæ, & celsitudini tuæ offero. Miraris? immò thesaurum incomparabilem, à multis huiusque studiosè perquisitum à nemine tamen (vt reor) inuentum perquisiui, & in litteraria B. Alberti Magni Officina inueni eum solidissimum tinea propè consumpserat, validissimum ærugo inuaserat, fulgentissimum caligo propè absumerat, quem autem inquies præciosum thesaurum? animum non tenebo suspensum diutiùs. B. Alberti tractatulum aureum inter innumeratam celebris Doctoris volumina non ita dudum offendi, Magno sanè, & Mariano

Alber-

Alberti ingenio ex cũctis Sacræ Scripturæ libris in Virginis Matris laudẽ contextum, hũc à tenebris in lucem educere visum fuit, &c. Sed quã verè, & certè tinea, ærugine, & caligine consumptum esset originale manu scriptum ab ipso Doctissimo Patre repertum, satis sanè editum in lucem fœtum, & exemplar excusum indicat. Nam vbique mendosum inueni, passim diminutum, in multis mutilum, & non solum verba alia pro alijs, sed & sensum imperfectum gerebant; & sententiæ taliter transmutatæ extant, vt si verum fatear, dum cum originali nostro verissimo (licet characteribus antiquissimis, & obscurissimis conscripto) non Bibliam MARIÆ, sed alterum mihi videbantur esse opusculum.

III. Scripsit N. Albertus **Notulas super Lucam Euangelistam**, *quæ impressæ sunt in opido Imperiali Agenau apud Henricum Gran. in folio, & finitæ in Vigilia Conceptionis Immaculatæ Virginis MARIÆ, anno à Virgineo partu MDC.IV ex quibus Postillam seu Notulas super Euangelium, Missus est Angelus Gabriel, & Canticum Magnificat, satis eruditas deprompsi.*

IV. Scripsit sermones de Purificatione, Annunciatione, Assumptione, & Natiuitate B Virginis, quos recognitos, & ex Prototypo reproductos edere curauit R. P. F. Andræas Coppenstein Mandulensis Ordinis Prædicatorum Theologus, Maguntiæ apud Ioannem Aleimèn, anno M.DC.XVI. in 8. Regali.

V. Cornelius Sculting ius in sua Bibliotheca Ecclesiastica Par. 2. fol. 204. & Coppensteinus in Perioche vitæ Alberti Magni, citant **Letaniam Beatæ Virginis MARIÆ**; *præter hanc ergo Letaniam quam diù summo conatu quæsitam inuenire minimè potui: omnia alia, quæ de Dei Genitrice Virgine MARIA Magnus scripsit quæ certè magna sunt quantitate, qualitate, & subtamia; magna certè actione, & passione, diligentia, & labore; emendata, & correcta: marginalibus Sacræ Scripturæ citationibus eductis, & auctis; in hoc Mari Magno in lucem restituo.*

Agunt de Alberto N. Alexius à Salò quem pictorem excellentissimum Deiparæ nominat. Vlricus Engelbertus, Ordin. Prædic. Ægidius Parisiensis. Gerardus Lemonicensis. Alberti contemporaneus. Bernardus de Castro Ordin. Prædic. Hermanus de Minda, Ordin. Prædic. Henricus de Allis Ord Præd. Guilielmus de Tocco. Ioannes Auentinus, Iacobus de Susato. Pius Secundus. Iacobus Florentinus Ord. Minorum in prologo sumæ quæ Pantheologia dicitur. S Antoninus Archiepiscopus Florentinus. Ioannes Bautista Platina. Petrus de Prusia Ord. Præd. Ioannes Molioris Ord. Præd. Rodulphus de Nouio Mago. Antonius Pizamanus. Auctor Historiæ vndecim millium Virginum. Harmanus Schedelius. Iacobus Philippus Bergomensis. Ioannes Tritemius. Paulus Languius. Ioannes Nauclerus. Vvernerus Rolevinck. Ioannes Antonius Flaminius. Albertus Krantzius. Gerardus Sprunch, Ioannes Garzonius. Antonius Sabellicus. Bernardus de Lucemburgo. Ortvvinus Gratius. Henricus Bebelius. Paulus Iouius. Sixtus Senensis. Petrus Canisius. Ferdinandus del Castillo. Laurentius Surius. Ioannes Molanus. Vvigulæus Hund. Stephanus Caponius, Antonius Senensis, Thomas Bozius. Cornelius Schultingius. Petrus Cratepolius Or. Minorum in suo tractatu de Episcopis Germaniæ. Antonius Posseuinus. Thomas Maluenda. Abrahamus Bzovius. Alphonsus Fernandez, Ioannes Andræas Coppenstein. Stephanus Broelmanus. Aubertus Myræus. Belarminus. Matthæus Raderus in Barbaria Sancta, & nouissimè Vincentius Iustinianus. Henricus Spondanus Ioannes Targo Nauta in Historia mundi, Gesnerius, &c.

MA-

MARIALE ALBERTI MAGNI, IN EVANGELIVM

super missus est Gabriel Angelus.

Sap.6. *CLara est, et quæ nunquam marcescit sapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt eam. Præoccupat, qui se concupiscit, vt illis se prior ostendat. Qui de luce vigilauerit ad eam non laborabit. Assidentem enim illam foribus suis inueniet. Cogitare ergo de illa sensus est consummatus; & qui vigilauerit propter illam, citò erit securus. Quoniam dignos se circuiuit ipsa quærens, & in vijs suis ostendet se illis hilariter; & in omni prouidentia occurret illis.* Item scriptum est. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Huius igitur largiflux sponsionis subnixus auxilio fiducialiter mitto manus in opus; aliàs certè super meum ingeniolum, & scientiam meam nimium eleuatum. Scio autem, quòd non est abbreuiata manus Domini, sed quòd, & adhuc omnia possibilia sunt credenti: est autem opus, quòd attento modo, Dominicę incarnationis exordiũ describens, ac nostræ redemptionis Sacramentum. Quod quidem in laudem, & gloriam, & honorẽ glorioſissimæ, & solius verè honoratæ super omnem purã creaturã Virginis matris Dei, assumentes, & de ipsius auxilij specialissima collatione confidentes confidenter suscipimus. In eius misericordia, tanquam in firmissima spei nostræ anchora collocati: ab ipsa expectantes finem consummationis in præmium laboris, quæ est motrix voluntatis; causa operationis, & inspectrix intentionis. Obsecro igitur in primis, misericordiam Dei omnipotentis, Patris misericordiarum, qui lucem inhabitat inaccessibilem, vt effugatis lumine suæ claritatis erroris fallacia; falsitatis zizania, vanitatis gloria; det mihi verum intelligere, & dicere de matre ipsius misericordiæ, & veritate. Obsecro & vos, qui præsens opusculum dignabuntur inspicere, vt si quid in ipso ex sui forsitan; vt contingit, nouitate ipsorum aures tanquam dubium pulsauerit; non facilè scribant temeritati; sed parcant potius simplici deuotioni. Non enim intendimus gloriosam Virginem nostris mendacijs adornare, vel etiam stilo altiloquo, aut captatorij; eloquijs aliquid noui, & magni cudere, & non gloriosam Virginem laudare: & nos metipsos ostentare; sed rudibus, & simplicibus nostri similibus deuotionis munus per verba simplicia ministrare. Mecum enim benè agitur, si quamuis nihil dignum de Benedictissima Domina tanquã indignus vita, & minus sciẽs de mei peccatoris ore protulero, occasio nẽ tamẽ de ipsa scribendi, & loquendi sapientibus sub ministrem; vt autem lector in huius operis materia minus laboris habeat: & continentiam ipsius pleniùs summatim præcognoscat. Quædam quali principia præmittemus, quæ lucem sequentibus ministrabunt, & titulos supponemus. Per quos, & materia diuersa compræhendi, & Lectori, id quòd de materia inspicere pro tempore voluerit expeditiùs demonstretur.

A

B

C

D

PRÆSVPPOSITIONES.

Quicquid tibi occurrit, vt rectè faciendã; scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem: Hoc Augustinus de liber. arb. *Cùm nimium bonum communicauit; omne communicabile alicui:* Hoc Dionys. *Quòd omnes proprietates inferiorum habent superiores cum excellentia:* Dionys. in lib. Ang. Hierar. *Lex quidem hæc est diuinitatis sacratissima per prima secundã ad suam diuinitissimam reducere lucem.* Dionys. in 5. capit. Eccl. Hier. *Ad omne inconueniens, in Deo sequitur impossibile; & ad omne conueniens, cui maior ratio non repugnat, sequitur necessarium.* Anselm. *Auctoritas fidem flagitat; & rationem præparat boni; ratio ad intellectum cognitionemque perducit, quam auctoritati ratio penitus defert: cùm considerat, cui credendum sit, & certissima est ipsius iam cognitæ, atque perspicuè veritatis auctoritas.* Augustin. de vera religione. *Quærendum, ratione quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua, nec est, nec valet auctoritas.* Augustin. de morib. Eccles. *Ibi securè quisquis in sensu suo abundat, vbi vel certè rationi, vel manifestè auctoritati non obiat, quod sentitur.* Berna. *Cumque in scripturis sanctis id conatur sentire, quod in eis sensit ille, qui scripsit: quid mali est, si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis* Augustin. in 12. confess. *Cùm alius dixerit: hoc sensit Moyses, quod ego: & alius immo, illud quod ego religiosus me arbitror dicere: cur non vtrũque potius, si vtrumque verum est? & si quid tertium, & si quid quartum; & si quid omnino aliud verò quispiam, in his verbis videt: cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus vnus sacras litteras vera, & diuersa vsuris multorum sensibus temperauit.* Augustin. in eod. *Ego certè, quod intrepidus de corde meo pronuntio, si ad culmen auctoritatis aliquid scriberem; sic mallem scribere, vt quod veri quisque de his rebus capere posset, mea verba resonarent, quàm vt vnam veram sententiam ad hoc apertius ponerem, vt excluderem cæteras, quarum falsitas me non posset offendere.* Augustin. in eod. *Sensit*

Moyses omnino in his verbis, In principio, *&c. atque cogitauit, cùm ea scriberet, quidquid hic veri potuimus inuenire, quidquid nos non potuimus, aut nondum possumus, & tamen in eis inueniri potest.* August. in eod. *Quod nec in corporalibus, nec in spiritualibus est aliquid vacuum.* Phi. *Beata Virgo à nullo illustrium vincitur in aliquo.* Damas. *Cùm de peccatis agitur, nulla de ipsa sit quæstio.* August. de natur. & grat. *Beata Virgo ea puritate nitebat, qua maior sub Deo nequid intelligi.* Anselmus. *Ego puto, quòd copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit; quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed vitam ipsius ab omni deinceps peccato custodiret immunem; quod nemini innatis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singulari priuilegio absque peccato ducere vitam; quæ dum peccati, mortisque pareret peremptionem; munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.* Ber. *Quod ei nullũ bonum defuit, cuius pura creatura in statu viæ capax fuit.* Hie. & Ber.

Incipit tabula Capitulorum totius operis Alberti Magni, in Euangelium super Missus est.

An necesse fuerit hanc missionem fieri. Ca. 1.
Per quem nuntium conueniat fieri missio:
si per hominem. 2
Si per Angelum. 3
Si per Archangelum. 4
Si per Principatus. 5
Si per Potestates. 6
Si per Virtutes. 7
Si per Dominationes. 8
Si per thronos. 9
Si per Cherubin. 10
Si per Seraphin. 11
Si per tres primos ordines. 12
Si per omnes Angelos. 13
Si per Spiritum sanctum. 14
Si per Filium. 15
Si per Patrem. 16
Si per totam Trinitatem. 17
In qua specie apparuit: Si in serpentina. 18
Si in columbina. 19
Si in humana. 20
In quo sexu. 21
In cuius ætatis specie. 22
Si in iuuenili 23
In qua veste: Si in candida. 24
Si in sordida. 25
Si in bicolorata. 26
Si in alba. 27
Qua hora temporis: Si in hortu diei. 28
Si in meridie. 29
Si in vespere. 30
In quo loco: Si in ciuitate. 31
Quare in Galilæa. 32
Quare in Nazareth. 33
A *Quare ad Virginem.* 34
Quare non ad Ioseph. 35
In quo actu fuerit: Si in contemplatione, vel in actione. 36
Si desponsari potuit. 37
In qua ætate desponsata fuit. 38
De pulchritudine Beatissimæ Virginis: & primo de corporali. 39
De pulchritudine in speciali. 40
De corporis quantitate. 41
De membrorum proportione. 42
De colore cutis. 43
De colore capillorum. 44
De colore oculorum. 45
De hoc quod dicit; viro. 46
B *De hoc cui nomen erat.* 47
De hoc quod dicitur; Ioseph. 48
Quare, de domo Dauid. 49
Quare in genealogia eius boni, & mali ponuntur. 50
De nobilitate Virginis. 51
Cur Beata Virgo, non per se, sed per Ioseph genealoizatur. 52
De eo quod dicitur: Et nomen Virginis in genitiuo. 53
Quare nomen: MARIA. 54
De hoc quod dicitur: Ingressus. 55
Quare repetit Angelus, & non Gabriel. 56
Si ad solam. 57
De salutatione. 58
C *Quare fuit sine væ.* 59
De generali consuetudine, qua aditum est: MARIA. 60
De gratia plenitudine. 61
De differentia istius plenitudinis. 62
In quo differat à plenitudine Christi. 63
De plenitudine Apostolorum. 64
Quare non plena Spiritu sancto. 65
De gratiæ plenitudine specialiter. 66
De contentis in hac plenitudine, & primo de Baptismo. 67
De Confirmatione. 68
De Pœnitentia. 69
Quis confessor. 70
Si habuerit ordines. 71
D *De Extrema vnctione.* 72
Quid recipit à Sacramento Altaris. 73
Quid confitebatur. 74
De virtutibus. 75
De Fide. 76
De Spe. 77
De Charitate. 78
De virtutibus Cardinalibus, & primo de iustitia. 79
De speciebus iustitiæ. 80
De Dulia. 81
De Pœnitentia. 82
De Prudentia. 83
De Fortitudine. 84
De Magnanimitate. 85
De Magnificentia. 86

De fiducia. 87
De securitate. 88
De patientia. 89
De constantia. 90
De perseuerantia. 91
De temperantia. 92
De speciebus temperantiæ, & primo de castitate. 93
De sobrietate. 94
De modestia. 95
De modestia in cultu vestium. 96
De donis. 97
De sapientia. 98
De intellectu. 99
De dono consilij. 100
De dono fortitudinis. 101
De dono scientiæ. 102
De pietate. 103
De timore seruili. 104
De timore initiali. 105
De timore casto. 106
De beatitudinibus. 107
De beatitudine paupertatis. 108
De mititate. 109
De beatitudine luctus. 110
De beatitudine esuriri, & siti iustitiæ. 111
De misericordia. 112
De munditia cordis. 113
De beatitudine pacis. 114
De persecutione. 115
De aureola martyrij. 116
De aureola prædicatorum. 117
De aureola Virginum. 118
De fructibus, quos ponit Apostolus ad Galatas 5. 119
De charitate. 120
De gaudio. 121
De pace. 122
De patientia. 123
De longanimitate. 124
De bonitate. 125
De mansuetudine. 126
De benignitate. 127
De fide. 128
De modestia. 129
De continentia. 130
De castitate. 131
De gratijs gratis datis, & primo de sapientia. 132
De scientia. 133
De mechanicis. 134
De Artibus liberalibus. 135
De Grammatica. 136
De Rethorica. 137
De Legibus. 138
De Logica. 139
De speciebus Logicæ. 140
De Phisica. 141
De quadriuio. 142
De Musica. 143
De Astronomia. 144
A De Arithmetica. 145
De Geometria. 146
Si sciuerit Theologiam. 147
Si sciuerit librum sententiarum. 148
Si sciuerit omnia capitula. 149
De fide. 150
De gratia data sanitatum. 151
De opere virtutum. 152
De prophetia. 153
De discretione spirituum. 154
De genere linguarum. 155
De interpretatione sermonum. 156
De gratijs, quæ ponuntur ad Ephesios quarto. Et primo de Apostolis. 157
De Prophetis. 158
B De Euangelistis. 159
De Pastoribus. 160
De gratijs specialibus. 161
Qualiter fuerit præfigurata. 162
Qualiter fuerit prophetata. 163
Qualiter fuerit annuntiata. 164
Quod fuit miraculosè concepta. 165
Quod fuit in vtero sanctificata. 166
De specialibus gratijs, quæ circunstant conuersationem eius. 167
De specialibus gratijs, circa mortem. 168
Vtrum mortem præsciuerit. 169
Vtrùm inuitata obierit. 170
Si sine dolore obierit. 171
Si statim in anima, & corpore assumpta fuerit. 172
C De quatuor suppositis contra aduersantes assumptioni carnali. 173
De priuilegijs B. Virginis, & primo de peccati immunitate. 174
De impossibilitate peccandi. 175
Vtrum quodlibet motu merebatur. 176
Vtrum qualibet passione merebatur. 177
De puritate in summo. 178
Vtrum hanc puritatem simul, vel successiue susceperit. 179
De eo quod est Mater Dei. 180
Quòd est Mater, & Virgo. 181
Quòd est Virgo Virginum. 182
Quare non dicitur mater matrum. 183
D Quòd sit mater omnium. 184
Quòd dicitur, stella maris. 185
Quòd dicitur, Porta Cœli. 186
De communicatione passionis. 187
Vtrùm in passione habuit summum gaudiũ, & dolorem. 188
De gaudijs B. Virginis, quæ habuit in passione, & de comparatione eorum. 189
Quòd super omnem creaturam in quartâ Hierarchia est exaltata. 190
Vtrùm habuit B. Virgo proprietates omnium Angelorum. 191
Vtrùm habuit proprietates singulorum ordinum. 192
De proprietatibus secũdæ Hierarchiæ. 193
De suprema Hierarchia. 194

Quòd est regina misericordiæ. 195
Recapitulatio priuilegiorũ, & additio. 196
De sufficientia priuilegiorum. 197
Epilogus, quid nobis ex illa plenitudine venerit. 198
De hoc, Dominus tecum. 199
De hoc, benedicta tu in mulieribus. 200
Qualiter eius benedictio omnem benedictionem comprehendit. 201
De benedictione diei septimæ. 202
De benedictione Adæ, & Euæ. 203
De benedictione Iacob. 204
De benedictione singulorum filiorum Iacob, & primo Iudæ. 205
De benedictione Zabulon. 206
De benedictione Isachar. 207
De benedictione Dan. 208
De benedictione Gad. 209
De benedictione Neptalim. 210
De benedictione Asser. 211
De benedictione Ioseph. 212
De benedictione Beniamin. 213
De benedictione prima Balaam. 214
De benedictione secunda Balaam. 215
De benedictione tertia Balaam. 216
De benedictione quarta Balaam. 217
De benedictionib⁹ datis populo à Moyse. 218
De benedictionibus datis filijs Israel, & primo Ruben. 219
De benedictione Iudæ. 220
De benedictione Leui. 221
De benedictione Beniamin. 222
De benedictione Ioseph. 223
De benedictione Gad. 224
De benedictione Dam. 225
De benedictione Neptalim. 226
De benedictione Asser. 227
De benedictione omnium simul. 228
De hoc, quod dicitur, benedictus fructus ventris tui. 229
Quid hæc benedictio, fructus ventris tui importet. 230
Vtrũ cõtineat in se benedictiones omniũ. 231
De ipsius turbatione. 232
De ipsius cogitatione. 233
De ipsius timore. 234
De ipsius verecundia. 235
De hoc, quod dicitur, inuenisti gratiam. 236
De hoc, quod dicitur, apud Dominum. 237
De solutione prædictorum. 238
De hoc, quod dicitur, ecce concipies, de quo, tanquam concipiente. 239
De quo, tanquam materia. 240
De modo concipiendi. 241
Quãto tẽpore fuerit in vtero Dominus. 242
Qualiter egressus fuerit. 243
Vtrũ, in cõceptione habuerit delectationẽ. 244
Vtrũ, in portando habuerit grauitatem. 245
Vtrũ, in pariẽdo dolorẽ, vel delectationẽ. 246
De solutione prædictorum. 247
De hoc, quod dicit in vtero. 248
A *De hoc nomine, IESVS.* 249
Quis imposuit hoc nomen. 250
Quando institutum fuit hoc nomen. 251
De hoc, cui conueniat hoc nomen. 252
De solutione prædictorum. 253
De hoc, quod dicitur, hic erit magnus. 254
De hoc, quod dicitur, filius altissimi vocabitur. 255
De hoc, quod dicitur, dabit illi sedem Dauid. 256
De hoc, quod dicitur, regnabit in domo Iacob in æternum. 257
Vtrum Dominus in quantum homo sit rex Angelorum, & Ecclesiæ militantis. 258
De solutione prædictorum. 259
B *De hoc, quod dicitur, quomodo fiet istud.* 260
De hoc, quod dicitur, quia virum non cognosco. 261
De hoc, quod dicitur, Spiritus Sanctus superueniet in te. 262
De hoc, quod dicitur, & virtus altissimi obumbrauit tibi. 263
De hoc, quod dicitur, quod enim nascetur ex te sanctum vocabitur, Filius Dei. 264
De hoc, quod dicitur, ecce Elisabeth cognata tua. 265
De hoc, quod dicitur, non erit impossibile apud Deum omne verbum. 266
De responsione Virginis fiat mihi secundum verbum tuum. 267

C

An necesse fuerit hanc missionem fieri.

CAP. 1.

Primò quæritur, an necesse fuerit, hanc missionem esse. Et videtur, quod non inter quæcunque non distantia nulla necessaria est missio: inter Deũ, & Beatissimã Virginẽ nulla est distãtia: ergo nulla debuit interuenire missio. Media patet, quia Deus fuit cũ Beata Virgine, per essentiã, præsentiã, & potentiã: sicut est in creaturis generaliter, & per inhabitantẽ gratiã: sicut est in sanctis spiritualiter: ergo vbi omni modo affuit gratia, nullo modo defuit gratia: ergo nulla missio possibilis fuit. Itẽ omnis missio est per medium;
D sed inter ipsam, & Deũ nullũ est mediũ, ergo nulla est missio, minor patet, quia ipsa fuit dignissima creaturarũ, vtpote regina Angelorũ ab æterno electa, & cõfirmata. Iuxta illud Ecclesiast. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Item missio est propter indigẽtiã: in hac nulla fuit indigẽtia missionis: ergo nulla missio. Deus enim nõ indiget nuntio, qui est vbique præsens totus. Beatissima etiã Virgo, nõ indiguit nũtio: quia immediatè poterat accipere à Deo: ergo, &c. Itẽ nũtius prius accipit nuntiatum, quàm ille cui mittitur: ergo si fuit nuntiatio hæc prius descendit illuminatio ad Angelum, quàm ad Virginem: ergo non descendit ordinatè, quòd est cõtra Beatũ Dionysiũ dicentẽ. *Lex* *Eccl. 24*

qui-

quidem hæc est diuinitatis Sacratissima, per prima secunda ad diuinissimam reducere lucem. Vult enim per vtrunque librũ vtriusque Hierarchiæ, quicquid defuit ad inferiores, influit per superiores, & non è conuerso. Item beatius est dare, quàm accipere: ergo beatior est dans, quàm accipiens in quantum accipiens: ergo nuntius beatior fuisset Beatissima Virgine. Item sicut se habet finis ad finem: ita id quod ad finem ad id, quod est ad finem: ergo si nuntiatum est super nũtiatum improportionatur, & nuntius similiter: sed aliæ nuntiationes fiebant, per Angelos: ergo ista debebat fieri per superiorem omni Angelo: ergo Deus debebat illam reuelationem facere, per se ipsum. Item magis est dare esse Matrem Dei, quàm dare fidem, spem, vel charitatem: quia illud includit istud in se: sed illud operatur Deus, sine ministerio creaturæ, quod minus est: ergo & illud, quod maius est. Item prophetia prædestinationis impletur, sine nostro libero arbitrio, vt dicit gloss. sup. Matth. Sed hæc nuntiatio de conceptione Filij Dei, est prophetia prædestinationis: ergo illa non dependet à libero arbitrio. Ergo nuntiatio nõ fuit necessaria, propter cõsensum Beatissimæ Virginis. Ex his ergo patet, quòd nuntiatio, non fuit necessaria. Contra alij sancti fuerunt necessitati: ergo Christus debuit necessitari. Item non est laudabile, nisi constitutum aliquo modo in libero arbitrio: sed fieri Matrem Dei est laudabilissimum: ergo fuit necessario nuntiatio, propter consensum arbitrij. Item in contractu matrimonij requiritur liberum arbitrium in persona copulanda: ergo in isto summo matrimonio debuit consensus Beatissimæ Virginis requiri: ergo ad hoc necessaria fuit nuntiatio. Item clandestinum minuit iura, & priuilegium matrimonij: sed illud matrimonium in nullo debuit esse diminutum: ergo & nullo modo debuit esse clandestinum: ergo necessaria fuit nuntiatio. Respondeo. Concedimus, quòd congrua, & necessaria fuit ista nuntiatio propter quatuor, propter Dei honorationem. Angelicæ dignitatis ostensionem. Beatissimæ Virginis commendationem: Et nostram vtilitatem. Deus honorabatur in ista annuntiatione tripliciter. Quantum ad potentiã, in eo quòd Angelos ministros habuit. Quantum ad sapientiam, in eo quòd modo perditionis modo liberationis directè obuiauit, scilicet, in eo quòd Virginem, per Angelum docuit, sicut Angelus Virginem decepit. Quantum ad bonitatem, in eo quòd de contingentibus, nil obmisit in omni eo quod ad honorem matris suæ necesse fuit. Congrua ergo fuit ad Dei honorationem: necessaria fuit ad Angelicæ dignitatis ostensionem; quę similiter hic ostenditur in tribus. Primo, quòd Angelus suum officium, scilicet nuntiandi exercuit. Secundò, quòd summi secreti conscius fuit. Tertiò, quòd summam beatitudinem homini nuntiauit. Fuit etiam ad Beatissimæ Virginis necessaria: quæ etiam hic fuit commendatæ in tribus. Virtus enim eius manifestatur, meritum eius augmentatur, intus & extra illuminatur, & vnum quodque illorum tripliciter. Manifestatur enim virtus humilitatis in turbando. Virtus discretionis in quærendo. Virtus fidei in consentiendo. Meritum eius augmentatur in tribus, in credendo nuntio, in consentiendo nuntiato, in humiliando se Deo; intus & extra illuminatur tripliciter, in potentijs primis medijs, & vltimis; in primis, ideſt, sensualitatis per allocutionem, & ratiocinationem; in medijs per imaginationem, & cognitionem; in vltimis per internã inspiratione. Sic vtilis fuit annuntiatio ad Virginis commendationem; fuit etiam necessaria ad nostram vtilitatem. Ad hanc quoque tripliciter: ad fidei confirmationem, ad deuotionis accensionem, ad actuum informationem: fides nostra confirmatur, in eo quòd origo, & exordium nostræ redemptionis seriatim, & ordinatè describitur, & Sancti Euangelij testimonio roboratur, deuotio accenditur, cum toto humano generi mediante Beatissima Virgine perfecta pax, & reconciliatio nunciatur: & humana natura Deo abiecta, & Angelis inimica, à Deò prior per Angelum salutatur: actus nostri informantur, cùm per id quod Beatissima Virgo gessit, quando ad ipsam Angelus venit, & illud quod respondit; & per illud, quòd post receptionem plenitudinis gratiæ fecit, elegantissimè instruimur qualiter nos debeamus ad recuperandam gratiam præparare; qualiter recuperatam augmentare: qualiter augmentatam conseruare, & sic patet ad quæ, & ad quid necessaria fuit nuntiatio: nunc respondendum est ad obiecta. Primò ad id quod dicitur, quòd missio est distantium: dicendum quod distare secundum, quòd dicitur per oppositum ad inhabitare, per gratiam contingit, simul inesse, cùm in habitatione respectu diuersarum gratiarum; ita quòd Deus inhabitat, per hanc gratiam: distat tamen quantum ad aliam. Vnde licet Deus inhabitet Virginem per gratiam: distabat tamen, per corporalem præsentiam. Ad illud autem, quòd dicitur, quòd missio est per medium, dicendum quod medium accipitur dupliciter in operatione. Vno modo secundum, quòd medium accipit à primo, & fluit in vltimum, & habet rationem motiui respectu vltimi: vt quod in primum mutat mutans: & tale medium est nobilius vltimo; alio modo medium,

per quod tanquam instrumentum est operatio, & hoc medium, non est dignius vltimo. Primo modo Angelus fuit medium quoad illuminationem sensitiuam: secundùm, quod Angelus fuit superior Beatissima Virgine nũtiato Christo homine: sicut intellectiuum, supra sensitiuum. Secundo modo Angelus fuit medium, quoad illuminationem intellectualem, in quantum mouebat, & irradiabat Beatissimam Virginem illuminatione sensitiua: sed ipsam illuminationem intellectiuam Deus, per se infudit mediante intelligentia. Et ex his patet solutio, vsque ad vltimam obiectionẽ, qua obijcitur, quòd prophetia prędestinationis, sine nostro libero arbitrio impletur: quòd verum est, sine nostro libero arbitrio operante: sed non sine libero arbitrio consentiente, quòd obijcitur de obedientia solutum in distinctione.

A

B

Per quem nuntium conueniebat fieri missio. Si per hominem.
CAP. 2.

Post hoc quæritur, per quem nuntium conueniat fieri annuntiationem hanc, & videtur, quòd per hominem. Tribus enim modis notificatur incarnatio. Primò, per prophetiam realem, vel verbalem. Secundò, per digiti demonstrationẽ ad oculũ. Tertiò, per annũtiationem, extrema fiebant per hominem: ergo & media, quia & media communicant naturam extremorum. Item Angelus, non ordinatur medius inter hominem, & hominem: cùm sit super hominem: ergo si extrema fiebant per hominem, ergo & media: quia & media communicant naturam extremorum. *Item lex, & Propheta, vsque ad Ioannem*, qui fuit propheta prophetando: & plusquam propheta demonstrando: ergo in quantum est citra demonstrationem, erit prophetizatio: sed annuntiatio erat citra. Ergo debebat fieri, per prophetam: ergo per hominem? Contra nullus hominum fuerat superior Beatissima Virgine: sed inferiorum est recipere à superioribus: ergo ipsa non debuit illuminationem recipere ab aliquo homine. Item ista beatitudo immediatè Beatæ Virgini in ipsa, & per ipsam annuntiatur toti humano generi: ergo fuit loco recipientis. Et * ergo homo non debuit esse nuntius? Item officium hominum est recipere: & Angelorum nuntiare: ergo, &c. ex his patet, quòd homo, non debuit esse nuntius.

C

Luc. 16.

D

Si per Angelum.
CAP. 3.

Videtur autem, quòd Angelus debuit esse nuntius. Ordinariè, & regulariter illuminationes descendunt à superioribus ad inferiora: sed humana natura constituta est sub Angelica: ergo hæc debuit illuminari ab illa. Item dicit Philosophus, quòd anima est substantia intellectualis illuminationum à prima causa descendentium vltima delatione perceptiua: ergo illuminatio descendit à Deo ad Angelos: ab Angelis ad homines: ergo illuminatio ista fiebat, per Angelum. Item Angeli sunt, qui singulis hominibus præficiuntur: & hi sunt immediatè Prælati hominum; sed denuntiationes, & illuminationes descẽdunt à Prælatis in subditos: ergo videtur, quod per Angelum Virgini deputatum debuit fieri ista nuntiatio. Itẽ Ecclesiastica Hierarchia immediatè ordinatur ad cœlestem superse: ergo supremum in Ecclesiastica erit, ad infimũ in cœlesti ordinatum immediatè; sed Beatissima Virgo est supremum in Ecclesiastica: ergo debuit illuminationem recipere ab infimo in cœlesti Hierarchia. Item per totum Euãgelium appellatur Angelus: & ita videtur, quòd fuit Angelus.

Si per Archangelum.
CAP. 4.

Sed contra illuminatores sunt scientiores illis quos illuminant: sicut vult Dionysius per totum; sed Angeli non fuerunt superiores Beata Virgine: ergo Angelus, non debuit eam illuminare. Item *quis est iste, qui venit de Edon*, & dicit Hieronymus, quòd hæc quæstio est in persona minorũ Angelorum ignorantium mysterium incarnationis, si ignorauerunt: ergo non nuntiauerũt. Item *volauit ad me vnus de Seraphin*: si ergo de maioribus fuit vnus, qui prophetam ad prophetandum incarnationem purgabat, nequaquam de minoribus esse debuit, qui ipsum incarnationem nuntiabat. Item nuntius iste fuit Gabriel, qui fuit Archangelus, vt supponit Ecclesia: ergo nuntius, non fuit Angelus, sed ad minus Archangelus. Item Ioannes nunciatus fuit, per Archangelum: ergo & Dominus ad minus. Item Archangeli sunt, qui maiora nunciant: vt dicit Bernard. sed illud fuit maximum nuntiatum: ergo debuit fieri, per Archangelum. Item Bernard. dicit: *Putamus his præesse Archangelos, qui sunt conscij diuinorum mysteriorum, quæ non, nisi ob præcipuas, & maximas causas mittũtur*. Ex quibus ille magnus Archangelus Gabriel missus legitur ad MARIAM: ob causam vtique, qua maior esse non potuit. Item cuiuscunque est officium aliquod propriè, illud est in illo officio primum, medium, & vltimum: sed Archangelorum officium est reuelatio secretorum: ergo & ista reuelatio summorum secretorum pertinet ad istorum officium.

Esai. 63.

Esa. 6.

Bernar.

Si

Si per Principatus.

CAP. 5.

Videtur, quòd nũtius debeat esse de principatibus. Dicit enim Bernard. *Principatus sunt, quorum virtute, moderamine, & sapientia omnis in terra principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutatur, & nuntiatur.* Sed hac annuntiabatur mutatio Regni, & Sacerdotij, & eiectio Principis tenebrarum: ergo debuit fieri per Principatus. Item secũdùm Beatum Dionysium, Angeli sunt, qui singulis hominibus præficiuntur: Archangeli, qui gentibus: Principatus, qui principibus: ergo cùm beatissima Virgo nobilissima fuerit Princeps: ei fieri debuit reuelatio per Principatus. Item videtur, quòd per Principatuum proprietates, quas ponit beatus Dionysius dicens: *Manifestat autem ipsam cœlestium principatuum, illud difformiter principale, & ductiuum, cum ordine sacro, & principatibus de felicissimis virtutibus, & ad super principale, principium eas principaliter conuerti: & aliàs hierarchicè ducere ad primũ ipsum, quantum possibile est formare principicum principium:* sed in hac annuntiatione ducitur Virgo Beata Hierarchicè ad super principale principium quantum possibile fuit: ergo debebat fieri per Principatus.

Bernar. *Dionys.*

Si per Potestates.

CAP. 6.

Videtur, quòd adhuc superior debeat esse nuntius, scilicet, de Potestatibus. Potestates sunt, vt dicit Bernard *Quarum virtutute potestas tenebrarum comprimitur.* Hic autem potestas Principis tenebrarum maximè comprimebatur: ergo debebat fieri per potestates. Item gloss. dicit, super Missus est, quòd Gabriel ideò fortitudo Dei dicitur, quia illum nunciabat, qui ad deuellandum diabolum veniebat: hoc autem est potestatum: ergo debuit fieri per Potestates.

Bernar.

Si per Virtutes.

CAP. 7.

Videtur etiam, quòd debeat esse de virtutibus. Dicit enim Beatus Bernardus. *Virtutes sunt, quorum nutu vel ope signa, & prodigia fiunt.* Istud autem fuit omnium miraculorum miraculosissimum: ergo debuit fieri per virtutes? Item vna proprietas virtutum secundum Beatum Dionysium, est largitas ad inferiora: hic autem annuntiabatur maximè largitas: quia plenitudo gratiæ: ergo è conuerso.

Bernar.

A *Si per Dominationes.*

CAP. 8.

Videtur, quòd debuit fieri per Dominationes: & hoc propter proprietates ipsis assignatas à Beato Dionysio, *Quæ sunt liberalis seueritas, mutuæ seruitutis superioritas; nullius subiectionis egestas, dissimilitudinis immunitas; dominandi ordinata potestas.* Omnia ista exercebantur in opere incarnationis, vbi nos Deus suæ gratiæ liberalitate, & suæ passionis seueritate liberauit ab indigna seruitute Diaboli, & peccati: & libertate filiorum Dei adoptauit, ab omni contagio dissimilitudinis culpæ, & pœnæ B emundauit, & nos sibi in Regnum, & Sacerdotium ordinauit: ergo ista annuntiatio debebat fieri per Dominationes.

Dionys.

Si per Thronos.

CAP. 9.

Videtur etiam, quòd per Thronos debuit fieri: & hoc per proprietates Thronorum à Beato Dionysio positas, quæ sunt regis celsitudo, regis circundatio, stabilis collocatio, regis susceptio, regis delatio, familiaris apertio, vnde Beatus Dionysius: *Ipsa autem altissimarum compactarum sedilium omni diligenter exaltari ignauia subiectionis, & ad summum super mũdanæ sursum se referens,* C *& omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum, & verè excelsum totis viribus, & immutabiliter, & stabiliter collocatum, & diuini super aduentus, in omni impossibilitate, & immortalitate acceptiuum difformiter & familiariter in diuinas susceptiones apertum.* Hæc autem omnia completa sunt in Beatissima Virgine, quæ celsior omnibus creaturis, ipsum Deum vteri sui in gremio circumdedit: per quòd se, & nos in æterni regni solio collocauit, & regem gloriæ, quem in se suscepit, per totum mundum communicauit: collocauit, & tanquam familiarissima mediatrix totum mundum, sibi reconsiliauit: & per quam, tanquam per D coniunctissimum, sibi medium omne bonum effluxit, & omne genus hominum per se, tãquam per portam cœli ad summam familiaritatem Dei Patris introduxit: & per hoc, quòd ipsum Deum, cum homine familiarissimè in vnam personam coniunxit. Hæc autem omnia annuntiantur in ista annuntiatione: ergo proprissimè debebat fieri, per Thronos.

Dionys.

Si per Cherubin.

CAP. 10.

Videtur etiam, quòd debeat fieri per Cherubin, per proprietates positas à Beato Bern. qui dicit: *Putemus Cherubin ex ipso sapientiæ fonte, idest, ore altissimi hauriẽtes, & refluentes, fluẽta sciẽtiæ vniuersis ciuibus suis:*

Bernar.

Cùm ergo hic annuntietur prima repletio fontis, qui creuit in fluuium magnum, & maximum, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei: vtpote plenus gratia, & virtute, de cuius plenitudine omnes accepimus: imò ipse Filius Dei, qui est virtus, & sapientia Dei, in quo sunt omnes Thesauri sapiẽtiæ, & sciẽtiæ reconditi: manifestum est, quòd annuntiatio pertinet ad Cherubin. Item videtur, per *Dionys.* proprietates à Beato Dionysio positas, quæ sunt in circuitu esse reductiua, actiua, & exemplatiua in circuitu. Quia ad totũ, quòd est non intrant reductiua, & ad Dominum tendant actiua, vt ad Deum intendant exemplatiua, vt secundum suum exemplum hoc faciant. In hac autem annuntiatione Beatissima Virgo; ita in circuitu fuit, quòd magis coniungi Deo, nisi Deus fieret, non potuit. Reductiua etiam fuit, quæ omnem creaturam, quæ per peccatum cecidit in pristinum statum, ducit, & superducit: per ipsam, & in ipsa quicquid Deus creauit, recreauit: quoniam omnium bonorum est mater. Est & exemplatiua, quæ omnis pulchritudinis, & innocentiæ speculum ad primam pulchritudinem dirigit: & omnes aberrantes, vt stella maris, ad portum reducit: hæc autem omnia hic annuntiabantur: ergo videtur, quòd ad Cherubin pertineat.

Si per Seraphin.
CAP. 11.

Videtur, quòd ad Seraphin, & hoc per proprietates positas à B. Bernard. qui dicit. *Bernar.* *Putemus Seraphin spiritus totos igne diuino succensos incendere vniuersa:* Beata autem Virgo igne Sancti spiritus, ita fuit totaliter succensa: vt flamma ignis omnem eius fomitem libidinis extinguerit: & ipsum solem iustitiæ intra se continens totum mundum illuminaret: & ad Dei amorem decenderet, Cùm ergo istæ sunt proprietates Seraphin, videtur, quòd ista annuntiatio pertineat ad Seraphin. Item videtur per proprietates ipsis assignatas à beato Dionysio, qui dicit. *Dionys.* *Prima ergo cœlestium hierarchiarum, ab ipsis excellentissimis essentijs, si sanctificatur, ordinem habens omnibus altionem.* Hoc est, circa Deum immediatè collocatum, & primo operantem Theophaniæ perfectiones, in eam tanquam in proximam principaliter deferuntur: & ita immobile earum, circa diuina, & incessabile, & acutum, & calidum, & super feruidum, intentè, & forsam intimè inflexibilis semper motionis, & superpositorum reductiuè, & actiuè, exemplatiuè, tãquam recalificans illa, & resuscitans illa in similem caliditatem, & igneitatem cœlitus. Etiam holocaustum purgatiuum, & incircunuallatum, & inextinguibilem habentem, & sic semper lucifactiuam, & illuminatiuam proprietatem omnis tenebrosæ obscurincationis persecutricem, & manifestatricem. Illa autem summa perfectio charitatis, quæ hic describitur ad Deum ascendendo, & ad Christum descendendo, completa fuit in Beata Virgine in hac annuntiatione; ergo manifestum est, quòd debuit fieri per Seraphin.

Si per tres primos ordines.
CAP. 12.

Videtur autem, quòd adhuc superior nũcius esse debuit, scilicet, Spiritus Sanctus increatus: hic enim annuntiatur effectus summæ bonitatis: bonitas autem appropriatur Spiritui Sancto: ergo debet fieri per Spiritum Sanctum. Item, quòd omnes tres primi ordines debeant mitti. Primus enim ordo nomen habet à charitate. Secundus à cognitione. Tertius à puritate: sed hæc omnia hoc in summo monstrantur: ergo debebat fieri per tres; minor patet per Ioan. Damasc. qui dicit. Magnum circa ipsum antrophie: ideſt, *Damas.* amori hominum clementiæ pelagus demonstratur. Ipse enim cõditor, & Dominus eam quam proprio, vel pro primo plasmate recipit luctationem, & opere magister fit: & hominem quem inimicus Deitatis spem decepit: carnis problemate decipitur: & monstratur, simul bonitas, & iustitia, & sapientia Dei. Nam bonitas quidem, quia non despexit proprij plasmatis infirmitatem, sed in ipso cadente viscera eius commota sunt, & manum porrexit. Iustitia quoniam homine victo, non alium vincere fecit tyrannum: neque vi eripuit hominem ex morte; sed quem quondam per peccatum in seruitutem redegit mors: hunc bonus, & iustus, victorem fecit: rursus, & similem simili resaluauit, & quod apoton erat, ideſt, difficilè sapientiam, quoniam inuenit aporij, ideſt, difficillimi solutionem valde decentissimam: ergo cùm hoc annuntietur, in quo omnium istorum trium ordinum demonstratur proprietas: videtur, quòd omnes ordines debeant mitti.

Si per omnes Angelos.
CAP. 13.

Videtur autem, quòd debeant mitti omnes: quia sicut se habet nuncians ad nuntiãtem, & recipiens recipientem, & negotium ad negotiationem; ita se habere debet nuntius ad nuntium. Sed omnia alia hæc fuerũt in summo, ergo & ratio nuntij hic debuit esse in summo. Minor patet; maior: non potuit esse nuncians Deo nuntiante; nec maior recipiens illa recipiẽte, quæ fuit suprema in Ecclesia Militante; & negotium non potuit ma-

magis, & magis esse arduum, nec vtilitate, nec dignitate, nec nouitate: ergo si omnia alia fuerũt hic in summo, & ratio nuntij hic debuit esse in summo; sed rationem nuntij augmentat pluralitas · solemniùs enim est mittere multos, & magnos, quàm vnum quemquelibet: quantò enim plures nuntij sunt magni, & solemnes, tantò plus solemnizatur annuntiatio: igitur si hoc debet esse in summo, oportebat quòd omnes mitterentur.

Si per Spiritum Sanctum.

CAPVT 14.

Videtur autem, quòd Spiritus Sanctus debebat mitti, per argumẽtum prius positum. Item ista conceptio, quæ hic annuntiatur, attribuit Spiritui Sancto, videtur cõceptus de Spiritu Sancto, licet tota Trinitas sit operata istã conceptionem: item ad repletionem Apostolorum mittebatur Spiritus Sanctus: ergo multò digniùs ad plenitudinem beatissimæ Virginis.

Si per Filium.

CAP. 15.

Videtur enim, quòd debuit mitti filius, *P. Aug.* filius enim, vt dicit Augustinus, qui est sapientia mittitur, cùm cognitio de spiritualibus datur: hic autem ipsa sapientia, per se ipsam totaliter infunditur: ergo filius mittebatur.

Si per Patrem.

CAP. 16.

Videtur autem, quòd Pater; Patri enim appropriatur summa potentia, quæ manifestatur in summo: ergo debuit mitti; minor patet: magis enim manifestat potentiam recreatio, quàm creatio: licet vtrunque sit ex nihilo: quia in superiorem, & in perfectiorem ordinatur recrearem statio, quàm creatio: item in figura huius incarnationis le- *Iudi.* 14 gitur, quòd dixit Sanson patri suo. *Vidi mulierem de filiabus Philistijn: hanc quæso accipe mihi in vxorem: & descendit pater eius ad mulierem, & fecit filio suo grande conuiuium.* Si ergo pater descendit ad accipiendum filio suo vxorem; videtur, quòd pater missus sit ad annuntiandum incarnationem.

Si per totam Trinitatem.

CAP. 17.

Quòd tota Trinitas mitti debuit, videtur, *Damas.* per authoritatem Damascen. suprapositam, quòd in incarnatione monstrabatur potentia, sapientia, & bonitas, potestas simul, & illa appropriantur tribus personis: ergo tres Personæ simul debebant mitti. Item vide- *Luc.* 1. tur, per ipsum Euangelistam: *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Vbi omnes tres Personæ tanguntur: per virtutem Filius: per altissimi Pater: Spiritus Sanctus ponitur intra. Item in annuntiatione Isaac, quæ fuit figura istius annuntiationis, dicitur, quòd apparuerũt *tres viri*, ideſt, tres Angeli in spem virorum, per quos dicitur Trinitas intelligi: quia dicitur, *Tres vidit, & vnum adorauit.* Et ibi commiscuit Sara *tria Sata*, ideſt, diuinitatem, animam, & corpus: ergo Trinitas fuit missa ad annuntiandũ incarnationẽ. *Gen.* 18.

Ad hæc soluentes dicimus, quòd in hac annuntiatione triplex fuit triplicitas missionis positio. Vna filij. Secunda Spiritus Sancti. Tertia Angeli. Filij duplex. Vna, qua mittebatur in carnem, & illa est incarnatio. Alia, qua mittebatur in mentem, quæ idem est, quòd interior illuminatio mentis Beatæ Virginis ad intendendum, & cõsentiendum verbis Angelicis. Missio Spiritus Sancti fuit in plenitudinis gratiæ infussione, ideſt, summa virtutum gratuitarum, prout in pura creatura esse potuit, in via perfectio. Missio Angeli fuit intimationis, quòd ipsa deberet esse Mater Dei ministerialis, & exterior ad sensum delatio. Vnde Angelus non fuit illuminator; sed illuminationis interioris exterior delator, & reuelator: illius autem intelligẽtiæ, cui opus est in visione, Deus Trinitas per se fuit inspiratrix, & interpretatrix, sicut, & inuenti nunciatrix. His habitis, respondemus ad obiecta, concedentes, quòd filius mittebatur, secundùm quod dictum est: & Spiritus Sanctus mittebatur secundũ, quòd dictum est. Pater autem non mittebatur; quamuis in incarnatione aliquid appropriabile sit Patri; in conditione namque admissionem alicuius personæ tria exiguntur. Primum est, quòd ille effectus sit in creatura a tota Trinitate. Secundum est, quòd ille effectus sit appropriabilis illi personæ, quæ mittitur: quia mitti, vt dicit Augustin. est *agnosci*. Tertiũ est, quòd manifestetur pro- *Augus.* cessus illius personæ ad alteram; & sic patet, quòd pater non mittitur: quia mitti, vt dicit Augustin. *est agnosci ab alio esse*: Pater au- *P. Aug.* tem, nõ est ab alio. Eadem ratione tota Trinitas mitti non debuit: quia sequitur, si Trinitas mittitur, ergo & Pater. Item concedimus rationes, quæ probant, quòd homo non debuit esse nuntius: nec obstat, quòd *lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem.* Ista autem an- *Luc.* 16. nuntiatio, non fuit ad demonstrationem Ioannis ordinata, tanquam ad medium: hæc autem fuit ordinabilior illa tanquam finis, & complementum omnium reuelationum, & apparitionum præcedentium, propter principalem exhibitionem luminis, quod illuminat, & fuit completior in ratione illuminandi; quia eam intus, & extra illuminauit, mediante luce, qua suæ diuinitatis Deus testam nostræ mortalitatis accedit, & omnes

te-

tenebras fugauit; Ioannis autem demonstratio, lumen non accendit, sed lippientibus oculis solem digito ostendit: nec iam quasi secretum reuelauit, sed manifestum incredulis inculcauit. Plusquam Propheta dicitur: non propter nobilitatem reuelationis, sed propter præsentiam lucis, quam nõ futuram prędixit, sed præsentem demonstrauit. Item concedimus, quòd multi Angeli non debebant mitti; quia multitudo repugnas mysterij archano. Non enim est archanum, quòd multis est cognitum: nec est familiariter, & amicabiliter intimatum: quidquid prius est multitudini reuelatum. Item concedimus, quòd iste Angelus non fuit de maioribus, sed fuit Archangelus: & hoc propter Beatissimæ Virginis honorationem: quia siquis de superioribus mitteretur; ab ipso illuminari crederetur. De minoribus ergo mittitur, vt ostendatur; quia Angelus tantùm est negotij mysterialis, & exterior delator. Deus autem per se est negocij inuentor: salutationis dictator: intelligentiæ inspirator: & mentis ad consensum inclinator; modi executionis expositor. Vnde Angelus requisitus, demonstrans mittit ad Spiritum Sanctum: Dicens, *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Nam Beatissima Virgo (licet in alijs hoc non sit possibile) nihil hoc illuminationis accepit ab Angelo, & vt hoc Euangelista signanter exprimeret, & omnem contra hoc opinionem remoueret, ipsum qui reuera fuit Archangelus; per totum Euangelium, non Archangelum, sed Angelum nominauit.

Lucæ 1.

In qua specie apparuit. Si in serpentina.
CAP. 18.

Post hoc quæritur in qua specie apparuit. Et videtur, quòd in serpentina specie. Dicit enim Beda: *Quia intrauit mors per fœminã, aptè redijt vita per fœminam.* Si congruebat similitudinem alijs inesse. Scilicet vt fœmina esset principium saluationis, & principium perditionis: Angelus principium deceptionis: Angelus principium illuminationis. Ergo si Angelus fuit instrumentum deceptionis, debuit esse, & instrumentum illuminationis; ergo Angelus apparere debuit in specie serpentina.

Beda.

Si in columbina.
CAP. 19.

Videtur, quòd apparere debuit in specie columbina: contraria contrarijs curantur. Ergo si deceptio fiebat per caliditatem serpentinam; illuminatio fieri debebat per simplicitatem columbinam.

Si in humana.
CAP. 20.

Videtur etiam, quòd in humana specie; aliæ enim apparitiones fiebant in specie humana: ergo & ista; cùm sit complementum, & dignissima omnium aliarum. Item inter animalia Euangelica Matthæus habet faciem hominis, & plura scripsit de incarnatione Dei hominis: ergo species humana conuenit ad annunciandum incarnationem Christi hominis, quòd cõcedimus. Ad obiecta soluẽtes dicimus, quod in specie serpentina non debuit esse illuminatio: quia cùm illa non ordinetur ad illuminationem; sed plus ad deceptionem, cùm in deceptione species serpentinæ congruerit, & persuasione congruentissima esset; quia vt dicit magister in sententijs 21. dist. *Venit in specie serpentina: quia si per mitteretur venisset in specie columbina,* & infra: *Non ergo nisi per serpentem tentare permissus est Diabolus, vt per illud quod foris erat astutiam tentantis non aduerteret: & sic fœminam conueniret.* Vnde Augustinus. *Non est putandum, vt per quem tentaret eligeret. Sed cum decipere cuperet non potuit, nisi per quod posse alias permissus fuit.* Vnde accidit, quòd serpens fuit instrumentum deceptionis: non ergo debuit esse instrumentum illuminationis. Item in specie columbæ venire non debuit; Beata enim Virgo sensibiliter ab Angelo illuminari debuit: illuminatio autem sensitiua ad cognitionem fit mediante locutione; ergo medium illuminationis debuit esse locutiuum: sed nullum sensitiuum est locutiuum nisi solus homo. Ergo debuit fieri in specie humana, vt sicut nobilissimum intellectiuum erat, quod illuminabat eam interiùs, vtpote Deus; sic etiam nobilissimum esset sensitiuum, quod illuminabat eam exterius sicut homo.

Augustin.

In quo sexu.
CAP. 21.

Post hoc queritur in quo sexu? Et videtur, quòd in fœmineo. Assumptio enim formæ humanæ hic non erat, nisi propter eam, quæ illuminabatur: ergo quicumque sexus magis congruebat ei quæ recepit illuminationem; per illum debebat fieri: hic autem sexus est fœmineus: congruentissimè enim loquitur fœminæ fœmina, Virgo virgini; & sine turbatione minori audit Virgo virginem, quàm Virgo virum: ergo in sexu fœmineo virgineo debuit fieri apparitio. Sed contra super illud, *quæ cum audisset turbata est.* Dicit Gloss. *proprium est virgini ad omnes viri ingressus pauere:* Ergo vir: præterea in omnibus apparitionibus alijs, quæ fuerunt figuræ istius annuntiationis, Angeli apparuerunt in forma virilis sexus; ergo & hic. Concedimus, dicentes ad obiecta, quòd sexus fœmineus non est illuminatiuus, sed magis illuminabilis secundùm Apost. *Qui dicit*

Lucæ 1.

1.Co.14 dicit. *Mulieres in Ecclesia taceant: sed Domi interrogent viros suos. Caput enim mulieris est vir.* Vnde quoniam illuminans in quantum talis dignior fit illuminato, potius illuminatio Beatissimæ Virginis debuit fieri in sexu digniori.

In cuius ætatis specie.
CAP. 22.

Post quæritur cuius ætatis spiritus? & videtur, quòd in ætate pueritiæ: quia de eodem est nuntiatio de quo processit prophetizatio: sed de puero est prophetizatio, ergo & annuntiatio: sed proprietates nuntij debent esse secundùm proprietates nuntiati, vt dictum est, quòd Gabriel ideò appellatur fortitudo Dei, &c. ergo in speciem pueri apparere debuit: quia puerum nuntiauit. Sed cõtra Augustin. dicit. *Nuntiare venit id quod erat super naturam, & quod erat gratiæ non naturæ*; sed quod fœmina concipit, hoc est, secundùm naturam; quòd autem fœmina circundat virum secundùm naturam, ergo in specie virili erat.

Augusti.

Si in iuuenili.
CAP. 23.

Itẽ annuntiatio Isaac, in virili: ergo hæc. Videtur autem, quia debuit fieri in iuuenili specie. Senex enim in quantum homo indicat defectum, similiter & puer; iuuenis autem dicit nouitatem cum perfectione, hic autem nuntiatur ille, qui fuit nouus secundùm humanitatem, perfectus quoque secundùm diuinitatẽ; ergo in specie iuuenili debuit nuntiari. Item ad idem dicit Dionys. quòd iuuenile significat super vitalis perfectionem innouantis. Ecce nouitas, & humanitatis super vitalis virtutis. Ecce hic æternitas, & viuacitas dignitatis; ergo iuuenile nouum cõplectitur humanitatis, & æternum diuinitatis; ergo in forma iuuenili, quòd concedimus. Ad contrarium autem respõdentes dicimus, quòd forma iuuenilis congruebat illuminationi, non puerilis, vel senilis. Pueri enim nõdum vtuntur distinctione sensuum, neutra ergo conueniebat illuminationi, vbi necessaria est discretio sensuum, & vigor organorum; nec obstat eum puerum appellatum fuisse ab Isaia; cùm eum etiam patrem appellat *futuri seculi*.

Esai. 9.

In qua veste, si in candida.
CAP. 24.

Post hoc quæritur in qua veste apparuerit, cùm alibi Angeli scribantur vestiti. Et videtur, quòd in veste candida, quia idem concipitur, & nuntiatur, qui post modum surrexit; ergo in consimili veste, & habitu nunciari debuit; sed in resurrectione apparuerũt Angeli *in vestibus albis*; ergo & modo. Item dicit Gregorius *candor vestis signat iucunditatem futuræ solemnitatis*; sed hoc fuit maximum festum, quanto Deitas humanitati in vna persona copulata fuit: ergo illud Angelus in candore vestis nuntiare debuit. Item in transfiguratione apparuerũt vestimenta eius *candida sicut niue, qualia nõ potuit fullo facere super terram*, & dicit Gloss. quod talem ostendit speciem, qualem habuit per naturam: ergo albam vestem habuit per naturam.

Ioan.20
Gregor.
Mar. 9.

Si in sordida.
CAP. 25.

Videtur autem, quòd nigram & sordidam habere debuit vestem Zacharias enim vidit IESVM Sacerdotem magnum indutum *vestibus sordidis*, & exponit hic gloss. de inditione, quæ facta fuit in incarnatione: ergo & Angelus hoc nuntians debuit indutus apparere in vestibus sordidis. Item Psalm. *Circuncidisti saccum meum, &c.* ergo Dominus in incarnatione indut saccum nostræ mortalitatis, in quo tulit thesaurum nostræ redemptionis; ergo Angelus hoc nuntians, debuit esse indutus sacco. Item si in resurrectione apparuerunt Angeli in vestibus albis, quia annuntiauerunt à passione absolutum; ergo in veste nigra annuntiari debebat incarnatum passurum.

Zach.3.
Psal.29

Si in bicolorata.
CAP. 26.

Videtur, quòd in veste bicolorata in Cãticis. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* etiam candor significat innocentiam: rubedo patientiam. Hæc autem est propriè vestis Dominica: quia nec angelica, nec humana, Angelus enim innotientiam, sed non patientiam habet: homines autem patientiam; sed non innotiẽtiam: omnes enim præuaricauerunt; ipse autem solus innotiẽtiam habuit, qui peccatum non fecit, & patientiam; quoniam peccata nostra *pertulit in corpore suo super lignum*: ergo ista vestis sibi soli est propria: ergo Angelus hoc nuntians debuit esse indutus veste alba, & candida. Item quærentibus Angelis, *quis est iste, qui venit de Edom*, etiam benedicit Dominus: *ego qui loquor iustitiam, quasi diceret*, ego sum solus, qui habeo innocentiam. Et ipsi replicant: *quare rubrum est iudumentum, &c.* quasi mirantes super decore albi, ideſt, innotientiæ, & rubri patientiæ: ergo illa propriè est vestis Domini, ergo Angeli. Videtur autem, quòd vestis alba esse debuit:

Cant.5.
1.Pet.2
Esai.63
Ibidem.

quia

Ezec.9. quia legitur in Ezech. quod vidit *virum indutum lineis*, & alios sex secum. Et exponit Gregor. quòd vnus solus indutus fuit lineis: quia vnus solus conceptus fuit sine peccato.

Si in alba.

CAP. 27.

Ad solutionem horum, & similium notandum est, quòd Dionysius de hac materia loquens, ait: *Est autem quando, & vos diuinorum iudiciorum sint symbola illa, quæ acta sunt à nobis à sanctis Angelis organa: alijs quidem declarantibus corrigentem disciplinam; alijs autem punientem iustitiam: alijs vero ab angustia. Libertate autem disciplinæ fidem, aut prioris beneficentiæ præsumptionem, aut appositionem aliorum donorum paruorum, & magnorum sensibilium, aut inuisibilium, aut animo non dubitet perspicax animus inuisibilibus visibilia adiuuare.* Ex hac auctoritate colligitur, quòd omnia quæ fiũt circa formę assumptionẽ, debent visibiliter declarare illud inuisibile quod primo modò, & principaliter venit Angelus nunciare. Dico ergo, quòd Angelus ille venire debuit in veste clara, & propter ipsum nunciantẽ, & recipientem, & propter nunciatũ. Propter se; quia candor vestis innocientiam designat Angeli: & propter hoc non congruit Angelo vestis alba, & rubea: quia non est aptus natus habere innocentiam cum passione. Item quantum ad recipientem congruebat vestis alba, & clara: quia illa, quæ sine peccato, concepit eũ qui peccare non potuit; & ideò totum album, & nihil ibi de nigro fuit. Item sine libidine concepit, & sine dolore peperit; ergo sine rubeo libidinosæ, & doloroſæ passionis ista conceptio, & natiuitas consummata fuit; ergo cùm Angelus iste primo, & principaliter per se non intendat nunciare nisi incarnationem, non debuit habere vestem rubricatam, vel bicoloratam; sed tantũ albam. Item quantum ad nunciatũ. Hic enim annunciatur ille qui primitias massæ nostræ accepit cum solutione pœnæ, & immunitate culpæ, & sic in prima puritate, & claritate. Item modus summendi, siue procedendi in hac incarnatione, fuit sine corruptione, sine diminutione, sine conmixtione; sicut lux procedit de luce: ergo quoad omnia quæ fuerunt in hac annũciatione congruebat Angelum venire in clara veste. Omnes autem authoritates, & rationes, quæ probant sacco vestiri, vel tunica polimita, vel candido, vel rubeo vestimento sordidato: locuntur de corpore dominico secundùm statum passionis, & non secundùm proprietates incarnationis.

Qua hora temporis. Si in ortu diei.

CAP. 28.

Post hæc quæritur, qua hora temporis facta fuit hæc annunciatio: & videtur primò, quòd in die. Opus enim creationis cepit à luce. Gen. *Fiat lux, &c.* Ergo multò fortius opus recreationis quod est multò nobilius. Item in incarnatione incepit dies gratiæ: omnis autem dies incipit à luce: ergo recreatio incepit à luce. Item ponitur in sententijs, quòd sol factus fuerit ex luce, siue nubecula; sed creatio solis de nubecula est figura creationis corporis Dominici de Beatissima Virgine: ergo ista debuit fieri existente luce: ergo in die. *Gen.1.*

Si in meridie.

CAP. 29.

Item eadem die passus fuit, & incarnatus: ergo eadem ratione, & eadẽ hora: sed passus fuit in meridie: ergo, & incarnatus; sed ad annunciationem sequebatur incarnatio. Si ergo passus fuit in meridie, sequitur, quòd incarnatus, & annunciatus. Item in meridie sol est in altissimo: sed sol in altissimo signat charitatem in summo: ergo in meridie; item Ioannes nuntiatus fuit in meridie, qui gessit officium Luciferi: ergo multò fortius Christus qui fuit verus sol. Item MARIA: *Venit ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent.* Gloss. MARIA dicitur venisse in tenebris: quia manens adhuc in infidelitate fuit cum ad Angelos venit: ergo per oppositum Angelus venire debuit ad eam in luce, quæ fide, & dilectione plena fuit. *Ioan.20*

Contra videtur, quòd in media nocte: *Quia dum mediũ silentiũ tenerent omnia omnipotens sermo, &c.* Item *populus, qui ambulabat in tenebris:* Ergo nox fuit, quando lux ista orta fuit: quia in die non ambulabatur in tenebris. *Sap.18.* *Esai.9.*

Si in vespere.

CAP. 30.

Videtur autem, quòd in vespere debuit fieri illa annunciatio; quia postquam *venit plenitudo tẽporis, &c.* Igitur ista annũciatio fiebat in vespere, quando est plenitudo diei. *Coloſ.4.*

Quod autem in media die, videtur per figuram: quia dicitur in Gen. Quod Abraham *sedebat in hostio tabernaculi in ipso feruore diei*, quandò annunciatus fuit Isaac. Hæc autem annunciatio fuit figura ipsius annunciationis; ergo ista debuit fieri in meridie. *Gen.18*

Ad hoc dicimus secundùm authoritatem Dionysij supra positam, quòd circunstantiæ annunciationis debent exprimere proprietates annunciati. Vnde cum Angelus iste non annunciauerit tempus incarnandi, nec statum, vel proprietatem eorum propter quos fiebat; sed tantùm ipsam incarnationem cum suis proprietatibus; illa autem incarnatio fit ortus veri solis super terram, quòd est initium diei sine præsumptionis supercilio; credi-

credimus, quòd hæc annuntiatio fuit in ortu diei, & non in vespera: quia nõ annuntiat tempus incarnandi; nec in nocte; quia non annuntiabant statum eorum, propter quos
Sap. 18. fiebat incarnatio: ergo authoritas illa *dum medium*, nõ tangit statum hominis, qui fuit in incarnatione Verbi. Ad illud autem, quòd dicitur de Abraham, quòd sedit in hostio; etiam dicimus, quòd per Abraham, & per feruorem diei, intelligitur feruor desiderij, quem habebant Sancti Patres ad incarnationem, quòd autem obijcitur de hora passionis, plus est ad propositum: quia sicut Sole mundi ad Occasum vergente cõgruebat verum Solem relinquere munduni; ita decebat, vt Sole materiali Oriente, oriretur simul, & Sol iustitiæ. Ad id quod obijcitur, quòd hic charitas monstrabatur in summo, & ita debebat in meridie concipi; dicimus, quòd in opere redemptionis, idest, in passione monstrabatur charitas in summo; sed non fuit opus redemptionis, vnde licet in se maior esset incarnatio, quàm passio; tamé summa charitas monstrabatur in passione: ipso
Ioan. 15 Domino dicente: *Maiorem hanc dilectionẽ.* Etiam hoc bene fuit signum augmenti charitatis, quòd recipere potest in incarnatione;
Philos. quia *augmentuu*, vt dicit Philosophus, *est præexistentis magnitudinis additamentum.* Vnde magnitudini charitatis, quæ ostenditur in incarnatione facta, est additio charitatis, quæ est in passione, per quam charitas est vltimata in suæ perfectionis ostensione. Hoc autem congruebat fieri in meridie, & sic patet, quòd aliud tempus congruebat passioni; aliud annuntiationi.

In quo loco: si in ciuitate.

CAP. 31.

Post hoc quæritur de loco, & videtur, quòd fuerit in ciuitate. Contra hoc obijcitur: Dominus extra ciuitatem passus fuit, natus, & sepultus, & resurrexit: ergo & concipi debuit. Item dignior annuntiatio fieri debuit in digniori loco, vel ad minus in æquè digno; sed annuntiatio Domini dignior est, quàm negotiatio, sic fit etiã in digniori loco: quia oratio in choro; negotiatio in foro. Vnde Augustin. & Beatus Bene-
Augus. dictus: *In oratorio nemo aliquid, &c.* Oratorium sic dicitur, quòd neque in eo aliquid agatur, vel comedatur; etiam & Dominus
Mat. 21 in Euangelio. *Domus mea, domus orationis est*, sed in ista annuntiatione completa fuit dignissima operatio: quia Dominica incarnatio; ergo in dignissimo loco fieri debuit; ergo in templo. Ad hæc dicimus respõdendo, quòd Dominus in omnibus factis suis principalibus, quæ in mundo gessit, & quare in mundum venit, ostendit, quãdo inter homines peccatores natus fuit: natus ante bouem, & asinum iacuit: inter peccatores conuersatus fuit, & cum ipsis comedit: inter latrones crucifixus; peccatrici resurgens primo apparuit: in omnibus suis operibus ostẽdens, quòd Christus IESVS *Venit in hunc* 1. *Tim.* 1
mundum peccatores saluos facere. Non autem in mari, quòd est locus piscium; nec in aëre, quod est locus auium; nec in campis, quòd est locus gressibilium animalium; sed in ciuitate, quæ est locus hominum, concipi debuit, *qui propter nos, & propter nostram* *Ex simbol.*
salutem descendit de cœlo, quòd autem obijcitur, quòd extra ciuitatem natus fuit, passus, & sepultus, & resurrexit: Dicimus, quòd duplicitei fuit Christi natiuitas in vtero, & ex vtero. Prima in secreto: Secunda in manifesto: prima congruit in mysterium: secunda in exemplum in ciuitate, namque concipi voluit, vt ostenderet, quòd pro omnibus natus venit: in via, autem natus fuit, vt ostenderet, quòd sua vita nobis ad regnum cœlorum via fuit. Extra portam passus fuit ad ostendendum, quòd per ipsius passionem, non liberatur, nisi qui per conuersionem à peccato ad ipsum extra portam fuerit egressus, quòd autem obijcitur de templo; dicimus, quòd locus non sanctificat hominem; sed homo locum. Dignius ergo est templum in quo dignior est operatio, & in quo est dignioris habitatio, & in oratorio Beatissimę Virginis fuit dignissimi habitatio, in qua dignissima, & sanctissima omnium creaturarum habitabit: quam ipse Sanctus Sanctorum nunquam reliquit, quam Angelorum multitudo frequẽtauit. Exercebatur autem ibi nobilissima operatio, videlicet, sanctissimæ operationis, & contemplationis deuota, & humilis oblatio: dignùs ergo fuit istud oratorium illo templo Iudaico, in quo fiebat taurorum, & vitulorum mactatio: thuris materialis fumosa accensio; fiebat ergo ista annuntiatio loco dignissimo, similiter & incarnatio fiebat in Templo Sacratissimo; quia sicut dicit Beatus Bernardus:
Non fuit in terris locus dignior Beatissimæ *Bernar.*
Virginis vtero, quia vt dicit Beatus Augustinus, *thronus Dei, thalamus regis, cœli ta-* *Augus.*
bernaculum, Christi receptaculum, vtique
illud in quo Christus assistens Pontifex fu- *Hebr.* 9.
turorum bonorum, per amplius, & perfectius introiuit semel in sancta, &c. est & alia ratio, quòd Deus voluit in ciuitate cõcipi. Dominus enim quando descendit, non sine cœlis, non sine regno cœlorum fuit; sed cœlos cœlorum: imò regnum cœlorum secum tulit; hoc enim non fecit Lucifer, qui sicut fulgur de cœlo cecidit, non descendit, & cœlum totum reliquit, ignem suum tantummodo secum deferens, quocumque vadit, Dominus autem id quod fuit permansit,

& ad

& ad matrem veniens de paternis bonis expulsus non fuit. Vnde nunquam cœlorum regnum deseruit, sed quando in vtero matris fuit, ipsa Virgo sibi cœlorum regnum fuit: de hac ergo ciuitate glorioſa dicta sunt, quæ omnia ad perfectionem ciuitatis ordinantur, in Beatissima Virgine excellenter inueniri, & prædicari de ea possunt. Fuit enim fundata super humilitatem; murata per castitatem; turrita per charitatem; vallata per paupertatem; custodita per discrerionem; libera in immunitate peccatorum; pacifica victoria tentationum; ornata diuino munere per elegantiam morum; ædificata in refugium peccatorum; virtutum vniuersitate populosa; & omnium aquarum, id est, gratiarum fluminibus irrigua; abundans in multitudine miserationum: in alto sita per excellentiam priuilegiorum.

Quare in Galilea.

CAP. 32.

Post hoc quæritur de regione qua natus fuit, & dicit Euangelium: quod in Galilea; sed contra Iudæis Christus promissus fuit, & exhibitus; ergo in Iudæa debuit concipi. Item in Iudæa natus, passus, & sepultus fuit; ergo in Iudæa nuntiari debuit. Item ipse dicit: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierant Domus Israel.* Si ergo eis tantùm missus fuit, inter eos concipi debuit. Item ex Iudæis, & non ex gentibus, ergo, &c. Si dicitur, quòd Dominus in Galilea natus fuit, quia Propheta hoc prædixit populis gentium, & hoc nihil videtur dictum cùm non propter hoc impleta sit propheria, quoniam sic prædixit: sed ideò propheta dixit, quoniã sic futurum fuit: Vnde vbicumque dicitur sic, vt Scriptura impleretur; sensus est sic Scriptura impleta est.

Mat. 15

Dicimus autem quòd annunciatio, & conceptio Dominica fieri debuit in Galilea, & propter factum quod fiebat; & propter finem propter quem fiebat. Dominus enim incarnatus fuit, vt Iudæos, & Gentiles saluaret, & propterea in regione, quæ ab vtrisque inhabitatur conceptio, & annunciatio fieri debuit. Quod autem ab vtrisque inhabitetur, patet per Prophetam dicentem: *Trãs Iordanẽ Galileæ gentiũ.* Et per Euangelistã dicentem: *Ascendit autem, & Ioseph à Galilea à ciuitate Nazareth in Iudæam.* Et sic in regione communi concipi debuit, qui pro omnibus mori voluit. Item regio illa suo nomine proprietatem incarnationis manifestiùs expræsit, Galilea enim interpræratur reuelatio, siue transmigratio. In hac autem annuntiatione fiebat summi secretorum reuelatio: quoniam Verbum, quod erat *in principio apud Deum, & lucem inhabitat inaccessibilem, quod nemo vnquam vidit.* Verbum hoc in quam, *Caro factum est: & vidit omnis caro salutare Dei.* Quod librum legis, & Prophetarum aperuit, & omnia signacula eius soluit; & omnia quæcunque à Patre audiuit, nobis nota fecit. Simili modo fiebat transmigratio magna; de ignorantia, in scientiam; de culpa, in gratiam; de vmbri, an veritatẽ; de seruitute, in libertatem; & timore, in amorem; de grauitate, in leuitatem; de austeritate, in benignitate; de humanitate, in Diuinitatem; quæ est transmigratio maxima: quia in ea primum, & vltimum in vnam personam transmigrant. Quod ergo obijcitur, quòd Iudæis solùm promissus fuit; dicimus quòd hoc falsum est: quia, & gentibus, sicut patet per omnes Prophetas scribentes de vocatione gentium. Concedimus tamen, quòd solùm Iudæis promissum fuit, quòd Christus de eorum semine nasceretur; & sic originaliter salus ex Iudæis venit: sed non propter eos solos venit.

Esai. 9. *Lucæ* 2. *Ioã.* 11. 1. *Tim.* 6 *Lucæ* 3.

Quare in Nazareth.

CAP. 33.

Post hoc quæritur in qua ciuitate Christus annunciari debuerit? & videtur quòd debuit esse Nazareth. Dauidi enim dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ergo videtur quod potius in ciuitate Dauid concipi debuerit, quàm in Nazareth. Item, & hoc habetur per Micheam, qui dicit: *Et tu Bethleem effrata, &c.* Item videtur per alium, *O Iudæa, & Hierusalem, &c.* Ergo videtur, quòd ista annunciatio debuerit fieri in Hierusalem. Item Ioan. 1. *à Nazareth potest aliquid boni esse?* Quasi diceret bonum quod expectamus, non venit à Nazareth, sed de Bethleem, ergo, &c. Item nulla propheria videtur habere, quòd Dominus concipiatur in Nazareth. Sed concedatur. Contra: *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* Ergo videtur, quòd IESVS in Nazareth concipi debuerat. Item postquam duxerat Nathanael à Nazareth Dominus approbando, & commendando dictum suum ait: *Ecce verè Israelita, in quo, &c.* Ergo videtur intellexisse, quòd esset prophetia de Domino incarnando in Nazareth.

Ps. 131. *Mich.* 5 *Ioan.* 1. *Isai.* 11. *Ioan.* 1.

Super illud quod dictum est, quare in Galilea, & quare in ciuitate concipi debuerit, dicimus: quòd etiam hoc nomen Nazareth congruebat, & quòd in Galilea esse debebat: sicut enim diuinæ generationi, ita & humanæ generationi floris de flore assimilatur. Flos enim pullulat de vno germine, in decore, & odore cũ vtilitatis fructu. Similiter filius secundũ Diuinã generationẽ procedit de vno, qui est in cœlis sine matre: & secundùm humanam generationem de vna in terris sine Patre; vnde ergo in Nazareth conceptus

ceptus fuit, qui sicut flos de flore sine virili commixtione de vna Matre, saluo virginitatis decore, & matris vtilitate processit. Vnde Bernar. *Semina diuinæ generationis esse videntur allocutiones, & promissiones factæ ad patres.* Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quę sunt ostensa in exitu de Ægypto. Conceptio autem huius seminis, & horum florum fructus, est IESVS incarnatus. In Nazareth, ergo annunciatur Christus nascitur. Nomen ergo ciuitatis in qua concipitur, exprimit, & statum temporis, & finem operis ad quem venit. Cùm enim Christus in Nazareth nascitur, hyems transit, tempus innouationis venit, fructus appropinquauit, omnibus semen exibuit, medicinam confecit, sensum refecit, communicandus pauperibus venit. Hæ ergo sunt proprietates, per quas congruebat Christum in Nazareth concipi; quod autem obijcitur de Bethleem, dicimus, quod hoc est intelligendum de natiuitate Christi, ex vtero, & non in vtero. Quod obijcitur, quod sedere debuit super sedem Dauid; dicimus, quòd illę authoritates loquuntur de modo obtinendi Regnum Dauid spirituale, scilicet, ius, & actum: & vtrumque factum fuit in Iudæa, & Hierusalē; quia vbi passus est Dominus; & sic per ius redemptionis Regnum obtinuit, & accepit super eos, pro quibus passus fuit, & resurrexit: & etiam actualiter in throno gloriæ sedit.

Quare ad Virginem.
CAP. 34.

Post hoc quæritur de hoc quod dicit ad Virginem, & videtur, quòd potius debuit esse ad mulierem, hac ratione, per illum genus debuit esse liberatio per quod intrauit damnatio; vt sicut per hominem mors, per hominem vita; & sic per fœminam perditio, sic per fœminam saluatio. Sed Eua licet virgo fuerit, per totum appellatur mulier, vbi agitur de perditione nostra; ergo Beatissima Virgo debuit appellari mulier, vbi agitur de liberatione nostra. Item vbicunque significatur ista conceptio, quæ hic annunciabatur, figurabatur sub ratione mulieris, & nō virginis: ergo cùm figura debeat respondere figurato, & è conuerso: hic vbi annunciatur illa conceptio, deberet describi sub nomine mulieris. Minor, & maior patent diuersimodè in multis locis. Prouer. *Mulierem fortem, &c.* Illa mulier fortis est Beatissima Virgo, quæ vltimos fines diuinitatem, scilicet, & humanitatem in vnam personam coniunxit, gignendo sapientiam, quæ attingit à fine diuinitatis, vsque ad finem humanitatis fortiter. Item Luc. *Intrauit IESVS in quodam castellum, & mulier quædam, &c.* Constat, quòd ista mulier, quę suscepit Dominum, fuit Beatissima Virgo. Item *Benedicta tu inter mulieres.* Tabel dicitur in figura Dominæ nostræ. Item *Et dilexit eam rex Esther super omnes mulieres.* Item in Euangelio: *Mulier miscuit tria sata*, id est, diuinitatem, animam, & corpus: & fermentum fuit fides Virginis, vt dicit Beatus Bern. *Et sic manifestum est in omnibus figuris istius conceptionis, quòd domina nostra describitur sub nomine mulieris.* Ergo & hic debuit mulier nominari. Item in Euang. Dominus frequenter eam nominat mulierem: & omnis sua actio est nostra instructio: ergo, & Euangelista debuit eam nominare mulierem. Item in hac annunciatione impletur Prophetia de incarnatione Filij Dei: sed ista prophetizatur sub nomine mulieris: ergo, & hic debuit mulier notari. Item omnes aliæ annunciationes fiebant, vel ad viros tantùm, vt Zachariæ; vel ad mulieres, & viros, vt in Isaac, & Sansone: ergo cum tota rota fit in medio rotæ, id est, nouum testamentum in veteri, nulla annunciatio debuit fieri ad Virginem.

Bern. Esthe. 2. Luc. 13. Bern.

Quare non ad Ioseph.
CAP. 35.

Item videtur, quòd hæc annunciatio fieri debuerit ad virum. Apost. *Caput mulieris est vir:* à capite autem descendit sensus, & illuminatio ad corpus: & non è conuerso: ergo videtur, quòd à viro, qui est caput, descendere debeat reuelatio ad mulierem. Item debent mulieres in Ecclesijs tacere, sed domi interrogare viros; ergo reuelatio debebat innotescì mulieribus à viris. Item post natiuitatem Filij Dei, sic factum fuit quando Angelus in somnis apparuit, dicens: *Tolle puerum, & matrem, &c.* Vbi reuelatio fugę videtur ad dominam à Ioseph peruenire. Si hoc post natiuitatem Filij Dei, quando ipsa dignissima fuit: ergo potius ante. Item quæritur cùm sit virgo singularis inter omnes, & multis priuilegijs priuilegiata, quare non addatur nota singulariter, vt dicatur ad Virginem quandam.

Ephes. 5 Mat. 2.

Ad hoc notandum, quòd initium peccati est à muliere ratione mulieris: Eua enim in quantum virgo non peccauit, sed in quantum coniuncta viro cum quo copulata generauit; quia sicut dicit Aug. *Peccatum originale nascitur, ex concupiscente vulnere.* Concupiscentia autem annexa est cum commixtione seminum; quod in MARIA minimè fuit cum vulneri subiacere non debuit, quæ vt vulnus curare venit. Propterea generatio temporalis, imago est generationis æternæ. Vnde sicut æterna est de vno manente incorrupto, & indiuiso; ita temporalis generatio debuit esse de vna incorrupta, hoc est de virgine; & sic patet, quòd origini

Auguſt.

Pro. 32. Luc. 10. Iudit. 5.

ni perditionis, congruebat ratio mulieris, & origini Saluatoris, ratio Virginis: Quandò autem obijcitur, quòd omnes figuræ hebant sub ratione, & nomine mulieris; & omnes annunciationes ad viros, & mulierem factæ sint, & non ad Virginem: Dicendum est, quòd figuræ, & prophetiæ in se plenam lucem continentes, omnes deficiunt ab ipsa luce. Vnde nulla figura in facto plenè potuit exprimere istam annunciationem ad Virginem; quia natura alia Virgo nunquam conceptura fuit, & vsque ad hanc Virginem, maledicta, & opprobriosa virginitas fuit. Hæc autem Virgo opprobrium virginitatis abstulit, & virginitatem consecrauit. Vnde ipsa initium beatitudinis virginitatis fuit, & sic est Virgo virginum, quæ sine peccato, sine consimili, sine exemplo glorioſum munus virginitatis Deo obtulit; per sui imitationem, omnes virgines virgo generauit: ergo quicquid ante eam nobilitatis, vel dignitatis fœminis attribui potuit: hic sub ratione mulieris, non virginis fieri debuit; vt benedictio virginitatis benedictissimæ Virgini tanquam virginitatis Matri pro priuilegio sibi proprio seruaretur. Prophetiæ, quæ autem de ipsa persona Beatissimæ Virginis loquuntur in excellentissimis, & expræsissimis prophetijs, ipsam appellant, modò Virginem, modò mulierem. Isai. *Ecce Virgo concipiet, &c.* Mulierem. Ierem. *Mulier circundabit virum*, ad signandum videlicet, quòd virum Dei habitura fuerit, & virginitatis integritatem, & mulieris fœcunditatem. Item, quia virgo futura fuit, quæ mulieris peccata aboleuit, & sic, quia ista virgo inter omnes virgines singularis fuit; vtpote, nec primam habens vllam similem, nec sequentem. Ideò sub nota singularitatis quandò figuratur, vt quoddam castellum erat, & quædam mulier; sed quia ista virginitatem sola verè in summo habuit, vt infrà patebit: ideò virgo sine additione anthonomaticè nominatur. Fuit enim hæc virgo causa, & principium omnium aliorum Sanctorum, summa virginitatis puritate, peccati immunitate, peccandi impossibilitate; virginitatem habens cum fœcunditate; Mater sanctissimi hominis; Mater creaturarum, Mater Dei, & hominis corporalis, Mater omnium hominum spiritualis, Mater machinæ mundialis, Mater Angelicæ restaurationis. Quod autem obijcitur, quòd ista annunciatio debuit fieri mediante viro. Respondemus, quòd ad eundem pertinet annunciatio ad quem, & generatio. Vnde illi, quorum generatio fit ex commixtione viri, & mulieris, illorum annunciatio fieri debuit ad viros, & ad mulieres. Illius autem annunciatio debuit esse ad solam Virginem, qui solus natus est de sola Virgine. Et Ioseph caput fuit Beatissimę Virginis Mariæ, quantùm ad istam contemplationem, quæ non ab ipso in ipsam: sed tota à Spiritu Sancto venit in ipsam. Quod autem post natiuitatem filij Angelis Ioseph nunciauit fugam; mysterium est, quòd ante natiuitatem, & conceptionem nihil ad Ioseph de illo filio pertinebat: sed post natiuitatem, & Beatissimæ Virgini, & pauperi filio Dei vnius saltem opera opus erat. Mittitur ergo Angelus Ioseph innuens ei seruitium quod facturus erat, & quia facilis erat fidei, & promptæ obedientiæ leui illuminatione, vtpote in somno indiguit; quàm ab Angelo accepit, vt sciret quid faceret: non vt faciendum Beatissimæ Virgini intimaret, quæ priùs quàm ipse sciebat, quicquid ad eius beatitudinem, vel operandi necessitatem pertinebat; neque ad hoc aliquo indigebat inter nuncio, vel homine, vel Angelo; quia illum habebat in gremio, qui est Doctor, & Magister in cœlo.

Isai. 7. *Ier.* 31.

In quo actu fuerit: sit in contemplatione, vel in actione.

CAP. 36.

Post hoc quæritur, in quo actu erat Beatissima Virgo quando Angelus ei nunciauit: hoc est, vtrùm in actu contemplationis, vel operationis? & videtur, quòd in actu contemplationis, dicit Isai. *In silentio, & spe erit fortitudo mea.* Sed domina maximè indigebat fortitudine; ergo debuit esse in silentio, & spe: sed hoc est esse in contemplatione; ergo fuit in contemplatione. Item: *Ducam te in solitudinẽ, & ibi loquar tecum.* Per hoc tangitur status contemplationis; ergo illi ad quos fit locutio, debent esse in contemplatione. Item, *sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se super se.* Ex hoc sic argumentor: mouens non quocumque modo se habens mouetur, sed approximatiuè os esse: sed Dominus appropinquauit Beatæ Virgini descendendo; ergo ipsa appropinquare debuit ascendendo, ergo debebat se leuare supra se, & hoc quoad contemplationem; ergo debuit esse in contemplatione. Item Philosophus anima sedendo, & quiescendo fit prudens: sed Beatissima Virgo debebat hic fieri prudentissima, vtpote mater sapientiæ ipsius. Ergo congruebat ei sedere, & quiescere; & hoc est esse in contemplatione. Item si substantia super substantiam, & potentia super potentiam, & actus super actum: sed in hac annunciatione Beatissima Virgo in substantia eleuabatur ad summã propinquitatẽ cum Deo: non enim poterat altius eleuari, quàm quod esset Mater Dei: ergo si in substantia eleuabatur in summum; etiam, & potentia, & operatio debuit eleuari in summũ: ergo debuit esse in altissimo statu contẽplationis.

Isai. 30. *Ossas* 2. *Thri.* 3.

tionis. Item dantis, & recipientis debet esse ad inuicem conuersio: anima autem duas habet facies, scilicet, rationem, seu portionem, superiorem, & inferiorem: inferiorem qua temporalibus pertractandis intendit, superiorem verò, qua æternis consulendis inhæresceit: ergo si Dei, & Beatissimæ Virginis, tanquam dantis, & recipientis debet esse ad inuicem conuersio, necesse est, vt secundùm illam partem operetur, secundùm quam ad Deum conuertitur: ergo fuit in contemplatione.

Cant. 1. Cõtra. Cantic. *Cùm esset Rex in accubitu suo, &c.* Nardus significat humilitatẽ: ergo videtur, quòd humilitas fuerit dispositio præparatoria Beatæ Virgini ad Deũ concipiendum: hoc etiam dicit Aug. quòd humilitas nobis genuit Deũ, humanitas autẽ semper est in descendendo; semper enim recũbit in nouissimo loco. Descensus autem est in actione, ascensus in contemplatione: ergo Beatissima Virgo debuit esse in actione. Itẽ *qui se humiliat exaltabitur*; hæc propositio est per se: ergo quando, & maxima est in actu exaltatio, tunc, & maxima debet esse humiliatio in actu; sed in hac annuntiatione Beatissima Virgo exaltata fuit maximè in actu: ergo & maximè tunc humiliari debuit actu. Humiliatio autem in descendendo est, & cõtemplatio in ascendendo: ergo nõ fuit in cõ-

Gen. 18 templatione, sed in actione. Item Genes. *Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis, & puluis*: ergo pulueriza tio, & incineratio, quę se annihilat homo Deo est præparatio, vt homo loquatur cum Deo, & Deus cũ ipso; sed hic Deus familiarissimè locutus fuit Beatissimæ Virgini: ergo hic maximè debuit inci-

Mat. 11 nerari, & humiliari. Item *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, ergo qui desiderat reuelationem, oportet quòd se paruulũ reputet per humilitatem. Item humilibus dat gratiam, hoc est per se: ergo magis humili datur maior gratia: ergo summa gratia actu datur summè humili actu; sed hic dabatur Beatissimæ Virgini summa gratia actu: ergo summæ fuit humilitatis actu. Humilitas autẽ in descendendo, sicut contemplatio in ascendẽdo: ergo non debuit esse in actu contemplationis, qui est in sursum; sed in actu humiliatio-

Gen. 28 nis, qui est deorsum. Si concedatur contra. *Vidit Iacob scalam, &c.* Glos. dicit: *Illi diuina conspiciunt, qui appetitu temporalium oculos claudunt*; sed Beatissima Virgo hic Dei formosissimum aspectum habuit: ergo maximè oculos à temporalibus clausit: ergo contemplationi, & non actioni vacabat.

Concedimus, quòd Beatissima Virgo in actu contemplationis fuit quando ei ista annuntiatio venit, quòd autẽ quęritur, per quẽ actũ ad istam gratiã maximè præparabatur.

A Dicimus, quòd Beata Virgo in hac annũtiatione in summo puræ creaturæ eleuabatur in summam potestatem: quia Deum genuit. In summã dignitatẽ, per hoc quod totius creaturę per creationẽ mater effecta fuit. In summam charitatem, per hoc quod Deo summa cum propinquitate propinquissima fuit, vtpotè, quæ ipsius filia mater, & sponsa fuit, ad potestatem fides eam eleuabat, iuxta illud. *Omnia possibilia sunt credenti*. Ad dignitatem eleuabat humilitas, iuxta illud, *omnis, qui se humiliat, exaltabitur*. Ad charitatem, eleuabat charitas, iuxta illud, *ego diligentes me diligo*. Item eleuabatur ad summã familiaritatem, & illã faciebat castitas, iuxta illud, *incorruptio facit proximum Deo*.

Mar. 9.

Prou. 8.

Sap. 6.

B Ad obiecta respondemus, quòd ascensioni per contemplationẽ; contrariatur descensus per humiliationẽ. Descẽdere enim ad opera actionis propter Deũ, est ascẽdere per humilitatẽ ad Deum, & hoc virtuosè cõsequitur: quia quantò magis anima eleuatur in cognitione Dei, tanto magis descẽdit ad humiliationẽ sui. Vnde frequẽter legitur in Prophetis: quòd quãdo diuina prospiciunt, cadũt in terrã, & ecõuerso: quãtò magis, quis descẽdit ad humilitatẽ sui; tantò magis ascẽdit ad cognitionẽ Dei. Vnde in libro Numeri dicitur: *Homo cuius obduratus est oculus*; qui cadit, scilicet per humilitatẽ sui, & sic aperiũtur oculi eius, per Dei cognitionem, & in Euang. *Reuelasti ea paruulis*, ideſt, humilibus: quia vbi humilitas, ibi sapiẽtia: & Apostol. *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, vt sit*

Mat. 11.

C *sapiens*: & Dionys. *Tenebræ occultantur à lumine, & magis à multo lumine*, & sic patet, quòd descensus per humilitatẽ, non impedit ascensum per contemplationẽ. Fides præparabat totalẽ potentiã: humilitas irascitiuam, seu ardui appetitiuã: charitas affectiuã. Virginitas autem ex parte corporis præparabat virtutẽ generatiuam, & sic tota eleuabatur; quæ tota replebatur; tota gratificabatur, & tota glorificatur. Si autẽ quæritur vtrũ istis motibus simul mouebatur. Dicimus, quòd non; sed aliæ virtutes præparabãt suas potẽtias eleuãdo habitualiter. Charitas autẽ, tãquam forma aliarũ vinculũ perfectionis, ex parte Beatissimę Virginis fecit coniunctionem actualiter. Vnde sic charitas fuit cõplementum ex parte susci-

1. *Cor.* 3.

D pientis: sic & complementũ vltimũ ex parte dantis, & mouẽtis ad dãdum, & mouendũ. Ipsa enim, vt dicit Hugo de Sancto Victore Deũ, *& captiuatũ, & ligatum de cœlo duxit in hunc mundum.*

Si desponsari potuit.
CAP. 37.

Post hoc quæritur de hoc, quòd dicitur, *Desponsata*: videtur autem, quòd Beatissima Virgo, non potuit legitimè desponsari,

ipsa enim habuit votum continentiæ, quòd obligabat eam ad continendum, sponsalia autem obligant ad matrimonium tempore determinato absoluendum: ergo si obligabat se ad sponsalia, venit contra votum suũ. Item si obligata fuisset, fuisset ad opposita. Item aut consensit in carnalem copulam, aut non. Si sic, ergo primam fidem irritam fecit: quia talibus, non tamen nubere, sed velle damnabile est. Si non consensit: ergo non fuit matrimonium. Item conditio adiecta, quæ est contra substantiam matrimonij, impedit matrimonium, verbi gratia: cõtraho tecum, vt procures mihi venenum sterilitatis, hoc non esset matrimonium: quia procuratio sterilitatis contra substantiam matrimonij est. Quia interimit bonum prolis: ergo est contra substantiam matrimonij? ergo impedit matrimonium? A simili dicam ego. Contraho tecum, vt me nullo modo cognoscas, non videtur esse matrimonium. Ita nec videtur esse matrimonium, cui conditio continentiæ est adiecta: ergo videtur, quòd in isto nulla est desponsatio: quia non potuit sequi matrimonium. Si concedatur,

Augusti. contraria sunt iura continentiæ, & Augustin. qui dicit, quòd matrimonium non facit carnalis copula, * Sed pactis coniugatis, & quòd sanctiora sunt coniugia pari voto continentiæ, & multa similia. Item videtur, quòd etiam esse potuerit, non tamen congruit Beatissimam Virginem desponsari: quia Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum: ergo in ista summa Sancti Spiritus operatione, nulla debuit esse fictio: ergo Beata Virgo promptam se gerere non debuit, quę Virgo innupta fuit. Item matrimonium primò institutum est prolis causa. Secundò in remedium causa fornicationis vitandæ, vt dicit Apostol. *Vnusquisque suam vxorem*

1. Cor. 7 *habeat propter fornicationem.* Sed propter neutram istarum congruebat esse in Beata Virgine: ergo videtur, quòd inutilis fuerit ista desponsatio.

** Pacta coniugalia.*

Ad hoc dicimus, quòd ista desponsatio, & vtilis fuit, & possibilis: possibilis, quia licet Beatissima Virgo haberet votum continentiæ firmum, ideſt, posset consentire in maritalem societatem. Facta tamen diuinitus inspiratione vtrique, de altero, quòd vellet Virgo permanere, & sic consensit in societatem maritalem, & nõ in copulam carnalem.

Augusti. Quòd videtur tamen dicere Aug. Quòd cõsensit in copulam maritalem, non est intelligendũ absolutè; sed sic, si Deus vellet. Quòd autem obijcitur, quòd dicunt iura de conditione adiecta contra substantiã matrimonij, intelligendum est de conditione inutili, illicita, & inhonesta. Cõditio autem vtilis, licita, & honesta, non impedit matrimoniũ. Vnde non est simile de voto continentię, procuratio salutis, & similia; cùm etiam coniuges post carnalem copulam possint votum cõtinentiæ emittere, etsi emisserunt, tenẽtur obseruare, & sic ista desponsatio, & possibilis, & vtilis fuit. Fuit aute vtilis ad multa. Primò, vt matrimonium bonum esse ostendatur. Secũdò, vt Domina omniũ bonorum, & mater illo bono nullo modo priuaretur. Tertiò, vt hostis fallatur. Quarto, vt testis eius castitatis habeatur. Quinto, vt origo Dominę describatur, quia non cõsueuit scriptura genealoizare fœminas. Sexto, vt ab infamia seruaretur. Septimo, vt pœna careat. Octauo, vt à Christo persecutio tollatur. Nono, vt filius procuretur. Decimo, vt Dominę seruiatur. Vndecimo, vt parentes spirituales ostẽdãtur. Duodecimo, vt humilitas virginitati cõiungeretur. Decimotertio, vt occasio infamiæ virginibus tollatur. Decimoquarto, vt filij sui humilitas, & charitas ostẽdatur: qui potius voluit fabri filius reputari, quã matrẽ infamari. Decimoquinto, vt matris dignitas humilitati societur, vt quantò maior sit in omnibus, tantò fiat humilior, & sit Mater Dei, & vxor fabri. Quòd obijcitur de similatione. Dicimus, quod duplex est simulatio deceptionis, vt in hypocritis, & humiliationis, qua quis non solum, nõ vult magnus, vel etiam humilis prædicari; sed etiam nihil reputari. Primam simulationem effugit Spiritus Sanctus, secundam inhabitat. Vnde Isai. *Super quem requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & manſuetum corde.* Quòd etiam obijcitur, quòd matrimonium debet esse causa prolis. Dicimus, quòd hoc intelligendum est de matrimonio, per carnalẽ copulam consummato. Istius autem matrimonij causæ fuerunt, quæ iam dictæ sunt.

Esai. 66

In qua ætate desponsata fuit. CAP. 38.

Post hoc quæritur de ætate in qua fuit, quando cõtraxit cum Ioseph, & quando cõcepit Dominum; & videtur primò, quòd ad minus fuerit 12. annorum. Hæc enim est legitima ætas ad matrimonium contrahendũ: omnia autem sunt facta ritè, iuxta matrimonium à Spiritu Sancto ordinatum: à Spiritu Sancto ergo ætas legitima est seruata. Item mirabilia sunt, quæ Deo immediatè operante fiunt, & quanto aliquid mirabilius, tãtò laudabilius; sed vitæ perfectio, & virtutũ consummatio mirabilior est in iuuene, quàm in sene, & quãtò mirabilior, tãtò laudabilior: ergo vbi erit laudabilissima, erit mirabilissima; sed perfectio in iuuene, est mirabilior, quantò persona est iunior: ergo Beatissima Virgo infima ætate huius gratiæ capax fuit. Item quantò minus est debitũ aliquid, tantò plus est gratũ; sed minus debita est perfectio in iuuene, quã in sene; sed in Beatissima Virgine

gine fuit gratissima: ergo fuit in ætate minima, qua esse potuit: consentire autem potuit, cùm vsum rationis habuit: ergo statim cùm vsum rationis habuit, istam gratiam suscepit. Item est potentiæ eiusdem, & misericordiæ gratiam dare: ergo quantò prius datur, tantò plus datur. Iuxta illud, *qui cito dat, vis dat*; sed Deus Beatissimæ Virgini tantum dedit, quantum puræ creaturæ dare potuit. Item Ambros. *Nescit tarda molimina Sancti Spiritus gratia*: ergo ex parte dantis nulla fit mora dandi gratiam: imò videtur affectare dationem, quia ipse *Exultauit, vt gygas ad currendam viam suam*: ergo statim dedit, quia susceptiuum capax fuit. Contra Beatissima Virgo illuminabatur actualiter summa illuminatione, cuius pura creatura secundum statum viæ capax fuit: ergo illa debuit fieri, quando maximè illuminabilis secundum intellectum fuit: hoc autè fuit in senio: Iuuenes autem vigent sensu, senes autem intellectu: ergo Beatissima Virgo debuit, illâ illuminationem recipere in senectute. Item figura huius supernaturalis conceptionis in Virgine fuit conceptus Sarræ sterilis in senectute, quando, scilicet, nonagenaria fuit: ergo si figuratum debet respondere figuræ, & ista conceptio debuit fieri in senectute: ergo & desponsatio, quæ præcessit istam conceptionem. Itē non est congruum matrimonium inter senē; & iuuenculam; sed inter iuuenem, & iuuenem, senem, & senem: illud autem matrimonium fuit congruentissimum, & Ioseph fuit senex: ergo & Beata Virgo. Item cōtra grauitatem morum, & honestatem est acceleratio matrimoniorum: hoc autem nihil fuit contra honestatem morum: ergo expectatum fuit, vsque ad tempus maturum. Item à corpore Beatissimæ Virginis formabatur corpus perfectissimum secundùm naturam; sed maturum tempus concipiendi, non est ante statum: quindecim annorum, quando Christum concepit. Item consilium iuris est: si dubitetur de quantitate numeri: æqualiter, & ius, & iudex debet medium numerum determinare, verbi gratia, si dubitatur: vtrùm teneatur aliquis alteri viginti, vel tantùm decem, iudex facit solui quindecim: ergo à simili in proposito, si dubitetur, quando facta fuerit ista conceptio, & desponsatio: determinandum erat tempus medium inter primum, & vltimum tempus, quo talia consueuerant celebrari. Primum autem tempus est duodecim annorum: vltimum autem, vt in pluribus quinquaginta annorum, horum autem medium triginta: ergo videtur, quòd circa illam ætatem Beatissima Virgo esse debuit, quando ista in ea fiebant.

Supponendo, quòd in Beatissima Virgine fuit omnis cōgruentia, tam ex parte naturæ, quàm ex parte gratiæ, ad hoc, vt Mater Dei fieret: credimus, concedendo, quòd Deum concepit tali ætate, qua perfecta fuit statu corporis, & quantitate, & quòd circa eādem quātitatē ætatis desposata fuit, tantū quātū sponsalia solēt matrimonium præcedere, videlicet, circa duos menses. Quòd autem obijcitur, quòd laudabilior, & mirabilior esset in iuuentute ista perfectio. Dicimus, quòd cum nihil sit laudabile, nisi aliquo modo dependeat ab arbitrij libertate, nō statim illud fieri debuit, cum Beatissima Virgo libero arbitrio vti potuit; sed interuenire potuit temporis protractio, in quo peruenirent, & meritorum accumulatio, & emundationi, quam acceperat in vtero succederet maior depuratio, & virtutū exercitatio; vt in omnium virtutū apicem sublimata, de cōgruo, & in singulari suo merito, mūdo subueniret perdito, Saluatorem gignendo, & sic patet, quòd nō Deus statim hoc donum dedit, cum eius Beatissima Virgo capax fuit; sed quia non tantùm dedit; sed congruentissimo modo dedit Deus: deinde statim dedit cum susceptiuum cōgruentissimo modo capax fuit, vt non esset tantùm datum optimum, & donum perfectum; sed etiam modo perfectissimo datum, vt illa velocitas donum duplicat, quæ temporis congruitatem anticipat, & à dato modum dandi deformat, & à recipiente gloriam minuit, & dignitatem recipiendi, ab ipso excludit.

De pulchritudine Beatissimæ Virginis, & primo de corporali.

CAP. 39.

Post hoc quæritur de pulchritudine Beatissimæ Virginis, vtrùm pulchritudinē corporalē habuerit, & videtur quòd sic. Figura siue signum debet habere similitudinem cum signato; sed omnes mulieres Beatissimā Virginem signātes (teste scriptura) pulcherrimę fuērunt: ergo & Beata Virgo. Minor patet, quia quatuor mulieres inueniuntur beatissimam Virginem expressissimè figurantes. Esther coniugata, Iudith vidua, Rachel, & Rebecca virgines. De Esther scribitur. *Erat autē Esther valdè pulchra pulchritudine incredibili*, omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur. Similiter, & de Iudith legitur. *Erat autem eleganti aspectu nimis*, & itē *non est talis mulier super terram*, tam in aspectu, & pulchritudine, & sensu verborum. Simili modo de Rebecca legitur, quòd *erat puella decora nimis: Virgo quæ pulcherrima, & incognita viris*. Item de Rachel, quòd erat venusta facie, & decoro aspectu nimis, & vniuersaliter scriptura laudat omnes mulieres de pulchritudine Beatam Virginem signantes: ergo & Beata Virgo pulchra fuit. Item corpus ad animam, vt supra dictum

Sth. 1.

Iudit. 8

Gen. 24.

dum est, quòd nobiliori animę debetur nobilius corpus : ergo pulchritudo corporis dependet à pulchritudine animæ: ergo cùm perfectissima fuerit pulchritudo animæ, & perfectissima corporis esse debuit. Item in ea erat summa pulchritudo spiritualis, & hoc per symbola corporalia. Illa autem scriptura specialiter, & anthonomaticè exponitur de Beata Virgine: ergo illa, quæ ibi dicuntur specialiter, & anthonomaticè conueniunt Beatissimæ Virgini : ibi autem per pulchritudinem exteriorem ducitur intellectus ad interiorem : ergo in Beatissima Virgine debuit esse pulchritudo interior, & exterior. Item pulchrum additum, & bonum, pulchro, & bono: facit magis pulchrum, & bonum ; sed Beatissima Virgo omnibus creaturis optima, & pulcherrima fuit : ergo habuit pulchritudinem, & exteriorem, & interiorem. Item in Ecclesia legitur, in prosa. *Castissima corpore. Sanctissima moribus, omniumque pulcherrima Virgo Virginum.* Item corpus humanam nobilius est omnibus corporibus brutorum, propter vnionem ad animam rationalem : ergo nobilitas corporis intenditur ad nobilitatem animæ ad quam ordinatur. Forma enim, & materia debent esse proportionabilia ; sed anima Beatissimæ Virginis fuit nobilissima post animam Filij Dei : ergo & corpus eius fuit nobilissimum, & pulcherrimum post corpus Filij. Item corpus vnitum Deitati perfectissimum est in pulchritudine. Ita etiam, quòd *Angeli*
1. *Pet.* 1 *desiderant* in ipsum *prospicere*: ergo corpus immediatè ordinatum ad ipsum erit secundo loco pulcherrimum. Hoc autem est corpus matris, vnde formabatur, id quod diuinitati vniebatur: ergo & illud secundo loco pulcherrimum erat. Item Philosophus dicit : quòd natura est vis indita rebus similia ex similibus producens : nisi ergo natura impediatur, vel erret, Filius erit similis Patri, & Matri : ergo qui nascitur de Matre, & non de Patre, & de tali operante, qui non potest impediri, vel errare; sed sic est de Virgine Beatissima, & eius filio: igitur necesse est filium similem esse matri, & è conuerso. Sed ipse est pulcherrimus: ergo ipsa est pulcherrima. Item qui viderunt Veronicam, dicunt, quòd pulcherrimam, & gratiosam faciem repræsentat. Item ordo est in rebus naturalibus, & in corporibus humanis; natura enim facit aliquid pulchrum, aliquid pulchrius : ergo & aliquid est pulcherrimum secundum naturam. Natura enim habet aliquem tertium ad quem potest, & non vltra: ergo aut alicubi contigit, aut nusquam, si nusquam: ergo deficiet respectu operationum suarum: hoc est falsum: quia dicit Philosophus. Quòd natura

A non abundat superfluis, nec deficit in necessaris: ergo natura alicubi habet suum summum. Corpus autem naturale aliquandoque formatur à corpore naturali, ipsa natura creata immediate, per se, & simpliciter operante naturaliter: aliquando verò operante supernaturaliter: ergo alicubi summum est in corpore humano Deo operante, & alicubi summum natura operante, & sic natura operans est immediate sub Deo operante: sicut ergo corpus, quod Deus per se ipsum formauit, erat perfectissimum, & pulcherrimum in natura, quòd Deus potuit facere, secundũ statũ viç, ita corpus Beatæ Virginis, ad hoc ordinatum erat pulcherrimum secundũ sta-
B tum viæ, quòd natura facere potuit se operante. Item Damasc. dicit: *Quòd ipsa à nullo illustrium superatur*, sed aliæ Virgines, & Sancti laudatur de pulchritudine corporali, quæ non est coniuncta cum spirituali, vt est illud, *Pulchra facie, sed pulchrior fide*, &c. & similiter in prædictis mulieribus veteris testamenti : ergo Beata Virgo omni laude digna: imò dignissima debuit de vtraque pulchritudine laudari. Item castitas laudabilior in pulchris, sicut è conuerso difformitas, & incontinentia vituperabilior est in difformibus; sed Beatissimæ Virginis castitas fuit laudabilissima: ergo pulcherrima. Contra Prouerbiorum dicitur: *Fallax gratia, & vana* *Pro.* 31.
C *est pulchritudo*; sed in Beata Virgine minimũ: imo nihil fuit de vanitate: ergo nec pulchritudo. Item pulchritudo mulierum occasio magna est mali, vnde Ecclesiastici, *Vir-* *Eccl.* 9.
ginem ne conspicias, ne scandalizeris in pulchritudine eius. Itẽ propter speciẽ mulierũ iusti perierunt, vnde Iob. *Pepigi cum oculis* *Iob* 31.
meis, ne quid cogitarẽ de Virgine, sed Beatissima Virgo omnibus debuit esse causa saluãdi, & nulli causa pereundi: ergo non debuit esse pulchra corporaliter. Item quãtò plures sunt causæ humilitatis, tantò fortior, & maior humilitas: ergo quę summam habuit humilitatem, omnes causas habere debuit humilitatis; sed faustus ineſt pulchris, &c. dif-
D formitas autem est causa humilitatis: ergo Beatissima Virgo debuit esse difformis. Itẽ Dominus in incarnatione maximam ostendit humilitatẽ: quia exinaniuit semetipsum, sed maior est humilitas carnem accipere de difformi, quàm de pulchra: ergo Deus nasci debuit de difformi.

Respõdendo dicimus, quòd sicut Dominus noster IESVS Christus fuit *speciosus forma præ filijs hominũ*. Ita Beatissima Virgo speciosissima, & pulcherrima fuit inter filias hominũ, & quòd ipsa habuit summũ, & perfectissimũ gradũ in pulchritudine, qui potuit esse in mortali corpore secundũ statũ viæ operãte natura, quòd autẽ Euangeliũ, nihil describit super eo possunt plures esse causę. Vna cũ

Do-

Domina nostra posita sit nobis in speculum, & exemplum saluos faciendi. Non vult eam actibus laudari, quorum appetitus inordinatus, vel abusus multis est causa peremdi. Alia causa est, quòd scripturæ sufficit hoc sub silentio; quasi per locum à minori inferre, quòd quidquid vnquam bonitatis, vel pulchritudinis in aliquo Sanctorum fuit, minimè credendum in ipsa defuisse. Vnde scriptura magis laudat eam hoc tacitè supponendo. Tacendo enim pro reuerentia, regulã nobis tradidit infallibilem. Quòd quidquid boni, vel laudis in alijs fuit, hoc etiam in Beatissima Virgine fuisse; de hoc minimè oportebit dubitari. Nec in quæstione venire debet. Quòd nefas est dubitare. Itẽ sicut Angeli supremi, à donis nobilioribus laudãtur, & denominãtur: & non ab inferioribus: ita & Beata Virgo donis spiritualibus plenissima: donis gratuitis, & nobilissimis, ita occupat, & implet animas laudantium Euangelistarum, quòd eorum admiratione, obmutescuntur bonorum corporaliũ. Ita cùm rota sit in medio rotæ, Euangelium magis respicit; & attẽdit spiritualia, vetus lex corporalia. Proprium ergo est Euangelij de gratuitis, & spiritualibus laudare; proprium veteris testamenti commendare corporalia. Ideò Domina nostra in veteri * testaméto de spirituali perfectione per Angelos, Apostolos, Euangelistas cõmendatur. Rarò enim, vel nunquam in nouo testaméto inuenitur, quòd aliquis à pulchritudine corporali cõmendetur. Quòd autẽ obijcitur de mali occasione; respondemus. Quòd pulchritudo spiritualis * simpliciter in suo genere bona est. Nihil autem adeò bonũ est, in quo non contingat malos scãdalizari. Qui non tantum in Christo homine scandalizabantur in eo; sed etiam in ipso Deo scandalizabantur. Vnde super illud, *quã bonus Israel Deus his*, &c. Gloss. dicit: *Peruersis autem peruersus esse videtur.* Talis autem occasio mali, siue scandali non est vitiũ bonã naturã habentis; sed culpa est patientis: sicut etiam Dæmones in pulcherrima Dei iustitia scãdalizantur (sicut superius scriptum est) *Superbia eorum, qui te oderunt ascẽdit semper*, nec propter hoc non debet esse iustitia. Sed Dæmones, vel mali scandalizãtur in ipsa, maximè cum boni efficerentur, vnde mali scãdalizantur. Cõgrua ergo fuit pulchritudo Beatissimæ Virginis, & ad sui ipsius commẽdationem, vt naturam perficeret, & gratiam augmentaret: quia *forma pudicitiæ rara, sed apta comes*, & ad nostram ædificationem, & deuotionem. *Pulchra enim est casta generatio, cum claritate*, & ad corporis Dominici commendationẽ. Nõ enim potest arbor bona fructum malũ, & nobilis ignobilẽ facere: nec etiã perfectior humilitas, quæ ex pluribus causis causaretur. Quarum aliquæ erunt naturales, aliquæ gratuitæ, quàmilla, quę ex solis gratuitis est: imò sicut gratia nobilior est, natura, & perfectior: ita & humilitas, quæ est simpliciter à gratia, nobilior est, quã illa, quę est partim ex gratia, partim ex natura, vt etiã esset maior humilitas, quod Deus incarnaretur de deformi potius, quã de pulchra. Humilitas enim gratiæ collatiua, & augmentatiua, & nunquam diminutiua, non esset verè filij humiliatio, si humilitaté matris in sua nobilitate diminueret, & castitatis laudem auferret. Vnde nimirum, neque laude dignũ operatio iudicaret, si mater diformis humilis esset, & quòd despecta mater Virgo permaneret, è contra quantũ Virgo ab altiri infra se beatissima perfectior est humilitate, & quãtò ab altiori infra seipsam descẽdit, tãtò maior est filij humiliatio, quę se in summo cœlo post ipsam inclinauit.

** Forte nouo.*

** Corporalis.*

Psal. 72

Psal. 73

Sap. 4.

De pulchritudine in speciali.

CAP. 40.

Dicto de pulchritudine in communi, consequenter quærendum est de pulchritudine eius in speciali, quæ in tribus cõsistit, in debita corporis quantitate, in eleganti membrorum dispositione, & positione. In colorum venustate.

Primo de corporis quantitate.

CAP. 41.

Primo ergo quæritur de quantitate, quæ conuenientior ei sit: & probari potest. Quòd à quantitate corporis sui filij, quod tãquam perfectissimum in omnibus naturalibus decentissimã habuit quantitatẽ. Corpus enim filij formatur à corpore generãtis: ità quòd de tali tale, & de tanto tãtum: nisi error, aut impotentia impediat, aut per viam accidentis alio modo aliter fiat. Sed naturaliter, & regulariter magnus generat magnũ, & paruus paruum, & tantus tãtum. Ergo si corpus Dominicũ in summo habuit debitã quãtitatẽ viro cõgruentem, ergo & mater sua; ergo quantitatẽ fœminæ congruentẽ, quòd cõcedimus, & credimus esse verum: idẽ de qualitate dicentes. Modi enim qualitatis corporis sunt quinque crassities nimia, extenuata matres, carnositas, sinthæsis, & æqualitas. Pinguedo causatur ex frigiditate, & humiditate, carnositas ex caliditate, & humiditate, extenuata macies, ex caliditate, & siccitate, sinthesis, ex frigiditate, & siccitate; æqualitas ex omnium humorum æqualitate, cuiusmodi credimus corpus Beatissimæ Virginis extitisse.

De membrorum proportione.

CAP. 42.

Post hoc quæritur de membrorum dispositione, & proportione, & illa similiter pro-

probatur ex parte generati. Informatione enim corporis à generante, sic formatur totum de toto, quòd à qualibet parte corporis fit decisio, & in qualibet parte generati formatio: vnde inter generantem, & generatum regulariter, & naturaliter singulorum membrorum adinuicem est similatio in forma, & in figura: nisi per viam accidentis impediatur: ergo cùm in corpore Dominico, nullum potuit interdicere impedimentum, & membra illius corporis fuerunt elegantissimæ dispositionis, & congruentissimæ proportionis: eadem dispositio, & proportio erit in membris matris, quòd concedimus esse verum.

De colore cutis.

CAP. 43.

Post hoc quæritur de colore cutis, & venustate. Triplex est diuersitas colorum in corpore humano, scilicet, in cute, in capillis, & in oculis. Primò ergo de colore cutis quæritur, & videtur quòd debuit esse nigra in cute, Color enim est proprium obiectum visus: ergo ille color, qui est magis visui cõgruus, plus attestatur complexionis bonitati, & perfectioni: nigredo autem est magis congrua visui: est enim color congregatiuus visus: ergo nigredo est color perfectissimus ad videdum: ergo debuit esse color perfectissimi corporis, secundùm quod videri debet. Item simplex est nobiliùs composito: ergo nigredo, vel albedo, qui sunt colores simplices nobiliores sunt, quàm alij colores, qui sunt compositi: ergo alter eorum est in corpore perfectissimè, sed non albedo: ergo nigredo. Quòd non albedo patet. Albedo enim est color corporis, in quo est causa frigiditatis, & etiam visus desgregatibus: ergo disgregatio visus. Item color est immutatio visus, secundùm actum lucidi in ratione colorũ, qui sunt magis perfecti: sed dicit Philosophus, quòd extrema sunt magis sensitiua, & motiua: ergo albedo, & nigredo, quæ sunt extremi colores perfecti, magis sunt in ratione colorum: ergo alter eorum erit in corpore perfectissimo. Sed dicit Philosophus, quòd in corporibus sunt lux, & tenebræ; ideſt, albedo, & nigredo; sed perfectior est lux tenebris: ergo corpus eius erat magis album, quàm nigrum. Videtur autem, quòd potius debuit esse rubeum. Corpus enim Eucrathicum est maximè sanguineæ complexionis. Sanguini autẽ attestatur rubedo: ergo corpus optimè complexionatum debuit esse rubeum. Videtur autem, quòd debuit esse mixtum ex albo, & rubeo: quia sicut auctores Medicinæ dicũt. Color in cute ab exterioribus, accidit duobus modis: aut ex abũdantia, aut ex æqualitate humorum; ille autem est ex æqualitate, qui est albus, & rubeus mixtum. Cæteri omnes ab æqualitate recedunt; sed nobilior est color, qui ab æqualitate procedit: ergo debet ille esse in corpore Eucrathico. Videtur autẽ, quòd in tali corpore debet esse color glaucus; ille enim color significat frigiditatem in corpore dominantem: sed videtur, quòd corpus beatissimę Virginis debuit esse frigidę complexionis, hac ratione: quia quòd est natura tale, magis est tale: ergo quòd natura castum magis est castum; sed natura frigidum magis est ordinatum ad castitatem: ergo corpus castissimum debuit esse frigidæ complexionis. Itẽ omnis inclinatio, quæ causatur à duobus cæteris paribus, fortior est ea, quæ ab altero tãtum: ergo inclinatio ad castitatẽ, si causatur à gratia, & natura, debuit esse frigidę cõplexionis. Item bonum additũ bono facit magis bonum: ergo bonum gratię additũ bono naturæ facit magis bonum: ergo plena secundũ gratiam debuit esse perfectissima secundum naturam: ergo debuit esse frigidæ complexionis. Item magis manifestat potentiam è contrario secundum naturam, & contra naturalem inclinationem elicere contrarium, quàm de tali tale; sed perfectius, & nobilius est in quo manifestatur potentia: ergo perfectior est, & nobilior castitas, in calidis, quàm in frigidis; sed castitas Beatissimæ Virginis fuit perfectissima: ergo fuit calidæ complexionis. Item vbi maior contrarietas, ibi maior pugna: & vbi maior pugna, ibi difficilior victoria: & vbi difficilior victoria, ibi maior gloria: ergo à primo vbi maior contrarietas, ibi maior gloria: ergo glorioſior est castitas in calidis, quàm in frigidis. Item Philosophus. *Incontinens est, qui patitur, & deducitur: insensibilis qui, nec patitur, nec deducitur;* sed mediũ virtutis est pati, nec duci, sed virtuosior est castitas, vbi maior contrarietas, à contrario ergo est in calidis: ergo, &c

De colore capillorum.

CAP. 44.

Post hoc quæritur, de colore capillorum. Qui secundũ authores Medicinæ sunt quatuor, niger, rubeus, glaucus, & canicies; cùm autẽ glaucus constet ex humore abundante melancolico: canicies autẽ ex nimia defectione naturalis caloris, & ex defectu putridi flegmatis, quòd plurimũ fit in senibus. De illis duobus, non fit quæstio; sed tantũ de nigro, & rubeo. Et videtur, quòd capilli eius debeant esse rubei. Rubedo enim attestatur abundantiã caloris nõ adusti, nigredo autem est ex abundantia humoris colerici incensi, vel adustione multa sanguinis, quia vt dicit Galenus: *Rubedo attestatur sanguini, nigredo autem colericæ, vel melãcolicæ cõplexioni:* ergo cùm nobilior fit complexio sanguinea, quàm

quàm colerica, vel melancolica: color attestans sanguini nobilior est, quã attestans coleræ: ergo nobilior est rubedo, quàm nigredo: ergo erit in corpore nobiliori: ité Gal. vbi describit corpus Eucrathicũ in Tegni dicit: *Cõpetens crassas cognitiones secundùm totam animalis habitudinem.* Hæ sunt, scilicet. Color ex albo, & rubeo cõmistus; capilli verò rubei, & mediocriter crispi in pluribus: ergo in corpore Eucrathico capilli debẽt esse rubei. Item in eodẽ. Nam si Eucrathicũ cerebrum existat secundum quatuor qualitates omnia, quę dicta sunt; habebit cum medio, & superfluitates, quæcumque per palatum, aut aures, aut nares, & oculos purgantur. Hic habebit moderare, & minime lędetur ab omnibus, quæ extrinsecus calefaciant, & in frigidant, & desiccant, & humectant in faucibus existentibus, capilli sunt subrusi: pueris, rusi, vel subrusi: perfectis verò rubei fiunt: ergo in optimè complexionato cerebro, capilli debent esse rubei: hoc autem fuit cerebrum Dominæ nostræ, ergo, &c.

Videtur autem, quòd debeant esse nigri. Constantinus enim in Pantegni tres ponit causas capillorum dicens: *Capilli caput custodiunt, honestant, & defendunt: quibus si careat homo maxima inhonestas est, & præcipuè in mulieribus, & iuxta hoc natura fecit corpori iuuamenta, atque ornamenta, &c.* Item est causa cur masculi, & nõ fœminæ barbescunt: quia fumus, qui est pilorum causa ex natura, magis augmentatur in masculis, quem, quia natura non sufficit expellere, idest, consumere, expellit per duo loca, idest, per caput, & barbam. Vnde fit, quòd calidissimæ fœminæ barbescere videantur, & ècontra, in masculis frigidis. Vnde non barbescunt Eunuchi: quia perdiderunt membra calidiora. Pili ergo isti facti sunt à natura, vt essent ornamenta, & iuuamenta. Ex hoc patet, quòd tres sunt causæ pilorum, expulsio fumosæ superfluitatis in natura, & defensio à calore, & frigore exteriori, & ornatus capitis. Quantum ad primam vtilitatem magis, videntur conuenire Eucrathico corpori capilli nigri; si enim expulsio superfluitatis nociuè est iuuatiua, quæcumque superfluitas est magis nociua, illius expulsio est maximè iuuatiua; sed colericum incensum, & sanguineum adustum; magis est nociuum, quàm sanguineum, non adustum: ergo magis est iuuatiua expulsio illius, quàm istius; sed ad illius expulsionem sequitur generatio nigrorum capillorum, & non rubeorum: ergo quantum ad illam causam Eucrathicum corpus magis debet habere nigros capillos, quàm rubeos. Similiter quantum ad defensionem; nigri enim colores fortiores sunt, quàm rubei. Similiter quantum ad ornatum, pulchrior enim est aptior proportio

A extremi ad extremũ, quàm medij ad extremũ. *Opposita enim, iuxta se posita magis elucescunt*: ergo suppositio coloris cutis albo, & rubeo, magis venustat in capillis nigredo, quàm albedo, vel rubedo. Item quantum ad sensum visus, nigredo est cõuenientior, quia cõgregatiuus visus: rubedo autem, vel albedo disgregatiuus. Item quantum ad signatũ, rubedo enim attestatur mobilitati, & infedilitati, nigredo autẽ stabilitati, & firmitati. Quia respondet eleto, * quòd est terra. Ité Constantinus, vbi describit corpus Eucrathicum, sic dicit. In superioribus partibus libri meminimus nos dixisse de intemperata cõplexione corporis, quantum ad cõpositionem inæqualis: oportet ergo nunc dicere de æquali cõpositione cõplexionis, & eius significatione. Corpus enim æquale, neque multũ macidum est, neque pingue: color eius inter rubeum, & album medius: pili eius in infantia rusi, in pueritia, & iuuentute nigri: ergo ad Eucrathicum corpus pertinet nigredo in capillis, secũdum Constantinum, & sic etiam videtur controuersia inter Constantinum, & Galenũ. Cùm hic nigrorum capillorũ colorẽ ponat inęquali corpore. Ille autem rubeũ. Item eadẽ contrarietas inuenitur inter illos, qui loquuntur de corporis pulchritudine, quorũ vnus sic dicit: *Fœmineum plenè si vis formare decorẽ Præformet capiti vultũ, nec totius orbẽ. Crinibus irrutilet nitor aurũ*: Ergo vult, quòd capilli debeãt esse aurei coloris. Alter autẽ dicit sic. *Spectandum nigris oculis, &c.* Item 3. Cant. vbi scribitur pulchritudo spiritualis, per exteriorẽ pulchritudinẽ, sic dicit: *Comæ eius, sicut elatæ palmarum; nigræ quasi coruus*: ergo videtur, quòd ad exteriorẽ pulchritudinẽ, per quam interior describitur, pertineat nigredo in capillis: quia, vt dicit Magister Ricar. de Sancto Victor. super illud Genes. 49. *Neptalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis dicitur: Quia pulchræ hominẽ interiorẽ eisdẽ verbis reficit, & exteriorẽ, dum per exteriora visibilia ad inuisibilẽ pulchritudinẽ intellectũ traducitur*: ergo ad exteriorẽ pulchritudinẽ, per quam hic intellectus ad interiorẽ traducitur, nigredo pertinet in capillis. Item secundum complexionem innatam soboles solent assimilari parentibus, & ècõtra; sed videmus, quòd generatio Iudæorũ, vt in pluribus habet nigros capillos: ergo & Domina nostra, cùm fuerit de progenie Iudæorũ. Ité Veronica prætendit nigrã barbam, & nigros fuisse crines in Domino: ergo in Domina nostra, cùm maxima fuerit similitudo inter ipsos.

B

C

D

Cant. 3.

Cant. 5.

Gen. 49.

* *Forti electro.*

De colore oculorum.

CAP. 45.

Post hoc quæritur de colore oculorũ, qui quadruplex est, scilicet, niger, subaluidus,

varius,& glaucus. Et videtur primo,quòd debeat esse niger; ille enim in pluribus comitatur nigrum colorem in capillis ; ita quòd habentes nigros capillos,habent etiam nigros oculos:& etiam videtur maximè cõgruere venustati. Vnde espetiandum nigris oculis,&c. in cõtrarium videtur,quòd alius describens pulchritudinem , hic ad oculos dicit. *Radient vtrique Gemelli, luce Smaragdina,vel syderũ instar ocelli.* Illi autẽ colores,non sunt nigri,ergo,&c. Item nigredo oculorum,vt dicit Ioannicius, prouenit ex defectu visibilis spiritus, vel perturbatione eiusdem ; aut ex penuria crystalini humoris;aut quia plurimum resedit interius crystalinus:humor autem ex humore abundanti,qui est similis albugini obi;aut est ex perturbatione ipsius; aut ex abundantia qualitatis niuei humoris: ergo cũ iste color causetur in oculis,maximè ex defectu eorum,in quibus consistit oculi perfectio ad videndũ, & est spiritus visibilis, & humor crystalinus ; nullo modo est iste color Eucrathici corporis. De glauco oculorum, non fit hæc quæstio.

Ad hoc videndum est, quòd sex sunt colores cutis. Ex albedine,& rubore compositi,niger, citrinus,glaucus, albus, & rubeus, & solus ille,qui ex rubore, & albedine compositus, (vt dicit Ioannicius) fit è æqualitate procedens. Alij verò omnes ab inæqualitate. Primus est nobilissimus,& corpori Eucrathico determinatus : vt supra à Galeno intemperata complexione positus, & simili modo à Constantino in Pantegni. Hunc ergo concedimus in corpore Beatissimę Virginis extitisse. Ad obiecta in contrariũ respondemus. Quòd licet color niger sit magis visui congruus ad videndum,non tamen est corpori Eucrathico determinatus ad habendum. Color enim corporis principalius ordinatur ad corpus subiectum , & proprium venustandum,& eius complexionem ostendendam , quàm propter corpus alienum ad videndum. Item visus delectatur in pulchro, & in luce proportionabili delectabilior, & delitiosior est ad videndum. Color autem albus mistus cum rubore delectabilior est, quàm nigredo:nec est contrarium,quòd extremi colores magis sunt sensitiui, & motiui. Præeminentia enim sumitur ex respectu alterius videntis:ista autem respectu habentis. Natura enim,vt dicit Philosophus,semper intendit simile: ergo color corporis debet determinari potius secundum congruẽtiam sui subiecti, quàm respectu alterius. Nec etiam obest, quòd simplex nobilius est composito: hoc enim verum est inter res genere diuersas differentes, vt anima dignior est corpore,& non in his,in quibus vnum est simpliciter pars composita eadem, cùm altera secundum speciem. Cùm in his semper dignius sit totum sua parte. Quòd autem obijcitur,quòd debuit esse frigidæ complexionis, & habere colorem , illi attestantem dicimus quod non. Cum enim gratia nobilior sit quàm natura, castitas quæ est totaliter à gratia nobilior est, quàm ea,quæ partim est à gratia, & partim à natura: & tantò maior gratia est,& maiore ostentat potentiã, quãto fortiorem vincit naturam: quamuis in Beata Virgine, nulla fuerit pugna;quia etiam fomes fuit extinctus in ea. Vnde tantò fortior,& nobilior fuit eius castitas, quanta nec hosti aliqua fuit tentandi potestas,& nihilominus tantò de hoste triumphus gloriosior,quanto etiam ipsa caput eius contriuit sub pedibus: vt nec ad primum motum concupiscentiæ,cui generaliter subiacent omnes viatores,se contra ipsam ausus fuerit erigere. Non enim diminuit rationem victoriæ, non posse impugnari; sed nolle impugnari, quia nõ posse resistere. Illa etiam,simul gloriosissima , & laudabilissima castitas , quæ fuit,quæ in se nunquam aliquem saltem motum concupiscentiæ senserit, & se manifesta subiecta disseminans exemplariter concupiscentiã à multis cordibus,& corporibus profugauit. Ad illud,quòd obijcitur de colore capillorum, dicimus, quòd color in capillis immediatè signat dispositionem cerebri. Vnde optimus color in capillis debet determinari secundùm optimam complexionem cerebri : optima autem complexio cerebri, determinatur secundum duos modos. Vno modo est, cerebrum optimè complexionatum,quando est optime ordinatum ad actionem virtutis naturalis. Ita quòd operationes cerebri maximè ordinantur secundùm æqualitates cordis ad operationes cordis,& epatis,& stomachi,& aliorum membrorum principalium ; & secundum hoc,cerebrum debet esse calidum , & humidum: & secundum hoc,capilli talis cerebri in infantibus sunt subrufi: in pueris verò rufi,vel subrubei: sicut dicit Gal. integ. auctoritate supraposita. Et secundum hũc modum loquebatur,qui dixit: *Crinibus irrutilet*, etiam & secundùm hanc legem procedunt rationes pro illa parte. Alio modo dicitur Eucrathicum cerebrum, secundùm quod est optimè dispositum,& ordinatũ ad actiones virtutis animalis,quæ propriæ fuerunt in cerebro mediante spirituali, quæ nascitur in cerebro,& secundùm hoc calidum , & siccum debet esse cerebrum: quia illæ duæ qualitates maximè subseruiunt cognitioni. A caliditate enim est velocitas apprehendendi, à siccitate firmitas retinendi, à calore est motus,& mobilitas,à frigore quies,& immobilitas; & sic patet,quòd magis competit perfectioni cerebri siccitas, quàm humiditas, &

ca-

caliditas, quàm frigiditas. Vt enim Galenus dicit frigidiores, quam oportet cerebri cognitiones superflua plura secundum proprias effluxiones, & capilli rufi, & subrufi manentes, & post multum temporis nascentes subtiles, & exiles plurimum, & facilè à frigidis causis læduntur: & secundum idem tempus, & species lesionis catharri consumuntur, & somno leuiores quodammodo sunt. In contrario autem cerebro contraria sunt. Et sic patet nobilius, calidum cerebrum esse, quàm frigidum. Simili modo patet, quòd nobilius siccum est, quàm humidum. Galenus enim in Tegni dicit. *Sicciores cerebri sunt cognitiones, non superflui in effluxionibus, & sensum perfectum habent, vigilantes vero sunt, &c.* humidiores verò capilli plani, & non omnino calui fiunt, & sensu ebetes sunt, & superfluxiones multæ, & somno multi, & profundi; & sic patet, quòd est nobilius cerebrum, quantum ad virtutes animales, si fuerit calidum, & siccum: quàm si fuerit calidum, & humidum. Nam vt dicit Galenus in Tegni. *Optima est complexio calida, & sicca. Primum quidem non sunt abundantes huiusmodi, & sensibus perfecti, & vigilantissimi. Prima generatio capillorũ citissima est in eis, & plenissima nigri capilli, & crispi. Si verò humiditas caliditati accedat, parum quidem supergredientibus, virtusque mediocritatem bonus color, & caliditas: & in oculis venæ magnæ, & superfluitates plurimæ mediocriter digestæ, & capilli recti, & subrubei: & repletur, & grauatur caput à calefacientibus.* Et infra. *His verò nothus semper cõtrarius, in borea verò optimè degunt: nec excitari possunt, vsque ad multum se somnum conuertentes, grauiter dormientes sunt: & pene vigilantes sunt, fantasias vident, & sensibus imperfecti sunt.* Et sic patet, quòd optima complexio cerebri quantum ad virtutes animales sunt calidum, & siccum, & cerebro sic se habenti debentur capilli nigri, & hoc est, quod dicit Constantinus in Pantegni, *in superioribus*, &c. Cùm ergo cerebrum Eucrathicum vno modo sit optimè ordinatum ad actiones virtutis animalis: alio modo respectu operationum virtutis naturalis, & nobilior sit operatio virtutis animalis, quàm naturalis; melius erit cerebrum, quòd est Eucrathicum ad operationes animales, quàm ad operationes naturales: ergo perfectissimum, & nobilissimum corporis cerebrum debet esse calidum, & siccum, & habere capillos nigros, & sic procedunt rationes, & authoritates ad hoc adductæ. Ad hoc, quod obijcitur, de colore oculorum: respondemus. Quòd cùm color oculorum significet complexionem proprij subiecti; proculdubio calido, & sicco cerebro determinabitur color oculorũ niger. Quòd autem obijcitur, quòd nigredo oculorum causatur ex defectu visibilis spiritus, & penuria crystalini humoris, & eorum, in quibus maximè consistit perfectio oculorum, dicimus quòd hoc verum est, sed paucitas spiritus visibilis, & humoris crystalini causatur ex caliditate, & siccitate cerebri. Spiritus enim naturalis perueniens, vsque ad cerebrum, si cerebrum fuerit calidum, maiorem recipit depurationem, & subtiliorẽ substantiam. Quantò autem substantia est subtilior, tantò plus habet de forma, & minus de materia: & quantò plus est substantia subtilis, & formalis: tantò magis est actiua, & fortioris operationis; & sic à tali cerebro transmittitur visibilis spiritus ad oculum paucior, & subtilior, & fortior. Simili modo nutrimentum paucius, & subtilius, & nobilius. Paucitas ergo spiritus, & nutrimenti quãtum, scilicet, ad materiam causat nigredinem, vt dicit auctor; sed ipsa subtilitas, & paucitas materiæ causa est nobilioris, & fortioris operationis: & sic tales oculi erunt nigri propter prædictorum spirituum paucitatem. Sed clariores ad videndum, & nobiliores, propter sensuum subtilitatem, & nutrimenti puritatem, & sic Beata Virgo in colore cutis fuit alba, & rubea mixtim. In capillis autem, & oculis nigra temperatè, & eodem colore eius filium dilectum speciosissimum forma præfilijs hominum credimus fuisse coloratum.

De hoc quod dicit viro.

CAP. 46.

Post hoc quæritur de hoc, quòd dicit *Viro*, quòd frustra videtur additum, omnis enim desponsatio Virginis fit viro, quòd autem, nihil frustra debet poni, videtur: quia dicit Beatus Bernardus. *Si enim, nec folium de arbore sine causa, nec passer vnus ad terram cadit sine patre cœlesti: non putemus ergo ex ore Euangelistæ superfluum defluere verbum; præsertim in sacra historia, vbi vt puto plena quippè mysterijs sunt omnia, & cœlesti sint gloria dulcedine redundantia: si tamen diligentem habeant inspectorem, qui nouerit sugere mel de petra oleumque de saxo durissimo:* ergo sine causa, non debet hoc poni. Solutio. *Bernar.*

Quòd hoc adducitur *Viro*, non fit ad denotandum sexus discretionem; sed ad tangendum sponsi Beatissimæ Virginis commendationem: & sponsæ etiam à sponso honorificationem. Vir ergo non notat hic sexum, vel ætatem, sed virtutem: ergo fuit iste Ioseph, vir per constantiam fidelitatis, quantum ad iustitiam pertinet; per virtutem castitatis, quantum ad temperantiam; per excellentiam discretionis, quantum ad pruden-

dentiam. Per strenuitatem operationis quantum ad fortitudinem. Et sic notatur in viro excellentia quatuor virtutum cardinalium.

De hoc: cui nomen erat.
CAP. 47.

Post hoc queritur de hoc quod dicit: *Cui nomen erat Ioseph:* vel *nomine Ioseph.* Nam, vt dicit Philosophus: *Natura nihil facit frustra.* Ergo multo fortius in verbis a Spiritu Sancto dictis, nihil debet frusta poni. Item natura non deficit in necessarijs, neque abundat in superfluis. Item natura in quantum potest paucioribus se expedit. Item, *Pro.17. qui moderatur sermones suos sapientissimus Mat.12. est.* Item, *de omni Verbo ocioso reddent omnes homines rationem.* Ex his omnibus videtur, quod hic nihil poni debeat superfluum. Quòd concedimus dicentes: quod dicendo *cui nomen erat Ioseph*, quòd non tamen voluit nomé exprimere: quod præcessisset,* dicendo *Ioseph*: sed insuper: quod esset notabile ipsum nomen designasse. Vnde, & hic, & supra redixit *cui nomen Nazareth* secundùm numerum causarum, & secundùm numerum litterarum, scilicet, vt nihil poni frustra sciatur: vt plenius, & ordinatius describatur, vt probabilius credamus, vt totum præelectum monstretur; locus, vel persona. Vt nomine honoretur: vt doctrina innuatur: vt Ecclesia excitetur: vt Euangelista familiaris, & fidelis comprobetur: vt humilitas sponsæ declaretur: cùm iste nominatim, & expresse humilis sponsus describitur, vt iustus apud Deum, & homines monstretur: cuius nomen tanquam in libro vitæ scriptum in Euangelio, tam signãter exprimitur: vt notus Deo, & hominibus intelligatur, qui testis Beatissimæ Virginis adhibetur; vt nomen eius dignè in memoriam hominum vertatur: qui in Patrem Dei putatiuum assumitur.

* *Perfecisset.*

De hoc quod dicitur: Ioseph.
CAP. 48.

Post hoc quæritur de hoc quod dixit *Ioseph.* Videtur enim, quòd sponsus Beatissimæ Virginis non debuisset appellari Ioseph. Si enim, sicut tota rota est in rota, ita vetus lex, in noua: videtur, quòd illud coniugium Beatissimæ Virginis debuit in lege alicubi figurari: Hoc autem interpretatur Ecclesia fuisse in Hester, & Assuero. Si ergo illud coniugium repræsentat istud figuraliter: & coniuges illi, coniuges istos: ergo nomina debent respondere nominibus? Sed coniunx Hester fuit Assuerus: ergo, & cõiux Dominæ nostræ debuit appellari Abrahã! * Item si Domina nostra figurata sit per Rebeccam: ergo maritus esse debuit Isaac: Item Dominus figuratur per Sansonem, & mater eius sicut mater Sansonis: ergo sponsus eius debuit vocari Manue. Item si Ioseph appellatur augmentum: in isto autem coniugio nullum fuit augmentum per Ioseph: ergo non benè appellatur Ioseph! Quæritur ergo quis fuit figura Ioseph in veteri testamento. Non enim videtur, quòd ille filius Iacob: cùm ille gesserit figuram Domini nostri, vt pote filius Rachel, natus in senectute patris: & in benedictione: & fratrum liberatione, & terræ saluatione, & multis alijs: vt patet per librum Geneseos.

* *Forte Assuer⁹ vel aliqua de sunt.*

Ad hæc dicimus, quòd vna persona in veteri testamento, propter plures proprietates, plura significauit. Vnde Abraham, vbi dicitur ei. *Tolle tibi, &c.* Designat Deum Patrem; qui proprio filio suo non pepercit. Et vbi dicitur ei: *Egredere de terra, & de cognatione tua, &c.* figurat filium; qui egressus de terra, & de cognatione sua, de sinu Patris, venit in hunc mundum. Cum autem dicitur de eo, quòd sedit in hostio tabernaculi, in ipso feruore diei: figurat antiquos patres, qui sub vmbra legis sederunt: & incarnatione Verbi cũ feruore desiderij expectabant. Simili modo dicimus, quòd iste Ioseph in venditione, in liberatione, & Ægypti saluatione Deum signabat. Quod in fidelitate, & in castitate, & in mysteriorum reuelatione, pro curationis commissione, terræ conuersatione, & terrę prælatione, istius Ioseph figura fuit. Vnde Bernard. *Non vir matris, nec filij Pater extitit; quãuis tãtũ, & necessarij dispositione vtrumque ad tempus appellatus sit, & putatus.* Cõijce tamen ex hac appellatione, qua (licet dispensatoira) meruit honorari à Deo, vt Pater Domini, & dictus, & creditus sit. Conijce ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis, & qualis fuerit iste Ioseph. Mementoque simul illius magni Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsum non solum istud vocabulum sortitum fuisse: sed & castissimam adeptũ innocentiam, & gratiam consecutum. Communi quidem ille Ioseph, & suprema inuidia vẽditus, & ductus in Ægytum Christi venditionem figurauit. Iste Herodianam fugiens inuidiam Christum in Ægyptum portauit: ille Domino suo fidem seruans Dominæ suæ noluit commisceri. Iste Dominam suam matrem Domini sui matrem Virginem agnoscens: & iste continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia mysterij somniorum: isti datum est consilium fieri, & participem Diuinorum Sacramentorum. Ille frumenta seruauit: non sibi, sed omni populo. Iste panem viuum de cœlo seruandum accepit sibi, & toti mundo. Non est ergo dubium quin fidelis, & bonus homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris fidelis, & seruus prudens,

Gen.22.

Bern.

dens, quem constituit Dominus suæ Matris solacium, suæ carnis nutritium. Solum denique in tetris magni consilij coadiutoré fidelissimum, & sic patet, quòd congruæ præfiguratus est iste Ioseph: nec congruebat eũ præfigurari, per aliquem, qui maritus, per carnalem copulam extiterit, cùm ipse sine carnali copula sanctius coniugium, per comparationem coniugalem contraxit, & coniunxit. Virgo Virginem coniugem custodiuit: vt debitum ministerium reddendo, & Matri, & Filio paterno affectu inseparabiliter coniunctus fuit. Proprietas etiam nominis, & significatio, quæ incrementum sonat, ipsi nihilominus optimè congruit. Qui per hanc dispensationem, quantum ad se ipsum, & quantum ad proximum, & quantum ad Deum, quàm plurimũ sublimatus fuit: virtutum sic licet augmentatione, famæ celebritate, hominum reuerentia, & dilectione Matris Dei familiaritate, diuina, vt putabatur paternitate.

Quare de domo.

CAP. 49.

Postea quæritur: *De domo.* Nõ enim videtur, quòd iste fuerit de domo Dauid. Vbi cumque enim numeratur populus, resoluẽdo à multitudine in vnitatem: primo fit diuisio in Tribus, post hoc, Tribus incognationes. Cognatio in familias, in domos, sicut patuit in Iosue, vbi per inquisitionem huius furtum inuenitur, apud Achor, sed hoc modo Ioseph, non fuit de domo Dauid. Item vt patet per Genealogiam scriptam in Euãgelio generationis: Ioseph distabat à Dauid vicesima octaua generatione: ergo non erat de domo Dauid. Similiter quæritur de hoc, quòd dicitur *Dauid.* Cùm enim melior, & nobilior cognitio sit, per causam immediatam, & propinquam, quàm per causam remotam melius notificasset Ioseph, per patrem immediatum, quàm per Dauid. Si autem dicitur, quòd hic describebatur à Dauid, eo quòd promissionem accepit eius, qui hic annuntiatur incarnatus: secundùm hic deberet dici de domo Abrahæ, qui prius accepit promissionem, quòd in eius semen benedicerentur omnes gentes. Non dico in seminibus, sed semini tuo, qui est Christus.

Iuxta hoc. Quare in hac annuntiatione in qua mundissima filij Dei conceptio describitur Dauid, qui quamquam notarius peccator extitit, quamuis remotus inueniatur. Ité in Genealogia Domini peccatores, & peccatrices recitantur; quare hoc, vnus peccator, & nulla tangitur peccatricum;

Ad primum dicimus: Quòd dicitur *Dauid*, non tantum propter generationis successionem, sed principalius propter virtutum imitationem. Et tales dicuntur proprie esse de vna domo. Iuxta illud, *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Ex contactu enim formantur mores. Vnde benè huc accedit, quòd dicitur fuisse de domo Dauid. Verè enim de domo Dauid. Vere de regia stirpe descendit. Vnde iste Ioseph nobilis genere, mente nobilior Filius Dauid, non tamẽ carne, sed sanctitate, & deuotione, quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit, secundùm cor suum. Cui cito cõmittit secretissimum, atque sacratissimum sui cordis archanum: cui tanquam alteri Dauid incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quòd nemo Principum huius sæculi cognouit: cui denique datum est, quòd cum *multi Reges, & Prophetæ vellent videre, non viderunt*, etiam nõ solum videre, & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculare, & nutrire, & custodire. Non autem tantùm Ioseph, sed & MARIAM credendum est de domo Dauid descendisse: alioquin non fuisset despõsata viro de domo Dauid, si nõ ipsa esset de domo Dauid. Ambo erant de domo Dauid; sed in altera concepta est veritas, quàm promisit, & iurauit Dominus Dauid: altero tamẽ conscio, & teste adimpletæ promissionis. Necesse ergo dicitur sponsus fuisse de Domo Dauid: vt scandalum euitetur, & eadem tribus esse probetur, vt amor legis in vtroque ostendatur: vt humilitas nobilitate regia exaltetur: vt paupertas nobilitati, non repugnare doceatur: vt Dauidis humilitas Euangelizetur, & humilitatis nuntiatio in Ioseph insinuetur, vt veritatis promissio adimpleatur: vt Genealogia Dominæ describeretur, vt paupertas mirabilior demonstretur, vt nobilitas exemplum paupertatis, & humilitatis detur. Quod autem quæritur, quare Dauid hic ponatur, cũ peccator fuerit. Respondetur, quòd non ponitur eo quòd peccator fuerit. Sed eo quòd Ioseph ab ipso carnaliter descendit, & per imitationem in virtutibus similis ipsi fuit, nec propter peccati maculam, quàm pœnitentia deleuit, minus in Genealogia Domini nominari debuit; sed audacter prædicari, cùm propter hoc, quia peccatoribus cõfidentiam generet, & misericordiã Dei augmẽtet, quæ dicit: *Qua hora peccator à via sua conuersus fuerit, omnium iniquitatum suarum nõ recordabor.* Quòd autem nulla peccatrix tãgitur, causa esse potest, quia omnis peccati imitatio, vel etiam suspicio à Beata Virgine excludatur.

Luc.16.

Ezec.18

Quare in Genealogia eius boni, & mali ponuntur.

CAP. 50.

Quòd autẽ in Genealogia Dominę nostrę, vbi

vbi plenè describitur: boni, & mali in serie narrantur, non caret ratione. Quod enim à bonis orta fuit, triplex est ratio. Vna, vt antiquitas nobilitatis, ipsam nobilitatem extolleret. Alia, vt sanctitas ipsam vndique circumdaret. Tertia, vt humilitas laudabilior appareret. Quod autem antiquitas nobilitatem extollat patet: *Quia non potest arbor bona fructus malos facere.* Et item *vna quæq; arbor ex fructu cognoscitur.* Et quòd natura tale, magis tale ad virtutem perficitur, qui ad ipsam ex naturæ origine inclinatur. Virtutes enim parentuum innatæ sunt nobis perfectione, aut per consuetudinem. Vnde Iob: *Ab infantia mecum creuit miseratio, & ab vtero egressa est mecum.* Status enim diuturnitatis, non minuit peccatum, sed auget: & tantò maiora sunt peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Et sicut adulterinæ plantationes non dabunt radices; ita, & sapientiæ vita è conuerso: *Pulchra est, & casta generatio cum claritate: Immortalis est enim memoria illius quia, & apud Deum nota est, & apud homines.* Et sicut ex iniquis, omnes filij qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in generatione sua, *ita generatio rectorum benedicetur, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, & gloriæ, & diuitiæ in domo eius.* Et sic Beatissima Virgo orta est, ex bonis, & malis, vt antiquitas nobilitatem extolleret. Secunda causa fuit, vt sanctitas eam vndique circumdaret. Retro per nobilitatem: ante per vtilitatem: supra per dignitatem: infra per potestatem: à dextris per virtutum summitatem: à sinistris per peccati immunitatem. Tertia causa fuit, vt humilitas laudabilior appareret: Quia, vt dicit Bern. *In alto positus non alta sapere, sed humilibus consentire, vel Deo carius, vel Apostolis homines rariùs inueniuntur.* His ergo tribus causis, nata est de bonis, Triplici etiam ratione orta fuit à malis. Primavt cõparatio, alterum extremorũ extolleret; iuxta illud: *Sicut lilium inter spinas, &c.* Et aliud: *Sicut spina rosam genuit Iudæa MARIAM.* Secunda causa, vt sapientia Dei misericordiæ appareret. Est enim exitus, quo de bono bonum: & exitus est vt de malo malum. De primò: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* De secundò: *Omnis peccati initium superbia.* Tertius, exitus, vt de bono malum, vt de muliere initium peccati. Quartus, exitus, vt de malo bonum: & de hoc solius Dei est proprium, cuius sapientia vincit malitiam, *attingens à fine vsque ad finem.* Etiam tertia, vt confidentiam peccatoribus augmentaret, per hoc quod mediatrix eadem propinquitate vtranque extremitatem coniungeret: vt sicut mater esset, & filia Dei; sic esset mater, soror, & filia rei: & sic etiam à natura inclinaretur ad misereñ dum peccatori. Propter hoc figuratur, *per arcum positum in nubibus cœli, in signum fœderis, inter cœlum, & terram.* Non enim poterit Deus efficatius stabilire pacem, quàm quod filiam peccatorum suo filio accepit vxorem, & sponsam, & matrem. Nec aliquis fideliter inter Deum, & hominem pacem fecit; quàm quæ mater vtriusque fuit: ex prędictis igitur relinquitur quòd Ioseph, & Beatissima Virgo de Domo Dauid intimantur esse.

Mat. 7. Mat. 12 — Iob 31. — Sap. 4. — Ps. 111. — Bern. — Gant. 2. — Eccl. 10 — Sap. 8. — Gen. 9.

De nobilitate Virginis.

CAP. 51.

Ex hoc queritur de nobilitate Virginis. Et queritur: vtrum matrem Dei congruat esse nobilem, aut non, secundũ carnẽ. Et videtur. 1. Cor. 1. *Non multi sapientes secũdũ carnem: non multi potentes: non multi nobiles, &c.* Sed Beatissimam Virginem maximè elegit, & prælegit: ergo debuit esse ignobilis. Item Gloss. Super illud: *Venit enim humilis Deus querens humiles, non altos.* Item ibidem. *Non elegit Reges, & Senatores: vel Philosophos, vel oratores, sed plebeios, pauperes, imocctos, piscatores.* Ergo cùm Beatissima Virgo prę omnib' sit istis prælecta: prę omnibus istis debuit esse plebeia, & paupercula. Item magis videtur humilatio ex parte Dei de ignobili, quàm de nobili incarnari: Quod si cõcedatur, concedo; contra, quanto plus est aliquid eleuatum sursum, tantò plus potest deprimi in deorsum: Quantò enim mons altior, tantò vallis profundior: ergo quanto magis aliquid eleuatum est, sursum per nobilitatem, & dignitatem: tantò plus potest descendere per humilitatem: Sed Beatissima Virgo fuit profundissimæ humilitatis: ergo debuit esse summæ nobilitatis, & dignitatis. Vnde Aug. *Nunquam fuisset super omnes choros Angelorum exaltata, nisi fuisset super omnes homines humiliata.* Item Bernar. *in alto nõ alta sapere*, vt supra: Sed Beatissima Virgo fuit Deo charissima: ergo debuit esse alta, & non sapere alta, sed humilibus consentire. Item Bern. *Quis non ferret tolerabiliùs superbiam indiuitibus, quàm in pauperibus?* Sed humilitas in Beatissima Virgine fuit laudabilissima, & humilitas est nobilior in diuite, quàm in paupere: ergo fuit in nobili, & in diuite. Item Hieronimus dicit: *Quod seruitia minus sunt grata, quantò magis sunt debita in seruis, quàm in ingenuis, ergo minus sunt grata in his, quàm in illis, & plus ingenuis.* Sed seruitia Beatissimæ Virginis, quæ erant maximæ seruitutis: vt cẽsus solutio, & professio, similiter erant Deo gratissima: ergo erant in persona nobilissima? ex his videtur, quòd congruit, quòd Beatissima Virgo fuit nobilissima. Quod autem

1. Cor. 1. — Bern. — Bern. — Hieron.

sic

sic fuerit, manifestum est. Nobilitas rei consistit, & consideratur in tribus, in causa substantia, & efficientia. In causa, si à nobili origine principium ducat. In substantia, si nobilem substantiam, & proprietatem in se possideat. In efficientia, si nobiles effectus de se producat. Beatissima Virgo fuit nobilissima, vtputa filia Principis, quàm Deus, sibi plurimum peculiarem elegit, & distinxit ab alijs. Ipsa enim ab Abraham, quadragesima, & vna generatione descendit. In substantia quoad naturæ perfectionem, & gratiæ plenitudinem in se hæreditauit. In efficientia, qua ipsum Deum de se generauit: ergo Beatissima Virgo in omnibus, in quibus nobilitas consideratur, in summo nobilis inuenitur. Iuxta hoc quæritur, in quo consistat ista nobilitas secundùm carnem: quia dicitur nobilitas, nihil aliud, nisi inueteratæ diuitiæ: ergo videtur, quòd in diuitijs. Secundùm hæc autem Beatissima Virgo, non fuisset nobilis, quæ fuit paupercula, & à pauperculis generata. Videtur ergo, quòd ista nobilitas, non sit à rebus, similiter autem, nec à corpore, nec à nobilitate cõplexionis corporis. Inueniuntur autem Reges, & Principes, qui Nobiles dicuntur, & sunt secundùm carnem existentes, melancolici, vel flegmatici, & èconuerso rustici, sanguinei, & colerici: ergo nobilitas, non contrahitur a corpore. Ité videtur, quòd neque ab anima; animæ enim non sunt ex traduce: ergo anima filij, nihil nobilitatis apprehendit. Item Seneca dicit, quòd non facit nobilitatem atrium plenum fumosis imaginibus; quia quòd ante nos est, nostrum non est; non enim vixerunt ad nostram gloriam, & vult probare, sicut omnes qui loquuntur in hac materia, quòd tantùm nobilis est ille, quem nobilitat sua virtus; nobilitas est sola, quæ animum moribus ornat: etiam videtur quòd nobilitas secundum carnem, nihil sit.

Ad hoc dicimus, quòd Beata Virgo secũdùm omnem dignitatis, & nobilitatis modum esse debuit, & fuit nobilissima, & dignissima in summo. Notandum ergo, sicut in opposito tactum est nobilitas Genealogiæ completa consistit in tribus. In conditionis libertate, in officij dignitate, in vitæ sanctitate: libertas conditionis in tribus consideratur, in causa, in substantia, inefficiẽtia, secundum libertatem in causa, siue origine Beatissima Virgo fuit nobilissima, vtpotè
Gen.21. principis filia, cui dixit: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Isaac autem non est filius ancillę, sed liberæ. Item ad patrem, *Princeps Dei est*
Gen.21. *inter nos.* Item ad filiã, *quàm pulchri egressus tui in calceamentis filia Principis*, idest
Cant.7. opera tua iustorum exemplum, quos imitaris, & omnes excellis, & sic fuit liberrima in causa, fuit etiam liberrima in substantia,

A quàm facit immunitas à peccato, & gratiæ plenitudo. Vnde *Aue gratia plena.* *Qui enim facit peccatum seruus est peccati*, ita econuerso. *Vbi spiritus Domini, ibi libertas*, ipsa ergo Beata Virgo, semen Abrahæ peccato, no seruiuit vnquam, implens illud Apostolicum. *Sic incipite, sic loquamini, sic facite, tanquam incipientes iudicari per legem perfectæ libertatis*, & sic liberrima fuit in substantia, quæ nunquam fecit peccatum, & gratiæ plena fuit. Fuit etiam liberrima inefficiẽtia passiua, & actiua: passiua, seruis enim dicitur: *Si filius vos liberauit, veri liberi eritis*, & secundum Glosſ. liberauit, ponitur pro libertauit. Si ergo seruus, qui est seruus filij liberatur, multo fortiùs mater, quia mater filij liberrima fuit. Item si veritas illos
B liberat, quos illuminat; potius eam liberat, quæ eam generauit. Item inefficientia actiua liberrima fuit. Ipsa est enim, per quam omnis creatura à seruitute corruptionis liberata est in libertate gratiæ Filiorum Dei, vbi cessat omnis prælatio, vbi seruus liber est à Domino suo. Sicut autem orta est à nobilissimis, sic à dignissimis traducta fuit: ergo beatissima fuit nobilissima in causa, substãtia, & efficientia. In causa triplex est dignitas, à quibus est originata regalis, Sacerdotalis, Propheralis. Prima corporalis, secunda spiritualis, tertia cœlestis: quia futura prædicere, donum Dei est. Orta est de stirpe regali, vt de Dauid, & alijs; Prophetali, & Patriarchali, vt in Nathan: etiam fuit dignissima in causa, similiter in substantia. Ipsa
C enim istam tripliciter dignitatem habuit in substantia sua, & persona. Fuit enim regina, quæ *astitit à dextris eius in vestitu deaurato.* Fuit autem sacerdos iustitiæ, quę proprio filio suo, nõ pepercit; sed *stabat iuxta crucem IESV*, vt dicit Ambros. *Vt mortem filij aspiceret, non vt dolorem filij considerare; sed vt salutem humani generis spectaret.* Fuit etiam Prophetissa sapientiæ. *Accessi inquam ad Prophetissam*, &c. Et sic dignissima in substantia fuit, & dignissima inefficientia; ipsa enim originaliter triplicé dignitatem transmisit in filium principaliter; specialiter in nos, post hoc generaliter filiũ
D genuit, qui Rex, & Sacerdos, & Propheta fuit. Rex, quia in vestitu, & in femore suo scriptũ habet *Rex Regum, & Dominus dominantium.* De quo solo sapientes sapiẽter, quæsierunt dicẽtes, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Sacerdos, quia est Sacerdos iustitiæ, qui est *secundum ordinem Melchisedech.* *Qui per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta Sanctorum*, &c. *redemptione inuenta.* Hebr. 9. *Ipse etiam Propheta potens fuit in opere, & sermone.* Luc. 24. Istam triplicem dignitatẽ Beata Virgo transmisit, quæ nos Deo nostro fecit Regnum, &

Sa-

Luc. 1. Ioan. 4. 2. Cor. 3 Iacob 2. Ioan. 8. Psal. 44 Ioan. 19 Ambro. Esai. 8. Apo. 19 Matt. 2 Ps. 109. Hebr. 9. Luc. 14.

Sacerdotium: imò regale Sacerdotium, & Sacerdotale Regnum. De quo scribitur: *Regnabit in domo Iacob, &c.* Sic ergo patet: quomodo nobilissimæ Genealogiæ, Beata Virgo fuit. Quod autem quæritur: quid fuit ista nobilitas secundùm carnem. Respondemus: Quòd nobilitas secundùm carnem est traductio carnalis originis à parentibus secundum sæculum in diuitijs, vel potentia, vel dominio constituta: ex qua quantum ex parte naturæ est, causatur in filijs similitudo complexionis, & conformitas morum, & imitatio operationis. Homo enim pauper, & ignobilis, si delitijs incipit affluere, incipit delitijs magis vacare. Cibis delicatioribus se nutrire: & sic complexione nobilitate, exercitijs honestioribus occupari. Parua damna minus curare; Paruis lucris minus inhiare. Alienum dominium minus timere. Dona minus curare. Libertatem magis appetere. Maiorum consortia contrahere. Cum ipsis matrimoniũ iũgere. Et opera eorũ, & mores imitari. Et sic natura primo seruilis, & ignobilis victa per consuetudinem in contrarium transmutatur: & quantò hoc a remotiori, & diuturniori radice ad ramos transmittitur: tantò magis naturæ inclinatio indurat, & inseparabilior efficitur: vt in filijs; quantum ex parte naturæ est ad consilia patribus inueniatur inclinatio naturalis. Et hoc opponitur nobilitati carnis: quæ quantum est de sui natura, semper ad honesta, & decentia, plus quam ad vilia inclinatur. Et hoc totum verum est; nisi libertas arbitrij; vel consuetudo, vel alia causa extrinseca contrarium operetur. Etiam patet, quòd nobilitas non est tantum, ex qualitate complexionis, cum Rex, vel digna persona melancolicæ complexionis magis fit audax, vel largus, rustico per consuetudinem consanguineæ cõplexionis. Licet etiã anima sit ex traduce: tamen existens in carne operatur plus, vel fortius frequentius secundùm quod à carne amplius inclinatur.

Luc. 1.

Quod autem sola nobilitas mentis videtur laudanda: Respõdemus: quòd si qualitas operationis contraria agit nobilitati originis, tantò vitiosior, & detestabilior est difformitas operationis, quantò magis est contra naturalem inclinationem originis: Et magis culpabilis, & vitiosus, quàm ignobilis. Vbi autem nobilitas originis perficitur, & ornatur, nobilitate morum, & operationis vtraque præstat alteri incrementum laudis. Deinde virtus originis ostenditur in operatione, non quia aduentitiam, & cito mutabilem: sed quia propriam, & innatam, & debitam nobilitatem cõtraxit à parente. Et dum virtus mentis forsam cepit, ipsa carnis nobilitas, ipsam ad nobilia excitat. Inde est, quod quando hodie nobilitates coniunguntur, ambo merito collaudantur. Vnde fulgebat in venerando duplex decus, Gregorio Senatoria dignitas: voluntaria paupertas, &c. Si autem separatur nobilitas carnis non laudatur, sed vituperatur. Nobilitas autem mentis sine nobilitate carnis tantò amplius laudatur, quantò propriam vincens naturam laudabiliter operatur. Vnde versificator: *Malo pater Crisis sic Tersistes dummodo tu sis. Eyacide similis vulcania quod arma capesces quam de Tersite simulem producat Achilles.* Item alius. *Consulter procerum seruos contemne vulgares, &c.* Quod autem obijcitur: *Quod non multi potentes secundùm carnem, & non multi sapientes, &c.* Dicendum. Quod hoc intelligendum est de prædicatoribus, per quos mundus erat ad fidem conuertendus, quos congruebat esse plebeios, & indoctos: ne eorum potentiæ, vel sapientiæ, vel dignitati ascriberetur. Aut quod Deus per gratiam, & eorum mysterium operabatur: Et sic Crux Christi euacuaretur. Vnde congruebat: quòd non indoctis humanæ sapientiæ Verbis: nec in typo dignitatis homines ad fidem conciperentur, vel congruerentur: sed simplicibus simplicium verbis exterius cooperantibus diuina virtute, interius operante, humiles ad humilem humiliter vocarentur, & sic Deus humilis exaltaretur: & Diabolus qui per superbiam vicerat, per humilitatem vinceretur. Vnde Gloss. ibidem: *Nisi fideliter præcederet piscator: non humiliter sequeretur orator.* Aliud autem reformabat per actum in matrem quam docebat modum omnibus, quibus potuit exaltare, & secundum naturam nostram vniõ dam in ipsa, de qua eam assumpsit per omnia honorare: vt sua erga nos gratia tantò maior appareret, quantò nostram naturam sibi intolerabilius vniret: & quantò medium illius vnionis multòplicius decoraret: eiusque humilitas tantò profundior, & maioris gratiæ capatior fieret, quantò eam, & gratiæ plenitudo, & nobilitas eleuaret.

1. Cor. 1.

Cur Beata Virgo non perse, sed per Ioseph genealogizatur.

CAP. 52.

Post hoc queritur, cùm à nobilissima genealogia descendisset Virgo Beata, quare perse nõ sit, sed per Ioseph genealogizata? Solutio. Ad quod sic respondet Damas. *Oportet scire, quòd non fuit consuetudo Hæbreis neque diuinæ Scripturæ genealogizare mulieres. Lex autem erat non desponsare tribum, ex alia tribu. Ioseph autem ex Dauidica descendens stirpe, & iustus existens: hoc enim testatur Euangelium diuinum: non vtique Virginem sanctam desponsatam dixisset, nisi ex eius sceptro descenderet: monstrans ergo viri Ioseph descensionem contentus est.*

Damas.

Ex

Ex hoc autē oritur quare Sacra Scriptura, nō genealoizet mulieres, & maxime Beatam Virginem, etenim si hoc esset propter sexus in dignitatem, cùm maior sit indignitas culpæ, quàm naturæ, potius mali, quàm mulieres deberent, non genealoizari. Hoc autem patet esse falsum, vt Cayn, & Esau, si autem hic diceretur, quòd hoc sit propter generandi principalitatem: quia masculus generatur in altero, fœmina ab altero. Per hoc non soluitur, quia generaliter à maribus, & fœmineis generantur. Si autem diceretur, quòd hoc sit propter peccati principium, quòd fuit à muliere, secundum hoc viri, non deberent genealoizari: quia per virum transmissum est peccatum originale, & in Adam omnes peccauerunt. Nō enim peccatum originale contraxissemus, si Adam non peccasset, & per aliam generasset. Item si dicitur, quòd hoc est per mysterium, quia filij signant opera virtutum: filiæ opera infirmitatis, hoc etiam sufficere non videtur, cùm mali filij directiùs, & expressiùs opera mala significent, quàm filiæ; & sic nulla videtur causa, quare mulieres non genealoicentur in Sacra Scriptura. Item constat per hoc ipsum, quòd non genealoizantur, quòd hoc sit in aliquam pœnam mulierum: ergo quidquid sit de alijs, illa benedicta inter mulieres exempta est ab omni peccato muliebri; quare cessante ea causa maledicti, debuit genealoizari.

Ad quod respondemus, quòd non est Sacræ Scripturæ mulieres genealoizare propter causas in opposito tactas, simul iūctas: quia sexus indignior, natura posterior, culpa prior, ad opera infirmitatis cōgruentior signanda. Vnde Apostol. ad Timoth. *Mulier in silentio discat, cum omni subiectione. Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Adam primò formatus est, deinde Eua; sed Adam non est seductus, mulier aut seducta in præuaricatione fuit, quòd autē obijcitur, quòd mali genealoicentur, hoc non est in quātum mali, vel quia mali, nec est de principali intentione scripturæ in quantū huiusmodi genealoizare, sed accidit, quia mali, licèt non in quantū mali generentur à bonis: & etiam boni, licet nō in quantū boni huiusmodi, nō descendant ab ipsis. Vnde cùm alicuius boni actiua generatio describitur, & quandoque mali, & quandoque boni ponuntur, qui omnes in quantum boni bonitate naturæ à bono naturaliter oriuntur. Similiter quandoque alicuius boni generatio passiua describitur, & boni pariter, & mali numerantur: quia bonus à bonis, à malis propagantur. Itē transgressio peccati mulieri principalius imputatur: quia origo peccati Adæ, & per consequens, omnium peccatorum ipsa fuit.

Ad Tim 1. 2. 11.

Item filiæ signant conuenientius mala opera, quàm filij mali. Mali enim, non sunt in quantum mali; sed in quantum boni, & minus congruè signatur exitus mali à bono. Filiæ autem sunt, filiæ ratione sexus inferioris, & sic opera infirmitatis signantur congruentius. His ergo rationibus mulieres in pœna earum, non genealoizantur, à qua maledictione pœnitus exempta Beata Virgo, cuius Genealogia expressissimè declaratur, & patentissimè Euangelizatur, & in hoc quoque commendatur eius priuilegium dignitatis, quòd præ omnibus mulieribus genealoizantur. Quòd notat excellentiam dignitatis. Quòd autem hoc sit per virum sibi desponsatum, declarat eminentiam humilitatis, & manifestatur mirabilis pulchritudo dignitatis, & humilitatis; cùm & dignitas extollit humilitatē, & humilitas super omnia præcipue ordinat dignitatem. Vnde Bernard. *Quæ est virtutum æquè potens omnium Dæmonum debellare superbiam, & tyrannidem hominum? Cæterùm cum omni indifferenter per se hæc sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, &c.* Sic ergo priuilegiauit Dominus Matrem suā super omnes mulieres, in eo quòd genealoizatur, & humilitate ornauit. Secundùm quod Genealogia ad ipsam, per virum descendere demonstratur.

Bern.

De hoc quod dicitur: & nomen Virginis in genitiuo.

CAP. 53.

Post hoc quæritur de hoc quod dicit, & *nomen Virginis*, in genitiuo, & superius de Ioseph, *cui nomen* per datiuum. Ad quòd respondemus, quòd datiuus construitur acquisitiuè; genitiuus verò possessiuè: & nomen Ioseph ascribitur per datiuum: quia figuratio nominis sui sonat augmētum, quòd per sponsalitor, cum Beata Virgine contractum est accidentaliter acquisitum. Beata autem Virgo sanctificationem sui nominis, non quasi de nouo acquisiuit; sed in hoc etiā nata fuit: semper enim stella maris fuit, & tamen præcedentes se, & sequentes illuminauit; quia nisi per fidem Verbi incarnati de Virgine, nunquam aliter saluus fieret. Vnde ipsa in fide, & hominum, & Dei electione, & confirmatione Domina, & Regina creaturarum omnium semper fuit.

Quare nomen MARIA.

CAP. 54.

Post hoc quæritur, quomodo matrem cōgruit appellatam fuisse *MARIAM?* Et videtur, quòd potius Eua appellari debuit: quia in Genes. dicitur: *Et vocauit nomen eius Eua, eo quod esset mater, omnium viuen-*

Gen. 3.

uentium. Si ergo illa est Eua appellata, quæ erat mater omnium viuentium vita naturæ: multò fortius ita Beata Virgo debuit vocari Eua, quæ est mater omnium viuẽtium vita gratiæ. Eua enim interpretatur vita. Item nunquam in veritur inueteri testamẽto per aliquam mulierem huius nominis figurata: Ergo videtur, quòd potius debebat vocari Rachel, vel Rebecca, vel Iudith, vel Esther, per quas fuit Beata Virgo figurata. Item cum ista virgo fuerit singularis inter omnes, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Iure ergo nec similem habere debuit in nomine, ergo cum multæ post, & ante fuerit MARIÆ: domina nostra non debuit illud nomen habere. Item, sicut se habet res ad rem, ita nomen ad rationem: sed Beatissima Virgo post filium suum Dominum nostrum IESVM Christum simillima fuit; iure ergo, & in nomine: Ergo videtur, quòd à Christo debuit Christiana vocari, vel à recreatione recreatrix appellari, vel aliud dignissimum nomen excogitari: Item cãtat Ecclesia: *Sumens illud aue, mutans nomen Euæ.* Ergo videtur, quòd Beatissima Virgo debuit Aue appellari.

Ad hoc respondemus: Quòd hoc nomen MARIA Beatissimæ Virgini in hoc loco congruentissimè adaptatur, & propter rei perfectionem, quæ in nomine denotatur, & ad exprimendum proprietatem conceptionis, quæ hic annunciatur. Et statum designandum mediationis Beatissimæ Virginis, qua mediante genus humanum permanere huius sæculi ad portum cœli exemplo, suffragio, & merito reuocatur. Vnde Bernar.

Bernar. *Loquamur pauca de hoc quod matri stella maris, & Virgini Mater valdè congruenter adaptatur. Ipsa namque aptissime syderi cõparatur. Quia sicut sine corruptione sydus emittit radiũ, sic absque læsione sui parturit filium. Nec syderi radius suam minuit claritatem: nec Virgini Filius suam Virginitatem. Ipsa autem est stella nobilissima, ex Iacob orta, cuius radius vmbrosus orbem illuminat: cuius splendor etiam præfulget in superis: inferos penetrat, terras perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora: fouet virtutes, & enecat vitia. Ipsa inquam præclara, & eximia stella super hoc mare magnum, & spacioſum intus subleuata, micans meritis, illustrans exẽplis! O tu qui te intelligis in hoc sæculi profluuio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quã per terram ambulare: ne auertas oculos à fulgore huius syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tempestatum: si incurras scopulos tribulationum: respice stellam: inuoca MARIAM. Si iracundia, si auaritia, aut carnis illecebra nauiculam cõcusserit mentis, respice ad MARIAM. Si criminum immanitate*

A *turbatur conscientia fœtida, confossus iudici terrore: per territus baratro incipias turbari, vel absorueri tristitia, & desperationis abisso in periculus, & angustijs in rebus dubijs, MARIAM cogita, MARIAM inuoca toto corde. Et vt impetres eius orationis auxiliũ, non differas conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuias: ipsam cogitans, nõ erras: ipsa tenente non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, non peries: & sic in temetipso experiris, quã merito dictum est: nomen Virginis MARIA. MARIA enim interpretatur Domina. Stella maris illuminata illuminatrix: amarum mare. Ipsa enim omnium, quorum Deus Dominus, est domina: in qua signantur signa, excellentia veri solis sine corruptione, vel diminutione, vel sui generatiua, in quo exprimitur proprietas conceptionis. Ipsa diuinarum illuminationum potentia, & immediata susceptiua. Ipsa omnium bonitatum vniuersaliter distributiua. Inde dicitur stella maris: quia ipsa*

B *omnibus præsentia vitæ, gratijs semper plenissima. Vnde dicitur MARIA: quia sicut in mari est congregatio aquarum: ita in ipsa est cõgregatio omnium gratiarum.* Vnde Gen. *Congregationum aquarum vocabit MARIA:* Genes. *locus autem omnium gratiarũ vocatur MARIA. Ispa enim in sui ipsius conseruatione per totum amara, in filij passione amarissima, om-*

C *nibus de amaritudine existentibus, ipsa exemplum fuit, & causa.* His autem rationibus Beatissima Virgo MARIA hic appellatur MARIA; non autem hæc Eua debet appellari, eo quod sit mater omnium viuentium per generationem spiritualem, cum de ista non per se hoc agatur: sed de carnali eius generatione, qua ex castissimis carnibus, & sanguinibus genuit Filium Dei vnigenitum, & omniũ redẽptorẽ. Hoc ergo in Filij Conceptione sine dolore: *Ante quam parturiret: peperit, & ante quã veniret partus eius, peperit masculum Filium suum primogenitum IESVM Christum.* Isai. 66.

Postea verò tẽpore Passionis parturiuit terra in die vna, & parturiebatur gens simul. Quia parturibit, & filios suos peperit.

D Hæc autem nõ parit nisi filium suum, sine dolore, sine corruptione, sine diminutione. Cõgruenter igitur designatur nomine stellæ: Quia sicut sydus radium parit, virgo filium pari forma. Nam sydus radio: neq; virgo filio sit corrupta. Tempore verò passionis mater misericordiæ patri misericordiarum in operatione summę misericordiæ affuit, & dolore passionis secum substinuit: *Nam ipsius animam pertransiuit gladius.* Lucæ 2. Et cõsors Passionis adiutrix facta est redemptionis mater, & regenerationis. Vnde ibi propter fœcunditatem spiritualem, qua totius generationis humani mater spiritualis effecta est, non sine perturbatione doloris, omnes nos in vitam

cter-

æternam, in filio, & per filium vocauit, & regenerauit. Mulier autem merito dicta fuit Eua, quo nomine vocari non debuit hæc Virgo Beata, cum iure, & in effectu contraria fuit per omnia. Illa enim damnauit, ista saluauit: vnde & in ipsa nomen Euæ mutauit, non voce quidem, sed re. Illa quidem omnes generauit in mundum, ista in cœlum. Illa mater carnalis, ista mater misericordiæ. Illa principium mortalitatis, ista principium vitæ. Illa transiuit, & nos transire fecit de gratia in culpam, ista de culpa in gratiam. Illa de latere viri dormientis facta, ista de corde vigilantis. Illa viro suo occasio perditionis, hæc viro adiutorium redemptionis. Illa desponsatur mater, & origo corruptarum: hæc desponsatur mansura mater, & virgo virginum. Illa prima virginitatem perdidit, ista prima virginitatem Deo consecrauit. Illa à Diabolo decepta, hæc ab Angelo edocta. Illam Diabolus vicit per superbiam, ista Diabolum vicit per humilitatem; & sic patet qualiter mutauit nomen Euæ. Quòd autem obijcitur, quòd per nullum hominis nomen figuratur: dicimus, quòd hoc congrua dispensatione agitur, vt dum nulla ipsam figurans similem habeat, nomen ipsa omnium significantium debet transcendere rationem, vtpote, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Quòd autem huius nominis ante, & post fœminæ inueniuntur, intelligatur, quòd licet nulla fœminarum ei similatur, per equiparentiam; nulla tamen ab eius participatione excluditur. In signũ huius igitur, quod res sui nominis omnibus cõmunicare desiderat per effectũ, & nihil sibi retinere propriũ, cõmunicat etiã alijs suum nomẽ. Itẽ non debuit ei esse aliquod nomen à creata re, vel à Christo: quia in ista annuntiatione non agitur, qualiter ipsa à Christo; sed qualiter Christus ab ea processit. Christiani nomẽ etiã, nõ fuit ei spiritualiter imponendũ, quòd erat ad omnes generaliter deriuandũ, & si aliquod nomẽ ei aptari potuit excellẽtioris dignitatis: tamen nullũ à maiori negotij, de quo agitur proprietate: vt patet per supradicta verba Bernard. Ex quibus colligitur, quòd tribus de causis, per hoc nomẽ in hoc loco Beatissima Virgo congruentissimè nominatur, scilicet, propter personæ suæ dignitatem, actionis suæ vtilitatem, conceptionis dominæ proprietatem. Dignitas per se exprimitur, per naturam lucis, quæ intelligitur per stellam maris. Nihil enim digniũs, vel nobiliùs luce est, cuius ratio primo, & principaliter diuinæ naturæ, posteriùs naturæ Angelicæ: vltimo corporeæ creaturæ conuenit, & nihil est nobiliùs in corporalibus, luce corporali; nihil in spiritualibus, luce spirituali: in summo autem nobilis est lux dominæ naturæ. *Deus enim lux, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Vnde lux ad illam lucem mediatissima secundo loco est nobilissima. Hęc autem erat Beatissima Virgo, quæ non solùm ab hac luce, sicut Luna à Sole, illuminata fuit; sed sicut Aurora de se sola Solem produxit. Quę omnia illuminabilia illuminauit, & per naturam lucis exprimitur dignitatis excellentia Beatissimæ Virginis. Per hoc autem, quòd additur maris, dicẽdo stellam maris, tangitur vtilitas operationis, in hoc, quòd omnes naufragos reducit ad portum salutis æternæ. Tãgitur nihilominus per hoc, quod dicitur: *Stella maris*, proprietas cõceptionis: quia sicut sydus radium, &c. Videlicet, sine corruptione, sine diminutione, sine pollutione.

1. Ioa. 1

De hoc quod dicit, Ingressus.

CAP. 55.

Consequenter quæritur de hoc, quòd dicit *Ingressus*, videlicet, vtrùm ianuis clausis, vel apertis sit ingressus, & videtur quod ianuis apertis: quia Beatissima Virgo vidit eũ oculis glorificatis, sine miraculo: ergo & Angelus habuit corpus assumptum, non glorificatum: ergo non potuit intrare ianuis clausis. Item Scriptura hæc non dicit; sed si factum esset, diceret sicut de Deo dicit, quòd ad discipulos ianuis clausis intrauit. Contra dicit Augustin. quòd Angeli assumunt sibi corpora in quibus apparent de purissimo æthere: ergo potuit ianuis clausis intrare.

Quare repetit Angelus, & non Gabriel.

CAP. 56.

Item quæritur, quare hic dicit repetendo hoc nomen *Angelus*, & non Gabriel, cùm in proposito intelligatur nomen commune, & non è conuerso.

Si ad solam.

CAP. 57.

Item quæritur de hoc, quod dicit *ad eam*, scilicet, qualiter secundùm situm se habuerit. Diuersa est enim positio corporis in vacantibus orationis, scilicet, postratio genu, curuatio, sessio, statio, inclinatio, in qua istorũ fuerit, quando ei Angelus istã pulchritudinẽ nũtiauit. Videtur, quòd debuit sedere. Hoc enim proprium est contemplatiuum, iuxta illud. *MARIA sedebat secus pedes Domini*, etiã & illud Philos. *Anima sedendo, & quiescendo fit prudens*, quòd autem prostrata debuerit esse videtur: quia illud maximè pertinet ad humilitatem, vnde in Apoc. *Cecidi ad pedes Angeli*. Item, quòd stare debuerit videtur: quia exterior hominis status signum est status interioris, sed secũdùm hominem interiorem, maximè tũc fuit erecta. Item si sedit, vtrùm Angelo veniente surrexit, & videtur quòd sic: quia hoc ad honestatem pertinebat: vnde Rachel se excusauit, quia patri assurgere non potuit. Item in altari Dominum suscipimus stando: ergo illi est reuerendissimus modus eum suscipiendi.

Luc. 10.

Apoc. 1.

Ad primum respondemus, per Beatũ Bernard. qui dicit, quòd ingressus ad eam, puto in secretarium pudici cubiculi, vbi illa forsam clauso super se hostio orabat patrem suũ in abscõdito, solent Angeli astare orantibus, & delectari in his quos vident puras manus ad Deum leuare in oratione: & holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre Deo in odorem suauitatis. MARIÆ autem orationes quantùm placuerunt in conspectu altissimi iudicauit, qui ingressus ad eam tam reuerenter salutauit. Nec difficile fuit per clausum hostiũ Angelo penetrare ad abdita Virginis, quæ vtique ex sterilitate suæ substantiæ hoc habet à sua natura; quia nec ferreis seris eius arceatur ingressus, quocunque eum ferat suus impetus. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt; sed cuncta illi visibilia cedunt: cuncta æque corpora quantumlibet solida, & spissa penetrabilia sunt, & peruia: suspicandum igitur non est, quòd apertum Angelus inuenerit Virginis ostium, cui nimirum in proposito fuit fugere hominum frequentias, vitare colloquia: ne vel orantis silentium perturbaretur, vel continentis castitas temptaretur. Clauserat, inquam, etiam illa hora habitaculum suum supra se prudentissima Virgo, sed hominibus, non Angelis. Proinde & hic potuit ad ipsam intrare Angelus; sed nulli hominum facile patebat accessus. Ex his colligendo credimus, Angelum clausis ianuis intrasse, & hoc potuisse, per naturæ suæ subtilitatem, & sumpti ætherei corporis qualitatem. Beatissimam autem Virginem in aduẽtu eius, inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus erectis in cœlum oculis, ad patrem misericordiarum, pro incarnatione filij sui deuotissimas preces, cùm lachrymis fudisse, & Angelo venienti reuerenter assurrexisse: & percepta eius nuntiatione credẽte in eam consensisse; & quantò citius potuit implere flexis genibus rursum in terram, & eleuatis in cœlum oculis, ac manibus, ex intimo corde erumpẽtibus præ gaudio lachrymis deuotissimè flagitasse, & sic Deum pariter, & hominem concepisse. Et iste quidem est modus positionis, & situs eorum, qui de manu Angeli, ideſt, Sacerdotis, suscipiunt Dominicum corpus de altari. Quòd autem hic repetitur nomen commune Angeli, cùm dicitur: *Ingressus Angelus*. Per hoc datur intelligi, quòd omnino in ratione nũcij venit, scilicet, quòd sua authoritate non venit, quòd negotium non inuenit; non nisi missus intrauit, nõ sua verba, sed diuina protulit; salutationem non dictauit, sed detulit, quòd omnium nouorum nouissimum nuntiauit.

De salutatione.
CAP. 58.

Iam nunc quæramus de salutatione, quòd non congruè, videtur incipi ab *Aue*, cùm in salutationibus soleant propria nomina, & dignitates præmitti, & prius hoc personæ recipiẽti salus optari, vel gratia, vel seruitium, vel dilectio demandari, quæ omnia in hac salutatione non videntur obseruari. Item iste modus salutandi per secundam personam, est modus salutandi à se ipso personaliter, & nõ ab alio. Ergo videtur, quod Angelus salutauit ipsam à se ipso, & non a Deo. Item *Aue* dicit remotionem pœnæ; salue perseuerantiã boni, & permanentiam salutis: ergo maior perfectio significat per salue, quàm per *Aue*: ergo ista perfectissima salutatio debuit incipere potius à salue, quàm ab *Aue*. Item *Aue* pertinet ad incipientes; salue ad proficientes; gaude ad perfectos: ergo cùm Beatissima Virgo fuit perfectissima, per, gaude, fuit salutanda: quòd etiam videtur per locum à minori. Angelus enim salutauit Thobiam dicens: *Gaudium tibi sit, &c.* Item consuetudo, & modus salutandi, quem ipse Dominus tenuit, & docuit, fuit *Pax vobis*, hunc etiam tenuit dicens: *Pax huic domui*: ergo iste modus salutandi est nobilissimus: ergo debuit in salutatione nobilissima obseruari. Item non benè, nec verè videtur Angelus dicere *Aue*. Aut enim hoc dixit ei optando, aut prædicando de futuro, aut narrando de præsenti; sed hoc est falsum: non de præsenti: quia adhuc sine væ dixit, si optauit: ergo voluntatem suam voluntati diuinæ non conformauit: quia eam multa pati voluit. Si autem futura prædixit, nõ salutauit, sed propheтauit, quòd præmium est commune omnium saluandorum: quia quandoque erunt sine væ. *Thob. 5.* *Luc. 24.* *Ioan. 20*

In contrarium autem probatur, quòd Beatissima Virgo fuit sine vę. Seneca ad serenum probat hoc modo, quòd sapiens non turbatur. Validius est, quòd lædit, eo quod læditur; fortior est virtute nequitia; sed infirmior: non læditur autem quis, nisi à malis: ergo non læditur. Item dicit: Quidquid in sapientem petulanter proterue superbæ fit frustra tentatur. Item idem in eodem virtuti non nocetur; sed omnis sapiens participatione, Deus est: ergo sapienti non nocetur. Item omnis iniuria est alicuius rei, quæ perdi potest: sapiens nihil perdere potest, omnia in se reposuit, nihil credidit fortunæ, bona sua habet insolido. Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit: virtutem autem non eripit, quia non dedit. Ex his autem concludit, quòd nulla turbatio cadit in sapientem; sed citra Deum est in statu viæ. Beatissima autem Virgo fuit omni sapiente sapiẽtior: ergo debuit esse, sine omni vę. Quòd si concedatur, cõtrariũ videtur esse, cũ adhuc sit sub *væ* subiectionis, quòd est ex peccato secutũ: iuxta illud. *Sub potestate viri eris*. Item sub *væ* afflictionis, iuxta illud, & *tuã ipsius animam pertran-* *Gen. 3.* *Luc. 2.*

trænsibit gladius, itē sub *væ* damni, scilicet, sub maledicto legis, quia sterilis adhuc fuit.

Ad prædicta respondemus, quòd cùm duplex sit modus salutandi, scilicet, per se ipsum, & per aliū; amicabilior, & nobilior est ille, qui est per se ipsum, quàm qui per aliū. Hæc ergo salutatio perfectissima, & amicabilissima nō fit, tanquam ad absentem, & per alium; sed tanquam præsentis ad præsentem, & per se ipsum: ergo modò præsenti taliter salutationem ab *Aue* inchoauit. Salutatio illa, in qua Deus Trinitas præsens præsentem Virginem in Angelo salutauit, verbum etiā deprecatiuum, & salutatiuum, & nunciatiuū fuit: quia beatitudinē, quam Angelus Beatissimæ Virgini nūntiauit, illam ei exhiberi, & impleri ardentissimè concupiuit, & deuotissimè optauit. Aliud etiam verbum salutādi poni non debuit, in quo salutis status, vel perfectus, vel perfectio notaretur, & sic totius salutis inchoatio, quæ primo, & principaliter, & per se Beatissimæ Virgini nuntiatur, & in ea, & per eam toti generi humano destinatur, bene inchoatur per *Aue*. Initium enim beatitudinis, est remotio miseriæ. Alia autem beatitudinem perficientia exprimuntur per alia verba in salutatione sequentia, vt patebit infra.

Quarē fuit sine vā.

CAP. 59.

Cōcedimus etiam, quod Beatissima Virgo fuit diuersimodè, sine diuersis *væ*: fuit enim sine *væ* communi omnibus hominibus conuenienti: sine *væ* spirituali omnibus mulieribus cōtingenti. Sine *væ* particulari omnibus mulieribus, seu matribus congruenti. Ex parte enim corporis omnis homo per peccatum incurrit triplex *væ*, scilicet, ipsius corporis distemperationem, siue discrepationem, & naturalium appetituum inordinationem. Item ipsius ante mortem corporis ad animam repugnantiam, secūdum quod *Galat. 5* *caro concupiscit aduersus spiritum*. Itē post mortem corporum incinerationem. De isto *Gen. 3.* triplici *væ* dicitur in Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vescēris pane tuo: donec in terram reuertaris, de qua assumptus es: quia puluis es, & in puluerē reuerteris*. In maledictione operū notatur inordinatio appetituum naturalium. In spinis, & tribulis concupiscentia cōtra spiritum. In sudore, & labore corporis distemperatio: per reuersionem in pulueren incineratio. Sine isto triplici *væ* fuit ista Beatissima Virgo in corpore, quæ & corpus habuit eucraticum, cùm spiritum per omnia pacificum, nūquam in cineres resolutum. Similiter ex parte animæ omnes incidimus triplici *væ*, errorem, pudorem, dolorem: errorem in rationabili, dolorem in cōcupiscibili, pudorem in irascibili. Error triplex in eligendo, in discernendo, in exequendo: dolor triplex, in præsenti, in præterito, in futuro. Hoc est mœror, dolor, timor. Pudor triplex, de essendo, de agendo, de patiēdo: de *væ* errorum dicit Aug. *Error non est hominis natura instituti, sed pœna dānati*, de *væ* doloris, Genes. 2. *Quacunque hora peccaueritis moriemini*: de *væ* pudoris ante peccatū dicitur Genes. 3. *Erat vterque nudus*. Adam, scilicet, & vxor eius, nec erubescebant: Post peccatum autē dicitur. *Quis enim iudicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quod de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti*: & sic *væ* pudoris consecutū est. Ab isto triplici *væ* immunis fuit Beatissima Virgo, quæ nec in diserctione, nec in electione, nec in executione vnquam errauit, vtpote, quæ Virgo prudentissima fuit. Propter quod Ecclesia librum sapientiæ de ipsa exponit: quia sine cōsilio Spiritus Sancti nihil fecit: & sic fuit sine *væ* errorum: doloré que suæ rationi dominantem, vt probat authoritas Senecę, nūquam habuit; quę in omnibus, & secundùm omnes potentias ordinatissima fuit, in qua ratio semper superior, & imperans fuit: vnde quidquid dolorū sustinuit, ei in materiā amoris, & gaudij semper totum cessit secundum rationem; & sic in ea dolor maximus in passione filij secundū sensitiuā, nunquam cōtrarius fuit gaudio rationis, & sic fuit sine *væ* doloris. Item nihil turpitudinis fecit vnquam, nec habuit, nec etiā sustinuit: & sic ab omni *væ* pudoris immunis fuit. Itē ex peccato secutum fuit triplex *væ* ex parte coniuncti. Idest animæ cum corpore, scilicet væ pœnæ; væ ignorātiæ, & væ culpæ. Væ culpę triplex, originaliter, actualiter, & venialiter. Culpa actualis mortalis triplex habet *væ*, scilicet, superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ, & de isto triplici *væ* dicitur in Apoc. *Væ væ væ habitantibus in terra*. *Apoc. 8.* Item væ pœnæ triplex est, væ pœnæ gehennæ; væ pœnæ purgatorij; væ pœnæ pœnitentiæ. Item væ pœnæ ignorantię triplex est, scilicet; ignorantia credendi, ignorantia saluandi, ignorantia optandi, siue eligendi. Hoc est, quod homo ignorat in statu viæ, quid credendū, quid optādum, vtrùm, scilicet, amore, vel odio dignus sit ad saluādum. Sine omni isto triplici *væ* fuit Beatissima Virgo MARIA, scilicet, sine vę culpę actualiter, sine vę culpæ causaliter, sine vę ignorātiæ pœnę habitualiter. Ignorātiæ autē eorū, quæ pertinēt ad salutē, vel mysterij incarnationis reuelationē: de his tantum omnibus plenè edocta fuit per eū, cuius mysterio salutationem accepit, qui mentiri non potuit. Item triplex est *væ* in mulieribus spiritualiter, in virginibus *væ* sterilitatis, in coniugati vę subiectionis, in viduis vę desolationis. Quibus vltimis duobus annexum est væ cor-

ruptionis. Ab isto triplici væ immunis fuit Beatissima Virgo, sine sterilitate coniugata, sine corruptione, & seruitute vidua cum virginitate, & sine desolatione: vt infrà manifestiùs explicabitur, super *benedicta tu in mulieribus*. Item tria sunt væ in matribus, væ damni, væ indigentiæ, væ culpæ, & quodlibet istorum væ triplex, væ damni triplex: omnis enim alia mater in conceptu perdidit virginitatem; sed ista acquisiuit eam, qua sub Deo maior nequit intelligi puritate. Nec post conceptum perdidit pulchritudinem: imò tãta pulchritudine radiauit, quòd eam Ioseph inspicere non potuit: vnde super illud, & non *cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum*, Gloss. dicit. *Ioseph MARIAM facie ad faciem non cognouit*, ideſt, videre non poterat, quam Spiritus Sanctus à conceptione penitus impleuerat; & ideò non cognoscebat facie ad faciem, quam desponsaret, donec vterus euacuaretur; & sic constat, quòd non conceptum non perdidit pulchritudinem. Item, nec perdidit in partu hominum societatem: imò tũc mediatrix Dei, & hominum constituitur: vnde in puerperio à pastoribus, & Regibus visitatur. Item væ indigentiæ triplex est. Matres enim in futuro conceptu indigent compare: Post conceptum quiete: In partu obstetricatione. Nec autem Beatissima Virgo in conceptu non habuit comparem: quia concepit Spiritu Sancto cooperante, & nec post conceptũ indiguit quiete: imò surrexit, & abijt in montana Iudeæ salutare Elisabeth, & ei ministrare. Luc. 1. Item in partu non indiguit obstetricatione, sed gaudebat Dei genitrix, quia circunstabant obstetricum vice concinentes Angeli gloriam Deo. Item væ culpæ & pœnæ in matribus est triplex. Est enim in eis libido in concipiendo, grauitas in portando, dolor in pariendo. A quibus omnibus immunis fuit Beata Virgo, quæ cõcepit sine libidine, grauida sine grauamine, peperit sine dolore: vnde Isai. 66. *Antequam parturiret, peperit, & antequam veniret partus eius, peperit filium*: & sic concedimus vniuersaliter, quòd Beatissima Virgo fuit sine omni væ, vel actualiter, vel causaliter, vel habitualiter.

Mat. 1.

Luc. 1.

Isai. 66.

De generali consuetudine, qua additum est MARIA.
CAP. 60.

Post hoc quæritur, quare Ecclesia in generali consuetudine apponit MARIA in salutando, dicendo: *Aue MARIA*, cùm nihil liceat apponi ad Euangelium, iuxta illud Apocal. 22. *Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus plagas scriptas in hoc libro, & si quis diminuerit de verbis prophetiæ huius, auferat Deus partẽ eius de libro vitæ*, & simile habetur Deuteron. Item Damasc. *Omnia, quæ tradita sunt per legem, Prophetas, Apostolos, Euangelistas, suscipimus, veneramur, & cognoscimus, nihil vltra hæc inquirentes*: ergo cùm Euangelista nõ apposuerit *MARIA*, non debemus apponere. Itẽ Angelus, vel sine causa omisit, vel propter causam, si sine causa: ergo malè fecit dimittendo; si autem propter causam omisit: ergo nos malè facimus apponẽdo: videtur autem, quòd Angelus malè omisit, quia propria nomina in salutationibus apponere est consuetudo. Item in collatione dignitatum magnarum solet fieri mutatio nominum, vt patet in Papa: vnde Dominus ad Ioannem. *Tu vocaueris Cephas*: videtur ergo, quòd in ista collatione summæ dignitatis collatæ Beatissimæ Virgini, non eius dignè debuit commutari.

Apo. 22

Damas.

Ad hoc dicimus, quòd ad Euangelium apponere falsa, vel commiscere contraria his, quę in Euangelio sunt, vel prędicare malum est, & iniquum: vnde Apostol. *Si Angelus de cœlo venerit, & aliud euangelizauerit, præter quam accepistis, anathema sit*: & sic intelliguntur aliæ authoritates consimiles. Credimus ergo, quòd Angelus non errauit, non apponendo, nec Ecclesia apponendo *MARIA*. Angelus enim dignissimè salutando nouo nomine dignitatis salutauit, vt permutatione nominis permutatio status figuraretur, & eminentia dignitatis: vnde de proprio nomine, scilicet. *MARIA* nouum nomen imposuit, scilicet, *Gratia plena*, iuxta illud Esai. *Vocabitur tibi nomen nouum, quòd os Domini nominauit*. Hic autem, quòd dico *Gratia plena*, ista circumlocutio tantùm est proprij nominis Beatæ Virginis, & personæ ipsius, quòd nulli alij propriè conuenit, neque Deo, neque creaturis. Secũdum quod plenitudo gratiæ intelligitur superlatiuè patet, Deus enim gratiæ, nihil susceptiuè habet, & nulla alia creatura plena est gratiæ susceptiuè præter Beatam Virginẽ. Quæ sola tãtùm recepit, quòd pura creatura plus recipere non potuit: vnde ei hoc ita proprium fuit, quòd ei Angelus illud pro proprio nomine, hoc est, *Plena gratia*, imposuit, Ecclesia verò nomen *MARIA* apposuit in salutatione ad *Gratia plena*, vt per *Gratia plena*, recolat Beatissimæ Virginis dignitatem. Per *MARIA* inclinet eam ad nostram necessitatem. Ipsa enim *Gratia plena*, per influentiam diuinæ bonitatis, data est nobis stella maris *MARIA*, vt eius plenitudo gratiæ, suppleat in nobis defectum culpæ; & ipsa stella in firmamento gloriæ fixa nos naufragos, de statu miseriæ traducat ad portum salutis æternæ. Hac ergo de causa in salutatione ista adiunctum est hoc felix nomen *MARIA*.

Galat. 1

Isai. 62

Luc. 1.

De

De gratiæ plenitudine.
CAP. 61.

Consequenter quæritur de gratiæ plenitudine, quæ in Beata Virgine fuit, & primò quæritur de ratione nominum: postea de diuersitate, & significatione rerum signatarum: videtur ergo, quòd melius gloria, quã gratia plena dicatur. Cùm gloria sit perfectior gratia, & perfectio gratiæ secundum quod dicitur in Isai. *Igniculus est in Sion, & caminus in Ierusalem*, & illud, *qui minor est in Regno cœlorum, maior est Ioanne Baptista*: ergo in perfectissima salutatione debuit poni, quæ persectionem maximè importaret. Item gratia commune est ad gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam, & neutram quantum est de se deteriat; sed hoc quod dico, Spiritus Sanctus semper dicit gratiam gratum facientem, & illam in nobilissimo esse, scilicet, secundum quod est in Spiritu Sancto, & à Spiritu Sancto: ergo potius debebat dici plena Spiritu Sancto, quàm gratia plena.

Esai. 31 *Luc.* 7.

Ad hoc dicimus, quòd hoc annuntiatur Beatæ Virgini plenitudo gratię, quæ est origo, & medium, & causa omnis gratiæ in humanum genus transferendo, & secũdum statum viæ, & secundum statum patriæ. Vnde Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei; in me generatio omnis vitæ, & veritatis, in me spes vitæ, & virtutis: transite ad me omnes, &c.* Item quoniam omnium bonorum mater est. Initium ergo beatitudinis figuratur per gratiã, consummatio per gloriam: ergo cùm hic annuntiatur initium beatitudinis: potiùs ponitur gratia, quàm gloria. Item Spiritus Sanctus tantùm, nominat tantùm gratiam spiritualem. Gratia autem commune est ad gratiam corporalem, & spiritualẽ: vnde cum ista plenitudo, sicut patebit inferiùs, contineat gratias spirituales, & corporales, plus dicitur gratia plena, quàm Spiritu Sancto plena.

Eccl. 24

De differentia istius plenitudinis.
CAP. 62.

Post hoc quæritur de differentia plenitudinis istius, ad alias plenitudines in Scriptura inuentas, vbi ab omnibus istis plenitudinibus, propriam istam plenitudinem separauit.

In qua differat à plenitudine Christi.
CAP. 63.

Quæritur ergo, in quo differat à plenitudine Christi, de qua loquitur Ioan. 1. *Plenũ gratiæ, & veritatis*, si enim gratia respicit perfectionem, affert & veritas perfectionẽ. Istæ enim duæ perfectiones æqualiter currũt in statu viæ, & in statu patriæ. Quantò enim

Ioan. 1.

A quis plùs credit, tantò plùs diligit, & è conuerso, in statu viæ, vt quantum cognouit, tãtum diligit, & in patria: quia vt dicitur in Apocal. *Latera ciuitatis sunt æqualia*: ergo quicunque est plenus gratia, & veritatis: ergo, &c. ergo cùm Beatissima Virgo sit plena gratia: ergo est plena veritate? ergo plenitudo Beatæ Virginis eadem est cum plenitudine Redemptoris? Quòd non concedatur. Contra hoc est, quòd Christus accepit Spiritum Sanctum. Pater enim diligit Filium, nõ ad mensuram, Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Sãctum.* Patet enim *diligit Filium, & omnia in manibus eius dedit*, Beatissimæ autem Virginis est gratia B mensurata, cùm sit creata: Deus enim omnia creauit in numero, pondere, & mensura sapientiæ.

Ioan. 3.

De plenitudine Apostolorum.
CAP. 64.

Post hoc quæritur de plenitudine, de qua legitur in Actibus Apost. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine, &c.* Item *repleti sunt omnes*, obijcitur ergo in hunc modum. Quid quid enim duobus est plenum sic se habentibus, quòd quantitas vnius non expellit præsentiã alterius, nobiliori, ac perfectiori modo est plenum, quàm illud quod est plenum altero tamen bonorum illorum; sed gratia, C & fortitudo est duplex bonũ, vel duo bona sic se habentia, quod pœnitentia vnius non expellit pœnitentiam alterius; & quantitas vnius, non diminuit quãtitatem alterius. Ergo nobiliori, & perfectiori modo est plenũ, & ita nobilior Sancti Stephani plenitudo videtur, quàm illa, quę Beatissimæ Virgini appropriatur? Contra hoc obijcitur in hunc modũ. Nihil melius, vel nobilius gratia potuit excogitari: ergo quidquid est à gratia diuersum, minus est nobile, quã illa: ergo aut fortitudo, aut similia adiecta gratiæ dicunt aliquid diuersum à gratia, aut non: si non; ergo superfluæ adducuntur: si sic; tunc omne diuersum à gratia est non gratia: & omnis D nõ gratia minus nobilis est, quàm gratia: ergo omne plenum gratia, illud est plenũ gratia, & non gratia; sed in quantum est plenum non gratia, in tantum est vacuum gratia: ergo perfectiùs plenum est plenum, quàm plenum gratia, & non gratia. Exemplum huius patet in vase, quod meliori repletione plenũ est, quod plenum est auro, quã quod est plenum auro, & argento: & sic patet, quòd nobilior est plenitudo, quæ hoc signat, cũ hic dicitur, *Aue gratia plena*, quàm illa, de qua dicitur, *Plenus gratia, & fortitudine:* & similia.

Act. Apost. 6.

Luc. 1. *Acto.* 6.

Quare non plena Spiritu Sancto.
CAP. 65.

Post hoc dicimus, quòd plenitudo dicitur

tripliciter. Est enim plenitudo gratiæ datiua tantùm & effluxiua, & nõ receptiua: alia est receptiua sine mensura, & effluxiua: alia est plenitudo receptiua cum mensura, & effluxiua. Prima est plenitudo æterna, & soli Deo conuenit, & illa sub figura describitur.

Esth. 15 *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatũ est cor meũ, præ timore gloriæ tuæ.* Valdè *enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratia.* Secũda plenitudo cõuenit creaturis, & præcipitatur ex parte, postquam venit plenitudo temporis, & tempus plenitudinis, & triplicem nobis plenitudinẽ adduxit: quarum prima, propriè est Beatissimæ Virginis, Luc. 1. *Aue gratia plena*, Ioan. *Luc.* 1. *Ioan.* 1. 1. *Plenũ gratia, & veritate, &c.* Quod propriè est Christi hominis. Tertia cõmunis omnibus Sãctis, & de ea legitur in diuersis locis.

Acto. 6. Act. 6. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine.* Itẽ *Tabitha plena operib⁹ bonis, & eleemosynis*, & similia. Prima istarũ plenitudinũ est plena gratiæ. Secũda plena gratiæ, & veritate. Tertia fidei plena, & dilectionis operãtis. Prima gratia replet vẽtrem, & mentẽ. Secũda affectũ, & intellectũ. Tertia replet interius mẽtem, & effluit, exterius per operationem Beatissima Virgo plenissima mente, & quia plenitudinẽ gratiæ habuit in mẽte: habuit cognitionem omnium, & plenã diuinitatis cognitionem, per speciem. Christus autem plenus fuit gratia, & veritate: quia ille homo habuit omnia per gratiam, quæ Deus habuit per naturam; sed propterea nulla gratia in eo fuit diminuta, vel otiosa, vel aliquid habuit contrarium; sed hoc fuit gratia vnionis; & plenus fuit veritate quantùm ad

Isidor. cognitionem. Vnde Isidor. *Trinitas sibi soli vnita est, & homini assumpto plenus*: ergo gratiam secundùm humanitatem, qua prius nihil habuit meriti plenus veritate, secundum diuinitatem, in qua nihil fuit vani, vel

Colos. 2. falsi; in ipso erant *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi:* & hoc est plenitudo veritatis, & in illo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & est gratiæ plenitudo propria Christi hominis. Plenitudo sanctorum est fidei, & operum: aliàs enim mala esset copulatio inter fortitudinem, & gratiam, & inter bona opera, & eleemosynam. Nam hoc, quod est operibus bonis supponeret pro omnibus bonis interioribus, per charitatem, eleemosyna exterioribus bonis, per fidem operantem, per dilectionem: sic ergo dicuntur istæ plenitudines secundùm substantialiter, & originaliter. Est enim prima istarum plenitudinum, quasi fontis plenitudo. Secunda, quasi plenitudo fluminis. Tertia, quasi plenitudo riui à flumine descendẽtis. De prima dicitur in Esther: *Fons paruus creuit in flumen maximum*, quando scilicet genuit Dominum nostrum IESVM Chri-

Esth. 10

A stum, qui dixit in Ecclesiast. *Ego quasi aqua ductus egressus sum de Paradiso Dei*, & ab isto flumine descendit plenitudo sanctorum, quasi quidam riuus, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Prima istarum priuat vacuitatem. Secunda negat particularitatem. Tertia importat redundationem. Plenitudo Beatissimæ Virginis priuat vacuitatem. Quandiù enim vas potest recipere aliquid, tandiù habet aliquid de vacuitate; vnde omnis creatura alia habet aliquid de vacuitate, quia maiorem gratiam possibile recipere. Ipsa autem sola gratia plena, quia maiorem gratiam non potuit habere. Nisi enim diuinitati vniretur, maior gratia non potuit intelligi, quàm quòd esset Mater Dei; vnde

B benè legimus in Actibus Apost. *Stephanum plenum gratia, & fortitudine*, & Apostolos fuisse repletos Spiritu Sancto; sed longè dissimiliter à MARIA, alioquin nec in illa plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in MARIA, nec illi concesserunt de Spiritu Sancto, quo modo MARIA, & sic plenitudo Beatissimæ Virginis priuat vacuitatem. Plenitudo Christi priuat particularitatem: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum secundũ Gloss. Non particulariter, neque per subdiuisiones; sed vniuersaliter, & generaliter plenitudo sanctorum, quę communis est, importat redundãtiam: replet enim animam interius, & effluit per operationem exterius, & hæc ef-

C fluxio est duplex: quædam enim de interiori perfectione gratiæ effluunt ad exteriorem operationem ad sui ipsius salutationem, & aliorum, per exempla ædificationem: & hæc est communis omnibus Sanctis habentibus tempus operandi, & hæc plenitudo sufficientiæ appellatur, ad quam omnes tenentur. Alij autem effluunt, non tamen per operationem in sui, & aliorum salutationem; sed in doctrinam salutarem, & Ecclesiæ totius ædificationem. De prima istarum effluxionum dicitur: *Tabitha plena operibus bonis, & eleemosynis, &c.* & hæc vltima est duplex: quidam enim effluunt per bonam operationem, & instructionem: quidam super hoc, & sui effusionem per animæ pro fide positionem. Prima est communis omnibus Doctoribus. Secunda Doctoribus, & Martyribus. Ad istam duplicem, tamen Prælati ex officio tenentur, & potest hæc appellari plenitudo excellentiæ, in qua Prælati subditos suos excellere debent, & de vltima istarum dicitur: *Stephanus autẽ plenus gratia, & fortitudine*, plenus, inquam, gratia ad peccatores cõuertendos: fortitudine ad possessionẽ sustinendã. De omnibus plenitudinibus istis, Ecclesiast. 1. *Ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterùm fluant:* & locus istarum plenitudinum est abyssus dignita-

Acto. 9.

D

Acto. 6.

Eccl. 24

Acto. 6.

Eccl. 1.

tis,

tis, vnde exeunt fluminа omnia, per gratiam effundentem, & redeunt per gratiarum actionem, vt iterum fluant per gratiarum actionem, & multiplicationem.

De gratiæ plenitudine.
CAP. 66.

Post hoc quæritur specialiter de gratiæ plenitudine, quæ fuit in Beatissima Virgine; quid intelligatur per istã plenitudinem, aut enim vniuersaliter dicitur *Gratia plena*, vel quia maior gratia non fuit, vel quia maioris gratiæ capax nõ fuit, vel quia summam gratiam habuit. Constat, quòd nec summã, nec omnem gratiam habuit: quia gratiam visionis non habuit, quæ in numero gratiarum summa fuit, & per illud patet, quòd maior fuit gratia. Videtur autem, quòd *Plena gratia* dicitur, quia maioris gratiæ capax non fuit; sed hoc videtur falsum: quia in sua glorificatione maiorem gratiam accepit. Quæritur autem vtrum per hoc, quòd tamen supponat *Gratia plena*, pro omni gratia, cuius pura creatura capax fuit, & videtur, quòd non, quia cum sensus indefinitè sumitur ex indefinita, vniuersalis non infertur, quòd si concedatur. Contra Eccles. 24. *In me omnis gratia vitæ, & virtutis*, etiam hoc interpretatur Ecclesia de Beata Virgine, quæ fuit omni gratia plena. Prima indefinita *in*, in Arte Logica vniuersali intelligenda. Item beneficia principum largissime sunt interpretanda: ergo cùm Dominus in priuilegio suo, per Angelum transmisso appellet gratia plena, nullam gratiam specificando est pro omnibus vniuersaliter interpretandum. Præterea Deus influit suam bonitatem vnicuique secundum bonitatem, & virtutem, & capacitatem. Vt patet in Euang. *& tradidit illis sua bona, &c.* ergo quæcunque creatura est capax omnis gratiæ, cuius capax est pura creatura, illa erit plena omni gratia, cuius capax est pura creatura. Talis autem creatura fuit Beata Virgo: ergo ipsa est plena omni gratia, cuius particeps potest esse pura creatura.

Eccl. 24 — *Mat.* 25

De contentis in hac plenitudine, & primo de baptismo.
CAP. 67.

Quæramus ergo, per ordinem de vniuersitate gratiarum, in hac plenitudine contentarum. Primò ergo quæritur de gratijs Sacramentalibus. Vtrũm tantum in hac plenitudine cõtineretur, de primo & de prima, scilicet de gratia baptismali. Itẽ quæritur, vtrũ Beata Virgo fuerit baptizata, & videtur, quòd sic: omne, quòd habet aliquid cõferens gratiam, quidquid habet esse aliquod conferens gratiam, plenius est gratia, quàm illud, A quòd habet esse, non conferens gratiam; sed Beatissima Virgo fuit plena gratia: ergo habuit aliquid esse conferens gratiam. Ite præceptum de baptismo post promulgationem obligat omnes ad sui susceptionem: ergo & Beatam Virginem. Item Dominus baptizatus fuit, quamuis non indigeret: ergo Beata Virgo debuit baptizari. Item Ioan. 3. *Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit, &c.* Sed Beata Virgo regnũ Dei intrauit: ergo baptizata fuit. Item si non baptizaretur, ignari suæ sanctificationis scandalizarentur; sed nõ scandalizauit, ergo baptizata fuit. Itẽ legalia seruauit: sic purificationem mulierum; ergo, & Euangelica seruauit. Item Dominus dixit B Ioanni: *Sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam*, Glossa: *id est: perfectam humilitatem*: ergo propter eandem causam debuit baptizari Beata Virgo. Item de Apostolis supponitur, quòd fuerunt baptizati per illud Ioan. 13. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*: ergo multo fortiùs debet illud supponi de Beata Virgine, quæ fuit perfectissima obseruatrix cõsiliorum, & præceptorum. Item si non esset baptizata, nõ haberet characterẽ, per que distingueretur à gentibus, & Iudæis. Iuxta hoc quæritur, vtrum fuerit baptizata baptismo Ioan. & videtur quod sic. Cùm enim humillima fuit, nullum gradum humilitatis prætermisit. Si concedatur, obijcitur in hunc modum per contra- C rium. Sapientis est, nihil frustra facere; sed frustra accipit medicinam, quę non indiget; sed baptismus est medicina contra originale instituta, à quo fuit Beatissima Virgo in vtero sanctificata: ergo baptizari non indiguit: ergo videtur, quòd baptizata nõ fuerit. Item ficti sunt, sicut dixit Augustinus, qui Sacramentũ, & non rẽ sacri accipiunt. Sed si Beata Virgo baptizaretur, non reciperet rem sacri. Ideſt gratiam, qua prius esset plena: ergo esset ficta. Hoc autem est falsum. *Sanctus enim spiritus disciplinæ effugiet fictũ*. Sapient. 1. Itẽ de Domino legitur, quòd fuit baptizatus: ergo de Beata Virgine, si fuisset baptizata, D legeretur. Item quia fuit purificata, agitur eius festum purificationis. Similiter, si baptizata esset, ageretur, & eius festum baptismatis. Item diuina operatio, nõ procedit à perfecto ad imperfectũ, sed ècõuerso. Sed maior perfectio est in vtero sanctificatorum, quàm baptizatorum: ergo in vtero sanctificati, nõ debẽt baptizari. Item si nihil accipit Dominus à baptismo; contulit tamen vim regenerationem aquis contactu suæ carnis. Sed Beatissima Virgo, si nihil reciperet à baptismo, nec conferret baptismo, frustra susciperet baptismum; quæritur ergo, si fuit baptizata, quare non sit scriptum, cùm tantum, & tam solemne factum multum ordinaretur ad ædificationem fidelium.

Ioan. 3 — *Mat.* 15 — *Ioan.* 13 — *Sap.* 1

De Confirmatione.

CAP. 68.

Post hoc quæritur de confirmatione, vtrũ Beata Virgo fuerit confirmata. Videtur autem, quòd potius debeat confirmari, quàm baptizari: quia confirmatio est Sacramentum maiori reuerentia tenendum: vnde Rabanus, *Scitote, vtrumque magnum esse Sacramentum; sed vnum maiori reuerentia tenendum, sicut à maioribus datur.* Item beata Virgo fuit plenè Christiana; sed hoc fit per Sacramentum Confirmationis: ergo fuit confirmata. Media patet per Rabanum, qui dicit, omnes fideles, per manuum Episcoporum impositiones post baptismum debent accipere Spiritum Sanctum, vt plenè inueniantur Christiani. Si concedatur, contra Dominus, non legitur confirmatus: ergo Beata Virgo, non debuit confirmari, cùm in omnibus esset illius imitatrix. Item Dominus, qui solus potuit ei legem dedisse, non legitur hoc Sacramentum instituisse: ergo nec ipsa tenebatur hoc Sacramentum recipere. Item Rabanus: *A Summo Sacerdote per manus impositionem paraclitus traditur baptizato, vt roboretur per Spiritum Sanctum ad prædicãdum, si necesse fuerit alijs, quòd ipse cõsecutus est in baptismo.* Sed Beatissima Virgo ad nullius manus impositionem paraclitum recepit, nec robore spiritus indiguit, quæ plenitudinem habuit, & etiam prædicare nõ debuit: ergo confirmanda non fuit de Sacramento Altaris. Similiter quæritur de Sacramento Altaris, vtrùm Beatissima Virgo sub Sacramento illo corpus Domini, cum receperit, similiter, & gratiam, quæ per illud confertur Sacramentum, & videtur, quòd sic Dominus in Ioan. 6. cap. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* ergo omnes fideles in Ecclesia tempore determinato, ab Ecclesia tenentur communicare, ne scandalicent; sed non scandalizant: ergo communicauit. Item hoc est Sacramẽtum amoris: ergo ipsum maximè debuit suscipere, quæ fuit summa in amore. Quòd si concedatur contra hoc Sacramentum propter tria institutum, est propter charitatis augmẽtum, in remissionem venialium, & in cautelam mortalium, & vt signum passionis rememoretur; sed propter nullum istorum debuit Beata Virgo communicare. Augmento enim charitatis, non indiguit, quia plena charitate fuit. Remissione non indiguit, vel cautela; quia nunquam peccauit, nec peccare potuit: signo sensibili passionis rememoratio, nõ indiguit, qui Christi formis secundùm sensum, & Deiformis secundùm intellectum fuit. Item dici non poterit, quòd propter humiliationem, illud Sacramentum susceperit. Cùm non sit humiliatio Dominum in cibum recipere; sed magis immensa dignatio sua, quòd ipse dignatur seipso nos cibare; & ita videtur, quòd Beata Virgo, nec ratione humilitatis, nec vtilitatis debuit accipere Eucharistiam.

Raban. *Idem.* *Ioan. 6.*

De Pœnitentia.

CAP. 69.

Post hoc quæritur de Sacramento Pœnitentiæ, vtrùm per illud aliquam gratiam recepit, & videtur quòd non: quia pœnitentia est secunda tabula post naufragium: quia si quis vestem innocentiæ in Baptismo præceptam peccando corrumpit, per pœnitentiam reparare poterit; sed Beata Virgo nũquam fuit contrita; sed sine contritione non est gratia per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo Beata Virgo non recepit gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ. Item confessio est ficta, sine contritione. Hæc non fuit contrita: ergo nec confessa. Item vtrumque est de peccato. Hic autem nullum peccatum: ergo nec confessio, nec contritio, nec pœnitentia. Contra confessio fuit in lege noua, & veteri: ergo omnes tenebantur confiteri. Item Beata Virgo fecit confessionem operis, seruando purificationem, & offerendo oblationem statutam purificandis: ergo debuit facere confessionem oris. Item Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, Glossa: *Prima virtus est, per pœnitentiam veterem hominem perimere.* Item alia gloss. *Pœnitentia prima virtus.* Sed Beatissima Virgo habuit omnem virtutem: ergo & pœnitentiam. Item non obstat, quòd non habuit peccatum, quia dicit Gregorius: *Bonarum mentium est culpam cognoscere, vbi culpa non est:* ergo poterat confiteri.

Matt. 3 *Gregor.*

Quis Confessor.

CAP. 70.

Quæritur ergo, quis fuerit confessor, & videtur, quòd fuerit Beatus Petrus. Quòd ordo est inter confitentes, & confitentes; & confessores, & confessores: ergo cùm Beata Virgo fuerit suprema confitens: debuit cõfiteri supremo confessori, & digniſsimo, hic autem est Papa: ergo debuit confiteri Beato Petro, qui fuit Papa. Sed contra. Superior Prælatus non debuit se intromittere de administratione sui inferioris, vtpotè Metropolitanus sui suffraganei, nisi in determinatis Canonibus: ergo cùm Beata Virgo esset spiritualiter Beato Ioanni commissa, ab ipso debuit recipere Sacramenta.

Si habuit Ordines.

CAP. 71.

Post hæc quæritur de Sacramento ordinum,

num, vtrùm ista Beatissimæ Virginis gratiæ plenitudo comprehendat, & illam gratiam, quę confertur sub ordinum Sacramento; & videtur, quòd sic. Ordo enim est ad multiplcationem fidelium spiritualem: sed multiplatio spiritualis pertinet ad matrem spiritualem. Beata autem Virgo est mater spiritualis omnium fidelium: ergo ipsa debuit habere ordinum Sacramentum. Item penes ordines distinguũtur in Ecclesia dignitates, vt patet in Papa, Archiepiscopis, & Episcopis. Sed Beatissima Virgo in Ecclesia supremam continet dignitatem: ergo & supremum habet ordinem. Item Ecclesiastica Hierarchia, est ad exemplar cœlestis Hierarchiæ formata. Sed in cœlesti Hierarchia, vt dicit Dion. *Omnes superiores habent proprietates inferiorum, & excellentius:* ergo in Ecclesiastica Hierarchia fuit suprema, & dignissima persona. Hæc autem debuit esse Beatissima Virgo: ergo habebit dignitates, & proprietates inferiorum, & sic habebit omnes ordines. Item character ordinum, est character excellentiæ; ergo potissimè inerit ei, quæ omnes creaturas excellit dignitatem. Item Apost. ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; sed Beatissima Virgo, nulli potestati humanæ tenebatur subdita esse:* ergo suprema fuit ordine, & dignitate. Item cui inest magis, & minus, poterit inesse. Sed magis est, quòd per alicuius consensum, & verbum de carne propria formetur corpus Dominicum: quàm quòd per eius mysterium panis transformetur in ipsum corpus. Primum enim facit esse Matrem Dei. Secundum autem, ministrum Christi. Sed primum in Beatissima Virgine factum fuit: ergo & secundum fieri potuit. Item si mulieribus pro maledicto impositum fuit. Quòd non sint susceptiuæ Sacrorum Ordinum: ab hoc maledicto immunis esse debuit: quæ ab his mulieribus excepta fuit, eo quòd sola inter mulieres benedicta fuit: ergo si mulieres non deberent ordinari. Hæc tamen debuit, quæ omnibus principium vitæ fuit. Item quæcunque causa generalis in alijs mulieribus extitit: Beatam Virginem non includit, quæ non de numero omnium fuit, super omnes fuit, iuxta illud Esther 15. *Quid habes Esther, ego sum frater tuus.* Et infra. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est,* quasi diceret: Tu non es de omnibus, sed super omnes. Iuxta hoc quæritur, quare mulieres ad Sacros Ordines non promoueantur. Si dicitur, quòd hoc est propter originẽ culpæ, per Euã transmissæ: non videtur, quòd hoc stare possit. Quia pro illa culpa Beata Virgo satisfecit: ergo non consurget duplex tribulatio: & Deus vis in id ipsum non iudicabit. Si autem dicitur, quòd sit propter sexus indignitatem, vel naturæ: hoc non potest esse; quia maior est indignitas culpæ, quàm naturæ: & tamen peccatum mortale non impedit, quin possit vir, licet non debeat in peccato mortali promoueri. Item si hoc esset propter sexus inferioritatem; per hoc etiam, mulieres non deberent communicare, cùm maius sit hoc Sacramentum recipere, quàm dare alij. Item quæritur, cùm Dominus nusquam videatur prohibere mulieres à Sacramento ordinũ, qualiter hoc Ecclesia per se ausa fuit inuenire: quòd autem Beatissima Virgo, non debuit aliquos ordines habere, probatur hoc modo. Quando Dominus in cœna corpus discipulis dedit, & potestatem conficiendi contulit; non exprimitur, quòd aliquibus, nisi discipulis dedit; sed in talibus, quòd inuenitur vni concessum, alijs est prohibitum: ergo tamen discipulis, & eorum successoribus est collata potestas conficiendi. Item quando dixit Dominus, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Petrus pro omnibus respondit, & Dominus in Petro omnibus respondens, potestatem ligandi, & soluendi contulit: ergo potestas ordinis est tãtùm in Apostolis, & eorum successoribus. Quòd ergo mulieres non recipiãt ordinem, est impediente sexu, & constitutione Ecclesiæ. Item Beatissima Virgo modò est super omnes ordines Angelorum in Ecclesia triũphante: ergo hæc erat super omnes in Ecclesia militante. Item omnes ordines Ecclesiæ sunt in ministerium. Vnde etiam pastores nominantur, quibus dicitur per Prophetam, Hierem. 1. *Constitui te super gentes, & regna.* Beata Virgo, non est assumpta à Domino in ministerium; sed in consortium, & coadiutorium, iuxta illud. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Sed si sic est, non ipsa debuit habere aliquẽ ordinẽ. Summus enim in ordine Ecclesiæ Papa, est Vicarius IESV Christi: Beata autem Virgo, non est Vicaria; sed coadiutrix, & socia, particeps in regno, quæ fuit particeps passionis pro genere humano: quando omnibus ministris fugientibus, & discipulis sola sub cruce perstitit, & vulnera qua filius corpore, mater corde suscepit. Vnde & tunc gladius ipsius animam pertransiuit.

Dion. — *Rom.* 13 — *Esth.* 15 — *Mat.* 16 — *Hier.* 1

De Extrema Vnctione.

CAP. 72.

VLtimo quæritur de Extrema Vnctione, vtrùm ipsius gratia contineatur in hac plenitudine: & videtur quod sic, Iac. 11. *Si quis totam legem seruauerit, offenderit autem in vno, factus est omniũ reus:* ergo qui tenetur ad legem, tenetur ad totã legem. Vnus enim apes de lege nõ peribit. Sed Beatissima Virgo tenebatur ad legem: ergo ad totam legem,

Iac. 2

gem? Sed extrema vnctio fuit de lege à Domino instituta, & ab Ecclesia. Vnde in Matthæi, quòd Apostoli circuibant Castella oleo curantes infirmos; ergo Beatissima Virgo tenebatur ad extremam vnctionem. Item scandalizassiet, si non suscepissiet Ecclesiæ Sacramenta. Item si alia propter humilitatem suscepit; & illud suscipere debuit. Sed contra *Matth.* *Mat. 9.* Matth. 9. dicitur: *Nō est opus valētibus medicus, sed malè habentibus.* Ergo medicina curatiua perditur, quæ sanis confertur. Ergo & Apostoli animarum medici, si medicinam suam Dominæ nostræ contulerunt. Item secundùm generalem consuetudinem paruuli non invnguntur. Ergo multo minus Beata Virgo, quæ sanctior, & sanior est omni paruulo. Item Ioan. 5. *Infirmatur autem quis ex vobis, &c.* Ergo illud Sacramentū, non confertur nisi infirmantibus. Sed Beatissima Virgo per infirmitatem non fuit mortua. Ergo non fuit invngenda. Quod autem sine dolore mortua fuit. Patet per id quod legitur de Ioanne Euangelista, quòd descendit in defossum sepulturæ suæ locum, & facta oratione positus est ad patres suos, tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis alienus. Sed hoc collatum fuit Ioanni ratione virginitatis. Multò autem fortius Beatissimæ Virgini, cum ipsa (vt dicit Damas.) à nullo illustrium superetur. Item Beatissima Virgo peccassiet, si ore cum intentione dixissiet, peccauit. Quia falsum dixissiet: sed plus est dicere opere, quàm ore: sed si extremam vnctionem accepissiet, dixissiet opere peccaui: ergo falsum dixissiet: ergo extremam vnvnctionem non accepit. Solutio ad prædicta. Soluitur, quòd obijcitur de ratione plenitudinis, donec omnia, hanc plenitudinem intrantia prosequamur: differemus. Ad illud quod obiectum est de gratijs Sacramentalibus, respondemus. Quòd Beatissima Virgo omnia tunc Ecclesiæ Sacramenta suscepit, quæ tempore suo fuerunt omnibus hominibus generaliter instituta, & promulgata, omnibus obseruanda. Et hoc multiplici de causa. Primò igitur ad sui ipsius humiliationem. Secundò, propter scandali euitationem. Tertiò, propter præcepti impletionem. Quartò, propter meritorum supererogationem. Quintò, propter hæresum confutationem: illa scilicet, quæ non ipsam hominem, sed Angelum asserebant. Sextò, ad perfectorum instructionem: vt qui est Sanctus, sanctificatur adhuc. Septimò, ad peccatorum redargutionem: Possunt etiam istę causæ reduci ad tres causas; propter quas Sacramenta dicuntur in IV. libro Sententiarum instituta: videlicet ad humiliationem, ad eruditionem, ad exercitationem. Quare autem de ista Sacramentorum susceptione à Beatissima Virgine nihil inuenitur expressum. Hoc quoque sine

A causa non credimus esse factum. Est autem prima causa. Vt per hoc fidelium deuotio exercitetur, iuxta illud Eccles. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, &c.* Et infra. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccl. 24 Secunda, vt nostra vanagloriatio reprimatur, nostra bona opera pro magno computando. Plura enim opera excellentissimi meriti à Beatissima Virgine facta: imò, & ab ipso Domino vsque ad annum trigesimum impleta; credimus quæ Scriptura, quasi nihil estimans, prętermisit subticendo, quasi tacendo, dicat nobis Scriptura illud Luc. 17. *Cum omnia bene feceritis, quæ precipio vobis. Dicite serui inutiles sumus. Et noli tuba ante te canere: quia* Luc. 17. B *non respondebis ei vnum pro mille.* Tertia causa est, quòd Dominus, & domina suas secretas habitudines per se sibi notas noluerunt manifestare, iuxta illud Prouer. 27. *Sileat os tuum, laudet te alienum.* Vnde quæ in Pro. 27. præsentia discipulorum, vel populorum fecerunt, scripta sunt ad nostram ædificationem: vt & nos similiter faciamus, vt glorificetur Pater noster qui in cœlis est. Ea autem qua Apostolis, vel alijs ignorantibus gesta sunt, tacuerunt. Et hoc quoque pro nostra doctrina, *vt nesciat sinistra, quid faciat dextera tua.* Quia vt dicit Gregor. *Studium cœ-* Gregor. *lestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hic ab humanis laudibus non* C *custodit. Vnde prædari desiderat, qui thesaurum publicè in manu portat.* Vnde Bernar. Bernar. *Increpat Christi natiuitas se laudantes, & se ostentare cupientes.* Vnde idem. *Nocte voluit Christus nasci: Vbi sunt, qui tam imprudenter gestiunt ostentare semetipsos. Denique tacet Christus, & nunciat Angelus. Laudat multitudo cœlestis exercitus. Sileat os tuum, laudet te alienum.* Quarta causa potest esse. Quod Dominus circa nos quædā vult dubitare inuia, vt mētes nostros alliciat ad concupiscendum perfectam cognitionem in patria. Vnde Exod. 12. *Non remanebit ex eo quic-* Exo. 12. *quam residuum, sed igni combures.* Glos. Gregorij. *Quod ex agno remanet, igni comburi-* D *mus: vt quod de mysterio eius incarnationis penetrare, vel intelligere non possumus, potestati Sancti Spiritus humiliter reseruamus: vt non quis superbè audeat, vel contemnere, vel denunciare, quod non intelligat: sed igni tradat. Id est, Spiritui Sancto relinquatur. Videlicet, donec omnia in futuro quælibet, in quo cognitus sit, & cognoscat; nec tamen interim nostra deuotio sine exercitatione torpescat. Secundum id quod præcedit ibidem. Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis. Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane.* Glos. Gregorij. *Caput agni vocari est diuinitatem illius fide percipere. Pedes vorare, est vestigia humanitatis, amando, & imitando tenere. Vorare intestina est verborum Christi occul-*

occulta, & mystica mandata perquirere. Quæ voramus, cùm auide sumus. In orationis autem verbo pigritia nostra reprehenditur, qui verba eius, atque mysteria, nec per nos ipsos requirimus, & dicta ab alijs inuiti audimus. Nõ remanebit ex eo quicquam vsque mane: quia eius dicta magna sunt exequtienda solicitudine: vt antequam veniat dies resurrectionis, in nocte præsentis vitæ omnia mandata eius intelligenda penetremus. Quinta potest esse, quia sicut Beatus Augustinus de Beata Virgine vnam ponit regulã, vt vbicumque de peccatis agitur, de ea nolit fieri quæstionẽ: ita & pro regula, & pro principio per se noto de ipsa supponatur in bono, quidquid boni aliqua natura pura fecerit, vel receperit; de hoc expers esse, non liceat dubitari, cùm sicut Damascen. dicit:

Damas. *A nullo illustrium superetur.* Sexta causa est, quòd sicut nihil diminutum, ita nihil superfluum in Sacra Scriptura ponitur: quia vt dicit Philosophus, qui vnum dicit, quodam modo plura dicit. Vnde dico, & pro constanti teneo: quòd si Apostoli, & alij Sancti receperũt gratias Sacramentales; superfluũ esset hoc addere de ipsa, quę gratia plena fuit.

Bern. Vnde Bernard. *Si enim nec folium de arbore, nec vnus de passeribus cadit super terram sine Patre cœlesti potestate, ergo de ore Euangelistæ superfluum defluere verbum; præsertim in sacra historia non puto. Omnia quippè plena sunt supernis mysterijs, ac cœlesti singula dulcedine redundantia: si tamen diligẽtem habeant inspectorem, eius qui nouit sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo.* His ergo rationibus Beatissima Vigo Sacramentorum humilẽ susceptionem, & in se habere voluit, & tacere: vt dũ se magis omnibus in omnibus humiliaret, & ipsam sui humilitatem, quantum in se erat, modis omnibus occultaret, sicut humilitate perfecta, ita omni gratia plena: eam etiam tacendo tota Scriptura proclamaret. Ad obiecta de singulis Sacramentis per ordinem concedimus, eam omnium Sacramentorum gratias, vel in se ipsis, vel in equipollenti excellenter susceпisse. Suscepit ergo per baptismũ characteris impressionẽ; virtutum exercitationem, meritorum augmentationem. Quare autem non agatur festum eius baptismatis, sicut Purificationis, vna ratio potest esse: quia baptismus eius celebratus fuit in secreto: oblatio autem post purificationem in manifesto. Alia ratio quare baptismatis non celebratur festum; quia per se, & principaliter datus est in medicinam peccatorum. Nec obstat, quòd Ecclesia baptismum Domini solemnizat: quia sua baptizatio baptismi nostri fuit consecratio. Nostra autem ad gratiam, & gloriam regeneratio. Beatissima autem Virgo ad baptisma accedens, ficta non fuit: quia eo quod habere debuit, non caruit; sed abundauit peccati detestatione, & fidei perfectione, quæ requiruntur in accedente. Alia de baptismo obiecta soluta sunt per prædicta. Vnde eodem modo respondendum est de Sacramento Cõfirmationis, in quo recepit alterius characteris impressionem ampliorem, meritorum augmentationẽ, perfectionem, virtutum exercitationem, & declarationem.

Quid recepit à Sacramento Altaris.
CAP. 73.

A Sacramento Altaris recepit Dominicæ passionis rememorationẽ, deuotionis actualis exercitationem. Contra corporalem absentiam filij consolationem. A Sacramento Pœnitentiæ recepit gratiam in excellenti, & æquipollenti. Pro contritione innocẽtiæ cõuersationem. Pro cõfessione gratiarũ actionem. Pro satisfactione supererogationẽ. Itẽ triplex est confessio accusatio peccatorum, recognitio incõgruitatis, vel magnitudinis beneficiorũ; confessio de infusione meritorũ, & hæc fuit propriè Beatissimæ Virginis confessio.

Quid confitebatur.
CAP. 74.

Quid confitebatur Deo. Quòd tantam gratiam recepit, quam nunquam cum condigno meruit, vel quam omnis creatura merere potuerit, licet ipsa de congruo meruerit. Hæc & similia fuit confessa Beato Ioanni Euangelistæ pro suo confessori. Item in extrema vnctione recepit completæ victoriæ præteritæ, & plenè gloriæ futuræ significationem, & loco remissionis venialium totius doloris mortis remissionem. Pro infirmitatis alienatione, totius corporis glorificationẽ, & quòd hoc Sacramentum potuerit Beatissima Virgo non recipere, tanquam exempta per priuilegiũ, quod confert Dominus his, quos sine infirmitate, & mortis dolore dignatus fuerit euocare. Qui, vt videtur non tenentur ad vnctionẽ extremã, cum oleo ad infirmos pro infirmitatibus institutam. Videtur tamẽ verisimile esse, quòd Beatissima Virgo isti priuilegio pro se introducto propter humilitatẽ abrenuntiauerit. Sicut & alia sua priuilegia, dum viueret occultauit: & quòd Sacramentũ istud peccatoribus institutũ humiliter susceрit, vt humilitatem, quã per totã vitã tenuerat egressura cõsummaret. Et dũ in extremo vitę articulo ad conformitatem peccatorũ descenderet, Domino illã exaltante, choros omnes transcenderet Angelorum. In Sacramento matrimonij triplex bonũ habuit Beatissima Virgo. Vnde Aug. *Omne nuptiarum bonum impletum est in parẽtibus Christi fides, proles*

August.

Sa-

Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum: fidem quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum diuortium. Habuit ergo Beatissima Virgo istam gratiam excellétius. Coniugia enim sunt sanctiora pari voto continentium. Vnde Aug. *Enim verò tantò sanctiùs coniuges manebatis: quantò sanctiora concorditer Deo placita seruabatis.* Solum autem Sacramentum ordinis Beatissima Virgo non recepit. Hoc enim secundum exteriorem hominum quandam representationem præfert dignitatem: interiùs autem secundum veritatem humilé pertinet ad seruitutem. Vnde per oppositum statui Beatissimæ Virginis opponebatur: Quæ interius summam habuit coram Deo dignitatem. Exterius summam habuit coram hominibus humilitatem. Et ita hoc Sacramentum non recepit Beata Virgo. Primò propter status sui contrarietatem. Secundò, propter humilem aliarum mulierum conformitatem, quæ ab hoc Sacramento excluduntur propter tria. propter sexus videlicet indignitatem: maiorem peccádi fragilitatem. Et propter eam, quæ ex his sequitur, regiminis incongruitatem. Tertiò, ad designandum status sui eleuationé. Omnes enim dignitates Ecclesiæ sunt introductæ in seruitium, & salutem fidelium animarum. Vnde Dominus in Euangelio Matth. 20. *Reges gentium dominantur eorũ, &c. Vos autem non sic. Sed qui maior est vestrum, &c.* Vnde & omnes pastores nominantur. Vnde Bernar. *Non est, quod blandiatur celsitudo, vbi sollicitudo maior. Illa discrimé intendit. Hæc amicum probat.* Et infra. *Ad quod omnibus modis attẽdendũ! Non enim ad dominandum opinor. Nam, & Propheta, cùm similiter leuaretur, audiuit. Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quid horum fastum sonat. Rusticani magis sudoris stemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multũ sentiamus de nobis: vel nobis impositum sensemus ministerium, nõ dominiũ datum.* Et infra. *Disce exemplo Prophetico præsidere non tàm ad imperitandum, quàm ad facilitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse: non sceptro: vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille nõ regnaturus ascendit, sed extirpaturus.* Et infra. *Antecessores tui Apostoli audierunt: quia messis quidem multa; operarij autẽ pauci. Paternã tibi vendicato hereditatem. Nam si filius, & hæres. Vt probes hæredem, euigila ad curam: & non ocio torpeas, ne & dicatur tibi. Quid hic stas tota die ociosus? Multo minus inueniri oportet, aut delitijs resolutum, aut resupinum pompis. Nihil tibi horum tabulæ testatoris assignant. Sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potiùs hæreditabis, & operam, quàm gloriam, & diuitias. Blanditur cathedra? specula est: inde deniq; superintendis? Sonans tibi nomine nõ dominiũ, sed officium. Quid ni loceris in eminenti: vnde omnia perspectes? Qui speculator super omnia constitueris. Enim verò prospectus iste procinctum parit: non ocium. Quando libet gloriari: vbi ociari non licet? Nec locus est ocio: sedula viget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nunquid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud Vnum scio non est aurum, neque argentũ: cũ ipse dicat. Argentũ, & aurũ non est mihi.* Et infra. *Neque ille tibi dare potuit, quod nõ habuit. Quod habuit: hoc dedit: sollicitudinẽ, vt dixi super Ecclesias. Nũquid dominationẽ. Audi ipsum. Nõ dominantes,* inquit, *in clero, sed forma facti gregis.* Ex his, & similibus patet. Quòd dignitates Ecclesiæ introductę sunt in seruitium, & ministerium: Beatissima autem Virgo assumpta est in salutis auxilium, & regni consortium. Ipsa enim sola ministris fugiẽtibus patienti compassa est. Vnde etiã sola regni cõsortiũ obtinuit: quæ laboris adiutrix fuit iuxta illud. *Faciamus ei adiutorium ad imaginem, & similitudinẽ sibi.* Licet ergo Beatissima Virgo Sacramentũ ordinis nõ receperit: quidquid tamen dignitatis, vel gratiæ in ipsis confertur, de hoc plena fuit. In ipsis enim confertur septiformis gratia: hæc autẽ omnifariam gratia plena fuit. Item tria sunt in Sacramẽto ordinis. Dignitas ministerialis: potestas spiritualis: administratio executionis. Hæc autem tria Beatissima Virgo habuit in se ęquipolléter, & excellẽter. Ministri Ecclesiæ habent dignitaté beneficialem per characterem excellentiæ. Beatissima autẽ Virgo habet coronã regni Ecclesiæ militantis, & Ecclesiæ triumphãtis. Vnde summus ministrorũ Papa, scilicet, appellatur: Et est seruorum Dei seruus. Hæc autẽ est regina, & domina Angelorũ. Ille seruus seruorum Dei: ista Imperatrix totius mũdi. Item in ministris est potestas spiritualis: temporalis delegata à Deo, vel subdelegata, vt vicaria. In ipsa autẽ est plenitudo potestatis cœlestis perpetua ex authoritate ordinaria. Item in ministris est executio ligandi, & soluendi per vsum clauiũ. In ipsa autẽ est dominandi legitima potestas ad ligandum, & soluendum per imperium. Et sic quicquid est dignitatis, & gratiæ in ordinibus in genere: constat Beatæ Virgini minimè defuisse.

Idem.

Mat. 20

Bernar.

De virtutibus. CAP. 75.

Sed ne videatur virtutes, siue dignitates generales habuisse, & spiritualibus caruisse: dicimus, ipsam singulorũ ordinum dignitates, & gratias per ęquipollentiam, & cum excellentia possedisse. Habuit autem cum exorcistis dæmonum expulsionem. Vnde Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum:* & Iudith Holofernem

Genes. 3.

nem interfecit, & Esther vicit Aman. Cùm hostiaris habuit introductionem mũdorum, & exclusionem immundorũ. Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit, & nõ aperietur, princeps ingrèdietur per eam:* quasi dicat, porta hæc Principem, & imitatores suos introduxit, & indignis clausa erit. Habet etiam cũ Acolitis illuminationẽ. Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascẽdit*, & illud Num. 24. *Orietur stella ex Iacob.* Habuit cum sectoribus omniũ prophetiarum expositionem ad literam in se ipsa: Vnde Esai. 7. *Ecce virgo cõcipiet, & pariet*, doctrix est enim disciplinæ Dei. Habet cum Subdiaconis doctrinæ Apostolicæ ostentionem: vnde signatur per arcam, in qua fuerũt Deuteronomius, & Mannà, & diuina Sapiẽtia. Habet cum Diaconis verbi Domini cõseruationem, alijs ad scribẽdum narrationẽ, Consiliorum Domini perfectam impletionẽ: Vnde Luc. 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc.* Habet cum Sacerdotibus Dominici corporis, per se ipsam formationẽ, tractationem, communicationẽ. Hoc est, quòd corpus Domini, cum mediãte eius verbo, & consensu, de carnibus, & sanguinibus ipsius formatum fuit, & ipsum familiarissimè, & diutissimè tractauit, & in cibum, & potum nobis communicauit; & per hoc nos omnes ad iugum suum suaue, & onus leue, charitatẽ scilicet, ligauit, & ab omnibus culpis, & pœnis, non solùm solutos ostendit, sed etiam absoluit. Iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat carnem meam, &c.* Habet cũ Episcopis Clericorum ordinationem, præbendarum collationem, templorum consecrationem, sacrarum Virginum velationem. Ordinat enim Episcopus Sacerdotes per Sacramenti collationem. Beatissima autem Virgo per continentiæ obligationem. Iuxta illud Isai. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Cõfert etiam Episcopus præbendas instituẽdo. Beatissima Virgo præbendas faciendo. Consecrat, & Episcopus templa corporalia, dedicando Beatissima Virgo templa spiritualia, castimoniam inspirando, & sibi illa specialiter vendicando. Consecrat etiam Episcopus virgines exteriùs benedicendo. Beatissima Virgo cõsecrat virgines interiùs virtutibus adornando, & eas filio suo desponsando; & non tantùm virgines, sed virginitatem consecrando. Et nõ quidem opprobrium sterilitatis eis auferendo, & eas sibi specialiter in filias adoptando, & ad statum dignissimum exaltando. Iuxta illud Sapientiæ 6. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Habet autẽ, cum Papa Beatissima Virgo omnium Ecclesiarum solicitudinem, potestatis spiritualis plenitudinem, priuilegiatorum actuum Vniuersitatem, Ecclesiarum solicitudinem, quia Papa est pater patrum: ipsa autem mater omnium Christianorum, imò omnium bonorum, iuxta illud Sapient. 7. *Quoniam omnium bonorum mater est.* Potestatis plenitudinem in vita ista; sed non in cœlo, nec in purgatorio, nec in inferno. Beatissima autẽ Virgo habet potestatem in cœlo, & in purgatorio, & in inferno. Priuilegiatorũ actuũ Vniuersitatem, vt patebit infrà, cùm de priuilegijs eius inquiremus. Et nota quòd cùm Beata Virgo Sacramenta pro peccatoribus instituta humiliter susceperit, nõ propter hoc peccatricem se mẽtiens opere falsum dixit; sed vltra debitum in bonis peccatoribus se conformans se verè opere esse humilem denũtians, per omnia verum dixit: si ergo manifestũ est, quòd quidquid est dignitatis, vel gratiæ in Sacramentis Ecclesiæ plenitudini gratiæ, quæ fuit in Beata Virgine, omnino nihil deesse; sed eam hoc totum, vel in gratijs Sacramentalibus, vel in earum æquipollentibus, vel excellentibus plenariè possedisse.

Ezec. 44 · *Cant.* 3. · *Nu.* 24. · *Esai.* 7. · *Luc.* 2. · *Ioan.* 6. · *Isai.* 52. · *Sap.* 6. · *Sap.* 7.

De Fide.

CAP. 76.

Post hoc quæritur, an secũdum quod gratia est in virtutibus contenta in plenitudine Beatæ Virginis, fides sit cõprehensa, & quęritur primo de gratia fidei: vtrùm Beata Virgo habuerit fidem? & videtur, quòd non: latera enim ciuitatis sunt æqualia, & vnusquisque quantam habet fidem, tantam habet dilectionem, & econuerso; & hoc semper, & vbique; sed Beatissima Virgo tantam habuit dilectionem, quæ erat super omnem dilectionem in via: ergo & tantam habuit cognitionem, quæ erat super omnem cognitionem, quam nunquam habuit aliqua creatura: ergo recognitio Beatissimæ Virginis in via fuit excellentior cognitione raptus, quæ est creaturæ existentis in via. Sed cognitio raptus excellit fidem, & non est secundùm modum fidei: ergo nõ habuit fidem. Item & ad Corinth. 12. *Raptus vsque ad tertiũ cœlum*, super hoc dicit Gloss. Quòd Paulus vidit in raptu, sicut qui sunt in tertia Hierarchia: ergo Beatissima Virgo, similiter vidit, & excellẽtiùs. Sed illi, qui de tertia Hierarchia sunt, non vident per fidẽ: ergo nec Beatissima Virgo habuit fidem. Item munditia cordis est dispositio ad videndũ Deum. Iuxta illud Matth. 5. *Beati mundo corde, &c.* ergo vbi maior munditia, ibi maior visio; sed nulla creatura, nunquam habuit puritatem, quãtam illa, quæ ea puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi: ergo nunquam creatura aliqua habuit, tam altã cognitionem: ergo eius cognitio fuit super raptum: ergo super fidẽ. Quidquid enim superius est superiore: superius est inferiore. Item entis ad non ens infinita est distantia: ergo peccator, & non peccatrix distantia est in infinitũ; sed

Cor. 12. · *Mat.* 5.

sed tamen peccata nostra diuidunt inter nos, & Deum: ergo vbi plus de peccato maior diuisio: & vbi minus de peccato maior coniunctio; ergo vbi omnino nihil de peccato proxima coniunctio; sed nulla pura creatura est, vel fuit omnino in via sine peccato. Iuxta illud 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c.* Excepta Beata Virgine, de qua dicit Aug. *Cùm de peccatis agitur, &c.* Ergo nunquam aliqua pura creatura ita coniuncta fuit Deo, sicut Beatissima Virgo. Sed illa coniunctio est per cognitionem, & dilectionem. Ergo super raptum: ergo super fidem. Item tres sunt actus hierarchiæ; purgari, illuminari, perfici secundum Dionys. & sunt illi tres actꝰ ad inuicé ordinati, quòd maiorem purgationem sequitur maior illuminatio: & maiorem illuminationem sequitur maior perfectio: sed Beatissima Virgo inter puras creaturas purgata fuit in summo: ergo eius cognitio fuit super omnẽ cognitionem omnis creaturæ in via. Item per cognitionẽ eleuatur anima ad Deum: & in illo mota est. Natura verò est, quæ eleuatur: Deus est motor, qui eleuat, & vbi & ad quem natura eleuatur. Gratia autem dispositio est media, per quam fit eleuatio. Natura autem est in omnibus æqualiter ad hoc quòd sit Dei capax per cognitionem, & dilectionem. Similiter Deus inse eodem modo se habet respectu omnium. Ergo si aliquis magis eleuatur ad cognoscẽdum Deum, quàm alter; hoc erit propter medium eleuãs, quod est gratia. Sed gratia Beatissimæ Virginis maior fuit omni gratia puræ creturæ: ergo altiùs eleuatur ad cognoscendum Deum, quàm aliqua creatura: ergo cognitio eius fuit super raptum, & super fidem. Item gratia, & gloria sic se habent ad inuicem, vt proportionabiliter habẽs maiorem gratiã, habeat maiorem gloriam, iuxta illud Zachar. 4. *Exæquabit gratiam gratiæ.* Sed inter cõprehensores nunquã habuit aliqua pura creatura tam altam cognitionem, quantam habuit Beatissima Virgo in patria: ergo inter viatores nunquam habuit aliqua pura creatura tã altam cognitionem in via: ergo super raptum, & fidem: ergo eius cognitio fuit super raptum, & fidem. Item quidquid continet vacuum, ipsum simpliciter nõ est plenum: quia contentum contenti est cõtentum continentis: ergo si contentum in se potest plus recipere: ergo, & continens. Exẽplũ in domo plena dolijs vacuis: ergo si Beatissima Virgo habuit fidei vacuitatem respectu gratiæ, non fuit plena gratia; quod falsum est. Item quòd Beatissima Virgo fuerit sapientior omni creatura: signum est, quia liber, qui de sapiẽtia intitulatur de Beata Virgine spiritualiter exponitur: & quæ de sapiẽtia dicuntur, quasi de ipsa dicantur, Ecclesia interpretatur: vt patet in Epistolis, quæ de ipsa leguntur. In sapientia autem nihil est de stultitia, vel ignorãtia: ergo Beatissima Virgo plena fuit sapientia. Sed in fide, nõ est plena sapientia, sed ex parte. Iuxta illud, 1. Corint. 13. *Ex parte cognoscimus.* Ergo Beatiss. Virgo nõ habuit fidẽ, sed plenã cognitionẽ. Item Greg. *Quibuslibet in hac carne viuentibus, sed cũ inæstimabili virtute crescentibus actiuæ contemplationis: potest claritas Dei videri: si tamen huic vitæ funditùs moriantur.* Sed nulla pura creatura in hac vita tam limpidè vidit claritatẽ Dei, sicut Beata Virgo. Ergo eius cognitio fuit super raptum, & fidem. Itẽ quòd cognitio Beatæ Virginis fuit super fidem, & excellẽtior cognitionibus aliorum, videtur per B. Ber. qui dicit: *Quis enim exceptâ fortassis illa, quæ hæc sola in se felicissimè meruit experiri: intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis Virgineis sese visceribus infuderit. Et vt illa, quod in accessibile est, accedere ad se ferre potuisset: de portiuncula eiusdẽ corporis, cui se immediatè anima contẽperauit, reliquæ massæ vmbraculum fecerit. Et forte propter hoc maximè dictum est. Obumbrabit: quia res nimirum erat in Sacramento. Et quòd sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari. Soli enim datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo, Spiritus Sanctus superueniet in te: quæ vtique potentia sua fœcundabit te: & virtus altissimi obumbrabit, hoc est illum modum de quo Spiritu Sancto concipies Dei virtus, & Dei sapientia Christus sic in sui secretissimo consilio obumbrando conteget, & occultabit: quatenus qui tantum notus est patri: notus sit, & tibi. Ac si Angelus respondeat Virgini. Quid à me quæris, quod in te mox experieris, scies, scies, & fœliciter scies: sed illo doctore quo, & authore. Ego autem missus sum virginalem conceptum nunciare, non creare. Nec potest doceri nisi à donante. Nec potest addisci, nisi à suscipiente.* Et hac authoritate colligitur, quòd Beatissima Virgo de incarnatione, & de Filio Dei incarnato habuerit cognitionẽ, quæ fuit supra fidem. Quòd scilicet tantùm notus esset sibi, qui notus erat patri, quod non potest intelligi de cognitione fidei secundum quam notus erat, & multis. Ex his autem cõcluditur, quòd cognitio Beatissimę Virginis fuit supra fidem, & super omnem cognitionẽ puræ creaturæ existentis in via.

1. *Ioã.* 1. — *Augusti.* — 1. *Co.* 13 — *Gregor.* — *Bernar.* — *Zach.* 4

In Spe.
CAP. 77.

Cõsequenter quæritur de spe: vtrùm Beatissima Virgo habuit spem: & potest videri, quòd non per eadem, quæ de fide posita sunt argumẽta. Primò, si spes est certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis, & gratia pro-

proueniens, & si sequitur spes ad fidē, & certitudo spei ad fidei certitudinem: ergo sicut cognitio ad cognitionē, & certitudo ad certitudinē: ergo si cognitio Beatissimæ Virginis super omnē viæ cognitionē fuit, & trāscendens fidē: ergo certitudo spei eius est super omnē viæ certitudinem, & transcendens spē. Item certitudo spei, vel est fallibilis, vel conditionalis; si enim incertus est quis de æterna beatitudine falli potest: quia cadere potest. Si autē sperat sub cōditione, scilicet, si permanserit in charitate: tunc sua certitudo est cōditionalis; sed certitudo Beatæ Virginis de æterna beatitudine fuit absoluta, & infallibilis: ergo fuit maior omni certitudine spei: ergo nō fuit per modū spei: ergo nō habuit spē. Itē cui inest vnū oppositorū, alterū inesse nō potest, sed timor separationis, & spes opponuntur, & Beatissima Virgo habuit timorē separationis: ergo nō spē. Item inter gratiā amissibilem, & gloriā inamissibilem medium est gratia inamissibilis: ergo Beatissima Virgo certitudinem habuit, & statū gratiæ mediū inter statum patriæ, & statū viæ, & certitudinē patriæ, & certitudinē viæ; sed certitudo spei pertinet simpliciter ad statum viæ: ergo inferior est illa certitudine, quę fuit in Beatissima Virgine: & ita Beata Virgo non habuit spem, sed maiorem certitudinem.

De charitate.

CAP. 78.

Cōsequenter quæritur de charitate, vtrū in Beatissima Virgine fuerit. Et videtur, quòd habuerit charitatē excellentem omnis puræ creaturæ. Luc. 7. legitur, quòd pręmissa quę- *Luc. 7.*
stione de duobus debitoribus, quorum vnus debuit denarios quinquaginta, alius centū; & non habētibus illis vnde redderent, donauit vtrisque, & quærēte Domino, quis plus dilexerit, respondetur æstimo, quòd is cui plus donauit. Ex hoc colligitur, quòd ille plus tenetur diligere cui plus donatur. Sed Beatissimę Virgini super omnes creaturas donatum fuit: ergo plus diligere tenebatur. Sed quantū diligere tenebatur, tantū dilexit: ergo ipsum plusquā altera creatura dilexit: & ita videtur, quòd maiorē charitatē habuerit Angelis. Itē gratia gratis data ordinatur ad gratiā gratū facientē; sed Beatissima Virgo habuit gratiā gratis datā super omnē creaturā in via, vel in patria existentem, in hoc quod meruit esse Beata Mater Dei: ergo & gratiā gratū faciētem habebit gratiā omnis creaturæ excellentē. Itē charitas est de corde puro, & conscientia bona, & fide nō ficta: ergo vbi maior puritas, ibi maior charitas; sed Beatissima Virgo habuit puritatem in summo, qua sub Deo maior nequit intelligi: ergo charitatē habebit in summo, cui in creaturis ęqua-

A lis nequeat intelligi. Itē nullus tantū tenetur iure diligere, sicut pater, & mater; sed inter creaturas sola fuit Beatissima Virgo Mater Dei: ergo nulla creatura tenebatur diligere Deū tantum; sed quātum tenebatur diligere tantùm dilexit: ergo Beatissima Virgo Deū plusquā aliqua creatura dilexit. Itē Prou. 8. *Prou. 8*
Ego diligētes me diligo: ergo plus diligentes, plus diligo: ergo quecunque Deus maximè diligit, ille Deum maxime diligit; sed Deus super omnē creaturā maximè dilexit Beatissimā Virginē: ergo ipsa ad ipsum maiorē super omnē creaturā habuit dilectionē. Huius etiā signū est, quòd de ipsa Cantica Cāticorū, quæ amoris cōtinent perfectionē specia-
B liter exponuntur, & ibi amica, & charissima per excellentiam nominatur. Item Gregor. *Gregor.*
Exhibitio operis est probatio dilectionis; sed Deus nunquā alicui creaturæ tantùm beneficium exhibuit in opere: ergo nullā creaturā tātùm dilexit: ergo ipsa Deū plusquā omnis creatura redilexit. Itē licet Deus det omnibus abundāter, & illuminet omnē hominem; nō tamē omnes recipiūt æqualiter, nec omnes ęqualiter illuminātur. Cuius diuersitatis duplex causa esse videtur. Vna ex parte recipientis, & altera: ex parte dātis expertè recipientis, quia vnū recipiens capatius est altero, & propter hoc, recipit magis alterū altero, iuxta illud Matth. 25. *Diuisit illis bona* *Mat. 25*
C *sua vnicuique secundùm propriā virtutem.* Gloss. *Capacitatē.* Hanc autē capacitatē operatur humilitas, iuxta illud Iac. 4. *Humili-* *Iac. 4.*
bus dat gratiam: ergo vbi maior humilitas, maior capacitas; sed in Beatissima Virgine inter omnes creaturas maior fuit humilitas: ergo maior capacitas: ergo maximè gratiā recipere potuit; sed quantū recipere potuit, tantum recepit: ergo gratiā in summo creaturæ recepit. Itē ex parte dātis est diuersitas doni: quia cū dans dat secūdùm rationem, & ratio respiciat finem, maius donū dat, quod dat ad maiorē finē; vt Imperator magis dat, cui daret bonum ad essendum Senatorē, quā cui daret ad essendū simplicē seruiētem; sed
D Beatissimę Virgini dabatur donū ad essendū Matrē Dei; omnibus autē alijs dabatur gratia ad essendū seruū Dei. Sicut ergo improportionabiliter maius est esse Matrem Dei, quā seruū Dei. Ita improportionabiliter maius est donū, quod datur ad essendū Matrem Dei, quā ad essendū seruū Dei; sed donum in quo alia omnia donantur, est charitas: ergo charitas Beatissimæ Virginis est improportionabiliter maior charitate omnis creaturę. Vnde Augustin. in libro de natura, & gratia. *In* *August.*
de enim scimus, quòd ei plus gratiæ sit collatū ad vincendū ex omni parte peccatū, quòd cōcipere, & parere meruit, quem constat nullū habuisse peccatū. Et iterū. *Illa autem Virgo singulari gratia præventa est, atque repleta,*

vt

vt ipsum haberet ventris sui fructũ, quem ex initio habuit vniuersitas Deum. Item eadem numero est charitas, quam habet Beatissima Virgo modo in patria, quàm habuit in via in substantia: sed quæcunque sunt eadem numero secundùm substantiam, eadem semper sunt super substantiam: ergo si nunc habet maiorem charitatem charitate omnis Angeli, & tunc habuit. Itẽ arguitur per effectum; Quicunque effectus sequitur aliquam formàm secundùm substantiam, si semper manet idem effectus: non augmentatur per substantiam: ergo, & charitas eadem erit semper secundùm substantiam. Sed facere dignũ vita æterna, est effectus qui sequitur formam, quæ est charitas secundùm substantiã; & ille effectus stat in via, & in patria, nõ augmentaturus per substantiam: ergo & charitas eadem erit in via, & in patria non augmentata per substantiam. Cùm ergo Beatissima Virgo habuerit maiorem charitatẽ omni Angelo in patria, habuit maiorem charitatem omni Angelo in via. Item sublato à Beatissima Virgine omni nofomite, & post pœnalitatẽ, & tandem corporis animalitatem, habuit maiorem charitatem omni Angelo in via. Sed ista ablatio nõ est aliqua adiectio facta charitati, quantum ad substantiam, sed quantum ad actus eleuationem, & extensionem, & expeditionem: ergo charitas eius in substantia fuit maior in substantia charitate Angeli: licet minor fuerit quantum ad actum, & hoc propter conditionem, & statum subiecti, in quo erat. Item dicit Aug. quòd hoc preceptum *diliges Dominum Deum tuum, &c.* Non potest impleri in via, & constat, quòd hoc est propter cõditiones viæ; quæ sunt vnio ad corpus corruptibile, pœnale, & animale: & visio perspeculum in enigmate: & cõstat, quòd his omnibus sublatis penè adimpletur: & ita videtur, quòd perfectio charitatis viæ in charitate patriæ, non fiat per aliquam adiectionem quantum ad substantiam: sed per extensionem, & eleuationem quantum ad actum, eadem substantia permanente: ergo si Beatissima Virgo habuit maiorem charitatem quãtum ad substantiã omni Angelo, nunc in patria: habuit etiam in vita, iuxta hoc ergo quæritur, vtrũ charitas Beatissimæ Virginis in via fuerit in statu tali, quòd potuerit augmentari: & videtur quod sic. Omne enim, quod est citra summum, melioris conditionis est, si potest augmentari in bono. Sed constat, quòd charitas Beatissimæ Virginis fuit citra summum, & in optimo statu: ergo potuit augmentari. Item Augustinus ad Hieronymum, charitas est virtus, qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in alijs maior, in alijs minor; in alijs nulla est. Plenissima verò, quæ iam non possit augeri, quandiù hic homo viuit: inuenitur in nemine. Quãdiù ergo hic est viuens, augeri potest. Quod si concedatur. Contra charitas Beatissimæ Virginis fuit perfectissima secundũ statũ viæ; sed perfectius est, quod est in termino, quam quod est citra terminũ: sed quòd augmentabile est, citra terminũ est: sed charitas Beatissimæ Virginis nõ est augmentabilis, sed in summo cõplemento secundùm statũ viæ. Item sicut in corporalibus, ita nec in spiritualibus, quicquã est vacuũ secundùm actu: sed inter charitatẽ in augmentabilẽ patriæ, & charitatẽ augmentabilẽ viæ, medium est charitas viæ inaugmentabiliter: ergo cũ extrema extent, vel mediũ erit, vel aliquid erit vacuũ. Illud autẽ mediũ non congruit, nisi Beatissimæ Virgini: quæ fuit in statu viæ summa, & propinquissima statui patriæ. Ergo habuit charitatẽ viæ inaugmentabilẽ, & in summo. Itẽ inter charitatẽ augmentabilem, quantũ ad substantiam, & quantũ ad actũ, & charitatẽ inaugmentabilẽ quantũ ad substantiam, & quantũ ad actum, mediat charitas inaugmentabilis quantũ ad substantiã. Augmẽtabilis autem quantũ ad actum: quarta enim differentia est impossibilis, scilicet, quòd sit augmentabilis, secundũ substantiã, & non secundum actum, sed medio perfectibili debetur media perfectio: ergo cũ Beatissima Virgo habuerit medium statũ in via inter perfectibilia, mediã habebit perfectionẽ: ergo habebit charitatẽ in augmentabilẽ secundũ substantiã, & augmentabilẽ secundũ actum. Item omne creatũ certo termino, & quantitate est mẽsuratum: *Omnia enim fecit Deus numero, pondere, & mensura.* Vt dicitur Sap. 11. ergo nullius creati potentia erit infinita in via: ergo aliter erit in suo summo: sed summũ perfectibile perfectionis fuit Beatissima Virgo: ergo habuit charitatẽ viæ in summo. Iuxta hoc quæritur. Vtrũ Beata Virgo habuit fructus in via per modũ patriæ: & videtur, quòd sic Aug. de Doct. Christ. *frui est amore inhærere alicui rei propter se.* Sed Beatissima Virgo inhærebat in summo amore propter se: & inseparabiliter: ergo fruebatur. Itẽ inter tãtũ cõprehensorem, & tãtum viatorẽ triplex est medium: cõprehensor simpliciter, & viator simpliciter simul, sicut Dominus IESVS Christus: & cõprehensor simpliciter, & viator secundùm quid, sicut Angeli Custodijs, & ministerio hominum deputati: secundùm quid sunt viatores, vsque ad diem iudicij. Tertium medium est viator simpliciter, & cõprehendens, & fruens secundùm quid: ergo cùm inueniatur aliquis cõprehensor, tamẽ, vt homines sancti in patria: & aliquis viator tamen, vt homines in via: & aliquis cõprehensor, vt viator, vt homo Deus: & aliquis secũdùm quod viator, & simpliciter cõprehensor, vt Angeli: inuenietur quarta differẽtia. Vel aliquid erit vacuum: & ita erit aliqua persona viatrix simpliciter, & cõprehendens, & fru-

Augusti. *Sap. 11.* *Augusti.*

& fruens secundùm quid. Et erit summa in statu viæ, & propinquissima statui patriæ. Hæc autem est Beatissima Virgo: ergo ipsa est viatrix simpliciter, & comprehendens, & fruens secundùm quid. Ex his autem omnibus videtur, quòd Beatissima Virgo non habuit gratiam virtutum Theologicarum secundùm modum communem, sed perfectiori modo, & excellentiori omni modo perfectionis puræ creaturæ. Quod si concedatur: contra; quia perfectio addita perfectioni, non destruit ipsam, sed auget. Item quia status viæ inferior est statui patriæ: ergo summum viæ inferius est infimo patriæ.

*Mat.*11 Item Dominus in Matth. 11. *Qui minor est in regno cœlorum, maior est Ioanne Baptista.*

*Mala.*3 Gloss. dicit. *Omnis Sanctus qui iam est cum Deo: maior est eo qui est in mũdo.* Itẽ super illud. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c.* dicit Gloss. *nouissimus Angelus cœli maior est quouis homine.* Post hæc quæritur de charitate Beatæ Virginis, quam habuit ad proximum: vtrum illam haberet ad proximum in summo creaturæ, & videtur quòd non, quia

Ioã. 15. *maiorem charitatem nemo habet, &c.* Sed ipsa animam suam non posuit pro amicis suis: ergo non habuit maiorem charitatem alijs, qui animas suas pro proximis suis posuerunt. Contra, propter quod vnum quodque ipsum maius, vt propter quod amamus, ipsum magis diligimus: vt dicit Philos. 1. pos. sed proximũ amamus propter Deũ: ergo qui plus amat Deũ, plus amat proximũ. Itẽ eadẽ charitas est, qua diligitur, Deus, & proximus: ergo qui habet summam charitatẽ ad Deum, summam habet ad proximum. Sed Beatissima Virgo summam charitatem habuit ad Deum: ergo ad proximum.

De Virtutibus Cardinalibus, & Primo de iustitia.
CAP. 79.

Consequenter quæritur de virtutibus Cardinalibus. Et primo de iustitia, in quo statu habuerit eam Beatissima Virgo respectu viatorum. Iustitia enim, & misericordia opponuntur in effectibus: ergo qui habet de iustitia magis, minus habet de misericordia; & è conuerso. Sed Beatissima Virgo, vt puta Mater misericordiæ, fuit misericordissima: ergo minimum habuit de iustitia. Item Isa.

*Isai.*32. & 26. 32. *Opus iustitiæ pax*, & item 26. *Iustitiam non fecimus in terram: ideò ceciderunt habitatores eius.* Item in Prouer. 18. *iustus accusator est sui.* Ex istis omnibus colligitur. Quòd actus iustitiæ invia, est iustificare mala, & punire, & vitia castigare: quæ non fuerunt in Beatissima Virgine: ergo non habuit actum iustitiæ in via. Item duæ sunt partes iustitiæ, declinare à malo, & facere bonum: sed vtrumque istorũ habuit Beatissima Virgo super omnes puros viatores: ergo iustitiã habuit super viatores. Quod autem Beatissima virgo declinationem a malo habuerit excellentiùs omnibus viatoribus: patet ex hoc quòd ipsa sola viatrix fuit, quæ nunquã peccauit. Vnde Aug. *Excepta igitur hac Virgine, de qua propter honorẽ Domini cum de peccatis agitur nullam volo fieri mentionem. Si omnes Sancti, & Sanctæ conuenirent, & dicerent, quòd peccatum non habemus, quia respõdemus eis, nisi quod dicit Ioannes in primo capitulo primæ Cano. Si dixerimus quoniã peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est*: excellit enim omnes viatores in operatione boni. In eo enim quod Deũ genuit, qui omnia regenerauit, tantũ effectũ boni protulit de se, quod nullius puræ, creaturæ effectus illi indignitate, vel vtilitate poterit coequari. Itẽ habuit opera misericordiæ, quę fiunt ex cõpassione, & cũ reuelatione * miseriæ, quæ propter hoc dicũtur misericordiæ opera: sed eadẽ sunt opera iustitiæ, ad quæ omnes tenentur, vt patet in vltima discussione. *Esuriui, &c.* Tibi * fit discep tatio, & adiudicatio damnorũ pro huiusmodi operũ omissione. Illa autẽ opera etiã exercuit Beatissima Virgo in summo super omnes viatores: operũ enim misericordiæ alterũ altero est maius, vel quia fit ex maiori charitate, vel quia fit magis indigẽti, vel magis digno; vel quia fit cũ maiori effectu impẽso, vel quia fit ex magis necessariò, & minus superfluo. Hæc autẽ omnia fuerunt in Beatissima Virgine in summo. Charitas enim ex qua opera misericordiæ fecit, omnẽ creaturã excellit, vt infra patebit. Maximè indigẽti exhibuit: quia nemo inter viatores pauperior IESV Christo fuit; dignissimo pauperi tribuit, quia nemo dignior mẽdicus quã mẽdicus Deus fuit. Magnũ enim esset opus misericordiæ, quod fieret pauperi laico: maius, quòd fieret pauperi clerico: & maius quod fieret pauperi religioso. Adhuc maius quòd fieret pauperi Episcopo: sed summum quod fieret Papæ mẽdico: ergo improportionabiliter summum opus misericordiæ fuit, quòd fiebat pauperrimo Deo. Maximũ etiã affectũ nobis misericordiæ impendit, quia nobis miseris captiuis, & mẽdicis dedit filiũ suũ Deũ, captiuis in præciũ, famellicis in viaticũ, laborãtibus in præmiũ, infirmis in medicamentũ, & cũ ipso dedit nobis regnũ cœlorũ, & omne bonũ. *Qui enim proprio filio suo nõ pepercit quomodo cũ illo nobis omnia non donauit.* Rom.8. Itẽ Beatissima Virgo de nullo sibi superfluo, sed omnino necessariò opus misericordiæ filio suo pauperrimo, & peregrino de proprijs suis purissimis carnibus, & sanguinibus tunicã polymitã fecit: in gremio vteri sui hospitauit, de proprio corpore cibauit, & lactauit. Sic ergo patet, quòd Beatissima Virgo iustitiã, quo ad partes, & effectus suos habuit in summo.

Augusti.

* *Forte releuatione.*

* *Forte deest aliquid.*

De Speciebus iustitiæ.
CAP. 80.

Post hæc videndum est de speciebus iustitiæ, quæ sunt latria, dulia, obedientia, qualiter, & hæ fuerunt in Beata Virgine. Et primo de latria. Est autem latria honor soli Deo debitus, & exhibitus. Et intenditur honor iste per tria. Primum est, dignitas personæ exhibentis. Secúdum est, minus debitum exhibitionis. Tertium est, excellentia in personæ seruitutis. Dignitas personæ exhibentis respectu omnium viatorũ in summo fuit in Beata Virgine. Ipsa enim Mater Dei, alij omnes serui: & in proportionabiliter maius est esse Matrem Dei, quàm esse seruum Dei: ergo improportionabiliter maior est latria Matris Dei, quàm seruorũ Dei. Item minus debitum exhibitionis fuit in Beatissima Virgine respectu aliorũ Sanctorum. Quanto enim quis inferior tantò magis tenetur ex debito necessitatis ad seruitiũ: sed Beatissima Virgo fuit suprema, & dignissima omnium Sanctorũ: ergo exhibitio eius seruitutis ex minimo debito necessitatis: & ex maximo debito charitatis: ergo quantũ ad hoc fuit eius latria in summo. Ité impensa seruitus latriæ consistit in tribus. In actu cordis, qui est cognitio, & dilectio: in actu oris, qui est laus, & oratio. In actu operis, vt genuflexio. Adoratio, immolatio, & huiusmodi, omnia hæc in Beatissima Virgine in summo fuerunt. Virtutibus enim interioribus omnem creaturam excellit: vt infra patebit. Habent enim Angeli virtutes in amissibiles: sed non meritorias præmij substantialis. Habent etiam homines virtutes meritorias, sed amissibiles. Habuit autem Beatissima Virgo virtutes inamissibiles, & meritorias, cum Angelis, & hominibus. Et ita vtrisque excellentiùs: & ita habuit excellentissimam latriam in actu cordis. Item actus latriæ ab ore, vt est laus, & oratio, excellentissimè fuit in Beata Virgine: oratio enim aliorum Sanctorum nõ innititur alicui iuri ex parte sui: sed tamen misericordiæ ex parte Dei: oratio autem Beatissimæ Virginis innititur gratiæ Dei, & iuri naturali, & iustitiæ Euangelij, vel Decalogi: quia filius tenetur non tantum exaudire, sed obedire matri. Iuxta illud Exod. 20. *Honora Patrem, & Matrẽ.* Et Apostolus ad Eph. 6. *Filij obedite parentibus vestris.* Quod & ipsa videtur innuere in modo orandi, non vtens obsecratione simplici: sed insinuatione, dicens: *Vinum non habent, &c.* Dicit Magister Hugo de Sancto Victore. Quòd nobilissima species orationis est insinuatio: exemplificans in eodem verbo, scilicet: *Vinum non habent.* Et sic latria orationis eius fuit in summo. Tunc, quia ibi erat nobilissimus modus orandi. Tunc, quia eius oratio habebat rationem iussionis, & imperij. Tunc, quia erat impossibile eam non exaudiri. Iuxta illud. 3. Reg. 2. *Pete mater mea: neque enim phas est, vt auertam faciem meam.* Et iterũ Hester. 5. *Quæ est petitio tua Hester. pro qua re postulas. Etiã si pecieris dimidiũ regni mei obtinebis.* Ité actus latriæ in opere exteriori principalis est in oblatione, & excellentior in templorũ constructione, & cõsecratione. Hoc autẽ totũ fuit in Beatissima Virgine in summo, quæ de corde, & corpore tẽplũ Sancto Spiritui cõstruxit: in quo Filius Dei corporaliter habitauit: in quo se ipsam, & in se ipsa summã castitatẽ cordis, & corporis Deo omni sacrificio acceptabiliùs obtulit: imò ipsum filiũ suum, & Filiũ Dei: non prout panis, & vinum in corpus ipsius transferrebatur, & sub speciebus alienis immolabatur: sed secundũ quod in eius propria carne, & sanguine secundũ corpus formabatur sub ipsa sua specie propria, in qua eum genuit spontaneo cõsensu: in eius passionis se pro omnibus nobis obtulit, per quã sufficientissimã, & gratissimã hostiam semel oblatã, Deum toti generi humano reconciliauit, qui nimium excellentissimus actus latriæ in opere fuit. Et sic patet quomodo Beata Virgo omnẽ actuũ latriæ secundùm omnem modũ habuit in summo.

Exo. 20 *ad Ep.* 6 — 3. *Re.* 2. — *Hest.* 5.

De Dulia.
CAP. 81.

Consequenter videndum est de dulia. Est autem dulia honor creaturæ exhibitus, & debitus. Et hæc habet duas partes. Dulia simpliciter, quæ debetur communiter creaturis, & iperdulia, quæ debetur excellẽtibus creaturis, vt Beatæ Virgini, & sanctæ Cruci. Habuit autem Beatissima Virgo iperduliæ actum in summo respectu aliarum creaturarũ. Improportionabiliter enim maius est adorari, quàm adorare iperdulia. Sed omnes alij Sancti adorant Beatam Virginem iperdulia: ipsa autem adoratur ab omnibus iperdulia: ergo ipsa omnes excellit iperdulia. Item actus duliæ habuit super omnes excellenter: actus enim duliæ intenditur per eadem, per quæ, & actus latriæ intendebatur. Per dignitatem vim personæ exhibentis per minus debitum exhibitionis. Et per humilitatem seruitutis. Per dignitatem personæ exhibentis excellit omnes. Nulla enim digna persona, vel creatura potuit aliam creaturam tantùm honorare, quantum dignissima creaturarum Mater Dei. Item cùm ipsa sit suprema, & dignissima creaturarum omnium, quam omnes debebant reuereri, & honorare: minimè debitum fuit, vt alias creaturas honoraret. Item seruitus humillima, & indeuitissima fuit, qua inferiores se honorauit: quãdo proxima Deo per incorruptionem: purificationem pollutis matribus, constitutam absque legis præcepto obseruauit. Et filium cum oblationibus offerẽs Sacerdotibus legalibus reue-

reuerentiam exhibuit. Per quod obedientiã, & humilitatẽ consummauit. Sicut scriptum est Matth. 3. *Sine modo sic decet nos, &c.* Gloss. *Perfectam humilitatẽ.* Et distinguit ibi triplicem humilitatẽ, & obedientiam. Prima, quæ exhibetur superiori. Secunda, quæ pari. Tertia, quæ inferiori. Quæ vocatur omnis iustitia. Id est, perfecta iustitia, quam Beatissima Virgo exhibuit in summo, quando Deo propinquissima, & dignissima fuit, inferioribus, & sibi subiectis iure ipsa supra legem posita, secundùm legem, legi & ministris legis obediuit, in quo se in summo inclinauit, & humiliauit. Summum enim citra Deum insursum, est summa incorruptio. Iuxta illud Sap. 6. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Summe autem distans ab incorruptione deorsum, est corruptio. Post corruptionem sequitur pœna, posita pro corruptione, vt est mulierum corruptarum purificatio. Summa ergo inclinatio humilitatis fuit: quando se excellentissima in incorruptione Virgo sub onus corruptioni impositũ spontanee inclinauit, & sic patet quomodo in Beata Virgine, & latria, & dulia, & obedientia, & humilitas fuerunt in summo.

Matt. 3

Sap. 6.

De Pœnitentia.
CAP. 82.

Est adhuc alia virtutis species, quæ ad iustitiam potest reduci, scilicet, pœnitentia, quæ quod sit virtus, patet per Glossam, super illud Matth. 3. *Pœnitentiam agite.* Prima virtus est, per pœnitentiam veterem hominem perimere, & item virtus pœnitentiæ timore concipitur. Quod autem pœnitentia sit species iustitiæ, patet: quia omnes tenentur veterem hominem perimere: & omnes peccatores pœnitere. Quòd autem actus pœnitentiæ fuerit excellentius omnibus viatoribus in Beata Virgine. Patet ex hoc; quòd in omnibus actibus alijs pœnitentiæ requiritur peccatum esse, vel fuisse: in Beatissima autem Virgine fuit actus pœnitentiæ, sine pœnitentia, vel precessione culpæ. Item cùm nulla virtus, quantum ad habitum cesset in patria: habitus pœnitentiæ erit in patria: sed habitus patriæ perfectiores habent actus, quã habitus viæ: ergo pœnitentia erit in patria, & habebit perfectiorem actum, quam habeat in via. Ille autem est detestatio peccati, siue nolle peccare: ergo cùm Beatissima Virgo habeat actum pœnitentiæ: non secundùm actum viæ habebit ipsum, sed secundùm actũ patriæ: ergo habuit actum pœnitentiæ excellentius alijs creaturis viæ.

Mat. 3.

De Prudentia.
CAP. 83.

Consequenter quæritur de prudentia, & primo vtrum fuerit in Beata Virgine: secundùm quod est in alijs viatoribus, & videtur quòd non. Dicit enim Aug. *Prudentia est amor: ea quibus adiuuatur ab alijs, quibus impeditur sagaciter eligens.* Item Aug. *Prudentia est in præcauendis insidijs.* Sed Beatissima Virgo non impediebatur ab aliquo, neque indigebat cautela contra insidias: quia decipi non poterat: ergo non habuit actum prudentiæ. Hoc quoque modo sic habent eam communiter viatores: ergo ipsa non habuit actum prudentiæ per modum viæ: ergo per modum patriæ. Item prudentia respicit cognitionem eorum, quæ pertinent ad actionem secundùm quod est virtus Cardinalis. Agenda autem sunt exteriora, & corporalia, & quædam interiora, & spiritualia, vt contingit aliquem esse exercitatum in temporalibus, & inexpertum in spiritualibus. Aliquem è conuerso. Prima perfectio pertinet ad actionem, secunda ad contemplationem. Circa vtramque contingit errorem esse in viatoribus communiter. Sed in Beatissima Virgine fuit perfectio vtriusque, sine errore, vel possibilitate errandi: ergo habuit actum prudentiæ excellentius omni viatore.

Augus.

De Fortitudine.
CAP. 84.

Consequenter quæritur de fortitudine, secundũ quem statum fuerit in Beatissima Virgine. Et per ordinem queritur, de speciebus siue proprietatibus ipsius. Et primo de magnanimitate quæ sic describitur.

De Magnanimitate.
CAP. 85.

Magnanimitas est rationalis aggressio terribilium. Quod hæc in summo fuerit in Beatissima Virgine sic videtur. Terribilissimum in hac vita est dolor mortis, & quantò natura nobilior, tantò mors dolorosior, & terribilior. Sed spiritus improportionabiliter melior est corpore: ergo martyrium spirituale improportionabiliter est maius martyrio corporali. Sicut patet de martyrio, & aureolis: ergo aggressio terribilium improportionabiliter maior fuit in Beata Virgine, quàm in alijs.

De Magnificentia.
CAP. 86.

Secunda est magnificientia, quæ sic describitur. Magnificientia est rerum benè gestarũ felix consummatio. Consummatio rerum bene gestarum per Beatam Virginem excellit improportionabiliter omnis puræ creaturæ consumationem: ergo in actu magnificentiæ excellit omnem viatorem.

De Fiducia.
CAP. 87.

Tertia species est fiducia, quæ sic describi-

bitur. Fiducia est certa spes perducendi ad finem rem, quæ cepta est. Sed certitudo spei Beatissimæ Virginis fuit absoluta, & inefabilis. Omnium autem aliorum viatorum fiducia conditionalis est, vel falibilis: sed infallibile excellit fallibilem improportionabiliter, in quantum tale: ergo sic fiducia Beatissimæ Virginis excellit fiduciam omnium viatorum.

De Securitate.
CAP. 88.

Quarta est securitas, quæ sic describitur. Securitas est habitus secundùm quem superuenientes incommoditates non formidantur. Quin quod inceptum est ad finem perducatur. Securitas Beatæ Virginis fuit sine timore separationis: ergo eius securitas excellit securitatem omnis viatoris.

De Patientia.
CAP. 89.

Quinta est patientia, quæ sic describitur, Patientia est bonus habitus animæ omnes aduersitates æquanimiter portans. Patientia Beatissimæ Virginis fuit inuincibilis, & ab omni malo culpæ impassibilis: omnium autem aliorum patientia fuit vincibilis, & à malo culpæ passibilis: ergo ipsius patientia fuit omnium aliorum patientia improportionabiliter.

De Constantia.
CAP. 90.

Sexta est constantia, quæ sic describitur. Constantia est stabilitas in proposito non bacillans. Stabilitas Beatæ Virginis fuit omnino immobilis, sed omnium aliorum mobilis: ergo eius constantia aliorum, constantiæ est improportionabilis.

De Perseuerantia.
CAP. 91.

Post hæc quæritur de perseuerantia, quæ duplex dicitur. Vno modo propositum perseuerandi vsque in finem. Alio modo actus perseuerandi. Voluntas Beatæ Virginis ad perseuerandũ fuit inflexibilis, & actus incessabilis, sed omnium aliorum voluntas flexibilis, & actus incessabilis: ergo huius perseuerantia aliorum perseuerantiæ, est improportionabilis.

De Temperantia.
CAP. 92.

Consequenter quæritur de temperantia; quæ sic describitur secundùm Philosophos. Temperantia est contra illicitos animi impetus, firma, & discreta dominatio. Item
Mar. 8. Marc. 8. *Erant qui manducauerant quasi quatuor millia hominum.* Gloss. *Temperantia, est refrenatio cupiditatis ab his quæ tem-*
A *poraliter delectant.* Patet, quòd in his diffinitionibus diffinitur temperantia secundùm viæ, & nõ patriæ: & quòd secundũ istos actus non fuit temperantia in Beatissima Virgine: ergo non habuit temperantiã per modũ viæ, sed per modũ patriæ. Item Aug. temperantia est amor incorruptus in Deo, & integer. Sed tam amor, quàm incorruptio, & quàm integritas fuit improportionabiliter excellentiùs in Beata Virgine, quàm in aliquo viatore: ergo habuit temperantiam improportionabiliter super omnes viatores.

De Speciebus tẽperantiæ. Primo de Castitate.
CAP. 93.

B Sequitur de speciebus temperantiæ; quæ sunt castitas, modestia, & sobrietas: & primo de castitate. Quòd autẽ Beatissima Virgo omnem creaturam excellat castitate, sic probatur. In omnibus viatoribus puris hominibus castitas est cum pugna, contra fomitẽ, & cum casu. Ad minus in primum motum venialem, & cum possibilitate cadendi, etiã inmortale. Exceptis invtero sanctificatis, & Apostolis Spiritu Sancto repletis. In Beatissima autem Virgine fuit castitas, sine pugna fomitis, sine casu mortali, sine possibilitate cadendi, etiam casu veniali: ergo eius castitas omni homine fuit improportionabilis.
C Item castitas Beatissimæ Virginis, castitatẽ Angelorum quinque gradibus excellit. Est enim multiplicior, nobilior, vtilior, glorioſior, laudabilior: multiplicior; Angeli enim habent castitatem tantùm in spiritu. Hæc autem in carne, & spiritu. Item est nobilior: quia illa naturalis, ista gratuita. Item vtilior; illa enim est naturalis, ista meritoria. Item glorioſior: hæc enim est cum victoria, illa sine victoria. Item laudabilior: hæc enim est voluntaria, illa necessaria. Patet ergo quòd Beatissima Virgo omnem creaturam excellit in castitate.

De Sobrietate.
CAP. 94.

Sequitur de sobrietate, quę duplex dicitur.
D Est enim sobrietas temperantiæ species. Est enim sobrietas, quæ est abstinentia, & pars satisfactionis pœnitentiæ, & species iustitiæ. Prima sobrietas est cum pugna in omni viatore: & cum errore, cum possibilitate cadendi in primum motum gulæ. Sed in Beatissima Virgine fuit sine pugna, sine errore, sine possibilitate cadendi, etiam in primum motum gulæ: ergo excellentiùs fuit in ea sobrietas, quã in aliquo alio viatore. Itẽ alia abstinentia est quæ fit de tribus causis: pro debito satisfactionis; pro peccato prẽterito: pro cautela euasionis: pro futuro peccato: pro delectatione pœnę debitæ in præsẽti. Sed in B. Virg. nõ fuit abstinẽtia pro debito satisfactionis: nec

pro

pro peccato præterito: sed pro merito supererogationis, nec pro cautela prouisionis: sed pro exemplo ædificationis, nec pro delectione pœnæ, sed pro merito gloriæ: ergo eius abstinentia fuit nobilior, quàm alicuius viatoris.

De Modestia.

CAP. 95.

Sequitur de modestia, quæ consistit in duobus: in dictis, & in factis. Vtrumque habeat Beata Virgo in summo. In dictis: quia nemo
Iac.3. vnquam linguam domare potuit, vt dicitur Iac.3. Hoc intelligitur communiter de viatoribus. Sed Beatissima Virgo linguam in summo domauit: quia nunquam in lingua lapsa fuit: ergo modestia Beatissimæ Virgi-
Eccl.7. nis in dictis, omnem creaturã excellit. Item
Pro.24. in factis Eccl.7. *Non est iustus, qui nõ peccet.* Prouerb.24. *Septies in die cadit iustus.* Hoc intelligitur communiter de viatoribus, & de casu veniali; sed Beatissima Virgo nunquam peccauit, & nunquam cecidit: ergo in modestia facti, omnem creaturam excellit.

De Modestia in cultu vestium.

CAP. 96.

Sequitur de modestia in cultu vestium. Quod autem modus in cultu vestium perti-
1.Thi.2 neat ad modestiam: probatur per illud 1. ad Thimot.2. *Similiter autem, & mulieres in habitu ornatu cum verecundia, & modestia ornantes se non intortis crinibus, vt auro, vel margaritis, aut veste preciosa. Sed quod*
1.Pe.3. *decet mulieres promittẽtes pietatẽ per omnia bona opera.* Item per illud 1. Pe.3. *Quartum non sit exterius capillatura, aut circumdatio*
Hier. *auri, aut indumenti vestimentorum cultus,* Glos. *Sicut crispatus habitus.* Hieron. *Mulieres serico, & purpura indutæ Christum induere non possunt, auro margaritis, & mo-*
Luc.16 *nilibus adornatæ ornamenta cordis perdiderunt.* Item Luc.16. *Homo quidam erat diues, &c.* Glos. *Si in cultu preciosarum vestium culpa non esset. Sermo Domini non tam vigilanter exprimeret, quòd diues purpura, & bysso indutus apud inferos irremediabiliter torqueretur.* Ex his authoritatibus innuitur, quòd adhibendus est modus in habitu, & cultu vestium. Quæritur ergo, qualiter ista modestia vestium in Beatissima Virgine fuerit: vtrùm descendendo ad despectissimum habitum, vel considerando mediocritatem. Quod primo modo videtur. Hieron. Cinis & cilicium sunt arma pœnitentiũ. Item Chrysostomus de tunica inconsutili opinatur, quòd dicitur inconsutilis: sicut mulier dicitur deformis: quòd sit, nõ sine forma, sed quòd habeat malã formam. Ita inconsutilis, nõ quòd fuerit sine sutura: sed quòd habuerit rudes, & ineptas futuras: & desuper contesta per totum, id est, appetiata. Si ergo vestitus Domini adeò fuit despectus, & vilis, & asperrimus: etiã in matre, quæ in omnibus eius imitatrix fuit, & debuit esse habitus despectissimus. Itẽ secundũ Philosophũ diuersum est iudiciũ de habitu vulgi, & sapientum. Interrogatus enim, quis de vulgò, quis sit habitus congruus respondebit. *Decorus, qui decor attestatur honestati.* Si interrogemus vnũ de sapiẽtibus, & de horũ famosissimis virum, scilicet Ioannem Baptistam: respondebit: de pilis camelorum: ergo si secundùm iudicium sapientium eligitur vilitas in cultu. Ergo cùm Beatissima Virgo fuerit prudentissima, ipsa elegit vilitatem in vestitu. Quòd autem mediocritatẽ videtur per Beatum Hieron. qui dicit: *Ornatus vestium, vt sordes, pari modo fugiendi sunt.* Item nihil tantùm placet Deo, quantùm zelus animarum, ad hunc autem ordinatur conformitas, iuxta illud: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerẽ.* 1. Cor. 9. Conformitas autẽ est in mediocritate. Ergo cùm Beatissima Virgo fuerit maxima celatrix animarum, quæ omnes maximè lucri facere voluit, ipsa omnibus hominibus se maximè comparauit: ergo mediocritatem habuit in cultu. Item virtus in mediocritate consistit. Ergo cùm Beatissima Virgo omnibus exemplum virtutum extiterit; etiam in mediocritatẽ habitus exẽplum dedit. Solutio. Ad prædictorum omnium euidentiam, & ad obiectorum pleniorem solutionẽ, & ad ipsius solutionis intellectum, & intelligentiã faciliorem, hic quædam sunt prænotanda. Scribitur in Euang. Mar.15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Glos. *humano generi.* Quod habet aliquid commune cũ omni creatura. Esse cum lapidibus, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis. Hæc autem communitas est causa, & aptitudo quædam naturalis in viribus apprehensiuis animæ humanæ ad apprehendendũ vniuersaliter species omnium creaturarum cognoscibiliũ. Et similiter est causa ex parte rerum cognoscibilium à cognoscente: cùm ad species obiectas conuertuntur. Apprehensiuæ per similitudinem, & per quoddam desiderium: quod iterum est naturale. Ipsa autem ratio in homine cum superiori, habet actionem omnium inferiorũ virium. Vnde Philosophus. *Quicquid potest virtus inferior, potest & superior.* Cui consonat Dionysius de cœlesti Hierarchia. *Ordines excellentes habent inferiorum dispositionum virtutes, & non è conuerso.* Et ideò omnium sensibilium creaturarum, & intelligibilium est ratio naturaliter cognoscitiua, ratione cõmunitatis naturalis: & ipsa cũ sit collatiua naturaliter, cognoscit creaturas esse signũ aliquod, vel vestigium, sicut artificiatum artificis: ex quo ratio naturaliter est cognoscitiua creatoris,

Hieron.

1.Co.9.

Mat.15

cuius creaturæ sunt vestigia, & signum; & sic patet, quòd ratio humana habet in sua natura, quòd sit cognoscitiua sensibilium creaturarum, & intelligibilium, & creatoris earũ: & quòd habet desiderium ductiuum ad cognoscendum hæc, & potest dici ductus naturalis rationis, quo ex solis bonis naturalibus ducitur tanquã ex primis motibus ex parte ipsius: similiter ex parte affectus sunt quędã aptitudines, naturales ad bonũ quas quidã Philosophi appellant seminaria virtutũ, quibus mouetur anima rationalis ad bonũ naturaliter. Ipsa verò anima rationalis, sic existens, est receptiua habitus multiplicis, scilicet, artiũ, & scientiarũ ex parte virtutis apprehensiuę, sed huiusmodi habitus nõ ducunt rationẽ ad ex metas, vel terminos ei debitos, secundum aptitudinẽ naturalẽ: sed sunt facilitatis, & directiones quędã ad cognoscendũ ea, ad quæ naturaliter se habẽt, & hi sunt habitus, acquisiti per ingeniũ, siue dati, vel infusi. Ex parte verò virtutis motiuæ, est receptiua habitus consuetudinalis; quo nõ erigitur affectus supra ductũ naturæ, vel supra quæ naturalis ratio dictat: affectũ verò sic se habentẽ cognouerunt Philosophi quidã nõ sufficere ad beatitudinẽ. Vnde Tulius: *Tullius.* *Sæpè diximus, & sæpè dicendũ est: naturaliter auidissimi sitis apprehendi: quia honesta sunt nobis innata virtutum seminaria: ita vt si pateremur, & anhelare liceret ad beatitudinẽ: Cum diuino munere natura nos ipsos perduceret. Sed iniculos natura nobis inditos sæpè retundimus.* Ecce quod exigitur diuinũ munus, est ergo præter huiusmodi habitus anima rationalis susceptiua ignis fidei: quæ est donũ fluens à Deo modo nobiliori, & vtiliori, quã sit modus secundũ quẽ fluunt naturæ, & bona naturalia. Huiusmodi autẽ gratia ducitur anima rationalis ad cognitionẽ taliũ, ad quẽ nõ poterat ratio ductu suo naturali adiuta, arte, vel sciẽtia, vel habitu cõsuetudinali. Cognita autem huiusmodi sunt Deus trinus, & vnus, & Verbum caro factũ est, & huiusmodi ad quæ nõ sufficiunt bona naturalia sine fide: quia ad hoc est parua natura, & statura pusilla, quæ signatur in Luc. 19. de Zacheo, *Qui cum non* *Luc. 19.* *posset videre IESVM, ascendit in arborẽ sicco morũ, &c.* Gloss. *deuotionẽ fidei ad videndũ Saluatorẽ*: quod natura minùs habet supplet ascensus arboris; & sic patet quòd fides sursum trahit vltra ductum rationis, & iste du- *Luc. 15.* plex ductus signatur in Luc. 15. de filio Prodigo, qui dixit Patri: *Da mihi portionẽ substantiæ, quæ me cõtigit.* Istevoluit id ad quod se ipso contigere potuit. Hoc enim fuit contingere se ipsum. Vnde Gloss. *Iste sua potestate voluit vti.* Vt nullo formidante, vel nullo regnãte, vel regente viuat: *Et diuisit illis bona sua* Gloss. *fidelibus suæ gratiæ portionem.* Quã desiderant impartiendo, & in fidelibus

A solũ naturalis ingenij beneficiũ concedendo; & sic patet, qualiter anima rationalis auxilio gratiæ super suum posse naturale eleuare in cognitionẽ diuinorũ, videlicet ad primã veritatem, & ad summa: & notandum, quòd in huiusmodi eleuatione anima non tantũ naturalẽ terminũ supergreditur, sed super se eleuatur, & suæ perfectioni appropinquat meliorando, & renouatur, & hoc secundũ potẽtias ipsius rationalis est: siue sint apprehensiuè, siue motiuæ, vt rationalis, irascibilis, & rationabilis cõcupiscibilis. In rationalibus enim, & apprehensiuis, & motiuis est imago Dei; & in his est renouatio per IESVM Christum. Apprehensiuè enim rationales habent dilectionẽ suam, & in homine, & in Deo. In homine, scilicet, in Christo, secundũ vtranq; naturã. Sed nota, quòd veritas duobus modis se habet ad speculationẽ, siuè cognitionẽ: aut, scilicet, vt sui pœnitentia remoueat ignorantiam: & hoc modo se habet omnis veritas ad intellectum speculatiuum, dum apprehenditur ab illo, & tunc delectatur ratio, vel intellectus. Sic dilectionẽ conuenit esse in sciẽdo. Aut, vt ipsius præsentia, non tamen remouea tur ignorantia: sed etiã nobilitetur, & melioretur potẽtia, præsentia ipsius veritatis, vt clarè videat, & aperte sine enigmate. Eo quòd secundũ se meliorari non possit. Huiusmodi verò est diuina veritas. Cuius præsẽtia ratio se sentit perfici, & meliorari; ex quo habet dilectionẽ talem, & tantã, qualem & quantam habere nõ posset ex præsentia, & in præsentia alterius veritatis. Similiter autẽ humana natura in Christo ex vnione ad diuinam habet summum suum, vt scilicet, tantũ sit meliorata quantũ potest; & in tantũ est, vt per hominẽ illũ ducãtur ad visionẽ Diuinitatis alij homines. Vnde & veritas talis apprehensa à virtute cognitiua nõ tamẽ remouet ignorantiã, non priùs apprehensiui: sed etiã videt, & sentit, vt sit meliorata; & etiã per illũ, quòd est eiusdẽ naturæ ducitur ad visionẽ deitatis: & hoc est, quòd dicitur 1. Cor. 15. *Cùm tradide* *1. Co. 15* *rit regnũ Deo & Patri, &c.* Glos. *Cũ perduxerit credẽtes ad contemplationẽ Dei Patris, vbi est finis omniũ, & requies sempiterna, & gaudiũ.* Sic ergò patet, quòd anima rationalis secundũ illas vires gaudet de visione deitatis, tanquã de visione summi boni perficientis ipsam: & de visione Dei hominis. Idest, Christi tanquã de visione optimi, & perfectissimi suæ naturæ. Cuius influentia sic se videt meliorari, & nobilitari, vt videat Deũ, & visio ista est ęternavita: Ioan. 17. *In qua summa* *Ioan. 17* *veritas, & summa bonitas.* Et sic reficiet rationabilẽ viui, quòd ex toto eam decorabit, & alliciet, vt nihil aliud querat videre, & habere, nisi ipsum, aut propter ipsum; & ideò erit cõtinuatio visionis. Item summũ delectabile, & concupiscibile sic sua suauitate perfundet,

fundet, vt nihil aliud amet, aut querat, nisi ipsum, aut propter ipsum, & ideò non erit fastidium. Item summè arduum summa sui immobilitate irascibile roborabit, & securabit; vt nihil tenere, aut tractare queat, nisi ipsum, aut propter ipsum: & ideò ibi non est
Aug.22 fatigatio. Vnde Aug. 22. de ciuit. Dei: *Ego ero, quæcunque ad omnibus honestè desiderantur.* Et infra. *Ipse erit finis omnium desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur sine fastidio amabitur, & sine fatigatione laudabitur.* Vt autem ad hoc perueniat anima rationalis, oportet, quòd habitibus inter medijs eleuetur; in qua eleuatione sunt gradus, & ordo. Quos, vt plenè cognoscas: nota quod est verum bonum, perfectum, delectabile, remotum imperfectionis, & in digétiæ. Et hoc secundùm ordinem causæ ad causatum. Item est in causato imperfectio; & hoc respectu suæ causæ, & indigentiæ. Scilicet regressibilitas in nihilum, nisi continuetur suum esse per suam causam, & hæc omnino possunt cognosci; & potest gentilis hæc contingere, & cogitare in aliqua visione primæ veritatis. Dicit ergo Aug. lib. de Trinit. 4. *Nonnulli sapientes mundi potuerunt aciem mentis vltra omnem creaturam transferre. Et lucem incommutabilis veritatis, quantulacunque ex parte contingere.* Hoc autem videntes, & cognoscentes possunt habere dilectionem. Et sicut est delectatio in scientia: quia illa veritas eis apparet sicut lucens. Sic eam amant, & non apparet eis sicut purgans.
August. August. 10. Confes. *Cur veritas parit odi? nisi quia sic amatur veritas: vt quicunque illud amat, illud volut esse veritatē: quia falli nolunt: Hi amant veritatē lucentē, & non redarguentem.* Ecce quod illa veritas multis modis potest apparere: & cum apparet eis sicut lucens: possunt cogitare quod per eam perficiuntur imperfectiones naturales in causato, & remouentur indigentiæ, & amant illam primam veritatem, qui sic cognoscunt eam. Et amor est naturalis inclinatio affectus ad illam veritatem sic cognitam: sed amare non potest plus homo, quā se extēdit naturalis cognitio; & nō potest sic operari, nisi attingat illā. Cuius duæ sunt causæ: Vna insufficiētia naturæ institutæ; alia imperfectio, quæ prouenit ex destitutione naturæ. Scilicet, miseria pœnalis ex culpa originali quoad reatum. Hūc autē deffectum, vel imperfectionē non cognouerunt Philosophi, ignorantes hominem fuisse in duplici statu. Et propter hoc miserias veras esse, quæ contractæ sunt: nec illa veritate sic lucēte cognoscunt. Sed si viderent illā, vt redarguentem: tum cognoscerent illam pœnalitatem esse per causas à suo creatore. Appareret autem eis illa veritas, si vellent credere. Ex his patet, quòd gentilis nō est in via. Nititur enim se, & ex hoc nō habent spem, nec formatā neq; informem. Si autem spes dicitur, quæ nō est veritas, sed cōfidentia ex cōsideratione libertatis diuinæ, nō dico misericordiæ. Sic potest infidelis habere spē. Id est, cōfidentiā, & hæc cōfidentia facit naturā niti, quātum potest esse secundùm se: sed totum parum prodest. De fideli autem aliter, est autē status naturalis respectu fidelium. Et sciēdum, quòd gratia Sacramentalis in qua sunt omnes virtutes naturaliter cùm suscipitur, vt huiusmodi est introducēs in vitā, quia hæc remouet impedimentum prouenies, ex destinatione naturæ. Et iuuat ipsam, & roborat, & eleuat, & perducit. Hoc autem sufficit, vt cōsecratus hac gratia, collocetur in patria: si decedat ante tēpus liberi arbitrij determinādum ad operādum: & hic est status vnus viæ. In adultis verò aliter. Gratia enim Sacramētalis semper stat cum gratia virtutis: vel quæ est virtus: quæ est ad operādum propter Deum; qua gratia, si nō operetur cùm debet operari homo: nō habetur nisi signū viæ, & memoriale aliquod, & deformātur virtutes in ea: & habet spē, & fidem informē: quia si nō operatur cùm debet operari: & nō impeditur aliunde, vel simpliciter, vel ad tempus: tunc peccat mortaliter; vel ex omissione vel ex negligētia, vel ex alio modo. Et sic est extrema viā: Quia cum signum, vel memoriale viæ habet, habet ad hoc aliquam spem: sed per illam nullum habet gaudium: quia est valdè remota à fide: quia illa nō est ad obtinendum aliquem terminum. Sed illa spes est idem, quòd nō differentia, de Dei misericordia. Hoc autē nō potest habere gentilis. Vel illa spes est respectu misericordiæ, vt iterum reuocetur: quod iterum nō potest habere gētilis. Si autē operatur, & est in peccato mortali, in idem reddit: cùm hoc qui non operatur. Sed si in veniali; tamen nō hoc est extra viam: sed plus moratur in via, & à recta cadit in non rectam; sicut inter duos terminos, & inter eosdem potest esse linea recta, & curua, & dyametra, & costa: sed dyametra est breuior: Vnde rectū diffinitur inter terminos, spacium breuissimum. Si autem sine peccato est, tunc habet spem formatā, ex qua oritur gaudium: licet non omnino plenum, quia nō adhuc nisi spe habetur premium, quantū est de ipsis virtutibus, fide, spe, & charitate. Si autem superaddita fuerint dona, vt amplior sit gratia, iam habetur pignus aliquod. Secūdùm quod dicit Apostolus, 2. Corinth. 1. *Dedit pignus spiritus in cordibus nostris*, gl. ideſt, *dona quæ sunt spiritus pignus, scilicet: quod est in omnibus.* Et talis sic se habens iam plus habet quā spē, quia iam habet quādā similitudinē eius per gratiā facientē deiformē, & de tali dicitur in sententijs: Quod talē rē aliquatenus nō solū iā spe: sed in re. Potest tamē in via adhuc plus habere à quibusdā, qui iam

2.Cor.1

iam habent, non tantummodo pignus : sed etiam arram: secũdùm quod arra est pars prę mij. Sed illi, etsi sint in via: non tamẽ hæc habent secundum statum viæ. Augustin. 12. super Genesim ad litteram: *Nemo Deum vidit viuens vita ista, nisi ab hac vita aliquo modo moriatur, siue omnino exiens à corpore. Siue ita auersus, & alienatus sensibus; vt merito nesciat, vtrum in corpore, vel extra corpus sit:* vt dicit Apostolus, ad Corin. 12. *Hanc enim visionem mens ab omni corpore, & ab omni labe mundata, & à similitudine corporis alienata: & abrapta corpore habere potest.* Colligе ergo ex prædictis, & nota, quòd tripliciter possunt distingui gradus, quibus ascenditur ad videndum Deum. Primò secundum ordinem actuum naturalem in se. Sicut docet Aug. in lib. de Quantitate animæ, ponens primum gradum inter actus animæ vegetationem, quæ est communis cum arbustis. Primus gradus videndi Deum. Secundò, sensus, qui est in nobis communis cum brutis. In tertiò, memoriam intelligibilem, quæ est communis doctis, & indoctis, bonis, & malis. Quartus gradus est eleuare se supra se, & mũ dare oculum animæ ab omni terrenitate. Quintus est, ipsam custodire, atque firmare sanitatem. Sextus est, serenum, & rectum aspectum in id, quod videndum est, dirigere. Septimus gradus est nõ iam gradus, sed mansio, & visio ipsa veritatis. Itẽ eosdem gradus aliter nominat dicens sic: ascendentibus igitur sursum versus. Primus actus docendi causa dicitur animatio. Secũdus sensus. Tertius ars. Quartus, virtus. Quintus, tranquillitas. Sextus, ingresio. Septimus, contẽplatio. Possent, & hoc modo appellari. De corpore per corpus circa corpus : ad se ipsam, in seipsa. Ad Deum : apud Deum. Possunt, & sic. Pulchriore de alio pulchriore, per aliud pulchre, circa aliud: pulchrè ad pulchrum. Pulchrè, in pulchrũ. Pulchre ad pulchritudinem, sed ista vt videnda sint, verè paucorum est: neque ad hoc quisquã nisi vera religione sit idoneus. Est enim religio vera, qua sevnit Deo anima. Vnde se peccato velut abruperat, reconciliatione religat. Item distinguuntur isti gradus secundum statum personarum, respectu obiectorũ: vt primus gradus sit visio in sensu, secundum imaginationem, & hic vtitur mũdo tanquã speculo. Secundus gradus in imaginatione, secundùm imaginationem: his non mũdo: sed mundi imagine vtitur, vt speculo. Tertius gradus est visio in imagine, secundũ rationem ; quando ratio imaginis quæritur, & cum admiratione inuenitur. Quartus in ratione secundũ imaginationẽ; quando per visibilium similitudines in inuisibilia ratio subleuatur. Quintus, in ratione secundum rationẽ: quando ex quibusdam cognitis ad aliqua incognita ratio ratiocinando progreditur. Sextus supra rationẽ, non propter rationẽ: quando per mentis subleuationẽ cernit, quod naturæ metas transcẽdit. Et ei, quod per aciẽ intelligentiæ cernitur : natura rerũ acquiescet. Septimus supra rationẽ: & hoc est speculo fidei : *Quæ est substantia rerũ sperandarũ argumentũ non apparẽtiũ.* Ad Hebr. 11. Octauus est extasis siue raptus in qua Rachel, id est, ratio moritur, & Beniamin, id est, perfectio contẽplarionis generatur. Omnes hi gradus distinguntur secundũ ordinem potentiarũ, & actuum respectu obiectorum. Secundo modo sunt gradus in huiusmodi eleuatione animæ ad Deum: sed in maiorẽ habitum gratuitorum perfectionem animam super posse naturæ magis, & magis eleuantium : & Deo propinquiùs coniungentium. Inter quos primò gradu eleuant gratiæ Sacramẽtales: impedimenta culpæ, & pœnæ remouentes: & fomitem diminuẽtes: quæ animã trahunt deorsum. Secundo gradu sunt virtutes animam in esse gratuito perficientes; post, & per operationem finem dirigentes. Tertio gradu dona animã ad excellentiores actus gratuitos perficientes, & magis eam fini coniungentes. In quartu sunt fructus animã secundum possibilitatem viæ Deo coniunctam delectantes, & reficientes: cum his quatuor gradibus à latere currunt beatitudines circa subiectũ, in quo sunt prędicti habitus statũ perfectionis. Secũdum modũ viæ cõplentes. Tertio modo est ordo in prędicta eleuatione animæ ad Deum secundũ diuersitatẽ status subiecti, quod eleuatur, & diuersitatẽ medij per quod eleuatur. Diuersitas status subiecti quadruplex est. Eorũ enim, qui eleuãtur ad videndũ alij sunt in statu viæ; alij præter statũ viæ; alij super statum viæ, & iuxta statum patriæ; alij in statu patriæ. Illi, qui eleuantur per modum viæ: vident per speculũ in enigmate: & faciunt quinque gradus. Primus gradus est, videre per vestigium in creaturis. Secũdus, per imaginẽ in anima. Tertius fide informi. Quartus fide formata. Quintus contẽplantium. Illi, qui vidẽt præter statum viæ, vidẽt per speculum in lumine: & faciunt quatuor gradus. Primus, est visio prophetarũ. Secundus Moysi facie ad faciẽ: de quo dicitur Exod. 33. Quòd loquebatur ei Deus, non sicut in Prophetis, sed ore ad os: sicut loquebatur amicus amico. Tertius est visio Ioannis in pectore Domini, de quo Aug. *Transcendit omnem nebulã, qua omnis terra tegitur, & peruenit ad limpidum cœlũ,* scilicet. *Deitatis claritatẽ.* Itẽ Augustin. *Deitatis potentiã limpidiùs contẽplans cæteris: cum Domino ad cœlum volans cœlestis sapientiæ hausturn de Dominici pectoris fonte limpidiùs cæteris potauit.* Quod intelligitur respectu aliorum Euangelistarum. Quartus gradus est visio animæ Adæ in statu innocentiæ ; quæ fuit intellectus existens

Hebr. 11

Exo. 33

Augustin.

stens sine omni enigmate. Non tantùm culpæ, sed & panæ, & potentiam animæ existentis in corpore, quodam modo, & sine omni fomite: & ita naturæ non deterioratæ per peccatum; & ideò est vltima in genere illo. Illi, qui vident supra modum viæ sine speculo in lumine, etiam faciunt tres gradus. In primo gradu est cognitio Adæ in sopore, de quo
Gene. 2. super illud Gen. 2. *Immisit Dominus soporem in Adam Gloss. Extasis illa ad hoc immissa est; vt mens Adæ intrans Sanctuarium Dei nouissima intelligeret particeps Angelicæ curiæ.* Secundus gradus est raptus; sicut vidit Paulus, & Ioannes in Apocalypsi. De
2. Co. 12. visione Pauli dicitur in Glos. 2. Corinth. 12. *Quòd Apostolus vidit Deum in illa vita: qua videndus est in æternum.* Et item, quòd vidit sicut ille de tertia Hierarchia, id est, sine medio. De visione Ioannis dicitur in prologo super Apocal. Intellectualis visio ste, quãdo Spiritu Sãcto intimãte aliquis cõcipit aliquod mysticum; sicut Ioannes in hoc libro fecit. Nam nõ realiter ista vidit; sed Diuino sufflãme inspirante. Conuenientia enim signa passionum designantur, & intellectui suo configurantur, & ita visionem Ioannis, & Pauli ponimus in eodem gradu. Tertius gradus est, cognitio Beatæ Virginis in via, quæ omnes prædictas cognitiones tribus gradibus supergreditur. Primus est, eleuata puritas, qua excellit omnem viatorem. Secundus est, medij eleuantis improportionabilis quantitas. Videlicet, gratiæ plenitudo, quæ in ea tanta fuit, quòd in pura creatura æqualis esse non potuit. Tertius est, eleuantis charitas, scilicet, Dei, quæ eam super omnem creaturam dilexit: & improportionabili charitate sibi eam sociauit: & ideò hæc visio eius dicit omnem visionem viæ, propinquissimam visioni patriæ, &c. tantùm ad actum. Illi autem, qui leuantur secundum statum patriæ, vident per speciem; & faciunt tres gradus. In primo gradu est, visio hominum anima, & corpore glorificatorum, de
August. qua dicit August. *Hoc minimè dubitandum est, raptam hominis à carnis sensibus mentem, & etiam post mortem ipsa carne depurata videre Deum, sicut vident Angeli.* Angeli enim vident Deum ab omni corporali forma, & à corpore separari: cognitio autem animæ glorificatæ propter vnionem animæ ad corpus, est inferioris gradus; & hoc intelligendum est, secundùm quod ordinatur natura ad naturam. Secundum enim esse gratiæ habent se, vt excedentia, & excessa. In huius modi eleuatione secundus gradus est visio Angelorum. Tertius verò gradus visionis patriæ, est visio glorioßissimæ Virginis Matris Dei, quæ super omnes puras creaturas improportionabiliter limpidissimè, & propinquissimè contemplatur maiestatem Dei;

A vt pote super omnes choros Angelorũ exaltata, & ideò tres Hierarchias supergressa in quarta à dextris cũ Filio Dei, id est, in potioribus bonis collocata. Super omnes visiones has Dei visio est Domini nostri IESV Christi: in qua possum, quoque tres gradus assignare. Primus est, visio Domini nostri IESV Christi, quam habet per gratiam comprehensoris: qua inter omnes comprehensores perfectissimè videt Deum, & omnia ad suam, suorum beatitudinem spectantia. Secundus gradus est per gratiã vnionis, qua ad hoc excellentiùs cognoscit anima Christi naturam diuinam sibi vnitam, & omnia ad mysterium vnionis, & Incarnationis spectantia. Vltima visio est Domini nostri IESV Christi, quæ debetur ei ratione diuinitatis, quæ est eadem, quæ est visio totius Trinitatis, respectu cuius omnes prædictæ cognitiones, & visiones sunt imperfectę; sicut creatura respectu Creatoris essentiæ: & respectu huius, dicit Gregorius. Quòd essentia Dei à nullo plenè videbitur. Et Isidorus: quòd Trinitas sibi soli nota est & homini assumpto. Nunc ergo reuertamur ad cognitionem Beatæ Virginis, propterquam hęc omnia sunt introducta. Concedimus ergo, quòd Beata Virgo omnem cognitionem, & modum cognoscendi, quàm aliqua creatura habuit in tribus, vt dictum est, gradibus esse supergressa: & propter hoc tripliciter excellit alias cognitiones omnium viatorum in perfectionis cognitione. In habitus possessione, in modo cognoscendi cum quiete, & sine abstractione; qualis est in raptu. Perfectio enim cognitionis maior debetur ei ratione maioris eleuationis per habitus nobiliores, & excellentiores habitus, possessionẽ dico; quia talis habitus actus, qualẽ habuit Paulus in raptu ad tempus, & post statum non habitus cum actu cessauit. Talem, inquam, generis habitum, sed perfectiorem Beatissima virgo semper, & continuè habuit ab eo, quo primum mater Dei facta est, & fuit; vsque dum idem habitus in glorioßam cognitionem secundùm statũ patriæ perfectus fuit, & ita continuatio possessionis debebatur ei ratione perfectionis maioris; quia huic vitæ super omnes viatores funditùs mortua fuit; propter quod vita eius cum Christo in Deo abscondita semper fuit, & curiæ Angelicæ præsens: Intra Sanctuarium Dei habitauit. Modus etiam cognoscendi non fuit per modum abstractionis, vel stuporis, vel extasis, vel etiam soporis. Hæc autem cõtingunt per excellentiam, & improportionabilitatẽ luminis ad intellectum illuminabilem; vt patet in lumine corporali, in transfiguratione Domini, quando ostendit eis claritatem si- *Ma. 17.*
millimam claritate gloriæ. Dicitur enim Ma *Lucæ 1.*
th. 17. Cap. & Luc. 9. quòd Petrus, & qui cũ

eo

eo erant, grauati erant somno: ita vt videre non possent. Vnde Domino, Petrus. *Bonum est nos hic esse*; nesciens quid diceret. Stupor enim circumdederat eum. Similiter in lumine spirituali est. Vnde Paulus excellentiori visione stupefactus dicit 2. Corin. 12. 2.Co.12 *Vtrū in corpore, vel extra corpus nescio Deus scit.* Hunc autem stuporem Beatissima Virgo nō habuit: cuius intellectus Dei formior, & illi luci proportionabilior fuit. Vnde sicut lux eadem, quæ est ægris oculis odiosa. Sanis oculis est amabilis; & sicut per eandem lucem clari oculi perfectiùs vident, & sine perturbatione: egri autem minus perfectè, & cū perturbatione: ita lux spiritualis, quæ oculis Pauli fuit improportionabilis, raptum fecit, cum stupore. Talis autē lux oculis Beatissimæ Virginis fuit proportionabilis, sine stupore, cum delectatione. Hoc enim debebatur ei, ratione puritatis, & munditiæ, qua super Paulum, & omnes viatores nitebat improportionabiliter, & excellenter. Concedimus ergo, quòd in Beatissima Virgine fuit habitus fidei; & possunt duo habitus esse simul: vnus ad minus perfectum habitum, alter ad magis perfectum. Sicut & actus, qui est in raptu potest esse cum habitu fidei: & tandiu est aliquid de obscuritate, & non ita plenè depurata, sicut in statu comprehensoris quandiù est in via: illi tamen depurationi similima, quæ est in patria quando potentia omnino erit deiformis. Ex his patet solutio ad ea, quæ de fide Beatissimæ Virginis sunt obiecta. Ad ea autem, quæ de ipsius charitate sunt obiecta, respondere prænotamus similiter; & ad ea quæ de spe sunt obiecta, quod tria exigūtur ad hoc, quòd charitas viatoris perficiatur, vt tranſeat in charitatem comprehensoris, in subiecto charitatis. Primum est depuratio. Secundum est sui in se collectio. Tertium est alienatio. Primum ergo oportet, quòd fiat separatio à contrarijs dispositionibus in subiecto, quæ impediunt per contrarias dispositiones charitatis perfectionem. Sunt autem tria à quibus deberet purgari, & segregari: videlicet culpa, pœna, corpulentia: per omnia istatria impeditur perfectio charitatis in viatoribus in statu isto. Per primum, peccatores. Per secundum, tantùm impediebantur Patres in lymbo. Per tertium, tantùm Adam in Paradiso: & de his tribus impedimētis dicitur in lib. Sapien. 9. *Sap.9.* *Corpus quod corrumpitur aggrauat animā, &c.* Corpus corpulentiam: corruptio culpam: aggrauatio pœnam. Nec obstat, quòd in Domino IESV Christo fuit fruitio: vbi tantùm fuit corpulentia & pœna; quia vnio ad diuinam naturam vicit, & abstulit hæc impedimenta. Secundum quod exigitur ad charitatis perfectionē, est subiecti in se collectio, per quod etiam tria ponuntur impedimenta.

A Anima enim secundùm quod, quædam natura est, & forma corporis naturalis, ligatur ad corporalium imagines & species: obligatur ad diuersas corporis passiones, & diuiditur in diuersas imagines. Augustin. in lib. de Trinitate *Tanta vis est amoris, vt quæ cū amore diù cogitauerit eis curæ glutino inhæserit: attrahit secum etiam cum in se cogitandam quodam modo reddit.* Et infrà. *Errat igitur mens cum se istis imaginibus tanto amore conīūgit, vt etiam se ipsa aliquid huiusmodi existimet.* Post hoc dicit, quòd fuerunt ex hoc diuersi errores philosophorum aliquorū ponentium eam esse ignem, alij athomos, & sic de alijs: & ibi subiungit sic. Hic enim oboritur erroris dedecus; dum rerum sensitiuarum imagine secernere à se non potest, vt se solam videat. Cohærent enim ei mirabiliter glutino amoris. Et hæc est eius immunditia: quoniā dum se solam mittitur cogitare; hoc se putat esse, sine quo se non potest cogitare. Cùm igitur ei præcipitur, vt se ipsam cognoscat, non se sibi tanquam detracta sit, addere præcipitur: sed vt sibi, id quod addit, detrahat. Hæc est ergo prima collectio ab imaginationibus corporalibus: detractio de obligatione ad corporis passiones. Augustin. in libro de Anima & spiritu. *Quibusdam affectibus, & quadam amicitia anima corpori tungitur. Secundum quam amicitiam nemo carnem suam vnquam odio habuit. Socio namque eius est, licet eius societate prægrauetur. Ineffabili namque conditione diligit illud, amat comitem suum, & ideò libera esse nō potest. Doloribus eius vehemēter afficitur, formidat interitum, quæ mori non potest, oculorum speculatione de pascitur. Sonoribus delectatur: auditibus suauissimis iucundatur: odoribus larga epulatione reficitur: & licet his rebus nullatenus vtatur: graui tamen merore afficitur, si subtrahantur.* Tertium impedimentum est omnino ad operationes; de qua Augustinus in libro de spiritu & Anima. *Anima autem secundum sui corporis effectus varijs nuncupatur nominibus. Dicitur enim Anima dum vegetat: spiritus dum contemplatur: sensus dum sentit: animus dum sapit: mens dum intelligit: ratio dum discernit: dum recordatur, memoria: dum consentit, voluntas.* Ab istis ergo tribus colligitur anima in se ipsam. Per corporalium imaginum abstractionem: per passionum corporis cessationem: per operationum vnionem. De vnione actuum dicit Augustinus. *Sensus ventetur in imaginationem: imaginatio in rationem: ratio in intellectum: intellectus in intelligentiam: intelligentia in Deum.* De abstractione à passionibus Augustinus in lib. Soliloquiorum. *Dum in hoc corpore est anima, etiam si plenissimè videat: hoc est, intelligat Deum: quia tamen corporis sensus vtun-*

Augustin. Augustin. Augustin. Augustin.

vtuntur proprio opere: si nihil valent ad fallendum, non tamen nihil ad ambigendum; & potest adhuc dici fides ea, qua resistitur, & illud esse verum potius creditur. Item, quia in vita ista, quanquam Deo intellecto anima beata sit: tam, quia multas molestias substinet: sperandum est post mortem omnia ista incommoda non futura; ergo neque spes, quæ in hac vita est, deserit animam: sed cùm post hanc vitam totam se in Deum colligit charitas: restat, quòd ibi teneatur. Item Au-
Augusti. gust. in lib. de anima, de spiritu. *Lumen animæ est Deus, cum affluentia dulcedinis suæ, bonum carnis est mundus cum humana iucunditate: sed mundus exterior. Deus autem interior. Nihil enim Deo interius est, nihil eo præsentius. Interior est omni requie.* Ipse est super omnia; ab hoc ergo mundo reuertentes ad Deum, & quasi ab hinc sursum reuertentes, per nos metipsos transire debemus ad Deum: Hoc est, intrare ad semetipsum; & non solum intrare ad se, sed ineffabili quodãmodo introitu se ipsum transire. Qui est inferius intrans, & intrinsecus penetrans: ille se ipsum transcendit: ille istinc ad Deum ascendit. Ab huiusmodi ergo detractionibus nostrum cor colligamus, & ad æterna gaudia reuocemus, vel saltem ab illicitis, & vanis cogitationibus restringamus; vt aliquando radiũ cogitationis in lumine figere valeamus. Hæc est enim requies cordis nostri, cùm Deũ suum contemplatur, & per ipsum sua contẽplatione suauiter reficitur; & dulcis est illi semper ad desiderandum, ad laudandum, & amandum; & semper suaue. Nihil enim ad beatam vitã præstantiùs videtur, quàm quod clausis carnalibus desiderijs, & sensibus extra carnem; mundumque effectum quempiam intra semetipsum conuerti: alienumque effectum à cupiditatibus mortalium sibi soli, & Deo loqui. De ista triplici collectione simul. Scilicet, actum & affectum Augustinus
Augusti. in libr. de quantitate animæ, ait: *Purgatur mens à peccati colluuione: ab errorũ obtenebratione: à rerum fantastica imaginatione: à rerum innaturalium fallaci proportione, à rerum temporalium vana delectatione.* Tertium quod erigitur ad charitatis perfectionem, est eleuatio, quæ fit per tria. Fit enim natura conante, gratia subleuante, Deo attrahente. De conamine naturæ dictum est supra de Zacheo in solutione: post de mode-
Luc. 19. stia vestium, quod *statura pusillus erat*: & de subleuatione in Deum: quia *ascendit in arborem*, cum Glos. supra dicta. Sed quia non sufficit ad coniunctionem, quæ est in charitatis perfectione, nec conatus naturæ, nec subleuatio gratiæ; sine diuinitatis attractione:
Can. 1. ideò clamat sponsa. *Trahe me post te* Cant. 1.
Ioan. 6. & Dominus in Euangelio Ioã. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* &c. Ad conatum naturæ disponunt antecedentes miseriarum præsentium stimulationes, propriæ defectibilitatis cognitio, ac summæ perfectionis naturalis appetitio. Ad istam eleuationem disponunt antecedentes inchoatiuæ gratiæ Sacramentales, & virtutes. Gratiæ sanando à malo culpæ, & pœnæ. Virtutes adijciendo in bonum progressiuè dona & fructus. Dona ad ex celétiores actus adiuuando. Fructus laborantem reficiendo. Cõpletiuè autem secundùm vię statum beatitudinis. Secundùm statum patriæ dotes. De atractione nota. Quòd sicut in naturalibus maior est motus, quantò maior sit appropinquatio ad suum vbi: ita, & in voluntarijs. Et non est sola appropinquatio causa augmenti: sed similitudo, & conuenientia ad suum vbi. Vnde quantò magis lapis mouetur deorsum; tantò magis intenditur suus motus: & similiter ignis sursum: & ita in naturalibus motus naturalis sufficit mutare comparationem mobilis ad suum vbi: & per hoc solum fit propinquum. Sed in voluntarijs motus naturalis non sufficit mutare situ ipsius virtutis ad suum vbi, sine ipso vbi; & hoc est: quia in naturalibus est tantùm vbi: ita quod vbi est motor tantùm: sed in voluntarijs ipsum vbi, est motor & cooperator. Et ita per id, ad quod motus est: & quod mouet per ipsum; habet motus, quod fit appropinquatio. Est autem istius appropinquationis terminus perfecta conformitas voluntatis diuinæ, & humanæ deiformis affectio. Ad hanc autem attractionem & apropinquationem, & conformitatem tria specialiter disponunt antecedenter in via, opera: scilicet, instructionis, vel ædificationis opera pacientiæ, vel passionis opera supererogationis. De operibus instructionis Augustin.
Lex est hæc diuinæ prouidentiæ, vt nemo nisi à superioribus adiuuetur ad cognoscendam, vel participandam gratiam. Vnde, & in Ioãne. 11. cap. legitur de Caypha. *Cùm esset Pontifex anni illius prophetauit*: in quo Dominus ostendit, quòd etiam in malis ratione prælationis ad vtilitatem aliorum dona tribuit. Vnde de Saul legitur. 1. Regum. 10. Quòd post vnctionem in regem, in troiuit in eũ spiritus Domini, *& prophetauit*. De operibus patientiæ, & passionis dicit Apostolus 2. Corint. 12. *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Quod & figuratur in Iob vltimo ca. Qui post perfectam victoriam per patientiam suam omnia bona sua recepit *duplicia*. De operibus supererogationis, Marc. 10. *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit Domum, &c. qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc, &c.* Consistit ergo ista perfectio charitatis transeunti de statu viæ, in statum patriæ, in plena depuratione, in omni moda collectione, in perfectissima eleuatione.

Ioã. 11. *1. Re. 10.* *2. Co. 12.* *Iob. vlt.* *Ma. 10.*

ne. Patet ergo, quòd perfectio charitatis de A
ſtatu viæ in ſtatum patriæ tranſmutandæ
ſit ſine ſubſtantiali additione per perfectio-
nem ſui in ſe; per actus extenſionem; per a-
ctus, & habitus melioratione, & nobili-
tatem: & per ſummam cum ſummo bo-
no coniunctionem. Vnde credimus, quòd
ſicut corpus glorificatur ſuo modo; ita ani-
ma glorificatur ſuo modo, & charitas glori-
ficatur ſuo modo. Manifeſtum eſt autem,
quòd corpus glorificatur per depurationem
& eleuationem, & nobilitatẽ ſine extrinſeca
adiectione: corpus enim conſtituitur ex qua-
tuor elementis, & quinta eſſentia, & ſecun-
dùm duos ordinatur ſtatus: ſtatum, ſcilicet,
corruptionis, & ſtatum incorruptionis. Cùm B
enim quatuor elementa ſint corporalia ſe-
cundùm partes, & quinta eſſentia ſit incor-
poralis; quandiu in corpore humano ope-
rantur, & dominantur qualitates elementa-
les, & ſunt actiuę, & formales; & ſecundùm
eas regitur, & adminiſtratur corpus: proprie
tates quintæ ſunt ſopitæ, quaſi ſine actione.
Neceſſe eſt ergo corpus ſubiacere penalitate
paſsibili torti, & corruptioni; & tandẽ diſſol
ui propter continuã pugnam contrariorũ ad
inuicem repugnantiũ. Quorũ tandem neceſ-
ſe eſt alterum vincere ſuper alterum; & ſic
alterum expelli, & armonia deſtrui, & ani-
Phil. mam ſeparari, & corpus diſſolui. Iuxta il-
lud Phil. *Egrediente anima corpus expirat,* C
& marceſcit. Cùm autem natura ſemper in-
tendat ſui continuationem, ac ſui eſſe perpe-
tuationem & ſublimationem, in quantum
poteſt: inconueniens eſſet, quòd in corpore
compoſito ex natura incorporali, vt ex na-
tura lucis: & naturalibus corruptibilibus, vt
ſunt elementa; ſemper eſſent formales, &
actiuæ proprietates naturarum minus nobi-
lium & corruptibilium: & nunquam regu-
laretur, & adminiſtraretur corpus ſecun-
dùm naturam incorruptibilem, & melio-
rem: ergo neceſſariò erit tranſitus de pro-
prietatibus naturarum corruptibilium, ad
proprietates naturæ incorruptibilis, &
de actionibus naturarum corruptibilium D
ad actionem naturæ incorruptibilis. Hoc au-
1.*Co.*15 tem fit *cùm corruptibili hoc induerit incor-*
ruptionem: In quo quidem ſtatu remanebunt
elementa ſecundùm ſubſtantias ſuas ſopitas
ceſſantes ab actionibus materialibus, ſecun-
dùm naturam corporis quinti, dominio exi-
ſtente, & omnes exercente actiones. Et ſic
naturæ prius agentes modo ſopiuntur; & ſic
ſopitæ non omnes operationes in corpore
operantur. Simili modo glorificatio animæ
videtur fieri per hunc modum. Cùm enim
anima habeat modo operationes quaſdam,
ſecundùm proprietates naturales, & gratui-
tas. Operationes, quæ fiunt ſecundùm qua-
litates naturales, fortes, & euidentes ſunt,
& frequentes. Operationes autem gratuitę,
debiles, & raræ, & exiles, & immaniſeſtæ.
Inconueniens autem eſt, quòd ſubſtantia
rationalis habens operationes magis & mi-
nus nobiles, ſemper exerceat minus nobiles,
cum euidentia, & excellentia & frequentia:
ergo neceſſariò erit alter ſtatus animæ; quo
operationes nobiliores erunt euidentes, &
excellentes, & animam perficientes. Pro-
prietates autem naturales, ſopitæ, & mate-
riales, & ſine actione. Hoc autem erit, quan-
do. *Nec eſurient, neque ſitient amplius,* *Apo.7.*
quantum ad nutritiuam; *neque nubent, ne-* *Ma.22.*
que nubentur, quantum ad opera natura-
lia: & ſenſus in imaginationem, & imagina-
tio in rationem, vt ſupra, quantum ad ope-
ratiua ſecundùm potentias in Deum con-
uerſiuas per actiones, qualitatibus gratuitis
informatas. Et hæc eſt glorificatio animæ
ſecundùm ſe. Cùm autem, & ipſæ proprie-
tates gratuitæ, quædam ſint imperfectæ; quę
dam autem cum imperfectis coniunctæ. Nec
poteſt eſſe plenè perfectũ, quòd in ſe eſt im-
perfectum, vel imperfecto coniunctum: cùm
proprietates huiuſmodi ſint ſumma animæ
perfectio, neceſſe eſt imperfectum euacuari,
& perfectum ab ipſo ſeparari: ſola autem
charitas perfecta eſt, quæ eſt vinculum per-
fectionis: ergo neceſſe eſt, omnes alias vir-
tutes euacuari, vel ab actionibus ſopiri. So-
lam autem charitatem dominari, & exerce-
re omnes operationes. Et tunc implebitur
benè quod præceptum eſt Deut. 6. & Mat- *Deu. 6.*
th. 22. & Marc. 12. & Luc. 10. *Diliges Domi-* *Mat. 22*
num Deum tuum ex toto corde tuo. Quod *Mar. 12*
tunc implebitur quando omnis actus natu- *Luc. 10.*
ralis ceſſabit quantum ad actum, & omnis
alterius virtutis habitus ſopitus erit, quan-
tum ad actum; & anima in eſſe ſuo nobiliſsi-
mo toto, nobiliſsimo habitu implebitur; &
nihil, niſi charitas in anima ad actum egre-
dietur cùm omnia prætereant, præter amare
Deum. Tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt 1.
Cor. 13. *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue* *1.Co.13*
linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ip-
ſa enim ſcientia materia eſt affectionis, & via
in dilectionem. Vnde actus ſcientiæ ſecun-
dùm quod eſt motus ad effectionem; deſtrue-
tur ſola charitate totum occupante. Et hæc
eſt glorificatio charitatis, quæ glorificati-
uam generat lætitiam, de qua dicit Petrus:
Credentes autem exultabitis lætitia inenar-
rabili, & glorificata reportantes finem fidei
veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum: vt ha- *1.Pe.1.*
betur 1. Petr. 1. Ex prædictis ergo collige;
quòd ſicut glorificatio corporis fit ſine ex-
trinſeca adiectione, & etiam animæ ſine ex-
trinſeca adiectione, & quòd eſt eadem ſecun
dùm ſubſtantiam charitas viæ, & charitas pa
triæ. Sicut ergo charitas Beatæ Virginis mo-
do in ſtatu patriæ, maior eſt charitate om-
nis

nis puræ creaturæ, & quantum ad substantiam, & quantum ad actum. Ita & eadem charitas in statu viæ maior fuit omni charitate puræ creaturæ secundùm substantiã, sed non quantum ad actum: fuit enim charitas Beatę Virginis maior charitate omnium Angelorum quantum ad substantiam, sed non quantum ad actum. Minor autem fuit quantum ad actum charitate minimi Angeli Beati. Quod autem maior substantia, minor est in actu, facit subiecti conditio. Contrarij coniunctio. Minor motoris attractio. Quæ tamen attractio semper in actu esset, si ex parte attrahibilis, vel ex parte sui, vel gratia adiuncti non staret. Hoc autem intelligimus, quod si Deus Angelum ex nouo crearet: & ei illam charitatem quam Beatissima Virgo in via habuit infunderet: ille Angelus tantùm Deum diligeret, quantùm Beata Virgo modò in patria diligit. Nota etiam, quòd licet charitas Beatissimæ Virginis minor esset charitate alicuius Angeli quantum ad actum; maior tamen fuit quantum ad affectum. Charitas enim Angeli est in statu merendi, quantum ad præmium substantiale. Quilibet autem actus charitatis in Beata Virgine fuit meritorius vitæ æternæ, & beatitudinem habuit; beatitudinem Angelorum transcendentem. Habuit etiam Beatissima Virgo charitatem ad proximum, sicut ad Deum, vt patuit in opponendo; & hoc non tantùm quantum ad actum interiorem: sed quantum ad operis exhibitionem: ita quòd maxima fuit in effectu. Nec obstat quòd dicitur, quòd animam suam pro proximo non posuit, immo animam filij, & ipsum filiũ pro proximo posuit: quem plusquam propriam animam dilexit: & propriam animam si necesse, fuit passioni obtulit propria voluntate, & eam in passione filij crucifixit cum filio; & sic duas animas obtulit, sicque effectum dilectionis duplicauit: & hoc est quod dicitur Luc. 2. *Tuã ipsius animam pertransibit gladius.* Credimus etiam sine præiuditio melioris sententiæ: Beatissimam Virginem in conceptione filij Dei, charitatem filij talem, ac tantam accepisse, qualis, & quanta pertingi poterat à pura creatura in statu viæ, & nobilioris conditionis, quàm charitas, quæ est in summo augmento, secundùm statum vię augmentabilis, & possibilis ad illam. Concedimus etiam, quòd Beatissima Virgo habuit medium statum inter statum simplicis viatoris, & statum simplicis comprehensoris, scilicet, statum secundùm quem fuit simplex viatrix, & simplex comprehendens. De virtutibus autem cardinalibus dicimus, quòd habuit eas per modum patriæ quantum ad actum perfectionem; per modum viæ, quantum ad merendi conditionem; & ita habuit eas medio modo, inter comprehensores, & viatores. Medio modo, per participationem talem, in quam participationem, qua accepit meliorem partem ab vtroque extremorum, comprehensores habent virtutes has secundùm actum perfectionem, sed præter merendi conditionem: viatores autem cum merendi cõditione, sed cum actum in perfectione: ipsa autem habuit eas cum actuum perfectione, sicut comprehensores, & cum merendi conditione sicut viatores. Vnde habuit eas excellentius viatoribus, quantum ad effectum: vnde concedamus omnes obiectiones ad hoc inductas. Ad hoc quod vltimo expositum est de modestia, & animi cultu distinguentes, respõdendo dicimus: quòd habitus secundùm qualitates, tripliciter distinguitur. Est enim habitus triplex, habitus vanitatis, habitus humilitatis, habitus mediocritatis; de primo loquuntur primæ auctoritates. Secundus habitus pertinet ad modestiam temperantiæ: secùndum communẽ statum, ad quem tenentur omnes boni, & imperfecti: omnes enim habere tenentur habitũ mediocrem. Tertius habitus humilitatis, est habitus perfectorum: qui dicitur habitus humilitatis, & habet similiter sua extrema, & suũ medium. Potest enim esse parum humilis, vel minus humilis, vel mediocriter humilis. Dicimus autem, quòd habitus Beatissimæ Virginis fuit habitus humilitatis, sed mediate, id est, mediocriter humilis: & in illo sensu loquitur Hieronymus cùm dicit: quòd *ornatus vestium, &c.* Idem etiam credimus de vestitu Domini, & aliorum sanctorum: sed quæritur qualiter Beatissima Virgo alios viatores ista mediocritate poterat excellere: cùm de quo cunque panno vestes habuerit; alij de eodem vestiri potuerunt; ad hoc dicendũ secundùm Philosophum, quòd circa particularia in huius modi ars medium determinare nescit. Descendentem enim ad indiuidua, Plato iubet quiescere. Singularia enim sunt infinita, nec eorum est disciplina. In huiusmodi enim gratia, potẽtior est arte: dicimus ergo, quòd Beatissima Virgo alios in hoc excessit in cultu, & quod super arctem per vnctionem, scilicet, spiritus sciuit præcissè mediocritatem in habitu humilitatis obseruare.

Lucæ 2. *Hieron.*

De Donis.

CAP. 97.

Post hæc quæritur de donis, qualiter septiformis plenitudo gratiæ per septiformium donorum distributa in ista plenitudine sit contenta: & videtur, quòd similiter secundùm excellentiam, sicut dictum est de virtutibus, & hoc, hac ratione: sicut se habet virtus ad virtutem, sic se habet donum ad donum: sed virtutes in Beatissima Virgine excellunt

cellunt omnes virtutes viatorum: ergo & dona. Item quidquid est superius, superiore, superius est inferiore: virtutes Beatissimæ Virginis excellunt omnes viatores; & dona excellunt virtutes in suis actibus: ergo dona Beatissimæ Virginis excellunt omnes viatores. Item in Hierarchia cœlesti supremus ordo est Seraphin, & qui excellit in charitate, quæ est excellentissimum donum, excellit in alijs omnibus donis: ergo & in Ecclesiastica Hierarchia erit sic: sed Beatissima Virgo excellit omnem creaturam in charitate: ergo & in alijs donis? Item dicit beatus Gregorius. Quod sapientia opponitur stultitiæ, siue insipientiæ, scientiæ luxuria, intellectui gula, timori superuia, fortitudini accidia, pietati auaritia. Item in Luc. 11. & Matth. 12. *Assumit septem alios spiritus nequiores se.* Super quod dicitur, quot intellectui opponitur ebetudo, consilio temeritas, precipitiũ fortitudini, remissio timori, scientiæ ignorantia. Ex his patet, quòd dona in viatoribus cõmuniter sunt cum permixtione ad contraria; igitur cum pugna ad contraria: ergo sunt in ea secundùm modum, qui est secundùm statum viatorum. In Beatissima Virgine non sunt passibilia cum pugna ad contraria: ergo sunt in ea secundùm modum, qui est super statum viatorum.

*Luc.*11. *Mat.*12

De Sapientia.

CAP. 98.

Post hoc quæritur de Sapientia specialiter. Prouer. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia:* hæc propositio est per se in Theologia: ergo vbi maior humilitas, ibi sapientia; vbi summa, ibi summa: sed in Beatissima Virgine improportionabilis fuit humilitas: ergo improportionabilis sapientia. Minor patet in Euangelio, per illud, quod dicitur Luc. 14. & 18. *Qui se humiliat exaltabitur:* quæ similiter est per se: ergo qui improportionabiliter alijs exaltatur, improportionabiliter alijs humilis demonstratur: sed Beata Virgo super omnem chorum Angelorum secundùm Hieronymum, in quartam Hierarchiã exaltata improportionabiliter alijs super choros Angelorum ascendit: ergo omnium hominum, & Angelorum humillima fuit: ergo, & in sapientia omnes transcẽdit. Item sapientia est quidam gustus spiritualis primæ veritatis per modum summæ bonitatis: in gustu autem tria sunt consideranda. Primum, vt dicit Philosophus: gustus est quidam tactus. Item in gustu, discretio est gustabilium. Item ibi est delectatio quędam ex coniunctione gustabilis cum gustante, & sic tria sunt in gustu: immediata coniunctio, discretio, & dilectio. sed in his omnibus excellit Beatissima Virgo omnes viatores: ergo in sapientia excellit omnes viatores. Quod autem in tactu sine immediata coniunctione excellat omnes. Patet, quòd illa coniunctio est per charitatem: ergo vbi maior, & inseparabilior dilectio, ibi propinquior, & indissolubilior, & immediator est coniunctio. Item *incorruptio proximum facit Deo*: ergo vbi summa incorruptio, ibi proxima coniunctio. Hæc autem omnia fuerunt in Beatissima Virgine super omnes viatores: ergo in tactu, & in immediata cõiunctione excellit omnes viatores. Itẽ, quòd in discretione excellat patet: discretio gustatiui fallitur duobus modis. Vno modò ex parte gustabilis propter saporum, & gustabiliũ cõmistione, vel simulationem: alio modò propter gustatiui organi discursiuam infectionem: & hæc deceptio non tantùm contingit in corruptibili, sed etiam in gustu spirituali ex parte gustabilis; vt quã do transfigurat se Angelus Sathanæ in Angelum lucis; & quando affectio naturalis videtur esse gratuita, vel è conuerso: tunc & saporum commixtio, siue confusio generat deceptionem in gustante. Ex parte autem gustatiui, vt gustus spiritualis est infectio, ex contraria delectatione, vel ad minus fomitis corruptione, quæ sensum spiritualis delectationis impediunt, & saporem diminuũt, & discretionem peruertunt, vt dicant *bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem*, vt habetur Isai. 5. *Hic est enim animalis homo, qui non percipit, nec discernit, quæ Dei sunt*, vt habetur. 1. Cor. 2. *Cuius Deus venter est, & esse subsentibus delicias computat*: manna fastidiens, quod venit de cœlo: murmurans pro panibus, & alleis, & cepibus, quæ erant in Egypto, vt patet de populo Israel. Num. 11. Hæc autem deceptio, vel decipiendi potestas, licet secundùm magis, & minus est in omni viatore, fomitis corruptione in aliquo remanente. Hæc autem deceptio, siue deceptionis possibilitas nullo modo fuit in Beata Virgine, quæ per omnia astutias Diaboli non ignorauit, & semper, vt Virgo prudentissima exprobrauit malum, & bonum sine error e elegit. Cuius palatus spiritualis ab omni corruptione fomitis purus, & sanus fuit; & spirituali dulcedine plenus; nihil nisi Deum, & propter Deum gustauit, & sic gustus eius spiritualis falli non potuit: ergo in discretione spirituali omnes viatores excellit. Item, quòd in dilectione, quæ est in gustu spirituali antecellat, patet. Dicit enim beatus Gregor. super Iob: quòd sapientia est donum reficiens spe, & certitudine: sed spes, & certitudo Beatissimæ Virginis, est omnibus viatoribus improportionabilis: ergo eius refectio est improportionabilis, & inequalis. Item inter esurire, & saturari, medium est comedere, sed vnum extremorum, scili-

*Sap.*6. *Isai.* 5. 1.*Co.*2. *Nũ.* 11.

scilicet, esurire, & sitire iustitiam, proprium est viatorum; saturatum esse, proprium est comprehensorum: ergo comedere propriè est quod pertinebit ad statum medium, sed illum tenet Beata Virgo: ergo videtur, quòd eius præ gustatio sit per modum comestionis inter famem, & saturitatem.

De Intellectu.

CAP. 99.

Post hæc quæritur de dono intellectus, qualiter fuerit in Beata Virgine. Et videtur quòd similiter medio modo inter viatores, & comprehensores. Cùm enim donũ intellectus sit agnoscere Deum expræsse in sua ima B gine; & inter cognoscere per imaginem, & sine lumine, cum fidei obscuritate, & cognoscere lumen in lumine sine imagine, medium sit cognoscere Deum in sua imagine. Vnum autem conuenit puris viatoribus: alium verò comprehensoribus competit: ita medium, ad statum medium pertinebit. Item inter cognoscere creatum per creatum, & cognoscere in creatum per increatum, medium est, cognoscere increatum pre creatum vel èconuerso. Tria istorum diuidentium reperiuntur, & nihil est vacuum: ergo reperietur & quartum. Puri viatores Deum vident creatum per creatum, id est, creaturas per fi-
Isai.6. dem: vnde Isa.6. Eà *quæ sub ipso erant replebant templum.* Gloss. Gregor. *Cùm mens in contemplatione proficit, non iam quod ipse est: sed quod sub ipso est, conspicit: nemo autem Deum vidit vmquam*, Ioan. 1. Hæc est cog-
Ioan.1. nitio viatorum: comprehensores autem vident Deum increatum per se ipsum: vident etiam creatum per increatum, creaturas scilicet, in Deo, & per Deum. Iuxta illud. 1.
1.Co.13 Cor. 13. *Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum*, id est, Deum, & omnia cognoscam in se, sicut & ipse me cognoscit in se: ergo cùm vnum mediorum reperiatur inter hæc extrema: reperietur & reliquum, videlicet videre increatum per creatum; sed cognitio media pertinet ad statum medium: status autem D medius ad Beatissimam Virginem pertinet: ergo cognitio Beatissimæ Virginis erit talis, quòd cognoscet lumen increatum. Non quidem per speciem, nec etiam per imaginem, sed per lumen creatum: & sic cognoscit increatum per creatum; & illud lumẽ, non erit medium, sicut per speculum, vel vestigium, vel imago, vel sicut signum est medium inter apprehensiuum, & signatum. Sed sicut lumen solis est medium coniungens visibile, & visiuum.

De Dono consilij.

CAP. 100.

Post hæc quæritur de dono consilij. Qua- A liter, & ipsum fuerit in Beata Virgine; & quod similiter excellentiùs. Videtur per hunc modum 1. Ioan. 2. *Vntio eius docet vos* 1.*Ion.2.* *de omnibus*: Sed Beatissima Virgo omnibus alijs improportionabiliter plus habuit vnctionis: ergo improprotionabiliter, plus habuit interioris instructionis: ergo donum consilij habuit alijs improportionabiliter. Item Ioan. 16. *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: Sed *Ioan.16.* Beatissimæ Virgini spiritus venit improportionabiliter, & docuit omnem veritatẽ. Iuxta illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus super-* *Lucæ 1.* *veniet in te, &c.* ergo præ alijs eam improprotionabiliter omnem veritatem docuit.
B Item Dominus in Euang. Ioan. 15. *Iam non* *Ioan.15.* *dico vos seruos, sed amicos*: ergo reuelatio secretorum effectus est dilectionis, sed in Beatissima Virgine fuit improportionabiliter dilectio respectu omniũ: ergo improportionabiliter reuelatio secretorũ respectu cunctorum. Item omnium secretissimorum secretorũ, scilicet, Incarnationis mysterium ipsi soli reuelauit: ergo nullum aliorum minus secretorum ignorauit. Item vt dicit Philosophus: *Ad illum pertinet motus cui fit nuntiatio: cuius enim est operari, eius est & cognoscere*: ergo cuius præ omnibus, & super omnes est operari, eius præ omnibus, & super omnes est operanda cognoscere, sed Beatissima
C Virgo fuit perfectissima obseruatrix consiliorum super omnes viatores; ergo cognitionem consiliorum habuit super omnes viatores. Hoc autem est donum consilij: ergo donum consilij habuit super omnes. Item *Exo.12.* Exo. 12. *Non remanebit ex eo quicquam vsque mane. Si quid residuum fuerit igni comburetis.* Gloss. *Quod ex agno remanet, igni combarimus, quando hoc quod de mysterio Incarnationis eius intelligere, & penetrare non possumus: potestati spiritus Sancti humiliter reseruamus.* Ex ista auctoritate videtur, quòd mysteria diuina in statu viæ non possumus ad plenum rimari, & penetrare: sed quædam Spiritui Sancto oportet reseruare: & alia parte videtur, quòd nihil de veritate mysteriorum remaneat indiscussum, & quòd nullum Verbum Domini reuertatur ad ipsum vacuum, quod à nullo fuerit intel- *Isai.55.* lectum. Iuxta illud Isai. 55. *Quando descendit imber, & nix de cœlo: & illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram, & infundit eam: & germinare eam facit: & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunq; volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Ex hoc videtur quòd supra communem statum, viatorum. Sit perfecta cognitio mysteriorum omnium, & diuinorum eloquiorum. Et tamen reperiatur in aliquo reuelatio

revelatio omnium secretorũ. Hoc autem debetur maximè familiari, & maximè amico: & maximè sapienti. Hoc autẽ totum est Beatissima Virgo, quæ est familiarissima; vtpote Dei filio amicissima, & prudentissima, de qua liber amoris, qui est Cantica Canticorum, & liber Sapientiæ specialiter exponuntur: ita vt ea, quæ de ipsa Sapientia dicũtur, de ipsa intelligantur. In sapientia autem nulla est ignorantia Secretorum: ergo videtur, quòd Beatissima Virgo perfectam cognitionem omnium secretorum habuit vniuersalem; vtpote vniuersalis consiliatrix. Alij autem viatores omnes particularem, vtpote nuncij diuersi, ad diuersa nuncia destinati.

De Dono Fortitudinis.

CAP. 101.

Post hæc quæritur de dono fortitudinis. Quòd autem fortitudo fuerit in Beata Virgine in summo, probatur hoc modo. Quidquid est fortiùs fortiore, fortius est infirmiore. Beatissima Virgo fuit fortior tribus fortioribus, omni viatore: ergo ipsa fuit fortior omni viatore. Tres fortiores omni viatore sunt, Deus, Mors, Diabolus. Humilitas Beatæ Virginis Deum superauit quodammodo. Quando eum de cœlis ad terras humilitate deducens, charitate vinculatum pariter, & humiliatum, & vulneratum in sua virginitate incarcerauit. Vnde Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo*, &c. & Prouer. vltim. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus precium eius.* Vltimi fines sunt deitas, & humanitas maximè à se distantes. Vnde fortissima mulier fuit, quæ hæc coniunxit: sic ergo fortitudo Beatissimæ Virginis rigorem fortitudinis, & diuinæ seueritatis superauit; de quo Numer. 23. *Cuius fortitudo similis est Rhinocerontis.* Cuius fortitudo in gremio Virginis mansuescit: & sic patet, per quem modum Beatissima Virgo Dei fortitudinem superauit. Item secundus fortis est mors; cui nemo mortalium resistere potest. 2. Reg. 14. *Omnes enim morimur, & quasi aqua dilauimur in terram, quæ non reuertuntur.* Hac fortior erat Beatissima Virgo, quæ mortem dextruxit. Sicut enim mors intrauit per fœminam, & vitam destruxit: ita & vita redijt per fœminam, quæ mortem destruxit, & ita Beatissima Virgo fuit destructio mortis: & ita fortior fuit morte. Tertius fortis est diabolus, de quo dicitur Iob 41. *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari.* Beatissima Virgo fuit fortior illo, iuxta illud Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuũ.* Item actus fortitudinis essentialiter est firmiter adhærere. Beatissima Virgo adhærebat Deo inseparabiliter: ergo fuit alijs fortior improportionabiliter. Item actus fortitudinis est, terrenas cupiditates non tantum reprimere, sed penitus obliuisci: hoc autem non contingit in aliquo viatore in via; interim quod fomes aliquo modo viguit; sed solùm in ipsa Virgine potuit, in qua fomes extinctus fuit: ergo habuit actum fortitudinis per modum patriæ, & super omnem viatorem sine proportione.

Cant. 1. Pro. vl. Nu. 23. 2. Re. 14 Iob 41. Gen. 3.

De Dono Scientiæ.

CAP. 102.

Post hæc quæritur de dono scientiæ, qualiter fuerit in Beata Virgine: & videtur, quòd excellentiùs; hac ratione. Augustin. in lib. de Ciuitate Dei 14. dicit: *Huic scientiæ tantùm illud tribuendum est, in quo fides saluberrima, quæ ad veram ducit beatitudinem, generatur, nutritur, roboratur, defenditur.* Et infrà: *Scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, est ipsius scientiæ.* Iste est actus vnus scientiæ: alius actus scientiæ est abstinere à malis. Tertius eius actus est in medio prauæ, & peruersæ nationis conuersari. Isti tres actus excellentiùs fuerunt in Beata Virgine omni viatore. Quod autem primum actum habuerit excellentiùs, scilicet, fidei defensionem, per testimonium ipsius Ecclesiæ patet dicentis, immò cantantis: *Cunctas hæreses sola interemisti.* Quod secundùm actum abstinendi à malis excellentius habuit, patet; quia ad minus, pulvis venialis peccati omnium aliorum adhæsit pedibus: Ipsa autem sola immunis à peccato fuit, iuxta illud Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea*, &c. Similiter præsumitur de actu tertio. Sola enim super omnes in medio prauæ, & peruersæ nationis conuersari sciuit, quæ nihil faciendorum omisit, & nihil omittendorum fecit: nulli in malo communicauit, nulli bonum suum non communicauit. Item actus huius boni sunt in patria. Scire Deum in patria colere, & proximi gloriæ congaudere. Hæc autem omnia fuerunt in Beatissima Virgine excellentiùs omni viatore.

Augus. Cantic. Cant. 4.

De Pietate.

CAP. 103.

Post hoc quæritur de dono pietatis, cuius quoque actus sunt tres: vnus est mouere ad opera misericordiæ. Alius est scripturæ non contradicere, siue intellectæ, siue non intellectæ. Tertius est, sancta honorare; quia dicitur Matth. 5. *Beati mites.* Gloss. *Qui piè quærunt, & honorant sancta.* Omnes illi tres

Matt. 5

tres actus fuerunt excellentiùs in Beata Virgine omni viatore de primo actu, qui est mouere ad opera misericordiæ impendenda proximo, patet: quia impedit Deo, & imagini Dei. Pietas enim, quæ mouebat Beatam Virginem ad impendenda opera misericordiæ, mouebat ipsam ad compatiendum proximo: non quia imago Dei, sed quasi Deus. Sed constat, quia improportionabilis est pietas, quæ debetur Deo: similiter illa quæ debetur imagini eius: ergo pietas Beatissimæ Virginis est improportionabilis pietati omnis viatoris. Item patet de secundo actu, qui est Scripturæ non contradicere, quòd est fidei defensio. Illa enim improportionabiliter omnibus fidem defendit, quæ sola inter omnes in Vniuerso mundo hæreses vicit. Item patet de tertio actu, qui est honorare sancta: ipsa enim improportionabiliter omnibus sanctam honorauit, per quam omnes Sancti cœlesti gloria sunt honorati, & coronati. Vnde Apocalip. 12. *Aperuit signum magnum in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim:* ipsa enim omnes Sanctos coronauit, quæ causa coronandi omnibus fuit. Vnde & alibi, scilicet. Apocalip. 4. legitur, quòd *viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, coronas suas ante thronum mittunt sedentis.* Ad pedes: quia per Christi humanitatem, quam de matre contraxit se coronatos recognoscunt, & sic habuit omnes actus pietatis excellentiùs omni viatore.

Apoc. 12.

Apoc. 4.

De Timore seruili.

CAP. 104.

Vltimo quæritur de timore, & primo quæritur de timore seruili, vtrùm fuerit in Beatissima Virgine, & videtur quòd sic. Nullum enim bonum ei defuit, quæ gratia plena fuit: dicit enim Augustin. quòd timor seruilis bonus est vtilis. Item Glos. Timores duos legimus seruilem, & castum, & vterque est initium sapientiæ: ergo videtur, quòd timor seruilis fuit in Beata Virgine. Sed contra, timor seruilis est, cùm peccato de quo in Beata Virgine, nullam licet fieri mentionem.

Augus.

De Timore initiali.

CAP. 105.

Post hoc quæritur de timore initiali: vtrùm fuerit in Beatissima Virgine, & videtur, quòd sic: quia ille simpliciter bonus est, & donum Sancti Spiritus: ergo ille fuit in Beatissima Virgine; sed contra: *Perfecta charitas, foras mittit timorem* 1. Ioan. 4. Sed Beatissima Virgo perfectissimam habuit charitatem: ergo non habuit timorem seruilem, nec initialem.

A

1. *Ioan.* 4

De Timore casto.

CAP. 106.

Post hoc quæritur de timore casto: vtrùm fuerit in Beatissima Virgine, & videtur quòd sic: quia ille est timor permanens in sæculum sæculi: qui etiam fuit in Domino IESV Christo. Item iste timor crescit crescente charitate: ergo debet in summo esse cum summa charitate. Item iste timor nascitur ex amore: ergo si amor nascitur improportionabilis, & timor est improportionabilis; sed amor Beatæ Virginis fuit improportionabilis omni viatore: ergo & amor; sed contra timor castus timet separari. Sed Beata Virgo, non timuit separari: ergo non habuit timorem castum. Concedimus, sicut etiam de virtutibus dictum est, quòd Beata Virgo habuit actus donorũ illorum, quorum actus consistit in cognitione, & affectione, vt sapientiæ intellectus, & consilij, & scientiæ: excellentiùs omni viatore, & medio modo inter statum viæ, & statum patriæ: ita quòd circa statum patriæ, quantum ad actum patriæ, siue ad actuum perfectionem, & super statum patriæ, quantum ad effectum actuum, huc merendi conditionem: super statum viæ, quantum ad habitum, & actuum perfectionem, & meriti supergressionem: dona verò in actione consistentia habuit per modum patriæ, quantum ad actum perfectionem; sed secundùm statum viæ, quantum ad merendi conditionem: & ita quantum ad actum super statum patriæ, quantum ad affectum. *De timore seruili respondemus. In timore seruili duo sunt, timor, & seruilitas: timor in Beata Virgine fuit, non seruilitas. Similiter de timore initiali secundùm quod dicitur, respectu augmenti in Beata Virgine non fuit, nec tamen propter hoc aliquod bonum defuit; sed perfectè affuit, & imperfectionem exclusit. Timor castus duos habet actus. Vnum secundùm statum viæ, qui est timere, separari; & iste non fuit in Beata Virgine alium secundum statum patriæ, qui est reuereri; & ille fuit in Beata Virgine: est autem reuerentia, mixta cum dilectione subiectio: habuit autem actum istius timoris excellentiùs omni viatore: vnde si reuelaretur alicui viatori, quòd deberet saluari, non timeret separari, sicut videtur de Beato Paulo, qui dicit ad Romanos 8. *Certus sum enim: quia nec mors, nec vita, &c.* Non tamen in hac certitudine exequare-

B

C

D

Rom. 8.

tur Beatæ Virgini. Illa enim certitudo esset per scientiam, & per effectum, per posterius. Certitudo autem Beatissimæ Virginis, qua sciuit se non separari, fuit per modum causæ. Sciuit enim se in vtero sanctificatam: & sciuit se Matrem Dei esse effectam: & sciuit se non peccasse: & de cætero, non peccare posse: & sic sciuit se separari non posse per modum causæ. Sic ergo manifestum est, qualiter Beata Virgo septiformem gratiam Spiritus Sancti, in septem donis diuisam habuit excellentiùs omni viatore, & quodammodo omni creatura.

A

De Beatitudinibus.

CAP. 107.

B

Post hæc quæritur de beatitudinibus, qualiter fuerunt in Beatissima Virgine, & videtur similiter, quòd excellentiùs omni viatore: sicut enim se habet beatitudo patriæ, ad beatitudinem patriæ, ita beatitudo viæ, ad beatitudinem viæ; sed Beata Virgo in beatitudine patriæ excellit omnes comprehensores: ergo & in beatitudine viæ excellit omnes viatores. Item omnis arbor ex suo fructu cognoscitur: ergo si fructus fructum excellit improportionabiliter, & arbor arborem improportionabiliter; sed fructus, quem adepta est Beata Virgo ex beatitudine viæ, excedit omnem fructum patriæ puræ creaturæ: ergo & eius beatitudo viæ excellit omnem beatitudinem viæ puræ creaturæ. Item omnis perfectio spiritualis gratuita est à charitate: ergo cùm Beatissima Virgo excellat omnes puras creaturas in charitate, omnes excellet qualibet spirituali perfectione. Item Seraphin supremus ordo, qui excellit charitate, excellit & omnibus alijs donis. Item sicut se habet substantia ad substantiam, & potentia ad potẽtiam, & habitus ad habitum. Ita proprietas ad proprietatem: ergo si substantia super substantiam, & proprietas super proprietatem, & potentia super potentiam; sed substantia, sine persona Beatissimæ Virginis post Deum est altissima, & dignissima excellens omnem creaturam: ergo & eius potentiæ habitus, & proprietates erunt excellentes omnem creaturam.

C

D

De Beatitudine Paupertatis.

CAP. 108.

Post hæc quæritur, de beatitudine paupertatis. Qualiter fuerit in Beata Virgine, & videtur, quòd in summo Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.* Gloss. *Pauper spiritu est humilis corde;* sed Beatissima Virgo habuit humilitatem improportionabilem omni viatore, vt probatum est supra: ergo & paupertatem, & humilitatem. Item alia Gloss. ibidem dicit. *Beati pauperes, &c.* quia non necessitas, sed fides, & deuotio paupertatis beatos facit: vt contemptis omnibus Domino viuat. Hæc autem omnia fides, deuotio, mundum contemnere: Deo viuere fuerunt in Beata Virgine excellentiùs omni viatore. Item in Gloss. prædicta subiungitur. Hæc habet duas partes, scilicet, abdicationem rerum, & contritionem spiritus; sed hæc duo fuerunt in Beata Virgine in summo: ergo & paupertas. Quòd contritio spiritus, siue humiliatio fuerit in summo in Beata Virgine, iam ostensum est. Quòd autem abdicatio in ipsa fuerit in summo sic probatur. Abdicatio fit duobus modis per rerum subiectionem, vel per rerum omnimodam abiectionem; sed magna est paupertas per rerum subiectionem. Maior per rerum abiectionem, maxima quæ est ex vtrisque composita, de qua dicit Apostol. 2. Corinth. 6. *Nihil habentes, & omnia possidentes,* hoc autem non potuit esse, nisi in Beata Virgine omnino proprie, & perfectè. Omnes alij si res abiecerunt, non retinuerunt, & si retinuerunt non abiecerunt: quia tantùm procuratores, siue fructuarij, & non Domini fuerunt. Beata autem Virgo existens Mater Dei, & Regina cæli ius, & dominium, & vsumfructum possessionis habuit in rebus filij sui. Vnde benè potuit relinquere, & omnia possidere, relinquere quantum ad vsum & fructum, possidere quantum ad ius proprietatis, & dominij, & sic Beata Virgo potuit habere perfectissimam paupertatem. Item in rerum abiectione, ordo est graduatus: quidam enim dant superflua naturæ; sed non personæ: Vnde Augustin. de verbis Domini. *Vtere superfluis, da pauperibus necessaria. Vtere pretiosis da pauperibus vilia.* Iste est primus gradus paupertatis. Alij dant superflua naturæ, & personæ. Luc. 11. *De eo quod supereſt date eleemosynam, &c.* Gloss. *De eo quod super necessaria est, dandum est pauperibus, præter victum, & vestitum.* Tertius gradus, est dare non tantùm superflua; sed etiam necessaria. Vnde Gloss. *Non solùm exteriora, & non necessaria; sed etiam interiora, & valdè necessaria, cum proximis diuidamus.* Quartus gradus est, omnia superflua, & necessaria simul dare; sed semetipsum retinere, quòd etiam aliqui Philosophorum fecerunt, licet non propter Deum. Vnde super illud Matth. 19 *Ecce nos relinquimus omnia, &c.* Gloss. *Non dixit tantùm, qui relinquistis omnia. Hoc enim, & Socrates Philosophus fecit, & multi alij qui diuitias contemnerunt; sed qui secuti estis me, quòd proprium est Apostolorum.* Quintus gradus est omnia dare, & se ip-

2. Cor. 6

Augustin.

Luc. 11

Gloss.

Mat. 19

Matt. 5

ipsum superaddere. In Euangel. Matth. 19.
Mat.19 *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesauros in cœlo, & veni sequere me.* Sextus gradus est, omnia dare, & se ipsum relinquere, & præterea laborare manibus, vt habeat vnde tribuat patienti necessitatem, releuans eius miseriam corporalem, sicut dicebat Apostolus ad Ephesios 4. in hunc statum attigit ipse Beatus Paulus, qui omnia reliquerat, &
Ephes.4 *Actor.20* tamen loco, & tempore laborabat manibus, vt sibi, & suis subueniret, vt habetur Actor.
1. Co.4. 20. vnde dicebat 1. Corinth. 4. *Laboramus operantes manibus nostris.* Septimus gradus est, omnia, & seipsum dare, & spiritu, & corpore laborare: vt pascat proximum pane spirituali, & iste gradus est maior prædicto:
Gregor. quia vt dicit Gregor. *Minus est reficere animam semper victuram, quàm ventrem quãdoque moriturum.* Octauus gradus est, omnia, & seipsum relinquere, & de substantia sui corporis partem accipere, & ad refectionem animarum proximis dare. In isto gradu fuit Beatissima Virgo, quæ de purissimis carnibus, & sanguinibus suis viaticum nobis confecit, panem, scilicet, viuum, qui de cœlo descendit, qui est verè vita, quem qui manducauerit, mortem non gustabit in æternum. Hunc autem toti mundo mendico, dedit Beatissima Virgo, de qua
Mat.13 dicitur in Euangelio Matth. 13. & Luc. 13.
Luc.13. *Mulier comm scuit sata tria, donec fermentaretur totum*, tria sata diuinitas corpus, & anima: fermentum autem, vt dicit Bernard. est fides Virginis, quæ Deum humanæ naturæ coniunxit, & homini refectionem fe-
Augusti. cit. Idem ferè dicit Augustin. & anima, & spiritu, siue ingrediatur, siue egrediatur, pascua inueniet intus in diuinitate creatoris: foris in carne Saluatoris. Nonus gradus est, omnia proximo dare, & corpus, & animam propriam, & diuinitatem habens vnitam, & cibum animæ, sub specie tamen aliena, & hoc fuit opus misericordiæ, & sumptum paupertatis Domini nostri IESV Christi in via. Decimus gradus est, dare se ipsum totum corpus, & animam, & diuinitatem sub
Luc. 14 specie propria, in cibum corporis, & animæ simul & semper in æterna beatitudine, de quo Luc. 14 *Beatus qui manducauit panem in regno Dei.* Ex his patet, quòd Beatissima Virgo spiritus paupertatem quantum ad rerum abiectionem habuit excellentiùs omni homine præter Dominum Christum. Itẽ incarentia necessariorũ nõ est virtus, vel beatitudo: vnde gloss. super illud
Matt. 5 Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* Quoniam non necessitas, sed fides, & deuotio paupertatis beatos facit. Penes ergo intensionem carentiæ, vel maiorem necessitatis defectum, non contingit ponere improportionabiliter excellentiorem: ergo non attenditur perfectio paupertatis, penes propinquationem ad summum defectum; sed penes voluntatem, & deuotionem, & personæ dignitatem. Si enim æquè parum habeant miles, & rusticus; pauperior est miles, quàm rusticus: imò quod rustico diuitię, paupertas militi, & quòd militi diuitiæ, Principi paupertas; & sic ascendendo; quantò quis dignior si sit in eodem defectu, tantò erit inferioribus pauperior: ergo cùm Beatissima Virgo præcellat omnes in dignitate, & æquàlem alijs habuerit paupertatem, excellit omnes in paupertate improportionabiliter.

De Mititate.

CAP. 109.

Consequenter quæritur, de mititate, vel mansuetudine. Quod autem illa excellẽtiùs fuerit in Beata Virgine, videtur per Canticum Ecclesiæ, scilicet, *Virgo singularis inter omnes mitis.* Item Matth. 5. *Beati mites,* *Matt. 5*
Gloss. *Mites sunt, qui malis moribus dominantur;* sed Beatissima Virgo malis moribus perfectissimè dominabitur: quia eius dominium fuit, sine pugna, omnium autem aliorum cum pugna: ergo habuit mititatem, cum excellentia. Item alia Gloss. ibidem. *Mansuetus non irritat, nec irritatur, nec nocet, nec nocere cogitat.* Hæc autem omnia fuerunt in Beata Virgine, cùm improportionabili excellentia: quia nullum irritare, & omnia placare distant improportionabiliter distantia. Similiter nulli nocere, & omnibus in summo prodesse. Hoc autem solum fuit in Beatissima Virgine: ergo habuit mititatem, sine proportione super omnes alios. Itẽ alia Gloss. ibidem. *Mitis est, quem non rancor, vel ira afficit; sed omnia æquanimiter sustinet.* Huiusmodi virtutis magistrum se fecit Dominus, quòd non faceret, nisi via summæ perfectionis ista virtus esset; sed Beatissima Virgo rancore, vel ira omnibus alijs improportionabiliter fuit immunior, & magisteriorũ Domini capatior, & obediẽtior, & in via perfectionis altior: ergo omnibus alijs improportionabiliter fuit mansuetior. Item sicut præmium ad præmium, ita meritum ad meritum; sed Beata Virgo possessionẽ terræ viuentium, quòd est præmium mansuetudinis, habuit alijs excellentiùs: ergo & meritũ. Item Hymnus. *Nos culpis solutos, mites fac, & castos;* sed Beatissima Virgo omni viatore magis soluta fuit à culpis: ergo magis mitis fuit. Contrarium autem videtur probari, quòd legitur de Moyse. Num. 12. *Erat autẽ* *Nu. 12*
Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: ergo mitior, quàm Beatissima Virgo.

De Beatitudine luctus.

CAP. 110.

Post hæc quæritur, de beatitudine luctus, & probatur similiter, quòd fuit excellentiùs in Beata Virgine : quia cuius causa nobilior, & effectus ; sed omnes alios viatores instigabat peccatum ad flendum: Beatissimam autem Virginem sola charitas, & si modus improportionabiliter super modum, & motus super motum. Item Hieronym. *Seruitia quantò minus debita, tantò magis grata*; sed luctus Beatissimæ Virginis, nullo modo fuit debitus debito necessitatis; sed tantummodo charitatis: omnium autem aliorum debitus debito necessitatis: ergo eius luctus fuit alijs improportionabilis. Item eius consolatio alijs est improportionabilis : ergo & eius luctus: quia sicut præmium ad præmium, &c. Item iuxta hoc quæritur, vtrum Beatissima Virgo luxerit pro incolatu miseriæ, & pro dilatione patriæ, & videtur quòd sic, quia hoc videtur ad charitatis perfectionem pertinere : cupere dissolui, & esse cum Christo. Vnde vnus perfectorum ad Roman. 7. clamauit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed contra anima in statu innocentiæ nollet separari à corpore, iuxta illud 2. Corinth. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri*. Item in statu gloriæ anima nollet separari à corpore : ergo videtur animam nolle separari à corpore, quòd sit ideò: quia spiritus concupiscit aduersus carnem, & è conuerso: ergo cùm in Beatissima Virgine non fuerit huiusmodi pugna, inobedientia videtur, quòd luxerit pro incolatu miseriæ.

Hieron. — Rom. 7. — 2. Cor. 5

De Beatitudine esuriei, & siti iustitiæ.

CAP. 111.

Consequenter quæritur, de beatitudine esuriei, & siti iustitiæ, & videtur quòd similiter fuerit in ea excellentiùs. Esurire & sitire propriè est viatorum, saturatum esse proprium comprehensorum ; sed inter esurire, & saturatum esse, medium est comedere ; sed cùm nihil sit vacuum, cùm existunt extrema, extat & medium; sed medium pertinet ad statum medium; ille autem status est Beatissimæ Virginis : ergo habebit istam beatitudinem citra comprehensores, & supra viatores. Item eius consolatio est improportionabilis alijs. Item iustitia fuit in Beata Virgine improportionabilis : ergo & eius esturies.

De Misericordia.

CAP. 112.

Post hæc quæritur, de beatitudine misericordiæ, & videtur simili modo, vt prædictum est, quòd fuerit in Beata Virgine, hac ratione. Beata Virgo secundùm vniuersalem vsum Ecclesiæ appellatur, & est mater misericordiæ, quòd non conuenit propriè alicui alij creaturæ. Dicuntur autè aliquando, & viri misericordiæ, idest, viri humiles misericordia, & sic habent omnes alij comparationem ad misericordiam, per modum participatiuum, & per modum accidentalem. Ipsa autem sola habet comparationem ad misericordiam, per modum originis essentialis, & per modum matris. Conuenientia autem essentialis improportionabiliter excellit modum inhærentiæ, per modum accidentis: ergo Beatissima Virgo improportionabiliter excellit in misericordia vniuersos. Item dicitur etiam secundùm vsum Ecclesiæ. *Regina misericordiæ*, & constat, quod non secundùm eandem rationem, quæ dicitur mater misericordiæ: alia est ratio matris, & alia Reginæ: ergo propter aliam rationem dicetur Regina misericordiæ, quàm illam, qua dicitur mater misericordiæ. Et videtur, quòd Regina misericordiæ, & dicatur, quod ab ipsa fuit origo Regni misericordiæ, & ab ipsa est potestas prima misericordiæ, & gratiæ. Cùm enim sit regnum gloriæ, quòd est regnum iustitiæ, in quo vnusquisque recipit, prout hic gessit in corpore : cuius potestas est à rege gloriæ, & à rege iustitiæ, idest, à Sancta Trinitate : est & regnum gratiæ, siue misericordiæ, vbi mundum * recipitur secundum merita; sed adhuc regnat misericordia peccata dimittendo, pœnas diluendo, bona multiplicando, mala differendo : huius autem regni origo, & prima potestas est à Beatissima Virgine, per quam suscepimus in medio templi IESVM Christum, per quem misericordia, & veritas facta est. Qui proprio sanguine modò regnat super eos, quos proprio sanguine redemit, & passione, & morte regenerauit, & sibi configurauit; donec in fine, impletis omnibus, tradidit regnum Deo, & patri. Patet ergo, quòd omnes alij serui misericordiæ sunt. Beata autem Virgo Regina misericordiæ; sed improportionabiliter est maius esse Regina misericordiæ, quàm esse seruum misericordiæ : ergo Beatissima Virgo improportionabiliter excellentiùs se habet ad misericordiam, quàm alij. Item Matth. 5. *Beati misericordes*. Glos. *Misericordia est dare, & dimittere*; sed Beatissima Virgo improportionabiliter plus dedit, & dimisit omnibus viatoribus super omnes creaturas: ergo habet beatitudinem mi-

Mudus — Matt. 5

misericordiæ super omnes. Item Ambros. *Misericordia est nullum relinquere in miseria, & nullum miserum facere.* Hoc autem in summo fuit in Beata Virgine: ergo habuit in summo beatitudinem misericordiæ.

Bern. Item Bernard. *Misericordia non solum eleemosynis consistit; sed in omni peccato corrigendo:* hoc autem in summo fuit in Beata Virgine respectu omnis creaturæ: ergo habuit super omnes beatitudinem misericordiæ. Item misericordia reddita est ei, improportionabiliter ad omnem misericordiam, quæ est præmium: ergo & beatitudo misericordiæ, erit ei improportionabiliter ad omnem misericordiam, quæ est meritum. Item quidquid est causa causę, est causa causati. Beata Virgo est causa filij, filius est causa totius boni, & omnis misericordiæ: ergo & mater erit causa totius misericordiæ; hoc autem non conuenit alij creaturæ. Item illud quod æquè, & propriè principaliter habet duas naturas inconfusas, æquè propriè habet proprietates duarum naturarum. IESVS Christus æquè propriè duas naturas habet: ergo æquè propriè proprietates habet duarum naturarum. Vnde iste æquè propriè sunt; Christus est Deus, Christus est homo: ergo hæ, Christus natus est à Deo; Christus natus est ab homine: ergo etiam, & hæ, Christus à Deo, Christus est ab homine, sed Christus omnes operationes attribuit patri à quo ipse est: ergo & matri de qua ipse est attribuentur operationes eius, quæ conueniunt ex ratione humanæ naturæ: sicut & patri operationes, quæ conueniunt diuinæ naturæ; sed humanam naturam Christus exhibuit nobis in effectum summę misericordię, scilicet in passione: ergo Beatissimæ Virgini attribuetur summus effectus misericordiæ. Quòd etiam patet in modo loquendi Ecclesiæ dicẽtis. Hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit. Et item, quia mors intrauit per fœminam, apte reddit, & vita per fœminam. Et illud. *Mulier quem damnauit ipsa saluauit*, quidquid ergo misericordiæ nobis filius exhibuit, hoc totum nobis mater propriæ contulit, quæ filium genuit, in quo nobis omnia donauit. Ex his patet, quòd Beatissima Virgo excellit in misericordia omnem creaturam.

De Munditia cordis.

CAP. 113.

Post hæc quæritur de munditia cordis, & probatur, quòd hæc fuerit in Beatissima Virgine: simili modo sicut de prædictis, per

Anselm. id quod dicit Anselm. *Quòd ea puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi.* Item *charitas est de corde puro, & conscientia bona, &c.* 1. Timoth. 1. Sed in Beata

1. Tim. 1

A Virgine fuit summa charitas: ergo summa puritas. Item actus fidei est purificans; sed Beatissima Virgo habuit fidem perfectissimam: ergo cordis puritatem. Item secundùm Dionysium in 5. cap. Cœlest. Hierarch. *Tres sunt actus Hierarchiæ, purgare, illuminare, & perficere, & sunt ad se ordinata: ita quòd magis purgatus, est magis perfectus.* Sed Beata Virgo fuit in summo perfecta: ergo in summo purgata, & illuminata. Item visio Dei, quæ ad præmium huius mundiciæ; improportionabiliter maius est visionibus omnium aliorum. Item Matth. 5. *Matt. 5*

Beati mundo corde. Gloss. *Mundo corde sunt, quos conscientia non arguit peccatorum.* Item mundum cor habet, qui sibi nihil conscius est: hæc autem in Beatissima Virgine fuerunt in summo: ergo habuit munditiam cordis in summo.

De Beatitudine pacis.

CAP. 114.

Post hæc quæritur de pace, & quod ipsa fuerit in Beatissima Virgine probatur hoc modo. Gloss. super illud. Matth. 5. *Beati pacifici*, & contra sic dicit: *Pacifici sunt, quæ omnes motus animi ratione subjciunt: quæ his nihil repugnat, qui similes patri suo sunt, qui est summa quies.* Hoc totum autem est in summo in Beata Virgine: ergo & pacifica est in summo. Item alia gloss. ibidem. *Dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed neque nobis possumus esse pacifici*: ergo super omnes improportionabiliter pacifica extitit, in qua caro aduersus spiritum non reuelauit. Item sicut est præmium ad præmium, ita meritum ad meritum, &c. sed alijs pacificis datur in præmium, quòd Filij Dei sunt per adoptionem, Beatissimæ Virgini datum est, quòd sit Mater Dei per naturam. Hoc autem improportionabiliter plus est, quàm esse filium per adoptionem: ergo præmium Beatissimæ Virginis est improportionabiliter super præmium aliorum: ergo meritum supra meritum. Hæc autem est pacificatio: ergo Beata Virgo in hac beatitudine excellit omnes. Item Beata Virgo fuit medium vniuersale in causa pacis; vtilis enim fuit mediatrix, & reconciliatrix: omnes enim fuerunt reconciliandi per ipsam: ergo pacificatione excellit omnes viatores.

Matt. 5

De Persecutione.

CAP. 115.

Post hæc quæritur de persecutione, qualiter hæc beatitudo fuerit in Beata Virgine, & non agitur de quacunque persecutione; sed de illa, quæ est martyrum, cui debetur aureola:

De Aureola Martyrum.

CAP. 116.

Quæritur ergo, vtrùm Beata Virgo habuerit aureolam martyrum, & videtur, quòd non: quia cessante causa cessabit effectus. Cùm igitur Beatissima Virgo non substinuerit mortem, quæ per martyrium infertur, nec habebit aureolam martyrum. Item aureola, non debetur voluntati, sed actui. Hic autem non fuit actus martyrij: ergo non aureola. Si dicatur, quòd habuerit dolorem spiritualem pro martyrio, secundùm hoc eius aureola esset inferior aliorum martyrum aureolis, qui dolorem habuerunt, & spiritualem, & corporalem. Si autem dicitur, quòd meruit aureolam, per compassionem filij, hoc non videtur posse stare. Aureola enim martyrum detentiatur penes summum, & perfectissimum. Hoc autem est substinentia propriæ mortis: plus enim compatitur anima corpori vnito, quàm non vnito: ergo non est difficillimum fortitudinis in compassione alienæ passionis. Ex his itaque videtur, quòd non habuerit aureolam martyrum. Contra superiores ordines habent proprietates inferiorum cum excellentia; sed Beatissima Virgo omnium ordinum est suprema: ergo habebit aureolam martyrum, quam habent inferiores. Item damus à nullo illustrium vincitur; sed vinceretur in aliquo, si non haberet aureolam martyrum: ergo habet aureolam martyrum. Item Damascen. Sed

Damas. & ipsa beata, & earum, quæ sunt per martyrum donationem digna facta, dolores quos effugit pariens, hos in Christi passione substinuit, à maternali compassione viscerum laceratione tollerans, & quem Deum cognouit, per generationem hunc, & maleficium videns interfectum, velut gladio cogitationibus lacerabatur, & hoc est, tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ex hac authoritate probatur multipliciter, quòd Beata Virgo gratiam habuit martyrij, & aureolam martyrum. Item dationi animæ debetur aureola martyrum; sed Beatissima Virgo dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam: ergo habebit pretiosissimam aureolam. Media patet, quòd enim Beatissima Virgo dederit dilectissimam animam, est manifestum, ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, ideſt, vitam filij sui, quàm Beatus Petrus vitam, & animam sui ipsius. Item quòd pretiosissimam animam dederit, patet: quia datio huius animæ fuit pretium totius mundi, & redimibilis creaturæ, & sic Beata Virgo dedit animam in infinitum plus dilectam, & pretiosam, quàm aliquis Sanctorum: ergo habebit in infinitum pretiosiorem aureolam, quàm aliquis Sanctorum. Item alij martyres dederunt tantum animam, & corpus. Beatissima autem Virgo obtulit ad crucem animam, & corpus, & diuinitatem: ergo improportionabiliter plus dedit in meritò: ergo improportionabiliter plus accepit in præmio. Item aliqui debitores mortis exientes, non dederunt vitam gratuitæ, scilicet, quasi donum; sed reddiderunt ex debito, quasi censum. Beatissima autem Virgo illam dedit, qui solus inter mortuos liber fuit, & non necessitate; sed sola charitate mortem substinuit. Item omnis dolor est ex amore. Quòd enim, cùm amore possideretur, cum dolore amittitur. Vbi ergo improportionabilis amor, ibi improportionabilis dolor; sed dolor, quo dolebant sancti in passione, causabatur à natura, & amore naturali; dolor autem, quo dolebat Beata Virgo, causabatur à gratia, & dilectione gratuita; sed gratia improportionabiliter perfectior, & fortior est natura: ergo improportionabiliter maior est amor gratuitus, quàm amor naturalis: ergo dolor causatus à gratia improportionabiliter est maior, quàm dolor causatus à natura. Dolor Sanctorum causabatur à natura; dolor autem virginis à natura autem, & gratia; sed maior à gratia: ergo in infinitum erat maior dolor Beatæ Virginis, quàm dolor aliorum: ergo & aureola eius maior aureolis erit aliorum.

De Aureola Prædicatorum.

CAP. 117.

Ratione prædicta quæritur de aureola prædicatorem. Vtrùm fuerit in Beata Virgine, & videtur, quòd non. Cessante causa, cessat effectus. Beatissima Virgo, non habuit statum Prædicatorum, vel Doctorum: ergo non habuit aureolam prædicatorum. Media patet, per Apostolum 1. Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesijs taceant.* Sed contra, plus est prædicare facto, quàm verbo: alij Prædicatores prædicauerunt verbo, Beatissima Virgo principaliter prædicauit facto; sed improportionabiliter est perfectiùs factum, quàm verbum: ergo improportionabiliter perfectiùs prædicabat Beata Virgo, quàm alij: ergo perfectiorem habuit aureolam. Et si dicitur, quòd alij prædicauerunt facto, hoc fuit per accidens. Accidit enim facto, quòd sit signum, vel exemplum. Beatissima autem Virgo per se factis vtebatur proverbis in sua prædicatione, in despõsatione, Sacramentorum susceptione, & consimiliũ, quibus vtebatur, non ad sui perfectionẽ; sed ad nostrã instructionem, & vtilitatẽ.

1. Co. 14

Item

Item. *MARIA conseruauat omnia verba hæc.* Luc.2. Sancti dicunt, quòd ideò conseruauat, vt opportunis temporibus adscribendum Euangelistis reuelaret: ergo Beata Virgo nobis, per Euangelistas prædicabat. Ita doctrina prudentium facilis est. Prouer. 13. Sed Beatissima Virgo breuissimè, & lucidissimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptijs Ioan.2. cap. *Quodcunque dixerit vobis facite.* Qui enim facit quæcunque Filius Dei dixerit, omnia prædicabilia impleuit: ergo Beata Virgo omnia vno verbo prædicauit. Item dicunt, quæ de sapientia spiritualiter intelliguntur de Beata Virgine. De illa autem dicitur, quòd est *Doctrix disciplinæ Dei.* Sapient.8. Ergo Beata Virgo est doctrix: ergo debetur ei aureola prædicatorum. Item Prophetæ sunt Doctores: ergo Prophetissæ doctrices; sed Beatissima Virgo fuit Prophetissa: ergo doctrix. Minor patet in Isai.8. *Accessi ad Prophetissam.* Gloss. *Virginem MARIAM.* Quod autem mulieres possunt esse Prophetissæ patet, Act.21. Quod quatuor *Filiæ Virginis erant, quæ prophetauant.* Item omnes alij prædicatores prædicauant per Verbum creatum. Beatissima autem Virgo prædicauat per Verbum increatum: ergo prædicauit excellentiùs omni prædicatore: ergo habet aureolam prædicatorum excellentiorem omni aureola prædicatorum.

Luc.2. Pro.14. Ioan.2. Sap.8. Isai.8. Acto.21

De Aureola virginum.

CAP. 118.

Consequenter quæritur de aureola virginum, & videtur, quòd non habuerit aureolam virginum hac ratione. Aureola debetur secundùm perfectissimum, & difficillimum continentiæ: ergo vbi non est pugna, nec victoria. Item Apostol. 2. Timoth.2. *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit,* Beatissima autem Virgo non certauit certamine virginum: ergo non habet aureolam virginum. Item Philos. *Quòd continens est, qui patitur, & non deducitur insensibilis, qui nec patitur, nec deducitur.* Beata Virgo non patiebatur: ergo non fuit continens: ergo nec habet aureolam continentiæ, siue virginitatis. Contra Beata Virgo dicitur Virgo Virginum, & hic loquendi modus dicitur, vel vocatur excellentia, vel origo excellentiæ. Vnde rosa flos florum, ideſt, dignissimus inter flores, vel dicit originem: vt Maria Iacobi. Si ergo dicitur MARIA Virgo Virginum, ideſt, excellentissima inter virgines: ergo quidquid debetur alijs virginibus, debetur ei excellentiùs. Si autem dicitur Virgo Virginum per originem, vt sit sensus virgo mater virginum: tunc ipsa est mater virginum in virginitate: & sic erit mater virginitatis. Aliæ autem sunt nutrices virginitatis: ergo Beata Virgo improportionabiliter essentialiùs se habet ad virginitatem, quàm aliæ virgines: ergo improportionabiliter perfectiùs, habebit aureolam super alias virgines. Item Beatissima Virgo est regina virginum, & hoc sibi soli conuenit. Ipsa enim sola à maledicto legis, quasi à seruitute carceris, & captiuitatis, Virginitatem liberauit, & eam liberam, & glorioſam reddidit; & sic omnes virgines in quantum virgines, à seruitute legis liberauit, & suæ seruituti mancipauit, & sic est effecta regina virginum: omnes aliæ sunt ancillæ virginis, & pediſſequæ. Sed improportionabilis est corona ancillæ, & reginæ: ergo improportionabiliter perfectiorem habet aureolam, super aureolam virginum. Item Beatissima Virgo habuit virginitatem in summo, vt patebit infra: ergo habet aureolam virginitatis in summo.

Post hæc quæritur, quomodo fuerit fructus in Beata Virgine, qui distinguuntur secundùm statum innocentiæ, vel continentiæ trigesimus, sexagesimus, centesimus: & videtur, quòd illos non potuerit habere excellentiùs: quia trigesimus non excellit trigesimum, nec sexagesimus sexagesimum, nec centenus centenum.

Solutio ad hoc: soluentes dicimus, quòd istæ beatitudines determinantur secundùm actus perfectissimos viæ, & propter hoc euacuabuntur in patria, vbi non est paupertas, nec luctus, nec esuries, &c. Et concedimus, quòd Beata Virgo habuit omnes istas, secundùm quod probatum est, scilicet, excellentiùs omni viatore, concedentes omnia, quæ opposita sunt de paupertate similiter, & de mititate.

Quòd autem obijcitur de Moyse, quòd erat mitissimus, intelligendum est in generatione sua, vel respectu præcedentium, vel contemporaneorum suorum, quia Beatissima Virgo non cadit in numerum cum alijs: quia non est vna de omnibus, sed est super omnes. Concedimus, & quòd Beatissima Virgo habuit omnes aureolas, & omnia dona gratuita omnium aliorum sanctorum. De aureola Martyrum Bernardus, *longè eam plusquam martyrem censemus, in qua passionis sensum comparationis superauit affectus.*

Item de omnibus aureolis similiter Bernard. super illud Ecclesiast.24. *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Meritò in plenitudine sanctorum eius erat detentio, cui nec fides deficit Patriarcharum, nec spiritus prophetarum, nec zelus Apostolorum, nec constantia martyrum, nec sobrietas confessorum, nec castitas virginum, nec fœcunditas coniugatarum, nec puritas

Eccl.24.

Angelorum. Ex hac auctoritate patet, quòd Beatissima Virgo habuit omnes proprietates gratuitas aliorum. Rationes in contrarium positas, per contrarias rationes credimus sufficienter esse solutas. Ad illud, quòd vltimo obijcitur de fructibus: dicimus, quòd illos habuit excellentiùs omnibus viatoribus duplici ratione. Vna, quia habuit eos omnes simul, vtpote virgo, vidua, & cõiugata. Altera, quia vnumquodque excellentiùs habuit. In trigesimo enim fructu, qui debetur coniugatis, per denarium gloriæ æternæ perfectio signatur. Per ternariũ tria bona coniugij, scilicet fides, proles, Sacramentum: per quæ coniugati tendunt ad vitam æternam. Illa autem tria habuit excellentiùs Beata Virgo, vt probatum est supra: ergo habuit fructum trigesimum omnibus excellentiùs. Item in quadragesimum per denarium signatur perfectio æternæ gloriæ. In senario sex opera misericordiæ, per quæ viduæ tendũt in vitam æternam. Illa autem opera misericordiæ fuerunt in Beata Virgine excellentiùs omni viatore: ergo habuit fructum sexagesimum excellentius vniuersis. Centesimus fructus, seu numerus, qui cõsistit ex denario in se ducto, vitã Angelicam in terris significat; per quam tenditur ad societatem Angelorum in cœlis. Vitam ergo Angelicam habuit Beatissima Virgo excellentiùs omnibus in terris: ergo Beatissima Virgo excellentiùs vniuersis habuit fructum centesimum. Et sic patet, qualiter Beatissima Virgo omnes beatitudines, & omnes aureolas, & huiusmodi fructus omnes habuit in summo.

A

B

C

De fructibus quos ponit Apostolus ad Galathas.

CAP. 119.

Post hæc quæritur de fructibus, quos ponit Apostolus ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, &c.* Qualiter fuerint in Beata Virgine, & videtur, quòd excellentiùs omni viatore; & hac ratione gratia, & peccatum opponuntur. Coniunctio, & diuisio similiter opponuntur, à peccato est diuisio: ergo à gratia est coniunctio; sed in Beata Virgine fuit improportionabilis gratia: ergo improportionabilis cõiunctio; sed ad coniunctionem, cum Deo sequitur refectio, siue fructus, vt patet in fruitione patrię, quæ sequitur ad summam coniunctionem; sed in Beatissima Virgine fuit summa, & improportionabilis coniunctio viæ: ergo improportionabilis refectio: ergo habuit omnes fructus in summo. Item Esai. 3. *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*, & in Psalm. *Labores manuum tuarum, &c.* Ergo in operibus bonis est refectio. In Beata Virgine fuerunt opera improportionabiliter bona: ergo & refectio improportionabilis. Item Psalm. *In custodiendis illis retributio multa*, sed Beata Virgo improportionabiliter alijs custodiuit; ergo in ipsis improportionabiliter retributionem habuit. Item *secura mens, quasi iuge conuiuium*; sed Beatissima Virgo alijs improportionabiliter secura fuit: ergo alijs improportionabiliter conuiuauit. Item Isai. 58. *Si auerteris a Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & Sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias meas; & non inueniatur voluntas tua, vt loquaris sermonem; tunc delectaueris super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Omnia hæc, quæ præmittuntur ad istam cibationem fuerunt in Beata Virgine summè; ergo cibatur in summo.

Galat. 5

Esai. 3.

Psal.

D

Psal.

Isai. 58.

De charitate.

CAP. 120.

Post hæc quæritur de fructu, quæ est charitas; & probatur, quòd in Beata Virgine fuerit in summo, hoc modo. Charitas est, quæ de terra ad cœlum euocat, & sic duo innuntur, quæ pertinent ad hunc fructum, à terrenis separatio, ad cœlum eleuatio. Vtrũque istorum in Beata Virgine fuit in summo, quòd improportionabiliter alijs à terrenis fuit separata. Patet per hoc, quòd nec pũluis venialis peccati pedibus eius adhæsit, quòd omnibus alijs viatoribus ineuitabile fuit, quòd ad cœlũ maximè eleuata fuit, sic probatur. Matth. 6. *Vbi est thesaurus tuus, &c.* ergo thesaurus tuus trahit ad se fructum; sed Beata Virgo habuit improportionabiliter thesaurum in regno cœlorum: ergo improportionabiliter leuabatur ad cœlum. Item eleuatio est gratia, sed in Beata Virgine fuit improportionabilis gratia, ergo, &c. Item in Psalm. 23. fiunt tres quæstiones. Vna. *Quis ascendet in montem Sanctum tuum.* Altera autem. *Quis stabit in loco sancto tuo.* Tertia. *Quis habitabit*, quia difficilè est, & perfectum ascendere, difficiliùs, & perfectiùs stare. Difficillimum, & perfectissimum habitare, & quiescere; sed ad statum Apostolorum, qui sunt maiores de Ecclesia pertinet ascendere; sed non habitare; imò descendere. Vnde Angeli descendebant, & ascendebant; in Genes. 28. Vnde Apostolus rapiebatur, vsque ad tertium cœlum, & mox descendit ad disponenda cubicula infirmorum. Vnde ipse dicit 2. Corinth. 5. *Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus nobis:* ergo ad perfectiorem statum,

Matt. 6

Psal. 23

Gen. 28

2. Cor. 5

tum,

tum, quàm Apostolorum fuerit, ad quem pertinet ascendere, & quiescere; sed super statum Apostolorum, non fuit status eminentior, quàm status Beatæ Virginis: ergo ad statum Beatæ Virginis pertinet ascendere, habitare, & quiescere. Item Psal. 83. *Concupiuit, & defecit anima mea in atria Domini.* Concupiscere, & deficere, medium est inter atria Domini concupiscere, & non deficere. Primum pertinet ad statum viatorũ: secundum, ad statum comprehensorum: ergo medium, ad statum medium. Hic est autem status Beatissimæ Virginis: ergo Beata Virgo atria Domini concupiuit, & non defecit: ergo ibi requieuit. Itẽ Isai. 11. *Et requieuit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, &c.* Bernard. Nimirum super eam: ergo, & super eam requieuit Spiritus Sanctus; sed requies est priuatio motus; sed augmentum, & diminutio sunt motus: ergo si habuit Spiritum Sanctum, fuit sine motu: ergo sine augmento: ergo in summo: ergo fructum charitatis in summo. Item Sapient. 6. *Incorruptio facit esse proximum Deo;* sed in Beatissima Virgine fuit improportionabilis incorruptio: ergo improportionabilis proximitas Dei: ergo Luc. 14. & 18. *Qui se exaltat humiliabitur, &c.* Beatissima Virgo fuit in summo humiliata: ergo in summo eleuata. Cùm ergo charitatis fructus sit eleuatio ad cœlum; manifestum est ex his, quòd Beatissima Virgo habuit fructum charitatis in summo.

Psal. 83 — Sap. 6. — Luc. 14. & 18.

De gaudio.

CAP. 121.

Post hæc quæritur de secundo fructu, qui est gaudium, de quo Gloss. ibid. Quod gaudium est puritas conscientię, & eleuatio animi, in his, quæ digna sunt se exaltantis; sed hæc tria, puritas, scilicet, conscientiæ, vt patuit supra; & eleuatio animi, vt in proximo est probatum; & dignitas donorum spiritualium, fuerunt in Beata Virgine in summo: ergo habuit fructus gaudij in summo. Item Psalm. 19. *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: iubilate Deo, &c.* Gloss. Quòd visio saluationis est causa iubilationis; sed in visione ista Beatissima Virgo in summo vidit: ergo iubilauit in summo. Item Lucæ 2. *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est Saluator.* Improportionabiliter, maius est Saluatorem nasci de se, quàm nasci sibi: ergo Beatissima Virgo improportionabiliter omnibus causam gaudij habuit: ergo improportionabiliter omnibus gaudia fuit. Item improportionabiliter maius est, Saluatorem sibi nasci filium, quàm sibi nasci Dominum. Si enim Beata gens, cuius est Dominus eius, improportionabiliter beatior est, cuius Dominus filius eius; sed Beatissimæ Virgini nascebatur filius, alijs Dominus: ergo improportionabilem causam alijs gaudẽdi habuit: ergo in summo gaudia fuit. Item Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, &c.* Hæc est immediata, & per se. Dilectio enim est immediata causa gaudij; sed Beatissima Virgo habuit dilectionem in summo. Item Lucæ 10. *Gaudete, & exultate, quoniam cognosco vos, &c.* Hoc est, gaudium de prædestinatione æterna, & de præsenti iustitia; sed Beata Virgo habuit præsentem iustitiam in summo: ergo & gaudium in summo. Item aliquis prædestinatur, vt sit seruus Dei, & filius per adoptionem: aliquis vt Filius Dei sit per Deũ, vt Christus homo: aliquis, vt sit Mater Dei per naturam; sed improportionabiliter maius est, esse Matrẽ Dei per naturam, quàm esse Filium per adoptionem: ergo Beatissima Virgo causam gaudij habet in summo. Item Apostolus ad Philip 4. *Gaudete in Domino, Dominus enim propè est:* ergo proximitas est causa gaudij; sed Beatissimæ Virgini in summo proximus fuit: ergo summum gaudium habuit. Item Apostolus ad Colos. 3. *Habentes super omnia charitatem, quæ est vinculum perfectionis: & pax Dei exultet in cordibus vestris.* Gloss. charitas est causa exultationis; sed Beata Virgo habuit charitatem in summo: ergo exultauit in summo. Item ad Roman 14. *Regnum Dei inter vos est pax, & iustitia, & gaudium in Spiritu Sancto.* Beatissima Virgo improportionabiliter plus habuit in corde de regno Dei: ergo improportionabiliter plus de gaudio in Spiritu Sancto. Itẽ dicitur in Psal. 88. *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuã. Beatus populus, qui scit iubilationẽ.* Præcessio misericordiæ est causa iubilationis; sed in Beatissima Virgine præcessit misericordia in summo: ergo sciuit iubilationem in summo. Itẽ Thob. 5. *Quale gaudiũ mihi est, qui in tenebris sedeo; & lumen cœli non video;* ergo à tracto sensu in luce esse, & lumẽ cœli videre est causa lętitię. Hoc autẽ fuit in Beatissima Virgine in summo: ergo habuit gaudium in summo. Item Beata Virgo omnibus viatoribus, & comprehensoribus est causa gaudij, & lætitię: ergo plus omnibus habuit gaudij, & lætitiæ. Vnde Sarra in figura eius dicit Genes. 21. *Risum mihi fecit Dominus, & omnes, qui audierunt, corrident mihi.* Quasi diceret: Gaudium principaliter pertinet ad me: alij attamen in consequenti, & per me. Vnde Iudith 15. *Tu gloria Hierusalem: tu lætitia Israel: tu honorificentia populi nostri.* Item Isai. 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant, &c.* Hic tanguntur duæ causæ gaudij messorum; scilicet de fructu, & victoria de spolijs; sed

Psal. 19 — Luc. 2. — Ioan. 14 — Luc. 10. — Phil. 4. — Colos. 3. — Rom. 14 — Psal. 88 — Thob. 5. — Gen. 21. — Iud. 15. — Isai. 9.

Bea-

Beatissima Virgo habuit fructũ in summo: ergo & gaudium in summo. Item Beata Virgo habuit victoriam, & spolia in summo, quæ ex faucibus Leuiathan totum mundum, quasi spolium eripuit: ergo gaudij fructum in summo pessedit.

De Pace.

CAP. 122.

Post hac quæritur de fructu, qui est pax, quòd fuerit in summo in Beata Virgine probatur hoc modo Luc. 2. *Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus, &c.* Beatissima Virgo improportionabiliter omnibus habuit bonam voluntatem: ergo improportionabiliter pacem. Item Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis, &c.* Hæc est duplex pax, scilicet æternitatis, & pectoris. Pax pectoris, est quies à peccatis. Illam autem habuit Beatissima Virgo in summo. In alijs autem quies à peccato est cessatio peccandi: ergo Beatissima Virgo habuit pacem pectoris in re; & pacem æternitatis improportionabili certitudine; ergo habuit fructum pacis improportionabiliter omni viatore. Item Isai. 32. *Opus iustitiæ est pax*: sed Beatissima Virgo iustitiam habuit in summo. Item in Psal. 75. *In pace factus est locus eius.* Sed Beatissima Virgo improportionabiliter fuit locus Domini; ergo improportionabiliter pax. Item mundus pacem eius turbare non potuit; quia pauperrima spiritu fuit. Item Diabolus pacem eius turbare non potuit; quia humilis fuit in summo: sed nec caro turbare eam potuit; quia fomes in ea extinctus fuit; & sic patet, quomodo Beata Virgo fructum pacis in summo habuit.

Lucæ 2. Ioan. 14 Isai. 32. Psal. 75

De Pacientia.

CAP. 123.

Post hæc quæritur de pacientia. Psalm. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sed Beatissima Virgo habuit dolorem Passionis post Filium suum in summo: ergo fructum pacientiæ in summo. Item sicut se habet passio ad passionem, ita consolatio ad consolationem. Christus autem in passione summum dolorem habuit, & summam consolationem; sed passio Beatissimæ Virginis simillima fuit illi passioni; ergo & consolatio consolationi. Item Prouer. vlt. *Date siceram merentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* Sed Beatissima Virgo habuit amaritudinem passionis in summo: ergo & siceram consolationis in summo. Item Isai. 61. *Dabit ei Dominus coronam pro cinere: oleum gaudij pro luctu: pallium laudis pro spiritu meroris.* Sed Beatissima Virgo habuit luctum, & merorem in summo; ergo gaudium, & consolationem in summo.

Psal. 93 Pro. vl. Isai. 61.

De Longaminitate.

CAP. 124.

Post hæc quæritur de longanimitate. Gloss. Quod longanimitas est, in expectatione boni: Inde sic: Bonum expectatum reficit; sed Beatissima Virgo improportionabile gaudium alijs expectauit: ergo fructum longanimitatis importionabiliter habuit. Item bonum expectatum non reficit, nisi in aliquo certum sit haberi: ergo vbi est maior certitudo de habendo, ibi maior refectio in expectando; sed Beatissimæ Virginis expectatio, omnibus alijs improportionabiliter fructum habuit longanimitatis. Item omnis alterius viatoris expectatio est per modum esurientis; expectatio Beatæ Virginis fuit per modum comedentis, sed improportionabiliter magis delectat expectatio in comedendo, quàm in esuriendo. Patet ergo, quòd Beata Virgo fructum longanimitatis habuit improportionabiliter viatoribus vniuersis.

De Bonitate.

CAP. 125.

Post hæc quæritur de bonitate. Gl. *est dulcedo animi*; sed secundùm Philosophũ; dulce est amaro impermixtum: dulcius quod amaro impermixtius: dulcissimum, quod amaro impermixtissimum: Sed animus Beatæ Virginis solius fuit omni amaritudine imperfectissimus; ergo eius solius animus fuit dulcissimus. Item hæc dulcedo est de bonis cognitis, & habitis. Sed Beatissima Virgo bona nobilissima in se cognouit, & habuit; ergo dulcissima fuit. Item Psal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Sed Beatissima Virgo nobilissima, timorem, scilicet, reuerentiæ habuit in summo: ergo dulcedinem habuit in summo. Item Iudic 6. legitur: quòd vellus dulci rore impletum post hoc totam aream impleuit. Per vellus Beatissima Virgo intelligitur, quæ totum mundum dulcedine repleuit: ergo plus omnibus dulcedine habuit. Item ad Hæbr. 9. *In arca fuit vrna cum manna.* Per arcam Beata Virgo; per manna summa dulcedo signatur: ergo ipsa in summo habuit dulcedinem. Item Eccl. 24. cap. *Spiritus meus super mel dulcis.* Sed per mel communiter intelligitur quid dulcissimum, iuxta illud Iudic. 14. *Quid dulcius melle.* Ergo Beatissima Virgo habuit maiorem dulcedinem super omnem dulcedinem? Item quãtò arbor altior, tantò fructus dulcior: sed fructus Beatissimæ Virginis fuit dulcissimus; quia ipse solus altissimus;

Psal. 30 Iud. 6. Hæbr. 9 Eccl. 24 Iudic. 14

simus; sed si fructus fuit dulcissimus, ergo rami: iuxta illud Iacob. 3. *Iac. 3.* *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam.* Quasi diceret: Qualis intus, talis & extra. Cùm ergo à Beatissima Virgine summa dulcedo processerit, patet, quòd dulcissima fuerit. Sic ergo dicitur, quòd Beatissima Virgo bonitatem, ideſt, dulcedinem animi habuit in summo super omnem viatorem.

De Mansuetudine.

CAP. 126.

Post hæc quæritur de mansuetudine. Est autem mansuetudo secundùm Gloss. tractabilitas. Tractabilis autem est, qui habet bonos mores. Boni autem mores sunt per virtutes; Beatissima Virgo habuit virtutes in summo: ergo tractabilis fuit in summo. Item Iacob. 1. *Iac. 1.* *Cum mansuetudine suscipite insitum verbum.* Gloss. cum mansuetudine contra iram. Qui minus habet de ira, habet magis de mansuetudine. Beatissima Virgo omnino caruit ira: ergo habuit mansuetudinem in summo. Item inter superbos semper iurgia sunt: ergo superbia per se est causa iurgiorum: ergo vbi plus de superbia, plus de iurgijs: minus de mansuetudine: ergo per oppositum, vbi minus de superbia, minus de iurgijs, & plus de mansuetudine, sed in Beatissima Virgine fuit humilitas in summo: ergo & mansuetudo. Item tractabilis dicitur, qui est omnibus conformis, & conformabilis. Tractabilis ergo est, qui est omnibus omnia. Hoc autem potest esse duobus modis, vel secundùm genera singulorum, si- *Paulus.* cut Paulus, *Qui factus est Iudæis, sicut Iudæus, &c.* vel secundùm singula generum, & istæ est simpliciter omnibus omnia, & hoc fuit Beatissima Virgo: ergo Beatissima Virgo fuit tractabilis in summo. Vnde Bernar. *Bern.* in sermon. de Assumptione. *Signum magnũ, Quid ad MARIAM trepidat humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est.* Et infra. *Omnibus omnia facta est, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, & denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis humanæ substantiam, vt enim sit, qui se abscondit à calore eius.* Item argui potest ex eo, quòd Ecclesia interprætetur eam diuersis statibus, & proprietatibus assimilan- *Eccl. 24* do. Dicens Eccles. 24. capit. *Ego quasi vitis fructificaui, &c.* Ex quibus omnibus argui potest, quòd ipsa est omnibus conformabilis, & ideò omnibus in summo tractabilis. *1. Cor. 9* Item Paulus, *fuit omnia omnibus, secundùm assimilationem*, 1. Corinth. 9. Beatissima autem Virgo secundum veritatem. Item Paulus diuersis hominibus, & statibus se pro loco, & tempore conformauit secundum similitudinem, & condescentionem. Beatissima autem Virgo similiter, diuersis temporibus, & etiam oppositis se conformauit secundum rem, & veritatem rei; simul enim secundum rem, & matribus, & virginibus se conformauit, & viduis, hominibus, & Angelis: ergo fuit improportionabiliter tractabilis viatoribus vniuersis. Sic ergo patet, quòd Beatissima Virgo habuit fructum mansuetudinis in summo.

De Benignitate.

CAP. 127.

Post hæc quæritur de benignitate, quæ est, vt dicit Gloss. largitas rerum, quod autem ista fuerit in Beatissima Virgine in summo, probatur hoc modo. Largitas rerum consistit in dando; sed Beatissima Virgo improportionabiliter omnibus dedit: ergo improportionabiliter omnibus plus larga fuit. Minor patet hoc modo: de Deo Patre dicit Apostolus ad Roman. 8. *Qui proprio filio* *Rom. 8.* *non pepercit, quomodo cum illo, non omnia nobis donauit;* sed Deus dedit nobis filium generando ipsum secundùm diuinam naturam, & eius incarnationem operando: ergo & Beata Virgo dedit nobis filium ipsum generando secundùm humanam naturam, ad ipsius incarnationem carnem virgineam ministrando: ergo & ipsa nobis dedit, & in ipso omnia nobis contulit. Item Beatissima Virgo dedit omne dabile: ergo fuit magis larga omni viatore. Media patet: omne enim dabile est Deus, vel creatura. Ipsa enim dedit Deum mundo, & mundum, & omnia Deo. De primo dicitur in lib. Sapientiæ 2. cap. *Quoniam omnium bonorum mater* *Sap. 2.* *est*, de secundo, *venerunt mihi omnia pariter cum illa.* Item Psalm. 50. *Benignè fac.* Gloss. *Psal. 50* filium mittendo, peccata dimittendo; sed inter omnes creaturas filij missione, & peccati dimissioni sola officium, & ministerium exhibuit: ergo proportionabiliter plus omnibus benigna fuit. Item 1. Corint. 13. *Cha-* *1. Co. 13* *ritas patiens est, benigna est.* Hæ sunt propositiones per se: ergo vbi maior charitas, ibi maior benignitas; sed Beatissima Virgo in summo habuit charitatem: ergo & benignitatem. Item Matth. 5. *Sicut & pater vester* *Matt. 5* *solem oriri facit, & pluit super ingratos, & malos.* Gloss. Benignus, quia dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus; sed post Deum Beata Virgo in summo suo modo dedit nobis filios Dei fieri, per gratiam nos regenerando. Beatissima enim Virgo dedit nobis potestatem filios Dei fieri regene-

neratorem nostrum generando. Vnde Luc. 2. *MARIA peperit Filium suum primogenitum.* Gloss. id est, vnum Filium genuit, in quo nos omnes secundùm spiritum in filios Dei regenerauit. Luc. 2.

De Fide.
CAP. 128.

Post hæc quęritur de fide. Dicitur autem hoc: fides secundũ Gloss. Inuisibiliũ certitudo. Intẽditur autẽ delectatio ex certitudine tribus modis. Primus modus est, per scibilium pluralitatem; vt si delectatio est in sciẽdo, quãtà plura sciuntur, tantà maior est delectatio. Sed Beatissima Virgo plus omnibus sciuit: ergo plus omnibus secundùm hũc modum delectationis habuit. Secundus modus est per nobilitatem, & maioritatem Sanctorum, vt si est delectatio in sciendo talia; maior delectatio erit in sciendo nobiliora, & meliora, sed Beatissima Virgo, sciuit in proportionabiliter meliora, & nobiliora; ad sciendum alijs, scilicet Deum, Trinitatẽ, & beatitudinem propriam: ergo eius delectatio, quam habuit in sciendo omnium aliorum delectationibus, fuit improportionabilis. Nihil enim est delectabiliùs animæ scire, quàm scire Deum: & se ab ipso scire, nunquã separandam. Tertius modus est, per modum sciendi perfectiorem, & si delectat aliquid scitum simpliciter situm, perfectius plus delectat: sed Beatissima Virgo improportionabiliter perfectionem habuit in sciendo. Item mundicia præcedit visionem, visio certitudinem, certitudo delectationem: sed Beata Virgo habuit improportionabilem munditiam: ergo visionẽ: ergo certitudinẽ: ergo delectationẽ; sic ergo patet qualiter Virgo Beata, & plura sciuit, & delectabiliora ad sciendũ, & perfectiori modo sciẽdi omnibus alijs: & sic certitudinem habuit inuisibilium excellentius omnibus alijs. Igitur fructum fidei habuit in summo.

De Modestia.
CAP. 129.

Post hæc quæritur de modestia; quæ vt dicit Gloss. consistit in dictis, & in factis; & in sermone: sed hæc fuerunt in summo in Beata Virgine, vt probatũ est supra: ergo & refectio debebatur: sicut enim se habet cibus ad cibum, ita delectatio ad delectationem. Item, sicut se habet virtus ad virtutem, ita actio ad actionem; & modus actionis ad modum actionis: sed Beata Virgo habuit virtutem in summo; ergo & actiones: ergo & modum. Sed penes modificationem cõsistit modestia; ergo habuit modestiam in summo: ergo & fructum modestiæ. Item in virtutibus politicis, virtus est medietas duorum extremorum. Vnde in his, modus consistit circa medium. In virtutibus autem Theologicis tantò aliquid perfectiùs habet virtutis A esse, quantò maior elevatio, & extensio ad consecutionem finis. Vnde modus ibi attenditur secundùm maiorem elevationem virtutis. Fides enim, tantò magis est virtus, quantò magis eleuat potentiam ad credendum; & simili modo, spes tantò perfectius habet esse virtutis, quantò magis eleuat ad operandum: si ergo modestia est tenere modum; ergo modestissimi in summo erit, tenere modum in summo. Summus autem modus est, per modum, in statu viæ eleuare potentiam ad perfectissimum actum, qui potest esse in statu viæ. Huiusmodi autem eleuatio fuit tantùm in Beata Virgine; ergo ipsa habuit modum tantùm in summo. Item Gloss. B super illud Rom. 12. *Rationabile sit obsequium, neque nimis, neque minus.* Hoc autem solum cõuenit Beatissimæ Virgini præcisè: ergo sola habuit fructum modestiæ in summo. Item in alijs viatoribus modestia est cohibitio, & restrictio appetituum inordinatorum à cõcupiscentia surgentium, & fructus modestiæ est refectio, vel delectatio de huiusmodi cohibitione, vel restrictione. Vnde est quasi delectatio pugnatorum post victoriã, & sic est delectatio per modũ pœnitentiæ. Modestia autem Beatissimæ Virginis non est de restrictione appetituum inordinatorum, qui in ea esse non possunt; sed est perfecta subiectio carnis, & sensualitatis ad C spiritum secundùm talè, & tam plenum rationis dominium, quod non est possibile irascibilem, vel concupiscibilem, & rationalem excedere suum modum, & sic fructus modestiæ in ipsa non est super cohibitione, vel restrictione motuum inordinatorum, qui in ea non sunt: sed in ea est delectatio super eo, quòd huiusmodi motus ei non insunt, nec inesse possunt: & sic sua refectio est per modum innocentiæ. Aliorum autem refectio fuit per modum pœnitentiæ, sed status innocẽtiæ improportionabiliter excellit statum pœnitentiæ in dignitate: ergo refectio per modum innocentię, refectionem per modum pœnitentiæ; quia pœna potest demi, D culpa perennis erit. Sic ergo patet, quòd Beatissima Virgo fructum modestiæ improportionabiliter excellentiùs habuit omni viatore.

De Continentia.
CAP. 130.

Post hæc quæritur de continentia, quæ vt dicit Gloss. est ab illicitis abstinere, & intelligitur de licitis, & est virtus à placitis abstinuisse bonis: & intelligitur hoc de placitis secundùm sensum. Non enim est virtus abstinuisse à bonis placitis secundùm intellectum. Illa enim sunt simpliciter bona, & secundùm virtutem appetenda. A bonis autem sensibilibus, delectabilibus, abstinendum.

Sum-

Summè verò delectabile secundùm sensum est actus generationis: ergo ab hoc abstinere est maximum virtutis. Hoc autem potest esse duobus modis, secundùm abstinentiam perfectam, vel secundùm perfectiorem, vel secundùm perfectissimam. Perfectam, vt in coniugatis: perfectiorem, vt in viduis: perfectissimam, vt in virginibus. Et ibi perfectior, secundùm quod virginitas perfectior: ergo simpliciter in summo. Hæc autem in Beata Virgine fuit in summo: ergo habuit fructum continentiæ in summo. Item virtus est, circa arduum, & difficile; sed hæc est continentia secundùm abstinentiam: actus generationis maximè est ardua, & difficilis naturæ corruptibilitate. Præcipuè circa partem, quæ est corrupta, & infecta: ergo vbi est illa abstinentia in summo, ibi erit continentia in summo. Item licitum est, quòd nulla lege prohibetur; sed Beatissimæ Virgini non est lex posita, iustis enim est lex posita. Vnde ad Galat. 5. inenumeratis fructibus subiungitur. *Aduersus huiusmodi nō est lex*: ergo omnia licebant: omnibus autem alijs est lex posita: ergo omnia erant ei improportionabiliter magis licita: ergo improportionabiliter alijs fructus eius erat continentia. Item augmentat virtutem continentiæ, abstinere à rebus non tantum placitis, & illicitis, sed etiam aliquibus debitis: erit ergo virtus continentiæ perfecta, abstinere à licitis placitis, & debitis: ergo à magis debitis abstinere erit maior virtus; sed Beatissima Virgo improportionabiliter abstinuit à honoribus, & rebus sibi debitis plus omnibus alijs creaturis. Item augmentat virtutem continentiæ abstinere à magno, & digno sibi debito, & licito: & erit continentia, si abstineatur ab honore in summo; sed honor, & reuerentia, quæ debebatur ei, in quãtum erat Mater Dei, excellit omnem reuerentiam; & omnem honorem debitum creaturæ: ergo ipsa habuit fructum continentiæ in summo: sic ergo patet, qualiter Beatissima Virgo abstinuit à summè licitis, à summè debitis, à summè dignis, & sic habuit fructum continentię excellentiùs omnibus creaturis.

Galat. 5

De Castitate.

CAP. 131.

Post hæc quæritur de castitate, quæ vt dicit Gloss. *est rectè vti licitis*, & quod fuerit in Beata Virgine in summo, probatur hoc modo. Triplex est status. Ante gratiam, vel præter gratiam; in gratia; & in gloria. In primo statu fuit operatio secũdùm naturam. In vltimo fit operatio secundùm gloriam; sed inter hæc duo extrema, duo sunt media; scilicet operari quandoque secundùm naturam, quandoque secundùm gratiam: & operari semper secundùm naturam, & gratiam; sed operari secundùm gloriam, conuenit cõprehensoribus; secundum verò naturam corruptam, vel non corruptam, conuenit hominibus, siue peccatoribus, siue non peccatoribus. Operari verò quandoque secundùm naturam, quandoque secundùm gratiam, cõuenit viatoribus: ergo omnia operari secũdũ naturam, & gratiam conuenit statui medio inter comprehensores, & viatores. Ille autem status medius est Beatissimæ Virginis: ergo illud operari conuenit Beatissimæ Virgini tantum; & illud operari est summè recte vti licito: ergo ei conuenit castitas in summo. Item omnes actiones humanæ sunt referibiles secundùm actũ viæ: ergo summe perfectus, secundum statum viæ omnes actiones refert. Hæc autẽ fuit Beatissima Virgo: ergo ipsa retulit omnes actiones suas. Item Apostolus 1. Corinth. 10. *Siue manducatis, siue bibitis: omnia in gloria Dei facite*. Hoc autem est omnia referre in gloriam Dei, & huiusmodi referre est vti: ergo contingit omnibus rectè vti; sed tamen vti consistat in referendo. Est enim vti referre ad id, quòd est fruendum, & sicut contingit referre differenter; ita contingit differenter vti; secundùm viatores contingit referre omnia habitualiter. Solam Beatam Virginem contingit diuina referre, & actualiter: ergo cõuenit ei vti omnibus improportionabiliter, quòd autem nulli viatori conueniat posse referre actualiter, sic patet. Omnem alium necesse est peccare venialiter aliquando; sed quicunque peccat venialiter, illum impossibile est referre omnia actualiter; sed omnem viatorem excepta Beata Virgine, necesse est aliquando peccare venialiter: ergo nullum viatorem, excepta Beata Virgine, possibile est omnia referre actualiter. Item inter habitum, & statum medius est actus: ergo inter statum fruendi, & habitum referẽdi medius est actus referendi: ergo inter frui Deo, & omnibus in Deo actualiter, etiam omnia referre ad Deum habitualiter, medium est omnia referre actualiter in Deum. Primum autem pertinet ad statum comprehensorum, secundùm ad statum viatorum: ergo mediũ ad statum medium. Hic autẽ est status Beatissimæ Virginis: ergo opera sua omnia retulit in Deum actualiter, & hoc est rectè vti licitis in summo: ergo ipsa sola habuit fructum castitatis in summo. Patet ergo, quòd Beatissima Virgo omnes fructus spiritus habuit in summo. Hæc autem concedimus omnia, & credimus esse vera, sicut ex veris, & prouabilibus per ordinem sunt probata. Ad expræsiorem tamen prædictorum intelligentiam, & ad videdum gratuitorum perfectionis differentiam, quam in plenitudine gratiæ Beatissimæ Virginis omnifarium

1. Co. 10

dis-

disputauimus esse comprehensiuam. Notandum, quòd gratuita perfectio comparari potest ad duo. Ad id, in quo est, vt in subiecto, vel ad id ad quod est, vel ad quod ordinat, vt ad actum, obiectum, vel finem; secundùm comparationē autem quā habet ad id in quo est, sumuntur fructus. Perfectio enim gratuita delectat proprium subiectum, & reficit ipsum, & secundùm hoc appellatur fructus. Comparatio autem ad id ad quod est, vel ad quod ordinat, potest esse duobus modis. Potest enim esse illa comparatio, vel secundùm statum, vel secundùm actum. Si secundùm statum, sic sunt beatitudines, quæ determinant statum perfectum secundùm perfectionem gratuitam per modum viæ; & est determinatio status per effectus completissimos, & excellentissimos in via, vt est omnia relinquere: sua & aliorum peccata deflere; & animam pro proximo ponere, & horum similia. Si autem illa fiat secundùm actum, hoc potest esse adhuc dupliciter. Potest enim esse perfectio gratuita quantùm ad actus primos. Primò, in agere gratuito perficientes, vel quo ad actus secundos. Secundò, & ad consequentes actus, & excellentes perficientes, nisi secundo modo sic sunt dona. Si primo modo, hoc potest esse dupliciter; quia primò ista perfectio in esse gratuito potest esse liberando à malo, & sanando, vel ad bonum ordinando. Primo modo sunt gratię Sacramentales. Secundo virtutes.

Sufficientia autem horum omnium est hęc. Et primo Sacramentorum. Cùm enim Sacramentum sit medicina contra læsionem à malo, aut est contra indigentiam membrorum secundùm se singillatim, vel in corpore Ecclesia. Si secundum quod in corpore; sic diuiditur duobus modis. Aut enim ad multiplicationem fidelium carnalem, & sic est matrimonium, vel spirituale, & sic est ordo. Si autem est contra indigentiam membrorum secūdum se, illa quadruplex erit. Primus est defectus originalis iustitiæ, per originalem culpam. Secundo, ex illo consequitur pronitas ad originale, siue actuale peccatum. Ad quam tertio consequitur actuale peccatum; post quod sequitur infirmitas ad recidendū. Contra primum defectum ordinatur baptismus: contra secundum confirmatio: contra tertium pœnitentia: contra quartum Sacramentum Eucharistiæ. Post hoc est quædam pœnalitas, quæ non tollitur omnino, vt infirmitas ex parte corporis; & infirmitas venialis peccati ex parte animæ: contra hanc ordinatur extrema vnctio.

Sufficientia virtutum summitur hoc modo: virtutum, quædam immediatæ sunt in Deum, quædam autem mediatæ. Immediatæ autē virtutes distinguntur secundum delectabile trium virium motiuarum. Fides respectu veritatis; spes respectu arduitatis; charitas respectu bonitatis. Mediatæ verò distinguntur secundum tres actus trium virium, rationalis, irrationalis, concupiscibilis. Qui sunt discernere, aggredi, concupiscere. Penes discernere prudentia; penes concupiscentia, temperantia; penes aggredi, fortitudo. Quarta verò, scilicet iustitia sumitur secundum ordinem ad alterum. Bonorum multiplicatio, sic est. Aut enim doni actus, est in malum pœnæ, aut à malo culpæ, aut cuius actus est in bonum. Si primo modo erit donum timoris: si autem fuerit in bonum, aut est ad bonum, quod est ad finem, aut est ad bonum consilij, vel præcepti; si autem est bonum præcepti, aut erit, vt dirigens, aut vt exequens: si vt dirigens, sic est donum scientiæ. Si vt exequens, sic est donum pietatis. Item si est bonum consilij, aut erit vt dirigens, aut exequens; si vt dirigens, sic est donum consilij; si vt exequēs, sic est donum fortitudinis. Si autem est in bonum, vt est finis, aut erit vt dirigens, aut vt exequens. Si vt dirigens; sic est donum intellectus; si vt exequens, sic est donum sapientiæ.

Sufficientia actus beatitudinis sumitur hoc modo. Actus beatitudinum viæ, aut est in bonum, aut in malum pœnæ. Malum autem pœnæ, aut est ex compassione rei delectabilis, aut ex compassione rei tristabilis. Tristabile verò est, aut ex compassione præsenti inflicta, aut ex pœna originali contracta. Si fuerit ex compassione rei delectabilis; abdicatio eius est beatitudo paupertatis. Si ex compassione in flicta in præsenti; sic est mittitas. Si ex compassione contracta, sic est luctus. Si autem fuerit in bonum, aut in bonum consilij, aut in bonum præcepti; si præcepti, sic esuries iustitiæ: si consilij, sic misericordiæ: si autem fuerit in bonum creatum, aut quantum ad intellectum, aut quantum ad affectum. Si quantum ad intellectum, sic est cordis munditia: si quantum ad affectum, tunc est pacificatio. Sufficientia fructuum sic patet. Defectio in virtutibus est quātum ad actus interiores, aut quantū ad actus exteriores. Si ad exteriores, vel quantū ad gustū, vel tactū, vel quantum ad alios sensus. Si quantum ad gustum, & tactum, sic erit vel abstinere à licitis: & hæc est cōtinentia: vel rectè vti licitis, & hæc est castitas. Si autem quantum ad alios sensus: hoc erit modestia. Si autem quantum ad actus interiores, aut ille erit irascibilis, aut concupiscibilis, aut rationalis. Si irascibilis, aut respectu eorum, quæ circa finem: sic est pacientia: vel respectu finis, sic est longanimitas. Si autem est actus rationabilis, vel est, quoad Deum, vel quoad se ipsum, vel quo ad proximum. Si est ad Deum, sic est fides. Si ad se ipsum, sic est bonitas, quæ est dulcedo animi. Si autem

est

est ad proximum; tunc est, vel in bonum regendo motus concupiscibilis, & sic est benignitas; vel in benè regendo motus irascibilis, & sic est mãsuetudo. Si autem est actus concupiscibilis, aut erit ad Deum, & sic est charitas, aut ad se ipsum, & sic est gaudium; aut ad proximum, & sic est pax. Concedimus ergo, quòd istæ perfectiones secundùm omnes status, & diuersitates excellẽtissimè fuerunt in Beata Virgine.

De Gratijs gratis datis: Primo de Sapiẽtia. CAP. 132.

Viso, de gratijs gratum facientibus, qualiter fuerunt in Beata Virgine, videndum est de gratijs gratis datis, & primo de his, quas ponit Apostolus 1. Corinth. 12. *Alij quidẽ per spiritum, datur sermo sapientiæ, &c.* 1.Co.12 Primo ergo quæritur de sapientia, quàm habuit Beata Virgo in contemplatione æternorum, & quæritur primo: vtrùm viderit Angelos, & spiritualia per species proprias, videtur quod sic. Ipsa enim videre potuit, & vidit spiritum increatum per speciem propriam: ergo, & quemlibet alium. Item Gregor. in 2. Dialog. *Quid enim non vident, qui videntẽ omnia vident? sed ipsa vidit videntem omnia: ergo vidit omnia?* Item Philosophus, quòd intellectus cognoscit omnia, propter se ipsum agnoscendum; quidquid autem est secundùm naturam cognoscitiuum alicuius cognoscet illud, nisi impediatur. Illa autem impedimenta secundùm Augustinum in superioribus sunt phantasmata corporalium animæ, per amorem conglutinata, quibus abstractis, anima se ipsam videt; sed ab his anima Beatissimę Virginis potuit se abstrahere: ergo potuit se ipsam *Augusti.* videre per speciem propriam. Item August. in lib. de spir. & anim. dicit: quòd anima concupiscibilitatem, & rationabilitatem, & irascionabilitatem habet antequam corpori infundatur: & intelligitur, quòd non habet ea à corpore; sed à sua natura in se: ergo anima in se est naturaliter cognoscitiua: & posito per impossibile, quòd non infundatur corpori, adhuc esset cognoscitiua, & non esset coarctata per aliam naturam: ergo apta nata est cognoscere omnia; sed inordinatum esset, quòd aliquid foret cognoscitiuum omniũ aliorũ, & non sui ipsius: ergo anima naturaliter est cognoscitiua sui ipsius, & omniũ aliorum: ergo cognoscet omnia, & se ipsam, nisi impediatur. Hoc autẽ est impedimentũ, quod dictum est supra; sed in anima Beatissimæ Virginis hoc fuit sublatum: ergo vidit se ipsam, & omnes Angelos, & omnia creata. Vnde Augustin. de anima, & spiritu. *Animus corporis dominator, rector, habitator, videt se per ipsum, seipsum per semetipsum videt, nõ quærit auxilium corporalium ocu-*

A *lorum; imò verò ab omnibus corporalibus sensibus, tanquam compedibus abstrahit se ad se, vt videat se in se, & mouerit se apud se, & dum vult Deum cognoscere eleuat se.*

Itẽ Philosophus in primo de anima, dicit: quòd omnino, & pœnitus difficillimorũ est, aliquam ĩdem accipere de anima, & intelligitur de anima secundùm suam substantiam operationes enim, & potentias ipsius, & accidentia non est difficiliorum cognoscere. Si ergo cognoscere animam in se, per suam speciem de numero difficillimorum est: ergo est de numero cognoscibilium: ergo etiam secundùm Philosophum, qui non habuit ad gratiam respectum, possibile est animam B cognoscere per speciem propriam, licet difficulter; sed ista difficultas amouetur, per abstractionem à phantasmatibus corporalibus; sed illa abstractio fuit completissima in contemplatione Beatissimæ Virginis: ergo vidit animas, & spiritus in contemplatione, & substantias corporalium.

Item Philosophus in tertio de anima ponit intellectum agentem, & quòd ille non sit pars animæ, sic probatur. Sicut in omni natura causa omnia faciens, est pœnitus alia in essentia à causa materiali, in qua omnia faciunt, & ex his duobus nunquam componitur vnum: ita se habet intellectus agens, & intellectus possibilis in anima: ergo neque C sunt idem in essentia, neque sunt partes componẽtes vnum totum: ergo intellectus agens non est pars animæ, nec potentia.

Item nulla ars, neque mechanica, neque liberalis est eadem in essentia, anima in qua est, neque est eadem in essentia, cũ materia, quæ sustinet operationes venientes ab ipsa; sed intellectus agens se habet: ita ad possibilem, vt ars ad materiam: ergo non sunt eadem essentia, neque constituunt aliquid totum, vt partes animæ.

Item potentia, & habitus non sunt idem in essentia, intellectus autem possibilis dicitur potentia per se; intellectus verò agens, vt habitus: ergo non sunt idem in essentia.

D Item nunquam lumen, quòd facit potentia colores actu esse colores, est idem in essentia cum coloribus, qui fiunt actu, neque cum sensitiuo visus susceptiui colorum, neque constituit aliquid vnum essentialiter, cũ altero illorũ; sed intellectus vniuersaliter agens se habet ad species intelligibiles, vt lumen ad colores, & se habet ad intellectum possibilem, vt lumen ad sensitiuum visus: ergo non est eadem essentia intellectus possibilis, & agentis, neque constituunt vnum, vt partes animæ. Ex his ergo rationibus patet ex textu de Philosopho adductis, quòd intellectus agens, non est pars animæ.

Item omnia, quæ intra sunt in anima, proportionata sunt eis, quæ sunt extra, & anima

quo-

quodámodo est omnia: quia omnia cognoscit. Ergo sicut est extra vna, tamen omnia faciens; sic species ipsius accepta in anima, & intellectu omnia erit faciens in intellectu: maior patet in capitulo de reminiscentia: minor in tractatu de intellectu agente. Intellectus enim per cognitionẽ creatorum venit in cognitionem primi principij, secundũ quod est causa omniũ, & suscipit in se specie intelligibilem ab ipso, & intellectus iste acquisitus in anima, omnia facit in anima, eo quod dicitur intellectus agens viriliter facere. Et si quæritur: vtrum aliquẽ contingat habere intellectum viriliter agentem, qui non nouit primã causam, nec habet speciem acceptã ad cognitionẽ primæ causæ. Solutio: dicemus; quòd anima non habet completè intellectum agentem huiusmodi, sed habet dispositionẽ quandam fluentẽ à prima causa, quæ dicitur lumen illuminans intellectũ possibilem, & si quæratur; cũ intellectus sit nobilissima pars animæ perfectissimè cognoscés, minus indigẽs exteriori adminiculo, quàm aliæ partes, quare indigeat huius lumine; sensus autẽ, & fantasia minimè dici oportet, quòd minimè indiget huiusmodi lumine ad cognoscendas species intelligibiles, quæ prius sunt fantasmata; quia sic est debilioris, & minoris potẽtiæ, quàm sensus, & fantasmata. Sed indiget huius lumine ad cognoscenda talia, quæ sunt occulta naturæ, quæ non possunt apprehendi sensu, vel fantasia. Cuiusmodi sunt substãtiæ, quæ in rebus naturalibus sunt; rebus fantasmata facientibus. Ipsę verò minimè fantasmata facere possunt, & huiusmodi sunt substantiæ separatæ, vt Angeli, & separabiles, vt animæ. In quarum cognitione indiget intellectus tali lumine à primo principio infuso, & ad cognitionẽ ipsius primi principij, & de hoc verum est, quod dictum est quantum ad cognitionem talium specierum. Quia sicut facit lumẽ potentia, colores actu; ita huiusmodi lumen inpræssum intellectu à primo principio facit huiusmodi species occultas, potentia intelligibiles, esse actu intelligibiles. Ex his patet quòd etiam physicè procedendo, possibile est animam existentem in corpore, spiritus, & spiritualia, & substantias corporaliũ videre, etiã sine præsentia gratiæ. Ergo multò fortiùs anima Beatissimæ Virginis eleuata, & sub tracta gratiæ pletudine.

Item secundùm Philosophiam oportet dici, qnòd intellectus habet duplicem potentiam, scilicet, fantasticam, dum est in corpore; & non fantasticã; dum est separatus à corpore. Et sic eius potentia fantastica est corruptibilis mediante fantasia. Et in quantum talis corruptibilis est. Potentia verò sua simpliciter inest ei per naturam suæ substantiæ, & non alio mediante. Vnde, & ita potentia incorruptibilis est, sicut & sua substantia.

A Vnde fit, quòd omne principium, quod habet vnã potentiam per se, & secundùm suam naturam; aliam verò mediante alio; & per accidens essentialiùs vti debet potentia, quã habet per se, & secundùm suam naturã; quàm potentia, quam habet mediante alio, & per accidens. Sed intellectus habet huiusmodi potentiam duplicem. Ergo nobilius, & melius debet vti potentia, quam habet per se, quàm, quam habet per accidens.

Item omnis intellectus, qui habet vnam potentiam per se, aliam per accidens, melius, & verius debet vti, & cognoscere per illam, quam habet per se; quàm per illam, quam habet per accidens. Ergo si est per accidens in corpore, nihil aufertur ei, sed magis confertur. Quia dicitur de anima existente in corpore, quòd omnia cognoscit, & quodammodo dicitur omnia. Ergo melius, & verius cognoscet per potentiam non fantasticam, quam per potentiam fantasticam. Ergo melius cognoscet spiritualia, quàm fantastica. Solutio.

Ad hoc dicimus, quòd inconueniens est ponere substantiam sine potentia; & ponere substantiam perpetuam. Similiter est inconueniens ponere potentiam intelligẽdi, quam habet intellectus in corpore esse perpetuam. Vnde nota, quòd qualitates naturales sensibus proprijs proportionabiles sunt, & appropriantur. Quantitates verò sensui communi, substantiæ verò intellectui. Hic enim est ordo cognitionis animæ, dum est in corpore. Intellectus verò separatus à corpore, aut habebit eundẽ ordinẽ intelligendi, quẽ habuit in corpore, aut contrarium. Si eundem, ergo erit idem modus intelligendi in corpore, & extra corpus; quòd est impossibile. Sed si proprium est ei cognoscere substantiam, & hoc est ei principale secundùm se: tunc extra corpus habebit principaliter intelligere substantiam, & secundùm posteriùs accidentia. Hæc autem potentia simul est creata cum intellectu, & est perpetua sicut intellectus perpetuus; altero autem hęc est potentia ex coniunctione ipsius cum corpore. Ex coniunctione enim ipsius cum corpore, cognoscit accidentia, & substantias, eo modo quo extra corpus cognoscere non potest; quia cognoscit accidentia, non solùm in illa habitudine, in qua se habent ad substantias, in quibus sunt; sed in illa comparatione, quæ sunt principia permutationum secundùm, quòd generãt suas species in alienis substantijs corporeis, & incorporeis: secundùm, enim hanc habitudinem generant species suas in sensibus, ex quibus generatis in sensibus fiunt fantasmata in fantasia: & postea accipiuntur in intellectu: & per huiusmodi fantasmata cognoscuntur substantiæ; quæ fantasmata facere non possunt. Et sic ex con-

coniunctione ipsius cum corpore potentia ipsius creata, non fantastica, incipit esse fantastica, id est, fantasticum: & per fantasmata aliorum cognoscitiua, & sic per coniungi cum corpore alteratur potentia, non fantistica in fantasticam. Et sicut alij maiores motus inanimales, extra; quibus intendit anima, impediunt minores percipi ab anima: ita dum est in corpore manifestiores motus, & maiores rerum facientium fantasmata circa animam, impediunt percipi ab anima manifestè ea, quæ fantasmata facere non possunt. Vnde aliquando cùm intellectus contrahatur in se ipsum, abstrahendo speculationem suam à sensu, multa percipit occulta, quæ per speculationem ipsius coniunctam speculationi sensuum, percipere non potest. Et sic iterum patet phyicè; quòd anima in corpore, etiam citra auxilium gratiæ gratum facientis, in cotemplatione spirituum, & spiritualium aspicere potest; & aspectum dirigere, & videre: ergo multò fontiùs Beatissima Virgo auxilio gratiæ potuit hoc facere in sua contẽplatione.

Item Paulũ scribitur in raptu vidisse dispositionem cœlestis hierarchiæ, & Beato Dionysio reuelasse: ergo multò fortiùs Beata Virgo vidit statum Angelorum, & triumphantis Ecclesiæ. Item Martinus vidit Dæmones. Item Iacob Angelos, quando dixit. Gen. 32. *Castra Dei sunt hæc.* Ex his autem omnibus concluditur, quòd Beatissima Virgo in sua contemplatione poterat videre Deum, ac Angelos, & Dæmones, & animam propriam, & substantias rerum corporalium per se ipsas.

Gen.32.

De Scientia.

CAP. 133.

Post hoc quæritur de scientia, quæ pertinet ad actionem, & primò de mechanicis, & post, de liberalibus. Quæritur ergo vtrùm Beata Virgo sciuerit omnes mechanicas scié tias: & videtur, quòd sic: omnis scientia de numero bonorum est, sed ei nullum bonum defuit: ergo omnes scientias habuit.

Item, bonum additum bono facit maius bonum: ergo, aut defuit ei aliquod bonum, vel scientia, aut non: si non; habeo propositum: si sic, illa addita maius bonum fieret. Itẽ natura non deficit in necessarijs, nec abundat superfluis: ergo multò fortiùs gratia, sed quædam mechanicæ scientiæ erant Beatæ Virgini necessariæ, sicut muliebres, quædam superfluæ, sicut viriles: ergo istas habuit, & non alias. Item Bernardus super Cant. Quidam volunt scire, vt sciant, & est curiositas; quidã volũt scire, vt sciantur, & est vanitas; quidam, vt ędificentur, & est sapientia; quidam, vt ædifitent, & est charitas: & hi tantùm duo modi vltimi non sunt in abusione scientiæ: ergo omnis scientia non abusiua debet esse ad ædificationem sui, vel aliorum; sed sciri mechanicas scientias viriles à Beata Virgine, non est ordinatum ad sui, vel aliorum ædificationem: ergo ipsas nescisuit.

De Mechanicis.

CAP. 134.

Post hæc quæritur: vtrùm sciuerit mechanicas muliebres subtiliores, & meliores, sicut quæ fiunt in aurificijs, & sericis operibus, & subtilibus futuris, & texturis, & huiusmodi. Et videtur, quòd sic. Ipsa enim à nullo illustrium vincitur. Hæ autem sunt scientiæ, & opera illustrium fœminarum. Item sua operatio fuit laudabilissima: ergo humilima; sed maior humilitas est scire nobilia, & subtilia; & operari vilia, & communia, quàm tantùm scire vilia, & operari talia: ergo videtur, quòd Beatissima Virgo debuit scire nobilia, & operari vilia.

Item ista subtilia magis ordinantur ad vanitatem, quàm ad vtilitatem. Operatio autem Beatissimæ Virginis tantùm ad necessitatem: ergo non erat circa talia. Item Beata Virgo perfecta fuit secundùm actionem, & contemplationem. Vnde Luc. 10. *MARIA optimã partẽ elegit.* Bonapars actiuorum melior, contemplatiuorum, sed optima eius, quæ perfecta fuit in actione, & contemplatione, sicut fuit Beatissima Virgo: ergo ipsa debuit habere opera actionis, quæ contemplationi minimè repugnarent. Hæ autem sunt opera manualia, grossa, & communia, quæ non requirunt multam attentionem cogitationis: ergo videtur, quòd circa huiusmodi deberet esse operatio Virginis.

Luc.10.

Quæritur etiam: Si scientiam mechanicarum sciuerit improportionabiliter alijs, & excellenter; & videtur, quòd sic: sicut se habet effectus ad effectum, ita causa ad causam; sed effectus causatus ab arte mechanica Beatę Virginis, improportionabiliter excellit effectum causatum ab artibus mechanicis in alijs: ergo sciẽtia mechanica in Beatissima Virgine, excellit scientiam mechanicã in quocumque. Minor patet hoc, quòd dignissimum, ad quod ordinantur mechanicæ, est vestimentum. Primò enim anima, deinde corpus, post hæc vestimentum; sed dignissimum omnium vestimentorum fuit tunica inconsutilis, quam fecit Beata Virgo: ergo eius ars mechanica causabat nobilissimũ effectum:

ergo habuit scientiam artis mechanicæ in summo.

De Artibus Liberalibus.

CAP. 135.

Post hæc quæritur de artibus liberalibus. Vtrùm, & illas sciuerit in summò Beata Virgo: & videtur, quòd sic. Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Illa domus est Beata Virgo, septem columnæ sunt septem liberales artes: ergo
Prou. 9. Beata Virgo habuit septé liberaliũ artiũ sciẽtiam. Item Exod. *Mulier petat à vicina sua vasa argentea, & aurea.* Hoc exponunt glossæ, & sancti de scientijs sæcularibus: ergo
Exod. 3. sancti debent secum scientias sæculares deportare de mũdo: ergo, & Beatissima Virgo. Item *mille clipei pendent ex ea: omnis armatura fortium*; Turris Dauid: Sacra Scriptura. Clipei sunt physicè sciẽtiæ: Ergo scien-
Can. 4. tiæ liberales pertinent ad munitionem Sacræ Scripturæ: Ergo sanctorum est illas scire: ergo, & Beatissimæ Virginis. Item, quidam sancti laudantur à talibus scientijs, sicut Beatus Dominicus. Documentis artium eruditus satis transit ad studium summæ veritatis. Item de Beato Gregorio: *Studijs liberalibus, &c.* Item de Beato Vincentio, & Sancta Catherina, & multis alijs: ergo Beatæ Virgi-
Gregor. ni non debet deesse ista materia laudis.

De Grammatica.

CAP. 136.

Post hæc quæritur specialiter de istis scientijs, & primo de Grammatica: vtrùm illam sciuerit Beata Virgo, & respondetur, quòd sic, super illud Luc. 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc.* Gloss. *Legerat in*
Lucæ 2. *diuersis prophetijs*: ergo sciuit legere, & constat, quòd intelligeret; Quia legere, & non intelligere, negligentię est: ergo sciuit Grammaticã. Item habemus, quòd in templo fuit enutrita, vbi virgines instruebantur. Item de Susana quod erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi. Dan. 13. Prin-
Dan. 13 cipium autem eruditionis est à Grammatica: ergo Beata Virgo sciuit Grammaticam in summo. Item nunquam peccauit in loquendo: ergo sciuit Grammaticam in summo.

De Rethorica.

CAP. 147.

Post hæc quæritur de rethorica. Probat Aug. in lib. de Doctrina Christiana, quòd in Sacra Scriptura sunt diuersi colores rethorici, sed Sacra Scriptura Beatissima Virgo perfectè sciuit: ergo, & rethoricam.

De Legibus.

CAP. 138.

Item, quòd iura ciuilia, & Canonica, & Leges, & Decreta sciuerit in summo; patet hoc modo: Sapientia Aduocati manifestatur in tribus; vnum, quòd obtineat contra iudicem iustum, & sapientem. Secundùm, quòd contra aduersarium astutum, & sagacem. Tertium, quòd in causa desperata; sed Beatissima Virgo contra iudicem sapientissimum Deum; contra aduersarium calidissimum Diabolum in causa nostra desperatissima, sententiã optatam obtinuit: ergo aduocata sapientissima fuit. Item sapientis est eligere aduocatum sapientem; sed istam aduocatam Spiritus Sanctus nobis elegit, qui omnia cognouit: ergo ipsa sapientissima fuit. Item aliqui aduocati possunt in iustum, iustum esse probare sophisticè, licèt non realiter; sed Beata Virgo de nostra iniustitia iustitiam fecit: ergo improportionabiliter omnibus optimè allegare sciuit. Item ipsa imperatrix fuit: ergo leges condere potuit; & legis interpretatio penes ipsam fuit, & omnia iura in arca sui cordis clausa habuit: ergo Beatissima Virgo iura omnia, &
rethoricam in summo sciuit.

De Logica.

CAP. 139.

Post hæc quæritur de Logica, quam, quòd sciuerit probatur hoc modo. Hęc enim pervtilis est ad scientiam Sacrę Scripturę, & ad hæresum destructionem, & fidei confirmationem, & rationis redditionem, & de ea, quæ est in nobis, fide: * ergo ista sciẽtia maximè est necessaria sanctis: ergo, & Beatissimæ Virgini. Item Hier. Quod liber Iob continet propositionis assumptiones, & conclusiones; & idẽ patet de alijs libris Sacræ Scripturæ, in quibus sunt viæ diuisionũ, diffinitionũ, argumentationum. Hæc ergo omnia sunt necessaria ad Sacram Scripturam: ergo, & Logica, in qua docentur ista; sed Beatissima Virgo perfectè sciuit Sacram Scripturam: ergo, & Logicam.

* *Quæ sunt nobis in fide.*

De Speciebus Logicæ.

CAP. 140.

Item patet percurrendo de speciebus Logicæ, quę sunt Tentatiua, Sophystica, Demõstratiua, Dialectica. Tentatiuam enim in summo sciuit; quia nunquam in tentatione succubuit; Sophisticam in summo habuit; quia omnes astutias Diaboli cognouit,

& om-

& omnia sophysmata sua patefecit. Dialecticam in summo sciuit, quia nullius propriè ignorantiã habuit, & omnia problemata soluere sciuit. Demonstratiuã in summo sciuit, quia nobilissimam propriam passionem de nobilissimo proprio subiecto, per semetipsam concluſit; summè nobile subiectum est prima, & sũma bonitas: nobilissima propria passio est misericordia, siue miseratio. Hanc ergo propriã passioné de hoc subiecto, B. Virgo concluſit, quãdo per eam, tanquã per mediũ, summè bonus Deus in opere nostræ redẽptionis in se summam misericordiam demonstrauit. Quasi tali vteretur demonstratione. Quicumque aufert omne malum auferibile, & confert omne bonum conferibile. Ipse est summè misericors: Deus homo in nostra redemptione abstulit omne malum auferibile, & contulit omne bonum conferibile: ergo est summæ misericors. Sic patet, quòd Beata Virgo habuit omnes partes Logicæ in summo.

A

B

De Physica.

CAP. 141.

Post hæc quæritur de Physica, & Medicina. Dicit enim Philosophus, quòd cognitio animæ ad omnia valet, maximè ad scientiam naturalem. Sed Beatissima Virgo perfectissimam cognitionem animæ habuit: perfectissimè enim cognouit se. Item per diuersas propritates lapidum, specierum, lignorum, animalium, & cæterarum rerum naturalium, diuersè figurantur intelligentiæ mysteriorum in sacra Scriptura: ergo sine notitia rerum non est perfectè notitia scripturarum: sed Beatissima Virgo perfectè sciuit scripturam: ergo sciuit naturas. Item nullus morbus eucrathici incurabilis, quin sciret, & posset eum curare: ergo habuit in summo scientiam medicinæ. Item ipsa sciuit curare solo verbo: ergo sciuit medicinam in summo. Item ipsa sciuit curare corpus, & animam: ergo ipsa sciuit perfectè medicinam. Item ipsa sciuit sanare ad immortalitatem: ergo in summo habuit medicinæ cognitionem.

C

D

De Quadriuio.

CAP. 142.

Post hæc quæritur de sciẽtijs quadriuialibus. Vtrùm fuerint in Beata Virgine, & videtur quòd non. Quidquid enim plenum est gratia nihil habet impertinens ad gratiam. Beata Virgo plena fuit gratia: scientiæ quadriuiales sunt impertinentes ad gratiam: ergo Beatissima Virgo non habuit scientiam quadriuialem. Item nullus Sanctorum laudatur de huiusmodi scientijs. Item Hieronymus cùm studuisset in Cicerone, & in raptu; cuius conditionis esset, interrogatus, respondit, Christianus, & dictum est ei: non es Christianus, sed Ciceronianus. Item Sancti huiusmodi scientias appellant curiosas. Item Philosophus: in anathematicis non est bonum; quia neque motus, neque operatio. Item ibi nulla est vtilitas, neque delectatio: quia de talibus cogitatio est mentis perfectæ ad creaturas inclinatio, & consequenter delectationis, quæ in Deo est interruptio, & diminutio. Ex his ergo videtur, quòd Beata Virgo non sciuerit mathematicas scientias, sed contra. Ipsa fuit perfectissima secundùm effectum: ergo, & secundùm intellectum. Sed dilexit omnia diligibilia: ergo cognouit omnia cognoscibilia. Item bonum additum bono facit magis bonum, &c. Vt supra. Item dicitur de Abraham, quòd sciuerit huiusmodi scientias, & per eas ditatus est: ergo Beatissima Virgo eas scire debuit, cui nullum bonum defuit.

De Musica.

CAP. 143.

Post hæc specialiter quæritur de musica. Tam in veteri, quàm in nouo testamento, & lege erant cantores, & vsus causatus ad cultum Dei. Cantus autem rectè scitur per musicam: ergo ad cultum Dei pertinet scientia musicę: ergo fuit in Beata Virgine. Item quidquid perfectissimo auditui delectabilissimum ad audiendum fuit. Illud maximè armonicum fuit: sed auditus filij Dei, nobilissimus auditus fuit. Vox matris sibi delectabilissima: ergo summa armonica: ergo Beatissima Virgo effectum musicæ scientiæ, in summo habuit.

De Astronomia.

CAP. 144.

Post hæc quæritur de Astronomia. Cùm enim legitur Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c.* Et ponunt ibi sancti expositores plures cœlos. Item ibi *fecit Deus duo magna luminaria.* Item, *vt sint in signa, & tempora,* &c. Item *aquæ quæ sub cœlo sunt,* &c. Ex his omnibus patet, quòd in sacra Scriptura agitur de syderibus, & stellis: de quibus est scientia astronomiæ: ergo astronomiæ est necessaria ad Theologiam: ergo Beata Virgo sciuit eam. *Gen. 1.*

De Arithmetica.

CAP. 145.

Post hæc quæritur de Arithmetica, quæ est de numeris. Numeri autẽ in Sacra Scriptura

tura sunt mystici, & secundum diuersitatem numerorum diuersa per eos signantur, vt patet in ternario, senario, & denario; & sic patet de alijs, vt patet in multis Scripturis, & Glosis: ergo cognitio numerorum necessaria est in Sacra Scriptura: ergo Arithmetica. Item computationes sæpè fiunt in Sacris Scripturis annorum, vt de Iacob, Isaac, & alijs: ergo scientia algorismi est necessaria ad Sacram Scripturam. Item festa diuersa aguntur, & in Scriptura agi describuntur; ad quæ necessaria est scientia computi: ergo & illa necessaria est ad Sacram Scripturam. Ex his autem manifestum est, quòd cognitio Arithmeticæ vtilis est, & necessaria Theologiæ: ergo fuit in Beata Virgine.

De Geometria.

CAP. 146.

Post hæc queritur de Geometria. In Sacra Scriptura diuersæ sunt mensuræ, & mensurationes. Mensura, ephi, bati, chori, modij, & similes mensurationes; vt patet in tabernaculo, & in tẽplo Ezechielis. De huiusmodi autem est scientia Geometriæ, & consimiles: ergo huiusmodi scientiæ sunt necessariæ Theologiæ.

Si sciuerit Theologiam.

CAP. 147.

Post hæc quæritur, si sciuerit Theologiam. Quòd autem Beata Virgo sciuerit Theologiam, videtur Psal. *Amandatis tuis intellexi*: Ergo impletio mandati auget intellectũ operanti: sed Beata Virgo mandatum in summo impleuit: ergo Theologiam in summo intellexit. Item Psalm. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Sed Beatissima Virgo sola nunquam pede affectus offendit: ergo lucerna Verbi ei perfectissimè illuminauit. Item in Ezech. 1. *Cùm eleuabantur animalia, eleuabantur & rotæ iuxta ea.* Quod exponens Beatus Gregorius, dicit: quòd cùm eleuantur Doctores in vita, honoratur, & exaltatur in eis scientia; sed Beatissima Virgo habuit eleuatissimam vitam: ergo habuit eleuatissimam scientiam. Item Apostoli sciuerunt Theologiã, cùm non didicissent: ergo multò fortiùs Beata Virgo. Item ipsa habet aureolam Prędicatorum: ergo sciuit Theologiam. Item de Beata Cecilia legitur: *Virgo gloriosa semper Euangelium Christi gerebat in pectore*: Ergo multò fortiùs Beata Virgo. Item, 1. Ioan. 2. *Vnctio docet vos de omnibus.* Gloss. *Ad salutem pertinentia.* Sed Beata Virgo improportionabiliter fuit vncta: ergo improportionabiliter omnibus sciuit ad salutem pertinentia. Hæc autem est Theologia: ergo sciuit Theologiam. Item Deuteronomius erat in Arca; Arca figurat Beatam Virginem, Deuteronomius legem: Ergo Beata Virgo sciuit totam legem. Item in Exod. 12. *Residuum igne comburetis*: Ergo non omnia Scripturæ mysteria possumus cognoscere, sed ibidem: *Non remanebit ex eo quidquam vsque mane*. Id est, indiscussum, vsque mane resurrectionis. Ex his duabus auctoritatibus videtur, quòd sit super communem statum Sanctorum omnes Scripturas intelligere, & cùm inconueniens sit ponere, quòd aliquid a Spiritu Sancto sit dictũ, quod à nullo fuerit intellectum, iuxta illud Isa. 55. *Sicut imber descendit de cœlo, & inebriat terram.* Et infrà: *Sic Verbum, quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* Concluditur, quòd perfecta cognitio Scripturarum omnium, secundum intellectum ipsius Spiritus Sancti loquentis per Scripturas; pertineat ad statum: qui est super omnẽ statum viatorum. Hic autem est status Beatæ Virginis, & sic Beatissima Virgo Theologiam sciuit improportionabiliter vniuersis.

Exod. 12

Isai. 55.

Si sciuerit librum Sententiarum.

CAP. 148.

Post hęc quęritur; de materia libri Sẽtẽtiarũ. Materia primi ad duo reducitur, ad materiã de Trinitate, & materiã de prędestinatione, & potẽtia, & volũtate. Sed de hac materia plurimũ sciuit, quę potẽtiã, & bonitatẽ Dei in sũmo in se experta fuit. Secundus liber est de Angelis, & operibus sex dierũ, & statu hominis; sed hæc omnia perfectissimè sciuit Beata Virgo: ergo secũdũ librum Sententiarum sciuit in summo. In tertio agitur de Incarnatione Verbi, & virtutibus; sed illa in summo sciuit, quæ Incarnationem per experientiam cognouit, & virtutes in summo se habuit. In quarto agitur de Sacramentalibus gratijs, & Resurrectione. Gratias Sacramentales in summo habuit, vt patuit in superioribus; corpus etiam habuit post corpus dissimillimum corporibus Resurrectionis, quæ sunt immunia à culpa, & à pœna. Corpora autem aliorum Sanctorum in via sunt obnoxia culpæ, & pœnæ. Inter hęc fuit corpus Beatissimæ Virginis medium existens à pœna immune, & à culpa; & ita habuit corpus simillimum corporibus Resurrectionis; & ita maximè cognouit naturam corporũ Resurrectionis. Ex his ergo patet, quòd Beatissima Virgo, & Bibliam, & Sententias in summo sciuit.

Si sciuerit omnia capitula.

CAP. 149.

Vltimò quæritur, si sciuerit omnia, & videtur, quòd sic: Ioan. 16. *Spiritus Sanctus do-*

docebit vos omnem veritatem. Ergo creatam, & increatam. Si dicitur, quòd non, intelligatur de omni veritate simpliciter, & vniuersaliter hoc non potest stare; quia quod scriptura promittit, vniuersaliter promittit. Quare glossaretur particulariter, cùm beneficia Principum sint largissimè interpretanda. Item intellectus est pure vniuersaliter cognoscitiuus omnium: ergo habebit proprium cognoscibile oppositum; sed constat, quòd non est restrictus ad cognoscendum aliqua, ita quòd non alia: ergo naturaliter omnia cognoscit; & ita videtur, quòd Deus sit eius oppositum: ergo anima Beatæ Virginis potuit scire omnia. Item omnia laudant Deum, id est, sunt homini materia laudis diuinæ: ergo homo tenetur in omnibus, & de omnibus Deum laudare: ergo anima tenetur omnia cognoscere. Item omnia facta sunt propter hominem: ergo homo tenetur de omnibus gratias agere: ergo omnia cognoscit. Item scire omnia est quoddam bonum; aut ergo anima Beatæ Virginis fuit capax illius boni, aut non. Si sic: ergo summè bonus communicauit. Si non: quæritur, quid sit illud, quòd Beata Virgo non potuit scire, cuius non fuerit capax per modum viæ, nec erit assignare. Item inter quædam scire ex parte: Et scire omnia perfectè; medium est scire omnia imperfectè. Primum pertinet ad communem statum in via. Secundum est comprehensorum in patria: ergo medium pertinebit ad statum medium. Hoc autem est status Beatissimæ Virginis: ergo Beata Virgo sciuit omnia per modum viæ. Item Christus sciuit omnia per modum patriæ; Apostoli per modum viæ: ergo Beatissima Virgo, quæ fuit media, sciuit omnia per modum viæ. Item sicut persona ad personam, ita scientia ad scientiam, & gratia ad gratiã. Sed post personã Filij Dei, nõ potest persona dignior intelligi, & similior ei, quã persona Matris Dei: ergo sicut persona immediatè se habet ad personam, ita gratia ad gratiam, & scientia ad scientiam. Sed ad scire omnia per modum patriæ immediatum, est scire omnia per modum viæ. Item anima Christi scit omnia, quæ Deus, nec tamen æqualis est ei in sciẽtia propter modum sciendi; sed sicut anima Christi immediatè se habet ad Deum, ita anima Beatæ Virginis scit omnia, quæ anima Christi; sed imperfectiori modo, sed contra. Sancti in patria nihil sciunt, nisi ad beatitudinem patrię pertinentia: ergo sancti viæ, tantùm pertinentia ad Beatitudinem viæ. Item scire omnia per modum viæ, aut est scientia tantùm secundùm habitum, quæ non exit in actum, & sic est frustra, aut secundùm actum, & ita cum scientia viatorum sit discretiua; scientia huiusmodi circa creaturas particulares esset eleuationis, & coniunctionis mentis cum Deo impeditiua: ergo nociua: sed contra istud videtur esse; Quod in Angelis est simplex scientia vespertina, scilicet, & matutina, & vna non est impeditiua alterius, sed hoc non est simile ad propositum, quia comprehensores vident omnia vno intuitu, sed non viatores. Item in patria euacuabitur omne impertinens ad gloriam: ergo in beatitudine viæ euacuatur omne impertinens ad gratiam. Item quæritur vtrum Beatissima Virgo habuerit cognitionem vespertinam, & matutinam. Solutio. Ad solutionem horum notandum est, quòd Beata Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia. Primum est, perfecta cognitio Trinitatis Dei sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam. Secundum est, perfecta cognitio mysterij incarnationis, & hãc habuit per gratiam, & singularem experientiam. Tertium est, cognitio suæ præelectionis, quam habuit per reuelationem, & causam Quartum est, animæ suæ, & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiue per naturam; completiue per gratiam; & secundùm hanc vidit Angelos, & animas, & Dæmones. Quintũ est, perfecta cognitio omnium ad statum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infusionem, & inspirationem: & hæc comprehendit perfectam cognitionem scripturarum, operandorum, & contemplandorum. Sextum est, cognitio circa se futurorum, quam habuit per reuelationem, & in speculo lectionum. Septimum est, omnium ad statum patriæ pertinentium per cognitionem, quem habuit per contemplationis reuelationẽ. Octauum est, omnium creaturarum stantium cognitio, quam habuit per naturam, & gratiam, & contemplationem. Nonum est, quòd habuit matutinam, & vespertinam cognitionẽ: Matutinã per gratiã, & vespertinã per naturam, & gratiam. Decimũ est, conclusio ex prædictis omnibus, quod nullius propriè habuit ignorantiam. Vnde obiecta soluentes dicimus: quòd Beatissima Virgo sufficienter perfecta fuit per habitum naturæ, & gratiæ potens in operationes exire, & finem consequi cuiuslibet scientiæ; & hæc scientia exiuit in actũ, & operationem, quando, vbi, qualiter, & quantum ordinabatur sibi in beatitudinem; & alijs in salutem. Habuit etiam perfectam cognitionem omnium ad suam beatitudinem secundùm statum viæ pertinentium, & nullorum inutilium, vel ad gratiam impertinentium. Vnde ipsius anima Beatissima nulla habuit in se inutilia, vel impertinentia, sed per totum gratia fuit plena. Vnde omnia quæ fuerunt in ipsius anima, vel naturalia, vel acquisita

sic erant gratia informata, vel cum gratia coniuncta, cùm omnia iam essent gratuita. Vnde omnis scientia eius gratuita, omnis dilectio gratuita, omnis operatio gratuita, vt sine omni restrictione largissima, & verissima interpretatione esset omnifaria gratia plena. Ex his patet solutio ad prædicta.

De Fide.

CAP. 150.

1.Co.12 Sequitur *Alteri fides*, 1. Cor. 12. Gloss. *Constantia fidei, vel sermo de fide.* Quòd autem Beata Virgo plus habuit de fide sic sumpta, & quòd eius fides nunquam defecit, nec fuit intercepta, sic probatur. Aliorum constantia fuit deficiens, & intercepta; ipsius autem non: ergo ipsa vicit omnes in Eccl. 1. fidei constantia. Vnde illud solet de illa exponi in Eccl. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra verò in æternum stat.* Item aliorum fides fuit amissibilis; ipsius inamissibilis: ergo fidei ipsius constantia fuit Apoc. 2. aliorum improportionabilis. Item latera ciuitatis sunt æqualia, sicut dicitur in Apocal. 2. Sed charitas eius fuit improportionabilis 1.Co.13 aliorum charitati: ergo, & fides fidei. Item Mar. 9. 1. Cor. 13. *Charitas omnia credit.* Item Mar. 9. *Omnia possibilia sunt credenti.* Sed ex eius Mat. 17 fide secutus est effectus improportionabilis fidei aliorum. Item Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum synapis, & dixeritis monti huic tolliere, & mittere in mare, obediet* Lucæ 1. *vobis.* Sed ad ipsius dictum quando dixit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Summus mons montium tulit se, & misit se in mare amarum, id est, in MARIAM: ergo eius fides habuit maximum effectum: ergo maior fuit fide omnium aliorum. Item Abraham ponitur in exemplum maximæ fidei: quia in spem contra spem credidit seni de vetula filium nasciturum. Hæc autem de Virgine Deum nasciturum: ergo ipsa improportionabiliter superauit Abraham fide: ergo, & omnes alios. Quicquid enim est superiùs superiore, superius est, & inferiore. Item Gregor. Fides non habet meritum, cui humana non præbet experimentum, sed illud creditum maximè fuit super rationem, & experimentum: ergo habuit maximum meritum: ergo, & maximè fidei habuit, & actum. Ex his omnibus manifestum est, quòd Beata Virgo imperatrix omnium inconstantia fidei omnes superat viatores.

De Grata Gratia Sanitatum.

CAP. 151.

Sequitur de gratia grata sanitatum. *Alij gratia sanitatum.* Gloss. Curandi infirmos. Quod autem hoc maximè fuerit in Beata Virgine, probatur. Ipsa enim totum hominem sanum facit in anima, & corpore. *Altissimus enim de terra creauit medicinam.* Eccles. 38. Illam, inquam, medicinam, de qua dicitur Eccles. 43. *Medicina omnium in festinatione nubulæ.* Id est, caro Christi: de terra, quidem nata, sed nullo pondere prægrauata, vltra puritatem Angelorum præeleuata, subito Spiritu Sancto operante formata, & vnita. Item Eccles. 24. *Ego quasi fluuius Dorix*, quod est medicamentum generationis, *egressus sui de Paradiso Dei nostri*, id est, de Beata Virgine, quæ fuit Paradisus voluptatis à principio, in quo posuit Deus hominem, id est, Christum, quem formauerat. Item nullus morbus fuit ei incurabilis: ergo super omnes est in gratia sanitatum. Item etiam post mortem curat, & mortem fugat. Ité quos curat, sanat ad immortalitatem ergo superat omnes in gratia sanitatum. Sic ergo patet, qualiter Beatissima Virgo habuit, & habet gratiam sanitatum in summo.

Eccl. 38 Eccl. 43

Eccl. 24

De Opere Virtutum.

CAP. 152.

Sequitur, *Operatio Virtutum.* Gloss. Operatio miraculorum contra naturam. Quod autem hanc habuit in summo Beatissima Virgo, patet ex eo, quòd omnium miraculorum miraculosissimum, & nouissimum est illud, quod eius fide media constat esse factum, scilicet, quòd Deus, homo mater virgo. Vnde Esai. 66. *Quis audiuit vnquam talè, &c.* Hierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdauit virum.* Ergo ipsa habuit gratiam miracula faciendi in summo. Item miraculum est arduum, & insolitum supra facultatem consistens admirantis. Hoc autem totum fuit hic in summo. Item alij fecerunt miracula, quæ sunt præter naturam, vel contra naturam: sed ipsius fide factum est miraculum supra naturam. Patet ergo qualiter excellit omnes in operatione virtutum.

Esa. 66. Hie. 31.

De Prophetia.

CAP. 153.

Sequitur: *Alij Prophetia.* Gloss. *Prædicere futura;* Quod autem habuerit hanc in summo Beata Virgo, videtur: Quia si prophetia, est diuina inspiratio; ergo, vbi improportionabiliter est Spiritus Sancti præsentia, & gratia, & inhabitatio; ibi etiam improportionabiliter inspiratio, & pro-

& prophetia. Hæc autem fuit in Beata Virgine, iuxta illud. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Ergo ipsa in summo habuit spiritum prophetiæ. *Luc. 1.*

Item Spiritus Sanctus in animas sanctas se transfert, & amicos Dei, & prophetias constituit, sicut dicitur Sapient. 7. Vbi ergo improportionabilis translatio, improportionabilis prophetia, & amicitia. Hoc autem totum fuit in sanctissima anima Dominæ omnium creaturarum: ergo habuit prophetiã in summo. Item Matth. 11. *Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem,* & ille fuit Propheta, & pluſquam Propheta: quia ſolem digito demõſtrauit; ſed improportionabiliter plus eſt ſolẽ generare, & nobis dare, quã demonſtrare: ergo ſi propter demonſtrationem Ioannes dictus eſt Propheta, multò fortiùs Beata Virgo propter generationem dicetur Prophetiſſa. Item Eſai. 8. *Acceſsi ad Propheti ſſam.* Gloſſ. *Virginem MARIAM:* ergo ipſa, per excellentiam, dicitur Prophetiſſa: ergo ipſa excellit alios in prophetia. Item ſi *Caiphas,* eo quòd eſſet *Pontifex* anni illius *prophetauit,* vt Ioan. 11. ergo improportionabiliter Beatiſsima Virgo Regina, & Imperatrix in æternum, ſuper omnes, gratiam prophetiæ debet habere. Item quãtum hanc gratiam habuerit, per effectum monſtrauit, quando conſcia ſecretorum, & præſcientia futurorum miniſtris nuptiarum dixit: *Quodcumque vobis dixerit facite,* vt dicitur Ioan. 2. præuidens in ſpiritu prophetiæ, quod filius eius aquam voluit in vinum conuertere. *Sap. 7.* *Mat. 11* *Eſai. 8.* *Ioan. 11* *Ioan. 2.*

De Diſcretione ſpirituum.

CAP. 154.

Sequitur. *Alij diſcretio ſpirituum.* Gloſ. *Vt diſcernat quo ſpiritu fiant.* Quod etiam hanc habuit in ſummo Beata Virgo. Probatur hoc modo 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo iudicat omnia;* ſed ipſa improportionabiliter alijs ſpiritualis fuit: ergo ipſa improportionabiliter alij omnia iudicauit: ergo ipſa ſuper omnes diſcretionem ſpirituum habuit. Item Paulus. *Non ignorauit aſtutias eius,* ſicut dicitur 2. Corinth. 2. Et ecce pluſquam Paulus hic. Item in vita Patruum. *Quis euitauit hos laqueos?* Reſponſum eſt, *Sola humilitas;* ſed ipſa improportionabiliter omnibus alijs fuit humilis: ergo improportionabiliter plus indeceptibilis vniuerſis. Item nunquam fuit decepta. Item proprium eſt ſpiritus nequam tentare de ſuperbia: ipſa autem fuit ſummè humilis: ergo à ſpiritu ſuperbiæ maximè fuit inuencibilis; & ſic patet, quòd diſcretionem ſpirituum Beata Virgo in ſummo habuit. *2. Cor. 2*

De Genere Linguarum.

CAP. 155.

Sequitur. *Genera linguarum.* Quòd autem hãc habuit in ſummo videri non poteſt: linguæ enim *in ſignum ſunt, non fidelibus; ſed infidelibus,* 1. Cor. 14. Sed ipſa fidelissima fuit: ergo donum linguæ non debuit habere. Item ipſa non debuit prædicare: ergo nõ debuit donum linguę habere. Item gloſſ. ibidem, *Vt euntes per mundum intelligant linguas hominum;* ſed ipſa non debuit ire per mundum: ergo non debuit habere donum linguarum; ſed contra: ipſa eſt aduocata omnium: ergo debet ſcire linguas ſingulorum. Item Act. 2. *Seditque ſupra ſingulos eorum Spiritus Sanctus;* ſed ipſa tunc fuit, cum ipſis quando apparuerunt diſpartitæ linguæ, tanquam ignis: ergo accepit donum linguæ cum ipſis. Item cum diuerſis hominibus conuerſabatur: ergo indiguit dono linguæ. Item à nullo illuſtrium vincitur in aliquo: ergo habuit donum iſtud omnibus excellentiùs. *1. Co. 14* *Act. 2.*

De Interpretatione Sermonum.

CAP. 156.

Sequitur. *Interpretatio ſermonum.* Gloſ. Scripturas exponere. Item, quòd hanc in ſummo habuerit, patet ex ſupra determinatis, vbi probatum eſt, quòd omnes Scripturas intellexit. Item non eſt Verbum, quòd Dominus non reuelauit ſeruis ſuis, ſicut teſtatur Amos 3. Ergo multò plus matri, cætera vt ſupra. Sic ergo manifeſtum eſt, quòd Beata Virgo omnium gratiarum gratis datarum perfectionem in ſummo poſſedit, etiam hanc nouenarium gratiarum. *Amos 3.*

De Gratijs, quæ ponuntur ad Epheſ. 4. & primo de Apoſtolis.

CAP. 157.

Conſequenter quæritur de illis gratijs, quæ ponuntur ad Epheſ. 4. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, &c.* Et videtur primo, quòd non conueniat Beatæ Virgini, quòd ſit Apoſtola. Hoc enim eſt opus miniſteriale. Vnde ibidem ſubiungitur, in opus miniſterij; ſed miniſterium non cadit in operationẽ omnium: ergo nec Apoſtolatus. Item ſuper illud Dionyſij, *Hierarchia eſt ordo diuinus, ſcientia, & actio,* dicit commentator: quòd officiũ ſine actione, nec gloria eſt; ſed Beatiſsima Virgo, non exercuit actũ prædicationis: ergo non debuit habere officiũ. Itẽ Luc. 6. *Duodecim elegit,* & illos vocauit: ergo Beatiſsimæ Virgini non conuenit donum Apoſtolatus. Contra: Ioannes *Epheſ. 4* *Diony.* *Luc. 6.*

Ioan. 1. de se dicit Ioan. 1. *Ego vox clamantis in de-* A
serto, &c. quasi diceret: Non prædico tantùm voce oris; sed ego ipse totus sum vox exultationis: ita quòd omnia mea, vita, victus, vestitus, locus prædicant pœnitentiam. Ita omnia Beatissima Virginis prædicant innocentiam: si ergo Ioannes habet gratiam, & donum prædicationis: quia est *Vox clamantis in deserto:* ergo multo fortiùs Beatissima Virgo habet donum Apostolatus: ergo est vox clamantis in cœlo. Item pro-
Mat. 11 prietas Apostolorum est, quòd sunt *lux mũdi;* sed Beata Virgo in summo illuminauit mundum: ergo in summo exercuit officium prædicationis. Itẽ Apostolorũ officiũ est reconciliare peccatores, sed hoc cõuenit Beatissimę Virgini in summo: ergo habuit Apo B stolatũ in summo. Itẽ Dominus dixit Ioan.
Ioan. 8. 8. *Mea doctrina nõ est mea*, illi attribuens doctrinã, à quo habuit essentiã; sed sicut habuit doctrinam diuinam à patre: ita habuit naturam humanam à matre: ergo sicut sua doctrina in quantum Deus fuit à patre: ita & sua doctrina in quantum homo fuit à matre: ergo mater omnia, quæ filius docuit nobis,
Iac. 16. per filium prædicauit. Item Iacob 16. *Non loquetur à semetipso*, dicit Dominus de Spiritu Sancto: ergo sicut spiritus loquetur ab illo, à quo est: ergo filius loquetur à matre in quantum homo est. Cætera vt supra de aureola prædicatorum.

De Prophetis.

CAP. 158.

Sequitur. *Alios Prophetas.* Gloss. Scripturæ explanatores; sed ipsa est totius legis. * Gloss. ergo in summo ipsa est Propheta, vel Prophetissa. Item Ioannes dicitur *Propheta, & plusquã Propheta:* quia digito Deum demonstrauit; ipsa autem genuit, & sicut se ipsam matrem, & virginem demonstrauit corpore: sic ipsum filium Virginis in Prophetis, & in scripturis promissum corpore, & opere demonstrauit, & sic summa Propheta fuit. Item quòd sexus non repugnet, patet quia in nouo, & veteri testamẽto Pro- D
Luc. 2. phetissæ fuerunt. Vnde & Luc. 2. de Anna Prophetissa cõmemoratur in Actibus Apostolorum, de Philippo, qui habuit septem filias, quæ prophetabant. Cætera verò, vt supra de prophetis.

De Euangelistis.

CAP. 159.

Luc. 2. Sequitur. *Alios verò Euangelistas.* Luc. 2. MARIA autem conseruabat, &c. Gloss. vt cum tempus prædicandæ, vel scribendæ incarnationis aduenerit; sufficienter omnia, prout essent gesta posset explicare. Cætera vt supra de aureola prædicatorum.

De Pastoribus.

CAP. 160.

Sequitur. *Alios autem Pastores.* Qualiter hoc donum habuerit Beata Virgo, quære in tractatu de Sacramentis in Sacramento ordinis, & qualiter nos pauit in tractatu de Beatitudinibus, & gradibus paupertatis: sic ergo habuit Beata Virgo, & hunc quaternarum gratiarum.

Ex his manifestum est, quòd Beatissima Domina habuerit vniuersitatem gratiarum gratuitarum, & gratis datarum, quod omnifariam credimus esse verum.

Ad solutionem in cõtrarium obiectorum B dicimus taliter distinguendo, quòd donorum gratis datorum, & non gratum facientium quædam dantur in ministerium, & non in proprium profectum, vt prophetia Balaam, & Cayphę. Quædam autem ad propriũ profectum, & aliorum ministerium, vt dona spiritus, & lingua, & scientia Apostolis data. Quædam autem in proprium profectum sui, & non aliorũ, vt dona instructionis Beatissimæ Dominæ, & talium. Tunc quædam dantur ad perficiendam indigentiam: quædam ad decorandam potentiam, & nobilitandam naturam, & honorandam personam; & sic habuit Beatissima Virgo huiusmodi bona, non ad ministerium; sed ad decoration C nis cumulum, ad perfectionis, & delectationis augmentum in materiam laudis, & honoris incrementum, & omnium bonorum spiritualium complementum.

De Gratijs Spiritualibus.

CAP. 161.

Dicto qualiter Beatissima Virgo habuit omnes gratias communes, sequitur videre, qualiter habuit spirituales, quas in alijs sanctis est reperire. Aliarum autem sunt, quæ pertinent ad generationem, siue vitæ ingressum. Quædam ad conuersationem, quædam ad mortem. Circa generationem inueniuntur quinque, quæ sunt. Præfiguratio, annuntiatio, miraculosa conceptio, & in vtero sanctificatio.

Qualiter fuerit præfigurata.

CAP. 162.

Primò ergo, qualiter Beatissima Virgo fuerit præfigurata, erit sic manifestũ. Num. *Nu.* 17.
17. *Inuenit ergo Moyses virgam.* Glos. MARIAM. Quæ sine viri semine genuit verbũ, ecce qualiter ex textu cum sua glossa, sequitur, quòd illa virga fuerit figura Virginis gloriosæ. Item Exod. 3. *Rubus ardebat, &* *Exod.* 3.
non comburebatur, quòd hoc fuit figura Vir-

Virginis glorioſæ. Probat Eccleſia non diſputando, ſed cantando, & determinãdo. *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum,* *Luc.1.* &c. Item Luc.1. *Et nomen eius Eliſabeth.* Gloſſ. Eliſabeth Dei mei ſaturitas; & ſignat MARIAM, quæ Deo plena fuit. Item in annuntiatio, & conceptio Iſaac, ſignificat conceptionem Chriſti: ergo & Sarra ſignificat MARIAM. Ex his patet, quos Beata Virgo fuit præfigurata. Qualiter autem, & quibus figuris. Dicitur, quod multiphariã, multiſque modis. In creaturis, in factis, in viſis, in generatis, in creatis. *In principio* enim *creauit Deus cœlum & terram*, ideſt, Beatam *Gen.1.* Virginem, quæ cœlum, & terra fuit, ideſt cœleſtem, & terreſtrem ſimul duxit vitam, angelicam, & humanam conuerſationem habuit. Item cœlum, & terra fuit: quia puriſſima virginitate, & fœcundiſſima maternitate virgo, & mater ſimul fuit.

In hac prima die facta eſt nubecula, de qua poſtea factus eſt Sol: quid eſt autem nubecula? materia corporis ſolaris; niſi Beata Virgo mater, & materia corporis Saluatoris. In ſecundo die poſitum eſt firmamentum in medio aquarum, quod habet fixas ſtellas in ſui ornamentũ. *Et diuidit aquas ab aquis*, hæc eſt Beata Virgo, quæ habet ſtellas duodecim, ideſt omnium Sanctorum in capite ſuo poſita in medio aquarum, ideſt ſanctorum viæ, & ſanctorum patriæ, diuiſa prius ab vtriſque exiſtens ſupra communem ſtatum viæ, & infra ſtatum patriæ, communicans cum vtriſque habens cum ſuperioribus virtutum perfectionem, cùm inferioribus merendi conditionem. Item cum ſuperioribus iucunditatem: ſecuritatem contra caſum, cum inferioribus poſsibilitatem ad meritum. Item cum ſuperioribus exultationẽ, cum inferioribus cordis paſsionem. Tertiæ diei opus eſt congregatio aquarum in vnum locum, ideſt virginalem vterum congregatio omnium gratiarum; ſed in hoc eſt differentia, quòd congregatio aquarum appellatur MARIA, media correpta: congregatio gratiarum appellatur MARIA media producta. Illa congregatio aquarum breuis eſt, *Apo.21* & tranſitoria, iuxta illud Apocalip. 21. *Et mare iam non eſt*, hæc autem eſt perpe- *Luc.10.* tua, iuxta illud Luc. 10. *MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quarta die, fecit Deus duo luminaria magna: maius, vt præeſſet diei: minus, vt præeſſet nocti, ſcilicet, Solem, & Lunam. Quid autem per Lunam, niſi Virgo Beatiſsima luciformiſsima, & diuina claritate plena figuratur. Luna, vt legitur in ſententijs facta eſt propter diei, & noctis viciſsitudinem, propter noctis declarationem, propter operantium in nocte conſolationem: & quia quædam animalia ſunt, quæ lucem diei ferre non poſſunt.

A Hæc autem omnia operatur Virgo lucidiſſima: eſt enim quies laborantium, quies, & decus mortuorum, ſolatium, operãtium, vmbraculum infirmorum, refrigerans vmbra miſericordiæ, quos feruerat Sol radijs iuſtitiæ.

Quintæ diei opus eſt formatio *piſcium*, & *auium*, & quid ſunt pisces, & aues, niſi Beatiſsima Virgo, quæ vt piſcis natabat in mari tribulationum, vt auis volauit ſuper pennas ventorum in cœlo contemplationis. Sextæ diei opus eſt formatio *hominis*, & poſitio in *paradiſo voluptatis*. Quid autem eſt paradiſus voluptatis, niſi Beatiſsima Virgo, in quã B Deus Pater poſuit hominem, ideſt Chriſtum in die conceptionis: ſi ergo Beatiſsima Virgo in omnibus operibus ſex dierum eſt expreſsiſsimè figurata. Non autem tantùm in creatis, ſed in factis eſt præfigurata, vt patet in Arca Noe: in iride: in tabernaculo Moyſi: in Arca Teſtamenti: in candelabro: in propitiatorio: in templo: in throno Salomonis: in oſtio: in domo ſaltus: & in multis alijs: ſimiliter autem in viſis, & imaginatis inuenitur figurata, vt eſt rubus Moyſi. Exod.3. *Exod.3* *Sedes ſaphirina ſuper firmamentum.* Ezech. *Ezech.1* 1. *Mons de quo præciſſus eſt lapis, ſine manibus.* Daniel. 2. *In arbore, quæ cœlum tangebat.* Dan.4. *In porta clauſa.* Ezech.44. *In* *Dan.2.* *Dan.4.* *vellere Gedeonis.* Iudic.6. *In fonte paruo,* *Ezec.44* *qui creuit in flumen maximum.* Eſther 12. *Iudic.6* C *In porta templi ſpecioſa.* Act.4. Item in *mu-* *Eſth.12* *liere amicta ſole.* Apocalipſi 12. *Similiter* *Act.4.* *in coniugatis Rebeca, & Rachele. In Iudith* *Apo.12* *vidua. In Eſther coniugata. In Sarra ſterili,. Et Eliſabeth matre Ioannes Baptiſtæ.* Ex his omnibus ſufficienter manifeſtum eſt, quos Beatiſsima Virgo in creaturis, & in factis, & in generatis, in viſis, & imaginatis, in coniugatis, & viduis eſt multiplex præfigurata.

Qualiter fuerit prophetata.
CAP. 163.

Poſt hæc etiam videtur, quòd fuerit prophetata. Eſai.11. *Egredietur virga de* *Eſai.11.* D *radice Ieſſe, &c.* Gloſſ. *Virgo* MARIA, vel alia gloſ. virgam, & florem. Iudæi Chriſtum ſuum interpretantur: quia in virgæ regenerantis potentia. In flore pulchritudo. Nos verò per virgam MARIAM intelligimus, cuius nullus frutex adhæſit, vel alia gloſſa. Egredietur virgo. Gloſſ. Prophetia de natiuitate, vt tota Eccleſia cantat Virgo Dei genitrix, virga eſt flos filius eius. Item Num. 24. *Orietur ſtella ex Iacob.* Item Iſai.4. *Fru-* *Iſai.4.* *ctus terræ ſublimis.* Gloſſ. Virgo MARIA. Item idẽ 10. *Acceſsi ad Prophetiſſam.* Gloſſ. Virginem MARIAM. Ex his patet, quod natiuitas Beatæ Virginis eſt multipliciter prophetata.

Qua-

Qualiter fuerit Annunciata.

CAP. 164.

Post hæc probatur, quòd etiam fuerit annunciata hoc modo. Ioannes fuit annunciatus, & alij sancti minores, vt Isaac, & Sanson. Ergo & Beatissima Virgo debuit annunciari. Ité propinquate luna plena augmentatur lucentia. Sed Beatissima Virgo fuit luna, ergo ipsa veniente debuerunt multiplicari prophetiæ. Item Lucifer præcedit aurorã: sed Ioannes fuit Lucifer, Beatissima Virgo fuit aurora: ergo potius debuit annunciari. Item laboraturis, maximè debet annunciari ortus auroræ; iuxta illud Gen. 32. *Dimitte me, iã enim ascendit aurora.* Ergo nobis maximè debuit annunciari ortus consurgentis auroræ; quæ quando surrexit, & nos secum resurgere fecit: & ad surgendum excitauit. Item Damas. Ioachim honestam, & laude dignum Annam in matrimonium duxit. Sed quemad modum vetus Anna sterilis existens per votum, & repromissionem Samuelem peperit, ita & hæc per præces, & repromissionem à Deo genitricem affert, vt in hoc à nullo illustrium vincatur. Ecce expresse patet: quòd Beatissima Virgo fuit annunciata.

A

Gen. 32.

B

Quòd fuit miraculosè Concepta.

CAP. 165.

Per hæc eadem probatur, quòd fuit miraculosè concepta, quasi à nullo illustrium vincitur, & minores, & minus illustres miraculosè sunt concepti; ergo & ipsa. Item dicit Damas. quòd per præces, & repromissiones fuit nata: ergo non naturaliter. Item signatum perfectius est signo, sed figuræ Beatissimæ Virginis fiebant diuina voluntate per se operante, & non humana: ergo Beatissima Virgo exijt in esse, natura superiore operante cõtra inferiorem: ergo super naturaliter fuit eius conceptio.

C

Quòd fuit in vtero sanctificata.

CAP. 166.

Post hæc probatur, quòd fuerit in vtero sanctificata, hoc modo. Ecclesia celebrando festiuat eius natiuitatem; ergo fuit sancta, quando fuit nata: ergo fuit in vtero sanctificata. Item Ioannes fuit in vtero santificatus, vt patet Luc. 1. Vbi dicitur, & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, ergo & Beata Virgo. Item Ieremias fuit sanctificatus in vtero, Hiere. 1. *Prius quam te formarem in vtero noui te, & ante quam exires de vulua sanctificaui te:* Ergo Beata Virgo. Item omnis sanctificatus in vtero ordinatur ad sanctum in vtero: ergo quod immediatorem, & propinquiorem relationem habet ad sanctum in vtero, illud debet potissimum sanctificari in vtero: sed non potuit immediatior esse relatio eius, quod vniebatur verbo ad aliquid aliud: quã ad id vnde iumebatur illud sanctũ, quod vniebatur: Hoc autem potissimum fuit Beata Virgo: ergo ipsa potissimum debuit in vtero sanctificari. Item Hieremias dicitur in vtero sanctificatus propter expressiorem prophetiam de sancto in vtero: & Ioannes sanctificatus in vtero proprer digiti demonstrationem: ergo multò fortius Beata Virgo propter ipsius exceptionem, & generationem. Item dicit Anselmus: *Ea puritate Beata Virgo nitebat, quæ sub Deo maior nequit intelligi.* Sed puritas hominis Dei est peccatum originale nec habere, nec vnquam habuisse. Maior post illam est originale quidem habuisse: sed statim, & omnino ab illo mundatum esse. Ergo Beata Virgo debuit quidem in peccato originali concipi, sed statim ab ipso penitus mundari; ergo debuit in vtero sanctificari. Item Bern. ad Canonicos Lugdunenses. *Ego puto, quòd copiosior sanctificationis benedictio in ipsam descenderit, quæ non tantùm ipsius sanctificaret ortum: sed & vitam ipsius deinceps ab omni peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum.* Ex vltima authoritate manifestum est; quòd Beata Virgo, non tantùm in vtero sanctificata fuit, sed quòd eius sanctificatio omnes excellit in hoc, quod alij post talem sanctificationem, ad minus venialiter peccauerunt. Vnde dicitur de Ioanne. *Antra deserti teneris sub annis ciuium turmas fugiens petisti, ne leui saltem maculare vitam famine posses.* Ipsa autem sic sanctificata fuit, quòd peccare non potuit, vt infra inter priuilegia patebit. Sic ergo manifestum est, qualiter Beata Virgo fuit præfigurata, & prophetata, & annuntia, & miraculosè còcepta, & in vtero sanctificata, & cõstat sic ipsam omnes spirituales gratias habuisse, quas contingit ortum sanctorum decorare.

Anſel.

Bernar.

D

De Specialibus gratijs, quæ circunstant conuersationem eius.

CAP. 167.

Post hæc videndum est, de specialibus gratijs, quæ circunstant conuersationem, quæ specialitas gratiæ innuitur, quotiens aliquis sanctorũ specialiter à Domino diligitur, vel amicus Dei appellatur. Verbi gratia: in veteri testamento Dominus specialiter diligere dicitur Abraham, & hoc propter fidem, iuxta illud Gen. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Item Moyses propter mansuetudinem; quia fuit mittissimus hominum, qui fuerunt in terra, amicus Dei appellatus est. Cũ quo loquebatur Deus *facie ad faciem*, sicut homo loquitur ami-

Gen. 15.

Exo. 23

eo suo, Exod. 23. Item Dauid: *Nam Deus propter humilitatem inuenit eum virum secundum cor suum.* Item in nouo testamento
1. *Re.* 13 Ioannes Euangelista propter virginitatem; quem scilicet specialis prærogatiua castitatis, speciali dilectione fecerat dignum, & erat discipulus, quem diligebat Iesus. Item
Ioã. 11. legitur de Ioanne 11. quòd Dominus diligebat Mariam, & Martham, & Lazarum, & constat, quòd hoc propter hospitalitatem, per quam ipsi, & alij quidam placuerũt Deo. Item Nicolaus propter misericordiam amicus Dei appellatus est. Sed hæc omnia excellentissime fuerunt in Beata Virgine. Si enim dilexit Deus Abraham, quia credidit de vetula, & vetulo filium nasciturum, vel quia credidit filium moriturum, & resurrecturum: multò fortiùs diligit Beatam Virginem propter fidem, quàm credidit se Virginem Deum parituram, & Virginem permansuram. Item si diligit Dauid propter humilitatem: hæc autem, vt dicit Augustinus, Nunquam exaltata super choros Angelorũ fuisset, nisi esset humillima omnium hominum. Item si Moysen propter mansuetudinem, & hæc est *Virgo singularis inter omnes mitis.* Si autem Mariam, & Martham propter hospitalitatem dilexit, hæc ipsum in vtero suo hospitauit, carne vestiuit, lacte cibauit, quæ Martha non fecit. Item si Nicolaum propter misericordiam: hæc autem est Regina misericordiæ. Si autem Ioannem propter virginitatem; & ecce plus quàm Ioannes. Hæc enim est Virgo Virginum. Hoc Ioannes non fuit, ex his manifestum est, quòd omnes speciales gratiæ, quas circa aliorum sanctorum conuersationem est reperire, in nostra gloriosissima Virgine superant, & eminent manifestè.

De specialibus gratijs circa mortem.

CAP. 168.

Post hæc quæritur de gratijs specialibus circa mortem, quæ videntur etiam quinque, scilicet, mortem præscire: moriturum imitari: mori sine dolore: statim euolare, & in anima, & corpore statim resurgere.

Vtrùm mortem præsciuerit.

CAP. 169.

Ad primum, quòd Beata Virgo mortem suam præsciuerit, videtur à minore de sancto Martino, de quo legitur, & cantatur: *Beatus Martinus obitum suum longè ante præsciuit*, &c. Item Petrus sciuit, quòd breuis esset dispositio tabernaculi sui. Item Ioannes sciuit superuenisse diem mortis suæ. Cùm ergo omnes isti præsciuerunt mortem suam; ergo & Beatissima Virgo omnium illorum
Pro. 13. domina. Item Prouer. 13. *Spes, quæ differtur* A *affligit animam.* Si tempus sit etiam determinatum, & præscientia pœnæ finiendæ lætificat; incertitudo anxietatem generat: ergo ad beatitudinem vitæ pertinet præscire mortem determinatè: ergo Beatissima Virgo præsciuit mortem suam determinate. Sic ergo patet, Beatissimam Virginem habuisse gratiam primam eorum, quæ circunstant mortem. Item ad hoc idem: Omnis homo vellet præscire mortem suam libenter; ergo & ipsa: sed quicquid voluit scire, filius eius reuelauit, nisi aliqua ratio impediret; sed illud nulla ratio impediuit; ergo ei reuelauit. Item, quæ est ratio, quare aliquibus reuelatur, aliquibus non; si dignitas, sed dignissima ipsa. Si charitas, sed ipsa charissima. B Si desiderium, iuxta illud Daniel. *Vir desideriorum*, &c. Sed ipsa *cupiebat* summè *dissolui, & esse cum Christo.* Quæcumque ergo causa assignari potest: illa excellentior fuit in ipsa, quàm in alijs; ergo sibi potius reuelari debuit, quàm alijs. Item inter præscire transitum, & operari, & inter non præscire, nec operari medium est præscire, & non operari. Primum conuenit Christo. Secundum alijs viatoribus: ergo medium conuenit Beatæ Virgini, quæ habet statum mediũ.
Dan. 9. *Phil.* 1.

Vtrùm muitata obierit.

CAP. 170.

C Post hæc quæritur de inuitatione, & deductione. Quod autem Dominus matrem suam inuitatam deduxerit, videtur per locũ à minori. Nam Dominus apparuit charo suo Ioanni, & dixit: *Veni dilecte mi*, &c. Si ergo hoc Christus Ioanni: ergo potius matri, quæ in infinitum charior fuit. Item dicitur 1. Par. 15. quòd Dauid deduxit arcam in
1. *Par.* 15 domum suam in tympanis, &c. Item qualiter lusit ante arcam: ergo Christus matrem suam personaliter deduxit. Item opus misericordiæ est sepelire mortuos: ergo & pater misericordiarum potissimè debuit obsequijs matris suæ interesse, & sepulturæ commendare: sed ipsius sepeliri fuit in cœlo super choros Angelorum altissimos assumi: ergo hoc debuit filius suus in persona propria corporali præsentia facere.

Si sine dolore obierit.

CAP. 171.

D Post hæc quæritur de ipsius morte, si fuerit sine dolore; & videtur primò, quòd non, hoc modo. Sicut vita ad vitam, ita mors ad mortem: sed vita Dominæ nostræ inter omnes simillima fuit vitæ Domini nostri IESV Christi: ergo & mors morti. Item quando assignatur causa quare mors Domini fuit asperrima, dicitur: quod nobiliorum naturarum nobilior, & maior est delectatio; & in quorum coniunctione maior est delectatio,

in

in illorũ separatione maior est dolor. Vnde cum anima Christi nobilissima coniuncta esset corpori nobilissimo, in illorum coniunctione maxima fuit delectatio, & in separatione maximus fuit dolor. Vnde Tren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam*, &c. Sed eadem causa est in Beatissima Virgine, quæ fuit secundo loco in summo: ergo in ipsius morte maximus fuit dolor post dolorem Domini nostri IESV Christi. Item inter quæcumque maior est pax: illorum delectabilior est commansio: sed in corpore Beatissimæ Virginis, & in anima sua ad inuicem maxima fuit pax; quia ibi spiritus aduersus carnẽ non concupiuit: ergo ibi delectabilissima cõmansio: ergo & maximus dolor in separatione. Contra legitur de Ioanne in prologo super Ioannem, quòd facta oratione, positus est ad patres suos, tam extraneus à dolore mortis, quàm à corruptione carnis alienus. Sed Beata Virgo improportionabiliter plus fuit extranea à corruptione carnis: ergo improportionabiliter plus debuit esse aliena à dolore mortis. Item Damascen. *Ipsa Beata, & earum, quæ super naturam donationum digna effecta, dolores, quos effugit pariens, hos in Christi passione substinuit à maternali compassione viscerum lacerationem tollerans: & quem Deum cognouit per natiuitatem, hunc vt maleficum videns interfectum, ceu gladio cogitationis lacerabatur*. Et hoc est: *Tuã ipsius animã pertransiuit gladius*. Luc. 2. Ex hac auctoritate infertur, quod si dicimus: quia Dominus nõ iudicabit bis in idipsũ, & ille dolor reputatur ei gladius: ergo sicut post gladium non est dolor; ita nec post istum gladium debuit sustinere dolorẽ mortis. Item ille gladius reputatur ei per æquipollentiam, pro martyrio, sed post martyrium non est dolor mortis: ergo nec post hunc erit qui æquipollet ei. Item ratione huius doloris debetur ei aureola martyrũ: ergo post hunc non est dolor mortis. Item Moyses propter abstractionem secundùm actum à viribus inferioribus, non sensit desiderium sitis, & famis quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, similiter & Elias: ergo si delectatio spiritus, talis & tanta, taliter & tantum abstrahit, & sensum passionis taliter & tantùm, & tandiù interrumpit: ergo maior magis abstrahit, & magis interrumpit: ergo improportionabiliter maior abstrahit, & improportionabiliter interrumpit. Sed improportionabiliter abstrahi à corpore super illud abstrahi, quod est secundùm actum, est illud abstrahi; quod est secundùm substantiam, & improportionabiliter interrumpi, super illud interrumpi, quod est ad tẽpus, est illud interrumpi, quod est semper: ergo improportionabiliter delectatio potest abstrahere animam à corpore secundùm substantiam, & excludere omnem pœnam: ergo Beatissima Virgo fuit mortua præ amore, & sine dolore.

Tren. 1. Damas. Luc. 2.

Item Paulus nesciuit in raptu, vtrùm in corpore, siue extra corpus erat, 2. ad Cor. 12. Ergo intensior raptus secundum substantiam abstrahere posset. Item maiores motus impediunt minores, & natura inclinat ad carnem, & ad corpus; sed charitas inclinat à corpore ad Christum, iuxta illud ad Phil. 1. *Cupio dissolui & esse cum Christo*: ergo tantum potest intendi inclinatio sursum quod separatur, & abstrahitur ab inclinatione deorsũ: ergo charitas tantũ potest sursum trahere, quod separabitur à corpore, & sic morietur præ amore. Itẽ auorũ dolorũ maior est medicina minoris: anima secundũ charitatẽ dolet esse separata à Deo, secundũ naturã dolet diuidi à corpore: ergo ille tantùm penetrabit, quod istum non contingit sentiri: ergo potest mori sine dolorẽ. Item quidquid aptum natum est inducere languore, si continuetur, & intendatur, poterit inducere mortem, sed amor potest inducere languorem: ergo mortem. Minor patet Cant. 2. *Quia amore langueo*. Gloss. *Præ amoris magnitudine omnia temporalia fastidio*. Ex his patet, quòd Beata Virgo præ amore, & sine dolore mortua fuit. An autem statim euolauerit, disputabile non est, quia nihil purgabile habuit.

2. Co. 12. Phil. 1. Cant. 2.

Si statim in Anima & Corpore assumpta fuerit.

CAP. 172.

Post hoc quæritur, si statim in anima, & corpore assumpta fuerit: & videtur primò, quòd non, vt patet per Sermonem Hieronymi: *Cogitis me ò Paula*, &c. Item Augustin. quod vera de eius assumptione sententia hæc est, vt assumpta sit, siue in corpore, siue extra corpus: nescio Deus scit. Item Hieronym. Quod humanum mendacium non apponat manifestum, quòd Deus voluit esse occultũ. Item quidquid non separatur à culpa, nec à pœna; sed omnes in Adam peccauerunt: ergo omnes pro peccato suo, vel in suo peccato puniri debent, sed ei imponitur pœna. Gen. 3. *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*: ergo omnes in peccato corporali nati debẽt incinerari. Contra Greg. in Collecta: Nec tamen mortis nexibus depremi potuit: quæ Dominum nostrum IESVM Christum de se genuit incarnatum.

Gene. 3.

Modò quæro quid ibi appelletur nexus mortis. Nam vel est bonum, vel est malum. Non bonum: quia omnis boni capax fuit. Item bonum non depremit, sed eleuat: ergo nexus non nominat ibi aliquid boni? Si autem est malum, aut est malum culpæ, aut est malum pœnæ. Non culpæ; quia mors non est ne-

nexus ad culpam ; quia post mortem non est
status culpæ, sed pœnæ. Item sic dicendo ni-
hil dictum est : quia post mortem non posset
peccare, quia esset Mater Dei. Si autem es-
set malum pœnæ quæro, quã pœnam impor-
tat ! Non gehenna, quia ad illam nec nectit
mors, quia multi moriuntur, qui non vadunt
ad gehennam; eadem ratione, nec ad Purga-
torium : quia multi moriuntur, qui non va-
dunt ad Purgatoriũ. Nec potest etiã dicere
etiam pœnam temporalem : quia ad illam nõ
nectit mors : imo absoluit ab illa. Item non
potest dicere pœnã mortis, quia Beatissima
Virgo verè mortua fuit ; ergo relinquitur
quòd non potest signare, nisi incinerationẽ:
ergo erit sensus. Non potuit mortis nexibus
deprimi, idest, non potuit incinerari, sed nisi
statim resurgeret, fuisset incinerata, vt alia
corpora: ergo statim surrexit. Item August.
August. *MARIA, quadam excellẽtiori prærogatiuæ honoratur a filio*. Possidet in ipso corpus,
quod genuit ; quare non & corpus, per quod
genuit ? Nisi obuiauerit auctoritas, nondum
perspecta credo verè, quod & per quod
genuit. Item idem in eodem Thronum Dei:
Thalamum Domini : Taberuaculũ Christi,
ibi debet esse, vbi debet esse tantùm thesau-
rum, digniùs est seruare cœlum, quàm ter-
August. ram. Item Aug. in eodem. *Lætare MARIA
lætitia inenarrabili in anima, & in corpore.*
Et infrà : *Viuat igitur integraliter, quæ om-*
Dionys. *niũ genuit integrã vitã.* Dionysius in lib. ca.
3. de diui. nomi. *Quoniam, & apud ipsos Deo
acceptos nostros Hierarchas, quando, & nos,
vt nosti ipsorum multi Sanctorum nostrorũ
fratrum conuenimus ad diuisionem corporis
vitæ principis, & quòd Deum susceperit. Ade-
rat autem, & frater Domini Iacobus, & Pe-
trus : summa, & proiectissima Theologorum
summitas.* Super hunc locum gloss. Maximi;
vult, quòd in dormitione Dominæ fuerunt
prędicti Apostoli, & Beatus Dionysius, & ma-
gister suus Iorotheus, & post assũptionẽ cor-
poris fecerũt collationem, & Iorotheus rap-
tus fuit : & sic videtur approbare iste textus
Dionysij cum suis Glossis illud, quod inue-
nitur de Assumptione Beatæ Virginis corpo-
Bernar. rali. Item Ber. *Non decuit, vt carnem Matris
sine honore in terra relinqueret ei, qui hono-
rem parentum sub præcepti districtione po-
suit.* Item Bernar. *Si anima paruuli nondum
nati liquefacta est, vt MARIA locuta est,
quid putamus, quænam fuerit illa exultatio
cœlestium ciuium ; quæ & vocem audire, &
faciem videre, & Beata eius frui præsentia
meruerunt.* Item Ber. in sermone de Assũp-
tione : *Nec in mundo dignior locus Virginalis
uteri templo, in quo Dei Filiũ MARIA su-
scepit. Nec in Cœlis regali solio, in quo MA-
RIAM, MARIÆ Filius sublimauit.*
Item Bernard. *Tempus loquendi omni car-*

A *ni, cùm assumitur incarnati Verbi Mater.
Nec cessare debet à laudibus eius, humana
mortalitas, dum sola nostra mortalis natura
super immortales spiritus exaltatur in Vir-*
August. *gine*. Item Augustinus : *Qui in vita illam
præ cæteris honorauit, gratia sui conceptus,
pium est credere eam in morte præ cæteris
honorasse*. Item idem Augustinus : *Tantam
integritatẽ meritò incorruptibilitatis non se-
quitur vlla resolutio putredinis.* Item : *Si
merito viuens præ omnibus dotata est gra-
tia, cùm in morte erit minuenda.* Item in
eodem idem : *Quid æstimandum est de Ma-
tre, vbi digna sit haberi, nisi in præsentia fi-
lij : si enim natura Matris est filius, necesse est,*
B *vt sit cum filio Mater*. Item si quis diceret:
quòd benè esset opinio, & non manifestata
veritatis. Contra dicit Bernardus sic : *Qui-
libet sensu suo abundet, vbi vel certè rationi,
vel manifestæ auctoritati non obuiat, quod
sentitur.* Item Augustinus ad idem : *Quæ-
rendum est, ratione quid consentiat veritati,
fiatquè ipsa veritas auctoritas, sine qua, nec
est, nec valet ipsa auctoritas : si autem voluit
Matrem seruare integram virginitatis pu-
dore ; cur non velit incorruptam à putredi-
nis fœtore seruare?* Item Augustinus: *Si vera
sunt, quæ scripsi, gratias tibi ago ; quia de
Sancta Virgine Matre tua nihil, nisi quod
pium, & dignum est, sentire potui.* Ecce testi-
C monio ipsius Papæ Gregorij, & duorum
Episcoporum Augustini, & Dionysij, &
vnius Abbatis Beati, scilicet, Bernardi:
imò ipsorum Apostolorum Petri, & Pauli,
& Iacobi probatum est, Beatissimam Vir-
ginem corpore, & anima esse glorioſissimè
assumptam. Quod etiam rationibus perspi-
cuum est. In peccato enim duo sunt, scili-
cet, auersio à bono incommutabili, & con-
uersio ad bonum commutabile. Istis respon-
dent duo in pœna; quia anima auertit se à sua
vita, & incidit in necessitatem auersionis
à corpore, cuius ipsa est vita. Ex conuersio-
ne autem ad nihilum incidit in necessita-
tem redeundi in quasi nihilum, id est, in pul-
D uerem. Sed Beatissima Virgo conuersa
fuit per originale, vnde debuit mori ; sed
nunquam conuersa fuit actualiter ad quasi
nihilum : ergo non debuit incinerari. Item
Anselm. ad omne conueniens in Deo, cui
maior ratio non repugnat, sequitur neces-
sarium. Illud est tale : ergo illud est neces-
sarium. Item Damascenus à nullo illustrium
vincitur; sed dicit Euangelium, Matth. 27. *Mat. 27*
*Multa corpora Sanctorum surrexerunt,
&c.* Ergo & ipsa hoc accepit. Item Dionys.
*Omnes proprietates inferiorum habent su-
periores cum excellentia* : Ergo cùm illud
datum sit Sanctis inferioribus, vt dicit
Euangelium: ergo, & supremæ omnium in
patria. Item Ecclesiæ argumentum est illud,

Ioan-

Ioannes sanctificatus est in vtero: ergo & Beata Virgo; & Ecclesia concedit conclusionem, & celebrat eius Natiuitatem: hoc modo potest argui à simili. Multa Sanctorum corpora surrexerunt: ergo, & Beatissimæ Virginis corpus surrexit. His rationibus, & auctoritatibus, & alijs multis, manifestum est, quòd Beatissima Dei Mater, in corpore, & in anima super Choros Angelorum est assumpta; & etiam modis omnibus credimus esse verũ: sic ergo patet, qualiter Beata Virgo habuit omnes gratias speciales mortem circunstantes. Ad illud quod obiectum est de ipsius morte dicimus, quòd mortua sit sine dolore, & præ amore: & non eadem ratione de morte Domini; quia cum illa debeat esse satisfactiua in summo; conueniebat & oportebat, quòd esset pœnalis in summo. Vnde ita fuit spiritu permittente carni in propria, vt ibi simul in summo fuerit motus naturalis, & motus rationalis. Vnde summũ gaudium, & summus dolor; & vnum materia alterius; quia summè gaudebat, quòd per summum dolorem genus humanum redimebat. Hic autẽ motus rationalis gratia informatus, motum naturalem sopiebat, & vincebat: ita vt cum esset charitate vulnerata in summo, & in sursum trahebatur, & vinculum impediens, scilicet, affligentiam carnis dissoluebat.

De quatuor suppositis, contra aduersantes Assumptioni illius carnali.

CAP. 173.

Ad auctoritates autem, quę oppositę sunt, contra Assumptionem carnalem Beatissmæ Virginis; Respondemus: quòd quatuor sunt genera suppositionum. Primum est, quòd ex Sacra Scriptura ita est expręssè determinatũ, quod nec dubitatio, nec oppositio potest esse circa contrarium: De hoc dicit Damas. *Omnia quæ tradita sunt per legem, & Prophetas, & Apostolos, & Euãgelistas suscipimus, & veneramur, & cognoscimus: nihil vltra requirẽtes.* Alterum genus per oppositionẽ, ad hoc est, quòd omnino incertum est; & hoc dupliciter, vel incertum, quantùm ad sentẽtiam, & auctoritatem: & hoc est simpliciter apocriphum, vel incertum, quãtùm ad auctoritatem; sed non quantum ad sententiam; & hoc est apocriphum secundùm quid, & illud ponitur dubium. Inter hæc duo, duo sunt media. Tertiũ est, quando aliquid non est determinatum ex Scriptura, nec per rationem necessarium potest probari, nec etiam patet ex euidentia sui, sed ex consequẽtijs scripturarum; & apparentia rationum patet, & ipsum, & suum oppositum ęqualiter videri verũ, & persuaderi; & hoc propriè potest appellari opinabile, vt sunt quædam opiniones Damas.

A Sanctorũ, vt est illa. Vtrùm omnia simul sint creata; & illa, vtrùm Angeli sint in gratuitis creati, & similia. Alterũ est, quòd quidem nõ est Scriptura Bibliæ expressum determinatè, nec ex euidentia sui manifestum. Tamen ex consequẽtia Scripturarũ, & apparẽtia rationũ ita est probabile, quòd nulla Scriptura, & nulla ratio habet opponere in contrarium, & illud est piè credendum. Vnde primum est expræssè determinatũ. Secundum est piè credendum. Tertium est opinatum. Quartum apocriphum. Hiero. ergo qui fuit interpres, nihil voluit asserere, nisi quod per Bibliã est expressum. Aug. autem, vt expositor, & inuestigator, nõ tantùm ponit, & supponit ea, quæ sunt principia sciẽtiæ, sed ea, quæ necessariò consequuntur, nulla ratione, vel auctoritate repugnante: & sic manifestum est, qualiter Beatissima Virgo habuit gratias omnium hominum communes, & speciales.

De priuilegijs Beatæ Virginis, & primo de Peccati Immunitate.

CAP. 174.

Post hæc quæritur de suis priuilegiatis gratijs, quas ipsa sola, & nulla alia creatura possidet. Primò ergò quæritur de hoc priuilegio, quod est peccati immunitas. Vtrùm hoc fuerit priuilegium imperatricis; & videtur primo, quòd nõ, 1 Ioã. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Itẽ in Eccl. *Neq; infans vnius diei sine peccato est super terrã.* Item Iob. 15. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Item Apostolus Rom. 3. *Omnes peccauerunt.* Item Luc. 7. *Quis ergo eum plus diligit, &c.* & respondetur. *Æstimo quod his cui plus donatum est.* Sed Beata Virgo plus omnibus dilexit: ergo ipsi plus donauit: ergo & ipsa peccauit. Item Rom. 18. *Omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositũ vocati sunt Sancti.* Glos. *etiam peccata. Sed omnia cooperantur in bonum,* huic Beatissimæ Virgini: ergo peccata habuit. Item Glos. ibidem: *sine quibus non viuitur.* Item Glos. *Impossibile est quantumlibet Sanctum non cadere aliquando.* Item 1. Ioan. 1. *Sanguis filij eius emundauit nos ab omni peccato.* Glos. *Tamen non debemus putare nos quandiu viuimus omnino posse à peccatis mundare.* Item Ioan. 2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Super hoc. dicit Chrys. *Quod aliquid humani passa fuit, quasi propter vanitatem voluerit Christum miraculum facere.* Item Proue. 20. *Quis potest dicere: mundum est cor meum?* Item Eccl. 7. *Non est iustus super terram, qui faciat bonum, & non peccet.* Item Proue: 24. *Septies in die cadit iustus.* Item quòd non sit ipsius priuilegium, videtur, quòd non conuenit ei soli; quia, & multi Angelorum nunquã pec-

1. Ioon. 1 — Eccles. — Iob. 15. — Luc. 7. — Rom. 18 — 1. Ioan. 1 — Ioan. 2. Chrys. — Pro. 20 — Eccl. 7. Pro. 24

peccauerunt. Item aliquis infans statim baptizatus euolat: ergo ille nunquam peccauit
Iob. 27. actualiter. Item Iob. 27. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Cõtra
Augusti. Berna. Aug. dicit. *De qua propter honorem Domini cum de peccatis agitur.* Item Bern. *Ego puto, quo. lcopiosior sit eis.* Vt supra de sanctificatione in vtero. Item peccatum veniale nõ est gratia; ergo vbi aliquid de peccato veniali, ibi aliquid vacuum de gratia: sed ipsa plena fuit de gratia: ergo nihil de peccato fuit
Augusti. in ipsa. Item Augustinus. Scimus enim quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quæ illum concipere, & parere meruit, quẽ constat nullum habuisse peccatum. Item necessitas pec-
B candi relinquitur in exercitium eorum, qui cadere possunt: sed ipsa cadere non potuit: ergo illud exercitium haberenon debuit. Ité
Anselm. Ansel. *Ea puritate nitebat Beata Virgo, quæ sub Deo maior nequit intelligi*: Sed maior potest intelligi si peccauit: ergo non peccauit, quòd per omnia verum esse dicimus.

Et ad auctoritates in contrarium inductas respondemus; quod omnes illæ de peccatorum iure leguntur viatorum omnium. Illud autem quod est proprium Beatæ Virgini, & speciale priuilegium respectu omnium viatorum derogat generali. Quod autem dicit
Chryso. Chrys. Quod aliquid humani passa fuit. Hoc verùm pro tanto est, quia homo hominibus compassa fuit; sed quod aliquid vani passa fuerit per omnia falsum est, & contra Sanctum Augustinum.

De Impossibilitate peccandi.

CAP. 175.

Post hæc quæritur de alio priuilegio, quod est peccandi impossibilitas. Vtrùm scilicet Beata Virgo potuerit peccare? & videtur quòd sic. Potuit enim mereri: ergo potuit
Augusti. peccare. Item Aug dicit: Quòd Adam mori potuit, quia peccare potuit; & quod non potuit reduci in actum potentia moriendi; nisi priùs reduceretur in actum potentia peccandi. Sed Beatissima Virgo potuit mori: ergo
Augusti. potuit peccare. Item Aug. quærit, quare non fecit Deus homines, qui peccare non possent. Et respondet, quòd illud est glorioſius: ergo istud debuit conuenire Beatæ Virgini: quæ fuit glorioſior omnibus creaturis. Ité in lau-
Eccli. 31 dem aliorum Sanctorum cãtatur. *Qui potuit transgredi, & nõ est transgressus, &c.* Ergo, & illud conuenit & illi: quæ est omni laude digniſsima. Item si peccare nõ potuit, hoc nõ fuit tantùm propter fomitis extinctionem; quia Angeli fomitem nunquam habuerũt, & tamen peccauerunt. Item hoc non potuit esse propter excellẽtiam gratię: quia Angeli fuerunt etiam in gratia: & tamen peccauerunt.

A Item Damas. *Omne creabile est vertibile secundùm esse, & secundùm sui electionem secundũ esse vt corporalia; secundũ electionẽ, vt rationalia.* Sed Beata Virgo ex vtroque cõposita fuit: Ergo fuit vertibilis vtroque modo. Item glorioſius habetur, quod habetur cum victoria; quam quòd sine victoria. Sed vbi nulla est pugna, nulla est victoria: Sed in Beatiſsima Virgine maxima fuit gloria: ſumma ergo, & victoria: ergo, & pugna: ergo & potuit peccare. Ité excellẽtior fuit ſtatus innocẽtiæ, quã iſte, & tamen Adã, & Eua potuerunt peccare. Item 2. Senten. dicitur, quòd quatuor ſunt ſtatus liberi arbitrij. Primus est posse peccare. Secundus posse, & non
B peccare ante tẽtationẽ. Tertius est, posse peccare, & nõ peccare posse dãnabiliter. Quartus est nõ posse peccare; contra; quòd meliori, & honorabiliori ſimilatur. Hoc est melius; & honorabilius. Sed hoc est non posse peccare: ergo hoc est honorabilius, & melius; ſed Beatiſsima Virgo ſecundũ locũ habet poſt Deũ: ergo nõ potuit peccare. Ité Aug. Cõcedimus *Augusti.*
quidem meliorem naturam esse, quæ omnino peccare nollet: concedant, & ipſi non eſſe malam, quę talis facta est, vt posit nõ peccare si vellet. Item fruſtra est potentia quæ nunquam reducitur ad actum; ſed ipſa nunquam fuit peccatrix: ergo fruſtra fuiſſet in ea potentia peccandi. Item Philoſophus di-
C cit in 9. Metaphi. Quod potentia est principium trãſmutationis in alterum. Sed in Beata Virgine nullum fuit principium tranſmutandi in peccatum: ergo nulla potentia peccandi. Item loquendo ex parte rei potentia ſecundùm quàm est in prędicamento qualitatis, est qualitas diſponens ad actum, vel paſſionẽ. Sed nulla talis qualitas, vel quaſi qualitas fuit in Beata Virgine ad peccandum: ergo non fuit ibi potentia peccandi. Ité cuicumque inconueniens est in esse actum; eidẽ inconueniens est in esse potentiam. Sed Beatiſsimæ Virgini inconueniens est ineſſe actũ peccandi: ergo inconueniens est ei ineſſe potẽtiam peccandi. Item inter non poſſe pecca-
D re, nec poſſe mereri; & inter poſſe peccare, & poſſe mereri; mediũ est, nõ poſſe peccare, & poſſe mereri. Sed primum pertinet ad ſtatũ comprehenſorum ſimpliciter, ſecundùm; ad ſtatum viatorum ſimpliciter: ergo medium pertinet ad mediũ. Sed ille est Beatæ Virginis, quæ fuit ſimpliciter viatrix, & ſecundũ quid comprehendens: ergo non habuit potẽtiam peccandi. Quod dicimus esse verùm: diſtinguendo tamen, quòd non peccare per ſe ſequitur naturam inuertibilem; & hoc modo Deus Trinitas dicitur non poſſe peccare. Secundo modo dicitur non poſſe peccare, quòd habet vnionem perſonalem, cùm natura inuertibili. Et hoc modo Chriſtus homo non potest peccare. Tertio modo dicitur non

Damas.

poſ-

posse peccare, quòd habet coniunctionem, & conuersionem ad naturam inuertibilem per medium, quòd est de sui natura inseparabile, vt est habitus gloriæ. Et hoc modo Sancti Patres non potuerunt peccare. Quarto modo dicitur non posse peccare, quod habet coniunctionem ad naturam inuertibilem, per medium quòd secundùm sui naturã in se quidem est separabile: sed tamen omnino est separatum à contrario repugnãte, vel resistente, vel impediente: & præterea in suo summo in tali subiecto est inseparabile: vt est plenitudo gratiæ in Beata Virgine. Et hoc modo dicitur Beata Virgo nõ posse peccare: omnes ergo auctoritates, & rationes, quę videntur probare, quòd potuerit peccare, loquuntur de potentia, secundùm quòd opponitur ad non posse; primo, vel secundo, vel tertio modo sumptum. Patet ergo, quòd tale non posse peccare coniunctum, cum posse mereri, est proprium priuilegium Beatę Virginis.

Vtrùm quolibet motu merebatur.

CAP. 176.

Post hæc quæritur: Vtrùm habuerit priuilegio, quòd quolibet motu mereretur, & videtur, quòd non: gratia enim est principium merendi non natura; sed constat quòd aliquãdo mouebatur motu naturali: ergo nõ quolibet motu merebatur; si diceretur, quòd simul moueretur gratia & natura, hoc videtur nõ posse esse, quia si sic esset vnus motus, esset meritorius, & nõ meritorius. Si autem duo, tunc non esset vterque meritorius: ergo altero eorum nõ meretur. Item cognitiua potentia ordinata est ad operatiuam, & scientia ad operationẽ; sed cognitiua nõ fuit perfecta respectu omnium, vt sciret omnia; ergo nec operatiua erit perfecta respectu omniũ, vt quolibet motu mereretur. Item secundũ hoc Dominus IESVS Christus non excelleret ipsam in operando, si ipsa quolibet motu merebatur, sicut ipse: ergo non quolibet motu merebatur.

Contra Apostolus ad Colos. 3. *Omne quod cumque facitis in verbo, vel opere, omnia in nomine Domini nostri IESV Christi facite.* Et 1. Co. 10. *Siue mã lucetis siue bibatis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite.* Aut ergo aliquis implet hoc, vel nullus; si nullus: ergo frustra præcipitur, vel consulitur, vel monetur; si aliquis: ergo B. Virgo: ergo in omni eo, quòd fecit merebatur. Item omnia in se sunt referibilia: ergo si non referentur, hoc est propter defectum subiecti: si ergo subiectum non refert, hoc est, vel quia non vult; vel quia non potest; si non vult: ergo peccat; vel ad minus imperfectum est in bonitate, quàm posset habere; si non potest, hoc nõ est, nisi quia habet contrarium in se, quòd necessario aliquando inclinat ad contrarium vt fomes ad veniale; Sed illud non fuit in Beata Virgine: ergo potuit omnia referre. Item sapiens nihil facit sine causa: ergo Virgo prudẽtissima omnia fecit propter primã causam. Itẽ quolibet motu mereri est quoddam bonum: aut ergo est communicabile alteri creaturæ, aut non: si est communicabile: ergo summè bonus Deus cõmunicat illud alicui: ergo Beatissimæ Virgini: si autẽ non est cõmunicabile; hoc non videtur, quia idem de quolibet opere contingeret dicere. Item per hoc est mereri, vbi nulla necessitas est peccãdi venialiter. Hoc autem fuit in Beatissima Virgine: ergo ipsa potuit quolibet motu mereri. Item vbicumque non potest in discernendo ratio errare; & voluntas nunquam potest eligere multa, ibi semper eligit vltimum, & optimum; sed vtrumque horum fuit in Beata Virgine: ergo omnia fecit propter optimum, & vltimum: ergo in quolibet opere merebatur. Item sicut se habet anima ad corpus, ita charitas ad animam: ergo sicut anima elicit omnes operationes à corpore; ita charitas, vbi plenè habet esse formæ, ibi elicit omnes operationes ab anima; & sic quolibet motu meretur. Hoc autem fuit in Beata Virgine: ergo ipsa quolibet motu merebatur. Item Philosophus, intellectus semper est rectus, nisi quando se miscet fantasijs, & deducitur ab illis; sed intellectus Beatæ Virginis nũquam se immiscuit fantasiis, vt deduceretur ab illis: ergo semper rectus fuit; sed rectum est cuius medium non exit ab extremis: ergo semper fuit in summum bonum: ergo semper merebatur.

Vtrùm qualibet passione merebatur.

CAP. 177.

Post hac quæritur; vtrùm qualibet passione merebatur; & videtur, quòd non. Vnde Philosophus. *Passionibus nõ meremur.* Item nullum necessarium est voluntarium, & nullum non voluntarium est, meritorum: ergo passionibus non meremur. Item à parentibus contraximus passiones: ergo non sunt meritoriæ. Contra. Passio latronis non fuit necessaria tamen meritoria. Item 2. Thimo. 2. *Si subsustinebimus, & conregnabimus.* Et cętera plurima. Solutio: Ad hoc dicimus, quòd Beatissima Virgo quolibet motu liberi arbitrij ad agendũ, vel patiendũ merebatur. Vnde non merebatur motibus naturalibus in quantum naturalibus, sed rationalibus gratia informationis. Vnde motibus liberi arbitrij gratuitis merebatur; vbi etiam liberum arbitrium, & gratia operabantur; sed liberum arbitrium, vt iumentum, gratia vt sessor secundũ Anselm. Vnde Apost. 1. Co. 15.

Non

Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Et sic merebatur quolibet motu, quo contingit mereri. Nec tamen in hoc Domino nostro IESV *Christo equebatur*, qui operabatur, & naturalia, & super naturalia, & sine sui indigentia; & hoc improportionabili charitate. Passionibus autem, in quantum ab extrinseco inferuntur, vel necessariò contrahuntur, non meremur; sed in quantum voluntas rationalis informata gratia ad illorum sufferentiam libertate propria inclinatur. Ex his patent solutiones ad obiecta.

De Puritate in summo.

CAP. 178.

Post hæc quæritur de hoc quod est puritas in summo, vtrum debeat assignari Beatissimæ Virgini pro priuilegio; & videtur, quòd non; quia si intensio puritatis est recessus à contrario, sicut albius, quod est nigro impermixtius, & purius quod est impuro impermixtius: tunc quæritur, quid sit illud impurum per cius impermixtionem fit puritas hæc in summo; & non videtur, quòd propriè possit dici aliquid impurum, nisi vel in corporalibus opacum, vel mixtum opaco, vel in spiritualibus pœna, vel culpa. Si primo modo; tunc sol fuit purior Beata Virgine. Si secundo modo: tunc in statu innocentiæ, & omnes animæ beatæ à corporibus separatæ, & etiam Angeli. Si tertio modo, tunc eandem puritatem habent omnes Sancti patriæ, & etiam illi, qui sunt in purgatorio: quia omnes sunt sine culpa.

Item si dicatur, quòd hæc puritas sit maior post Deum à recessu ab originali; quia Christus habuit puritatem ab origine talem, quòd nunquam, & nullo modo habuit originale. Alij omnes baptizati habent puritatem ab originali; quia peccatum originale habuerunt, & adhuc aliquomodo habent, quantum ad pœnam fomitis. Sed inter nullo modo habere, nec habuisse; & inter habuisse, & habere, est medium habuisse, & non habere quantum ad aliquid; & hæc puritas fuit Beatissimæ Virginis immediatè post puritatem Christi; si sic dicatur. Contra est, quòd non dicit Anselmus post Christum, sed post Deum.

Item secundùm hoc Angeli maiori puritate lucerent; quia peccatum originale, nec habent, nec habuerunt: vel etiam secundùm hoc bruta, & inanimata maiori puritate niterent, quæ originale peccatum non habent, nec possunt habere. Item si dicatur, quòd hoc intelligatur de hominibus, hoc adhuc non potest stare; quia Adam in statu innocentiæ, secundùm hoc maiore nitebat puritate, quia tunc nullo modo habuit, nec habuerat originale.

Item si purum dicitur per recessum ab impuro, sed hoc magis recedit, quod recedit, quantùm ad actum, & dispositionem, & adhuc plus recedit, quod recedit quantum ad actum, & dispositionem, & potentiam omnem. Illud ergo purissimum est inter alia, sed tale purum est Sol, qui recedit ab impuro: & quantum ad actum, & quantum ad dispositionem, & quantum ad potentiam: & quocumque modo dicatur impurum, vbi est mixtio naturarum cõtrariarum opacę, scilicet, & luminosę; siue vbi est mixtio naturæ, & pœnæ, siue etiam naturæ, & culpæ, siue etiam ignorantiæ, & nescientiæ. Nulla istarum impuritatum in sole est, qui nec in se est mixtus: nec alij miscibilis; nec habet pœnam, vel culpam, vel ignorantiam, vel nescientiam; & sic purior esset Beatissima Virgine, si puritas hęc esset recessus ab impuritate.

Item, si fortè diceretur, quòd hæc puritas dicitur per recessum ab impuro, vbi aptum natum esset in esse impurum. Secundùm hoc in Christo, vel etiam in Deo non esset maior puritas, quàm in quouis homine; quia vel in Christo, vel in Deo non potest aliqua impuritas esse.

Ex his ergo patet, quòd hæc impuritas non dicitur per recessum ab impuro tantùm, sed etiam per approximationem, & accessum ad summè purum. Secundùm hoc quæritur, vtrum Beatissima Virgo niteret secundùm statum illum, ea puritate, scilicet, qua sub Deo maior nequit intelligi: & videtur quòd non; quia etiam ipsa post in statu gloriæ nitebat maiori puritate, & tamen sub Deo.

Item omnes Sancti patriæ in sua puritate gloriæ, plus videntur appropinquare puritati puræ, *quàm quæcumque puritas viæ. Illa enim sufficit ad hoc, vt possint primam lucem per speciem videre. Hæc autem non ita: ergo Beatissima Virgo non nitebat, tunc summa sub Deo puritate.

Item si dicatur, quòd intelligitur secundùm statum viæ, adhuc non videtur hoc posse stare; quia anima Christi, quæ creatura fuit in statu viæ, maiori quàm Beatissima Virgo nitebat puritate.

Contra prædicta obijcitur in hunc modum. Puritas, vt videtur sequitur naturam luminis, & luminosi. Quod autem plus participat de natura lucis, plus habet puritatis, vt summa lux, vel summè luminosum summè sit lucidum, & purum: & vbi est ma-

gis propriè, & verè est proprietas lucis, ibi etiam magis vtrè, & propriè est proprietas puritatis. Vnde cùm sit lux corporalis, & lux spiritualis, & vt dicit Augustinus super Genes. ad litteram magis propriè dicatur lux spiritualis, quàm lux corporalis. erit etiam puritas, & corporalis, & spiritualis; sed maior puritas corporalis est, secundùm maiorem conuenientiam ad summam corporalem lucem. Et secundùm hoc aqua purior est, quàm terra; aer quàm aqua; ignis quàm aer; firmamentum, quàm ignis; cœlum aquæum, quàm firmamentum; cœlum Empyreum, quàm aquæum: & istud patet ad sensum. Similiter ergo erit maior puritas spiritualis, secundùm maiorem conuenientiam ad summam spiritualem lucem, quæ est Deus: qui lux est in tenebris, *in quo tenebræ non sunt vllæ*. Secundùm hoc ergo purior est anima sensibilis, quàm vegetatiua, rationalis, quàm sensibilis. Rationalis Angelica, quàm rationalis humana, secundùm naturam. Secundum gratiam autem, quæ est quasi lumen creatum, procedens à luce increata, vbi maior est participatio, ibi maior ad primam lucem appropinquatio: ergo vbi gratia in summo, ibi appropinquatio in summo, & puritas in summo; sed in Beatissima Virgine respectu omnium creaturarum aliarum, non vnitarum fuit gratia in summo: ergo appropinquatio ad primam lucem in summo: ergo puritas in summo. Item Apost. 1. Thimoth. 1. Quod *charitas est de puro corde*: ergo vbi charitas in summo, ibi puritas in summo, sed in Beata Virgine, vt ostensum est supra fuit charitas in summo: ergo puritas in summo.

Thi. 1.

Rom. 1

Item effectus Hierarchicæ actionis sũt purgari, illuminari, & perfici: sed Beata Virgo fuit in summo illuminata, & perfecta: ergo, & purgata: ergo pura in summo. Item ad datiõnem doni supremi, sequitur collatio omnium inferiorum, iuxta illud ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit*, &c. *Quomodo non omnia cum ipso nobis donauit*; sed Dominus Beatæ Virgini summum donauit, cuius capax fuit pura creatura, scilicet, Dei maternitatem: ergo & summam puritatem. Item Dionysius in secundo cap. Angel. Hierarch. dicit: Quod superiores habent proprietates inferiorum, cum excellentia. Vnde Seraphin, qui excellunt charitate, excellunt omnibus donis omnes inferiores: ergo & Beatissima Virgo cùm excellit Seraphin charitate, excellit etiam puritate.

Rom. 5.

Iré cantatur in festo Pẽtecoste in prosa. Tu purificator omnium flagitiorum spiritus: ergo effectus Spiritus sancti est purificatio; finis vel effectus purificationis est puritas; sed Beatissima Virgo super omnem creaturam habuit Spiritum sanctum, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, &c. Vbi dicit Glossa: Quòd nunquam in aliquem venit, veniet in te: ergo in summo fuit purificata: ergo in summo pura. Item sicut Virginitas est puritas cordis, ita fides est virginitas mentis: sed Beatissima Virgo habuit virginitatem in summo: ergo & puritatem in summo.

Luc. 1.

Item puritas est pars pulchritudinis, & pars proportionabilis; minor debet esse suo toto: ergo vbi pulchritudo in toto summo, ibi & puritas est in summo, sed Beatissima Virgo pulchra fuit in summo: ergo & pura fuit in summo. Maior patet per figuras ipsius; de Rebecca enim, quæ figurabat ipsam, dicitur; quòd erat *puella decora nimis, Virgoque pulcherrima*. Item Hester 2. *Quoà erat formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis*, &c. Item patet idem per Iudith & Rachel. Item puritati, siue munditiæ cordis attribuitur videre, iuxta illud Matth. 5. *Beati mundi corde*, &c. Et illud, *Da puræ mentis oculos*. Sed Beatissima Virgo in summo vidit Deum: ergo in summo purè habuit oculum.

Gene. 24.

Hest. 2.

Mat. 5.

Item ponamus secundùm statum viæ, quòd anima Beatæ Virginis, sine omni additione gratiæ, & gloriæ separetur à corpore; constat, quòd tunc formosissima esset in puritate, sed eam habuit in corpore: ergo & tunc super omnes creaturas nitebat puritate.

Item, quòd non obstet, quòd sua puritas non plenè apprehendat per speciem lucem increatã, videtur per simile. Videmus enim, quòd quandoque maior lux minus illuminat, & maior lux maius illuminat, propter coniunctionem cum aere obscuro, vel claro. Vnde quandoque illuminat tantum luna in nocte aere puro, quantum Sol in die aere obscuro: & tamen improportionabiliter est maior lux Solis, quàm Lunæ. Asimili ergo, non videtur inconueniens si maior lux gratiæ, in subiecto passibili coniuncto corpori, & passibili, & grosso minus immutat, & mouet actualiter, quàm maior lux gratiæ in subiecto impassibili, & glorioso. Ex his ergo omnibus probatur, & probabile videtur, quòd simpliciter verum sit, quòd sanctissima omnium Domina in statu viæ, super omnem creaturam ea puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi.

* * *

Vtrum

Vtrùm hanc puritatem simul, vel successiuè susceperit.

CAP. 179.

Iuxta hoc quæritur: quando acceperit istã puritatẽ in summo, vtrũ simul, vel successiuè. Constat enim, quòd in vtero fuit sanctificata, & purgata; sed status in vtero in quantum huiusmodi non est ad operandum: ergo illa purificatio non fuit per virtutes huiusmodi, sed per gratiam operantem simul ad gratiam Sacramentalem. Item constat; quod postmodum etiam operabatur secundum virtutes: & illa operatio est ipsius animæ purificatio. Vnde Actuum 15. *Fide purificans corda eorum.* Item constat, quòd in perfectionibus gratuitis ad operandum gradus sunt, eo quod dona virtutibus sunt superiora; & beatitudines donis: ergo secundùm hoc gradus habere potuit purificatio quæ ex his perfectionibus est effecta. Itẽ si purificatio illuminatur, ordinatur ad illuminationẽ, & perfectionẽ: ergo quando illa fuerunt in complemento; tunc etiam puritas fuit in summo: sed hoc fuit in conceptione lucis æternæ: ergo tunc impleta fuit hæc puritas in summo. Item huius puritatis causa fuit, vt dicit Anselmus: Quòd debuit esse Mater Dei; sed effectus non est prius in re, quàm sua causa: ergo non debuit prius pura esse puritate, qua maior nequit intelligi, quàm tunc, cùm debuit esse Mater Dei. Ad hoc dicimus soluendo, sicut dicit Anselmus: *Nempè sic: decens erat; vt ea puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque communis Dei Patris, & Virginis filius specialiter sibi matrem eligebat, & de qua spiritus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille de quo ipse procedebat.* Dicimus ergo; quòd hæc puritas est ab originali, non dico distantia, sed segregatio, & ad primam lucem quantum possibile est puræ creaturæ disformis approximatio. Vnde secundùm rem nihil aliud est hæc puritas, nisi peccati originalis deletio; fomitis extinctio, gratuitarum perfectionum vltimatio. Ex his patet, quòd nihil ad propositũ est, quòd obijcitur de alijs sanctis, vel inanimatis, vel Christo, vel Angelis Deo. Concedimus etiã, quòd in Beata Virgine secundùm statũ viæ fuit gratia Dei formior, quàm in Angelis; & hoc dico quantùm ad substantiam, sed non quantùm ad actum, qui est operatio, vt supra plenè determinatum est in materia de charitate. Dicimus etiam, quòd ad hanc puritatem in summo quatuor gradibus ascendit. Primò enim purificata fuit per sanctificationem in vtero. Secundò in virtutum exercitatione. Tertiò in Spiritus Sancti superuentione. Quartò in filij conceptione. In primo gradu est perfectio graduum, vel gratiarum Sacramentalium. In secundo perfectio virtutum. In tertio, perfectio donorum. In quarto perfectio fructuum, & beatitudinum. De primo dicit Cantic. 4. *Tota pulchra es, &c.* Tota pulchra ab originali: tota pulchra à mortali, & *macula*, scilicet, venialis peccati, *non est in te*: de secundo ibidem. 4. *Quàm pulchra es amica mea, &c.* Quasi diceret; Quàm pulchra es corpore per castitatem, quàm pulchra in opere per charitatem; quàm pulchra in corde per humilitatem. Item de eodem Hester 2. *Erat Hester formosa valdè, &c.* Formosa in opere per charitatem, quæ est forma virtutum, & incredibili pulchritudine in corpore per insolitam virginitatis castitatem, iuxta illud Sap 4. *Quàm pulchra est casta generatio cum claritate omnium oculis gratiosa, & amabilis*, propter cordis humilitatem, iuxta illud Luc. 1. *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Item de eodem Iudith. 11. *Non est mulier talis super terram in aspectu, & pulchritudine, &c.* In aspectu conuersationis, in opere. In pulchritudine castitatis, in corpore. In sensu verborum, id est, in exterioribus verbis: in puritate cogitationis, in corde. De tertio gradu dicitur in Psalm. *Sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Item *Deus in medio eius non commouebitur.* Item Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Item Esai. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, &c.* Haud dubium quin etiam super eam. De quarto dicitur Ezech. 43. *Maiestas Domini ingressa est templum ad viam portæ, quæ respicit ad orientẽ* Et post sequitur. *Et repleta est gloria domus Domini.* Itẽ Hier. 14. *Solij gloriæ tuæ recordare* Item Esai. 60. *Domum maiestatis meæ glorificabo.* Et in eodem 46. *Præparabitur in misericordia solium eius.* Item Apostolus ad Hæbr. 4. *Adeamus cum fiducia ad Thronum gratiæ eius.* Itẽ Ansel. *Ea puritate nitet, &c.* Ex his manifestum est, quæ, & qualis, & quanta est puritas in summo, quam habet gloriosa Virgo pro priuilegio.

Act. 15. — *Anselm.* — *Cant.* 4. — *Ibidem.* — *Hest.* 2. — *Sap.* 4. — *Lucæ* 1. — *Iudi.* 11. — *Psal.* 45. — *Lucæ* 1. — *Esai.* 11. — *Eze.* 43. — *Iere.* 14. — *Esai.* 60. & 46. — *Hebr.* 4.

De Hoc, quod est Mater Dei.

CAP. 180.

Deinde quæritur de eo, quod est esse Matrem Dei: ratione cuius etiam principaliter dicitur gratia plena Beatissima Domina, de quo quæritur: Vtrùm possit intelligi maior gratia puræ creaturæ participari,

quàm esse Matrem Dei. Et videtur quod hic: gratia enim immediata est post filiũ per naturam esse filium per gratiam; & ita videtur, quòd plus sit esse filium Dei per gratiam adoptionis, quàm esse Matrem Dei per naturam creatam. Item videtur, quòd plus sit dari alicui esse Angelum, quàm esse Matrem Dei; quia natura Angelica super naturã humanam. Item plus est eleuari in substantiam, quàm in accidens; fieri Angelum est eleuari in substantiam superiorem: fieri matrem est tantùm eleuari secundùm accidẽs. ergo maior gratia confertur Beatissimæ Virgini, si fieret Angelus, quàm esse Mater Dei. Item cum spiritus sit tertia in Trinitate persona, secundùm ordinem naturæ, & filius secunda secundùm illum modum: ergo post illam gratiam, qua aliquis fit filius Dei Patris, immediatè videtur esse illa; qua aliquis fieret Spiritus sanctus; & sic patet, quòd post esse filiũ Dei, potest maior gratia intelligi, quàm esse Matrem Dei, scilicet, Spiritum sanctum, & ita non videtur immediata gratia Beatissimæ Virginis, ad gratiam filij Dei Domini nostri IESV Christi. Item si Beata Virgo adhuc vnum filium purum hominem genuisset, ille esset filius Virginis, & frater Dei, & illius gratia maior esset gratia Beatissimæ Virginis, quæ fuit Mater Dei, sed non filia Virginis. Item iuxta hoc quæritur, si aliqua pura creatura esset Pater Dei secundùm humanitatem. Vtrum hoc esset plus, quàm esse Matrem Dei: & videtur quòd sic, quia maiùs, & digniùs est esse patrem, quàm matrem: ergo eodem adito eadem maneret beatitudo: ergo maius est esse patrem, quàm matrẽ Dei. Item si diceretur, quòd impossibile est esse hominem Patrem Dei: ergo ita impossibile fuit Virginem esse matrem secundùm naturam; sed sicut nec illud fuit Deo impossibile, ita nec illud. Esa. 66. *Ego qui generationem alijs præsto, nunquid ipse sterilis permanebo.* Ex quo consueuit trahi, quòd generationis æternæ, non nisi vnius de vno sit expressissimum exemplum. Est enim Christi generatio temporalis, non nisi ex vna persona sola; sed in diuinis non est maternitas, sed tantùm paternitas: ergo expressiùs illam generationem repræsentauit homo Pater Dei, quàm homo Mater Dei: ergo esset digniùs, & nobiliùs esse patrem, quàm matrem Dei: ergo hæc non est maior gratia, quæ participari possit à pura creatura.

Esai. 66

Item ad supra quæsitum, cùm post proprietates immediatè sint appropriatæ; videtur, quòd post coniunctionem proprietatum immediatè, est propriatorum coniunctio; & sic post fieri Deum, esset fieri omnipotentem, summè sapientem, summè bonum.

Contra prædicta obijcitur in hunc modũ;

A inter matrem, & filium est coniunctio substantialis, inter patrem, & filium adoptiuum, est participatio accidentalis: ergo magis est esse matrem Dei per naturam, quàm esse filium Dei per adoptionem. Item inter esse filium Dei per naturam, & esse Deum, & esse filium Dei per adoptionem, & non esse Deũ; medium est esse matrem Dei per naturam; & non esse Deum: ergo immediatè post esse Deum, est esse Matrem Dei. Item quidquid claudit alterum in se, plus est eligendum, quàm illud, quod non claudit alterum in se: sed esse matrem per naturam, necessariò claudit in se esse filium per adoptionem: ergo plus est esse Matrem Dei, quàm esse Fi-

B lium Dei per adoptionem. Item ad quod sequitur magis bonum illud, plus est eligendũ. Ad esse Matrem Dei sequitur maius bonum, quàm adesse Angelum: ergo hoc meliùs est, & magis eligendum. Minor patet; quia ad esse Matrem Dei, sequitur esse dominam omnium Angelorum. Item causa, in quantum causa dignior est, & effectus, in quantum effectus: ergo digniùs est esse causam boni, quàm concausatum bono. Sed Mater Dei, causa est & origo Dei, secundùm id, quod natum est; frater autem Dei, non est origo, vel causa Dei, sed causatus ab eadem origine: ergo plus est esse Matrem Dei, quàm fratrem Dei. Item Mater respectu Filij Dei di-

C cit relationem suppositionis; frater autem æquiparantiæ. Vnde videtur Deut. 5. *Honora patrem & matrem.* Non autem est præceptum de fratribus honorandis. Manifestũ est ergo, quòd plus est esse Matrem Dei, quàm fratrem. Item si Beata Virgo fieret Spiritus sanctus, tunc esset ipsa, & ipse, & sic esset confusio sexus. Item si duo filij essent, esset alter maior, qui esset filius Patris, & alter minor, qui esset filius matris Beatæ Virginis. Item, quòd non possit homo esse Pater Dei, & sic probatur. Dicit Philosophus; quòd masculus est, qui generat in alio: ergo ille, qui esset Pater Dei, aut generaret in alio, aut in se ipso. Sed in alio: ergo duo: vnus generans in

Deut. 5.

D alio, & vnus vel vna generans ab altero: ergo esset ibi masculus, & fœmina. Si autem ille pater generaret in se ipso: ergo non esset masculus: ergo nec pater. Item tunc non esset ratio, quare plus diceretur pater, quàm mater. Item cùm non sit in viro locus conceptionis, & formationis, & nutritionis. Si fieret subita formatio, non esset generatio. Item cùm sit ibi organum partus, indifferens esset ratio virginitatis; & sic non esset Filius Virginis. Item esset nec pater, nec mater. Item sic esset excluſus sexus fœmineus ab incarnatione; cùm incarnatum non esset fœmina, nec de fœmina incarnatum.

Ex

Ex his manifestum est, quòd maior gratia non potest intelligi puræ creaturę participari, quàm esse matrem Dei: vnde hoc est priuilegiũ Beatissimæ Virginis Dominæ nostræ.

Quod est Mater, & Virgo.

CAP. 181.

Sequitur videre de illo priuilegio, quòd est Mater & Virgo; de quo quæritur primo Qualiter ponatur inter priuilegia gratiæ, cum non videatur esse gratuitum. Quod sic probatur: vtrumque potest non esse sine peccato, scilicet esse Virginem, & esse Matrem: ergo neutrum potest esse gratuitum. Item quælibet pars secum compatitur peccatum mortale: ergo, & totum. Item ex duobus indifferentibus, non fit vnum gratuitum. Ex his videtur, quòd non debeat poni pro priuilegio. Item, quòd non cõueniat soli, videtur Philosophus dici: Quòd sexus est in plantis, & est planta masculà, & planta fœmina, & tamen planta generat plantam sine corruptione, vel commixtione: ergo ibi simul est Virgo, & Mater. Item Ecclesia est Mater, & virgo: ergo non solùm Beata Virgo. Si dicatur quòd Ecclesia dicatur Mater, & Virgo spiritualiter; tunc sic: nobilior, & verior, & perfectior est maternitas, & Virginitas spiritualis, quàm corporalis: ergo Ecclesia veriùs, & nobilius, & perfectiùs, dicitur Mater Virgo, quàm Beata Virgo. Item Virgo nubens in charitate, nullam perdit virtutę, si prius habuit virginitatem virtuosam: ergo & adhuc habet, & sit Mater: ergo habet, & maternitatem, & virginitatem simul: ergo est Virgo. Item quidquid est in inferioribus pertinens ad dignitatem, est & in superioribus. Sed Angelus non generat Angelum: ergo hoc non pertinet ad dignitatem: ergo in hoc non debet esse priuilegium.

Contra homo est dignissima creatura: ergo generatio hominis est nobilissimus effectus generationis: ergo generatio nobilissimi cuiusdam hominis, est effectus nobilissimus; sed nobilissimus non est, nisi nobilissimæ substantiæ, iuxta illud Luc. 6. *Vnaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur.* Ergo generatio nobilissimi hominis erit effectus nobilissimus, vel nobilissimi hominis generãtis, sed vnus solus est homo nobilissimus: ergo vni soli conuenit esse matrem illius: ergo huiusmodi maternitas est priuilegium vnius solius. Item effectus huiusmodi generationis fuit perfectus in summo: ergo & generatio perfecta est in summo; sed perfectior est generatio vbi vnus de vno, quàm vbi vnus de duobus; ergo in ista generatione debuit esse vnus de vna: ergo illa fuit Mater, & Virgo. Item ad perfectissimam generationem secũdùm naturam, sequitur perfectissima maternitas; sed perfectior, & nobilior est maternitas cùm in corruptione, quã cũ corruptione; sed ista fuit perfectissima: ergo debuit esse cum virginitate. Item quidquid est in arte exemplari diuina, totum debet esse declaratum; & exemplatum in exemplo creato: ergo & generatio diuina aliquod debet habere exemplum in natura, sed ibi vnus de vno sine diuisione, corruptione, vel commixtione: ergo, & hic vnus de vna sine corruptione: ergo erit Mater Virgo. Item prima dignitas in diuinis, quæ est communicabilis creaturis, est à quo alius per generationem: ergo & hæc prima, & summa dignitas naturalis: ergo & in hoc potest esse priuilegium super omnia Virginis gloriosæ. Item homo est minor mundus. Creare mundum maiorem priuilegium est Dei: ergo generare mũdum minorem priuilegium potest esse hominis. Itẽ Deus melior est mundo: ergo plus est generare Deum, quàm creare mundum. Item Virginitas prout fuit in Beata Virgine, fuit recessus ab omni malo. Maternitas Dei fuit ei collatio omnis boni: ergo omne eligendum, & omne appetendum, intelligitur in hoc priuilegio. Item quòd hoc solùm cõueniat Beatissimæ Virgini, probatur hoc mõdo. Esai. 66. *Ante quã parturiret, peperit*, &c. Et infra. *Quis audiuit talia*, &c. Item Ecclesia cãtat. *Nec primam similem visa est, nec habere sequentẽ.* Item Dionysius. *Quòd hoc erat omnium nouorum nouissimũ.* Ad hoc dicimus, Quòd priuilegiũ est Beatæ Virginis, quod sit mater Dei, & Virgo; & quòd sua Virginitas nec sua maternitas fuit indifferẽs; sed vtrũq; meritorium. Eius enim virginitas fuit perfectissima integritas cordis, & corporis, procedens ex radice summæ charitatis, eiusque maternitas sibi fuit meritũ; quia ipsa de congruo meruit fieri Mater Dei, meritò fidei, spei, & charitatis, & suæ excellentissimæ humilitatis. Ex his etiam patet solutio ad obiecta de Ecclesia, & de planta. Ecclesia enim non habet in omnibus membris integritatẽ carnis, & in nullo habet integritatem carnis, & cordis, cum summa fecunditate spiritus, & corporis, excepta perfectissima virginitate Beatæ Virginis, & fecunditate. Sed & illam spiritualem fecunditatem, & virginitatem, quam habet Ecclesia in alijs membris, habet & Beatissima Virgo in se excellentissimè cum alijs communem; & insuper istam priuilegiatam singularitatem, sed nec etiam planta suo modo habet Virginitatem, & fecunditatem, & quidem suo modo virginitas, & maternitas dici posset, si simul viroremi florationis cũ partu fructificationis reseruaret, vt dicere posset: *Flores mei fructus*: sicut amigdalum, illud, quod Virginis matris figura fuit quodammodo sub vmbra, & enigmate futuri Beatam Virginem præsentauit.

Esa. 66.

Dionys.

Luc. 6.

Eccl. 24

Quod est Virgo, Virginum.

CAP. 182.

Nunc restat videre de illo priuilegio, quo dicitur, Virgo Virginum: contra quod sic obijcitur. In huiusmodi locutionibus notatur excellētia, vt flos florum, quasi dicat: excellens omnes flores: similiter *Rex Regum, & dominus dominantium.* Cùm ergo nihil excellat se ipsum, nihil est Virgo Virginum. Si dicatur, quòd excellit omnes virgines à se, virgines à se.* Cōtra: ergo excellit Christum in virginite; quod est falsum. Item secundo: si dicitur Virgo Virginum, non quod excellat se ipsam, vel Deū, vel Christum, sed inferiores se: sic & Beata Virgo Catherina posset dici Virgo Virginum; quia excellit omnes Virgines inferiores. Et quælibet Virgo sic esset Virgo Virginum. Quare ergo huiusmodi designatur habitudo, & si dicatur, quòd habitudo originis, vt sit sensus Virgo Virginū, ideſt, Virgo; origo, vel mater omnium virginum, secundum hoc, euaderet dici Virgo Virginum; quia ipsa est Mater, & origo omnium virginum, & omniū viuentiū. Ité quòd non excellat, videtur; quia Philosophus dicit, quod incōtinés est, qui patitur, & deducitur: cōtinens qui patitur, & nō deducitur: insensibilis, qui nec patitur, nec deducitur. Sed Beata Virgo ab opposito virginitatis, nec patiebatur, nec deducebatur: ergo fuit insensibilis. Sed insensibilitas non est virtus. Aliæ autem continentes patiebantur, & non abducebantur, quod est virtus castitatis: ergo Beatissima Virgo non excellit alias virgines in cōtinentia.

Apoc. 19

** Redū dat.*

Contra, genitus à generari dicitur, quasi prima sui ratione, à qua, & nomen recepit, & notat habitudinem gignētis ad genitum, vel è conuerso. Sed Beata Virgo est mater omnium in virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo, gloriosum virginitatis munus Deo obtulit; per quod & omnes Virgines; per imitationem in virginitate genuit: ergo ei soli conuenit, quòd sit Virgo Virginum; ideſt, mater omnium virginū, Item si notetur ibi excellentia, excellit omnes virgines in fomitis extinctione, & in summa puritate: ergo similiter conuenit ipsi soli omnes citra Deum excellere in virginitate. Item victoria est declaratio potentiæ super aduersarium. Sed magis, & magis declarat potentiam, quando tanta est potestas in aduersarium, quòd non potest mouere bellū, nec inire conflictum, quàm tunc cùm post ictus, & vulnera vincit inimicum. Ex hoc patet, quòd maior fuit virtus in Beatissima Virgine castitatis, quàm in aliqua Virgine pura homine. Item, quòd in virginitate excellit Angelos, videtur: quia Angelorum castitas est à natura: hæc autem à gratia. Vnde hæc A nobilior, quàm illa. Item Angelorum necessaria; hæc autem voluntaria; vnde gratior hæc quàm illa. Item Angelorum non est meritoria, vnde vtilior hæc, quàm illa. Item Angelorum in natura est impassibili; hæc autem in carne fragili: vnde hæc mirabilior, quàm illa. Item Angelorum est cum libero arbitrio, inflexibili: ergo laudabilior hęc, quam illa; & sic est nobilior, gratior, vtilior, gloriosior, mirabilior, laudabilior, & etiam integralior; quia hæc est in anima, & in corpore; illa autem in spiritu tantùm. Patet ergo qualiter Beatissima Virgo excellit omnes virgines citra illum, qui est Deus in virginitate.

Quare non dicitur Mater Matrum.

CAP. 183.

Iuxta prædicta quæritur, qualiter Beatissima Virgo, non dicitur Mater Matrum, sicut dicitur Virgo Virginum: sicut enim excellit omnes virgines in virginitate, ita & omnes matres in maternitate. Item à digniori debet fieri denominatio. Digniùs est autem esse Matrem Dei, quàm esse Virginem: ergo dignior est excellentia maternitatis in Beata Virgine, quàm excellentia virginitatis: ergo potiùs debet dici mater matrum, quàm Virgo Virginum. Item præcipua dignitas communicabilis est generatio, & huic, ista est simillima: ergo Beata Virgo potissimè deberet ab illa denominari. Item *omnium bonorum mater est*, Sap. 7. ergo & mater matrum. *Sap. 7.*

Contra, quæ secundùm prius, & posterius, & non vniuocè dicuntur, non sunt comparabilia; sed maternitas primò, & principaliter, & verissimè de Beata Virgine dicitur; de alijs autem per posteriùs: ergo non sunt comparabiles ei aliæ matres in maternitate; sed res superlatiui comparantur rebus suppositis per genitiuum: ergo nec propriè, nec verè dicitur mater matrum. Item in virginitate Beatæ Virginis fuit id, quod etiam est in virginitatibus aliorum, scilicet, integritas carnis, & mentis, sed perfectiùs, & plus: sed maternitas, vt fuit in alijs, non fuit in ipsa; quia generauerunt ab alio. Hæc autem non ab alio homine, & sic patet qualiter comparabiliter dicitur Virginitas de Beata Virgine, & de alijs; sed non maternitas: ergo potest dici Virgo virginum, & non Mater matrum. Quod concedimus dicentes: quòd Beata Virgo non dicitur Mater matrum, sed Virgo Virginum; & notatur per genitiuum duplex habitudo generalis, scilicet, & specialis; quia ratione habitudinis, quam importat generaliter, notat originem: ratione autem specialis importat excellentiæ significationem. Ratione primi non conue-

nit

nit Christo, vt dicatur virgo virginum: quia ipse non fuit primus virgo, qui genauit alias per imitationem; sed ipsius mater, quæ primò per votum virginitatis opprobrium virginitatis abstulit, & eam in se consecrauit. Per secundùm: scilicet, excellentiam; nulla alia potest virgo virginum dici; quia ipsa sola excellit omnes virgines alias. Excellit autem in tribus, causalitate, puritate, fecunditate; quæ tria non est in aliqua virgine inuenire. Concedimus etiam; quòd in tantùm Beata Virgo excellit omnes matres alias in maternitate, quod etiam non videtur secundùm eandem rationem posse ei, & alijs maternitas conuenire; non quod ei aliquid deficiat, quod exigitur ad perfectam rationem maternitatis; sed quia ipsa sola sic principaliter, ac perfectè potsidet rationem maternitatis; quod omnes aliæ matres dicuntur matres secundùm diminutam rationem à ratione ipsius maternitatis, vt melius patebit infra in benedictionibus mulierum. Aliorum solutio patet per ea, quæ in contrarium sunt obiecta.

A

B

Quod sit Mater omnium.

CAP. 184.

Nunc restat videre de priuilegio illo, quo Beata Virgo dicitur Mater omnium. Quæritur ergo vtrũ ei illud conueniat, & videtur, quòd non. Filij tempore non præcedunt matrem, sed multi tempore præcedebant Beatam Virginem; ergo ipsa non est mater omnium. Item cum generatio sit ingressus in esse, & tantùm triplex est esse naturæ, gratiæ, & gloriæ: Beata Virgo non est mater omnium secundùm esse naturæ; quia plurimi præcesserunt eam secundũ esse naturæ. Item nec secundũ esse gratiæ; quia multi habuerunt ante gratiam, quàm ipsa. Item eadem ratione, nec in esse gloriæ; quia multi Angeli, & homines ante habuerunt esse gloriæ, quàm ipsa. Item si ipsa sit mater per fidem, multi sunt, qui nunquã habuerunt, nec habebunt fidẽ: ergo nec est mater omniũ hominũ per fidem. Itẽ videtur, quòd nõ sit matercorporalium; quia corporalia non habent esse gratiæ: ergo nõ potest esse mater illorũ in esse gratiæ. Et constat, quòd nec in esse naturæ, vel gloriæ. Item animatum propriè nõ generat inanimatum. Item corporalia non habent fidem; ergo non est mater omnium illorum. Item videtur, quod nec mater omniũ iustorum Angelorum. Illi enim semper fuerunt in gloria: ergo nihil receperunt ab ea. Item Angeli non sunt recreati; ipsa autem est mater per recreationem; ergo non est mater eorum. Item ipsa est mater per fidem; sed in Angelis non est fides; ergo non est mater Angelorum. Item quorumcumque ipsa est mater, ipsorum Christus est frater, sed Christus non est frater Angelorum; ergo ipsa non est mater eorum.

C

D

In contrarium, quòd sit mater omnium, probatur sic: Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum.* Ergo habuit secundo genitum; & constat, quòd non carnaliter: ergo spiritualiter; sed generatio spiritualis vna est omnium; ergo ipsa est mater omnium spiritualium. Item ad Hæb. 2. *Filius eius non confunditur vocare eos fratres.* Ad Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus* Gen. 37. *Caro enim, & frater noster est.* Sed ipsa est mater omnium illius fratrum: ergo ipsa est mater omnium hominũ. Item Esai. vltim. *Nunquit pariet terra vna die, aut parietur gens simul.* Constat autem, quòd non quærit de terra secundũ literam; quia stulta esset quæstio: ergo intelligitur de terra secũdùm figuram; sed terra secundùm figuram est Beatissima Virgo: ergo ipsa pariet simul omnẽ gentem: ergo erit mater omnium hominum. Itẽ Mar. 11. *Et qui præibãt, & qui sequebantur clamabant Osanna filio Dauid.* Dicit Augustinus; quòd omnes siue præcederent incarnationem, siue sequerentur, saluabantur per fidem mediatoris Dei, & hominum; sed ad illam fidem necessariò exigitur, vel implicitè, vel explicitè credere Deum incarnatum de virgine: ergo per hoc est regeneratio vniuersalis: ergo fides incarnati de virgine est: per quod est regeneratio in esse gratiæ omnium hominum. Item quòd ipsa sit mater corporalium, sic probatur. Ipsa est mater innouationis corporalium, iuxta illud Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit, vsq; adhuc expectans reuelationem filiorum Dei.* Ergo ipsa est mater in esse innouationis omnium corporalium; quoniam omnis creatura innouabitur per ipsam, & liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Item, quòd sit omnium mater, videtur: *Quoniam omnium bonorum mater est*, Sap. 6. Item ipsa est mater gratiæ, sed per gratiam datur esse gratuitum, & glariosum: ergo ipsa est mater omnium bonorum, bonitate gratiæ, & gloriæ. Item de ipsa appropriatè legitur: *Cum ipso eram cuncta componens, & tũc Dominus possedit me initio viarum suarum.* Prou. 8. Item Eccls. 24. *Primogenita ante omnem creaturã.* Ex his omnibus videtur, quòd ipsa sit mater omnium, & prior omnibus, & origo omnium. Item Bern. *Merito ò domina respiciunt inte oculi vniuersæ creaturæ, in qua, & ex qua, benignissima manus Dei, quid quid creauerat recreauit.* Itẽ ipsa est mater Dei, & Deus est Pater, & origo omniũ: ergo ipsa est Mater, & origo omniũ. Quidquid enim per se est origo causæ; est per se origo, & causa causati, sed Mater est per se causa, & origo filij; & filius per se causa, & origo omniũ: ergo

Luc. 2. *Hæbr. 2.* *Rom. 8.* *Gen. 37.* *Esa. vlt.* *Mar. 11.* *Rom. 8.* *Sap. 6.* *Pro. 8.* *Eccl. 24* *Bernar.*

ergo ipsa est per se omnium Mater. Item Angeli accipiunt à Domino IESV illuminationem, perfectionem, beatificationem; *ipse est enim in quem desiderant Angeli prospicere*, 1. Pet. 1. *Per quem omnia restaurantur in cœlo, & terra*. Ephes. 1. Ergo, & Angeli recipiunt quoddam esse gloriæ à Beatissima Virgine: ergo etiam ipsorum est mater in esse gloriæ. Item ipsa est mater gratiæ; sed gratia generat gloriam: ergo ipsa est mater glorię: ergo ipsa est mater omniũ, quę sunt in esse gloriæ: ergo ipsa mater Angelorũ. Ad hoc dicimus respondendo, quòd Beatissima Virgo est omnium bonorum mater: sed mater respectu filij, quatuor habet proprietates, quæ sunt, genitura, cura, prioritas, dignitas; respectu alicuius, habet omnes istas proprietates, & respectu alicuius aliquas, & non omnes; & secundũ hoc magis, & minus propriè dicitur omniũ hominum mater. Item mater est secundùm omnes proprietates maternitatis, genitura; quia vnum hominem genuit, & omnes regenerauit: & hoc est, quia peperit filium suum primogenitum. Item mater nostra est, cura; quia in vno nobis genuit quidquid ad hanc vitam, vel futuram necessarium fuit. Vnde Eccl. 24. *Agenerationibus meis adimplemini*. Item, *qui proprio filio suo non pepercit, quomodo non cum illo nobis omnia donauit*. Item dignitate; quia ipsa primo genita ante omnem creaturam. Item prioritate prædestinationis. Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, vt esset principium, ex quo recreandum fuit omne creatum; & secundũ hoc loquuntur istæ authoritates: *Dominus possedit me, &c.* secundùm quod de ipsa exponuntur. Angelorum quoque mater dici potest genitura; quia generauit patrem Angelorũ, & restauratorem eorum. Prior etiam dignitate: similiter autem, & corporalium mater est genitura, quia genuit ipsorum innouatorem, & prior ipsis prioritate prædestinationis, & dignitate prælationis, & vniuersaliter; quia mater est creatoris, mater est omnium creaturarum. Et sic patet qualiter proprium priuilegium est Beatæ Virginis, *quoniam omnium bonorum mater est*.

1. Pet. 1
Eph. 1.
Eccl. 24.
Rom. 8.
Prou. 8.
Sap. 6.

Quod dicitur, Stella maris.

CAP. 185.

Nunc restat videre de illo priuilegio, secundũ quod Beatissima Virgo dicitur stella maris; de quo primo quæritur, vtrum huiusmodi appellatio dicatur propriè, vel translatiuè, & videtur, quòd proprie; quia verba sumenda sunt secundùm communem significationem. Item vbi magis propriè est natura totius, ibi magis propriè est natura partis; sed in spiritualibus magis propriè est natura lucis: ergo, & ibi magis propriè est natura stellæ: ergo Beata Virgo propriè dicitur stella maris.

A

Contra, si sumitur propriè, vt dicitur de Beata Virgine; & propriè, vt dicitur de stella: ergo inter illa non attenditur aliqua similitudo. Item secundùm hoc potiùs dicetur Beata Virgo stella cœli, quàm stella maris. Post hoc.

Quæritur, si hæc appellatio conueniat Beatissimæ Virgini tranſſumptiuè, & necesse est, vt dicit Philosophus, transferentes aliqua similitudine vti: Quæ est autem similitudo istius stellæ super alias stellas cum Beata, & gloriosa? Non enim videtur per naturam substantiuè; quia illa eadem similitudo est in illa, & in alijs. Item figura istius stellæ non conuenit plus Beatissimæ Virgini, quã figura aliarum: si enim propter lucem maiorem aliæ, quædam sunt plus: luminosæ, & tunc potiùs diceretur Beatissima Virgo Lucifer, quàm stella maris. Item si dicatur propositum hoc non videtur; quia vltima est illa, & in cauda vrsæ. Beatissima autem Virgo non est vltima, neque in cauda. Itẽ non propter motum, quia mouetur cum firmamento, sicut aliæ stellæ; & sic non videtur, quòd sit aliqua proprietas stellæ huius super alias, cum Beatissima Virgine, propter quam debeat nominari nomine stellæ maris, plus quam nomine alterius stellæ. Item si dicatur, quòd propter effectum; quia dirigit nauigantes: hoc iterum commune est omnibus stellis, & lunæ, & alijs planetis. Item si dicatur, quòd sicut ista stella dirigit nautas claritate suæ lucis, ita Beatissima Virgo totũ mũdum luce suæ conuersationis, & sic dicitur stella maris ratione exemplaritatis. Tunc quæritur, vtrùm hoc sibi soli conueniat, vel hoc habeat pro priuilegio. Et videtur, quòd non; quia dictum fuit Moysi: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quòd tibi in monte monstratum est*. Quod quasi exponens Beatus Dionysius dicit, quòd Hierarchia humana per exemplaritatem descendit à cœlesti. Et Apoc. 21. *Vidi ciuitatem Sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo*. Ergo videtur, quòd ratio vniuersalis exemplaritatis sit in Ecclesia triumphante respectu militantis, & sic ab illa exemplaritate non dicetur Beatissima Virgo stella, maris. Item Psal. *In capite libri scriptum est, &c.* Gloss. *Ego sum liber humani generis*. Itẽ omnis Christi actio est nostra instructio, qui dicit Ioan. 8. *Ego sum lux mũdi*: ergo ipse potiùs dicetur stella maris. Itẽ sacra Scriptura sufficiẽter ostẽdit omnia pericula vitanda, & omnia compendia nauigandi ad portum patriæ. Vnde Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Ergo illa proprietas, à qua Beatissima Virgo dicitur Stella maris, etiam conuenit Scripturæ. Item cùm Beatissi-

B

C

D

Exo. 25
Apo. 21
Psal. 3.
Ioan. 8.
Psl. 118.

tissima Virgo data sit nobis in exemplum innocentiæ : Maria autem Magdalena dicatur Stella maris in exemplum pœnitentiæ illis, qui sunt in naufragio constituti : videtur potiùs, quòd sancta Maria Magdalena di-
Dan. 12 catur Stella maris. Item, *qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stella in perpetuas æternitates* : ergo videtur, quòd hæc proprietas conueniat omnibus Doctoribus. Item quæritur iuxta hoc: Vtrùm hæc proprietas conueniat Beatissimę Virgini secundùm statum viæ, & videtur, quòd non : quia in illo statu fuit abscondita, vel occulta. Si autem secundùm statu patriæ, tunc potiùs diceretur stella cœli. Item, cùm non tantùm viam ostendat, sed etiam transvehat, potius deberet dici nauis maris, quàm stella maris. Item quæritur, quare ab hac proprietate nomen accepit, cùm habuerit nobiliores respectu Dei, & respectu nostri. Quod autem Beatissima Virgo proprie dicatur stella maris, sic probatur : Vna est proprietas illius stellæ, quòd est sita in summo poli respectu omniũ; & Beatissima Virgo est suprema omnium Sanctorum : ergo ipsa conuenienter participat nome illius. Item, vt dicit Exastenes, de arctos minore, quòd in primo libro caudæ, stella est vna infima, quæ polus appellatur; per quẽ locu mũdus ipse existimatur verti. Nulli autẽ puræ creaturę videtur potiùs cõuenire mundum circa ipsum versari, quã gloriosę reginæ cœli, & mudi: ergo ipsa est stella maris. Itẽ ista stella numerũ implet septenarium, qui est numerus virgineus : quia vt
Macro. dicit Macrobius : *Omnes numeri infra decadem, vel generant, vel generantur præter septenarium.* Et cui magis hoc proprium, quàm illi, quæ nec secundùm naturam genuit, nec genita fuit? Item illa est stella suprema, & vltima in cauda, & quid est hæc, nisi illa, quæ est suprema dignitate, & vltima humilitate? Item ferrum attrahit, & Beatissima Virgo per insitam sibi naturaliter misericordiam, peccatores ad cœlum trahit. Item nautas dirigit, & Beatissima Virgo omnes naufragrãtes vniuersaliter ad portum salutis transmittit. Item sita est circa Aquilonem; & Beatissima Virgo semper versa est ad peccatorem. Ex his patet, quòd multæ sunt, stellæ huius proprietates soli Beatissimæ Virgini appropriabiles; propter quas secundùm modũ trãsumptionis Beatissima Virgo dicitur stella maris; & quædam illarum illi soli conueniunt : quibus respondent aliæ proprietates proportionabiles in Beata Virgine; propter quam conuenientiam ipsa sola propriè dicitur stellà maris. Si autem, quæ sint illæ proprietates quæritur, in quibus est similitudo? dicimus: in illa stella est considerare substantiam, qualitatem, situm, statum, effectum. Substantia est cœlestis incorruptibilis, origo lucis; & Beatissima Virgo est cœlestis conuersatione, incorrupta corpore, origo lucis generatione. Qualitate est superior, clarior, vtilior; & sic Beatissima Virgo est omnibus superior dignitate, clarior virginitate; vtilior fecunditate. Situ est suprema, & in cauda vltima, & Beata Virgo est sita in supremo poli, in Dei dilectione; status stellæ est quasi sine motu, sine occasu, sine errore : & Beata Virgo fuit sine motu inconstantiæ, sine occasu culpæ, sine errore ignorantiæ. Effectus triplex, ferrum attrahit, lucem tribuit, nautas dirigit. Sic Beata Virgo attrahit peccatores, illuminat pœnitentes, dirigit innocentes. Item sic: attrahit à culpa, illuminat in iustitia, dirigit ad gloriam : vel sic: attrahit incipientes, illuminat proficientes, dirigit perfectos, & perseuerantes. Et nota, quòd Dominus Beatissimæ Virgini opus recreationis secundùm genus quatuor causarum communicauit. Causa efficiens nostræ regenerationis post Deum, & sub Deo, & cum Deo, ipsa fuit; quia ipsa illum nobis genuit, qui nos omnes regenerauit; & vt ipsum gigneret, suis virtutibus de congruo promeruit. Item causa materialis; quia Spiritus sanctus de purissimis eius carnibus, & sanguinibus, ipsius consensu mediante, carnem sumpsit, quod in corpus transformauit, per quod redẽptio nostra facta fuit. Itẽ causa finalis fuit: quia totũ opus redẽptionis post Deũ, in ipsius gloriã, & honorẽ ordinatũ fuit: Vnde Apoc. *vigintiquatuor seniores*, & omnes Sancti mit
Apo. 4. tunt coronas suas *ante pedes agni*, recognoscentes se omnes coronatos illa humilitate, & humanitate, quã accepit de Virgine: & ipsa est mulier illa, quæ *habet coronã stellarũ duo-*
Apo. 12 *decim*, id est, omnium sanctorũ; quia omnes per ipsam sunt coronati: & sic filius cum ipsa dedit eam causam finalem recreationis. Item causa formalis est ipsa recreatio; quia omnibus luce suæ deiformissimæ conuersationis fuit speculum, & exemplum reuersionis à tenebris, & directionis, & conuersionis ad contuitum primæ lucis. Propter hoc ratione vniuersalitatis per modum exempli directionis, & reductionis, dicitur Virgo clarissima, stella maris. Conuenit autem istud priuilegium Beatissimæ Virgini in statu patriæ, sed ratione status viæ, sicut stella in cœlo omnes dirigit nauigantes in pelago. Vnde non dicitur nauis maris, ratione istius proprietatis. Nauis enim fluctibus conquassatur, & nõ dirigit, sed dirigitur. Scripturæ quoque non conuenit ista appellatio. Scriptura enim dirigit : stella Beatissima Virgo dirigitur per exempla. Item Deus vel Christus non dicitur stella maris, quia est fons totius lucis; vel Magdalena non dicitur stella maris, quia non dirigit omnes, sed tantùm pœnitentes, & taliter ipsa dirigit, quòd etiam ipsa dirigitur,

gitur: sed stella nauim dirigit, & à naui non dirigitur; & Beatissima Virgo omnes dirigit, & à nullo dirigitur. Magdalena illuminat per opera, ad pœnitẽtiam, & non per opera innocentiæ; & per opera non dico pœnitẽtis, sed pœnitentiæ. Fuit enim nocens, & fecit opera pœnitentiæ. Item alij illuminabãt tantùm viduis; alij tantùm cõiugatis; alij tantùm virginibus; sed Beatissima Virgo illuminabat omnibus simul, viduis, cõiugatis, & virginibus. Ex his patet; quòd priuilegium est Beatissimæ Virginis MARIÆ, quòd ipsa est stella maris.

Quod dicitur Porta cæli.

CAP. 186.

Restat nunc videre de priuilegio illo, secundùm quod dicitur, porta cœli. Contra: quod sic obijcitur; ædificium non est perfectũ sine porta, sed antequam Beatissima Virgo fieret, cœlum habuit portam: ergo ipsa non est porta cœli. Item porta non intrat, sed per portam alij intrant; sed Beatissima Virgo cœlos penetrauit: ergo ipsa non est porta. Item quæritur, qualiter nos importet: si per exemplum, vel naufragium. Sic quilibet sanctus est porta cœli; si per meritum, sic Crux Christi est porta; quia passio aperuit nobis cœ-
Ioan.10. lum. Item Dominus Ioan. 10. *ego sum ostium:*
Ezeq.40 ergo non Domina. Item Ezech. 40. & Apoc.
Apoc.21 21. *Ioannes vidit duodecim portas*: ergo non Domina est tantùm porta. Item pœnitentia portat in cælum: ergo est porta cœli. Itẽ Gen.
Gen.28. 28. Iacob dixit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Item, *Si vis ingredi ad vitam, serua mandata*: ergo obseruantia mandatorum est porta.

Contra. Proprietas portæ est importare, & exportare; sed nec pœnitentia, nec mandata exportant, sed important tantùm: sed Beatissima Virgo, & egrediẽtem exportauit, & ingressuros importat: ergo ipsa est propriè porta. Itẽ Christus importat, & nõ exportat. Item porta potest esse in ostio. Item in templo fuerũt duo ostia, quæ simul aperiebantur, & simul claudebantur: ergo & in cælo Dominus, & Beatissima Virgo: Item August.
August. *Ista fides sana est, qua credimus, nullum hominem, siue maioris, siue minoris ætatis liberari à contagio mortis, & obligatione peccati, quòd prima natura contraxit, nisi per vnum Deum, & hominẽ mediatorem IESVM Christũ.* Item, idem. *Eadem fides: quæ nos saluat iustos, saluos faciebat antiquos.* Item Gre-
Gregor. gorius super Ezequielem dizit: Quod, *qui præibant, & qui sequebantur clamabant: osanna.* Quia omnes electi, qui in Iudæa esse poterãt, vel nunc sunt in Ecclesia in mediatoré Dei, & hominum crediderũt & credũt. Ex his patet, quòd fides mediatoris est, quę introducit credentes, & in illũ mediatorem implicitè, vel explicitè oportebat credi ipsum natum de Virgine, & ille est primus articulus de huius modi mediatore: & sic fides Incarnati de Virgine, in quantum de Virgine, omnes portat in cęlos: ergo ipsa proprie est porta cęli.

Iuxta hoc quæritur, qualitet differat porta cęli, & fenestra cęli, & qualiter Beatissima Virgo dicatur vrumque. Ad hoc dicimus; quòd Beatissima Virgo propriè dicitur porta cęli; quia per ipsam exiuit quicquid vnquã gratiæ creatum, vel increatum in hunc mundum venit. *Omnium enim bonorum mater* *Sap.6.* *est*, & mater gratiæ, & mater misericordiæ, & etiam ipsa sapientia increata, tanquã aquæ ductus exiuit ab ipsa, & venit in mundum. Item per ipsam intrauit quidquid vnquam boni de cęlis in terram descendit, & è conuerso. Vnde dicit filius Sap. 7. *Venerunt mihi* *Sap.7.* *omnia bona pariter cum illa.* Vnde ipsa est porta Templi speciosa, quæ filio Dei exeunti per ipsam fuit clausa. Vnde Ezequiel 44. *Porta hæc clausa erit, princeps ingredietur* *Eze.44.* *per ipsam.* Hæc porta omnibus intrare volentibus est peruia. Vnde ipsa est porta, quæ ex omni parte mundi tria genera hominum, viduas, coniugatas, virgines, apportat, & importat. Est autem non solùm porta in portãdo homines; sed etiam fenestra, per quam lux venit in hunc mundum: Et lux, quæ de terra orta est, ab ipsa procedens penetrauit cęlum: lux illuminãs cęlum, & mundum. Ex his patet, qualiter glorioſa Virgo est porta, & fenestra cęli.

De Communicatione Passionis.

CAP. 187.

Post hæc quæritur de priuilegio, quod est communicatio passionis. Et videtur primò, quòd non fuerit ei passio communicata, per illud Esai. 63. *Torcular calcaui solus*, &c. *Isai.63.* Glo. *Tormenta solus:* Item glo. Iudic 16. *Solus Sanson præcisis crinibus.* Nec Angelus, *Iud.16.* nec Archangelus, nec quilibet cęlestis spiritus. Denique humani generis, nullus, vel Gẽtilis, vel Iudæus, solus pugnat, & superat. Ergo nulli est passio communicata. Item alij omnes sunt in statu saluandorum, & redimẽdorũ. Ipse solus Saluator, & Redemptor. Sed ad redemptorem tantùm pertinet passio: ergo ipse solus fuit passus. Item in immolatione Isaac, & in omnibus alijs figuris passionis, nusquam figuratur sub participatione plurium: ergo & in figurato tantùm debet esse vnus passus, pro omnibus. Item Ps. *Singulari-* *Ps.140.* *ter sum ego, donec transeam.* Et sic videtur; quòd communicatio passionis non sit priuilegium Beatissimæ Virginis: ergo non fuit passio communicata alicui creaturę. E cõtrario videtur, quòd non possit esse priuilegiũ,

eo

eo quod pluribus, & non ipsi soli fuerit communicatum. Quod probatur per illud Iob. *Iob.19.* 19. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Glos. Gregorij *in osse fortitudo, in carne corporis infirmitas designatur.* Per os Christus, per carnem discipuli designantur. Qui tempore passionis infirmi tepuerũt. Per pellem, quæ exterior est carne, fœminę sanctę designantur; quæ exterioribus domino ministerijs seruierunt. Quasi ergo consumptis carnibus os Domini pelli suę adhęsit; quia fortitudo eius fugientibus à se discipulis iuxta se mulieres inuenit: ergo non soli virgini tempore passionis communicata est passio, vel fi- *Ioan.19.* des etiam passionis. Ité Ioan. 19. *stabant iuxta Crucem IESV, MARIA Mater, & soror matris, &c.* ergo ipsa non fuit sola consors passionis, &c. Item in Cruce dixit Matri. *Ecce Filius tuus.* Deinde dicit discipulo: *Ecce mater tua.* Qualiter ibi Beatus Ioannes honoraretur tanto priuilegio, vt Filius Virginis daretur; vt sibi Mater Dei committeretur, si *Mat.24* non fuisset *fidelis seruus, & prudens:* cui cõmisit Dominus matrem suam? si autem fidelis; ergo habuit fidem, & compassionem. Ité *Mar.14* Marc. 14. *Adolescens sequebatur eum amictus Syndone super nudo, & tenuerũt eum. At ille relicto syndone nudus profugit ab eis.* Gl. *Ab eis, quorum præsentiam detestabatur, & facta, non à Domino, cuius amorem etiam absens corpore seruauit in mente;* sed charitas non est sine fide: ergo Ioannes habuit charitatem cum compassione. Item Lazarus nuper fuit suscitatus in anima, & in corpore; & multa, vt dicit Chrysostomus, de pœnis infernalibus narrauit. Qualiter ergo opinabile est, quòd tam citò ceciderit à fide? Item latro in cruce per veram pœnitentiam placuit Deo; sed sine fide impossibile est placere Deo: ergo habuit fidem, & cõpassionem: ergo non est hoc priuilegium Dominæ, quod potest etiã latroni conuenire. Ité Helias, & Enoch, qui locuti fuerant cum Domino in transfiguratione, habuerunt etiam fidem incarnationis, & passionis. Ité Ioannes Baptista in lymbo habuit fidem. Item multi absentes, quibus Dominus prædicauerat, vt ille de quo ipse *Matt.8.* dicit Matth. 8. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Et multi alij. Item Glo. super illud *Mar.14* Marc. 14. *Et cœpit flere. Egreditur foras, vt culpam negationis liberiùs lauet fletibus.* Ité Cornelius fidem habuit, & præsens non fuit; & videtur ex his, quòd multi tempore passionis, habuerunt fidem, & per consequens cõ passionem, & sic non potest poni priuilegiũ fides compassionis, vel communicatio passionis.

Sed contra: si de eo, quod magis videtur inesse, & nõ in est, nec de quo minus, sed maximè videbatur de mulieribus, quod habuerunt fidem passionis, vt patet supra per Glo. Gregorij, & inter mulieres maximè videbatur de Magdalena; sed illa non habuit fidẽ: tunc ergo nec aliqua aliarum. Minor patet Ioan. 20. *Venit Maria Magdalena ad monumentum, cùm adhuc tenebræ essent.* Chrysost. *Quia adhuc fuit in tenebris infidelitatis.* Ité: *Mulier quid ploras.* Glo. *Non lacrymas nudas, sed fidem quæro. Bone lacrymæ, si IESVM agnoscas.* Et infra: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meũ.* Glo. *Non quod nollet tangi, nisi cum ascendisset:* cum etiam mulieres, & alij in terra tetigisse legantur, & non sedentem in cœlo. Vult ergo spiritualiter tangi, ideſt, sic credi, vt sit æqualis Patri, & quia ista adhuc carnaliter in eum credebat, quem sicut hominem fiebat: audit, *Noli me tangere,* ideſt, sic in me credere, quia nondum in corde tuo ascendi ad Patrem meum. Ideſt, nondum credis æqualem Patri. Tunc tanges, cùm me in Patre Deum credes. Item, quem mortuum quæris; viuentem tangere non mereris. Ex his patet, quòd Magdalena, de qua minimè videbatur, in Passione Domini discredidit, & cecidit: ergo omnes alij. Ité Matt. 26. *Omnes vos scandalum patiemini in hac nocte.* Glos. *Prædicit, quid passuri sint, nec post euentum desperent, sed per pœnitentiam liberentur.* Item infra. *Relicto eo omnes fugierunt.* Item Petrus qui expressissimè fidẽ protestatus fuit, ter negauit: ergo multò fortiùs alij. Item Marc. 14. Quod *adolescens amictus syndone,* &c. Glos. *Quòd potest intelligi Ioannes fuisse:* ergo & Ioannes fugit. Item Ioan. 20. *Currebant duo simul,* &c. Et infra: *Tunc ergo introiuit, & ille Discipulus, qui venerat prius ad monumentum; & vidit, & credidit.* Et sic patet, quòd Ioannes non priùs credidit. Item de mulieribus. Bern: *Sic vos, ò bonæ mulieres, cui nam quæso, excubias exhibuistis, cui aromata comparastis? Vnguenta parastis? Si sciretis, quantus sit, quanquam sit inter mortuos liber mortuus iste quem vos tãgere vultis; vos forsitan poscoretis ab eo potiùs vos vngi. Nempè iste est, quẽ vnxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Beatæ eritis, si gloriari poteritis reuertentes: & dicere, quod de plenitudine eius accepimus.* Enim verò factum est ita. Nam vnctæ remeant, quæ vngere venerant missæ ab Angelo. Glo. *Opus faciunt Euangelistæ factæ Apostolæ Apostolorum ad annunciandam manè misericordiam Domini.* Ex his patet, quòd mulieres omnes *Ps. 91.* in passione discrediderant. Item, quòd Beatissima Virgo sola in fide permanserit tempore passionis, videtur posse subtiliter inueniri. Esai. 43. Cùm dicit: *Torcular calcaui solus. Et de gentibus nõ est vir mecum.* Si enim voluisset omnes homines excludere, sufficisset dicere: *Calcaui solus.* Et sic superfluum esset dicere, *de gẽtibus non est vir mecũ.* Item sic potiùs dixisset de gentibus nullus est mecum.

Ioan.20 *Esai.43*

cum. Quando verò tantùm viros excluſit, A conſtat, quòd aliquam fœminam reliquit, quam non excluſit: quæ torcular paſsionis ſecum ſuſtinuit, & calcauit. Item magis videbatur de mulieribus, quàm de viris, quod ſecum calcarent; quia illæ ſtabant iuxta crucem: ergo ſi noluit omnes excludere, potius debuiſſet illas expreſiſſe, de quibus videbatur in eſſe magis. Item addit Ambroſ. *Stabat iuxta crucem, non vt dolorem filij conſideraret, ſed vt ſalutem humani generis expectaret.* Ergo ipſa ſola ſtabat, & omnes alij, & aliæ fugierunt corde, vel corpore: ergo ipſa ſola communicauit Domino in paſsione, fide, & compaſsione. Item videtur, quòd communicatio paſsionis non debeat poni pro priuilegio: omne enim priuilegium aliquod debet importare commodum illi, cuius eſt priuilegium. Iſtud autem non videtur importare commodum, ſed tormentum. Item liberatio à pœna, eſt ſignum, & effectus dilectionis: ergo infligere pœnam non eſt ſignum dilectionis: ergo non eſt priuilegium. Contra Ioan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, &c.* Item 17. *Pater clarifica filium tuum.* Item Phil. 1. *Quibus datum eſt, non ſolùm, vt credatis in ipſum, ſed etiam vt patiamini pro ipſo.* Item ad Hæbr. 12. *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit, &c.* Item Iacob. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Item Actor. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Ex his omnibus manifeſtum eſt, quòd communicatio paſsionis, eſt priuilegium. Item quòd paſsionem ſuſtinuerit Beatiſsima Virgo, patet per Damaſ. qui dicit: Quòd dolores, quos effugit pariens, in Chriſti paſsione ſuſtinuit. Item Luc. 2. *Et tuã ipſius animam pertranſiuit gladius.* Item Eſai. vlt. *Antequam parturiret, peperit: & antequam veniret partus eius, peperit maſculum.* Ex hoc ſequitur, quòd aliquando peperit ſine parturitione, & ſine dolore; & poſtmodum ſequitur ibidem: *Numquid parturiet terra vno die, an parturiet omnem gentem ſimul; quia parturiuit, & peperit.* Ergo aliquando peperit gentem ſimul, & cum parturitione, & dolore. Primo ergò peperit filium ſuum primogenitum ſine dolore in ſua natiuitate. Poſteà peperit gentem ſimul in filij paſsione, vbi facta fuit ei in *adiutorium ſimile ſibi.* Vnde ipſa Mater miſericordiæ Patrem miſericordiarum in ſummo opere miſericordiæ adiuuit; & vna ſecum omnes homines regeneranit; & hæc regeneratio cum ſummo dolore vtriuſque fuit. Vnde Gloſſ. ibidem: *Poſt multo labore in fide genuit.* Ex his patet, quòd pater miſericordiarum ſoli Matri miſericordiarum opus ſummæ miſericordiæ, id eſt, paſsionem communicauit.

Ambroſ. *Ioan. 18.* *Phil. 1.* *Hæb. 12* *Iacob. 1.* *Actor. 5* *Damaſ.* *Lucæ 2.* *Eſa. vlt.* *Gen. 1.*

Vtrùm in paſsione habuit ſummum gaudium, & dolorem.

CAP. 188.

Quæritur iuxta hoc: An ſicut Dominus in paſsione ſimul habuit ſummum gaudium, & ſummum dolorem, ita Beatiſsima Virgo in mul habuerit vtrumque: & videtur, quòd ſic. In ipſo enim fuit vtrumque, ſi enim communicaſſet Matri alterum tantùm, non fuiſſet æquum conſortium. Item dolor non eſt meritorius ſine dilectione. Apoſtolus 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam,* 1. Co. 13 *charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Sed impoſsibile eſt dilectionem eſſe ſine delectatione: ergo ſimul habuit dolorem, & delectationem: ergo, & ſummum dolorem habere potuit cum ſumma delectatione. B

Item quod ibi fuit ſummus dolor; probatur: omnis dolor eſt ex amore; amor autem triplex eſt, ſcilicet, naturalis, acquiſitus, & gratuitus. Naturalis in ſummo fuit; ibi: Quia quãtò natura nobilior, tãtò nobiliores habet affectiones, & operationes, ſed ipſa habuit ſummè nobilẽ amorẽ naturalẽ. Itẽ acquiſitus in ſummo. Omnes enim cauſę accidentales, quæ inducunt matrem ad diligendum filium ſuum, hic fuerunt in ſummo. Nunquam enim filius alius matrem ſuam tantùm dilexit, & tantùm honorauit, vel tantùm dedit, vel pro ipſa ſuſtinuit. Et ſic de ſingulis cauſis accidentalibus dilectionis: ergo amor ibi acquiſitus in ſummo fuit. Item gratuitus ibi in ſummo fuit; quia nunquam alia mater, vel alia creatura tantam charitatem habuit, vt ſupra patuit: & ſic Beatiſsima Virgo ad filium ſuum in ſummo habuit amorem naturalem, acquiſitum, & gratuitum: ergo ſi iſti tres habitus amoris ſimul eliciant vnum motum amoris in ſummo, illa erit intentiſsima dilectio, & dolor illi reſpondens, erit dolor in ſummo. Sed tàm naturalis, quàm acquiſita, & quàm infuſa dilectio reſpectu illius, ita eſt intenſa, ſicut reſpectu vitę delectatio: ergo naturalis, acquiſitus, & infuſus amor diligit vitam in dilecto: ergo, & de morte dilecti dolet in ſummo: ergo cùm Beatiſsima Virgo reſpectu filij ſui habuerit omnifariam dilectionem in ſummo, conſtat, quòd de morte ipſius habuit omnifarium dolorem in ſummo. C D

Item, quòd fuerit ibi gaudium, ſiue delectatio in ſummo, ſic probatur. Dilectio gaudet de bono dilecti, & de maiori bono dilecti magis gaudet: ergo de bono dilecti in ſummo, gaudet in ſummo. Sed ſi charitas eſt dilectio Dei, & proximi; charitas in ſummo gaudet in ſummo: ſed ſummus honor Dei, &

pro-

proximi vtilitas fuit in passione, & per passionē in summo; & Beatissima Virgo habuit charitatē in sūmo: ergo tūc gaudebat in summo: ergo simul habuit dolorem, & gaudium in summo. Item ex dilectione est compassio: ergo vbi improportionabilis dilectio, ibi improportionabilis compassio ergo vbi videtur dilectio in summo, & compassio in summo. Item, maius est gaudium Angelorum, quòd habent de vnius peccatoris conuersione, quàm aliquod gaudium huius vitæ: ergo ex æquali, vel maiori charitate improportionabiliter erit maius gaudium de omnium peccatorum conuersione, quàm aliquod gaudium huius vitæ. Item Angeli de Passione Domini habuerunt delectationem, & non compassionem; aliqui mali compassionem, & non delectationem: ergo ipsa debuit vtrumque habere.

Item Beata Virgo communicauit recreationi; sed recreatio fuit per passionem: ergo, & passio fuit ei communicata. Item Bern. *Longè eam plus, quàm matrem censemus.* &c. Vt supra. *Bern.*

Contra hoc obijcitur in hunc modum: Summus dolor, & summum gaudium opponuntur: ergo non sunt simul in eodem. Si dicatur; quòd dolor de morte filij: & gaudium de salute generis humani non opponuntur. Tunc ad hoc obijcitur, quòd motus maiores impediunt minores: ergo videtur impossibile; & quando anima tota quasi absorbetur dolore, tunc in summo tripudiet, & exultet in amore, & delectatione. Item in dolore anima conuertitur super malum, in quantum malum; in gaudio, super bonum, in quantum bonum. Sed impossibile est animam conuerti, simul super diuersa tanquam terminos: ergo impossibile est animam simul gaudere, & dolere.

De Gaudijs Beatissimæ Virginis, quæ habuit in passione, & de comparatione eorum.

CAP. 189.

Postquam probatum est, quòd Beatissima Virgo summum gaudium habuit in passione filij. Quæritur de comparatione huius gaudi, quod habuit in passione ad alia gaudia sua: quando scilicet maximum habuit gaudium. Et videtur primo, quòd in filij conceptione, ac sui ratione, ex bono, est gaudium. Iob 3. *Quasi, effodientes thesaurum; gaudensque vehementer cùm inuenerit sepulchrum*: ergo ex summo bono, summum gaudium; sed in conceptione accepit summum gaudium. Cùm enim Deus Pater filium suum dedit, quomodo non cum illo omnia nobis donauit? Ergo tunc summum gaudium habuit. Item tunc tantùm legitur cantasse canticum exultationis. Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum*, &c. Ergo tunc maximè videtur gauisa fuisse. Item ablatio væ est causa lætitiæ, sed tunc, vt dictum est supra: ablatum fuit ei omni væ: ergo tunc summam habuit causam lætitiæ. Item nouitas est causa gaudij, Luc. 15. *Fili tu semper mecum es, &c. Epulari*, &c. Ergo videtur à simili, quòd Beatissima Virgo in nouitate conceptionis maximum effectum gaudij habuit. Item tunc, cum summo conferibili dono accepit causam, & meritum ad omnia dona necessariò conferenda: ergo tunc summam habuit causam gaudij: ergo & summū effectum gaudij. E conuerso autem videtur, quòd in natiuitate filij maius habuit gaudium, hac ratione: si natiuitas, vel generatio fuerit perfectior, erit causa perfectioris, & plenioris gaudij; sed perfectior, & plenior est natiuitas, & generatio ex vtero, quàm in vtero: ergo perfectiùs, & pleniùs, & maiùs fuit gaudium natiuitatis, quàm conceptionis. Item illa die dixit Angelus, Luc. 2. *Euangelizo vobis gaudium magnum; quia natus est nobis hodie Saluator*. Si ergo natiuitas Saluatoris causa est gaudij: ergo illi, qui habet improportionabiliter propinquiorem comparationem ad Saluatorem, quàm omnes alij, erit improportionabiliter maior causa gaudij. Hæc autem est Mater Saluatoris: ergo illa die summum habuit gaudium. Item Ioan. 16. *Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit præsuræ, propter gaudium; quia natus est homo in mundo.* Item de Ioanne. Luc. 1. *Et multi in natiuitate eius gaudebunt*. Ergo maiùs videtur gaudium pertinere ad natiuitatem, quàm ad conceptionem. Item in conceptione ipsam delectationem tantùm videbat, visu intellectuali; in natiuitate verò, & sensuali, & intellectuali: ergo tunc tantùm reficiebatur intellectus; nunc autem intellectus, & sensus: ergo tunc tantùm gaudium fuit; nunc autem lætitia, & exultatio: ergo maiùs gaudium. Item similiùs fuit gaudio patriæ, vbi oculus corporis reficitur in domini humanitate, & oculus cordis in ipsius diuinitate; sed meliori, & honorabiliori * filius est meliùs, & honorabiliùs: ergo nobiliùs fuit gaudium natiuitatis, quā conceptionis. Item bonum additum bono maius facit bonum: ergo magis dilectionem: ergo maiorem delectationem: sed conceptio est bonum, partus est bonum: ergo bonum duplicatum duplicat delectationem: ergo gaudium, quod fuit in conceptione, duplicatum fuit in natiuitate. Item priùs gaudebat se Virginem concepisse. Post gaudebat se Virginem concepisse, & Virginem peperisse; & Virginem lactare: ergo modò maximum habuit

Iob 3. *Luc.* 1. *Luc.* 15. *Luc.* 2. *Ioan.* 16. *Luc.* 1.

buit gaudium. E contra autem videtur, quòd A maius habuit gaudium in filij passione; quia vt dictum est supra; ipsa nunquam de aliquo gauisa fuit tantùm, quantùm de honore Dei, & salute proximi; sed vtrumque fuit in passione in summo: ergo tunc habuit gaudiũ in summo. Item charitas gaudet de bono dilecti. Triplex autem est bonum: honestum, vtile, & delectabile, & quodlibet istorum in passione Domini, respectu sui fuit in summo. Vnde ipse appellat passionem suam claritatem, dicens Ioan. 12. *Clarifica me Pater*, propter honorem, scilicet, quem summum habuit per passionem. *Propter quam Deus exaltauit illum; & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Appellat etiam eam cibum, & B potum, propter delectationem, quam in summo effectu tunc habuit. Nunquam enim in aliquo creato tantùm delectatus fuit, quantùm in redemptione generis humani per passionem. Appellat etiam eam donum, dicens: *Calicem, quem dedit mihi Pater*, propter suum luchrum; quod mediante passione acquisiuit, per quam omnia ad se traxit. Sic ergo quodlibet genus boni ipsius dilecti in passione fuit in summo: ergo, & in diligente, tunc summa fuit delectatio. Itẽ motiuum affectus, & generatiuum delectationis non est nisi bonum. Bonum autem aliud creatum, aliud increatum: ergo si vtrumque in summo mouebat affectũ, rectè dispositum; vtrũque causabat delectationem in summo. Bonum autem increatum semper est in summo in se; sed non semper in summo, ostensione, & exhibitione. Ipso testãte, cùm ait Ioan. 15. *Maiorem hanc dilectionem nemo habet*, &c, Item summus effectus boni est redemptio generis humani: ergo summum bonum increatum, & summum bonum creatum in passione, simul mouebat affectum Beatissimæ Virginis optimè dispositum: ergo tunc habuit summum gaudium. Item in cõceptione fuit Mater Dei, & hominis in vtero; in natiuitate fuit Mater Dei, & hominis ex vtero; in passione verò Marer Dei, & hominis redemptoris. Vndè, quæ prius fuit Mater Creatoris, modò esset Mater Redemptoris: ergo duplicatum est bonum, & donum; ergo & gaudiũ. Item in conceptione, & in natiuitate facta fuit mater tantùm vnius Dei, & hominis: in passione verò facta fuit mater omnium hominum: ergo tunc multiplicatum, & maius habuit gaudium. Item finis melior, & nobilior est his, quæ sunt ad finem: ergo quòd fini propinquiùs est, melius, & nobiliùs est; sed conceptio est propter natiuitatem; natiuitas propter passionem; passio propter redemptionem: ergo passio fini propinquior: ergo melior: ergo maius delectamentum: ergo tũc maius gaudium. Quod autem in resurrectione filij maximum habuit gaudium, videtur; quoniam effectus dilectionis, est flere cũ flente, & gaudere cũ gaudente, iuxta illud Ioan. 14. *Si diligeritis me, gauderetis vtique*, &c. Sed dominus summum habuit gaudium in resurrectione, quando gaudebat anima cum corpore & deitate: ergo & domina nostra debuit tunc gaudere in summo. Item Apostolus Rom. 4. *Quod mortuus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram*: ergo ex parte nostri resurrectio propinquior fuit fini: ergo maior causa gaudij. Item tunc specialiter etiam vtitur hac exultatione. *Hæc est dies, quam fecit dominus, exultemus, & lætemur in ea.* Itẽ in festo illo plus cãtat Ecclesia, Alleluia, quàm in alio festo. Ergo videtur, quòd cantus illius festi maximè sit causa gaudij. Item resurrectio Christi est causa, & exemplar illius vitæ, in qua summa est exultatio: ergo illud festũ propinquissimũ est summo gaudio: ergo tũc debet esse in hac vita summum gaudium. Itẽ Beata Virgo plus dilexit filium, quàm totum mundum: ergo plus gauisa fuit de bono filij, quàm totius mundi. Sed bonum mundi, & pœna Christi fuit in passione. Bonum autem Christi, scilicet liberatio ab omni pœna fuit in resurrectione: ergo plus fuit gauisa de resurrectione, quàm de passione. Videtur autem, quòd maximum gaudium habuit in ascensione Christi. Tunc enim Filius Dei, primò videtur habuisse festum perfectum, & C gaudium. Tunc enim primò in reportatione, in humeris suis conuocat amicos, dicens: *Congratulamini, & congaudete mihi.* Luc. 15. &c. Itẽ tunc pater proprio filio prodigo, fecit festum cum amicis suis, Luc. 15. Item nunc primo redijt, de exilio in palatium. Itẽ tunc primo ianua aperta est, & homo introductus. Item tunc primo redemptio completa est; & diuina iam in parte restaurata est. Item tunc primo maximus honor filio, & matri exhibitus est, quando caro sua supra Angelos exaltata est. Item tunc primò, quãtum ad manifestationem datum est ei nomẽ, quod est super omne nomen. Cùm igitur in ascensione fuerit completissimus effectus boni, & propinquissimus fini. Videtur, quòd D tunc maximum gaudium habuerit Beatissima Virgo. Adhuc autem videtur magis his omnibus, quòd habuit maximum gaudium in sui ipsius assumptione. Tunc enim perfectè habuit gaudium fruitionis, ante non. Itẽ illud gaudium nullam compatitur secum tristitiam, vel pœnam, sicut omnia prædicta: ergo videtur maius omnibus illis. Item illud secundùm statum patriæ, alia secundùm statum viæ. *Caminus eius in Hyerusalẽ, & ignis eius in Syon.* Esai. 31. Item maius est, esse Beatum, quàm esse Matrem Dei; si alterum separaretur ab altero: ergo Beatissima Virgo, maius accepit in sua assumptione gaudium,

Ioan. 17 *Phil.* 2. *Ioan.* 18 *Ioan.* 15 *Rom.* 4. *Luc.* 15. *Luc.* 15. *Esai.* 31

dium, quàm in filij natiuitate: ergo maius gaudium habuit tunc, quàm anteà.

Contra hæc omnia; & primo de gaudio conceptionis obijcitur in hũc modum. Quo dato, datur reliquum, & non conuertitur, maius est illo. Sed dato, quod sit Mater Dei, datur habitudo fruitionis, & non è contrario: ergo gaudium conceptionis maiùs est gaudio fruitionis: ergo est maius omnibus alijs. Quia quidquid est maius maiore, maius est minore. Ad hęc soluenda dicimus, quòd hoc priuilegium, quod dicitur communicatio passionis, duo importat, scilicet; fidem Crucifixi Dei, & hominis, & per se passionem, ex compassione patientis. Et fuit quadruplex diuersitas respectu Dominicæ Passionis. Quidam, nec habebant fidem, nec compassionem, sicut infideles insultantes, blasphemantes, & illudentes, & dæmones. Quidã cõpassionem, sed non fidẽ; vt Apostoli, & mulieres illę, quibus dictũ est Luc. 24. *Filiæ* *Luc. 24* *Hyerusalem, nolite flere super me*, &c. Quidam fidem, siue cognitionem. Sed compassionem, vt Angeli, & alij extra statum viæ positi; vt latro, qui fidem, & non compassionem per se; & hoc circumdatus propria passione. Sola autem Virgo tunc habuit, & fidem Crucifixi Dei, & hominis, & per se passionem, ex compassione patientis; & sic sola fuit, cui datum fuit hoc priuilegium, scilicet, communicatio passionis. Qui filius, vt dare posset præmium, voluit communicare meritum passionis, & vt ipsam participem faceret beneficij redemptionis, quatenus, sicut fuit adiutrix redemptoris per compassionẽ; ita fieret mater omnium per creationem; & sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita & Dominus omnium per compassionem.

Contra hæc obiecta, per obiecta in contrarium sunt soluta. Concedimus enim, quòd sicut Dominus simul habuit summum gaudium, & summum dolorem, sic & domina nostra habuit simul summam compassionem, & cõgratulationẽ; compassione existente in natura simul, & in ratione, vt natura. Congratulatione autem existente in ratione, vt ratione. Et intelligantur hæc verba, sicut in materia Dominicæ passionis. Vel dicatur, quòd summum tristabile in tali genere, est accipere dupliciter. Vno modo, vt contrarium summæ appetitiui; & sic infert summum dolorem. Alio modo, pro vt est via, & medium ad summum delectabile; & sic infert summum gaudium. Et sic anima Beatæ Virginis apprehendit mortem filij, vt summè contrariam appetitiui: & sic summum intulit ei dolorem. Et apprehendit etiam, vt medium in redemptione humani generis. Et sic communicauit in ea summam delectationẽ: & possunt hæc simul esse; quia vnum est materia ad alterum, vel secundum alterum modum, viæ in alterum, & medium in ipsum. Quod autem obijcitur de comparatione gaudiorum, sic respondemus. Si enim fiat comparatio, quod secundum posteriùs includit in se prius, sic nulla est quæstio. Vt si quęratur an vnum sit plura, quàm duo, vel duo quã tria. Natiuitas enim includit in se conceptionem, passio natiuitatem, & sic de alijs, & sic ordinatur ad se inuicem, secundùm superadditionem. Et sic magnum fuit gaudium cõceptionis, maius natiuitatis, & adhuc maius passionis, & sic vlteriùs.

Si autem fiat comparatio per oppositum, & separationem. Ita quod posterius accipiatur per se sine intellectu prioris; & sic comparẽtur: sic dico, quòd gaudium, quod habuit in conceptione, maius fuit omnibus gaudijs vitæ, & viæ. Quia tunc accepit, & maius bonum, & certitudinem omnium aliorum suo tempore conferendorum, & differunt gaudia viæ hoc modo. Gaudium, nihil aliud est, quàm delectatio in bono, vel de bono. Est autem bonum Dei, bonum sui, & bonum proximi. In resurrectione ergo, & ascensione est bonum Dei; & sic etiam posset poni gaudiũ passionis summum, quod habuit pro bono proximi. Similiter autem gaudium conceptionis summum fuit, quod omnia alia causaliter in se claudit. Gaudium autem in conceptione, & gaudium in assumptione se habent, vt excedentia, & excessa: gaudium enim conceptionis maius fuit causaliter, gaudium assumptionis actualiter. In cõceptione enim maior fuit bonitatis ostensio: maioris doni collatio, maior delectationis exhibitio, & hæc omnia causaliter. In assumptione fuit maior doni collatio, maior affectus exaltatio, & deificatio: maior cum dilecto coniunctio actualiter. Et posset poni simile de istorum gaudiorum comparatione: vt si aliquis haberet pignus pro centum marcis obligatũ; & aliquis daret nonaginta marcas, ad pignoris solutionem, faciens ipsi pigno ratitiã cautionem, quod temporibus determinatis daret sibi decem, ita quod quolibet tempore duas. Tunc secũda datio propinquius, & plus disponet ad pignoris solutionem, quàm prima, & tertia, quàm secunda. Et sic vsque ad quintam, quæ pignus soluit: & tamen prima datio plus alijs contulit dupliciter, & quia plus datum fuit, & quia de alijs dandis securum fecit; similiter in proposito, quando dominus Beatissimæ Virginij, vt Mater Dei fieret in vtero, tribuit. Tunc etiam tribuit, quod de ipsa Virgine Deus nasceretur, & passione sua humanum genus redimeret: & tertia die resurgeret, in cœlum ascenderet, & quod ipsam in summam fruitionem in corpore, & anima assumeret securauit.

Quod

Quòd super omnem creaturam in quarta Hierarchia exaltata est.

CAP. 190.

Vltimo quæritur de illo priuilegio, quod est super omnem creaturam in quarta Hierarchia exaltari. Et videtur; quòd Beatissima Virgo vltra tertiam Hierarchiam, in quarta non sit exaltata. Primò, quia in parabola, vbi agitur de reparatione generis humani Luc. 15. dicitur. Quod decima *dragma* est inuenta, quæ fuerat *perdita*. Ergo videtur, quòd tantùm in id fuit restauratio, ex quo facta est perditio; sed tantum ex hierarchijs tribus, fuit casus, & perditio. Ergo tantùm in illas erit redditus; & restauratio tantum in illas tres. Item alia parabola dicitur in Iudith in figura Dominæ nostræ. Iudith 13. *Subuenisti ruinæ ante conspectum Domini.* Sed ruina tantùm ex illis tribus Hierarchijs: ergo subuentio, & restauratio tantùm in illas tres. Item alia parabola Luc. 15. *Qui habet centum oues, &c.* Gloss. *Deus pastor, cuius vos cẽtesima ouis. Si centessima est de numero aliarũ nonaginta, & consortio.* Ergo homo pertinet ad aliquẽ ordinem Angelorũ. Item Hierarchia humana est sub Angelica: ergo supremus de humana est sub infimo de Angelica: ergo nullus homo est super choros Angelorum. Ad idem facit, quod ipse in passione permisit, vt dicitur Luc. 22. Quod astitit Angelus de cœlo *confortans eum.* Per quod, vt dicit Dionysius, constat naturam humanam Angelicæ esse naturaliter subiectam, sed sicut simpliciter ad simpliciter, ita summum ad summum: ergo si Angelus super hominem: ergo nullus homo est super Angelos. Item Gen. 2. *Requieuit Dominus ab omni opere, quod patrarat.* Sed tunc non fuit quarta Hierarchia: ergo nec modo. Item Ecclesia Cantat: *Gaudent chori Angelorum consortes, & conciuis nostri.* Si conciues, & consortes: ergo in eadem Hierarchia. Item Hierarchia est sacer principatus; sed princeps in eadem ciuitate, & regno cum suis subditis est: ergo regina Angelorum in eadem est mansione cum Angelis. Item Augustinus. *Minimè dubitem reptam à carnis sensibus hominis mentem, etiam post mortem ipsa carne depurata, videre Deum, sicut vident Angeli.* Et vult, quòd inferioris gradus est cognitio hominis, quàm Angeli. Sed penes illam cognitionem est ordo, ergo homo est inferioris ordinis, quàm Angelus: ergo supremus ordo est sub supremo Angelo. Item Hierarchia Angelica descendit per exemplaritatem à diuina. Sed in diuina sunt tantùm tres Hierarchiæ: ergo non erit quarta. Item filius est in Hierarchia diuina: ergo si Beatissima Virgo non est in vna Hierarchia Angelica, sola erit in vna: sed vbi tantùm est vna, vel vnum, ibi non est ordo; vbi non est ordo, ibi non est Hierarchia: ergo non potest sola habere vnam Hierarchiam. Item Dionysius dicit: quòd in qualibet Hierarquiarum sunt prima, & media, & vltima: ergo ipsa non erit in vna Hierarchia. Item ipsa est mediũ inter alias creaturas, & Deum, sed medium non habet medium, & vltimum: ergo non facit Hierarchiam per se.

Contra Hieronymus, & omnes Sancti, & ipsa vniuersalis Mater Ecclesia solemniter cantat: quod ipsa est exaltata super choros Angelorum. Inde sic: omnes chori Angelorum sunt de aliqua Hierarchia, sed ipsa exaltata est super choros Angelorũ: ergo ipsa est super omnes Hierarchias Angelorum; vel directè quidquid est in aliqua hierarchia, est in aliquo choro: ergo quod non est in aliquo choro, non est in aliqua Hierarchia: sed quidquid est super omnes choros, nõ est in aliquo choro: ergo quidquid est super choros, non est in aliqua Hierarchia. Item plus distat Beata Virgo à Seraphin in dignitate, & gloria, quàm Seraphin super Cherubin: sed propter excellentiam dignitatis ordinatur super Cherubin Seraphin vno ordine: ergo Beatissima Virgo erit super Seraphin ad minus vno ordine: Ergo super Hierarchiam Angelorum. Item improportionabiliter plus differt domina à seruo, quàm seruus à seruo. Sed Seraphin se habet ad Cherubin, vt seruus ad seruum; domina ad Seraphin, vt Regina sua, & omnium Angelorum: ergo improportionabiliter plus est ipsa super Seraphin, quàm Seraphin super Cherubin: ergo est in alio ordine super ipsum: sed Seraphin est supremus ordo Angelorum: ergo ipsa est super omnes Hierarchias Angelorum. Item Rex, & Regina, ab eadem denominantur dignitate, & regno, ac principatu. Ab eodem enim regno dicitur Rex Frãciæ, & Regina Franciæ, & sic de alijs: ergo ab eodẽ dicitur Rex cœlorũ, & Regina cœlorum: sed sua dignitas regalis improportionabiliter est super omnes dignitates Angelorum, & principatus: ergo, & dignitas principatus reginæ cœlorum, est super omnes choros Angelorum. Item 3. Reg. 2. *Positus est thronus matris regis iuxta thronum Regis.* Sed constat, quòd thronus Regis est improportionabiliter super omnes choros Angelorum: ergo, & thronus matris Regis. Item ipsa est Regina propter filium, & dicitur Regina à regno filij, sed illud est increatum, & æternum. Ergo ipsa est regina à regno æterno. Itẽ alij homines possunt peruenire ad Seraphin; nullus autem ad dignitatem, vel statum Beatissimæ Virginis: ergo est super Seraphin. Item status gloriæ, est eleuatus super statum innocentiæ in corporibus: ergo, & animabus; sed si homo stetisset

3. Reg. 2.

aliquis

aliquis sumptus fuisset ad Seraphin: ergo aliquis modò super ipsos debet eleuari.

Ad idem sunt sanctorum auctoritates. Augst. *Sed de te, ò Virgo MARIA, quid dicam pauper ingenio, cùm quidquid dixero minor laus est, quàm tua dignitas mereatur. Si cœlum appellem, altiores. Si Matrem gentium dicam, excellis. Si formam Dei appellem, digna existis. Si Dominam Angelorum vocem, per omnia probaris:* Si ergo Domina Angelorum; ergo es super omnes Angelos. Hieron. Item Hieronymus. *Hæc est dies præclara, in qua meruit exaltari super choros Angelorum, & peruenire, vltra quam nostræ humanitatis est natura, vbi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur, cùm eleuatur ad dexteram Patris, vbi Christus pro nobis introiuit Pontifex factus in æternum ad cœli palatium: ergo est exaltata vltra quam humanæ naturæ sit licitum, vbi Christus introiuit.* Ergo super omnes Hierarchias Angelorum. Item Hieronymus. Hieron. *Hæc est, inquam, dies, in qua vsque ad Throni celsitudinem intemerata Mater, & Virgo processit, atque in Regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit. Sic itaque vbique confidenter Sanctam Dei canit Ecclesia, quod de nullo alio sanctorum fas est credere, vt vltra Angelorum, & Archangelorum dignitatem merito transcenderent. Quia & si similitudo sanctis repromittitur, veritas negatur.* Et infrà. *Beata itaque non temere super choros Angelorum exaltata deuotissimè prædicatur hodie; quia præcessit eam Dominus, ac Saluator ad cœlestia, vt præpararet, & in æthereis mansionibus locum.* Ex his patet, quòd æqualiter Beatissima Virgo super omnes ordines, & tres Hierarchias Angelorum in quartam, & nonam cum filio Hierarchiã, est specialiter exaltata. Item Hieron. ad idẽ. Idem. *Creditur enim, quòd Saluator omniũ per se quantũ datur intelligi, festiuus totus occurrerit, & cum gaudio eam secũ in Throno collocauerit. Alias autẽ, quomodo impleuisse creditur, quod in lege ipse præcepit.* Exo. 20. Exod. 20. *Honora, inquit, Patrẽ tuum, & Matrẽ tuã.* Et hoc patet quòd etiã ipsam in Throno secum collocauerit. Vnde Aug. August. *Tibi Thronus gloriæ Regis collocatur in aula Regni; teque ipse Rex gloriæ, vt Matrẽ veram, & decorã Sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu associat sibi.* Ex hac auctoritate quatuor sequũtur cõclusiones. Si positus est ei Thronus Regis: ergo idem suus Thronus, & Regis dicitur: ergo super omnes Thronos. Itẽ si Mater Regis, ergo iuxta Regẽ. Item si Spõsa Regis: ergo iuxta Regem. Item si ipsam improportionabiliter plùs omnibus creaturis diligit: ergo improportionabiliter omnibus collocauit. Item sicut in corporalibus, ita & in spiritualibus nihil est vacuũ, sed inter Deũ & creaturam; medium esse est creatura vnita, similiter intereſſe purã creaturã, & esse creaturã vnitã; medium est esse creaturã, de qua sumitur, quòd nascitur illud, quod vnitur; & hoc est Beatissima Virgo: ergo ipsa est mediũ inter creaturas, & filiũ: ergo ei debetur medius status. Itẽ vna est maiestas Regni cœlorũ, in quo Deus Trinitas Rex est, & ipsa Regina: ergo sua dignitas est super omnẽ creaturam. Item, *à summo cœlo egressio eius*, ad cœlum Thrinitatis, sed ipsa est à dextris filij: ergo in cœlo Trinitatis: ergo super cœlũ Angelorum. Item Marc. 16. *Dominus quidem IESVS, postquam locutus est eis, ascendit ad cœlum, & sedet ad dexteram Patris.* Ibi dicit Gloss. *In potioribus bonis Patris.* Sed Regina stat à dextris filij. Glossemus similiter: ergo ipsa est in potissimis bonis Regni cœlorum: ergo ipsa est cum filio super omnes, qui sunt in Regno cœlorum, vel vnquam futuri sunt. Psal. 18 Mar. 16

Vtrùm habuit Beata Virgo proprietates omnium Angelorum.
CAP. 191.

Iuxta hoc quæritur cùm dicat Beatus Dionysius, quòd proprietates inferiorum habẽt superiores cum excellentia, & Beatissima Virgo sit super omnes ordines Angelorum: vtrùm habeat omnes proprietates omnium Angelorum. Quod videtur sic; & primo de proprietatibus communibus, quæ omnibus Angelis conueniunt; post de proprietatibus, quæ singulis ordinibus propriè insunt. Prima ergo communis proprietas est nunciatio, quæ omnibus conuenit, à qua, & omnes Angeli dicuntur. Quod autem hæc Beatissimæ Virgini conueniat, & cum excellentia ex hoc patet; quia omnes Angeli nunciant per verba creata; ipsa autem per verbum increatũ. Hanc autem proprietatem ponit Apostolus ad Heb. 1. cùm dicit. *Omnes administratorij Spiritus in ministeriũ missi propter eos, qui hæreditatẽ capiunt salutis.* Heb. 2. Aliam ponit Dionys. in 11. ca. cœlestis Hierar. dicens. *Diuidũtur super mundana ratione omnes diuini intellectus; in essentiã, in virtutẽ, in operationẽ.* Dionys. Beatissima autẽ Virgo immediatè se habet ad primũ esse: ergo summè habet esse similiter ad superiùs, esse sequitur superior virtus, & operatio: ergo ipsa inter omnes creaturas habet hęc omnia tria in summo. Itẽ Dionys. de cœlesti Hierar. *Iuxta enim sæpè à nobis redditã rationẽ, ipse quidẽ superfirmatè disponens abũdander habẽt minorum sacras proprietates; vltima vero maiorũ, suppositas vniuersitates nõ habẽt particulariter in eas. Post apparẽtibus illuminationibus proprias eis proportionabiliter distributas.* Dionys. Ergo cùm Beatissima Virgo superior sit omnibus cœlẽstibus dispositionibus, ipsa habet proprietates omniũ abũdãter. Item vna proprietas cõmu-

nis est illa, quã ponit Dionys. in pluribus locis. Purgatio, illuminatio, perfectio; sed has Beatissima Virgo in summo habuit, vt patet: ipsa enim puritate nitebat, qua sub Deo maior nequit intelligi. Sed ad maiorẽ purgationẽ, sequitur maior illuminatio; & ad maiorẽ illuminationẽ maior perfectio: ergo hęc tria in ea erãt in summo. Itẽ Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quod etiam hæ duæ proprietates similiter cum excellentia in ea fuerũt: sic patet. Augustin. in homil. super illud Euangel. Luc. 10. *Intrauit IESVS in quoddam castellum;* sic dicit: *sicut Mater Dei est singulariter; ita & istarũ virtutum effectus, quarũ ista sorores typum tenent in ea, extitit singularis. Nũquam in aliqua persona, Marta sic operata est, nunquam sic MARIA contemplationi vacauit.* Et infrà. *Vt breuiter sex illa misericordiæ opera percurramus. Hæc Virgo Dei Filiũ hospitem suscepit; nudũ carne, & pannis cooperuit, esurientẽ pauit, sitientẽ lacte potauit; infirmum per infantiã & iacentẽ nõ solũ visitauit sed etiam balneãdo, & foueãdo frequentauit, vt merito de ipso dicatur; Marta satagebat circa frequens mysterium.* Ex his patet, quòd ministrabat in summo, quod etiã astiterit per cõtẽplationẽ in summo. Per idem patet, quòd subiungit ibid. Aug. *Porrò de parte MARIÆ, quæ optimè prædicatur, quæ, & quãta, & qualis fuerit in Beatissima Virgine MARIA, quis dignè eloquatur. O quã magna multitudo dulcedinis Dei fuit in Beatissima Virgine MARIA, quãdo Spiritus Sanctus superuenit in eã: & virtus altissimi obũbrauit ei: & de eodẽ Spiritu sancto concepit! Quid de eo sapiebat, in qua Dei sapientia latebat, & in cuius vtero corpus sibi adaptabat Christus: in MARIA ergo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. MARIA hæc nõ tantùm ad pedes, sed etiã ad caput Domini sedens, audiebat verbũ illius. Hæc conseruabat omnia verba hæc; Pastorum, Angelorum, magorũ; nec non & ipsius filij conferentis. Nemo vnquã sicut hæc Virgo Beata gustauit, quàm suauis est Dominus, inebriabatur ab vbertate domus suæ, & torrente voluptatis suæ potabatur. Nec mirũ quoniam apud ea, imò intra eã erat fons vitæ, de quo manabat tanta perfectio vtriusque vitæ.* Ex his patet, quòd Beatissima Virgo, & proprietatem ministrandi habuit in summo, & etiam assistẽdi. Itẽ Dionys. in cœlest. Hierar. 3. c. *Est quidem secundũ me ordo diuinus, scientia, & actio.* Et vult quòd hęc tria similiter sint in omnibus Angelis, ordo, ideſt, potestas; scientia, id est, operatio. Quod ergo hæc tria habuit Beatissima Virgo cũ excellẽtia, patet hoc modò. Potestas imperialis improportionabiliter est super omnẽ potestatẽ ministerialẽ; sed potestas eius est imperialis, omniũ Angelorũ potestas est ministerialis: ergo potestas eius est super omnẽ potestatẽ Angelorũ; sed imperfectè ordinatis ad maiorem potentiã, sequitur maior sciẽtia, & ad maiorẽ sciẽtiã, maior operatio: ergo hæc in Beatissima Virgine fuerunt in summo. Itẽ vna est proprietas cõmunis omnibus Angelicis: Matth. 18: *semper vident faciẽ Patris.* Hęc autẽ visio est tota merces. Sed merces Beatissimę Virginis est improportionabiliter superior mercedibus omniũ: ergo & visio superior est visionibus Angelorũ. Ex his patet, qualiter Beatissima Virgo habuit omnes communes proprietates Angelorum.

Dan. 7.

Augustin.

Luc. 10.

Augustin.

Psal. 99 35.

Dionys.

Mat. 18

Vtrùm habuerit proprietates singulorum ordinum. CAP. 192.

Deinde sequitur de singulis proprietatibus singulorũ ordinum, qualiter in ea omnes fuerũt, & cum improportionabili excellentia. Primus est ordo Angelorum, cuius tres inueniuntur proprietates. Vna quòd ordo ille immediatè ordinatur ad humanam Hierarchiã. Secunda; quia maximè noti nobis sunt illi de ordine Angelorũ. Tertia, quòd singuli singulos homines custodiunt. Prima harum cõuenit Beatissimę Virgini cum excellentia. Ipsa enim est super nos immediatior nobis, quàm Angeli; quia etiam cõuenit nobiscũ in natura. Vnde Angeli sunt nobis prælati; sed non fratres, vel filij. Ipsa autẽ, & prælata, & mater, & filia, & soror. Secunda etiam cõuenit ipsi cũ excellẽtia; Angeli enim noti sunt nobis tantùm per intelligentiam, & nos ipsis tãtùm per intelligentiam. Sed Beata Virgo nota est etiam per experientiam; quia ex nobis cognoscimus in ea, quę sunt proximę nostrę; similiter ipsa cognoscit humanam infirmitatem per experientiam. Non enim habemus Dominam, quæ non possit compati infirmitatibus nostris. Tertiã verò proprietatẽ etiã habet cum excellẽtia; Angeli enim custodiũt singuli singulos homines. Ipsa verò custodit vniuersaliter singulos, & singulariter vniuersos; singuli enim seruorum prę sunt sibi commissis. Dominæ autem, & Domini est custodia, & prouidẽtia vniuersalis; sic patet: qualiter ipsa habet cũ excellẽtia omnes proprietates Angelorũ. Secũdus est ordo Archangelorũ, qui similiter secũdũ Dionys. tres videtur habere proprietates. Prima à superioribus communicare. Secunda, super inferiores esse. Tertia ad superiora inferiores reducere. Primam harum habuit cum excellentia. Ipsa enim maximè communicauit à superioribus iuxta illud Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Id est plùs quàm in aliquẽ Sanctorũ veniet in te; alij enim sanctorũ acceperunt à superioribus gratiã creatam particulariter: ipsa autẽ creatam vniuersaliter, increatã singulariter. Secundã etiã habuit cũ excellẽtia.

Luc. 1.

Alij

Alij enim sunt super aliquos, & nullus super omnes. Ipsa est super omnes. Item Angeli, & alij sancti super alios sunt tantùm ex gratia. Ipsa autē ex gratia, iustitia, & natura. Naturaliter enim mater Regis est Regina; & Regina natura, est Regina iustitia, quæ est super omnes qui sunt in suo Regno. Tertiā quoque habuit etiā cum excellētia. Ipsa enim sola habuit omnes inferiores, & reduxit tanquā mediatrix recōciliationis; & adiutrix redēptionis; & Angelorū numerū restaurauit, & subuenit, *ruinæ ante conspectu Domini*; sicut dicitur de Iudith. 13. Et hominem lapsum reuocauit. Sic ergo habuit Beata Virgo omnes proprietates secundi ordinis cum excellētia in summo. Tertius est ordo principatuū, qui similiter tres habent proprietates. Prima est primi principij imitatio. Secunda est principalium virtutum ornatū. Tertia est inferiorum ad ipsum principificum principium reductiuum. Primam habuit Beatissima Virgo in summo. Imitatur enim primū principium in tribus, in mali immunitate iuxta illud, Sap. 6 *Incorruptio facit proximum Deo; in boni cōmunicatione. Mater enim omnium bonorū est. Venerunt mihi omnia bona, & innumerabilis honestas per manus illius*. Sicut dicitur Sap. 7. Item, in communicanda communitate, est enim *oliua speciosa in campis*. Sicut dicitur Eccl. 24. *Et præoccupat, qui se concupiscunt per circumquerentes dignos se*. Sicut dicitur Sap. 6. *Clama. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, &c.* Sicut dicitur Eccl. 24. Est ergo primi principij in summo imitatiua: secundam verò proprietatē, quę fuit principalium virtutū ornatus habuit in summo; quia habuit deiformissimas virtutes. Iuxta illud Eccl. 24. *Ego in altissimis habito*. Tertiam quoq; proprietatē Principatuū, quę fuit inferiorum ad principificū principium reductiuū habuit in summo. Ipsa enim de vltimo fecit primum, & de primo vltimum. Imò omnia, id est, omnē creaturā in homine reduxit ad principium, à quo exierunt ipsi se personaliter vniendo. Vnde ipsa est ista fortis mulier, de qua Prou. vlt. *Cuius pretium de vltimis finibus*. Id est, de humanitate, & diuinitate cōiunctis, hominē perditum redemit, & sic patet qualiter Beata Virgo omnes ordines primæ Hierarchiæ transijt transcendendo, singulorum ordinum singulas proprietates in summo possidendo.

Iudi. 13 — Sap. 6. — Sap. 7. — Eccl. 24 — Sap. 6. — Eccl. 24 — Eccl. 24 — Pro. vl.

A quia Virgo post, & ante in sua dignitate stās; secundam etiam habuit cum excellentia, quæ fuit ordinis Virginum inuentrix, & ordinatrix, & ordinum Angelorum reparatrix, & restauratrix. Fuit etiam actiuum in summo; habuit enim actus virtutum secundùm modum patriæ, quantùm ad perfectionem, & secundùm statum viæ, quantùm ad meriti conditionem. Fuit etiam vniuersaliter reductiuum per exemplum. Vnde & dicta est stella maris, & sic habuit proprietates in summo Potestatuum. Secundus ordo secundæ Hierarchiæ est ordo Virtutum, quarum tres sunt proprietates. Prima est incomunicabilis virilitas. Secunda est nullius imbecillitatis tarditas. Tertia est ad inferos largitas. Virilitas consistit in tribus: in resistentia contrarij: in aggressione ardui: in tollerantia mali. Hæc omnia in Beatissima Virgine fuerunt in summo. Resistentia contrarij. Ita enim omne contrarium nociuum, id est, peccatum vicit, quod ab ipso nunquam aliquid passa fuit. Angeli enim nunquam vicerunt, quia nunquam pugnauerunt. Itē, in aggressione ardui; id est, in altissima paupertate rerum; maxima carnis asperitate, summa cordis humilitate. Item in tollerantia contrarij, in aspertima filij passione. *Quando ipsius animam pertransiuit gladius*. In his omnibus Beata Virgo incommunicabilem virilitatem in summo possedit. Secunda proprietas virtutum fuit; nullius imbecillitatis tarditas. Hanc ipsam cum excellentia habuit. Quia eandem Angelicam vitam, quam Angeli sine onere carnis. Ipsa in carne cùm carne duxit, & cum sarcina carnis, illos sine sarcina ad manus brauium antecurrit. Tertia proprietas est, quæ fuit, ad inferiores largitas: hanc etiam habuit cum excellentia. Item illi dant dona Dei: ipsa dedit ipsum Deum. Item ipsi dant tantùm inferioribus. Ipsa autem superioribus, & inferioribus summum donum tribuit. Dedit enim mundo Deum: Deo mundum, cuilibet homini Regnum Cœlorum. Habuit ergo etiam proprietates virtutum Beatissima Virgo in summo. Vltimus in secunda Hierarchia est ordo Dominationum, quarum proprietates ponit Beatus Dionysius in cœlesti Hierarch. capit. 8. in hæc verba. *Sanctarum Dominationum manifestiuam nominationem existimo declarare, absolutam quādam, & ab omni pedestri minoratione liberam anagogem. Nullamque tyrannicarum dissimilitudinum: nullo modo eam vniuersaliter inclinatam; liberaliter seueram dominationem omni misericordiæ seruituti suppositam superiorem subiectione omni; & remotam ab vniuersali dissimilitudine dominationis incessanter appetentem; & ad illius ipsius naturaliter subsistentis virtutis simi-* Luc. 2. — Dionys.

De Proprietatibus secundæ Hierarchiæ. CAP. 193.

Iam ergo de secunda Hierarchia videamus, in qua primus est ordo Potestatuum; cuius quoq, tres sunt proprietates. Prima est sui ordinis, & dignitatis custoditiuū. Secunda aliorum ordinatiuum. Tertia actiuum, & vniuersaliter reductiuū. Primam habuit in summo;

litudinem, quantùm possibile est. Et se ipsam, & quæ postea sunt optimè, & speciosè conformantem ad nullum vana videntium, sed ad propriè existens vniuersaliter conuersam: & Dominicæ semper Dei formitatis in participationem. Secundùm quòd possibile est ipsi factam. Ex hac auctoritate possunt extrahi decem proprietates Dominationum. Prima est à seruitute libertas. Secunda ab hostibus inuincibilitas. Tertia liberalis seueritas. Quarta minutiæ seruitij superioritas. Quinta, nullius subiectionis egestas. Sexta, dissimilitudinis immunitas. Septima, dominandi ordinata voluntas. Octaua sui, & suorum ad Deũ cõformitas. Nona, nulla in dominãdo vnitas. Decima diuinę Dominationis participeps cõformitas. Et excludũtur in his, decẽ proprietates aliarũ Dominationum. Primũ est, seruitium superiorum. Secundum, impetus hostium. Tertium, dominium vitiorum. Quartum, gratuitas seruitiorum. Quintum, prouiso subditorũ. Sextũ, sollicitudo necessariorum exteriorũ. Septimũ, ambitio honorum. Octauum, contrarietas diuinorũ, & humanorũ. Nonum, execatio vanitatum. Decimum, elongãtia imitationis diuinarũ actionum. Quod autẽ hę proprietates in summo fuerũt in Beatissima Virgine sic est manifestũ quòd libertatẽ à seruitute habuerit in summo; patet per ea, quæ dicta sunt suprà de ipsius nobilitate. Quòd autem secundã habuit, quæ fuit ab hostibus inuincibilitas patet. Ipsa enim non solùm in se ipsa caput eius contriuit, sed etiam prædam totius humani generis ab ipso abstulit. Et in natura corporea spiritum naturæ Angelicæ superauit: in carne super carnẽ vixit, & superbiam victricem cum Diabolo vicit; & tã de Diabolo, quàm de mundo, tam de se ipsa, quàm de Angelis omnibus supergrediẽs triumphauit. Et quòd omnibus his altùis est, cõtra ipsum Deũ fortis fuit. Quæ Deũ de cœlis ad terrã vinculis carnis ligatum, & castitate vulneratum in gremio vteri sui; scilicet Beatissimæ Virginitatis carceri captiuauit. Patet ergo qualiter mulier fortis in hostium inuincibilitate omnes dominationes præcellit. Tertia proprietas fuit liberalis seueritas, per quod potest intelligi, vel mediũ inter prodigalitatẽ, & auaritiam, vel medium inter excessum iustitiæ; hoc est, rigorẽ, & excessũ misericordiæ, & hoc est remissionem. Quidam enim Domini sunt nimis liberales, hoc est prodigi: quidã nimis seueri, & auari; medium inter hæc est liberalis seueritas. Item, quidam sunt nimis iusti per rigorem; quidam nimis misericordes per remissionem. Inter hæc medium est liberalis seueritas. Primum medium habuit Beatissima Virgo cum excellentia super omnes Dominationes. Ipsa enim nunquam dedit, cui non esset dandum, & nunquã non dedit cui esset dandum. Et præterea dedit omne dandum: Deo mundum: Deum mundo: hominibus cœlum. Secundum mediũ etiam habuit in summo. Ipsa enim in se nunquam misericordiam obmisit. In filio enim iniustitiam incorrigibilem correxit. Omnem misericordiam receptibilem porrexit. Sic ergo patet, quomodo Beatissima Virgo habuit prodigalitatis, & auaritiæ medium in summo. Item quidam Domini nimis sunt liberales libertate voluptatis. Quidam autem seueri asperitate passionis. Inter hæc quoque medium esse potest liberalis seueritas. Hoc quoque medium habuit Beatissima Virgo præ Dominationibus, quæ habuit summam asperitatem in corpore, & summam liberalitatem in mente. Quarta proprietas est, minutiæ seruitutis superioritas. Per quod potest intelligi, quòd nulli seruiũt, cuius seruitium ipsos à sui dignitate diminuat. Hanc proprietatem in summo habuit, cui omnis creatura seruit, & ipsa nulli purę creaturę; sed soli Deo subiecta seruiuit. Et ita sicut seruire conseruo, & seruire soli Deo vnum alterum excellit: ita Beata Virgo in hac proprietate Dominationes excellit. Omnes enim alij Domini, vel Dominæ, vel Dominationes, quibus seruitur à creatura: Sic seruitur, quòd ipsi seruiunt creaturæ. Soli autem Dominæ nostræ, sic seruiunt omnes creaturę; quod ipsa non tenetur nisi soli Deo seruire, cui seruire nõ est diminui, sed regnare. Quinta proprietas fuit nullius subiectionis egestas; per quod potest intelligi, quòd non est sic in cœlestibus Dominationibus, sicut est in terrenis; qui tantùm suo modo indigent seruis; sicut serui Dominis suis indigent. In Cœlestibus autem nulla est indigentia seruitutis. Hanc proprietatem habuit Beatissima Virgo super Dominationes, quæ & si non habeant indigentiam respectu inferiorum, & subditorum; habent tamen respectu superiorum, & Beatissimæ Virginis. Ipsa autem nullius inferioris, superioris: quia cùm nulla ipsa sit superior, indigentiam non habet creaturæ; sed solius Creatoris personæ. Sexta proprietas est dissimilitudinis immunitas, per quod intelligitur remoueri dissimilitudo operationis, & attribuitur Dominationibus, eo quod non leguntur missi ad exteriora; sed semper interioribus, & inferioribus attentati. Hanc autem proprietatem habuit Beatissima Virgo in summo, quæ simillima Deo fuit corde, & corpore, & opere. Corde, fuit enim Virgo singularis inter omnes mitis, & humilis corde. Corpore: quia incorruptio in summo facit eam proximam Deo. In opere, etiam ipsi simillima fuit. *Ada* enim cœlesti, *non inueniebatur adiutorium si-*

simile sibi. Simillima fuit ergo Deo secundùm suam diuinitatem. Et Deus ipsi secundùm suam humanitatem. Vnde August. supra. *Si formam Dei appellem, digna exiſtit. Ipſa enim vapor eſt virtutis Dei, & emanatio quædã claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideo nihil inquinatum in ea incurrit. Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Habet ergo immunitatem dissimilitudinis in ſummo Beatiſſ. Virgo. Septima proprietas eſt dominandi ordinata voluntas, quam etiã habuit ipſa in ſummo. Improportionabiliter enim ordinatus eſt, dominam, vel dominum dominari, ſuper ſeruum, quàm ſeruum, ſuper conſeruum. Peraccidẽs eſt enim ſi ſeruus dominatur: ergo improportionabiliter plus ordinata eſt voluntas dominandi, qua domina vult dominari ſuper ſeruũ. Accidit enim ſeruo dominari; eſſẽtiale verò eſt dominã dominari. Octaua proprietas eſt ſui, & ſuorum ad Deũ cõformitas, quod ſic intelligitur. Quia domini illi, qui ita ſunt domini, quod & ſeruiliter dicunt ſeruis ſuis dominari, vt ſtudeãt ſe, & ſuos ſubditos ad ſuorũ dominorũ imitationẽ informare. Hãc etiã proprietatẽ habuit Beata Virgo in ſummo, quæ omnes ſeruos fugitiuos ad dominiũ diuinũ reduxit. Et de ſeruis Dominos, Reges, & Principes, immo Deos fecit. Vnde coronã, ſtellarũ duodecim habuit in capite, quã conſtat omnes ſanctos, ſibi ſubiectos æterna gloria coronaſſe. Nona proprietas eſt nulla in dominãdo vanitas. Hanc habuit Beatiſſ. Virgo in sũmo, quæ quãto maior fuit, tantò plus humiliauit ſe in omnibus. Vnde cũ cõſtet, ipſam maximã omniũ creaturarũ fuiſſe: neceſſe eſt, ipſam omnibus humillimã extetiſſe. Hoc enim eſt per ſe. *Luc. 14* *Qui ſe humiliat exaltabitur*, Luc. 14. Ergo omniũ exaltiſsima, omnium fuit humillima: ergo, quæ omnibus improportionabiliter plus habuit humilitatis: minus improportionabiliter omnibus habuit vanitatis. Decima proprietas fuit diuinæ dominationis cõformitas. Hãc etiã Beatiſſ. Virgo habuit in ſummo, quæ verè ſola dominicæ dominationis facta fuit particeps. Domina enim, vt dicit Damaſcenus, verè facta eſt omniũ: conditoris mater exiſtens; ſic ergo manifeſtũ eſt, qualiter proprietates dominationũ habuit Beatiſſima Virgo.

De Suprema Hierarchia.
CAP. 194.

Reſtat nũc videre de ſuprema Hierarchia. In qua primus in aſcendendo eſt ordo Thronorũ, quarũ hæ ſunt ſex proprietates. Prima eſt celſitudo. Secunda Regis circũdatio. Tertia ſtabilis collocatio. Quarta regis ſuſceptio. Quinta regis dellatio. Sexta familiaris apertio. Prima conuenit Beatiſsimæ Virgini in ſummo, quia ſic dicitur Eccl. 24. *Ipſa in altiſsimis habitat, & thronus eius in columna nubis.* Ipſa eſt enim illa ſedes ſaphirina, quã vidit Ezec. 1. ſuper *firmamentum*, ideſt, ſuper altitudinem omniũ ſanctorum in gloria confirmatorum, vt pote, quæ exaltata eſt ſuper choros omnium Angelorum. Item Aug. *Si cœlum vocem altior es.* Secũda proprietas eſt regis circumdatio, quam lucide habuit in ſummo, quia, quẽ, non ſolum Angeli, immo ipſi cęli capere nõ poterant, tuo gremio cõtuliſti. Itẽ, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Hoc eſt enim nouum, immo omniũ nouorũ nouiſsimum; quod hæc *mulier circumdabit virum* gremio vteri ſui, ſicut dicitur Hier. 31. Tertia proprietas fuit ſtabilis collocatio. Hãc etiã in ſummo habuit Beata Virgo, quia Rex cęli ipsã in ſolium gloriæ æternaliter elegit; & in ipſa requieſcens de ipſa ſua ſede corpus ſibi fecit: quod ſibi in vnitate perſonæ aſſumpſit, & nũquã depoſuit. Quarta proprietas eſt, regis ſuſceptio: hanc autem habuit in ſummo Beata Virgo. Throni enim ipſum ſuſcepernnt per inhabitatem gratiam. Ipſa autem ſanctiſsima ſic ipſum pleniùs ſuſcepit, quã illi, ſcilicet per gratiæ plenitudinẽ, & præſentiã corporalẽ. Quinta proprietas, regis delatio. Hanc etiam in ſummo habuit Beata Virgo, quæ ipſum Regem gloriæ in mũdum detulit de cœlo. Vnde ipſa eſt naturæ ferculũ, quod fecit ſibi verus Salomon, Cant. 3. Quod ipſum in mundum tulit, & in mundo circumtulit, quando aſcendit ſuper *nubẽ leuẽ*, & ingreſſus fuit in Ægyptũ. Sexta proprietas eſt familiaris apertio. Hãc habuit expræſsè Beatiſſ. Virgo, quia, vt dicit Beatus Bernard. *Qualiter ſplendor ille ineffabilis virgineis ſe infuderit viſceribus, ſoli datum eſt ſcire, cui ſoli datum eſt experiri.* Itẽ Prou. 30. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum pœnitus ignoro. Quod ſcilicet eſt via viri in adoleſcẽtia ſua.* Vnde, & Ioan. Propheta, & pluſquam Propheta neſcit *corrigiam calceamẽti eius ſoluere*, ſicut dicitur Luc. 3. Et ipſe nũcius Gabriel, quæſiti modi quæſtionem non ſoluit, ſed ad ipſum Spiritũ Sanctũ tranſmittit inſtruendam. Sicut dicitur Luc. 1. Si ergo manifeſtũ eſt ex his, quòd Beata Virgo omnes proprietates Thronorum, habuit etiã in ſummo. Secundus ordo vltimæ Hierarchiæ eſt Cherubin; cuius ſecundùm Dionyſium quatuor ſunt proprietates. Prima eſt *in circuitu* eſſe. Secũda eſt, *reductiuum*. Tertia *actiuum*. Quarta *exemplatiuum*. Prima ergo, quæ eſt *in circuitu eſſe*, per quã ſecundũ commentatorẽ intelligitur, quòd in circuitu ſunt, quia ad totũ, quod eſt, intrãt. Hãc ergo, Beata Virgo habuit in ſummo; quia ipſum totũ circũ dedit, & præterea intima viſcera miſericordiæ patris intrauit, & ei filiũ vnicũ, & vnigenitum de corde extraxit. Secunda eſt reduci-

Aug. ſup. — *Sap. 7.* — *Ecc. 24.* — *Ezec.* — *Aug.* — *Ier. 31.* — *Cant. 3.* — *Iſai. 16.* — *Bernar.* — *Pro. 30.* — *Luc. 3.* — *Luc. 1.*

&tiuum, per quod intelligitur ſecundum commentatorem, quod ad Deum tendunt: & hãc etiam habuit in ſummo Beatiſsima Virgo, quòd omnia reducibilia ad Deum reduxit. Ipſa enim eſt *mulier, quæ triaſata*, id eſt corpus, & animam, & deitatem coniunxit. Mat. 13. Per quod naturam in primum, immo ſuper primum ſtatum inſtitutionis reduxit. Item ipſa eſt mulier quę lucernam accendit, per quam dragma decima inuenta fuit, Luc. 15. Tertia proprietas eſt actuum, quod eſt, vt dicit commentator; vt ſecundùm Deum incedant. Hanc autem habuit Beatiſsima Virgo in ſummo: quoniam maximè ſecundùm Deum aſcendit, & inceſsit. Quę & deiformiſsimos actus habuit, & in ſummo actu ipſum ſingulariter imitata fuit; quando ipſum Deum genuit: ipſa etiam Deum, & hominem generauit. Quarta proprietas eſt, exemplatiuum, quod eſt ſecundùm commentatorem, & ſecundùm ſuum exemplum hoc faciant. Hanc etiam pleniſsimè habuit, quę omnibus recreandis ſpeculum, & exemplar, & ſtella maris extitit, & doctrix diſciplinæ Dei omnia illuſtrauit. Patet ergo, qualiter Beatiſsima Virgo omnes proprietates Cherubin habuerit in ſummo. Supremus omniũ ordo eſt Seraphin, cuius ſecundùm Dionyſium octo ſunt proprietates, quæ ſunt hæ. Prima eſt, *mobile*. Secũda *inceſſabile*. Tertia *calidum*. Quarta, *acutum*. Quinta, *ſuperferuidum*. Sexta, *intent*. Septima, *intima*. Octaua, *influxibilis*. Quas proprietates exponit commentator ſic. Prima ergo proprietas eſt, *dilectionis*, quod eſt vita. Hanc habuit Beatiſsima Virgo in ſummo. Ipſa enim ſua charitate meruit de congruo, ſibi viuere vita ſummè glorioſa; & quia ipſa fuit principium vitæ increatæ, & omnibus nobis cauſa vitæ æternæ. Item ſi vita eſt effectus dilectionis: ergo cum ipſa ſit improportionabilis dilectio; erit improportionabilis vita. Secunda proprietas eſt *inceſſabile*, quia perpetua. Inceſsabilitatem autem habuit Beatiſsima Virgo ſuper Seraphin. Magis eſt enim inceſſabile, quod non ceſſat, & non poteſt ceſſare, nec vnquam potuit ceſſare, quàm quod non ceſſat, & non poteſt modò ceſſare; ſed tantùm potuit aliquando ceſſare: ſed charitas Angelorum Seraphin, potuit aliquando ceſſare. In ſummo enim de ordine illo ceſſauit, quando cecidit, ſed charitas Beatiſsimæ Virginis, nunquam potuit ceſſare: ergo magis fuit inceſſabile: ergo excellit Seraphin, in inceſſabili charitate. Minor patet ex hoc, quod non poteſt ceſſare, niſi per peccatum mortale. Sed ipſa nunquam potuit mortaliter peccare. In vtero enim nullus poteſt mortaliter peccare. Ipſa autem adhuc in vtero matris fuit ſanctificata, & contra peccatum confirmata; & ſic nunquam potuit charitatem amittere. Seraphin autem amittere potuerunt: ergo excellit illos in hoc, quòd eſt inceſſabile. Tertia proprietas eſt *calidum*; & eſt calidum dilectio, quaſi ſopita, ſed & hoc habuit Beata Virgo ſuper Seraphin. Alijs enim paribus fortior eſt virtus, quę tantundem operatur cum reſiſtentia contrarij, quã illa, quæ ſine reſiſtentia. Vnde maior eſt virtus, quæ ſopitum facit in tumultu, & ſtrepitu; quàm illa, quæ ſopitur in ſilentio, & quiete: ergo cùm Beatiſsima Virgo ſopita fuerit, & omnino tranquilla in tumultu, & ſtrepitu tribulationum, tentationum, & perſecutionum huius mundi; fuit magis ſopita, quàm Seraphin, extra huiuſmodi ſtrepitum, & tumultum conſtituti: ſicut maior eſt violentia ſomni, qui cogit homines dormire in ſtrepitu, quàm in quiete. Quarta proprietas eſt *acutum*: & dicit commentator, acutum, quod eſt ſapientia. In hac excellit Beatiſsima Virgo Seraphin; vt patet ſupra in pluribus locis de ipſius ſapientia. Præterea dicit Auguſt. *Chriſtus eſt in MARIA*: ergo omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſciẽtiæ in MARIA. Item vnctio, Seraphin docet de omnibus neceſſarijs ad ſaluté: vnctio Domini dat omnia neceſſaria ad ſaluté. Item participant ſapiẽtiam creatam accidentaliter. Ipſa eſt mater ſapientiæ increatæ eſſentialiter. Quinta proprietas eſt, *ſuperferuidum*. Quod eſt, vt dicit commentator, dum per ignem amoris extollitur ſuper ſe. Et per vim amoris expellitã ſe. Hanc etiam habuit Beatiſsima Virgo in ſummo. *Vidi enim ſpecioſam, ſicut columbam aſcendentem, ſuper riuos aquarum*, ideſt, ſuper omnes choros Angelorum, & nardus ipſius humilitatis introiuit in cubiculum Regis, & eduxit filium de domo Patris. Item Spiritus ſanctus eleuat ſurſum. Sed ipſa improportionabiliter alijs Spiritum ſanctum habuit: ergo improportionabiliter habuit cor ſuum. Item vbi eſt *theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum*. Matt. 6. Sed ipſa præ omnibus maximum theſaurum habuit ſurſum: ergo maximè fuit ipſius cor ſurſum. Item ipſa maximè fuit expulſa à ſe, qui ſe totaliter Deo dederat, & totaliter corpore, & anima Deo plena erat. Itaque quod nec corpore, nec anima plus gratiæ, ſecundùm ſtatum pro tempore recipere poterat. Quid enim habet homo gratiæ, quàm de ea non acceperit: ergo quãtò plus habet gratiæ, tantò minus habet de ſè: ergo quæ plena gratia fuit de ſe, totaliter expulſa fuit. Sexta proprietas eſt, *intenta*. Quod eſt ſecundũ cõmentatorem, vt in ipſum pergat. Hanc etiam Beatiſsima Virgo habuit in ſummo, quæ intima cordis eius penetrauit, & de viſceribus miſericordiæ ſuæ intimis, filiũ de intimo cordis patris extraxit, & in ſummã immẽſitatẽ miſericordiæ eius intimè, & profũdiſsimè intimauit, & omnes diuitias miſericordiæ ſuę effudit, & in Sanctuario Dei habitans ſapien-

Mat. 13

Luc. 15

Auguſt.

Matt. 6

pientiam à sæculo absconditam, carne indutam omnibus patefecit. Septima proprietas est, *intima*, quæ est, vt dicit Commentator, quòd exteriores non effluat. Quam etiam in summo ipsa habuit super Seraphin. Illi enim non effluxerunt descendendo; sed nec ascendunt; ista autem deorsum non fluxit, immo contra naturam sursum fluxit, & omnes qui defluxerant secum, sursum traxit. Octaua proprietas est, *inflexibilis*. Quod est, vt extra ipsum non diuertat. Hanc quoque habuit supra Seraphin; illi enim tantum ab illo, quod acceperant, non diuerterunt. Ipsa autem nunquam diuertit ab ipso; sed omnia vertit ad ipsum; & totum mundum in ipsum conuertit. Item alij accipiunt aliquid ab alijs, vnde se ad illa conuertunt. Ipsa autem omnia habet in solo filio: vnde nunquam diuertit ab ipso. Ex his patet, qualiter Beatissima Virgo habuit omnes proprietates omnium Angelorum in summo.

Item Bernardus, quasdam quibusdam alijs assignat proprietates. Quòd videlicet virtutum, est miracula facere. Potestatuũ, contrarias potestates Dæmonum coercere. Principatuum, Regna mutare, & ministrare. Hæc omnia fuerunt in Beatissima Virgine MARIA in summo. Nam & omnium miraculorum miraculosissimum fecit; cùm Deũ, & hominem genuit: potestantem coercuit cum Regnum Diaboli dextruxit. Regnum transmutauit cum, hominem in Regnum cœlorum traduxit. Est ergo Beatissima Virgo Angelus, in gratiæ inuentione; Archangelus, in Dei generatione; Princeps, in Principum subiectione; Potestates, in supernaturalium operatione. Virtutes, in Dei formissimorum actuum perfectione. Dominationes, in creaturæ suppositione: Throni, in Dei corporali receptione; Cherubin in omnium secretorum secretissima cognitione. Seraphin, in suprema super omnes dilectione. Patet ergo qualiter Beata Virgo omnes proprietates Angelorum habens super omnes Angelos, & omnes Hierarchias est exaltata. Ita quod singulorum, & omnium proprietates, & dona ipsa sola vniuersaliter, & singulariter in summo possidet vniuersa.

A go secundùm illam conuenit dignissimum nomen. Dignissimum autem nomen creaturæ, est Mater Dei: ergo secundùm illum statum deberet Mater Dei nominari? Item sic; exaltata est in statum glorię: ergo potiùs diceretur Regina gloriæ. Item à digniori fiunt denominationes; sed dignissimum est gloria: ergo ipsa est Regina gloriæ. Item, quòd nobiliori, & digniori filio inest, hoc est, nobiliùs, & dignius; sed nobilissimum, & dignissimum est Rex gloriæ: ergo ipsa illi simillima debet dici Regina gloriæ. Item ab eodem Regno, à quo filius suus dicitur Rex, Ipsa dicitur Regina, sicut Rex Franciæ dicitur, & Regina Franciæ; sed filius dicitur B Rex gloriæ: ergo ipsa Regina gloriæ. Item vbicumquè non est miseria, non est misericordia; sed Glossę aliquando dicunt, quòd in Cœlo non est misericordia. Ipsa autem est Regina cœlorum: ergo non est Regina misericordiæ. Item secundùm statum illum ipsa est super omnes Hierarchias cœlorum: ergo videtur, quòd debebat dici, Regina cœlorum. Item gloria tantùm est in cœlo, misericordia tantùm propriè in mundo. Gratia autem communiter est in cœlo, & in terra, *Ioan. 1.* iuxta illud Ioan. 1. *Gratiam pro gratia*. Ergo debet dici, Regina gratiæ. Item Imperator est super Reges, & Imperatrix super Reginas: ergo deberet Imperatrix misericordiæ denominari. Item in ordinibus Angelorum superiores denominantur à superioribus, & dignioribus donis; sed summum, ac nobilissimum donum est charitas: ergo deberet dici Regina charitatis. Item filius dicitur Deus pacis, & dilectionis: ergo ipsa dici deberet regina pacis, & dilectionis. Item Seraphin denominatur à charitate; sed ipsa est superior Seraphin: ergo ipsa deberet à superiori denominari. Sed nihil est superius charitate, nisi Deus: ergo ipsa deberet à Deo dominari: ergo ipsa deberet dici Dea misericordiæ. Item filius dicitur *Rex Regum, & Dominus Dominantium*: Ergo ipsa dicetur *Apo. 19.* Regina Reginarum, & Domina Dominarum. Item filius dicitur Deus Deorum; ergo ipsa Dea Dearum. Item Dionysius de diuinis nominib. *Inuenies autem, quod & Deos eloquia vocant, non tantùm super cœlestes essentias sed & apud nos amantissimos Dei, & mirabiles viros.* Et infrà: *Et vniuersaliter, quæcumque virtus vniuersaliter conuertitur, & in diuinas eius illuminationes incessanter extenditur secundùm virtutem diuina imitatione, & diuina imouatione digna effecta est.* Cùm ergo Beata Virgo sit Dei amantissima, & mirabilissima, & ad diuinas illuminationes omnibus alijs creaturis, improportionabiliter plus extensa; ipsa potissimè vocabitur Dea, & Dea Dearum. Contra hoc opponitur in hunc modum. *Dionys.*

Quòd est Regina misericordiæ.

CAP. 195.

Vltimo quæritur de vltimo priuilegio, quòd est Regina misericordiæ, de quo quæritur. Vtrùm illud nomen conueniat propriè in prædictam dignitatem exaltatè. Et videtur, quòd non. Maiori enim dignitati conuenit dignius nomẽ: ergo summæ diguitati cõuenit dignissimũ nomen; sed dignitas illa, in quam est exaltata, est summa dignitas: er-

Gloria, gratia, iuſtitia per ſe tantùm dicunt collationem boni. Miſericordia autem, & collationem boni, & ablationem mali per ſe: ergo plùs comprehendit, & in amplius ſe extendit Regnum miſericordiæ, quàm gloriæ, vel gratiæ, vel iuſtitiæ; ſed ex ampliori, & maiori potentia maior eſt dignitas, & Dominatio: ergo Beata Virgo à ſumma dignitate debet dici Regina miſericordię. Item gloria tantùm eſt in cœlo, non in terra, non in inferno, non in purgatorio. Miſericordia autem eſt in cœlo, terra, inferno, & purgatorio: ergo maximum Regnum eſt miſericordiæ: ergo maxima Regina debet dici Regina miſericordiæ. Item, quidquid eſt ſuperiùs ſuperiore, eſt ſuperiùs inferiore; ſed miſericordia eſt ſuper omnia opera Dei, & Regnũ miſericordiæ ſuper miſericordiam: ergo Regina miſericordiæ determinat potẽtiã ſuper omnia; ſed illa conuenit propriè Beatiſmæ Virgini: ergo propriè, & verè conuenit Beatiſsimæ Virgini: ergo propriè, & verè eſt Regina miſericordiæ. Item ipſa ſuprà patrimonium, & proprietatem filij ſui eſt Regina; ſed hæc eſt miſericordia. Proprium enim eſt Dei miſereri: ergo propriè eſt Regina miſericordiæ. Item Eſai. 18. *Ego autem conſiderabo in loco meo.* Gloſſ. *Qui locus eſt miſericordia.* Sed proprius locus Regis eſt Regnum: ergo miſericordia eſt Regnum Regis: ergo & Regina; ſed propriè dicitur Rex, & Regina eius, quod eſt ipſius Regnum; ſicut Rex, vel Regina Franciæ dicitur, cuius eſt Regnum Franciæ: ergo & Beatiſsima Virgo propriè dicitur Regina miſericordię, cuius eſt Regnum miſericordiæ. Item omnis, qui eſt in Regno Dei, eſt in miſericordia; ſed non omnis, qui eſt in Regno eſt in gloria, vel in gratia, vel iuſtitia: ergo ſola miſericordia comprehẽdit totum Regnum: ergo Regina ſuper totum Regnum potiſsimè dicitur Regina miſericordiæ. Item Regnum gloriæ eſt Regnum miſericordiæ; ſed non conuertitur; & Regnum gratię eſt Regnum miſericordiæ; ſed non conuertitur: ergo Regnum miſericordiæ commune eſt, & complectitur vtrumque. Ergo vniuerſalis Regina potiſsimè dicitur Regina miſericordiæ. Item propriè diceretur Regina Franciæ, quæ Domina, & verè, & iurè eſſet omnium, quæ ſunt in Francia. Sed Beatiſsima Virgo verè, iurè, & propriè eſt Domina omnium, quæ ſunt in miſericordia Dei: ergo propriè eſt Regina miſericordiæ. Item ſi obliquus qui eſt miſericordiæ conſtruitur tranſitiuè, verè, & propriè dicetur Regina miſericordiæ. Ipſa enim eſt cauſa totius miſericordiæ, continens totam miſericordiam, & releuans omnem miſeriam. Item, ſi conſtruitur intranſitiuè, ſenſus erit; Regina miſericordiæ, hoc eſt; Regina miſeri-

Eſai. 18

A cordiæ, qua ſcilicet, eſt ipſa miſericordia. Ipſa enim eſt Regina miſericordiæ, quæ eſt miſericordia. Vnde & Eſter in figura Beatę Virginis alio nomine Ediſſa vocabatur, quod eſt interpretatum miſericordia. Heſter. 2. *Heſth. 2*
Item Eſai. 16. *Et præparabitur in miſericordia ſolium eius.* Sed ſolium propriè *Eſai. 16*
eſt in proprio loco Regni: ergo miſericordia eſt proprius locus Regni; ſed illius dicitur propriè Rex, & Regina: ergo Beata Virgo propriè dicitur, & verè Regina miſericordiæ. Item Dionyſ. de diuinis nomi-
B nibus. *Regnum eſt omnis finis, & ornatus, & legis, & ordinis diſtributio.* Sed hæc omnia propriè conueniunt miſericordiæ: ergo ei propriè conuenit ratio Regni. Finis diſtributio ſuper iuſtitiam ſecundùm miſericordiam; quia exules facit Reges ornatus; qui deformiſsimos peccatores facit Angelos pulcherrimos: legis; quia dat charitatem, & per illam Regnum: ordinis, quia limus ſuper Angelos; terra ſuper cœlos. Habet ergo miſericordia proprietates Regni propriè: ergo ipſa eſt propriè Regnum: ergo & Beatiſsima Virgo potiſsimè dicitur Regina miſericordiæ. *Dionyſ.*

Solutio: Has rationes omnes concedimus, dicendo: quòd propriiſsimum nomen, quòd Beatæ Virgini ſecundùm ſuam dignitatem ſummam debetur, eſt eſſe Reginam miſeri-
C cordiæ; & plùs propriè, quàm Imperatrix. Hoc enim nomen magis eſt nomen timoris, & rigoris. Regina autem plùs eſt nomẽ prouidentia, & æquitatis. Vnde etiam non credo Deum vſquam in Biblia expreſsè nominari Imperatorem, ſed Regem: hoc enim nomen eſt maieſtatis. Item magis propriè dicitur Regina miſericordiæ, quàm Domina Dominarum, vel Regina Reginarum, vel Dea Dearum. Hæc enim omnia important dignitatem, & excellentiam reſpectu maiorũ, & minorum. Si enim diceretur Dea Dearum, non videretur eſſe Dea, vel Regina peccatorum, vel Dæmonum. Item nec propriè diceretur Regina pacis, & dilectio-
D nis, quoniam, nec hoc eſt vniuerſale omnibus ſui Regni. Item melius dicitur Regina miſericordiæ, quàm Regina potentiæ, vel ſapientiæ: in ſapientia enim intelligitur potentia, ſed non conuertitur. In miſericordia verò; & ſapientia, & potentia, & non è conuerſo. Vnde miſericordia claudit omnia illa tria in ſe. Vnde Regina miſericordiæ, eſt Regina potentiæ, & ſapientiæ, & non è conuerſo. Quod autem potiùs dicatur Regina miſericordiæ, quàm Regina iuſtitiæ, vel Regina gratię, vel Regina glorię, per in contrarium obiecta patet.

Reca-

Recapitulatio Priuilegiorum, & additio.

CAP. 196.

Post hæc quæritur de priuilegiorum sufficientia Beatissimæ Virginis, & videtur, quòd possunt esse plura, quàm, quæ dicta sunt. Primum enim inter dicta fuit, quòd nunquam peccauit. Quare ergo similiter vnum non habuit, respectu ignorantiæ, vel pœnæ: sicut vnũ habuit respectu culpæ. Maximè cum vtrumque illorum non fuerit in statu innocentiæ, & videantur vtriusque opposita ad innocẽtiam à culpa pertinere. Item secundùm priuilegium fuit, quòd non potuit peccare. Quæritur ergo, quare similiter non habuerit vnum priuilegium respectu pœnæ, vt quæ non posset peccare, non posset puniri. Cùm enim omnis pœna sit pro culpa: ergo vbi nulla culpa, nulla posset esse pœna. Item tertium priuilegium fuit, quòd quolibet opere meruit. Quæritur ergo, quare non habuit priuilegium, vt similiter frueretur, sicut ipse Dominus IESVS, qui similiter vnitus fuit carni mortali. Item quartum priuilegium fuit puritas in summo, cùm triplex sit actus Hierarchiæ, purgatio, illuminatio, perfectio, & Beatissima Virgo habuit vnum priuilegium respectu purgationis: ergo debuit habere alia duo; vnum respectu illuminationis, aliud respectu perfectionis? Quintum fuit, Virgo virginum; cùm autem fuerit Beatissima Virgo, & Virgo virginum, & Mater, & coniugata, & viduata, & habuit vnum respectu virginum; videtur, quòd debuit alia tria habere respectu coniugatorum, & viduarum, & matrum. Sextum fuit: Mater Dei, & constat, quòd fuerit similiter Mater Dei, Filia, & Sponsa Dei, & multa consimilia: ergo, & respectu illorum debet habere multa priuilegia. Septimum fuit mater omnium: quare non similiter fuit vnum priuilegium quod esset soror, & filia omnium, vel saltẽ quòd esset domina omniũ. Octauũ fuit stella maris. Illud habuit Beata Virgo pro priuilegio respectu maris: ergo, & aliud debet habere respectu ignis; & vnum respectu aeris; & vnum respectu terræ. Nonum fuit porta cœli: si respectu portæ habuit vnum priuilegium: ergo eadem ratione, respectu fundamenti, vel parietum habuit vnum, vt dicatur fundamentum, vel lapis angularis, vel aliquid aliud huiusmodi. Decimum fuit passionis communicatio. Cùm ergo priuilegium habuerit respectu passionis, etiam habebit aliud respectu actionis, cùm actio sit nobilior passione. Item vndecimum fuit exaltatio, & sic habuit respectu ardui: ergo alia duo, & habebit vnum respectu veri, aliud respectu boni. Item duodecimum fuit regina misericordiæ; quare non vnum respectu potentiæ, vel sapientiæ, quæ misericordię sunt priora. Item vnum aliud ab his omnibus fuit, quòd erat mater, & filia; quod non est determinatum inter alia. Item vnum videtur, quòd habuit virtutes per modum patriæ. Item vnum priuilegium videtur, quòd potuit mereri, & non demereri. Item fomitis extinctio. Item quòd concepit sine libidine. Item quòd portauit sine grauedine. Item peperit sine dolore. Hæc sunt tria priuilegia. Ergo habuit plura, quàm prædicta. Item superius demonstratum est, quòd nullius habuit ignorantiam; quod est etiam vnum priuilegium Beatissimæ Virginis.

De Sufficientia Priuilegiorum.

CAP. 197.

Sufficientia priuilegiorum sunt in hunc modum. Priuilegium, vel est cõtra malum, vel ad bonum. Cõtra malum: culpæ, vel pœnæ. Pœna autem, vel est præsens, vel futura. Auferre pœnam præsentem non est priuilegium, sed nocumentum, quia illa est meritoria. Item futura auferre non est priuilegium; quia hoc est commune plurium, vt omnium martyrum, & omnium paruulorum, & aliorum multorum perfectorum, tam innocentium, quàm pœnitentium. Qui omnes post vitam istã non sustinent aliquam pœnam. Si ergo est contra malum culpę, vel est culpa actualis, vel originalis. Si actualis, sic est quantum ad actum. Et sic quod nunquã peccauit. Si est culpa originalis, sic est puritas in summo. Si autem est priuilegium ad bonum, vel ad bonũ meriti, vel ad bonum præmij. Si meriti, vel est habitus, vel actio, vel passio, si habitus, vel est corporis, vel animę. Si corporis, vel in se, vel ad Deum, vel ad proximum. Si in se, sic est Virgo mater. Si ad Deum, sic est Mater Dei. Si ad proximum, sic est Virgo virginum. Si autem est habitus animæ, vel est intellectus, vel affectus, & hoc vel ad proximum, vel ad Deum. Si ad Deum, tunc est puritas in summo. Si ad proximum, tunc est mater omnium. Si autem est actus, vel in se, vel ad proximum. Si in se, sic est, quòd quolibet motu merebatur. Si ad proximum, sic est, vel exemplum, & sic est stella maris; vel ad auxilium, & sic est porta cœli. Si autem est passio: tunc est passionis communicatio. Si autem pertinet ad præmium, vel quantum ad rem, sic est super creaturas exaltatio; vel ad nomen, sic est regina misericordiæ. Et sic in vniuerso sunt quatuordecim priuilegia Beatissimę Virginis. Primum, quod nunquam peccauit. Secundùm, quòd peccare non potuit. Tertium, quòd in summo pura fuit. Quartum, quòd Virgo mater. Quintum, quòd mater Dei. Sextum, quòd Virgo vir-

virginum. Septimum, nullius ignorantiæ. Octauum, mater omnium. Nonum, quòd quolibet tempore meruit. Decimum, stella maris. Vndecimum, porta cœli. Duodecimum passionis communicatio. Tertium decimum, super omnes exaltatio. Quartum decimum, regina misericordiæ. Si ergo sunt quatuordeim priuilegia Beatissimæ Virginis. Quid est ergo, quod Ioan. Apocal. 12.

Apo. 12 *Vidit mulierem amictam sole, & coronam duodecim stellarum in capite suo.* Quod quasi omnes exponunt, & prædicant de duodecim priuilegijs Beatissimæ Virginis. Ad hoc respondemus; quòd sicut articuli fidei vno modo sunt duodecim, alio modo sunt quatuor decim; sic, & in proposito. Possunt enim ista B quatuordecim reduci ad duodecim. Ad summam enim puritatem, quæ sub Deo potest intelligi, reducitur immunitas peccati. Impossibilitas etiam peccandi, est summa appropinquatio ad puritatem Dei. Et sic ad puritatem in summo reducuntur prima duo. Et sic vigintiquatuor fiunt duodecim visa in illa corona. His visis respondemus ad obiecta.

Quod enim obijcitur de fomitis extinctione, dicimus. Quòd illud claudit in se puritas in summo. Sed quæritur. Quare vnum non fuerit, quod fuerit sine originali concepta. Dicimus, quòd fuit impossibile, nisi conciperetur de Virgine; & sic mater sua fieret Virgo mater. Et sic non esset suum pri C uilegium, scilicet, quod fuit mater Virgo. Cùm hoc fuisset priùs suæ matri communicatum. Item frui in via, non potuit ei dare priuilegium; quia illud creatura non vnita, non compatitur secum cum corpore corruptibili, & cum pœna. Item respectu matrum habuit priuilegium, quòd fuit matre virgo, & fuit hoc, quod Mater Dei. Item, quod poterat mereri, & non demeriri, non est per se priuilegium, sed est conclusio duorum priuilegiorum. Nam ex puritate in summo sequitur, quòd non poterat demereri; ex eo quod, quolibet actu merebatur; sequitur, quod poterat mereri. Item nutrix Dei, non est per se priuilegium, sed pars priuilegij, quod est Mater D Dei. Ad integritatem enim maternitatis exigitur non tantùm prima materia corporis generandi, sed etiam nutrimentum nutriendi, quòd tamen aptum natum est ab alio homine accipi. Vnde scimus, quoniam alia est nutrix, alia mater. Nutrix est, quasi dimidia mater, à qua etiam puer aliquando multum contrahit à complexione influente. Ergo ad perfectissimam maternitatem exigitur etiã ratio nutricis. Vnde cum Beatissima Virgo

Luc. 11. fuit perfectissima, mater: fuit, & nutrix Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Et ita sub Matre Dei intelligitur nutrix Dei. Item Filia Dei, vel Sponsa Dei, non est priuilegium; quia esse Filiam Dei, nihil addit, quòd sit ei specialiter. Item domina omnium, non est per se priuilegium, sed includitur in regina misericordiæ. Omnis enim regina est domina: vnde, cùm misericordiæ sit omnium domina, & regina; regina misericordia est domina omnium. Item, quòd non datur priuilegium respectu terræ, vel ignis, vel aeris. Ideò est, quia mare propriè exprimit periculum huius vitæ, propter quod in naufragio indigemus dirigente, & educente. Item, quòd non dicitur fundamentum, vel lapis, angularis priuilegium. Ideò est, quia fundamentum propriè respicit fidem, quæ à solo Deo est, lapis angularis vnionem Diuinæ, & humanæ naturæ. Item, quare non habet priuilegium respectu actionis, sicut respectu passionis, dicimus: Quod habuit id, quod quolibet actu meruit. Quod sine Deo facere non potuit. Quia: *Sine me nihil potestis facere*, sed adiutores Dei sumus in merendo. Item quare non habuit priuilegium respectu veri boni, sicut respectu ardui; dicimus quod habet: quia illa sua exaltatio non tantùm in arduum, sed in verum, & bonum arduum. Item, quia non respectu sapientiæ, vel potentiæ, sicut respectu misericordiæ habuit priuilegium: dicimus. Quod misericordia claudit, vtrumque in se. Vnde regina misericordiæ, & regina potentiæ, & sapientiæ. Ex his patet, quòd priuilegia Beatissimæ Virginis sunt tantùm duodecim, & non plura, vel pauciora. Ioã. 15.

Epilogus; Quid nobis ex illa plenitudine venerit.

CAP. 198.

Iam ergo sufficienter ostensum est, qualiter Beatissima Virgo plena fuerit: quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum in summo habuit. Secundo, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertio, quia sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ capax nõ fuit. Quartò, quia etiam gratiam increatam in se totam continuit. Et sic per omnem modum gratia plena fuit. Fuit etiam ista plenitudo perfectissima secundùm rationem plenitudinis. Est enim plenitudo alia datiua, & non receptiua, quæ soli Deo conuenit, vt dictum est supra. Alia est receptiua, & hæc triplex. Quædam enim est receptiua, & datiua, & non retentiua. Et hæc est plenitudo carnalis, & sic Beata Virgo plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum, quæ omnes ad numerum transeunt, quantum ad ipsam per ipsius manum. Vnde

Eccl. 24. Eccl. 24 *Ego quasi aquæductus exiui de Paradiso Dei.* Hoc est delitijs misericordia-

rum

rum Dei. Item Bern. *Diù defluerunt fluenta gratiarum. Quia nondum venerant aquæductus.* Et iste est aquæductus mirabilis. Quia per ipsum defluunt omnes aquæ gratiarum deorsum; & iterum per eundem refluunt in
Sap.7. sursum. Vnde Sap.7. *Venerunt mihi omnia bona, pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et sic ad locum unde*
Eccl.1. *exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluãt.* Eccles.1. Est autem, & plenitudo receptiua, & retentiua, & non datiua: & hæc est plenitudo vasis. Et secundùm hanc plenitudinem, plena fuit Beata Virgo omnibus gratijs creatis, secundùm speciem, quas omnes in spem in summo habuit, & nunquam amisit. Et præterea gratia increata, quam totam simul accepit: & nouem mensibus in se clausit; fuit ergo B
Eccl.43 plenum vas. Sed etiam erat illud, *vas admirabile opus excelsi.* Vt dicitur Eccles.43. Mirabile enim esset vas, quod maius se ipso contineret. Et ipsa Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera factus homo. Itẽ vas esse admirabile, quod vinũ, & aquam simul sine interstitio, & tamẽ sine cõmixtione contineret. Et vas illud vinũ diuinitatis, & aquã humani simul cõtinuit; sine cõfusione mixtionis naturarũ, vel proprietatum. Non enim cõmixtionem passus est, neque diuisionẽ. Itẽ vas esset admirabile, quod manens clausum omnia in se recipiet, & clausum effunderet. Illud autem Sanctissimum vas est Beatissima Virgo, quæ Deum conce-
Cant.4. pit, & post partũ Virgo permansit. Vnde fuit
Ezeq.44 *ortus conclusus, fons signatus.* Cant. 4. *Fuit etiam porta clausa.* Ezech. 44. Per quam ingrediebatur, & egrediebatur. Est etiam plenitudo receptiua, datiua, & retentiua. Et hęc est plenitudo fontis, qua est plenus, & tamen effluit. Hac plenitudine etiam plena fuit Beata Virgo, à qua continuè effluit Gratia. Et tamen ipsa gratia est semper plena. Vnde
Hest.10. ipsa est *fons paruus, qui creuit in flumen maximum. Et in aquas plurimas redundauit.* Hesth.10. Ex fonte enim huius plenę Beatitudinis, profluit omnis Beatitudo humani generis. Ex hac enim venit nobis pretium redẽptionis, & aqua ablutionis, panis refectionis, medicina curationis, arma expugnationis, præmium remunerationis, pretium re-
Prou.7 dẽptionis. Sed hęc ipsa est sacculus pecuniæ. De quo Prou.7. *Sacculum pecuniæ secum tulit in die plenæ Lunæ, reuersurus est in domũ*
Col.2. *suam. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Vt habetur ad Col. 2.
Psal.1. Quem secum tulit. *Beatus vir, qui in consilio impiorum non abijt.* Tulit dico, in Beatissimæ Virginis assumptione, & reuersurus est in die plenæ Lunæ. Idest, in cõsummatione Ecclesiæ: de hoc pretio dicitur, Prou. vlt. *Mu-*
Pro.vl. *lierem fortem, quis inueniet præcul,* &c. Dicit Glos. *de vltimis finibus.* Idest, de extrema A humilitate Beatæ Virginis. Vel *de vltimis finibus.* Idest, de coniunctione Dei, & hominis, qui sunt duo fines. *Attingit enim à fine* *Sap.8.*
vsque ad finem fortiter. Sap.8. Illud pretium in die annunciationis fuit collectum. Idest, die passionis persolutum: sed miseri Iudæi pretium nostrum cogitauerunt repellere. Quamuis enim esset *aurum terræ illius*; idest *Gene.1.*
Beatissimæ Virginis: *aurum optimum*, quia tamen ipsi non crediderunt Deum eum esse. Et quod fuerat aurum mundissimum, crediderunt esse cuprum; & mel suspicati sunt esse fel. Vnde & omnimodo, quo probatur aliqua pecunia, probauerunt ipsum. Examinauerunt eum per ignem. Psal. *Igne me examinasti*; sed nec sic inuenerũt aliquid de scoria, B
& non est inuenta in me iniquitas. Præterea *Ps.16.*
etiam, dinumerauerunt, Ps. *Dinumerauerũt omnia ossa mea*, insuper in statera crucis libr auerunt. Vnde cantatur, *statera facta corporis*, & sic effluxit pretium redemptionis. Hinc etiam effluxit nobis aqua ablutionis. *Zac.13.*
Ipsa enim est fons, de qua Zach. 13. *Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutione peccatoris, & mẽstruatæ.* Et erat *fons hortorum, puteus aquarum viuentium*, vt habetur Cant. 4. Et fons iste *Cant.4.*
præfiguratus fuit 2. Re. penult. vbi dixit Dauid: *Si quis mihi daret potum aquæ de Cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam.* Beatis- *2. Reg. 23.*
sima Virgo est fons, quantum ad communia C
beneficia, quæ exhibet omnibus. Puteus autem quantum ad specialem deuotionem, quã dat suis specialibus. Cisterna verò in quantum ab ipsa fluit refectio peccatoribus. Hæc cisterna est iuxta portam, quia vult omnes *Eccl.24.*
saluare. Vnde clamat Eccles. 24. *Transite ad me*, &c. aqua cisternæ huius est Christus, qui est fons aquæ *salientis in vitam æternam*, vt dicitur Ioan. 4. Hanc aquam multum desi- *Ioan.4.*
derauit Dauid, idest, populus Iudaicus. Vnde clamat Esai. 41. *Egeni, & pauperes quærunt* *Esai.41.*
aquas, & non sunt. Iob 30. *Ossa mea aruerũt,* *Iob 30.*
præ caumate, Ps. *Anima mea sicut terra, sine aqua tibi.* Et tunc Dominus Moysi dedit cõsilium. Num. 20. *Loquimini*, inquit, *ad petrã.* *Nu.20.*
D Idest Beatam Virginem; duram contra tribulationem: grauem, contra instabilitatem: frigidam, contra libidinem; & *ipsa dabit vobis aquas.* Et tunc apperuit eis thesaurum suum fontem aquæ viuæ de cisterna Bethleem; & hanc aquam tulerunt tres fortes, fides, charitas, & humilitas virginis; fides per quam sancti vicerunt regna, quæ fortis est, quia & mõtes transfert. Vt habetur Matth. 18. *Cha-* *Mat.18*
ritas fortis est: quia *fortis est, vt mors dilectio.* *Can.8.*
Cant. vlt. Humilitas fortis est, quæ solo odore regem de accubitu suo, idest, de palatio patris traxit ad vbera matris. Sed quid fecit Dauid; idest Iudaicus populus de aqua ista. Postquàm venit, non biberunt; quia non credi-

diderunt, sed libauerunt in cruce. Sed certè illa libatio nostra fuit ablutio: *Ipse enim dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Apoc.1. Iste etiam puteus figuratur per illum, de quo cantant filij Israel. Num.21. Num.21. *Ascendat puteus*, & dicitur ibi, quòd illum puteum foderunt Principes, & Duces in decreto legis, & in baculis suis. Verum est, quòd Principes, & Patriarchæ, & Duces, id est, Prophetæ cum ipso Doctore legis, id est Moysi, multum diù foderunt puteum istum, desiderando, orando, præfiguran do, & prophetando. Mat.1. Sed Matthæus noui testamenti fossor fodere sciuit, *Liber*, inquit, *generationis IESV Christi, &c.* Ecce vena vitæ. Iste tetigit rectam venam; quia vt dicitur Iob.23. in Iob 23. *Habet argentum venarum suarum principia.* Et illud principium tetigit hic Matthæus dicens: *Virum MARIÆ, de qua natus est IESVS.* Ipsa enim protulit nobis Gen. 2. fontem vitæ, sicut optimè figuratur. Gen.2. vbi legitur, quòd *fluuius egrediebatur de Paradyso voluptatis*, & inde diuidebatur in quatuor flumina; quia de Beatissima Virgine egressus est Dominus, qui effluit in nos, illa quatuor beneficia, à quibus deriuantur omnia alia beneficia creationis, recreationis, iustificationis, glorificationis. Et bene dicuntur hæc flumina benedicta, quæ contulerunt nobis quatuor, quæ solent flumina magna conferre ciuitatibus, per quas fluunt. Flumẽ enim necessaria apportat: superflua deportat, sordes abluit; sitim extinguit. Beneficiũ ergo creationis omnia necessaria apportauit, omnia superflua detulit. Tunc enim *Hircus emissarius peccata populi detulit in de-* Leui.16 *sertum.* Sicut dicitur Leui.16. Nihil enim superfluum, nisi peccatum. Beneficium iustificationis omnia immunda abluit, scilicet, *Sordes filiarum Syon in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.* Esai.4. Esai.4. Beneficium autem glorificationis omnem sitim extinguit. Sitit enim omnis anima ad Deum fontem viuum. Et hæc sitis nunquam hic extinguitur. Quia hic non *saturatur oculus visu; nec auris impletur auditu*: sicut dicitur, Eccl.1. *Sed satiabi-* Eccl.1. Psal.16 *mur, cùm apparuerit gloria eius, quando de* Psal.35 *torrente voluptatis potabimus.* Vt ait Psal. Hæc sunt ergo quatuor flumina, quæ nobis profluunt ex plenitudine ista semper plena. Profluit nobis nihilominus ex ipsa panis refectionis, ipsa enim est nauis illa *institoris de* Pro.31. *longe portans panẽ suum.* Prou.31. de longe; Ioan.6. quia est *panis viuus, qui de cœlo descendit.* Prou.9 Vt dicitur Ioã.6. Ad quem inuitat nos Beatissima Virgo, dicens Prou. 9. *Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Deus Trinitas, aquam humanitatis cum vino diuinitatis miscuit, quando humanam naturam diuinæ vniuit. Sed Beatissima Virgo miscuit, quando credidit, & consensit. Pa-

A nem quoque istum ipsa nobis confecit. Ipsa enim est mulier Euangelica, quæ tria fata, id est, corpus Christi, & animam, & diuinitatem coniunxit. Fermentum autem in hac confectione fuit fides Virginis: *Istum panẽ petierunt parauli, & non erat qui frangeret eis.* Thre.4. Thre.4. Quam fractionem petebat Esai.58. Esai58. *Frange esurienti panem tuum.* Vnde verum fuit, quod panis ille pitus fuit in incarnatione, sed fractus in passione, quando misit *cristallum suam sicut bucellas.* Ps.147. Alia translatio habet, sicut frustrũ panis. Misit ergo cristallum suam, id est, clarissimam animam, scilicet, ad limbum: quasi frustrum panis diuisum à pane, id est, à corpore, quòd iacuit in sepul-
B chro, cum quo vnita fuit. Homo autem integer panis viuus, qui de cœlo descendit. Efflu xit enim ab hac plenitudine medicina curationis, Eccl.38. *Altissimus de terra creauit* Eccl.38 *medicinam*, & 43. *Medicina omniũ in festi-* 43. *matione nebulæ.* Medicina ergo omniũ in hoc est in Christi carne purissima festinata, quia subito decisa, & in corpus formata. Et hæc nobis ex ista effluxit plenitudine. Vnde ipsa dicit Eccl.24. *Ego quasi fluuius dorix. Et sicut a-* Eccl.24 *quæductus exiui de Paradiso Dei.* Dorix medicamentũ generationis, Christus est. Qui sanat omnes infirmitates nostras, & omnes generationis. Accepimus quoque ab hac plenitudine arma expugnationis. Sed qua cõueniẽ
C tia armis ad medicinã? quia ab eadem accepimus arma, & medicinã. In hoc quoque optimè figuratũ fuit 3.Reg.7 In domo *saltus li-* 3.Re.7. *bani*, quã ædificauit Salomõ, vt explanat magister in historia. Domus illa in duas partes fuit distributa. Superior fuit pigmentaria, in qua fuerunt pigmenta, & aromata ad vsum templi. Altera fuit armamentaria ad tuitionem Regis, & decorem domus. Libanus candida est Beatissima Virgo, tota candida, tota pulchra intus, & extra. Quã domum fecit sibi rex Salomõ; quia sapientia ædificauit sibi domũ, in quo fuerunt medicina contra vulnera peccatorũ: arma contra inuidũ, vel Diabolũ. In hac autem domo dicitur specialiter de
D *scutis aureis*, quæ fecit Salomõ. Et quid signi 3.Re.10 ficant illa scuta, nisi illud scutum, quòd petit Psal. *Appræhende arma, & scutum, & exur-* Psa.34 *ge in adiutoriũ mihi.* Et Dominus ita fecit: introibo, inquit, in admirabile tabernaculũ: *Quia quẽ cœli capere non poterant, &c* Istud tabernaculũ intrauit, & armauit se, de quo Psal. *Scutũ bonæ voluntatis*, ipse nunquã in Psal.5. aliquo tantũ ostẽdit, quantũ in nobis in hoc, quòd assumpsit scutũ istud, & est factus Lucifer noster. Vnde noranter dicit: *Coronasti eos.* Hæc enim est summa corona hominis ad alias creaturas; quòd vidit Deũ ferentẽ scutũ suũ. Vnde, quòd hic appellatur scutum. Cant.3. Dyadema appellatur: *Egredimini* Cant.3 *filiæ Sion, & videte regẽ Salomonem, in diademate,*

mate, quo coronauit eũ Mater sua. Gloss. *Virgo MARIA.* Item alia Gloss. *Super illud: in die desponsationis*, dicit: *Tempore annunciationis.* Istud scutũ in pugna passionis, in quinq; locis fuit perforatũ. Huius scuti insignia ferebat ille, qui dicebat ad Gal. 6. *Stigmata Domini mei IESV Christi in corpore meo porto.* Est enim magna dignitas militis portare insignia Regis. Vnde Est. 6. *Homo quẽ rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equũ, qui de sella Regis est, & accipere regiũ dyadema super caput suũ, & primus de regis principibus, ac tyrãnis teneat equũ eius per plateã ciuitatis incedẽs clamet, & dicat sic honorabitur, quẽcumq; Rex voluerit honorare.* Dominus ergo quãdo hominẽ honorare voluit, vestes regales ei induit, quãdo diuinas proprietates ei cõmunicauit, & è cõtrario vestes serui reinduit quãdo saccũ nostræ mortalitatis Deus induit sibi. Vnde 1. Reg. 18. *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eã Dauid, & reliqua vestimẽta sua, vsq; ad gladiũ, & arcum suum, & vsq; ad balteũ.* Item super equum, & in sella Regis hominem posuit quando corpus humilitatis nostræ corpori suæ claritatis configurauit. Item dyadema regis in capite hominis posuit, quãdo nos reges cœli cõstituit. Vnde Apoc. 19. Ille qui *sedebat* super equum albũ habuit in capite suo *dyademata multa.* Multa procul dubio habuit dyademata, qui cuilibet homini vnũ dedit, & ipse tamen nostra dyademata in suo capite habuit, quia nimirum in coronam gloriæ suæ vestitur, quod de suo patrimonio tot Reges, & Reginas fecit. Vnde iterũ Apoc. 4. *Seniores coronas suas mittũt ante sedentẽ in throno.* Quia omnes sancti per humanitatem Christi se cognoscunt coronatos. Vnde *& mulier amicta sole*, coronã stellarum duodecim in capite suo habuit. Vnde dicitur Apoc. 12. Quòd Beata Virgo omnes sanctos coronauit. Principes autem cum equo per plateas ciuitatis nos ducunt, quando corporibus, & animabus nos ad Regna cœlestia perducũt. Si ergo tantus est honor militis ferre, scilicet, signũ, vel insignia Regis; quantæ dignitatis Regẽ ferre insignia militis? Quantæ attamen charitatis Regem sibi reputare per coronam regni, quòd fert scutum serui carneum. In dyademate, inquit, Cant. 3. *Quo coronauit eum Mater sua.* Id est Virgo MARIA, sed & ipse è cõtrario, solus Matrem suã nascendo coronat, cũ ei, & fœcunditatem Matris contulit, & virginitatem non abstulit, & esse Matrem Dei, & Reginã misericordiæ mox nascendo concesit. Patet ergo, quòd sint arma, & scutum, quo nos Deus coronauit, & quæ arma de ista plenitudine accepimus. Accipiemus attamen, & ab eadem tandem præmium remunerationis. Vnde Psalm. *Filij merces, fructus ventris.* Gen. 15. *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et sic patet qualiter ex ista plenitudine Virginis effluit perfecta, & omnimoda beati-

A tudo humani generis, Prædictis adijcienda est alia ratio plenitudinis, quam etiam continet in se plenitudo Beatę Virginis, & hæc est plenitudo loci, secundùm quod aliquis locus dicitur plenus. Et hoc dupliciter: dicitur enim aliquis locus plenus hominibus, vel animalibus, aliquando plenus herbis, vel floribus, vel fructibus. Per primum modum Beatissima Virgo plena est, sicut domus, vel ciuitas dicitur plena. Vnde Psalm. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Sicut lætantium omnium habitatio est in te Sancta Dei Genitrix. Dicitur autem Beatissima Virgo plena hominibus lętantibus. Ipsa enim omnes continet, & saluat, & ambit in se lætitiæ; & omnium hominum B affectum trahit ad se; & omnium desiderium quietat in se. Vnde ipsa est lętantium, quasi quoddam speciale Regnum cœlorum. Est autem Beata Virgo plena, sicut locus plenus dicitur fructibus. Vnde plena est: *Sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gen. 27. Quam plenitudinem florum, herbarum, fructuum, signantem perfectionem morum, virtutum, & operum diuersorum explanarè concupiscit, & deficit ille, qui in persona sua dicit: Eccl. 24. *Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi,* & ibidem: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Est etiam alia ratio plenitudinis, quam in se continet plenitudo Beatæ Virginis, secundùm quam aliquis dicitur plenus Spiritu Sancto. Hanc habuit Beatissima Virgo in summo, quæ Spiritu Sancto, cum Patre, & Filio plena fuit etiam corporaliter, vtpote, in qua plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter. Vnde vidimus eam plenam charitate, & dilectione. *Deus autem charitas est*: ergo Deo plena est, & fuit, quæ charitate plena fuit. Ex his ergo manifestum est, qualiter Beata Virgo omni gratia, omni plenitudine; omni ratione plenitudinis, & omnibus modis gratia plena fuit.

Gal. 6

Ester. 6.

1. Re. 18

Apo. 19.

Apo. 4.

Apo. 12.

Cant. 3.

Ps. 126.

Gen. 15.

Gen. 27.

Eccl. 24

Ioan. 4.

De hoc; Dominus tecum.

CAP. 199

Sequitur, *Dominus tecum.* Videtur autem, quòd non benè ponatur in hoc loco: *Dominus tecum.* Quia vt dicit Philosophus sermones inquirendi sunt secũdùm materiam: ergo in materia timoris debet poni nomen timoris, & in materia amoris nomen amoris. Sed Dominus est nomen timoris, iuxta illud Malach. 1. *Si ego Dominus, vbi est timor meus.* Ergo cùm hic agatur omnis materia amoris, non deberet hic poni nomen timoris, sed amoris, & ita non debuit dicere: *Dominus tecum.* Item cùm tota Trinitas sit mittẽs hãc salutationem, videtur, quòd debuit dicere. Trinitas tecum. Itẽ, ille, qui annunciatur, vocatur Emanuel, quòd est interpretatum, nobiscũ Deus: & illa allocutio facta fuit in ista annunciatione: ergo potissimè debuit dicere,

Lucæ 1.

Mal. 1.

Deus

Deus tecũ, vel Deus nobiſcũ. Item Dominus dicitur eſſe nobiſcũ, vel cũ aliquo ſpecialiter per inhabitantem gratiã; ſed illa appropriatur Spiritui Sancto: ergo debuit dicere: Spiritus Sanctus tecũ. Itẽ iſta conceptio facta fuit appropriatè de Spiritu Sancto: ergo debebat dicere; Spiritus Sanctus tecũ. Item modus ſalutandi Domini fuit; *pax vobis*: ergo cũ iſte ſalutaret ex parte Domini, dabuit dicere: pax vobis, vel pax tecum. Itẽ Aug. in lib. conf. *Mecũ eras, & ego tecum nõ eram.* Ergo Dominus eſt cũ malis, & mali non ſunt cũ Domino; ſed tãtùm boni: ergo cum Beata Virgo ſummè ſit de numero bonorum, debuit dicere: tu cum Domino. Itẽ cũ Dominus nũcietur hic futurus in ea per corporalem præſentiam; fuit autem per corporalem præſentiam in ipſa, & iſte eſt proprius modus eſſendi, quo cum Beatiſsima Virgine fuit, & cũ nullo alio: ergo cum illum proprium modum eſſendi deberet hic exprimere, debuiſſet dicere: Dominus in te. Itẽ Hier. ſcribens de iſta aſſociatione, de qua hic agitur, dicit: 31. *Fœmina circundabit virum.* Sed quòd circũdatur a balio, illud eſt in illo: ergo debuit dicere Dominus in te. Itẽ, vbi in diuinis eſt idẽtitas naturæ: dicitur vna perſona eſſe in alia, & è conuerſo, vt ibi. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ergo cum hic notetur aſſociatio in eadem natura ſecundùm ſpeciẽ, debuit dicere: Dominus in te. Item Dominus abſolute dictum, ſumi ſolet pro Patre, vt ibi. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ.* Qui cũ notetur ſpecialiter præſẽtia corporalis, quæ non conuenit Patri; non debuit dicere: *Dominus tecũ.* Itẽ quare nõ dicit: Dominus omnipotens, vel Dominus exercituum, vel huiuſmodi! Itẽ, quare nullum poſuit verbũ. Item Dominus dicitur, quaſi dans minas. Hic autẽ nulla fit comminatio, ſed magis promiſsio: ergo malè ponitur hic Dominus. Item cùm Dominus importet reſpectum ad ſeruum, quare non determinatur hic ille reſpectus, vt diceretur: cuius eſt Dominus. Itẽ cum omnis aſſociatio ſit in aliquo: queritur in quo ſit iſta aſſociatio. Si in eſſe, vt ſit ſenſus: Dominus es tecum; iſta aſſociatio cõuenit Deo cum omnibus, & ſic cõmunis eſt ei cum omnibus entibus: ergo in hoc nihil dicitur, quòd Beatæ Virgini approprietur. Ad hæc dicimus: quòd in iſta ſalutatione, per hoc, quòd dicitur: *Dominus tecũ.* Duo intẽduntur: vnũ, vt perſona mittẽtis propriè exprimatur; alterum, vt liberum arbitriũ B. Virginis ad credendum, & conſentiendum inclinetur. Iſta autẽ duo perfectiſsimè, & appropiſsimè exprimit hoc nomen *Dominus*, quòd à potentia imponitur, & quãdo abſolutè dicitur ſoli Deo appropriatur. Alij Domini verò ſerui illius ſunt. Ipſe abſolutè eſt Dominus, qui Dominus eſt omniũ; quod ſolius Dei Thrinitatis eſt propriũ; qui eſt perſona mittẽs in hac ſalutatione: & ſic perſona mittẽs propriè nominatur. Per idẽ autẽ liberum arbitriũ glorioſiſsimæ Virginis inclinatur, quia ad cõſentiẽdũ in mirabilia maximè diſponit fides de omnipotẽtia. Quia credit, & aduertit Deũ omnia poſſe facere. Acquieſcit ipſum poſſe naturas mutare, vel naturis imperare. Vnde cũ hic omniũ nouorũ nouiſsimũ annuncietur Beatiſsimæ Virgini ad credẽdũ: cõgruẽtiſsimè ponitur hic hoc nomẽ Domin⁹, quod abſolutè poſitũ, eſt omnipotẽtiæ demõſtratiuũ. Quia verò liberũ arbitriũ Beatiſsimę Viginis, etiã per ſe facilè erat ad credẽdũ paratũ, nõ indiguit expreſiſsima inſinuatione omnipotẽtię cũ terrore, vt diceretur Dominus omnipotẽs, vel Dominus exercituũ: ſed ſuffecit ipſius leuis annũciatio, & quaſi obſcura expreſsio potẽtię, qualis per hoc nomẽ, *Dominus*, importatur. Dicitur ergo ei, *Dominus tecũ*, quaſi apertè dicatur: nihil credas tibi impoſsiblè, quęſcis te Dominũ in ſociũ habere: ſed dic cõfidẽter; omnia poſſum in eo, qui eſt mecũ. Si enim aliqui duo vnum officiũ debeãt operari: quid impedit ſi vnus eſt debilis, cũ alter adeò ſit fortis, vt per ſe officiũ poſsit perficere, iſto etiã nõ iuuãte? Ex his ſolutio ad omnia patet obiecta vſq; ãd vltimũ, quòd quęſitũ eſt de aſſociatione. Ad quod dicimus; quòd hæc aſſociatio notatur omnibus in genere, in quibus aſſociatio poteſt eſſe. Eſt autẽ triplex aſſociatio: eſt enim aſſociatio in eſsẽdo, aſſociatio in patiẽdo, aſſociatio in agẽdo. Aſſociatio in eſsẽdo dupliciter: abſolutè, vel reſpectiuè. Si abſolutè in ſubſtãtiali, in quali, in quanto. Aſſociatio in ſubſtãtiali eſt idẽtitas, in quali ſimilitudo, in quanto ęqualitas. Inter Deũ autẽ, & B. Virginem fuit aſſociatio in ſubſtãtiali: vna humanitate: quia verus homo de Virgine, vera in homine. Fuit etiã ſimilitudo in volũtate vnius in vtroque; fuit etiã ęqualitas potẽtię in genere. Ipſa enim eiuſdẽ Regni eſt Regina, cuius ipſe eſt Rex. Itẽ poteſt inter ipſos notari idẽtitas in natura: ſimilitudo in forma naturali, & in figura; ęqualitas in virtute naturali, ſiue in potẽtia. Si autẽ eſt cõmunio in eſſe reſpectiuè: hoc eſt, vel duorũ ad inuicẽ, vel duorũ ad vnũ. Si primo modò illa cõmunio fuit hęc in ſummo: quia ipſa mater ſua, & ipſe filius eius. Si ſecũdo modo tunc eſt, vel adv nũ tẽpus, vel adv nũ locũ, vel ad vnũ ſitũ, vel habitũ. Secũdũ tẽpus ibi fuit cõmunio quia ipſa ſimul mater Dei, & ipſe ſimul filius hominis, & è cõuerſo. Secũdũ locũ fuit ibi cõmunio. Ipſa enim ipſũ ſecũ portauit de loco ad locũ quocũq; infrà nouẽ mẽſes iuit. Poſſumus aut ẽ & iſtas cõmuniones tẽporis, & loci ſubdiuidere; eſt enim tẽpus aduerſitatis, & eſt tẽpus proſperitatis. Aduerſitatis autẽ duplex, vel à ſe ipſo, vel ab altero. Et ſic triplex erit tẽpus propriè humiliationis, alienę perſecutionis, & tẽpus cõſolationis, & in his omnibus fuit *Dominus* cũ ipſa. In tẽpore propriè humiliationis, in purificatione: quando obtulit ipſum ad tẽplũ, Luc. 2. In aliena perſecutione, ſicut in paſſione, quando ſtabat *iuxta Crucẽ*. Ioan. 19. In ſuper-

Luc. 24 *Auguſt.* *Here.* 31 *Ioan.* 14 *Pſa.* 32 *Luc.* 2. *Ioan.* 19

superna consolatione, sicut in resurrectione. Item locorum alius est naturalis, alius est pœnalis, alius dignitatis. Naturalis, vt est vterus. Pœnalis, vt exilium: dignitatis, vt solium. In his omnibus *Dominus* fuit tecum, & ipsa cum Domino. Dominus enim fuit secum in vtero, secum in exilio, secum in solio. Itē diuersis in diuersis locis solent esse. Similiter fratres simul in domo, Pater, & Filius simul in mensa. Vir & vxor, simul in lecto. Seruus, & Dominus simul in via, & simul in commitatu. Ipsa autē in his omnibus fuit secum: simul in domo, vt frater cū sorore. In mensa, Filius cum Patre. In lecto, vt sponsus cū sponsa. In cōmitatu, vt Dominus cum ancilla. De
Ps. 132. primo Psal. *Ecce quā bonū, & quā iucundum.*
Mat. 15 De secundo Matth. 15. *Non est bonū sumere panē filiorū.* Item Psal. *Filij tui sicut nouellæ*
Gen. 2. *oliuarū.* De tertio Gen. 2. *Propter hanc relinquet homo Patrē suū, & Matrem.* De quarto
Ioan. 12 Ioan. 12. *Si quis mihi ministrat me sequatur.* Fuit etiā ibi cōmunio secundùm situm omni modo. Ipse enim nouē mensibus cum iacente iacebat: cum stante stabat; cum sedente sedebat. Fuit etiā ibi cōmunio secundùm habitum substantiale. Ipsa enim B. Virgo induit ipsum Deum eadē carne, qua ipsa fuit induta. Vnde, & ipse *in similitudinem est hominū factus, & habitu inuentus, vt homo.*
Phi. 2. Fuit etiā ibi cōmunio in patiendo. Est autem triplex cōpassio accidentalis, vt seruus Domino; naturalis, vt Mater Filio, essentialis, vt mēbrum cum mēbro: ipsa ergo cōpassa fuit ei, vt ancilla fidelissima Domino suo, vt mater dilectissimo filio, vt membrum delicatissimum suo membro. Itē in agendo fuit inter eos omnimoda cōmunio. Tria autē sunt genera hominū, quæ necessariò cōmunicant sibi in agendo, scilicet, contrahentes, generantes, adiuuantes. Et ipsa Beatissima Virgo cōmunicauit cum Domino in cōtractu matrimonij hominis, & Dei; in generatione filij; in adiutorio generis humani. Et sic cōmunicauit ei in omni, quòd cōtigit aliquē alicui cōmunicare. *Dominus* ergo omnium generaliter per creationē omnium, specialiter per recreationē, tuus per immediatā sumptionem, Christi hominis per vnionē, *est tecū* per essentiā, præsentiā, & potētiā, inhabitantē gratiā, corporalē præsentiā. Vnde Bern. Sed cùm ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum MARIA, cum qua vtique tāta consensio ei fuit, vt illius nō solum voluntatem, sed etiā sibi carnē coniungeret, & de sua, Virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret. Qui & si nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset; nec duo tamē filij, sed vnus
Lucæ 1. vtriusque filius. Ait, itaque: *Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Nec tantùm Dominus Filius tecum, quē carne tua induis, sed Dominus Spiritus Sanctus de quo cōcipis. Et Dominus Pater, qui genuit, quē cōpicis. Pater, inquā, tecum, qui suum Filium facit, & tuum. Filius tecum, qui ad cōdendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & sibi referat genitale secretum, & sibi seruat virginale signaculum. Spiritus Sanctus tecum qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat vterum. Item de eodem Maximus Epis. *Dominus tecum in mente, tecum in vētre, tecum in vtero, tecum in auxilio.* Ex his ergo patet, quòd qualiter Dominus fuerit cum Beata Virgine omnimodo, quo contingit aliquid esse cum alterō.

De Hoc, Benedicta tu in mulieribus.

CAP. 200.

Benedicta tu in mulieribus. De hac clausula quæritur, an aliquid addat super plenitudinē gratiæ, aut nihil. Si enim nihil addit: ergo superfluit. Si aliquid addit: ergo illa prius gratia plena nō fuit: ergo Angelus falsum dixit, quādo ipsa prius gratiā plenā nunciauit. Itē natura sua eadē est cum natura mulierū: ergo si excellit hoc, est in gratia. Sed omnis gratia includitur, cùm dicitur, *Gratia plena:* ergo frustra additur postea: *Benedicta tu in mulieribus.* Itē si ista benedictio aliquid gratiæ addit, & in gratia excellit viros, & mulieres. Tunc debuisset dixisse: Benedicta tu in hominibus, & etiā: Benedicta tu in omnibus creaturis, cùm in gratia sit excellētior vniuersis. Itē *Benedicta tu in mulieribus.* Gloss. *Quæ sine exēplo muliebris cognitionis Virgo, & Mater Deum genuit.* Sed illud totum in plenitudine gratiæ est cōprehēsum: ergo frustra hic reperitur. Item cùm Virgines omnes excellentiā habebant dignitatis, ista benedictio omnibus virginibus conuenire vidētur: omnes enim virgines, in quantū virgines benedictæ sunt in mulieribus, & sic potius deberet dicere: Benedicta tu in virginibus. Itē si propter fecunditatē virginalē est benedicta *in mulieribus*: tūc multò potius dixisset: *Benedicta tu in mulieribus.* Itē plus est factum, quā dictum. Benedicta autē dicitur, quasi bene aucta, sed plus est beata: ergo potiùs dixisset: Beata tu in mulieribus, quā *Benedicta tu in mulieribus.* Itē cùm benedictio quædā sit gratiæ, quædā verò gloriæ: omnis autē benedictio gloriæ includit in se benedictionē gratiæ: ergo plus dixisset dicēdo, glorioſa tu in mulieribus. Itē *Benedicta tu in mulieribus.* Gloss. id est, *præ mulieribus*, & alibi: in figura dicitur: *Benedicta es tu præ omnibus mulieribus super terrā*, Iudith. 13. Itē Esther. 2. *Iud.* 13. *Assuerus Rex dilexit Esther plus quā omnes mulieres.* *Este.* 2.

Quæstio quæritur ergo, quæ sit differentia inter *Benedicta tu in mulieribus*, & præ mulieribus, & inter mulieres, & plus quàm omnes mulieres.

Item

Item, quæritur; vtrùm pronomen demonstratiuum secundæ personæ notet ibi excellentiam, vel discretionem. Si discretionem, videtur quòd non; quia multæ aliæ sunt benedictæ in mulieribus. Si autem excellentiam, cum excellentia habeat, non tantùm respectu mulierum, sed respectu omnium creaturarum, dixisse debuerat. Benedicta tu in omnibus creaturis. Item quæritur: vtrùm ista Benedictio Beatissimæ Virginis comprehendat omnium aliorum benedictionem in se; & videtur, quòd sic. Imò neque dubitabile videtur. Quid enim magni, vel miri, si habuit benedictionem omnium gentium; quæ benedictiones omnium Angelorum, & gratias habuit, & à nullo illustrium vincitur. Ad hæc soluenda dicimus, quòd quadruplex est ratio benedictionis; dicitur enim benedictio, quandoque maledicti euacuatio. Item dicitur benedictio, fecunditatis ampliatio. Vnde, *Benedixit eis, crescite, & multiplicate, &c.* Gen. 1. Dicitur etiam benedictio singularis gratiæ collatio. Vnde, *Benedixit Dominus Abraham, &c.* Gen. 22. Item dicitur, benedictio cõgratulantium collaudatio. Vnde Matth. 21. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Secundũ omnẽ modũ istũ, & rationẽ fuit Benedictissima Virgo in mulieribus benedicta. Itẽ benedictio, quę est maledicti euacuatio, triplex fuit secũdũ quod est maledictio naturæ, maledictio culpæ, maledictio pœnæ. Maledictio naturæ opprobrium sterilitatis. Maledictio culpę fœditas libidinis. Maledictio pœnæ est inflictio pœnalitatis, & quælibet istarum triplex. In oprobrio enim sterilitatis triplex fuit, maledictio, scilicet, libido impregnantis. Fœditas concipientis, peccatum nascentis. Contra hæc, benedictissima Virgo tres habuit benedictiones, in cuius conceptione impręgnans, fuit Spiritus Sanctus. Concipiẽs Virgo conceptus Deus. Item in inflictione pœnalitatis triplex fuit maledictio damni, virginitatem perdendo, laboris in portando, doloris in pariendo. Cõtra hæc iterum in Beatissima Virgine triplex fuit benedictio, cui in concipiendo virginitas aucta, & consecrata fuit. Sine labore portauit, sine dolore peperit. Et sic constat, quòd nouem maledictiones: nouem benedictionibus euacuauit. Et sic propter maledicti euacuationem, benedicta est in mulieribus. Item est benedictio fecunditatis super exaltatio. Et hæc quoque potest esse triplex: vna ex parte agentis, altera ex parte generati, tertia ex parte gignentis. Et quælibet istarum triplex. Agens enim in ista conceptione fuit Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Exaltata autem esset super omnem generationem, generatio illa, in qua agens esset solus Pater; sed plus exaltata, vbi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Item ex parte generati exaltata est generatio super omnem generationem. Vbi concipitur vir perfectus in naturalibus. Sed plus exaltata est, vbi concipitur vir Sanctus gratia, & virtutibus. Sed super exaltata est, vbi conceptus fuit vir perfectissimus, homo Sanctissimus, & summus Deus. Item ex parte gignentis exaltata fuit, quia Virgo concepit, plus exaltata, quia Virgo peperit, exaltatissima, quia Mater, & Virgo lactauit. Est etiã benedictio singularis gratiæ, quæ similiter in Beatissima Virgine triplex fuit. Prima, quòd ipsa secundùm dignitatem caput est, & principium fœminarum. Secundò, quòd est mater omnium. Tertiò, quòd est, domina omniũ. Prima istarũ adhuc triplex. Dicitur enim principium fœminarũ propter tria. Vnum est, quia habuit quidquid boni in fœminis; fuit aliud, quia quodlibet illorum in summo habuit. Tertium est, quòd illud habuit, quòd nunquam alia fœmina habuit, vel habere potuit. Primũ triplex. Triplex enim bonum, fuit in fœminis. Bonum coniugatarum, bonum viduarum, bonum Virginum. In virginitate adhuc triplex benedictio est. Vna est carnis incorruptio. Secunda nullius viri subiectio. Tertia, Angelica conuersatio. In viduitate etiam est triplex bonum: libertas contemplationis, exercitium in operibus, pietatis, castigatio carnis: omnia ista bona; simul fuerunt in Beatissima Virgine. Habuit etiam ista omnia in summo. Præcellit enim omnes Virgines in tribus benedictionibus virginũ causalitate, quia Virgo virginum puritate; quia pura in summo, fecunditate; quia mater, & Virgo. Coniuges similiter excellit in tribus: habuit enim fecunditatem sine corruptione, prolem sine patre, fęcunditatem respectu altissimæ naturæ, quòd esset Mater Dei. Bonum viduarum similiter habuit, vtpote in summa contemplatione, præcipua pietate, excellentissima castitate. Quidquid ergo boni in mulieribus fuit, hoc totum excellentissimè habuit; quia Virgo virginũ fuit, & Mater Dei fuit, atque mater Virgo fuit. Secunda gratia specialis: quòd mater fuit hominũ, & hoc quoq; tripliciter. Fuit enim mater vnius hominis per generationem: omnium hominum mater per regenerationem, & virginum mater per imitationem. Tertia gratia specialis fuit, quòd fuit domina omnium, & hoc triplici ratione. Tripliciter enim efficitur quis iustè Dominus. Vno modo per operationem, vt Dominus est quis, eius rei, quam operatus est, & conduxit in esse. Secundo modo per emptionem. Tertio modo per electionem, vt prælati. Ista triplici ratione fuit Beatissima Virgo domina omnium creaturarum, vtpote Mater conditoris, adiutrix Redẽptoris, regina creatoris. Quarta dicitur benedictio per gratulantium collaudatio, & hæc quoque triplex:

collau-

collaudatur enim ab Angelis, ab hominibus, & à corporalibus. Genuit enim Angelorũ restauratorẽ: hominũ conditorẽ; corporalium innouatorẽ. Laudãt autẽ eã Angeli, propter tria. Restaurauit enim reddẽdo per æquipollentiã deperditũ; multiplicãdo numerũ, augmẽtando super additum, decimã scilicet Hierarchiam. Homines quoque laudant eã propter tria. Genuit enim eis redẽptorẽ, iustificatorem, glorificatorẽ. Corporalia quoq; laudant eam propter tria. Immutauit enim corpora innouãdo, nobilitãdo; & omnia in Christi corpore diuinitati vnitãdo: sic quoque patet, qualiter Beatissima omnium Domina, secundùm omnẽ rationem benedictionis omnifariam est super benedicta.

A

Qualiter eius benedictio omnem benedictionem comprehendat.

CAP. 201.

Qualiter autẽ, & ista benedictio in mulieribus, cõprehẽdat in se omnẽ aliã benedictionem, facilè est videre singula percurrenti.

De Benedictione diei septimæ.

CAP. 202.

Prima benedictio est illa, qua benedixit Deus diei septimo. In qua, *requieuit ab omni opere, quod patrarat*, Gen. 1. Est autẽ ista benedictio operum cõsumatio: à peccatis vacatio; æternę requiei præfiguratio. In Beatissima autẽ Virgine fuit perfectè operũ cõsumatio: quia omnia creata in vno homine vniũtur cũ creatore; & primũ fit vltimũ; & vltimũ primũ. Non enim est perfectio motus, vel operis, nisi in circulo. Itẽ si similiter est vera à peccatis cessatio in cuius volũtate peccatũ nullum fuit; & præterea in esse, non potuit. Hæc etiã requies nõ solũ fuit futuræ requiei signũ; sed & prẹsentis. Si ergo dies septima est benedicta propter sabbatum Dei; & tamẽ excellẽtior est sabbatismus recreationis, quã creationis: ergo & maior benedictio. *In omnibus* enim *requiem quæsiuit*, & in ipsa sola inuenit; in qua inuenit omnia, quæcunq; quæsiuit: vnde, *Et in tabernaculo eius requieuit*. Eccles. 24. Hæc est enim vera Syon, quam elegit Dominus *in habitationem sibi*, ibi: *Requies sua in sæculum sæculi*, ibi: *Habitauit, quoniam elegit eam*. Sic etiã Beatissima Virgo habuit diei septimæ benedictionẽ.

Genes. 1

Eccl. 24

De Benedictione Adæ, & Euæ.

CAP. 203.

Secunda benedictio, qua benedixit Deus; fuit illa, quã dedit Adę, & Euæ. Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terrã: & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouẽtur super terrã*. Hęc benedictio tria complecturi nse; scilicet, naturæ fęcunditatẽ, terræ subiectionem, animaliũ dominationem. Fæcũditas duplex est carnalis, & spiritualis: vtrãq; habuit Beatissima Virgo in summo, fęcunditatẽ carnalẽ, superfęcũditatẽ naturalẽ, & spiritualẽ vniuersalẽ. *Quoniã omniũ bonorũ mater est*. Habuit etiam terræ subiectionẽ in sumo; terrã enim corporis sui, ita præ omnibus sibi habuit subiectam; quod etia nunquã primũ modũ rebellionis habuit; subiectã cum sit Domina omnium Angelorũ. Habet etiam Beatissima Virgo omniũ animalium subiectionẽ, & dominationem: *dominatur* enim per potentiam *piscibus maris*, id est, Dæmonibus in amaritudine inferni cõstitutis. Dominatur etiã volatilibus cœli, id est eleuatis Angelis, & volatilibus in cęlum, & ad altitudinẽ cõtẽplationis Dei. Dominatur etiam per misericordiã: *vniuersis animãtibus, quæ mouentur super terrã*. Idest omnibus hominibus in mobili vita constitutis. Et sic Beatissima Virgo habuit benedictionem primorum parentum.

Sap. 7.

B

De Benedictione Iacob.

CAP. 204.

Item Isaac benedixit Iacob, Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiã frumenti, vini, & olei: & seruiãt tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus fratrũ tuorũ, & incuruẽtur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur*. Hæc quoq; benedictio in tribus consistit; in abundantia necessariorũ: vt ibi: *Det tibi Deus*. In dignitate bonorũ, ibi: *Esto Dominus fratrum tuorum*. In amotione incommodorũ, vt ibi: *Qui maledixerit tibi*. Item, *ros cœli*. Idest, gratia cõtemplationis; *pinguedo terræ*, gratia actionis; & ex his fit, *frumẽtũ* fidei; *vinũ* spei: vnde ad Rom. 12 *Spẽ gaudentes oleũ charitatis*. Illis addutur necessaria corporis: & sic intelligitur in his omne necessariũ. Sed constat, quòd hæc omnia bona Beata Virgo habuit in summo: contẽplationẽ, actionẽ, fidẽ, spẽ, & charitatẽ. Ergo primũ principiũ, vel præmium illius benedictionis Iacob, habuit in sumo. Secundũ, quòd in hac benedictione est dignitas honorũ, quę intelligitur per hoc: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratruũ tuorũ*. Populi sunt gentiles ad fidẽ cõuersi. *Tribus* Iudæi, *fratres* sui, sunt Christiani. *Filij matris*, sunt Angeli: omnes isti ò Beatissima seruiunt tibi in Ecclesia Militante; adorant te yperdulia in triumphante, & *incuruantur ante te*: quia vbique, & omnibus dominaris congermana tibi pietate. Tertium, quòd fuit in benedictione hac, est incommodorum amotio, & laudis communicatio; quod intelligitur per hoc, quòd dicit: *qui maledixerit* tibi corde, ore, opere: *maledictionibus repleatur*, præsentis, & futuræ vitę: & qui

Gen. 27.

C

D

benedixerit tibi benedictionibus repleatur. Præsentis gratiæ, & gloriæ futuræ. Istam benedictionem etiam habuit in summo Beata Virgo, quæ nunquam aliquod incommodum habuit, quo caruisse voluerit: imo omne incommodum suum, commodum sibi fuit: qui autē ipsam corde, ore, & opere maledixerit, maledictionem æternam hæreditabit, qui verò ipsam corde, ore, opere benedixerit, benedictionem gratiæ, & gloriæ possidebit. Omnes etiam illam laudamus, quando cantantes, dicimus: *Benedicta tu in mulieribus:* & sic patet, qualiter Beata Virgo habuit benedictionem Iacob in summo.

De Benedictione singulorum filiorum Iacob, & primo Iudæ.

CAP. 205.

Sunt & aliæ famosæ benedictiones inter quas sunt illæ, quibus benedixit Iacob filijs suis singulis benedictionibus proprijs, Gen. 49. Sed quamuis omnes dicātur benedictiones, quædam tamen illarum sunt magis prophetiæ, vel maledictiones, quibus omissis; illas, quæ verè sunt benedictiones, qualiter cōprehendātur sub benedictione, Benedictissimę declaremus. Cum autem filij Iacob aliàs significent virtutes. Iudas significat charitatem; & ideò in persona Iudæ decem, & septē ibi ponuntur proprietates de charitate: dicit ergo, Gen. 49. *Iudà laudabūt te fratres tui. Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorū.*

Gen. 49. *Adorabunt te filij Patris tui. Catulus Leonis Iudà, ad prædam ascendisti fili mi. Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum. Non auferetur sceptrum de Iudà, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitē ò fili mi, asinam suā, lauabit in vino stolā suam, & in sanguine vbæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes lactē cādidiores.* Prima ergo proprietas est, quòd charitas est dignissima virtutum, iuxta illud 1. Cor. 13. *Maior horum est charitas;* & hoc intelligitur per hoc. *Iuda laudabunt te fratres*

1. Co. 13 *tui.* Secunda proprietas est, quòd ipsa est expugnatrix peccatorum, iuxta illud, 1. Per. 4. *Charitas operit multitudinē peccatorum:* & hoc intelligitur per hoc, quod dicitur: *Ma-*

1. Pe. 4. *nus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum.* Tertia proprietas est, quòd dat virtutibus essentiam virtutū, & hoc intelligitur per hoc, quod dicitur: *Adorabunt te filij patris tui.* Quarta est, quòd est amatrix arduorum, & hoc intelligitur per illud, quòd dicitur. *Catulus Leonis Iudà.* Quinta est, qòod est expoliatrix dæmonum, quòd intelligitur, per hoc: *Ad prædam ascendisti fili mi.* Sexta est, quod est victris passionū: quòd intelligitur per hoc, *Requiescens.* Septima est; quod est superatrix tentationum per hoc, quòd dicitur: *Accubuisti vt leo.* Octaua est: quòd facit pro dilecto animā ponere, quòd intelligitur per hoc, quòd dicitur: *Leæna.* Nona est, quòd nihil potest eam à dilecto separare. Vnde ad Rom. 8. *Quis nos separabit à Charitate Dei?* Rom. 8. Et hoc intelligitur per hoc: *Quis suscitabit eum?* Decima est, quod facit in æternum regnare, 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* 1. Co. 13 Et hoc est, quod dicit: *Nō auferetur sceptrū de Iudà.* Vndecima, quòd facit Filios Deo generare; quod intelligitur per hoc, quòd dicit: *Et dux de fœmore eius.* Duodecima est, quod facit Christum de cœlo descendere; & hoc est, quòd dicit: *Donec veniat qui mittēdus est.* Tertia decima, quòd vnit mēbra Ecclesiæ in se, ex qua totum corpus est cōnexū, & compactum, & hoc est, quòd dicit: *Ligans ad vineā pullum suum.* Quarta decima, quod vnit, & ligat membra cum capite: & hoc est, quod dicit: *Et ad vitem ò fili mi, asinā suam.* Decima quinta, quod facit Christū suo sanguine nos lauare, iuxta illud. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sāguine suo:* & hoc est. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vbæ pallium suum.* Sexta decima est, quòd fecit eum per doctrinam vocare, iuxta illud, Ioan. vlt. *Simon Ioannis diligis me? pasce oues meas.* Et hoc est, quod dicit: *Pulchriores sunt oculi eius vino.* Decima septima est, quòd fecit Christum nos sibi per Sacramenta incorporare, & hoc est, quòd dicit: *Dentes eius lacte candidiores.* Et sic in vniuerso sunt septendecim proprietates charitatis, quæ sunt dignissimæ virtutū expugnatrix peccatorum; dans virtutibus esse virtutum, amatrix arduorum, spoliatrix dæmonum, victrix passionum: triumphatrix tentationum animā ponere: nihil separare in æternum regnare: filios Deo generare: Christum de cælo deducere, vnire membra Ecclesiæ, & vnire membra cum capite: sanguine lauare, per doctrinam vocare; per sacramenta incorporare. Quod intelligitur per hoc, quod dicitur: *Dentes eius lacte candidiores.* Per lac enim intelligitur mansuetudo Sacramentorum de carne Christi, & passione fluentium. Istę ergo sunt proprietates charitatis, in quibus consistit benedictio Iudæ. Sed ad nobiliorē substātiā sequuntur nobiliores proprietates: ergo quicūque habet proprietatē in summo, habet, & has proprietates in summo, & percōsequens benedictiones Iudę in summo; Sed Beatissima omnium dominarum Domina, habuit charitatem in summo: ergo & has proprietates habuit in summo.

Apoc. 1.

Ioan. vl

De Benedictionibus Zabulon.

CAP. 206.

Sequitur Benedictio Zabulon. *Zabulon in littore maris habitabit in statione nauigium pertingens vsque Sydonem.* Per Zabulon

lon secundùm magistum Ricar. de san Victo, intelligitur zelus animarum, de quo sic dicit: *Post Isachar, Zabulon, ideſt habitaculum fortitudini gignitur, quia per dulcedinis degustationem odium vitiorũ gratia, & veræ virtutis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascẽdo iram Dei placare consuevit. Qui piè seuiendo, dum hominum vitia percutit, quasi non parcendo, melius parcit. Absque dubio nihil sic placet Deo, & nihil sic placat Deũ, quã zelus animarum.* Et infra. *Quàm multos hodie videmus pauperes spiritu, charitate feruentes, multum abstinentes, admodum patientes; ad zelum tamen animarum nimis tepidos, multumque torpentes; alij quidem ad custodiã humilitatis delinquentes increpare non præsumunt. Alij necessitatem fraternam ne turbare videantur, peccantes arguare metuunt: sic alij alijsque, atque adhuc alijs modis zelare pro Domino nolunt, virtutis hoc fingunt esse, vel virtutis esse credunt. Et contra quidẽ, quòd absque dubio agunt in spiritu furoris; agere se arbitrãtur zelo rectitudinis, & dũ veraciter odio prosequuntur hominẽ, hoc agere se putant, vel simulant odio vitiorum: illi pietate potiùs, quàm crudelitatem delinquẽtes per sequi credendi sunt, qui interna illa gaudia, atque eos tot doloribus inuitãt, & per experientiam nouerunt: debet etiam Zabulõ, non solùm delinquentes corripere, sed etiã tempore persecutionis contra persequentes descendere. Debet etiam Zabulon, promptior esse ad mala ferenda, quàm inferenda; & quia habet necesse, quandoque pro culpa eorum irasci; amplius vtique dolet, cùm cogitur eos pro culpa percutere; quam cum cogitur pro eorum defensione puniri; libenter ergo se ocurrentibus periculis obijcit, & cõtra sæuientium procellas tempestatum se sponte opponit. Alioquin frustrà iuxta littora maris habitat; frustra, instatione nauiũ parat, si contra maxima mũdanæ præssuræ discrimina trepidat, vt tempestatibus diù fatigatos, & tandem littoribus ereptos blandè excipiat, & benignè foueat,* Et infra. *Vsque ad Sydonem scimus fieri huius venationem animarum, quandoque per occultam sugestionem Dæmonum, quandoque per apertam suasionem hominum. Verum tamen nouit vtrũque Zabulon cõprehendere, & cautè detegere. Figit ergo fortitudinis suæ habitaculum è regione maris in confinio Sydonis: vbi hinc vigilat contra sæuitiã persequentiũ, illinc contra fraudulentiam insidiantium.* Et infra. *Nescio, si potest homo à Deo in hac vita aliquid maius accipere; ignoro cui possit hac gratia maiorem aliquam Deus homini conferre; quàm vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur, & de filijs Diaboli, filij Dei efficiantur. An fortè cuiquam maius esse videbitur mortuos suscitare? ergo ne maius erit suscitasse carnem mortuam, iterũ moritu-*

A *ram, quàm animam in æternum victurã: ergo ne maius erit restituisse carni gaudia mundi, quàm animæ gaudia cœli: ò qualis dos, qualis dignitas: talẽ gratiã à Deo accipere. Non decuit cœlestem sponsam sponsæ suæ aliam dotẽ donare; quàm vt per adoptionis gratiã possit multos filios gignere Deo, & filios iræ filios q; gehennæ; Regni cœlestis hæredes adscribere. Vnde ipso nato exclamat Mater eius, dotauit me Dominus dote mea bona.* Ex his intelligitur, quòd per Zabulon zelus animarum intelligitur; cius sunt decem proprietates. Prima, quòd odit peccatum. Secunda, quòd maximè placat Deum. Tertia, quòd non parcẽdo plus parcit. Quarta, quòd nihil plus placet Deo.
B Quinta, quòd prõptior est ad mala ferenda. Sexta, quòd blandè recipit pœnitentem. Septima, quòd vigilat contra persecutores, & manifestas insidias. Octaua, quòd homo, non potest maius donũ accipere. Nona est, quòd est dos, quã cœlestis sponsus dat sponsę suę. Decima, quòd filios Dei generat. Istæ ergo sunt proprietates cœli, in quibus consistit benedictio Zabulon, sed ad meliorem substantiam sequũtur nobiliores proprietates: ergo quicumque habet zelum animarũ in summo, habet has proprietates in summo: & per consequens benedictionem Zabulon in summo; sed Beatissima Virgo habuit zelum animarũ in summo: ergo benedictionẽ in summo. Minor patet, per illud quod in principio ponitur, scilicet, quòd zelus animarum ex internæ dulcedinis degustatione generatur, sed illam degustationem habuit in summo: ergo zelum animarum in summo, cum suis proprietatibus: ergo & benedictionem Zabulon in summo.

C

De Benedictione Isachar.

CAP. 207.

Sequitur Benedictio Isachar, de qua dicitur: *Isachar asinus fortis accubans inter terminos, vidit terram, quòd esset bona, & requiẽ quòd esset optima; & superposuit humerum suum ad portandum; factusque est tributis seruiens,* Glos. *Rectè post natiuitatem Gad,* D *& Aser Lia talem filium genuit, quia nisi per abstinentiam, & pacientiam mens humana ad verum gaudium non pertingit. Oportet enim non solùm delectationem falsam, sed & vanã perturbationem excludere, qui vult ae veritate gaudere: & iste filius Isachar, ideſt, merces dicitur, quia illud gaudium verum, tanquam mercedem omnium laborum expectamus.* Et infra. *Scimus, quòd mare semper fluctuat: terra autem in æternum stat: sic & cætera elementa semper in motu sunt; & sola terra stante cætera stare nesciunt, & scimus, quia mens, quæ per varia desideria fluctuat, quam adhuc sæcularium causarum procellæ exagitat; ad illud æternum gaudium* Gen. 49.

dium non admittitur, & illud torrente voluptatis non potant: quantò minus inebriãtur. Et infrà. *Hæc est terra illa bona tranquillitas mentis, quando mens in se ipsa tota colligitur, & in vno æternitatis desiderio immobiliter figitur. Hæc est terra, quã promisit Dominus: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrã.* Et infrà. *Pro hac terra Isachar asinus factus, & fortis effectus, & libenter supponit humerũ suum ad portandũ, & factus tributis seruiẽs. Multũ sibi subitò viluerat, qui se asinum animal penè cæteris vilius reputabat. Multũ concupibit terrã, quam vidit, pro quo ad omnẽ laborẽ fortis perdurauit. Viderat nihilominus, quòd sanè ad pulchritudinẽ illius terræ, omnes pulchritudines iustitiæ nostræ sunt, vt pannus menstruatæ. Viderat nihilominus, quòd nõ sunt condignæ passiones huius tẽporis ad futurã gloriam: in vno ergo sibi vilis, in altero fortis effectus, de vno humiliatus, de altero roboratus fortitudinis suæ humerũ ad omnẽ laborẽ libenter inclinauit. Et in acquirendo diuina, nõ sua, vero regi tributũ persoluit. Vnde Psalmus, vt iumentũ factus sum apud te. Item propter te mortificamur tota die. Quia verò huius vitæ bona ad necessitatẽ nõ respuebat, hanc terrã pœnitus non deserebat. Quia verò futuræ vitæ nihil nisi nouissima quælã capere poterat, illã non apprehendebat, & inter terminos habitabat, & istã tollerabat ad necessitatẽ, illam concupiuit ad iocunditatẽ. Satagebat istã pœnitus deserere, nec poterat: ambigebat in illã totus intrare, nec valebat. Fecit ergo, quod potuit, inter terminos habitauit. Quotidie in illã nitebatur: quotidie in istã relabebatur, & sic inter terminos morabatur.* Ex his colligitur, quòd per Isachar gaudiũ internum intelligitur. Cuius in his verbis decem proprietates exprimuntur. Prima est, quòd falsam delectationẽ excludit. Secunda, quòd vanam perturbationẽ elidit. Tertia, quòd est merces laborũ. Quarta, quòd mẽtem stabilitat. Quinta, quòd animũ roborat. Sexta, quòd hominẽ humiliat. Septima, quòd animum in suspendiũ eleuat. Octaua, quòd terram prospicit. Nona, quòd requiem sentit. Decima, quòd gloriam Deo ascribit, & reddit. Istę ergo proprietates sunt in æternis gaudijs, in quibus consistit benedictio Isachar: sed Beatissima Virgo habuit gaudium: ergo, & propietates eius in summo: ergo, & benedictionem Isachar in summo. Minor pater, supra de Beatitudinibus super illam, quæ est *Beati qui esuriunt*, & in tractatu de fructibus supremo.

Mat. 5.

Benedictio Dan.

CAP. 208.

Sequitur Benedictio Dan. *Dan iudicabit populum suum sicut, & alia tribus in Israel.* Gloss. *Per officium Dan, illecebrosas cogitationes comprehendimus, arguimus, damnamus, castigamus. Rectè enim Dan id est, iudicium vocatus est.* Et infrà *Si Dan populum suum custodiat districtè. Si iudicium suum diligenter exerceat. Fiet nihil in cæteris tribubus, rarò inuenietur, qui damnari debeat.* Ex his colligitur restrictio cogitationẽ inutilium. Circa hoc quatuor proprietates innuuntur, in quibus sua benedictio consideratur. Prima est, cogitationes malas reprehendere. Secũda, arguere. Tertia, dãnare. Quarta, castigare. Istam autem cogitationum restrictionem Beatissima in summo habuit, quę taliter omnes cogitationes ordinatas habuit. Quod nullus, vel primus motus illicitus exurgere potuit, & hc benedictionem Dan possedit.

Dan. 49

De Benedictiene Gad.

CAP. 209.

Sequitur Benedictio Gad. *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.* Gloss. *Quia ad Dan pertinet disciplina cogitationũ: ad Gad pertinet disciplina sensuũ. Vnius est sedare ciuilẽ discordiã: alterius repellere hostilẽ pugnã. Hic vigilat cõtra ciuilẽ proditionẽ: ille contra hostilẽ incursionẽ.* Et infrà. *Quãuis assiduè in throno iudicij sedeat. Quamuis rixas alternationũ, & cogitationũ indesinenter componat: frustrà vtique in obseruanda ciuium concordia laborat: nisi eodem studio Gad ciuitatem nostram per sensum disciplinam muniat, & hostilium vitiorũ agmina instante prælio acriter feriat. Vnde scriptũ est. Gad accinctus præliabitur ante eum. Gad proculdubio tunc sic accingitur quã do sensuum dissolutiones per disciplinã restingit. Tunc fortiter dimicat, quando carnalia desideria per carnis mortificationem trucidat.* Ex his colligitur: Quòd per Gad, disciplina sensuum intelligitur: cuius sunt tres proprietates. Prima, quòd ciuitatem mentis custodit. Secũda hostilẽ, pugnã repellit. Tertia, hostes per abstinẽtiã diuertit. Has proprietates in summo habuit Beata Virgo, quæ ciuitatem cordis taliter custodiuit; quã nunquam aliquis hostium in ipsam, vel primo impugnare motu attentauit: ergo, & benedictionem Gad Beata Virgo habuit.

Gen. 49.

De Benedictione Neptalim.

CAP. 210.

Sequitur Benedictio Neptalim. *Neptalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis.* Gloss. *Sicut ad Dan pertinet per repræsentationem penè reprimere exurgentia intra. Sic ad Neptalim pertinet, per consolationem præmiorum inflammare bona desideria.* Et infrà. *Quia ergo quidquid scriptum reperit, ad spiritualem intelligentiã conuertit, cõuersionis nomẽ accepit. Sed notandũ quòd*

Gen. 49.

quod non aui volanti, sed ceruo currēti comparatur. Nam auis quidē volādo longe à terra suspenditur. Ceruus autem ad dandos saltus terræ vicinatur. Sed nec ipsis suis saltibus separatur à terra. Sic nimirū Neptalim, dum per rerum visibilium formam quærit inuisibilium; nam quosdam saltus dare, non autem ad plenum volare consueuit. Quia in eo, quod se ad summa erigit rerum corporalium, secum vmbram trahens: ima omnino non deserit; sic nouit Neptalim carnalia spiritualibus miscere, & per corporalia incorporalia deuenire: vt vtraq; hominis natura in eius dictis inueniat, vt se mirabiliter reficiat, qui ex corporea, & incorporea natura constat. Illud autem in huiusmodi dictis valdè mirabile est, quod tunc ferè semper blandiuntur, quando iuxta sensum litteræ, nihil sonare videntur. Quale est illud, capilli tui sicut greges caprarum; & illud nasus tuus, vt turris Libani, & similia, nisi fortè in huiusmodi dictis hoc est, quod tam libenter amplectimur ex iucunda quadam, vt ita dicam litteræ fatuitate ad spiritalem intelligētiam consurgere coartamur. Ex his colligitur, quod per Neptalim intelligitur contemplatio inuisibilium per visibilia cū doctrina. Cuius gratię hic sex proprietates ponūtur, quæ Neptalim cōplectuntur. Prima est, præmiorum cōsideratio. Secunda, desideriorū inflammatio. Tertia, scripturarū ad spiritualem intelligentiā cōuersio. Quarta est, nec visibilium, nec inuisibilium derelictio, sed inter vtrumque saluatio. Quinta est, per absurditatem litterę ad spiritualē intellectū coarctatio. Sexta est, spiritualis doctrinæ instructio. Hæc autem omnia ipsa habuit in summo, quę sola inter homines, omnes viatores perfectam in via habuit contemplationem: sola omnes scripturas, secundū omnem sancti spiritus sensum intellexit; & verbo increato vetus, & nouum testamentum expresse docuit, cuius & ipsa ore, & opere disciplinæ Dei doctrix, immo *Glos.* fuit, & sic quādoque benedictionem Neptalim, sua benedictione includit.

De Benedictione Aser.

CAP. 211.

Sequitur Benedictio Aser. *Aser pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus*, Gl. Aser, *quamuis multum esuriat panem iustitiæ, dedignatur tamen eundem comedere, nisi fuerit cōspicuus oleo misericordiæ. Ex multa enim delitiarū affluentia, quæ sibi semper abūdat ex spolijs profrequenti victoria, multum est delicatus effectus. Nec etiā sapit panis vllus, quantūlibet nitidus, nisi sit oleo conspersus, in tantum, vt de ipso pronūtiet Scriptura dicēs: Aser pinguis panis eius; si enim gaudiū est super vno peccatore pœnitentiam agente;* Gen. 49

A *quāta tunc solemnitas erit super quolibet iusto libēter, pro iustitia moriente. Verè pinguis panis eius præbebit delitias regibus. O qualis panis eius! O quales delitiæ eius, quæ tātū sapient Regibus talibus! Certè Reges isti iam ad nuptias introierūt; iū ad illud æternū conuiuium sedent; iamque illo pane Angelorū de litijs æternis vescuntur: iam torrente voluptatis inebriantur. Et adhuc Aser delitias insatiabiliter esuriunt, sed vnde ei tanta ditiarum abundantia? nisi vt est dictum de hostium spolijs, in tantam frequenti victoria. Quantò enim amplius atteruntur hostes iustitiæ, tantò vberius cumulantur gaudia conscientiæ. Gloria & diuitiæ in domo eius, &c.*

B *Gloria autem hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Hostibus itaque fugatis, & omnibus pacificatis; nil tamen obstat, ut arbitror, quin illa ciuitas nostra experiatur, quæ sit illa pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, & quàm magna sit multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Quid ergo mirum, si eam quilibet amator mūdi nescit, quā Deus diligentibus se abscondit? Qui enim in bonis falsis spem figunt, bona vera inuenire nō possunt: vnde dicunt. Quis ostēdit nobis bona? Est enim manna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accepit. Mens enim, quæ laudibus hominum delectatur, quid sit internum gaudium experiri non meretur.* Ex his colligi-

C tur, quòd per Aser intelligitur morum iustificatio. Cuius hic nomen proprietates ponuntur, quæ benedictionem Aser complectūtur. Prima est, esuries pro iustitia. Secunda, delectatio in misericordia. Tertia est, diuitiarum abundātia. Quarta est, delitiarum affluentia. Quinta est, nostium frequens victoria. Sexta est, cœlestium conuiuarum præparatio. Septima est, cōsciētiæ exaltatio. Octaua est, supernæ pacis experiētia. Nona est, absconditæ dulcedinis prægustatio. Harum autē duę aliarum omnium sunt causæ scilicet, esuries iustitiæ, & frequentia victoriæ. Quibus etiam intensis intenduntur omnes aliæ. Constat autem, quòd in Beatissima Virgine,

D in summo fuit esuries iustitiæ, & excellentia victoriæ, sicut & diuitiarum, & delitiarum spiritualium, & conuiuarum, & pacis, & delectationis eminentia. Vt pote quæ nos iustificauit, Mater misericordiæ extitit: serpentē præ omnibus contriuit, omnes filias in diuitijs supergressa abundauit; delitijs affluens: innixa super dilectum ascendit, panem Angelorum, & vinum omnibus dedit, mixtum prę omnibus consortibus suis. Oleo exultationis vncta fuit, per quam pax vera descendit de cœlo: & verum manna nouem mensibus in se absconditum habuit: & tunc omnibus in cibum manifestauit, & donauit; & sic iterum benedictio sua benedictionem Aser includit.

De Benedictione Ioseph.
CAP. 212.

Gen.49. Sequitur Benedictio Ioseph. *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens, & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murũ: sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt. Inuiderũtque ei habentes iacula, sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuũ illius, per manus potentis. Iacob inde pastor egressus est lapis Israel, Deus patris tui erit adiutor tuus. & omnipotẽs benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, & benedictionibus abyssi iacentis deorsũ: benedictionibus vberum, & vuluæ: benedictiones patris tui confortatæ sunt; & benedictionibus patrũ eius, donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazarei inter fratres suos.* Hęc benedictio Ioseph, secundùm intellectum litteralẽ, diuiditur in decem septem partes, benedictionem Ioseph integrantes. Prima est, Dei filiatio. Secũda est, diuina imitatio; & hæc intelligitur per *filium* bis positũ. Tertia est, augmentum sapientię. Quarta est, augmentum gratię: & illæ intelligũtur per *accrescens* bis positum. Quinta est, bona fama, quantum ad se ipsum. Et hæc intelligitur per illud, quod dicitur, *decorus*. Sexta est ædificatio per exẽplum: & hoc intelligitur, quod dicitur. *Filiæ discurrerunt super murum*. Septima est, patientia ab opere, & hoc est quod dicitur. *Sed exasperauerũt eum*. Octaua est, patientia ab ore: & intelligitur per hoc quod dicitur. *Iurgati sunt*. Nona est, patiẽtia à cordis iniuria: & hoc est, quod dicitur. *Inuiderunt ei habentes iacula*. Decima est, liberatio à malo culpæ: & hoc est, quod dicit. *Dissolutæ sunt vincula*. Vndecima est, temporalis origo; & hoc est, quod dicitur. *Inde egressus est pastor*. Duodecima est, mali tentationis superatio, & hoc est. *Deus patris tui, erit adiutor tuus*. Tertia decima est, collatio boni gloriæ, & hoc est. *Benedictionibus cœli desuper*. Quarta decima, est collatio boni gratiæ, & hæc est. *Benedictionibus abyssi iacẽtis deorsum*. Decimaquinta, collatio boni naturæ, quod est. *Benedictio vberum, & vuluæ*. Sexta decima est boni hæreditaria, & hoc est. *Benedictiones patris tui cõfortatæ sunt, de benedictionibus patrũ eius, donec veniret desiderium collium æternorum*. Decima septima est. Bonitatis in alios hæreditatio. Et hoc est. *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazarei inter fratres suos*. Harum omnium benedictionum sufficientia diuiditur in hunc modũ. Benedictio personæ, vel est, in essendo, vel est in patiendo, vel in agendo. In essendo, vel ad Deũ, vel ad se ipsum, vel ad proximum. Ad Deum dupliciter, vel in accipiendo esse, & sic est filius per creationem, vel in accipiendo operationem, & sic est filius per imitationẽ. Ad se dupliciter, vel quantũ ad intellectũ: sic est augmentũ sapiẽtiæ, vel quantum ad affectum, & sic est augmetũ gratiæ. Ad primũ dupliciter, vel quantum ad bonum proprium. Sic est bona fama, vel quantum ab bonũ proximi, sic est exẽplum. Si autẽ in patiẽdo est, vel est passio à malo illato, vel innato. Si ab illato, sic est vel ab opere, vel à sermone, vel à corde: & sic cõtra hoc triplex est pacientia, quæ est arcus in fortitudine diuina. Si à malo innato; sic est liberatio à culpa. Si autem est in agendo, vel est actio naturalis; & sic est origo Christi per propagationem temporalem: vel est volũtaria; & sic vel est contra malum; & sic est tentationis superatio, vel est ad bonũ: & hoc tripliciter, vel in se, vel in causa, vel in efficientia: inse; vel est gloriæ, vel gratiæ, vel naturæ. In causa; sic boni hęreditaria possessio; in efficientia; sic est bonitas in alios operatio. Ex his ergo integratur benedictio Ioseph. Sed cõstat quòd hęc omnia fuerũt in Beatissima Virgine in summo; quę fuit summa filia Dei, in esse gloriæ, gratiæ, & naturæ; & in perfectissima imitatione habẽs plenitudinẽ sapientiæ, gratiæ, famæ, exempli, patientiæ, immunitatis culpę: tẽporalis origo Christi, plena etiã bono glorię, gratię, & naturę, quę omniũ progenitorũ virtutes cũ excellentia habuit, & suã gratiæ plenitudinẽ ad omnes trãsmisit, & sic patet qualiter benedictio Ioseph etiam in Beatæ Virginis benedictione inclusa fuit.

De Benedictione Beniamin.
CAP. 213.

Gen.49 Sequitur de Benedictione Beniamin. *Bẽiamin lupus rapax: mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia*. Hęc benedictio in tribus cõsistit. Primũ, perditorũ omniũ ereptio à culpa. Secundũ, de ereptione cõgratulatio in gratia. Tertiũ in futuro omniũ, & singulorũ gloriatio in gloria. Et hæc in Beatissima Virgine fuerunt in summo: quæ summã in ereptione habuit victoriã: summã de ereptis in prẽsenti lętitiã: & summã in futuro gloriã & sic sua benedictio benedictionem quoque Bẽiamin includit, si autẽ secũdũ tropologiã per Ioseph intelligitur gratia discretionis in actione. Per Beniamin in gratia cognitionis in cõtemplatione. Constat quoque, quòd hęc in summo habuit Beata Virgo: & sic benedictiones filiorum Iacob omnes, quæ verè sunt benedictiones in benedictione Dominæ etiam cum excellentia sunt inclusæ.

De Benedictione prima Balaan.
CAP. 214.

Sequitur videre, qualiter benedictiones illæ quibus benedixit Balaã Israel, in benedictione Dominæ sint inclusæ. Diuiduntur autẽ hæ benedictiones in duas partes; in prima ponit benedictiones quantum ad substãtiam. Secũdo quantum ad ipsarum causam sufficientem

vbi

Nu. 24 vbi dicitur. *Videbo eum, sed nō modò.* &c. Nu. 24. Prima pars continet tres benedictiones. Prima illarum benedicit populo, secundùm statum præsentem: vnde dicit Nu. 23. *de summis silicibus,* &c. Secunda, quoad statum præteritū, in quo fuerunt ibi, vbi dicitur. *Non est idolum in Iacob,* &c. Tertia, quantum ad statum futurum, in quo postea erunt ibi, vbi dicitur. *Quàm pulchra tabernacula,* &c. Prima benedictio est hæc. *De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo eum. Populus solus, qui habitabit, inter gentes nō reputabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel. Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Hæc benedictio habet quinque particulares benedictiones. Prima est, conuersationis altitudo; & hæc duplex, vel imitatione Angelorum; & hoc est, quod dicit: *De summis silicibus videbo illum;* vel imitatione Sanctorum, & perfectorum hominum: & hoc est, quod dicit: *de collibus considerabo illum.* Secunda benedictio est à malis separatio, & hoc dupliciter; vel à communione dæmonū: & hoc est, quod dicit. *Populus solus qui habitabit,* vel à consortio malorum hominū, & hoc est, quod dicit: *Inter gētes non reputabitur.* Tertia benedictio est in se perfectio; & hæc duplex, vel in actione; & hoc intelligitur per hoc, quod dicit, *Iacob*, vel in contemplatione: & hoc intelligitur per *Israel.* Quarta est seminis multiplicatio, & hoc dupliciter, vel est multiplicatio spiritus, & hoc est, quod dicit. *Numerū stirpis Israel:* vel secundùm carnem, & hoc est, quod dicitur: *Puluerē Iacob.* Quinta benedictio est finis beatitudo, & hæc duplex. Scilicet bona mors, & hoc est, quod dicit: *Moriatur anima mea morte iustorum;* & beatificatio post mortem: & hoc est, quod dicit: *Fiant nouissima mea horū similia.* Et sic hæc benedictio, prima cum suis subdiuisionibus decē habet benedictiones. Quarū primā Beatissima Virgo habuit in summo, cuius cōuersatio summè Angelica fuit; & in virtutum deiformitate, & in peccati immunitate; & in virginitatis dignitate. In carne enim omnino, præter carnē viuere non est humana vita, sed Angelica secundā habuit similiter in summo, quæ omnes pios patrum mores ostēdit in se, sed excellit eosdem. Vnde & in altissimis habitat hominum, & Angelorum. Tertiam etiā habet in summo. Summa enim humilitas, quæ in ipsa fuit cum superbia diaboli, nihil commune habuit. Item ab errore, vel peccatis gentilium immunissima fuit: & sic quartam benedictionem habuit. Quintam etiam in summo habuit; quia sola perfectam contemplationem habuit in via. Sextā quoq; habuit; quia qualibet actione liberi arbitrij meruit. Septimam habuit, quia fœcunditatē carnis cū integratione simul possidēs, Deū, & hominē simul genuit, in quo omnes homines in filios spiritualiter regenerauit. Nonā habuit, quæ morte gloriosa, & sine dolore, & cum amore mortua fuit. Decimā habuit, quæ glorioſissimè, scilicet in anima, & corpore statim surrexit; ex his pater, qualiter benedictiones primò, datas omnes cum excellentia, in benedictione Beatissimæ sint inclusæ. Suffitiētia autem benedictionum sumitur, sic benedictio, vel est ad alium, vel ad se ipsum. Si ad alium, vel est ad extraneos, vel ad posteros. Si ad extraneos, vel bonos, vel malos. Si ad extraneos bonos: & hoc dupliciter, quia vel Angelos; & sic prima, vel homines; & sic secunda. Si ad extraneos malos, tunc vel dæmones; & sic tertia, vel homines, & sic quarta: si ad posteros, vel secundùm carnem, & sic materialis multiplicatio, vel secundùm spiritum, & sic est spiritualis multiplicatio. Si autē est benedictio ad se, vel est in præsenti, vel in futuro. In præsenti, vel quātum ad operationē, & sic est actio, vel quantum ad cognitionem, & sic est cōtēplatio. Si in futuro, vel est terminus vitæ intra, & sic est mors, vel terminus vitæ huius extra, & sic est beatitudo.

De Secunda Benedictione Balaam.
CAP. 215.

Secunda Benedictio Balaam principalis est Num. 23. *Nō est idolum in Iacob, nec videtur simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ Regis in illo. Deus eduxit eum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Tēporibus suis dicetur Iacob, & Israel, quid operatus sit Deus. Ecce populus, vt leæna cōsurget, & quasi leo erigetur. Nō accubabit donec deuoret prædā, & occisorum sanguinē bibat.* Hæc autem benedictio similiter habet decē particulas. Prima est immunitas peccatorum corporalium, & hoc est quod dicit: *Non est Idolū in Iacob:* vel immunitas peccatorum spiritualium: & hoc est, quod dicit: *Nec videtur simulachrū in Israel.* Secūda est diuinū auxilium; & hoc est quod dicitur. *Dominus eius cū eo est.* Tertia est admonitio prædicatorum, & hoc est. *Clāgor victoriæ in illo est.* Quarta est, de mundo eductio, & hoc est. *Dominus Deus eduxit eū de Ægypto.* Quinta est humanæ sapiētiæ euacuatio, & hæc est duplex, vel quantum ad animalē intellectum, & hoc est. *Non est augurium in Iacob* vel quantum ad carnalem affectū; & hoc est: *Nec q; diuinatio in Israel.* Sexta est, diuinæ sapientiæ repletio, & hæc est duplex, vel quantum ad temporalia; & hoc est, quod dicit: *Temporibus suis dicetur Iacob*: vel quātum ad spiritualia; & hoc est quod dicit. *Et Israel quid operatus sit Dominus.* Septima est cōfidētiam fide, & hęc est quod dicit: *Nu.* 23

ecce populus vt leæna. Octaua est exultatio in spe, & hæc est, *quasi leo erigetur.* Nona est refectio in charitate, & hoc est quod dicitur. *Non accubabit donec deuoret prædam.* Sunt autem benedictiones cum suis subdiuisionibus tredecim, quarum sufficientia sumitur sic. Ista benedictio datur in comparatione ad statum præteritum, qui est eductio de Ægypto, & in hoc transiuit. Primum est, educendi dispositio. Secundum, ipsa eductio. Tertium est, eductorum conuersatio. In dispositione triplex est benedictio; vel enim est ex parte educendi: & sic est peccatorum immunitas, & hoc est corporalium, vel spiritualium; & sic sunt primæ duæ, vel est dispositio ex parte educentis. Et sic est diuinum auxilium, vel ex parte adiuuantis, sic est admonitio Prædicatorum. Disponit enim ad educēdum, & peccator à peccatis recedēdo. Deus gratiam infundendo; prædicator pœnitentiam prædicando. In ipsa autem educatione duo sunt; vnum recessus à malo; & hoc est de mundo eductio. Aliud est ad Regnum adiuuatio. Eductorum cōuersatio consistit in duobus; vnum, vnde est, impedimentum auferendo. Aliud est necessaria tribuendo. Impedimentum duplex in intellectu: animalis sensu: sin affectu; carnalis affectus. Et hæc duo comprehendit humanæ sapientiæ euacuatio. Item necessarium tribuendo, est dupliciter; quoad intellectum. Sic est diuinæ sapientiæ repletio. Quoad effectum, sic est, in rationali fides. In irascibili spes, in concupiscibili refectio, in charitate, & Sacramentorum perceptio. Primū, & secundum Beatissima Virgo in summo habuit, quæ nec venialiter vnquā peccauit. Tertium etiam habuit in eo, quòd gratia plena fuit. Quartum habuit, quia omnium perfectissimè doctrix fuit opere. Quintū habuit: quia de mundo omnino segregatissima fuit. Sextum habuit: quia in regni solio, iuxta Regem gloriæ, ipsa in Reginam misericordiæ sublimata fuit. Septimum habuit; quia animalem sensum omnino euacuauit. Octauum habuit; quia super omnes fidei eminentias imminebat. Nonum habuit, quia carnalem affectum nullum habuit, in qua etiam fomes peccati extinctus fuit. Decimum habuit, quia diuina sapientia plena fuit: quę ipsam sapientiam generauit. Vndecimum, duodecimum, tertium decimum, habuit in summo: quæ fide spe, & charitate omnes antecellit. Et sic patet, qualiter secunda benedictione Balaam, tredecim, super Israel enumeratæ in benedictione Benedictissimæ sunt vniuersaliter, & cum omni excellentia comprehensæ.

A

B

C

D

De Tertia Benedictione Balaam.

CAP. 216.

Tertia benedictio Balaam, principalis hæc est Num. 24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Deus. Quasi cedri propè aquas fluet, aqua de fistula eius, & semen illius, erit in aquas multas. Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur Regnum illius. Deus de Egypto eduxit illum, cuius fortitudo similis est rinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius: ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. Accubans dormiuit, vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi erit, & ipse benedictus: qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.* Inter has benedictiones, nouem benedictiones sunt comprehensæ. Prima est multiplicatio Ecclesiasticarum actionum, & hoc intelligitur per illud, quod dicit. *Quàm pulchra tabernacula tua.* Secūda est, pulchritudo religionum, & hæc est. *Tentoria tua Israel,* Tertia est: ordo, & institutio prædicationum: & hoc est *fluet aqua de fistula eius,* &c. Quarta est Regni Iudaici translatio: & hoc est. *Tolletur propter Agag Rex eius.* Quinta est Regni gentium Ecclesiæ subiecto. Et hoc est: *deborabunt gentes hostes illius.* Sexta est. dæmonum contractio, & hoc est: *Ossaque eorum confringent.* Septima est, antichristi interfectio; & hoc est, *perforabunt sagittis.* Octaua est, à somno mortis resurrectio, & hoc est: *accubans dormiuit, vt leo.* Nona est bonorum, & malorum remuneratio. Et hoc intelligitur, ibi: *Qui benedixerit,* &c. Sumitur autem sufficientia istarum benedictionū in hunc modum. Benedictio Ecclesiæ, vel est in vita præsenti, vel in futura. Si in hac vita, vel est collatio boni, vel ablatio mali. Si est collatio boni, vel est multiplicatio actiuorū, vel contēplatiuorū, vel vtrorumque doctorum. Et secundùm hoc sunt tres primæ, scilicet, multiplicatio Ecclesiasticorum: pulchritudo religiosorū, abundantia prędicatorum. Si autem est mali ablatio, vel est commutando; & sic est Regni Iudęorum translatio, vel destruendo. Et hoc est, vel hominum, vel dæmonum, vel Antichristi, qui est homo plenus dæmone. Et secundùm hoc, tres sunt illæ: scilicet regni gentium subiectio: dæmonum cōfractio: antichristi interfectio. Si post hanc vitam, sic est, vel omnium communis resurrectio, vel bonorum remuneratio, vel malorum damnatio. Et sic sunt tres vltimæ benedictiones. Qualiter autem istæ tres benedictiones conueniunt Beatissimæ Virgini, facilè est declarare. Summa enim fuit, vt sæpius dictum est in actione, & contemplatione, in doctrina. Ipsa quoque in suo partu trāstulit Regnū Iudæorum, quæ Regem genuit Christianorum. Et perconsequens destruxit Regnum gentium, & dæmonum, & Anti christi, quæ filij sui ore interficiet, & omnes bonos, & ma-

Nu. 24.

malos remunerabit: quæ remuneratorem generauit, & ipsum bonis in præmium donauit. Et sic patet: qualiter iste nouem benedictiones in benedictione, benedictissimæ sunt inclusę.

De Quarta Benedictione Balaam.

CAP. 217.

Quarta benedictio Balaam, quæ non tam
Nu.24. Benedictio, quàm benedictionum causa est. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab. Vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius. Hæreditas Seyr sedet inimicis suis. Israel verò fortiter aget, de Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.* Hæc benedictio diuiditur in septem partes. Prima est benedictissimæ Virginis generatio. Secunda Filij Dei ex ipsa incarnatio. Tertia vitiorum destructio. Quarta hominũ liberatio. Quinta bonorum confirmatio. Sexta bonorum dominatio. Septima malorum damnatio. Prima intelligitur per hoc, quod dicitur. *Orietur stella ex Iacob.* Secũda id per quod dicit. *Et consurget virga de Israel.* Tertia, per id quod dicit: *Percutiet duces Moab.* Quarta per id quod. *Et erit Idumæa possessio eius.* Quinta per id. *Israel verò fortiter aget.* Sexta per id. *De Iacob erit, qui dominetur.* Septima per id. *Quod perdet reliquias ciuitatis.* Et sumitur horũ sufficientia, in hunc modũ. Causã benedictionis, vel est considerare in se, vel in effectu. In se, vel est mediata, & sic est generatio Dominæ; vel immediata, & sic est incarnatio Filij. Si autem in effectu; vel in prę-
C senti, vel in futuro. Si in præsenti, vel respectu malorum, vel bonorum: si malorum, vel vitiorum. Et sic est tertia, vel hominum: & sic est quarta: si respectu bonorum est quinta. Item in futuro, vel est respectu bonorum: & sic est dominatio, vel malorum: & sic est dãnatio. Patet ergo, qualiter hæ quoque partes procedunt, & dependent à benedictione benedictissimæ Virginis, quæ in hac prima est radix, & causa omnium cõsequẽtium. Quidquid enim est causa causæ, est causa omnium
D consequentium causatarum. Vnde cum Beatissima Virgo mediante illa benedictione, qua abundat in mulieribus, sit causa corporalis generationis; de ipsa, & illa sit causa consequentium: patet, quod in ipsa sua benedictione, istæ benedictiones causaliter sunt inclusæ.

De Benedictionibus datis populo à Moysi.

CAP. 218.

Sequitur videre de benedictionibus, quibus
Deu.28 benedixit Moyses Israel, præcepta Domini seruanti, dicens. Deut. 28. *Benedictus tu in ciA uitate, & benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructus que iumentorum tuorum greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarũ. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens: Dabit dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te corruentes in conspectu tuo. Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet dominus benedictionẽ super cellaria tua, & super omnia opera manũ tuarum. Benedicetque tibi in terra, quam acceperis, suscitabitque Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambu-*
B *laueris in vijs eius. Videbũtque omnes terrarum populi, quod nomen domini inuocatum sit super te; & timebunt te. Abundare te faciet dominus omnibus bonis fructu vteri tui, & fructu iumentorũ tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit dominus patribus tuis, vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suũ optimum cœlum, vt pluuiam tribuat terræ tuæ in tempore suo. Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum, & fenerabis gentibus multis; & ipse à nullo fenus accipies. Constituet te dominus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & non subter.* Et sic ponuntur ibi decem, & nouem benedictiones. Prima est, gratia contemplationis; & hoc est. *Benedictus tu in ciuitate.* Secunda est, gratia actionis, & hoc est. *Benedictus in agro.* Vnde Glossa. *Benedictionem contemplatiuæ, ac actiuæ.* Tertia est, puritas cõtemplationis, & hoc est: *fructus ventris tui.* Quarta est, vtilis operatio: & hæc est. *Benedicta*, scilicet, *terra.* Quinta est, in alijs fructificatio: & hoc est triplex. In Laycis, in Clericis, & Religiosis. Primum *per iumenta.* Secundum, *per armenta.* Tertium, *per caules ouium.* Sexta est virtutum frugalitas: & hoc est duplex; vel quantum ad actum, & hæc; *benedicta horrea tua.* Glo. *Virtutum custodia;* vel quantum ad habitum. Et hæc est: *Benedictæ reliquiæ.* Vnde Glo. *Bona voluntas, quæ remanet post opera.* Septima est, fęlix consumatio: & hoc est
D duplex, quantum ad operationem boni: & hoc est: *Benedictus ingrediens*; vel quantum ad euasionẽ mali: & hoc est: *Benedictus egrediens.* Vnde Glo. *Ingrediens in præceptione præmij. Egrediens ab hac vita ad æternam.* Octaua est, victoria tentationum. Et hoc est: *Dabit Dominus inimicis tuis*, &c. Nona est, Cum tentatione prouentus, & hæc est: *Per vnam viam venient.* Decima est, spiritualis refectio: & hæc est duplex; de gratia contemplationis, vel cõtritionis: & hoc est. *Emittet Dominus benedictionẽ super cellaria tua:* & de labore satisfactionis: & hoc est. *Super omnia opera manuum tuarũ.* Vndecima est, cæleſtium donorum multiplicatio: & hæc est.

Be-

Benedicet tibi in terra quam acceperis. Vnde Gloss. *Gratia cœlestium, multiplicatio bonorum.* Duodecima Sanctorum associatio: & hæc est: *Suscitabit te Dominus Deus sibi in populum Sanctũ.* Tertiadecima est, hostibus timoris incussio: & hoc est: *Videbunt omnes populi terrarum, &c.* Quartadecima est spiritualium, & temporalium successio: & hæc est: *Abundare te faciet Dominus omnibus bonis.* Decimaquinta est, in subditis prosperatio: & hæc triplex, vel in Religiosis: & hæc est: *Fructus ventris tui.* Vel in Clericis: & hæc est: *Fructus iumentorum*, vel in Laicis: & hæc est: *Fructus terræ.* Decimasexta est abundantia diuinæ sapientiæ: & hæc est: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimam.* Decimaseptima est doctrinæ præeminentia: & hoc est: *Cœlum pluuia tribuat.* Decimaoctaua, est bonorum opes frequentia: & hic est: *Benedicetque cunctis operibus manuum tuarum.* Decimanona est, dignitatis excellentia: & hæc est triplex, in dando, & non accipiendo: & hoc est: *Tu fœnerabis gentibus multis.* In regendo, & non subesse ndo: & hoc est: *Constitues te in caput, & non in caudam.* In exaltando, & non deprimendo: & hoc est: *Supra, & non subter.* Huius benedictionis sufficientia sumitur in hunc modum: Benedictio Ecclesiæ est, vel quantum ad contemplationem, vel quantum ad actionem, si quantũ ad actionem, vel est ordinatum in bonum, vel contra malum. Si in bonum, vel in bonum meriti, vel in bonum præmij. Si meriti: hoc est, vel in operibus, vel in virtutibus. Si in operibus, vel in genere, vel in specie. Si in genere, vel est contemplatio: & hoc est: *Benedictus in agro.* Si est in speciem, vel in se, vel in subditis. Si in se, vel interius, vel exterius. Si est opus interiùs, sic est: *Benedictus fructus ventris tui.* Si est exterius; tunc est, quòd dicit: *Fructus terræ.* Si autem est opus in subditis, tunc, vel in laicis: & sic sunt *iumenta*, vel in clericis: & sic sunt *armenta*, vel in religiosis: & hæc sunc *caulæ ouium.* Si autem est bonum meriti in virtutibus, vel est in actu: & hoc ibi: *Horrea.* Vel in habitu: & hæc sunt *reliquiæ.* Si autem bonum præmij, vel in bono, vel à malo. Si in bono: hoc est *ingrediens.* Si à malo: hoc est *egrediens.* Vnde Gloss. *de præsenti vita ad æternam.* Si autem actiuam contra malum: sic est cum tentatione prouentus: & hoc est: *Dauit Dominus inimicis tuis.* Si autem est benedictio pertinens ad contemplationem, hoc est quantum ad vitam, vel quantum ad doctrinam. Si quãtum ad vitam, vel in se, vel in respectu aliorum. Si in se, vel est delectabile, vt spirituale gaudium: & hoc est, vel in habendo, vel in recipiendo: & hoc est: *cellaria tua.* Vel in agendo: & hoc est: *Operibus manuum tuarum.* Vel est vtile, vt multiplicatio, bonorum: & hoc est: *Benedicta terra tua.* Vel est honestum, vt consortium bonorum: & hoc est: *Suscitauit te Deus in populũ suũ.* Si autẽ sit respectu aliorũ: hoc est, vel respectu inimicorũ, vel amicorũ: Si respectu inimicorũ, tũc est quod dicit: *videbũt te omnes.* Si respectu amicorũ, vel in se, vel in subditos: si in se, hoc est: *Abũdare te faciet Dominus:* Si in subditis. Hoc est, vel in Religiosis, & hoc est: *Fructus ventris tui.* Vel in Clericis, & hoc est: *Fructus iumentorum.* Vel in laicis, & hoc est: *Fructus terræ.* Si autem est pertinens ad doctrinam, vel est in cognoscendo, & sic est: *Aperiet tibi Dominus thesaurum:* vel est in docendo: & hoc est: *Vt pluuiam tribuat terræ.* Vel in agendo: & hoc est duplicitet, vel in se: & hoc est: *Benedicet operibus manuum tuarum.* Vel respectu aliorum: & tunc est, vel respectu Dominorum, vel Doctorum, vel respectu Prælatorum. De primo *Fœnerabis gentibus multis.* De secundo: *in caput, non in caudam.* De tertio: *Supra, & non subter.* Quia, scilicet, erit magister, & nõ discipulus; Dominus, & non seruus, Prælatus, & non subditus. Qualiter autem benedictiones istæ conueniant Beatæ Virgini facillimum est videre. Gratiam enim contemplationis in summo habuit, quæ perfectè diuinitatis, & humanitatis Sacramentum in via cognouit. Perfecta in actione fuit: quæ omnibus operibus meruit. Benedictionẽ fructuum ventris habuit, quæ prima in summo Mater Dei corporaliter, & spiritualiter fuit. Fructificationem in altis præ omnibus alijs habuit, quæ Mater Virginum, & omnium Cleritorum, & Religiosorũ per continentiã extitit; imò quæ omnium bonorũ mater fuit. Item frugalitatem virtutum in summo habuit, quæ omnes virtutes viæ per modum patriæ habuit. Itẽ Benedicta fuit ingrediẽs, & egrediens: quæ de hac vita sine dolore mortis migrauit, & statim corpore, & anima cœlum introiuit. Item tentationum victoriam in summo habuit, quæ nunquam in aliqua tentatione, vel semel venialiter cecidit: ibi tamen iustus septies in die cadit. Item per tentationem habuit prouentum, non quia humilior, vel cautior surrexit: sed quia adeò fortiter stetit: quòd nec tentationi in puncto minimo cessit. Item summam refectionem habuit specialem, vt supra in materia de Beatitudinibus, & de fructibus manifestum fuit. Item cœlestium donorum multiplicationem in summo habuit, quæ gratia plena fuit. Item sanctorum societatem in summo habuit; quæ virginibus coniugatis actiuis, & contemplatiuis conformis. Simul omnium illorum proprietates in summo habuit; quæ etiam Angelicam, & humanam vitam habuit. Vnde *in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Item hostibus timoris incussionem *Eccl. 24*

nem ipsa in summo habuit, quæ terribilis
Cant.6. fuit, *Vt castrorum acies ordinata.* Nec mirum, quia caput ipsius antiqui serpentis attriuit, & nos de maxilla eius extraxit. Item tẽporaliũ, & spiritualiũ successio ita ipsa in summo fuit: quæ confidenter de se dicit: *In me omnis gratia viæ, & veritatis. In me omnis*
Eccl.24 *spes vitæ, & virtutis.* Item in filijs prosperatio in ipsa in summo fuit: quæ Deum genuit, & omnem creaturam recreabilem recreauit. Item abundantiam diuinæ sapientiæ in summo habuit, quæ nihil ignorauit. Item doctrinæ præeminentiam in summo habuit, quæ doctrix summa disciplinæ Dei fuit, & nobis omnia per verbum increatum prædicauit. Item bonorum operum frequentiam habuit, quæ quolibet opere meruit. Itẽ dignitatis excellenciam in summo habuit: quæ Mater Dei, Regina cœli, & Regina misericordiæ extitit. Et sic patet, qualiter omnes benedictiones istæ in benedictione super Benedictissimæ Virginis sunt comprehensæ.

De Benedictionibus datis filijs Israel à Moyse. Primo Ruben.

CAP. 219.

Post hæc videndum est de benedictioni-
Deu.33 bus datis filijs Israel à Moyse sicut in Deuter. 33. sunt comprehensæ. Ait igitur ad Ruben: *Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.* Vbi quatuor dicuntur de Ruben. Primum, quòd viuat per gratiam, & hoc intelligitur per illud, quòd dicitur: *Viuat.* Secundum quod non moriatur per peccatum: & hoc est; *non moriatur.* Tertium, quòd *paruus sit* in numero. Quartum, addit Gloss. *Quod sit maximus fide.* Et sufficientia huius benedictionis sumitur in hunc modum. Benedictio, vel est absolutè, vel respectiuè. Si est absolutè, vel est in bono, vel à malo. Si in bono: sic est: *Viuat* gratia. Si à malo, sic est: *non moriatur* per culpam. Si respectiuè: sic est, quòd similem in bono non habeat: & hoc est: *Sit paruus in numero.* Vel quod alios excellat: & sic est maximus in fide. Hæc autem omnia expræsissimè fuerũt in Beatissima Virgine: in qua omnis gratia vitæ fuit. Itemque, quæ nunquam peccauit: Item, *Quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Quæ & fide, & omnibus virtutibus omnes excellit.

De Benedictione Iudæ.

CAP. 220.

Deu.33 Sequitur de Benedictione Iudæ: Hæc est Benedictio Iudæ: *Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum, manus eius pugnabit pro eo: & adiutor illius contra aduersarios eius erit.* In qua etiam quatuor ponuntur. Primum est, præcum exauditio. Secundum est, ad populum introductio. Tertium est, sui ipsius defensio: & hoc est: *Manus eius pugnabit pro eo.* Quartum est, aliorum protectio: & hoc est: *Adiutor illius contra aduersarios eius.* Huius benedictionis sufficientia sumitur sic. Benedictio, vel est ad bonum, vel contra malum. Si ad bonum, vel est ad finem: & hoc est præcum exauditio, vel est ipse finis: & sic est ad populum introductio. Si autem est contra malum, vel sui: & sic est sui ipsius defensio, vel aliorum: & sic est protectio. Hæc autem omnia fuerunt in Beatissima Virgine in summo, in qua fuit exauditio in summo. Nam 3. Reg. 2. Legitur ipsi dictum in persona Bersabe: *Pete mater mea quia vis Non enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Et in persona Esther ei dicitur 4. *Etsi dimidium regni mei petieris impetrabis.* Nam, & illam ipsius nihil negas honorat. Item ad populum introductio ei conuenit in summo. Ipsa enim vt *columna nubis* populum in terram promissionis introducit. Item, sui ipsius defensio in ipsa in summo fuit: quæ ab hoste nũquam læsa fuit. Item aliorum protectio in ipsa fuit, quæ nos ab hoste protegit auxilio, ab ira filij suffragio, & exemplo. Item sui ipsius defensio in ipsa fuit in summo; quia alios sic defendit, quòd in ipsa, nec pugnam aduersarius sumpsit. Vtpote in qua ipse hostis omnino extinctus fuit. Sic ergo patet qualiter Beata Virgo habuit benedictionem Iudæ. *3. Re.2.* *Esther 4.* *Exo.13*

De Benedictione Leui.

CAP. 221.

Sequitur: Leui quoque ait: *Perfectio tua à* *Deu.33*
viro sancto: quæ probasti in tentatione, & iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixerit patri suo, & matri suæ: nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum seruauerũt. Iudicia tua, ò Iacob, & legem tuã Israel ponent thimiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum. Benedic Domine fortitudinem eius, & opera manuum illius suscipe: Percute dorsa inimicorum eius, & qui edunt illum non consurgant. In benedictione Leui nouem ponuntur. Primum est, vitæ perfectio, ibi: *Perfectio tua.* Secundum est, doctrinæ altitudo, ibi: *Det tibi.* Tertium est, Christi eductio & hoc est: *A viro sancto tuo.* Quartum est, omnium abnegatio: & hoc est: *Qui dixerit Patri suo, vel Matri suæ, &c.* Quintum est, Præceptorum, & Consiliorum impletio: & hoc est: *Qui custodiunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Sextum est, pro alijs intercessio & hoc est: *Ponunt thimiama in furore tuo* Septimum est, de passione gloriatio: & hoc est:

Bene-

Benedic Domine fortitudĩ eius. Octauum est, remuneratio de operibus, & hoc est. *Opera manuum illius suscipe.* Nonum est, hostiũ destructio; & hoc est. *Percute dorsa inimicorũ eius.* Huius sufficientia sic sumitur Benedictio, vel est pertinens ad meritũ, vel ad præmium; si ad meritũ, vel est in essendo, vel in substantia, vel in efficientia. Si in substantia, vel in se; sic est perfectio vitæ, vel respectu aliorum; & sic est altitudo doctrinæ; si in efficientia; sic est Christi educatio. Si autẽ est meritũ in operãdo, vel est à malo; & sic est omniũ abnegatio, vel est ad bonũ: & sic est consiliorũ, & præceptorum impletio, quæ sunt in vtroq; testamento. Si autẽ est in operando in alijs, sic est pro alijs intercessio. Si autẽ pertinet ad præmium, vel absolutè, vel respectiuè; si absolutè sic est de passione gloriatio, & de actione remuneratio: si respectiue, sic est hostium destructio. Qualiter autem hæc omnia fuerint in Beata Virgine, facilè est videre. Ipsa enim fuit perfectissima in vita, altissima in doctrina, quæ totã legem sciuit. Christum quoq; de suo vtero eduxit. Qui ibi quadraginta hebdomadibus, sex diebus minus quieuit. Item omnia abnegauit, quæ perfectissimam paupertatem habuit, vt supra patuit. Item præcepta, & consilia in summo, & ex charitate in summo impleuit. Item pro alijs intercessio, in ipsa in summo fuit, quæ omnibus dominum placuit, & adhuc pro nò. bis ipsũ pectus, & vbera ostendit. Item quia post filium summã passionem habuit, & summam habet de passione gloriationem. Item, quia summas, & nobilissimas actiones habuit, summã habuit remunerationem. Item, quia sibi, & omnibus nobis hostem vicit, à quo nunquam victa fuit: supremum de hoste triumphum reportauit: & sic patet, qualiter Beatissima Virgo habuit benedictionẽ Leui,

De Benedictione Beniamin.

CAP. 222.

Sequitur de Beniamin, ait igitur: *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requiescet.* In hac benedictione quatuor ponuntur. Primũ Deu.35 est prę omnibus dilectio, & hoc est. *Beniamin amantissimus.* Secundum est, secura habitatio, & hoc est *Habitabit confidenter.* Tertiũ est, diuina in habitatio, & hoc est. *Quasi in thalamo tota in die commorabitur.* Quartum est in operibus illius delectatio, & hoc est: *Inter humeros illius requiescet.* Huius benedictionis hæc est sufficientia; vel est in se, vel respectu dilecti: si in se, vel in bono; & sic præ omnibus dilectio, vel est à malo; & sic secura habitatio. Si respectu dilecti, vel est, quantũ ad substantiam; & sic est diuina inhabitatio, vel quantum ad actum, & sic est in operibus delectatio. Hæc omnia in summo habuit Beata Virgo, quæ super salutem, & omnem pulchritudinẽ dilecta est Domino, quæ sæcurissima habitat in regali solio, in qua habitauit diuinitas corporaliter. Non tamen tota die, sed nouem mensibus, quę mulier prudentissima in omnibus delectabat virum, & filium suum, & sic patet qualiter, & benedictionem Beniamin in summo habuit Beatissima Virgo.

De Benedictione Ioseph.

CAP. 223.

Sequitur, Ioseph quoque ait. *De Benedictione domini terra eius, de pomis cœli; & rore, atque abyssosubiacente: de pomis fructuũ Solis, atque lunæ. de vertice antiquorum mõtium: de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius beneplacito illius. Qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazarei inter fratres suos.* Benedictio Ioseph in octo cõsistit. Primum est; diuinæ dulcedinis prægustatio, & hoc est. *De pomis cœli, & rore. Ros,* in quãtum illuminat intellectum, *pomũ,* in quantum reficit affectum. Secundum est in humanitate Christi delectatio, & hoc est. *Atque abyssosubiacente.* Tertium in operibus Christi refectio, & hoc est. *De pomis fructuũ solis.* Quartum est, de gratijs Ecclesiæ iucũdatio, & hoc est; & *Lunæ.* Quintum est, de gratijs, & virtutibus antiquorum patrũ exaltatio, & hoc est. *De vertice antiquorum mõtium.* Sextum est, modernorum perfectorum congratulatio, & hoc est. *De pomis æternorũ collium.* Septimum est, de gloria Ecclesiæ triumphantis exultatio, & hoc est. *De frugibus terræ, & de plenitudine eius beneplacito:* Octauum est, gloriæ Christi hominis participatio, & hoc est. *Beneplacito illius, qui apparuit in rubo.* Huius benedictionis hęc est sufficientia; vel est pertinens ad statum viæ, vel est prægustatio, vel determinatio illorum, quorum est prægustatio. Si primo modo, sic est diuinę bonitatis prægustatio. Si secundo modo; tũc, vel est de capite, vel de membris; si de capite, vel quantum ad substantiam, & sic in humanitate Christi refectio: si de membris, vel communiter; sic est de gratijs Ecclesiæ iucundatio, vel specialiter, & tunc, vel sunt antiqui; & sic est de virtutibus antiquorum exultatio, vel sunt moderni, & tunc est perfectorum mundanorum congratulatio. Si autem pertinet ad statum patriæ, vel quantum ad membrum; & sic est de gloria triumphantis Ecclesię exultatio; vel quantum ad caput, & sic est gloriæ Christi communicatio. Hæc autem omnia habuit in summo Beata Virgo, quæ summam diuinæ dulcedinis, non tantum prægustationem, sed etiam co-

Deu.33

me-

mestionem, quæ totum in se manna habuit: etiam summam in Christi humanitate dilectionem, & delectationem habuit. Quia summam ad ipsum habuit refectionem, quando
Prou.8. *ludebat coram illo in orbe terrarum per singulos dies.* Prou. 8. Item de profectu Ecclesiæ congratulationem; quia summam ad ipsam habuit charitatem. Item de Patrum sanctitate, exultationem, à quibus duxit originem, & possederat perfectionē. Item de profectu modernorum, congratulationem habuit. Quibus omnibus perfectionis, ipsa fuit magistra, & dux, & exemplum. Item de Ecclesiæ triumphantis gloria summe gaudebat, vtpote illius imperatrix, & Regina: de gloria autem Christi hominis, non partem, sed totum habebat; cum quo vna in natura, familiaris in gratia, in gloria ipsum, & suam gloriam plusquam se, & suam dilexit: sic igitur constat manifestè Beatissimam Virginem, omnes benedictiones Ioseph in summo habuisse.

De Benedictione Gad.

CAP. 224.

Sequitur de Gad, ait: *Benedictus in lati-*
Deu.33 *tudine Gad, quasi leo requieuit: cepitque gladium, & verticem; & vidit principatum suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi sui, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cū Israel.* Benedictio Gad sex comprehendit. Primum est Regni dilatatio, ibi: *Benedictus in latitudine Gad.* Secundū est, per fortitudinem requietio, ibi: *Quasi leo requieuit.* Tertium est, hostium subiectio. *Cepitq; brachiū.* Quartum est, imperij adeptio, ibi: *Et verticem.* Quintum est, sui principatus cognitio, ibi: *Et vidit principatum suum.* Sextum est, doctoris apud ipsum repositio, ibi: *Quod in parte sua doctor esset repositus.* Hęc est autem huius benedictionis sufficientia. Benedictio, vel est ad proximum, vel ad se ipsum, vel ad Deum. Si ad proximum, sic est Regni dilatatio. Si ad se ipsum, vel à malo, vel ad bonum; si à malo, vel intus: & sic est requietio, vel extra; & sic est hostium subiectio: si ad bonū, vel in habendo; & sic est imperij adeptio, vel in cognoscendo; & sic sui est principatus cognitio. Si autē ad Deum, sic est Doctoris apud se repositio. Hæc quoque in summo habuit Beatissima Virgo: Regni dilatationem; quia à solis ortu, & occasu, Beatam ipsam dicent omnes generationes, quæ est Regina cœli, & mundi, & Angelorum, & hominum, in se requietionē habuit in summo, quia in ipsa fuit fomitis extinctio. Hostium etiam subiectionem habuit in summo, vt iam pluries supra patuit. Item summa imperij adoptionem habuit, quæ super omnes choros Angelorum, Regina Angelorum, & imperatrix misericordiæ exaltata fuit. Item sui principatus cognitionem habuit in summo: quia super omnes choros Angelorum, & puras creaturas, diuinam operationem in se, & gloriam plenius cognoscit; vnde confidenter dicit: *In me omnis gratia vitæ, & virtutis.* *Eccl.24*
Item doctoris depositio, apud ipsam fuit in summo; quia ille magistrorum optimus, nouem mensibus repositus requieuit in eius vtero; & sic patet qualiter Beatissima Virgo habuit benedictionem Gad in summo.

De Benedictione Dan.

CAP. 225.

Sequitur Dan, quoque ait. *Et Dan catulus*
leonis fluet largiter de Basan. Benedictio Dā *Deu.33*
tria complectitur. Primum est, humilitas, ibi: *Catulus.* Secundùm fortitudo, ibi: *Leonis.* Tertium est, largitas, ibi. *Fluet.* Et hæc est eorum sufficientia Benedictio, vel est cordis, vel operis: si cordis, sic est humilitas cordis; si operis duplex, vel in se; sic est fortitudo operis, vel in alijs: sic est largitas muneris. Hæc autem omnia in summo habuit Beatissima Virgo, quæ vltra omnem creaturam humilima super omnes est exaltata. Item mulier fortissima, quæ vicit mundum, Deū, Diabolum. Item largissima, quæ Deo dedit mundum, & homini Regnum cœlorum, & ipsum Deum.

De Benedictione Neptalim.

CAP. 226.

Sequitur, & Neptalim dixit: *Neptalim*
abundantia perfruetur, & plenius erit de be- *Deu.33*
nedictionibus Domini. Mare, & meridiem possidebit. Benedictio Neptalim, quatuor comprehendit. Primum est, abundantia donorum spiritualium, ibi: *Abundantia perfruetur.* Secundum est, plenitudo bonorum cœlestium; & hoc est: *Plenius erit benedictionibus Domini.* Tertium est, peccatorum conuersio. Hoc est, *mare.* Quartum est, iustorum conseruatio; & hoc est. *Meridiem possidebit.* Sufficientia horum est; benedictio: vel est in se, vel in alijs: si in se, vel est benedictio quantum ad statum gratiæ, & sic est, abūdantia donorum spiritualium; vel quantum ad statum gloriæ, & sic est plenitudo bonorū cœlestium. Si autem est benedictio respectu aliorum, illi, vel sunt mali: sic est peccatorū conuersio, vel boni; sic est iustorum conseruatio. Hæc autem omnia in summo habuit Beatissima Virgo, quæ & gratia plena fuit; & super omnes gloriosa. Item peccatorum reconciliatrix, & mediatrix. Item omnium peccatorum saluatrix, & iustorum conseruatrix, & sic quoque habuit Benedictissima, benedictiones Neptalim.

De

De Benedictione Aſer.

CAP. 227.

Sequitur, Aſer quoque ait. *Benedictus in*
Deu.33 *filijs Aſer: ſit placens fratribus ſuis, tingat in oleo pedem ſuum: ferrum, & æs calceamentũ eius. ſicut dies iuuẽtutis, ita & ſenectus tua.* Benedictio Aſer cõprehẽdit ſex. Primum eſt filiorũ multiplicatio, & hoc eſt. *Benedictus in filijs Aſer.* Secundum eſt fratrum dilectio, ibi: *Sit placens fratribus ſuis.* Tertium eſt, miſericordiæ abundantia, & hoc eſt. *Tingat in oleo pedem ſuum.* Quartum eſt, incorruptibilis pacientia, & hoc eſt: *ferrum.* Quintum eſt, ſonora doctrina, & hoc eſt. *Æs calceamẽtum eius.* Sextum eſt, in bono continuatio perſeuerantiæ, & hoc eſt. *Sicut dies iuuentutis tuæ.* Sufficientia horum eſt: vel eſt benedictio reſpectu aliorum, vel in ſe. Si reſpectu aliorum, vel reſpectu inferiorum; & ſic eſt filiorum multiplicatio, vel ad pares; & ſic fratrum dilectio; vel ad ſuperiores, ſcilicet, Domini, & ſic eſt abundantia miſericordiæ, per quod eſt quædam imitatio Dei: iuxta illud
Luc.6. Luc.6. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.* Si in ſe, vel à malo: ſic eſt pacientia, vel ad bonum: & hoc vel eſt reſpectiuum; & ſic eſt doctrina, vel abſolutũ; & ſic eſt perſeuerantia. Hæc autẽ omnia manifeſtiſsimè habuit Beatiſsima Virgo. *Quæ*
Sap.7. *omnium bonorum Mater eſt.* Quæ eſt plena charitate ad Deum, & dilectione ad proximum. Regina miſericordiæ eſt: ſummã quoque pacientiam, & doctrinam, & perſeuerantiam habuit, vt ſuperiùs manifeſtum eſt in materia de virtutibus.

De Benedictione omnium ſimul.

CAP. 228.

Poſt hæc ſequitur, Benedictio omnium ſi-
Deu.33 mul. *Non eſt Deus alius, vt Deus rectiſsimi: accenſor cœli, auxiliator tuus; magnificentia eius diſcurrunt nubes: habitaculum eius ſurſum, & ſubter brachia ſua ſempiterna, eiiciet à facie tua inimicum. Dicentque contere habitabit Iſrael confidenter; & ſolus; oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cœlique caligabunt rore. Beatus es tu Iſrael, quis ſimilis tui populo qui ſaluaris? In Domino ſcutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ, Deus tuus. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Iſta benedictio nouẽ comprehendit. Primum eſt, veri Dei cognitio, & hoc eſt. *Aſcenſor cœli auxiliator tuus.* Et hæc auxiliatio eſt quadruplex. Secũdum eſt, Apoſtolis Spiritum ſanctum in terrã mittẽdo; & hoc eſt. *Magnificentia eius diſcurrunt nubes.* Item ipſe pro nobis patrẽ in cœlis interpellãdo, & hoc eſt. *Habitaculum eius ſurſum:* vnde Gloſſa. *Corpus à mortuis ſuſcitauit; & in dextera patris collocauit.* Item gratiam præuenientem, & cooperantem porrigendo, & hoc eſt. *Subter brachia tua ſempiterna.* Item hoſtem impedientem repellendo, & hoc eſt. *Eiiciet à facie tua inimicum, dicetque contere.* Hoc eſt ergo quadruplex auxilium. Tertiũ eſt, timoris mali ablatio, & hoc eſt. *Habitabit in Iſrael confidenter.* Quartum eſt, ſaturitatis boni poſſeſsio, & hoc eſt. *Solus oculus Iacob in terra frumẽti, & vini.* Quintũ eſt, perfecta Dei cognitio per ſpeciem, & hoc eſt. *Cœlique caligabunt rore.* Vnde Gloſſa. *Pro ſubtilt, & teniſsima Dei cognitione.* Sextum eſt, ſummę beatitudinis comprehenſio; & hoc eſt. *Beatus es tu Iſrael.* Septimum eſt, omnibus creaturis prælatio; & hoc
B eſt. *Quis ſimilis tui populo, qui ſaluaris in Domino.* Octauũ eſt diuina auxiliatio, & hoc eſt. *In Domino ſcutum auxilij tui.* Et hæc auxiliatio eſt duplex; vna nos iuuando cõtra malum, & ſic eſt. *Scutum auxilij tui:* vel ad bonum operandũ; & ſic eſt. *Gladius gloriæ tuæ Deus tuus* Nonum eſt, hoſtium ſubiectio, & hæc eſt duplex: vna quod nos puniẽdo modo faciunt nobis coronas in futuro, & hoc eſt. *Negabunt te inimici tui.* Gloſ. *in præſenti vita.* Alia ſubiectio eſt: quia de eorũ pęna nobis in futuro erit exaltatio, & hoc eſt. *Tu eorum colla calcabis.*

Sufficientia huius benedictionis eſt. Bene-
C dictio, vel eſt pertinens ad ſtatum viæ, vel ad ſtatum patriæ. Ad ſtatũ viæ; duo ſunt tantũ neceſſaria. Vnũ eſt; verũ Deum agnoſcere: & hoc eſt primũ. Secũdum eſt auxiliũ, quo poſſimus ad ipſum ad æternã beatitudinem aſcẽdere; & hoc eſt ſecundum. Si autem pertinet ad ſtatum patriæ; vel quantum ad ſubſtantiale, præmium, vel quantum ad accidentale: ſi ſubſtantiale vel in ſe, vel in cõparatione ad cauſam efficientẽ. Si in ſe vel à malo; & ſic eſt timoris ablatio, vel in bono: & hoc vt in ſe, vel reſpectiuè; ſi in ſe, vel quantũ ad præmium concupiſcibilis: & ſic eſt ſaturitatis poſſeſsio; vel præmium rationabile; ſic eſt perfecta Dei cognitio: vel præmiũ iraſcibile; * & ſic eſt Beatitudinis comprehenſio. Si
D autẽ eſt bonũ reſpectu aliorũ: ſic eſt creaturis prælatio. Si autem ſit in comparatione ad cauſam efficientem: ſic eſt diuina auxiliatio. ſi autem pertinet ad præmium accidẽtale: & ſic eſt hoſtium ſubiectio: in qua duplex habemus gaudium, ſcilicet de noſtra in præſenti paſsione, & illorum in condemnatione.

Hæc autem omnia Beata Virgo poſſedit in
Can.8. ſummo. Ipſa enim ſuper omnẽ creaturã Deũ cognoſcit. Itẽ ipſa nobiliſsimo auxilio, vtpote delitijs affluẽs innixa, ſuper dilectũ corpore, & anima aſcẽdit. Item ipſa immuniſsima timoris mali, ſubumbra delicti requieſcit. Itẽ ipſa à torrẽte volptatis ſuper omnia inebriata fuit. Item perfectiſsimam, & humanitatis,

&

& æternitatis Christi cognitionem habuit in summo. Itē supremam post Deum benedictionē apprehendit. Itē super omnes purarū creaturarum ordines, vtpote superior exaltata fuit. Item diuinū auxilium super omnes habuit, cū quo maxima, & excellentissima opera fecit. Itē inimicum non tantùm in cœlo, sed etiā in terra sub pedibus calcauit: sic ergo patet qualiter Beatissima Virgo benedictiones singulorū singulariter, & vniuersorū vniuersaliter; singulas, & vniuersas possedit in summo.

De Hoc: Benedictus fructus ventris tui.

CAP. 229.

Sequitur de eo; quod addit Elisabeth: *Et benedictus fructus ventris tui.* De quo primò quæritur; quare inter illud, & præcedens intercidat copulatio. Cùm tamē in prædictis nulla sit posita copulatio. Item cùm ista salutatio sit * in textu Euangelij, & ad Euangeliū nihil sit licitū demi, vel apponi, vt prohibetur sub anathemate in fine Apocalypsis, & etiā in Deuteronomio: quare ergo Ecclesia hoc apponit. Itē aut apponendū fuit, aut nō; si fuit: ergo Angelus obmisit, qui non apposuit: si autē apponendū non fuit: ergo Ecclesia malè apposuit. Item Elisabeth licet illud appoſuerit, non tamē illi coniunxit. Itē quare Ecclesia mutauit verba Angeli, dicendo: *inter mulieres:* cùm Angelus dixerit: *in mulieribus.* Item cū Deus Trinitas sit hoc mittens, & salutans. Et Virgo benedictissima sit salutata; hoc est: quòd *Benedictus fructus ventris tui.* Non videtur pertinere ad salutantem, nec ad personam salutatam. Ergo ponitur superfluè. Item Bern. dicit *Non ideò ille Benedictus, quia tu benedicta, sed quia ille benedictus, ideò tu benedicta.* Cùm ergo causa naturaliter præcedat effectum: debuisset sic ordinasse: *Benedictus fructus ventris tui, & Benedicta tu in mulieribus.*

* Non.

Quid importet hæc benedictio: Benedictus fructus ventris tui.

CAP. 230.

Post hæc quæritur, quid importet signando hoc, quod est: *Benedictus fructus ventris tui,* Et in quo differat ab alijs in salutatione præmissis. Videtur enim includi in eo, quod est, gratia plena, sicut consequens clauditur in antecedēti. Si enim gratia plena fuit: ergo fructus ventris eius benedictus fuit. Itē videtur includi in eo, quòd est: *Benedicta tu in mulieribus.* Causa enim intelligitur in suo effectu. Est enim benedicta in mulieribus; quia benedictūm fructum ventris produxit. Itē videtur malè apponi; quia quando Angelus salutationem dixit, tunc Dominus adhuc fructus ventris eius non fuit: ergo Ecclesia hoc malè annexit. Itē cū maior sit laus specialis, quā generalis; & magis sit speciale filius, quā fructus. Omnis enim filius est fructus; & nō è conuerso; debuisset dixisse filius ventris tui, & non fructus. Item cùm non tantùm de ventre, sed de toto corpore facta fuerit formatio, debuisset dixisse filius corporis tui. Itē cū filius non sit filius corporis, vel tantū animæ, sed coniuncti debuisset dixisse filius tuus tangendo coniunctū sine partiū determinatione. Itē quæritur: vtrùm benedictio ista, qua dicitur: *Fructus ventris tui*, sit eiusdem rationis, cū illa, de qua dictū est: *Benedicta tu in mulieribus.* Et videtur, quòd sic; quia vna est causa alterius: ergo oportet quòd hoc sit secundùm vniuocationem. Aluedo enim vniuocè est causa albedinis in pariete.

Sed contra hoc est, quòd benedictio illa, de qua dicitur: *Benedicta tu in mulieribus*, non dicitur benedictio per exclusionē maledictionis. Ista autem benedictio: *Benedictus fructus ventris tui*, nunquā fuit malè dicibilis: ergo non potest dici *benedictus* per exclusionē maledictionis: ergo oportet, quòd secundùm aliam rationem. Item Benedictissima dicitur: Benedicta tu in mulieribus propter fęcunditatem: sed fructus ventris benedictus est, non propter huiusmodi fęcunditatem: ergo nō habuit huiusmodi, sed alterius modi benedictionē: ergo non sumitur vtrobique secundū eandem rationem. Item Benedictissima dicitur *Benedicta*, & determinatur respectu cuius; quia *in mulieribus.* Quare ergo non similiter dicitur: *Fructus ventris benedictus*, cum determinatione, respectu cuius sit benedictus. Item si dicatur, quòd absolutè dicitur *benedictus*; quia est Benedictus super omnia; & in omnibus, secundùm hoc quoque benedictissima, non deberet dici tantùm *Benedicta in mulieribus*, cùm sua benedictio se extendat in plus: & sic deberet dici: benedicta in creaturis omnibus, & non tantùm in mulieribus.

Vtrùm contineat in se Benedictiones omnium.

CAP. 231.

Post hęc quæritur. Vtrum Benedictio *fructus* contineat in se benedictiones omnium. Et maximè si habeat benedictiones omnium in se, quæ sunt in benedictionibus matris suę comprehensæ. Et videtur primò, quòd non: Dominus enim nō habuit benedictiones cōiugatorū, quibus dictū est: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Dominus enim huiusmodi multiplicationem corporalē non habuit, nec generatione terram repleuit. Itē Luc. 1. *Et erit tibi gaudium, & exultatio.* Glos. *Monentur parentes, nō minus gratias agere pro ortu sanctorū filiorum, quàm pro meritis.* Non enim paruū munus est Dei dare liberos

Gen. 1.

Lucæ 1.

liberos propagatores generis; successionis hæredes. Iacob in generatione duodecim filiorum gaudet. Abrahæ filius datur, & Zacharias exauditur. Diuinum igitur munus est fœcunditas parentis. Agant igitur patres gratias; quia genuerunt: filij, quia generati: matres, quia honorantur præmijs coniugij: stipendia militiæ suæ filij sunt. Dominus autē illud munus, illud præmium, illud stipendiū non habuit; quia corporaliter nō genuit: ergo non omne bonum, vel omniū benedictionem, benedictus fructus in se possedit. *Item benedictus fructus ventris tui*, benedictū fructum ventris non habuit; quia nullum fructū ventris habuit: ergo aliqua benedictione
*Luc.*10. caruit. Item Luc. 10. *Maria optimam partem elegit.* Bona pars est coniugatorum, melior viduarum, optima Virginum; sed Dominus non habuit bonum coniugatorum, nec viduarum: ergo nec habuit benedictiones omnium. Item Aug. dicit: Quòd celibatus Ioannis non præfertur coniugio Abrahæ: ergo vtrumque bonum: ergo ambo simul melius bonū; sed Dominus IESVS Christus habuit tantùm alterum: ergo non habuit omne bonum creatū. Item in fœmina est gratia, quòd est Virgo, & Mater: ergo in viro debet esse gratia, quòd esset Virgo & pater, sed hoc quo que non habuit. Item bonum est esse Virginem, bonum est esse Matrem: ergo vtrumque esse simul, est melius. Item Domina est Mater carnalis, & est Mater spiritualis; filius autē eius est tātùm pater spiritualis, & nō carnalis: ergo ipsa habet plus. Item bonum est esse patrem carnalem; bonum est esse patrem spiritualem: ergo vtrumque est melius esse. Item ipse non est Pater Dei: ergo ipse nō habet totum bonum quod habet Mater. Item quæritur de singulis priuilegijs suis, qualiter à filio excellatur in illis.

Contra prædicta obijcitur in hunc modū. Quidquid est boni in creaturis, est in homine; sed quidquid boni fuit in homine, fuit in Domino IESV Christo: ergo quidquid fuit boni in creaturis fuit in Christo. Item superiores habent proprietates inferiorum cum
*Psal.*44 excellentia. Item Psal. *Vnxit te Deus præ cōsortibus tuis.* Item, *spetiosus forma præ filijs hominum.* Item Damasc. *Assumpsit primitias*
*Ioan.*3. *nostræ massæ.* Item Ioan. 3. *Non ad mensuram Deus dat spiritum*: ergo ipse non habuit spi-
*Ioan.*1. ritum ad mensuram. Item Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Itē Rom. 11. *Et*
*Rom.*11 *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Item Deus est, quo melius cogitari non potest. Item Damasc. *Siue enim secundùm bonitatem, siue secundùm virtutem, siue secundùm sapientiam, siue secundùm tempus, siue secundùm locum deficiat à perfectione: Deus non est*: ergo, quidquid boni est in creaturis, est
*Iacob*1. & in ipso, quod est Deus. Item Iacob 1. *Omne datum optimum, & omne donū perfectū, desursùm est descendens à Patre luminū.* Itē, quod in omnibus priuilegijs ipsam excedit, patet. Primum fuit, quòd ipsa nunquam peccauit, nec ipse in peccato conceptus fuit. Secundùm fuit, quod ipsa peccare non potuit. Tertium fuit, quòd ipsa in omni actu liberi arbitrij meruit; ipse autem omni bono in ipsa conceptione dignus fuit, & posteà; quolibet actu nobis meruit. Quartum fuit, puritas in summo; sed ipsa puritatem receptiuam, ipse autem datiuam habuit, & ipsa pura in summo admodum aeris; ipse autem admodū solis. Quintum fuit, quòd ipsa fuit Virgo Virginum; ipse autem Virgo filius Virginis, & plus est esse Virginē Virginis filium, quàm Virginem Matrem Virginum. Sextum fuit, quòd erat, Mater Virgo per generationē; ipse verò fuit Virgo Pater per creationem; & nobilior est creatio, quàm generatio; & actus creatoris, quàm actus creaturæ. Septimū est, quòd ipsa est Mater omnium; ipse autem est Pater omnium; maius autem est esse patrem, quàm matrem. Item ipse genuit verbo; illa autem facto, & plus est, & primæ generationi similis generare verbo, quàm facto. Octauum, quòd ipsa nullius habuit ignorantiam; ipse autem omnium scientiam. Nonum, quòd ipsa fuit stella maris; ipse autem lux mundi. Decimum est, quòd ipsa est porta cœli; ipse autem ostium, in quo est porta. Vndecimum, quòd ipsa habuit collationem passionis per compassionem; ipse autem ipsam passionē. Duodecimum, quòd ipsa super omnes choros Angelorum est exaltata; ipse autem habet nomen, quod est super omne nomen. Tertiumdecimum est, quòd ipsa est Regina misericordiæ; ipse autem est Pater misericordiarum, & Rex gloriæ.

Ad plenariam intelligentiam prædictorū queritur de sufficientia eorum, & de differētia eorum, quæ ponuntur in ista salutatione, & primò quæritur de numero dictionū, quare tantùm habeat decem verba, & non plura, vel pauciora. Item quare tātùm quatuor sententiæ ponantur in ipsa. Item quare sententiæ ita sibi succedunt progressiuè; ita quòd prima habeat vnam dictionem, secūda duas; tertia tres, quarta quatuor. Item secundùm additionem Elisabeth quinque sunt sententiæ, & quinta habet quinque dictiones. Item, quid significet hoc, quòd hic ponitur denarius, qui est numerus singularis ex omni parte singularis abasē in communi. Item similiter quindecim, sed tunc oportet quinque poni probasse. Ad hęc obiecta primo soluentes dicimus, quòd sufficientia salutationum sumitur in hunc modum. In ista salutatione annunciatur Beatæ Virginis perfectissima beatitudo, & per ipsam, & in ipsa toti generi humano. Perfectio autem beatitudinis, vel quan-

quantũ ad ſubſtantiã, vel quantũ ad cauſam, vel quantũ ad efficientiã: ſi quantũ ad ſubſtãtiã, vel eſt à malo, & ſic eſt *Aue*, vel eſt ad bonũ, & ſic eſt: *gratia plena*. Si quantũ ad cauſam, ſic *eſt, Dominus tecum*. Si quantũ ad efficientiã vel eſt immediata: ſic eſt: *Benedicta tu in mulieribus*, vel mediata, ſic eſt: *Benedictus fructus ventris tui*. Ad aliud dicitur, quòd per decẽ verba ſignificatur decalogi impletio; in quatuor ſententijs ſignificatur, in quatuor Euangelijs conſiliorũ ſuperadditio, & per hęc duo fit nobis perfectæ ſalutis annũciatio. Item decẽ verba in quatuor ſententijs: hoc eſt lex in quatuor Euãgelijs. Itẽ gradualis progreſſio ſignificat, quòd in via, non eſt perfecta legis impletio, ſed tantùm initiatio. Item denarius triangularis ſignificat legis nobilitatem: quaternarius autem Euangelij æternitatem, & vterque eſt numerus imperfectus, ſed decẽ in duobus. Quatour in vno, quia Euangelium quidem habet perfectionem viæ; ſed non patriæ, & ita vnum ſibi deeſt, ſed denarius legis deficit in duobus; quia nec habet perfectionem viæ, nec patriæ. Item quatuor cum omnibus ſuis partibus facit denarium, & lex materialiter tota eſt in Euangelio. Item denarius eſt numerus triungularis; quia quatuor tendit in communi: quia per firmitatẽ legis, & Euãgelij rectè impleti peruenitur ad vnũ, de quo dicitur in Pſal. 20. *Vnã petij à Domino*. Item ſecundũ additionẽ, Eliſabeth denarius dictionũ ſignificat decalogũ: quaternarius ſentẽtiarũ ſignificat Euangeliũ; addito Eliſabeth doctrinã Apoſtolorum: & hæc omnia figurantur in ſalutatione Beatiſsimæ Virginis diuinitus miſſa: in ipſa enim fuit legis Euangelij impletio, & ipſa eſt vtriuſque expoſitio, per ipſam vnius cum altero eſt coniunctio. Item vnius in alterum reductio. Item per ipſam virtutum conſummatio. Item per ipſam ſanctitatis progreſsio. Item ad Deum aſcenſio. Nobis autem per legem, & ipſam, nouæ ęternæ ſalutationis annunciatio; & in ſalutem ipſam productio. His viſis, videndum eſt ad ea, quæ de benedictione fructus ſunt obiecta. Notandum ergo; quòd de benedictione illa poſſumus loqui ſecundùm tres vias. Primò, quantum ad ſignificationem. Secundum, quantum ad ſuppoſitionem. Tertium, quantum ad ſubſtantiam. Quantum ad ſignificationem; vtrùm, ſcilicet, benedictio habeat vnam ſignificationem, vel plures: & ſi plures, ſecundùm quam hoc ſumatur. Et ſi omnes, quomodo ratio omnis benedictionis ſaluetur in iſta benedictione? Quantum ad ſuppoſitionem, vt ſi benedictio eſt commune ad plura, pro qua ſumatur hic; & vtrùm pro omnibus ſuis ſuppoſitis. Item quantum ad ſuam ſubſtantiam, ex quibus, & quantum integretur. Iſta benedictio, quatuor habet ſignificata, quorum omnium ratio ſaluatur in iſta benedictione. Eſt enim benedictio, maledicti euacuatio: & eſt benedictio, omnis boni poſſeſsio: & eſt benedictio, fęcunditatis ſuperexaltatio: & eſt benedicteo, congratulantiũ collaudatio; & quælibet iſtarum triplex eſt: eſt enim triplex maledicti euacuatio. Incidit enim homo per peccatum in triplex maledictum. Primum eſt, punitio fomitis. Secundũ eſt, labor inueniendæ veritatis. Tertium eſt, neceſsitas incinerationis. Primũ intelligitur per hoc: *Cum operatus fueris terram; germinabit tibi ſpinas*. Secundũ, per illud, quod dicitur: *In ſudore vultus veſceris pane tuo*. Tertium per illud: *Cinis es, & in cinerem reuerteris*. Iſtius triplicis maledicti euacuatio fuit in iſto fructu. Benedictio primi, quia punctuam formitis non habuit. Secundi; quia omnia ſciuit. Tertij, quia corruptionem non vidit. Secũda ſignificatio fuit, omnis boni poſſeſsio; & hæc triplex fuit. Habuit enim boni tatem humanæ naturæ in ſummo. Item boni tatem diuinę naturæ in ſummo. Item bonitatem habuit, quæ eſt ex coniunctione vtriuſque, & ſic omne bonum poſſedit in ſummo. Tertia ſignificatio fuit fęcunditatis ſuper exaltatio; & hoc quoque triplex. Fuit enim Pater per creationẽ in eſſe naturę, per recreationẽ in eſſe gratię, per glorificationẽ in eſſe gloriæ. Quarta fuit ſignificatio gratulantiũ collaudatio, & hæc triplex, Angelorũ, & hominũ, & corporalium. Omnes hi benedicunt ipſam, quæ genuit Angelorũ reſtauratorem, hominum redemptorem, corporalium renouatorem. Quantum ad ſuppoſitionem benedictio iſta tria habet appellata; & præ omnibus illis redditur locutio vera; eſt enim iſte fructus benedictus benedictione naturæ: benedictione gratiæ, benedictione gloriæ, & quodlibet iſtorum triplex. Benedictio naturæ triplex. Habuit enim benedictum corpus, benedictam animam, benedictam diuinitatẽ. Corpus benedictũ fuit tripliciter in materia, in forma, in armonia; quia temperatiſsimum. Pulchrũ etiam fuit tripliciter. In congruentia quantitatis. In elegantia diſpoſitionis. In venuſtate coloris; & ſic, in ſtatura, in figura, in colore. Anima fuit benedicta tripliciter, in ſe, & in comparatione; in ſe dupliciter; à malo, in bono. A malo tripliciter, à peccato, à fomite, ab ignorantia: in bono tripliciter. Omniũ naturarũ naturali cõditione, virtutum polyticarũ perfectione, ſuprema naturali Dei dilectione. Itẽ in comparatione benedicta fuit dupliciter, ſcilicet, ad Deũ, & ad corpus. Ad Deum ſumma imagine, & ſimilitudine: ad corpus, ſine contrarietate. Itẽ benedictã habuit diuinitatẽ, & hoc tripliciter: Benedictã in ſe ipſa: Benedictã in

Gen. 3.

operibus ſuis: Benedictam in donis ſuis. Item habuit benedictionem gratiæ, & hæc quoque fuit triplex, increatam cum matre, coniunctam præter vtrumque. Item cum Patre triplicem habuit gratiam à Patre, quod eſt Deus, quod Dei filius, & quod ſpirator Spiritus Sancti. Cum Matre quoque triplicem habuit gratiam: vnam, quòd omnem gratiam habuit: Secundam, quòd omnem dedit: Tertiam, quòd dedit vltra id quod habuit. Dedit enim gratiam, virtutem, & remiſsionem peccatorum, quam non habuit. Vnde ſpiritus Heliæ in Hæliſeo dupliciter fuit. Item ex coniunctione præter vtrumque triplicem gratiam habuit. Vnam, quòd filius plurium fuit, ſecundùm quod Redemptor hominum fuit. Tertium, quòd beatitudo omnium erit, & quodlibet iſtorũ triplex. Quòd filius plurium fuit. Ex hoc ſequitur triplex gratia: Mater habuit patrem, & matrem, ſed non Deum: pater ſuus, nec habuit patrem, nec matrem, nec Deum, nec hominem. Ipſe autem habuit patrem, & matrem, & Deum, & hominem. Item, quòd redemptor: ex hoc habuit tria; quod ſponſus animarum; Sacerdos fidelium; iudex viuorum, & mortuorum. Item, quòd Beatitudo omnium: ex hoc etiam habuit tria, quod eſt; Beatitudo Angelorum, hominum, & corporalium. Item benedictionem gloriæ ſimiliter habuit triplicem. Habuit enim gloriam comprehenſoris, ſubſtantiam redemptoris, gloriã creatoris. Et quælibet iſtarum triplex. Comprehenſoris ſummam aureolam ſuper omnes aureolas in ſummo, accidentalia præmia in ſummo. Ité homo eſt primo viator, & nõ cõprehenſor; poſteà comprehenſor, & non viator. Ipſe autem comprehenſor aliquando, aliquando viator; & ſimiliter viator, & comprehenſor. Item viatorum ductor, comprehenſorum coronator, viatorum, & comprehenſorum adiutor. Item gloria redemptoris triplex, quia hominum liberator, Dæmonũ ſuperator, naturæ exaltator. Item gloria creatoris triplex: Miſericordia in ſanctis, iuſtitia in damnatis, glorioſus in ſe ipſo. Item habuit gloriam creatoris, iuſtificatoris, glorificatoris. Si autem conſideretur iſta benedictio quantum ad partes integrales, tunc eſt benedictio, vel quantum ad cauſam, vel quantum ad principium. Item benedictus fructus triplicem habuit originem: Benedictam Trinitatem per creationem: Benedictam matrem per natiuitatem: Benedictum patrem per generationem. Quantum ad eſſentiam, benedictus fuit tripliciter, ſecundùm Bernardum, odore, ſapore, ſpecie: odore implens cognoſcitiuam in quantum verum: ſapore reficiens affectiuam in quantum bonum: ſpecie, beatificans comprehenſiuam, in quantum ſummũ, fuit arduum. Addamus, & nos odori, ſapori ſpeciei valorem; valet enim in medicamentum contra omne malũ: in cibum habentem omne delectamentum, & in præcium comparans omne bonũ. Item quantum ad efficientiam, & quantum ad paſſiuam, & actiuam tripliciter; quia benedicit nos in eſſe naturæ, gratiæ, & gloriæ. Vnde Pſal. *Benedicat nos Dominus Deus noſter, & benedicat nos Deus.* Pſal. 66 Item benedic nos benedictione temporali, ſpirituali, cęleſtiali. Paſſiua, quia nos benedicimus ipſum corde. Vnde Pſal. *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt.* Pſ. 102 Item benedicimus ipſum ore. Vnde Pſal. *Benedicam Dominum in omni tempore ſemper laus eius in ore meo:* Pſal. 33 Ité benedicimus ipſum opere. Vnde Pſal. *Benedicam Dominum in vita mea.* Pſ. 145

His viſis reſpondemus ad obiecta: quòd ergo quæritur de copulatione, dicimus, quòd hic ponitur copulatio, quod continet alterius finem, & alterius inceptionem, ad Angelicam ſalutationem, & ad perſonam filij pertinentem, & etiam, vt notet inter benedictionem filij, & matris aliquam eſſe dilectionem; quanuis tamen ſecundùm allegoriam ad aliam pertineant rationẽ. Ipſa enim eſt benedicta propter benedictionem fructus, vnde ſua benedictio deſcendit à benedictione filij. Item non Angelus addidit; quia nondum fructus eius, vẽtris fuit, ſed ipſum quaſi proximum in hoc quod dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, fructum comprehendit. Eccleſiæ autem exhibitum, & maximè Virgini Beatiſsimæ commendatum, in ipſius ſalutatione appoſuit: ordo patet ex ſufficientia. Item quare non dixit *filius*: filius namque eſt ad ſpiritualem, & carnalem generationem: fructus autem plus determinat carnalem generationem, & maximè cum hac determinatione ventris, qui eſt locus generationis carnalis: propter quod etiam non dixit, corpori, ſed *ventris*, vt veritas generationis plus exprimeretur, & falſitas hæretica plus ſopiretur. Item quare non determinauit, reſpectu cuius eſſet *benedictus*: dicimus, quòd ſecundùm omnem ſignificationem, & ſecundùm omnem ſuppoſitionem, & ſecundùm omnem partem, & omnimodo, & in omnibus benedictus fuit; eius benedictio, per nihil ſpecificũ coactari potuit. Benedictio quoque Beatiſsimæ Virginis per hoc, quod dicitur *in mulieribus*, non reſtringitur, ſed cauſa, & origo omnis benedictionis monſtratur: concedimus etiã, quòd Dominus IESVS Chriſtus habuit omnes dignitates ſuæ matris, vel in ſe, vel in equipollẽtię excellẽtiſsimo cõgruẽti. Habuit etiã bonũ cõiugale; quia ſponſus fuit vniuerſalis Eccleſiæ. Ité Virgo fuit etiã Pater; quia verbo veritatis genauit, & ex aqua

qua, & spiritu, ex Matre Ecclesia omnes regenerauit. Item sicut ipsa est Mater Dei: ita & ipse est filius Dei; & plus est, esse Filium Dei, quàm Matrem Dei. Item plus est esse filium Virginis, quàm esse Virginem virginum; quia si ipse esset Virgo Virginum, sequeretur, quòd ipsa Mater sua non esset Virgo. Item plus est esse benedictum fructum ventris, quàm esse Benedictam in mulieribus. Concedimus etiam, quòd à filio suo in omnibus priuilegijs suis excellitur, nec in hoc laus Matris suæ diminuitur, sed exaltatur in eo, quod non tantùm genuit filium sibi æqualem, sed infinitum meliorem, quòd etiam ex hac parte, quoddammodo infinitat Matris bonitatem. Omnis enim arbor ex fructu suo cognoscitur. Vnde, si bonitas fructus bonificat arborem, infinita bonitas in fructu, infinitam quantum ad hoc, ostendit in arbore bonitatem.

De Ipsius turbatione.

CAP. 232.

Sequitur: *Quæ cùm audisset, turbata est.* Quæritur ergo, quare turbata fuit Beatissima Virgo, & videtur primò, quòd Angelica visione: & hoc probatur à simili. Luc. 1. dicitur de Zacharia: *Apparuit illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, & Zacharias turbatus est, & timor irruit super eum.* Ergo ex visione Angelica est turbatio, & timor. Item Gregor. *O in quantam miseriam cecidimus, quia etiam, & bonos Angelos formidamus.* Item super iam dictum textum Luc. Gloss. *Sicut humanus defectus est terreri, ita Angelicæ bonitatis est pauentem de suo aspectu blandiendo consolari.* Ergo pauor est de aspectu Angeli. Item, *quæ cùm audisset, turbata est.* More humanæ fragilitatis de Angelica visione. Item Luc. 2. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos.* Et sequitur: *Timuerunt timore magno.* Item dicitur Matth. vlt. *Quòd erat aspectus Angeli sicut fulgor.* Et dicitur ibi: Quod timore exterriti sunt custodes: ergo ex visione Angeli est terror, & turbatio. Item Iudic. 13. *Vir Dei venit ad me habens vultum Angelicum terribilem.* Nimis ergo ex vultu Angeli est terror.

Luc. 1. Gregor. Luc. 2. Mat. vl. Iud. 13.

Contra *quod cum audisset turbata est in sermone Angeli.* Non ergo in visione. Item alij discretio spirituum, sed ipsa habuit discretionem spirituum, vt dictum est supra: ergo turbatur non ex visione. Item ipsa cognouit Angelos per speciem. Item aut cognouit, & non fuit turbata, aut non cognouit, & sic fuisset dubia. Item Abrabam, Loth, Iacob, Iosue, & alijs Patres veteris testamenti viderunt Angelos, & non fuerunt turbati: ergo nec ipsa; quia ipsa à nullo illustrium vincitur. Si propter hoc dicitur, quòd fuerit turbata in sermone. Contra. Turbatio est à malo; vel à contrario, sed in isto sermone nihil dicitur ei malum, vel contrarium: ergo de isto sermone non turbatur. Item nec in nunciato est aliqua ad ipsam discontrarietas: ergo nec per illum, nec per nunciatum turbatur. Item, comminatio est causa turbationis: ergo consolatio erit causa exultationis. Item Gloss. *Et prudenter noua salutationis formam miratur:* ergo videtur, quòd ista turbatio fuerit ex admiratione? Quæritur ergo, si fuerit turbatio admirationis: & videtur quòd non. Legitur enim de Sancto Augustino, quòd non satiabatur altitudinem considerare consilij diuini: ex dulcedine mirabili super salutem humani generis. Ergo illa admiratio est bona: ergo non est prohibenda, sed istam turbationem remouet Angelus, dicens: *Ne timeas:* ergo ista turbatio non fuit admirationis. Vel si dicatur, quòd non fuerit admiratio dubitationis. Contra hoc dicit Ambrosius, qui dicit ibidem: *Turbatur, quia nescit, an sit præteritum, vel futurum, quòd Angelus dixit.* Item Bernard. dicit: *Dubia consolatur.* Si propter hoc dicatur fuisse turbatio dubitationis. Contra hoc dicit Ambrosius in Glossa in hunc modum: *Cum Sarra risit de promissione Dei, & MARIA dixit quomodo fiet istud: cur non fuit muta effecta sicut Zacharias? sed Sarra, & MARIA non dubitant fiendum, quod promittitur, sed postmodum requirunt.* Ergo hic nulla turbatio fuit dubitationis.

Ambr. Bernar.

De ipsius cogitatione.

CAP. 233.

Post hæc quæritur de hoc, quòd dicit: *Et cogitabat,* & obijcitur in hunc modum. Cogitatio est decursus rationis de vno oppositorum super reliquum. Vnde dicitur, cogitatio; quasi coagitatio: sed vbi est rationis fluctuatio de vno oppositorum super reliquum, ibi est dubitatio: ergo videtur, quòd hic erat dubitatio. Item Bernard. *Sciebat Virgo prudens, quòd sæpè Angelus Sathanæ transfiguratse in Angelum lucis, & quia nimium humilis, & simplex erat: nihil tale pœnitus à Sancto Angelo sperabat, & ideò cogitabat, qualis esset ista salutatio. Tunc Angelus intuitus Virginẽ, & varias secum voluere cogitationes facillimè comprehendens, pauidam consolatur, & cõfirmat dubiam:* ergo videtur, quòd hæc cogitatio fuit per modũ dubitationis. Itẽ ibidẽ Glos. *Solent virgines, quæ verè virgines sunt semper pauere, & numquam securæ esse, vt caueant timẽda, etiã tuta pertimescere sciẽtes se in vasis fictilibus Thesaurũ portare præciosum; & nimis arduũ*

Bernar.

esse viuere Angelos inter homines, & in terris more cœlestium conuersari, ac in carne vitâ cœlibem agere. Ac proinde, quidquid fuerit ortum suspectas hominum insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idcircò, & MARIA turbata est. Ex hac iterum auctoritate videtur, quòd hæc tuabatio, & cogitatio fuerit timoris, & dubitationis.

De ipsius timore.

CAP. 234.

Deinde sequitur: *Ne timeas.* Et quæritur primò: vtrùm huiusmodi timor hic remouea tur; & videtur, quòd nullus hic verè possit remoueri, quia vt dicit Damasc. Timor diuiditur in sex, in segnitiem, in erubescentiã, in verecundiam, in admirationem, in stuporem, & agoniam. *Segnities*, est timor futuræ operationis: ille non fuit hic; quia nihil initiatur hic operandum. *Erubescentia*, est timor in expectatione conuitij, & ille quoque non est hic, quia nihil fit de conuitio. *Verecundia*, est timor in turpi actu, & de hoc nihil hic. *Admiratio*, est timor ex magna imaginatione. Contra illam non est necessaria consolatio, vt dictum est; *stupor* verò est timor ex inconsueta imaginatione. Hic autem nihil de imaginationibus agebatur. *Agonia* verò est timor per casum, vel infortunium. Timentes enim infortunati casum, vel infortunium actionis, agonizantur. Hic quoque nihil de infortunio, vel casu: ergo non fuit agonia, & sic nullus timor, & ita frustrà remouetur timor, vbi nullus fuit timor. Itẽ si admirationis timor ille non prohibetur. Item non est nisi contra malum. Item nihil timore remouibili, nisi culpa, vel pœna. Item perfectis nulla timenda est pœna: ergo fru-
Actor.5 strà. Vnde Actor.5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniã digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliã pati.* Item laus plus excitat ad amorem, quàm ad timorem: ergo cum nihil præcessisset, nisi quòd fuit de laude, nullus timor debuit in esse, vel remoueri; sed contra. Gloss. *Ex verecundia pauet.* Item alia Gloss. *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, & omnes viri affatus vereri:* Ergo videtur, quòd verè timuit.

De Verecundia.

CAP. 235.

Iuxta hoc quæritur. Vtrùm Beatissima Virgo habuit verecundiam, & videtur quòd sic. Gloss. Supra, *& verecundia pauet.* Item alia Gloss. Ibidem. *Elisabeth ex culpa erubuit. MARIA de verecũdia. In mulieribus enim*
Eccl.26. *modus pudoris augetur.* Item Eccl.26. *Gratia super gratiã mulier sancta, & pudorata.* Item *pudore bono repletus Dei famulus.* Itẽ

A Hier.3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Item Eccl.23. *Animo irreuerenti, & infrunito ne tradas me.* Item Eccl. 4. *Est confusio adducens gloriã.* Item Damasc. de erubescentia dicit: *Optima autem hæc est passio.* Item de verecundia dicit; quòd non est inseparabile ad salutem. Itẽ Philosophus: *Erubuit, res salua est.* Ex his omnibus videtur, quòd verecundia sit bona, & quòd ipsam habuerit Beatissima Virgo, cui nullum bonum defuit, cuius pura creatura capax fuit. Sed contra Damasc. dicit, quòd est de turpi actu, sed nihil erat turpe in Beatissima Virgine: ergo, nec verecundia. Item Adam, non habuit ipsam ante peccatum, sed post vide-
B runt, quòd *nudi fuerunt*; & fecerunt *sibi perizomata.* Item qui non quærit gloriam, non sentit contumeliam, dicit Hieronymus; sed humilima nullam quæsiuit gloriam: ergo non sentit contumeliam: ergo non habuit verecundiam. Item summè humilis: ergo voluit vilis reputari.

Hier.3. *Eccl.23.* *Eccl. 4.* *Gen.3.*

Item iuxta hoc quæritur de Domino. Vtrũ ipse habuerit verecundiam, & videtur, quòd non. Dicit Damasc. Quòd ea assumpsit, quæ in nostra natura plantauit, sed in natura nostra non plantauit verecundiam: ergo verecundiam non habuit. Item verecundia est sequela peccati: ergo non habuit illam.

Contra: hæc passio est meritoria: ergo est
C bona: ergo habuit illam. Item ipsa naturalis. Item assumpsit omnia præter peccatũ, & ignorantiam. Sed verecundia neutrum istorũ est: ergo habuit verecundiam Psal. *Verecundia mea contra me est.* Item *Quoniam propter te substinui opprobriũ.* Has auctoritates exponit Glossa de Domino: ergo habuit verecundiam.

Psal.43 *Psal.68*

De, Inuenisti enim gratiam apud Dominum.

CAP. 236.

Post hæc quæritur de hoc: *Inuenisti enim gratiam apud Dominum.* Et quæritur: Quid sit gratiam inuenire: si hoc est perditam recuperare, hoc est, multis commune. Item si hoc
D est perditam primò recuperare; tunc Beatissima Virgo gratiam non inuenit: sed Adam, & Eua, qui primò recuperauerunt. Item si inuenire est priùs in rem venire, secundùm hoc primus Angelus, vel primus homo gratiam inuenit. Quæritur ergo, vtrùm Beata Virgo meruerit fieri mater Dei, & videtur, quòd sic; quia dicit Aug. *Quæ tuo singulari merito mundo succurristi perdito.* Item per virtutes gratuitas propriè est meritũ; sed dicit Aug. quòd sola humilitas genuit nobis Deum. Item Bern. Quòd corpus Christi, & anima, & diuinitas, tria sunt sata, quæ miscuit mulier Euangelica: & quòd fermentum est fides Virginis: ergo mediante fide facta est Ma-

Augusti.

ter

Luc. 1. ter Dei. Item Elisabeth, dicit ad ipsam Luc. 1. *Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Ergo propter credere est Beata: ergo, merito fidei est beatificata. Item maius est habere vitam æternam, quàm esse Matrem Dei, sed illud potest homo mereri: ergo istud. Si dicatur: quòd meruit de cõgruo, & nõ de cõdigno. Hoc nihil videtur dictum; quia vitam æternam non meretur quis de condigno:

Rom. 8. *Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Rom. 8. Nullum enim temporale dignè valet æternum. Item Aug. in ipso * *Hæc facta est promissio, & precibus sanctorum, iuuanda est Dei perfruitio.* Ergo precibus potest obtineri gratia gratum faciens: multò fortiùs gratia gratis data. Item Aug. dicit. Quòd Beatior fuit concipiendo fide, quàm carne: ergo si per virtutes gratuitas est alicui mereri gratiam Dei;

Lucæ 1. ergo per virtutes potest mereri fieri Mater Dei. Item Luc. 1. *Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua.* Ergo oratione meruit, quòd Elisabeth mater fuit, sed dicit Gloss. ibi: quòd Elisabeth quod est Dei mei saturitas, figurat MARIAM, quæ Deo plena fuit. Obtentum; ergo, & signatum mereri potuit: ergo, & esse Matrem Dei potest merito virginis obtineri.

De Apud Dominum.

CAP. 237.

Deinde quæritur de hoc, quòd dicit: *Apud Dominũ* & videtur *apud Dominũ* in tribus significationibus inueniri. Quãdoque enim significat æqualitatẽ essẽtiæ, vt cũ dicitur. *Verbum erat apud Deũ.* Ioan. 1. Quandoque situs æqualitatem, secundum quod opponitur,

3. Reg. 2 vt supra, & infra, vt quãdo dicitur 3. Reg. 2. *Positus est thronus matris Regis apud thronum Regis.* Iuxta quem modum dicitur, Mater IESV, & discipulus quẽ diligebat IESVS

Ioã. 19. stare *iuxta Crucẽ*, Ioan. 19. Quandoque etiã apud, & iuxta dicitur respectiuè, secundùm quem modum dicuntur aliæ mulieres stare iuxta Crucem, non absolutè iuxta Crucem, sed respectu turbæ, quæ longius stabat. Vnde etiã dicuntur stare à longe respectu matris, & discipuli qui propè stabant iuxta. Medium est comparatione inter duo extrema. Quæritur ergo, quo istorũ modorũ hic sumatur: & videtur quòd vltimo. Ipsa enim inuenit gratiã propinquiorẽ, quàm aliqua alia creatura; nõ tamen simpliciter æqualis situs potuit esse cũ Deo. Impossibile est enim in situ, vel in aliquo creaturam æquari Deo. Oportet ergo, si dicitur, quo ad aliquid esse apud Dominum, quòd hoc sit respectu altarum creaturarum. Quòd autem secundo modo hoc sumatur, videtur, quia propriũ est Reginæ apud Regẽ esse, iuxta illud: *Astitit Regina à dextris tuis.* Psal. 44 Vnde etiã mulier fata fuit delatare viri. Similiter etiam matris propriũ est esse apud filium. Iuxta illud: *Positus est thronus matris* 3. Reg. 2 *Regis, &c.* Itẽ quod etiam primo modo hoc sumi possit, videtur. Vnà est maiestas Regia, à qua Rex est Rex, & Regina est Regina: ergo coequantur in illa: ergo *apud*, potest dicere æqualitatem in ipsa, vel sicut dicitur filius esse apud patrẽ propter idẽtitatẽ naturæ. Sic etiam dici potest esse apud filiũ propter idẽtitatẽ naturæ, in qua vnum est cum patre, & sic potest ibi *apud*, summi primo modo. Item quęritur, quę sit differentia inter *apud*, & corã secundũ quod in alijs reperitur, quòd inuenerunt gratiã coram Domino, vel in oculis eius: & vtrùm gratiam habere *apud Dominum* possit esse solius Virginis gloriosæ.

Solutio Prædictorum.

CAP. 238.

Ad prædicta soluendo dicimus, quòd Beatissima Virgo commemorans præteritam humilitatem; admirans præsentis salutationis sublimitatem; sperans futuræ impletionis veritatem; quæ cùm audisset humiliter, diligenter, prudenter, reuerenter, lætanter, credendo, sperando; turbatur admirans Dei potentiam, sapientiam, misericordiam, charitatem, veritatem, humilitatem, nuncij dignitatem, salutationis nouitatem, rerum immensitatem, sui paruitatem; propter cautelæ timorem, propter verecundiam virginalem, cogitabat lecta, dictis comparando, Euæ deceptionem recordando, locutionis præcipitium fugiendo, consuetudinem meditationis exhibendo; Vsum prudentiæ exercendo, modum responsionis ordinando, se fallibilem recognoscendo, nos ad prudentiam inuitando: Cogitabat, inquam, qualis, quã venerabilis, quàm admirabilis, quàm salutaris, quã sublimis, quàm subtilis, quã familiaris, quàm generalis, quã singularis esset, *ista*. Ista dico à Deo prædicta, à filio scripta, à Spiritu Sancto nunciata, ab Angelo portata. *Ista*, inquam, *salutatio*, quæ est salutis optatio, inchoactio, portatio, perfectio, augmentatio, cõfirmatio, perpetuatio. Cui Angelus: *Ne timeas*, inquit, Regis magnitudinẽ, tui paruitatẽ, sermonis falsitatẽ, rerũ incomprehensibilitatem, sententię ambiguitatem, promissi protractionem, salutis amissionem, retenti diminutionem. Ne timeas, inquam, quia inueneristi, non creasti, vt Deus. Non semper habuisti, vt filius tuus; non rapuisti, vt primus Angelus; non perdidisti, vt primus parens nõ emisti, vt Simon Magus, *sed inueneristi*, quia quęsiuisti, vbi fuit; vt Virgo prudẽtissima, vt dotrix fidelissima; sed redidisti, vt Mater mi-

sericordissima. Inueniſti, inquã Dei miserãtis charitate, promittentis veritate, hominis necessitate, cui ad hoc identitate. Inueniſti, inquam, gratiam increatam: & in illa, & cum illa omnem creaturam: *Venerunt enim tibi omnia bona pariter cum illa.* Sap. 7. Creaturam autem spiritualem, & corporalem, spiritualẽ, generalem, specialem, singularem. Generalis summitas omnium, quæ specialiter fuerunt in alijs. Singularis, quæ comprehensa est duodecim priuilegijs; corporalem similiter generalem: specialem singularem; generalem corporis resurrectionem: specialem; virginitatis integritatem, singularem virginalis vteri fęcunditatem. Hæc autem omnia *inuenisti apud Deum. Apud*, dico, propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ vnitate. Et hoc *apud Deum* creatorem, recreatorem, iustificatorem, glorificatorem. His visis, & intellectis, patet solutio ad obiecta. Concedimus enim, quòd Beatissima Virgo in sermone isto salutatorio, laudabilissimo, cõsolatorio, instructorio, credibili, delectabili, vtili, honorabili, admirabili sermone, inquã, eius quem veritas misit, qui à veritate nunquam discessit, qui falli non potest, nec voluit fallere. In isto, inquam sermone Beata Virgo fuit omnifariã mirata in sensu; per verecundiam virginalem de Angelica visione, in virili specie; in ratione; per timorem cautelæ de deceptione; in intellectu, plaudens, & admirans de promissorum, & nunciatorum magnitudine. Patet etiam, quòd non est turbatio tantùm de malo, sed etiam de magno. Item non est timor tantùm mali, sed etiam magni. Vnde Damasc. *Admiratio verò est timor ex magni imaginatione. Stupor verò ex inconsueta imaginatione.* Damasc. Patet ergo qualis fuit turbatio, qualis cogitatio, qualis timor, qualis salutatio, qualis, & quæ gratia, quam inuenit. *Inuenit* autem, quia humanum genus perditum primò recuperauit. Hoc Adam, vel Abraham non fecit. Imò per ipsam omnes gratiã rehabuerunt vtique in priuilegio, mater omnium, & in priuilegio porta cœli. Concedimus etiam, quòd potest quodlibet illorum trium modorum ibi sumi, sicut dictum est in apponendo.

A B C D

De Hoc: Ecce concipies: De quo concipiente.

CAP. 239.

Sequitur: *Ecce concipies.* De conceptione primò quæritur, de quo facta sit conceptio, tanquam de causa efficiente per appropriationem. Et videtur quòd de Patre. Conceptio enim fit de generante. Patris autem solius est proprium generare: ergo si alicui debet appropriari, hoc erit personæ Patris. Itẽ generatio temporalis imago est generationis æternæ, sed illa est de Patre: ergo, & ista. Item, idem est; nobis filium dare; quantum, generatio temporalis. Sed illa datio est à Patre: ergo, & conceptio. Quod autem filio debet appropriari sic probatur. Triplex est Dei opus: creatio, recreatio, glorificatio. Sed creatio appropriatur Patri: glorificatio Spiritui Sancto: ergo recreatio filio. Item ab illo debet fieri conceptio, qui agit, & remanet in generato, sed hoc fuit tantùm persona filij: ergo ei tantùm conuenit conceptio. Item exinaniuit se ipsum, sed fuit hoc in conceptione: ergo conceptio fuit ab ipso. Quod autem à Spiritu Sancto debeat fieri conceptio, per Euangelium patet, vbi dicit. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.* Luc. 2. Item ista conceptio, est opus summæ benignitatis: ergo debet appropriari Spiritui Sancto. Item in Euangelio Nazareorũ dicitur, quòd descendit super eum fons omnis spiritus, & dixit: *Hic est filius meus dilectus.* Mat. 17 Iuxta hoc quæritur: vtrùm Spiritus Sanctus sit Pater illius concepti, & videtur, quòd sic. Quidquid enim est alio operante, vt causa efficiente, si illud est Mater, & illud est Pater. Sed Beata Virgo est Mater Dei, & concepit filium de Spiritu Sancto: ergo sicut ipsa est Mater, ita Spiritus Sanctus est Pater.

De Quo, tanquam materia.

CAP. 240.

Post hæc quæritur. De quo, tanquam de de materia facta sit ista conceptio: & videtur, quòd de carne; quia ita dicit Augustinus. Quòd de carne Beatissimę Virginis carnem sibi assumpsit. Item in momento facta est ista formatio, & vnio cum anima: ergo cùm vicinior sit caro ad corpus, quam sanguis, videtur, quòd de carne conceptus sit. Item de illo assumpsit corpus, quòd descendit de Adam; sed sanguis non descendit de Adam: ergo non assumpsit de sanguine. Probatio mediæ. Dicit Philosophus: *Sanguis est vltimum nutrimentum, in habentibus sanguinem.* Philos. Ergo sanguis est de cibo: ergo non descendit ab Adam: ergo non sumpsit de sanguine.

Contra Damasc. *Ex castis semper Virginis sanguibus., carnem animatam, animam rationalis, vel intellectualis suscepit.* Damasc. Item sanguinis potentia est totum corpus: ergo non potuit accipere de carne. Item etiam est in alijs hominibus, quòd corpus eorum, coagulatur de sanguine matris, & non de carne. Istis rationibus concedunt quidam, & dicunt, quòd tantùm de sanguinibus conceptus sit: & ad authoritates, quæ dicunt ipsum conceptum de carne; dicunt ibi, carnem sumi pro sanguine, & dicunt, quòd quamuis

san-

sanguis de cibo sit, & materialiter non descendit de Adam. Est tamen virtus generatiua, & nutritiua, quæ non secundùm esse, sed secundùm originem fuit in Adam.

Contra hos, qui sic dicunt, obijcitur in hũc modum. Secundùm Philosophiam naturalem ad conseruationem individui, & saluationẽ speciei ponuntur quatuor digestiones. Prima digestio fit in ore, quòd probant ex eo quod aliquam operationem, & affectũ plus habet res macticatę, quam nõ macticatę. Secũnda fit in stomacho, vbi segregatur subtile, à grosso: & constat, quòd adhuc neutrum est pars corporis. Tertia fit ex epate; vbi fit vlterior segregatio puri ab impuro, & cõstat, quòd adhuc neutrũ est vnitũ corpori, vel pars corporis. Quarta fit in membris, vbi transmittitur magis purum, & illud ad membra transmissũ tria facit. Primum est, quòd nutrit, & saluat substantiã suscipiẽtis; restaurando deperditum continuæ defectionis, quæ est ex calore naturali agente in suã materiã. Secundũ est, quòd eandẽ substantiam etiam augmentat, & deducit vsque ad debitam quantitatem, si est citra. Tertium est, quòd his duabus actionibus superfluũ transmittit ad viã generationis; & fit semen, quòd est superfluitas quartæ digestionis. Modò quæro de illo superfluo. Aut ergo de illo tantùm fit decisio, aut non tantùm de illo. Si tantùm de illo; illud nunquã fuit pars generantis, nec pars corporis: quia in fine quartę digestionis, primò vel cõuertitur in corpus, si est necessariũ, vel trãsmittitur generatiuè, si est superfluũ: ergo si tantùm de illo est propagatio: ergo non est essẽtialis propagatio; quia nec anima de anima, nec corpus de corpore. Item superfluum nunquam vnitum fuit massæ corruptæ; ex cuius coniunctione contrahitur originale: ergo ille generator non habebit originale. Item secundùm hæc nihil esset in Christo; quia secundùm esse nunquam fuit in Adam: ergo non descendit ab ipso secundùm corpulentam substantiam, quod est expræssè falsum, secundùm August. Item si dicatur ab ipso descendisse, non quod aliquid sui in ipso fuerit secundùm esse, sed tantùm secundùm originem animæ vegetabilis, & nutritiuæ, quæ est potentia in semine: ergo potiùs dicetur descendisse à prima planta, vel à primo animali, in qua primam originem habuit anima nutritiua, & vegetabilis. Item cùm anima vegetabilis, & nutritiua vna substantia sit cum rationabili in homine; & illa nullam habuit ab Adam originem, secundùm animam vegetabilem, & nutritiuam, nullo modo dicetur Dominus descendisse ab Adam. Si diceretur, quòd in semine est virtus animæ vegetabilis, & non in anima; hoc nihil est. Virtus enim non est sine substantia cuius est virtus. Item ponamus, quòd homo tantùm comedat hominum, & inde fiat propagatio, quæritur in quo resurgat caro comesti: si in generante: ergo nihil habebit comestus in quo resurgat cùm non acceperit corpus, nisi de comesto: ergo de necessitate oportet, quòd non resurgat vnus homo, vel quòd propagatio non fiat de nutrimento tantùm: ergo non tantùm de sanguine, quod est vltimum quartæ digestionis. Et expositione videtur sequi; quòd sit essentialis propagatio. Item, quòd non sit originalis peccati contractio. Item, quòd Dominus non descendit secundùm corpulentam substantiam ob Adam. Item, quòd non sit omnium necessaria Resurrectio. Item Damas. *Ex Patris beneplacito, & cooperatione Spiritus Sancti: tribuit Creatori creari, plasmatori plasmari: & Filio Dei, & Deo incarnari, & humanari ex castis, & non coinquinatis eius carnibus, & sanguinibus: piæ mentis ex pleno debitum.* Damas. Ecce expræssè dicit, quòd à carnibus, & sanguinibus. Non ergo tantùm ex sanguine Beatissimæ Virginis.

De modo Concipiendi.

CAP. 241.

Post hoc quæritur de modo concipiendi; & videtur, quòd fuerit creatio. Dominus est non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans: ergo fuit creatio. Item cùm duplex sit principium educendi res in esse, videlicet principium mouens, & principium creans; mutatio, & creatio est solius primi, & illud, quòd immediatè exit à primo principio, est creatio: Sed ista conceptio immediate fuit à Deo: ergo fuit creatio. Item quidquid fit subitò non est motus; sed mutatio, vel creatio: sed ista conceptio facta fuit subitò: ergo fuit creatio. Item Hierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, &c.* Hier. 31. Sed illa conceptio fuit circumdatio: ergo conceptio fuit creatio. Iuxta hoc quæritur: Vtrùm hæc conceptio fuerit immediatè à virtute creata, vel increata, Et videtur, quòd à creata; quia dicit Damas. Quòd Spiritus Sanctus descendit in ipsam dans ei virtutem susceptiuam simul, & generatiuam; sed generatiua est, quæ actiuè generat: ergo videtur, quòd immediatè sit generatus à virtute Beatæ Virginis.

Prætereà quæritur, quid sit dare virtutem generatiuam ad actum in ipsa. Aut enim hoc est, quia ipsa sola habuerit ad hoc virtutẽ generatiuã; & sic sequitur, quòd prius genitus sit à virtute creata simpliciter; aut hoc est ex virtute Spiritus Sancti, & virtute generatiua Virginis cõceptũ efficere, & sic videtur, esse cõmixtio virtutũ, quòd est hæresis:

ergo non dedit virtutem generatiuam. Item si ei data fuit virtus generatiua: ergo actus non miraculosus. Si enim ceco dentur oculi, non est posteà miraculum, si videat.

Contra hoc obijcitur, infinitæ distantiæ contingere infinitæ est potentiæ, & virtutis: eiusdem autem virtutis est operari conceptionem, & vnionem; quia simul fiunt in vno; sed in vnione, Deus, & homo infinitæ distantiæ sunt coniuncti: ergo hoc fuit à virtute infinita: ergo nec fuit virtutis creatæ. Nulla enim creatura est infinita.

Quanto tempore fuerit in vtero.

CAP. 242.

Deinde quæritur, quanto tempore fuerit in vtero Dominus, & dicit Augustin. in lib. 9. de Ciuit. Dei; quòd nouem mensibus, & sex diebus, secundùm quod dicitur Ioan. 2. *Quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum hoc.* Hoc est; contra Hier. *Nouum creauit Dominus super terram, &c.* Ergo statim in conceptione fuit ibi: ergo quadraginta sex dies ipsi fuerunt superflui, qui alijs sunt necessarij: ergo priùs nasci debuit, & minus in vtero esse, quàm alij. Præterea: quę necessitas fuit, quod corpus in conceptione statim fuit vnitum, & formatum; cùm non sic sit in alijs, etiam si non esset peccatum? Item vtrùmque fieri potuit operatione Spiritus Sancti; & quòd statim esset perfectum, & quòd quadragesimo die: ergo cùm ipse naturam nostram assumpsit, etiam modum assumendi naturalem, & communem obseruare debuit. Item Christus est secundus Adam, vt dicit Apostolus, 1. Cor. 15. Ergo debuit in eadem perfectione esse, in qua primus homo Adam erat in perfectione corporis. Ille autem perfectionem corporis non accepit per incrementa. Item Deuter. 33. *Dei perfecta sunt opera.* Sed ista conceptio fuit immediatè opus Dei: ergo debuit imperfectum opus terminari.

Ioan. 2. Here. 31 1. Co. 15 Deu. 33

Qualiter egressus.

CAP. 243.

Post hæc quæritur de partu, qualiter fuit egressus ex vtero, cùm corpus non transeat per corpus grossum, nisi diuidendo. Ad hoc quidam dixerunt, quòd Dominus diuisim, & successiuè assumpserit quatuor dotes corporis subtilitatem in egressione de vtero: agilitatem ambulando super aquas: claritatem in trãsfiguratione: impossibilitatem in cœna. Sed contra. De veritate naturæ ipse grossum corpus habuit, & materiale; sicut conceptum, & simile nostræ naturæ: ergo si nascendo aliud assumpsit, hoc falsitatis fuit, & fictionis. Item secundùm hoc egressio de vtero non est miraculosa, sicut post Resurrectionem, non fuit miraculosum, quòd intrauit ianuis clausis, quando habuit subtilitatem corporis glorioſi. Item Dionys. de Diu. Nom. *Ignoras autem quomodo ex Virgineis sanguinibus altera præter naturam lege compositus sit, & quomodo siccis pedibus naturale corpus habens, & materiæ grauitatem superamare ambulauerit.* Manifestum est ergo, quòd omnia fiebant per miraculum.

Dionys.

Vtrùm in Conceptione habuit delectationem.

CAP. 244.

Iuxta hoc quæritur. Vtrùm Beatissima Virgo in Conceptione habuerit dolorem, vel aliquam delectationem. Quòd dolorem, videtur, quia ibi fuit diuisio, & dissolutio cõtinui: ergo dolor. Contra quod fuerit ibi delectatio, videtur; quia produci de se simili est naturale: ergo est delectabile. Item in statu innocentiæ in Conceptione fuit delectatio. Item illa delectatio est naturalis: ergo per peccatum non est maiorata, sed minorata: ergo maior fuit in statu innocentiæ, quàm illa, quæ modò cum libidine; sed ista Conceptio similis est illi immunitate peccatis, & libidinis: ergo maior esse debet, delectatio quàm illa, quæ est cum libidine. Item natura nobilior nobiliores habet operationes, & etiam delectationes, sed natura non corrupta nobilior est, quàm corrupta: ergo nobilior erit eius delectatio: ergo, & istius, quæ est similis illi. Item Beata Virgo maximam habuit delectationem in essendo Mater Dei: ergo, & in fiendo.

Vtrùm in portando habuit grauitatem.

CAP. 245.

Quærendum etiam dignum esse videtur: Vtrum aliquam grauitatem habuerit Beata Virgo in portando, & videtur, quòd sic; quia corpus grossum, & graue additum corpori grosso, necessariò trahit ipsum secundùm suam inclinationem deorsum, & sic grauat necessariò aliquantulum. Item hoc non videtur repugnare beatitudini Beatæ Virginis, sed magis esse ad meritum, cùm grauari sit pœnale. Vnde 2. Mach. 2. Mater quædam ad memoriam reuocat filio, quæ & quanta sustinuerit in vtero pro ipso: ergo videtur, quòd etiam Beata Virgo debuerit grauari in portando. Item Thob 4. *Memor enim esse debes, quæ & quanta passa sit propter te in vtero suo.* Sed contra: in statu ante peccatum non fuisset huiusmodi grauitas in portando: ergo nec in ista portatione, cuius Conceptio omnino fuit sine peccato. Item hoc est purè naturale: ergo non penale. Item habere apud se, & in se dilectum, non est pœnale,

2 Mac. 2 Thob. 4

le, sed delectabile: ergo Beata Virgo non habuit grauitatem in portando.

Vtrùm in pariendo: dolorem, vel delectationem habuerit.

CAP. 246.

Post hoc quæritur. Vtrùm habuerit dolorem, vel delectationem in pariendo, & videtur, quòd dolorem; quia ex coniunctione, quæ facta est in conceptione, fuit delectatio: ergo in diuisione, quæ facta est in partu, fuit dolor. Contra. Peperit sine dolore. Itē Esai. *Antequā parturiret, peperit.* Itē ante partū tantū reficiebatur secundùm intellectum, & tactum: nunc autem secundùm intellectum, & omnem sensum: ergo modò maiorata est sua delectatio.

Esai. 66

Solutio Prædictorum.

CAP. 247.

Ad prædicta secundùm ordinem soluendo dicimus; quòd hæc conceptio est opus Trinitatis; appropriabile tamen Spiritui Sancto rationibus assignatis. Patri autem congruit generatio, quæ est in identitate substātiæ; omnis enim Pater generat in identitate suæ naturæ, & substantiæ; vt Deus Deum, homo hominem. Item generatio temporalis, quamuis habeat cum æterna conuenientiam remotam; non tamē propinquam. In ista enim tēporali est differentia eiusdem naturæ spem* inter patrē, & filium. In æterna non est differentia eiusdem naturæ, & essentiæ inter patrem, & filium. Vnde hoc non appropriatur Patri, sed Spiritui Sancto, cuius est donorum distributio. Item non est idem filium dare, & incarnationem facere; quia posset filium dare, non exeuntem in carne, vt dicit Augustin. in 4. de Tri. Item cur recreatio, & glorificatio habeantse ad inuicem, sicut causa ad causatum; sicut vnum appropriatur Spiritui Sancto, ita & reliquum. Item efficere generatum est dupliciter, scilicet, per modum causæ efficientis, & materialis, & per modum efficientis solùm. Primum istorum tantùm habet rationem Patris. Vnde autem cùm materialiter facta fuerit ista conceptio, dicimus cum Damasceno, quòd non tantùm de sanguine, sed etiam de sanguinibus, & carnibus Beatissimæ Virginis. Et dicimus, quòd duplex est humiditas sui sanguinis in corpore. Vna nutrimentalis, quæ venit à cibo, & ad hoc non est corpus, vel pars corporis; sed ad hoc potest, vel vniri, vel pars fieri, vel transmitti ad generationem alterius corporis. Præter hanc est ibi humiditas substantialis, quæ est actualiter in omnibus membris, & est pars essentialis corporis, vel generantibus coniuncta, vel per nutrimentū in corpus conuersa, & illi vnita.

Augustin.

A Ex his vtrisque fit decisio, vel propagatio: & hoc est, quod subtiliter tangit Philosophus in lib. de anima. Dicens: quòd est generationis factiuum, & hoc duobus modis: vno modo, quia ex superfluitate ipsius in vltima digestione fit pars seminis, & rei generatæ. Alio modo, quia per alimentū susciptiunt cōpletā quantitatē, tunc, & substantiuā, vt possit ex ipsis decidere essentialiorem, & veriorem partem seminis rei generatæ. Aliàs, si nutrimentum tantùm esset materia seminis, & non effectiuum, non benediceret factiuum, quòd dicit potentiam actiuam. Nunc autem est nutrimentum, & materia seminis, quantùm ad maiorem partem ipsius seminis, &
B est causa efficiens, & conferens membris cōplementum ad decidendum de se partem essentialiorē, & veriorē. Item idem tangit Damacen dicendo in vno loco: *ex sanguinibus, & non ex sanguine.* In alio loco, dicit expresse: *Ex purissimis carnibus, & sanguinibus.* Item tangit. Ioan. 1. cùm dicit. *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: dicendo: *Ex sanguinibus pluraliter, & voluntate singulariter.* Vnde Philosophus non Catholicus diceret, quòd omnes homines materialiter fuissent in Adam, & corpus ipsius continuum fuisset diuisibile, in semper diuisibilia; & nunquam stat diuisio ex parte rei
C diuisæ: & sic homo comestus habet pro veritate humanæ naturæ illud, quod traxit in sua conceptione à parentibus. Reliquum, quòd post modum sibi per nutrimentum, & ante animationem, vel post est vnitum cedet. Tertio, scilicet, propagatio de comesto, in veritate naturæ, & sic quilibet habet suam propriam humānæ naturæ veritatem.

Damasc.

Ioan. 1.

Ad aliud dicendum: quòd ista conceptio fuit per modū generationis, & non per modū creationis. Nec Damasc. dicit: *Creatus*, quāuis hoc dicat Magister in senten. Sed dicit sic spermaticè, *Nō seminaliter, sed cōditiuè per Spiritum Sanctum.* Et alia translatio habet *creabiliter*; quasi dicat: Quamuis non sit purè creatio; est tamen ibi proprietas, & similitudo creationis; quia facta fuit subitò, & immediatè à Deo, qui non indiget materia. Concedimus etiam, quòd Dominus fuit in vtero ducentos septuaginta sex diebus, qui sunt triginta nouē hebdomadæ, & duo dies: & congruentissimū, & preciosissimum tempus est, quòd secundùm ordinem naturæ, nō errantis, neq; deficiētis partum congruit esse in vtero post animæ infusionem, nec debuit Dominus concipi perfectione corporali, quæ esset contra modum humanæ natiuitatis, sed perfectione spirituali; quia primò. Adæ de terra terreno congruebat perfectio corporalis. Secundò Adæ cœlesti congruebat perfectio spiritualis, quæ intelligitur per

virum

Iere. 31. virum, cum dicitur: *Mulier circundabit virum.* Item sine dotis assumptione exiuit clauso vtero supernaturaliter nascendo. Concipitur in Beata Virgine sine dolore cum summa spiritus delectatione, & etiam cum delectatione summa naturali, sed naturalis fuit ibi materialis; spiritualis verò fuit formalis, sicut ipsa conceptio fuit Spiritu Sancto operante tantùm, & natura operationem suscipiente: Nec dissolutio continui est dolor, nisi fiat à principio extra agente per violentiam, quod hoc non fuit. Idem dicimus de partu per omnia. De portatione dicimus, quòd fuit sine grauedine, secundùm proprietatem status innocentiæ, sicut corpus proprium non grauat propriè, sic naturaliter corpus matris, & filij ante partum est quasi vnum corpus. Vnde secundùm naturam non est vnum aptum natum alterum grauare.

De Hoc quod dicitur: In vtero.

CAP. 248.

Item post hæc quæritur de hoc, quod dicit. *In vtero*, & videtur superfluum esse. Omnis enim concipiens concipit in vtero. Ad hoc dicimus, quòd hoc est priuilegium istius solius conceptionis. Omnes enim aliæ concipiunt in vterum; illa sola concipit in vtero, quo concepit virgo.

Do Hoc nomine, IESVS.

CAP. 249.

Item post hæc quæritur de nomine, de quo subiungitur, *Et vocabis nomen eius IESVS.* Quæritur ergo: vtrùm verbum incarnatum habuerit vnum solum nomen; & videtur, quòd sic: vnius enim indiuidui naturaliter vnum debet esse nomen. Item vnum sufficit determinare Christum ab alijs indiuidnis. Item vnum est significatum. Contra inferiùs dicit. *Filius altissimi vocabitur.* Item Esai. Esai. 7. 7. *vocabitur nomen eius Emanuel.* Item cum hoc annunciatur diuinæ, & humanæ naturæ vnio: & hoc intelligitur per Emanuel. Hic potius deberet illud nomen poni. Item de eodem est annunciatio, de quo fuit prophetatio; sed illa fuit sub hoc nomine Emanuel: Esai. 9. ergo hoc deberet poni. Item Esai. 9. *Vocabitur nomen eius admirabile consiliarius Deus fortis, pater futuri sæculi, Princeps pacis:* Ergo multa nomina. Item, *vocabitur nomen eius spolia detrahe festina prædare.* Item nomina omnia conueniunt tribus personis: ergo non sunt propria Verbi incarnati. Item nullum commune est proprium, sed, *fortis, admirabilis*, & huiusmodi non sunt propria: ergo sunt communia. Item Messias fuit promissus. Hic autem est Christus: ergo hic debuit vocari Christus.

Quis imposuit hoc Nomen.

CAP. 250.

Post hoc quæritur, quis imposuerit illud nomen: & videtur, quòd Ioseph, Matth. 2. Mat. 2. *Ioseph fili Dauid noli timere, accipe MARIAM coniugem tuam.* Et infrà: *Et vocabitur nomen eius IESVS:* Ergo Ioseph imposuit. Item Luc. 2. *Vocatum est nomen eius* Lucæ 2. *IESVS, quod vocatum est ab Angelo:* Ergo Angelus imposuit. Item hic dicitur, quòd semper Benedictissima Virgo filio suo nomen imposuit. Item ad ipsam pertinebat, quia ipsa sola inter homines ius habebat ad eum. Item ipsa sola plenè ipsum tunc cognouit, & optimè proprietates ipsius sciuit. Item significatio est per institutionem, sed vna est significatio: ergo vna tantùm debuit esse institutio.

Quando institutum fuerit illud Nomen.

CAP. 251.

Post hoc quæritur, quando institutum fuerit illud nomen: & videtur, quòd ab æterno. Luc. 2. *Prius quàm in vtero conciperetur.* Lucæ 2. Item Matth. 1. *Vocabitur nomen eius IESVS.* Mat. 1. Gloss. *Non impones quod ab Angelo ab æterno impositum est.* Item Gloss. *Non decuit tam gloriosum nomen priùs ab homine appellari, sed excellentior natura, ne homo machinator huius nominis videretur.* Item alia Gloss. *Sicut à Christo Christiani, sic in vtraque natura à IESV, id est Saluatore saluati vocantur; quod nomen non solùm ante quàm concipiamur in vtero, sed etiam ante tempora sæcularia nobis à Deo est ordinatum.* Contra Luc. 2. *Postquam impleti sunt* Luc. 2. *dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS.* Item Domina imposuit, vel Ioseph: ergo ex tempore.

De hoc, cui conueniat illud Nomen.

CAP. 252.

Post hæc quæritur, cui conueniat illud nomen; & videtur, quòd tribus personis. Pater enim, & Filius, & Spiritus Sanctus saluāt à peccatis: ergo Saluator: ergo IESVS. Item, opera Trinitatis sunt indiuisa. Item est æternum, & non est personale: ergo essentiale: ergo conuenit tribus. Contra: est proprium nomen Verbi incarnati: ergo non conuenit Trinitati.

Solutio prædictorum.

CAP. 153.

Ad hæc soluenda dicimus, quòd quamuis vnum proprium non possit esse plurium, tamen vnius possunt esse propria plura, vt risibi-

risibile, & disciplinæ susceptibile hominis. Vnde cùm Verbum incarnatum plures habeat proprietates sibi soli conuenientes, & nulli aliæ personæ, potest à qualibet istarum denominari. Vnde omnia prędicta nomina conueniunt ei ratione diuersarum proprietatum. Cùm autē ab vltimo, & optimo vnūquodque habeat denominari; finis autem est vltimum in vtroque; debet vnum quodque proprijssimè denominari à fine. Cùm ergo finis Incarnationis sit saluatio humani generis, Verbum incarnatum, vbi Filius Dei incarnatur, rectè vocatus est IESVS: sic ergo, quanuis saluatio à culpa sit communis tribus personis; tamen redemptio per passionem propria est Filij incarnati. Et secundùm
Mat. 1. hanc Filius solus sanguine suo, *saluum fecit populum suum à peccatis eorum*. Vnde ipse solus IESVS dicitur, quòd est Saluator. Item, quanuis mirabilitas, & fortitudo in se communia sint, tamen mirabilitas natiuitatis de Virgine, & fortitudo in morte nō sunt communia tribus personis; sed propria Filij, & similiter incarnatio. Item illud nomen imposuit Deus, Angelus, & Domina omniū, & Ioseph; Deus rem nobis præstando; Angelus prędicendo; Domina imperando; Ioseph exequēdo. Ex hoc patet quādo ista positum fuit, scilicet à Deo æternaliter; ab Angelo in Annuntiatione, à Domina, & Ioseph in circumcisione. Ex his etiam patet, cui conueniat illud nomen IESVS. Si autem quæritur de coniunctione istorum nominum IESVS Christus: dicimus, quòd nominat vnam personam à duabus naturis, quæ inuenta est secundùm humanitatem Saluatoris, secundùm diuinitatem humanitati coniunctā.

De hoc quod dicitur: Hic erit magnus.

CAP. 254.

Post hæc quæritur de eo, quòd subiungitur. *Hic erit magnus.* Quæritur ergo, vtrùm Dominus per Incarnationem suam factus sit paruus, vel magnus, & videtur, quòd paruus.
Psa. 8. Psalm. 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*, sed priùs fuit multò maior Angelis.
Hebr. 2. Item Apostolus ad Hebr. 2. *Eum autem qui modico, quā Angeli, minoratus est, videmus IESVM propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*.
Phil. 2. Item Phil. 2. *Exinaniuit semetipsum*.
Bernar. Item Bernard. super illud. *Magnificat anima mea Dominum*: dicit: *Non laudatur Dominus magnus, & laudabilis nimis, sed paruus Dominus, & amabilis nimis*.
Esai. 9. Item Esai. 9. *Paruulus natus est nobis*
Bernar. Item Bernar. *Quare erit paruus, & non potius magnus; qui semper æqualiter est magnus, & non habet, quo crescat, vt maior post conceptum futurus sit, quàm ante sit, vel futurus sit?* Item duplex est magnitudo molis, & virtutis. De magnitudine molis nihil ad propositum; quia illa est indiferens, iuxta quod, 1. Reg. 17. *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ; quoniā abieci eum.* 1. *Re.* 17
Magnitudo autē virtutis nulla accessit Deo per incarnationem. Quidquid enim potest homo, potest Deus, & plus: ergo quidquid potest modò, potuit, & priùs: ergo non est magnus factus. Contra: *Magnificat anima mea Dominum*. Ergo ipsa magnificauit eum? *Luc.* 1.
Ergo ipse est magnificatus. Vnde in figura, 3. Reg. 10. *Magnificatus est Rex Salomon super omnes Reges terræ, diuitijs, & sapientia, & vniuersa terra desiderabat videre vultum eius*. 1. *Re.* 10
Item Bern. *Verè magnificatus est; quia magnificauit eum Dominus in conspectu Regum, vt adorent eum omnes Reges; omnes gentes seruiant ei.* *Bernar.*
Item, augmentum est præexistentis magnitudinis additamentum. Ipse autem manens quod erat, assumpsit quod non erat: ergo magnificatus. Item talè additum tali, magis facit tale, sed diuinitas est bonum, & humanitas est bonum: ergo additum alterum alteri, erit magis bonum.

Ad hæc soluendo dicimus; quod Dominus IESES Christus in Incarnatione factus est magnus, & paruus; quia factus est Deus & homo. Magnus in quantum Deus; paruus in quantum homo, respectu Diuinitatis: ergo vna, & eadem persona magnificata, & paruificata est; & magnificatio hæc ad Diuinitatem: paruitas autem fuit exinanitio ab humanitate. Quod autem persona potest magnificari, hoc habet ratione humanitatis; quia Diuina natura non habet quo crescat. Quod autem persona dicitur exinaniri, hoc conuenit ex ratione Diuinitatis. Est autem purificatio, siue exinanitio; non diuinæ naturæ in aliquo, sed cum inferiori vnio: sicut & magnificatio hæc est; non naturæ extra metam propriam eleuati, sed cum summa natura personalis coniunctio. Erit itaque magnus nobilitate, dignitate, potestate, virtute, famositate, vtilitate, nouitate. De magnitudine nobilitatis dicit Bernardus. *Benè magnus, cuius magnitudinis non est finis. Et quis magnus sicut Deus noster? Planè magnus, quia tam magnus, quàm altissimus.* Et infrà: *Altissimus enim Pater, quamuis opus sit, non potuit tamen æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium; fecit itaque Angelum magnum, sed non quantus est ipse; & ideò, nec altissimum. Solum autem vnigenitum, quem non fecit, sed genuit omnipotens omnipotentem, altissimus altissimum, coæternus coæternum, ipsum sibi per omnia comparari; nec rapinam æstimat, nec iniuriā.* *Bernar.* De magnitudine dignitatis, siue auctoritatis, idē Ber. *Erit enim magnus Dominus, quia magnificauit eum Dominus, &c.* *Bernar.*
Vt suprà de magnitudine potestatis, Bern. *Magnifi-* *Bernar.*

gnificat anima mea Dominum : quia hic erit magnus, & magis faciet tibi ; quia potens est, & sanctum nomen eius. Item potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur. Dan. 7. De magnitudine virtutis, & dignitatis simul, Apoc. 19. Habens in vestimento, & in fæmore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium. Item Apoc. 5. Vicit Leo de tribu Iuda. De magnitudine famæ. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Item Psal. 49. A solis ortu, vsque ad occasum laudabile nomen Domini. De magnitudine vtilitatis, Bernard. dicit. Magnificetur à nobis paruus, & magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est paruus. Paruulus, ait Esai. 9. natus est nobis. Nobis, inquam, non Angelis, quia cum magnum haberent, paruum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis datus: quia nobis necessarius. Ideò de nobis nato, vel dato faciamus, quod natus est, & datus: vtamur nostro ad nostram vtilitatem ; de Saluatore salutem operemur; de magnitudine nouitatis, Hiere. 31. Nouum creauit Dominus, &c. Et Dionys. Quod est omnium nouorum nouissimum. Magnus, inquam, erit secundùm omnem modum. Magnus secundùm substantiam ; quia Deus Magnus secundùm quantitatem; quia omnipotens. Magnus secundùm qualitatem ; quia summè bonus Deus. Magnus secundùm relationem ; quia filius Dei. Magnus secundùm quando : quia æternus. Magnus secundùm vbi ; quia vbique. Magnus secundùm situm, vel potentiam ; quia cœlum sibi sedes est, & terra, scabellum pedum suorum Et sedet super Cherubin, & ambulat super pennas ventorum. Ascendit etiam super omnes cœlos, & sedet ad dexteram Patris. Et astat nunc vultui Dei pro nobis. Magnus secundùm habitum ; Quia vestimenta sua sunt candida super niuem; qualis fullo non potest facere super terram; quia fortitudo, & decor indumentum eius. Indutus est enim decore, & præcinxit se virtute. Concidit saccum suum, & circumdedit se lætitia. Magnus quoque est magnitudine actionis. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Id est filiũ, quę genuit in quo omnia creauit, & recreauit ; iustificauit, & glorificauit. Vnde Psal. 144. Generatio, & generatio laudabit opera tua. Ipse opera fecit quę nemo alius fecit; & opera quæ ipse fecit, testimonium perhibet ei ; quia magnus filius magni Dei. Magnus quoque in passione. Ipse enim nouissimus virorũ, vir dolorũ, & nõ est dolor similis dolori eius. Sic ergo patet, qualiter paruulus iste, per omnem modum est glorificatus, ac magnificatus. Est autem magnus iste paruificatus. Vnde Bernard. Et tu quidem Virgo paruulum pariens, paruulum nutriens, paruulum lactans: sed videns paruum, magnum cogitas. Et infrà. Ecce paruulus in medio statuitur: ò paruulus paruulis, desideratus: ò verè paruulus! scilicet, malitia, non sapientia: studeamus effici sicut paruulus iste. Discamus ab ipso; quia mitis est, & humilis corde ; ne magnus videlicet Deus factus sit sine causa homo paruulus, ne gratis homo mortuus ; ne in vacuum crucifixus. Sic ergo patet, qualiter paruulus iste paruus est, & magnus Leo, & agnus Leo de tribu Iuda, & Agnus qui tollit peccata mundi.

Dan. 7. Apoc. 19 Apoc. 5 Psa. 49 Esai. 9. Hier. 31 Dionys. Psal. 89 & 103. Mar. 16 Marc. 9 Pro. 16 Gen. 1. Ps. 144 Bernar.

A B C D

De hoc, quod dicitur : Filius altissimi vocabitur.

CAP. 255.

Post hæc quæritur ; *Et Filius altissimi vocabitur*. Ad quod additur cùm supra dictum sit. *Et vocabitur nomen eius IESVS.* Et qualiter differat hęc vocatio ab illa. Item Filius altissimi est commune omnium hominum, iuxta illud Psal. *Filij excelsi omnes.* Et illud Matth. 6. *Pater noster, &c.* Et illud Eccl. 4. *Et eris velut filius obediens*. Item altissimus est Deus Trinitas: ergo ipse erit Filius Dei Trinitatis : ergo Filius Spiritus Sancti, & Filius Filij ; ad hoc dicimus, quòd differt hæc filiatio ab alijs, & hæc vocatio à supradicta : hæc enim filiatio est per æternam generationem; aliæ verò per adoptionem ; superius posita vocatio, notat proprij nominis impositionem, hæc autem non solùm propriam nominationem, sed & rei nominis, & diuinæ naturæ per opera declarationem. Ipse itaque *vocantur* : æterna nominatione, scripturæ attestatione, Ioannis Prophetatione, operũ probatione, Patris declaratione, columbæ ostensione, Petri confessione, Dæmonum suspitione, doctrinæ singularitate; quia sicut dicit Ioan. 7. *Nunquam locutus est sic homo*. Gloss. *Quia Deus cuius fuit sermo importante, * & non sicut scribarum & Pharisęorum*. Omnibus ergo istis modis, vocabitur ab omnibus, altissimus filius, vnigenitus in esse naturæ : vnigenitus in donis gratię, summus in esse glorię, vnum in essentia cum Patre, erit à Patre: æterna generatione, vnum principium in communi spiratione.

Psal. 81. Mat. 6. Eccl. 4. Ioan. 7.

De hoc: Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid.

CAP. 256.

Post hæc quæritur de illo, quod subditur. *Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius*. Quæritur ergo, vtrùm per sedem Dauid hic intelligatur Regnum corporale, vel spirituale. Si corporale, illud nunquam habuit. Immò sicut dicitur Ioan 6. à turbis eum Regem facere volentibus *fugit*, & ante Pilatũ pro-

Ioan. 6.

protestatus fuit, sicut dicitur Ioan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*. Si autem intelligatur per hoc Regnum spirituale; illud semper habuit. Item Luc. 1. *Dabit illi Dominus sedem Dauid*. Gloss. *In præsenti vita corda inhabitans regnabit, in futuro ad gloriam vocans*. Sed Christus homo Regnum Spirituale * nunquam habuit; in quantum Deus semper habuit: ergo illi nunquam datum fuit. Item quando natus fuit, tunc Rex fuit: ergo nascendo, vel per natiuitatē nō accepit. Item diffinientes: per genus, propinquiùs diffiniunt: Regnum Iudæorum propinquiùs fuit Domino nostro IESV Christo in Iosia, quàm in alijs. Vnde potiùs dixisse debuit sedem Iosiæ Patris eius; præsertim cùm Iosias in plurimis figurauit Dominum IESVM Christum. Item Regnum Dauid fuit cum sanguinis effusione; propter quod dicitur, 2. Reg. 7. *Nunquid ædificabis mihi domum*. Gloss. *Non, quia vir sanguinis es*. Et 3. Reg. 5. *Non poterat ædificare domum nomini Dei sui propter bella imminentia in circuitu*. Regnum autem Salomonis fuit pacificum. Sicut ibidem subiungitur. *Nunc autem requiem dedit Deus mihi per circuitum, & non est Sathan, nec occursus malus*. Si ergo Regnum Dauid in sanguinis effusione; Regnum verò Salomonis in pace, consimiliùs fuit Regnum Salomonis: Regno Christi, qui non regnat nisi in pace. Regnum enim suum inter nos est, & iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Quia in pace factus est locus eius*. Sicut dicit Psalm. 75. Et non est ipse Deus defensionis, sed pacis: qui est *pater futuri sæculi; princeps pacis*: Ergo expræsiùs, & potiùs figuratur Regnum eius per Regnum Salomonis, quàm per Regnum Dauid. Item nomine, & re, & regimine, videtur Salomon expræsiùs Dominū figurasse: Nomine, quia pacificus interpretatur. Christus autem pacem fecit ei, qui longè est, *& qui propè est*: Re, quia 3. Reg. 10 *Magnificatus est Salomon diuitijs, & sapientia super Reges, &c.* Hæc autem omnia proprijssimè conueniunt Christo; quia sicut dicitur Colo. 2. *Virtus est, & sapientia Patris: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. Speciosus forma præ filijs hominum. In quem, &c. desiderant Angeli prospicere*. Sicut dicitur: 1. Petr. 1. Regimine; quia non fuit Sathan, nec occursus malus. Sicut dictum est in Regno suo; in opere etiam Dominum figurauit. Ipse enim domum Domino ædificauit. 3. Reg. 8. *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, &c. Et Christus vera sapientia ædificauit sibi domum; & excidit columnas septem*. Prouerb. 9. Item diuina electione videtur Dominum figurare; quia de eo iuxta literam scriptum est, 2. Reg. 7. *Ego ero illi in*

Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Quod verè, & propriè solummodo conuenit Domino IESV Christo. Nec obstat, quòd Salomon alienigenas sibi copulauerit, vt dicitur: 3. Reg. 11. cum etiam ipsum in hoc figuret, qui zelotipia animarum, quasi extra se raptus animas peccatrices sibi in misericordia, & miserationibus desponsauit. Quod autem malum factum, bonum posit figurare, patet per Gloss. 2. Reg. 11. super historiam adulterij, & interfectionis Vriæ. Item Cant. 3. *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua*. Gloss. MARIA: ibi Rex Salomon intelligitur Rex Christus: ergo, & sua sedes debet dici sedes Salomonis.

3. *Re.* 11

2. *Re.* 11

Cant. 3.

De hoc: Regnauit in domo Iacob in æternum.

CAP. 257.

Post hæc sequitur de eo, quod sequitur. *Regnauit in domo Iacob in æternum, &c.* Si enim sedet super sedem Dauid: ergo regnat in domo Dauid. Nihil enim esset dictum; dabit ei sedem Regis Theutoniæ, & regnauit in domo Regis Franciæ. Item si intelligatur; quòd regnaturus sit vtrobique: ergo Regnum Iacob debuisset præposuisse. Item non potest de diuersis Regnis intelligi; quia Regnum Dauid non fuit nisi in domo Iacob, id est, in Iudæis. Item cùm Dominus regnet spiritualiter, non solum super eos qui sunt in domo Iacob; sed super totam Ecclesiam, debuisset dixisse in domo Adæ, vel Abel: à quorum altero Ecclesia incepit. Item si intelligatur de domo spirituali; quo regnauit spiritualiter super populum peculiarem; scilicet Ecclesiam Iudæorum: tunc debuisset dixisse, in domo Abrahæ. Item dissem inatio istius populi facta est per Isaac. Iuxta illud Gen. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen*. Ergo debuit dicere in domo Isaac. Item si voluit denominare à primo Rege Israel. Sic fuit Saul: item cum Dauid non habuit sedem spiritualem; quomodo Regnum spirituale dicitur sedes Dauid. Item quidquid est æternum, illius non erit finis: ergo alterum eorum erit superfluum.

Gen. 21.

Vtrùm Dominus in quantum homo sit Rex Angelorum, & Ecclesiæ militantis.

CAP. 258.

Iuxta prædicta quæritur: Vtrùm Dominus in quantum homo sit Rex Angelorum, & Ecclesiæ militantis: & videtur quòd sic. Homo est dignissima omnium naturarum: ergo dignissimus inter omnes homines erit omnium creaturarum dignissima: ergo Rex. Item Mater sua est Regina Angelorū: ergo ipse est Rex Angelorū. Item Mater sua est exaltata super

Cho-

Choros Angelorum, vt dicit Hiero. Quod si- A bi soli conuenit, & Matri, & Filio: ergo ipsa Regina, & ipse Rex Angelorũ. Itẽ charitas ordinat statum patriæ; sed Dominus importionabiliter habuit charitatẽ super Seraphin: ergo & statum: ergo & Rex Angelorum. Itẽ
Mat.4. Matth. 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Item ipse est; *in quem desiderant An-*
1. Pet.1 *geli prospicere.* Item Apoc. 16. & 32. *Conser-*
Apoc.19 *uus tuus sum, & fratrum tuorum.* dicit An-
& 32. gelus ad Ioannem. Itẽ Apoc. 4. *Vigintiqua-*
Apoc. 4 *tuor seniores mittebãt coronas suas ante thronum*: Quia omnes Sancti confitentur, quòd per humanitatem Christi coronati sunt. Itẽ filij resurrectionis æquales erunt Angelis; sed ipse est Rex illorum: ergo & Angelorũ. Ipse B est enim *primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. Itẽ Luc. 19. *Homo*
Apoc.1. *quidam abijt in regionẽ longinquam accipere*
Luc.19. *sibi Regnũ.* Ergo Christus accepit Regnum
Isidor. triũphantis Ecclesiæ. Itẽ Isido. *Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto.* Item anima Christi sciuit omnia, quæ Deus: ergo ipse est superior omniũ Angelorũ in cognitione: ergo, & in dilectione. Item dicet Dionys. in Ec-
Dionys. cl. Hier. c. 5. *Lex quidem hæc diuinitatis, per prima secunda ad diuinissimam scilicet reducere lucem; & sic per superiora reguntur inferiora.* Ergo ipse est Rex Angelorum. Item,
Apo. 19 habet in vestimento. *Et in fæmore suo scriptũ*
Dionys. *Rex Regum, &c.* Item Dionys in cœl. Hier. C c. 5. *Quosdã enim eorũ introducit à prioribus sacra eruditos domum esse virtutũ, & Regem gloriæ in cœlum humanitus receptos; nõ quosdã vero apud IESVM immediatè docentẽ, & prælargiens eis manifestantẽ suã humanitatẽ, benignitatẽ. Ego,* inquit, *disputo iustitiam, & iudicium Saluatoris.* Ex his patet, quòd Angeli illuminãtur, & perficiuntur in quibusdã immediatè à Domino IESV Christo in quantum homo: ergo in quantum homo est Rex Angelorum.

Contra: cœlestis Hierachia est super humanam: ergo infimũ de cœlesti est super supremum de humana; sed inferiora non regũt superiora: ergo nullus homo potest esse Rex Angelorum. Itẽ simplum simplo: & optimũ D optimo, sed Angelus superior, & melior est homine: ergo optimus Angelus, optimo homine. Item Dionys. in capitul. 12. De diuinis Nominibus. *Regnum est omnis finis, & ornatus ordinis, & legis distributio.* Sed Christus in quantum homo non distribuit, Angelis fines, & ornatus, & legem: ergo non est Rex eorum in quantum homo. Item
Psal. 8. Psalm. 8. *Minuisti eum paulominus ab Angelis.* Ergo non est Rex Angelorum. Item Christus: aut est superior Angelis in quantum homo, aut non. Si non: ergo non est Rex. Si sic, & in quantum homo: ergo omnis homo, quod falsum est. Item Rex debet esse eiusdem naturæ cum eis, quorum est Rex, & è conuerso. Asinus enim non ponetur Rex auium; nec Aquila Rex animalium gressibilium: & Christus homo non est eiusdem naturæ cum Angelis: ergo in quantum homo non est Rex Angelorum. Item in Angelis non est propriè lex: ergo nec Rex. Item anima est substantia intellectualis illuminationem à primo vltima relatione receptiua: ergo Angelus prior: ergo Angelus naturaliter est superior anima, & anima supponitur homini: ergo Angelus superior omni homine: ergo non est Rex Angelorum. Item spiritus vnibilis corpori propinquior est corpori, quàm non vnibilis; & spiritus nò vnibilis propinquior est spiritui increato, quàm vnibilis: ergo spiritus Angelicus propinquior est Deo, quàm humanus: ergo nobilior, & melior: ergo homo non potest esse Rex Angelorum. Item Luc. 22. *Aslitit* *Luc.22.* *Angelus de cœlo confortans eum.* Item Dionys. in cœlest. Hierar. capit. 4. *Video enim,* *Dionys.* *quòd tẽpore isto super cœlestium essentiarum super essentialis essentia, ad id quod secundùm nos immutabiliter veniens non resilijt à se ordinata, & assumpta humana ordinatione; sed semper obediens subditur Patris, & Dei per Angelos dispositionibus, & per medios ipsos ordinatur. Nunciatur Ioseph à Patre disposita filij ad Ægyptum recessio; & iterum ex Ægypto ad Iudæam traductio; & per Angelos videmus ipsum paternis legationibus ordinatum iustè differentiæ, est scienti nostris Sacerdotalibus traductionibus expressa; & de Angelo ipsum IESVM confortante.* Ex his omnibus videtur, quòd Dominus IESVS in quantum homo sit sub Angelis: ergo non est Rex Angelorum.

Solutio prædictorum.

CAP. 259.

Ad hoc soluenda dicimus, quòd de Domino IESV Christo est secundùm quatuor modos loquendum. Primo de ipsa hypostasi, siue persona. Et secundum hoc est Rex omnium Angelorum. Secundo de natura, id est, de persona ratione diuinæ naturæ: & sic est superior adhuc omni Angelo. Tertio de persona ratione humanæ naturæ: sed hoc potest esse dupliciter, vel secundùm quòd ipsa est in vnione cum diuina. Et sic adhuc est superior omni Angelo, vel secundùm quod in se, circumscripta diuinitate consideratur, & sic est inferior omni Angelo. Et sic loquitur Damasc. vbi ait: quòd ignorantem, & seruilem naturam assumpsit. Tribus ergo modis est superior omni Angelo. Quarto modo est inferior omni Angelo.

Ad

Ad ea quæ obiecta sunt de sede; & de Regno Dauid dicitur; quod ibi accipitur signũ pro signato. Per Regnum autem Dauid temporale, figuratur Regnum Christi spirituale. *Dabit ergo illi sedem* Regni; sacerdotij, magisterij, iudicij, conuiuij *Dauid*; propter carnis propagationem; diuinam electionem; humilium exaltationem; hostium deiectionem; sanguinis effusionem; diuini cultus augmentationem; spiritualem præfiguration em; specialem promissionem; operum incitationẽ; virtutũ similitudinẽ, charitatis magnitudinẽ. Et *regnauit* miseris miserando, malos extirpãdo; bonos exaltando, omnibus imperãdo, hostes subiugãdo, curias celebrãdo, iura prouulgãdo, Regnũ dilatãdo. *Regnabit* autẽ per gratiã, & gloriã in *domo*; per charitatẽ, & vnitatẽ hospitis, identitatẽ cibi; & vestitus communitatem, operum conformitatem. *In domo Iacob*, inquam, quia imitabitur Iacob peregrinantem, seruientem, fugientem, repatriantem; dicimus etiam, quòd Regnum Christi figuratum fuit in Regno Dauid; & in Regno Salomonis. Sed Regnum Dauid significat Regnum Christi, præsens super militantem Ecclesiam, quæ est in bello contra vitia, & cum effusione sanguinis; & castigatione corporis; & crucifixione carnis, & vitijs, & concupiscentijs. Regnum autem Salomonis figurat Regnum triumphantis Ecclesiæ, quæ est in visione pacis; vbi non auditur *maleus*, *neque securis*. Sicut dicitur de Templo, quod ædificauit Salomon, 3. Reg. 6. *Sed sedet ibi populus Domini in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Esai. 32. Vnde sedes Dauid appellatur hoc Regnum per gratiam in præsenti: per domum Iacob intelligitur Regnum gloriæ in futuro. Vnde potissimè ponitur ibi Iacob, qui signiat charitatem: iuxta illud *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*. Id est; fides, spem; spes verò charitatem. Vnde; non est ibi domus Adæ; quia non est ibi terrena; sed cœlestis conuersatio. Non Abrahæ, vel Isaac; quia fides, & spes euacuabuntur, sola autem charitas nunquam excidet. Vnde *regnabit in domo Iacob in æternum.* Vnde Bernardus. *Denique quid magnum permittitur ei, qui sedet super Cherubin, quem Propheta videt sedentem super solium excelsum, & eleuatum sedere in sede Dauid Patris sui.* Sed nouimus quandam aliam Hierusalem ab ea, quæ nunc est; in qua regnauit Dauid; signatam multo ista meliorẽ; multo dilectiorẽ. Hanc igitur puto hic esse figuratam. Illo videlicet vsu loquendi, quo se scriptura, signans ponit pro signato. Tunc sanè dedit illi Dominus Deus sedẽ Patris sui; quando constitutus est ab eo Rex super Syon montẽ eius; sed hic Propheta de

3. *Re.* 6.

Esai. 32

Matt. 1

Bernar.

A quo Regno dixerit expressiùs apparuisse videtur in eo, quod non in Syõ; sed super Syõ posuit. Nã ideò fortassis dictũ est; quia in Syon quidẽ regnauit Dauid; super Syõ verò Regnũ est illius, de quo dictũ est ad Dauid: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. De quo per aliũ Prophetã dicitur Esai. 9. *Super solium Dauid, super Regnum eius sedebit in æternum*. Vides, quia vbique reperis super Syõ, super sedem, super solium, super Regnum. *Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius*; non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternã; non terrenam, sed cœlestem. Quę id circò, vt iam dictum est, memoratur fuisse Dauid; quia quòd hic tẽporaliter sedit; ęternæ illius gerebat imaginẽ. *Et regnabit in domo Iacob in æternum*. Hic quoque si domum Iacob temporalẽ accepimus; quomodo in illa, quę æterna est, in ęternum regnaturus est? Quærenda ergo est domus æterna Iacob, in qua regnet in æternum. *Cuius Regni nõ erit finis*. Aut non denique exasperans domus illa Iacob impiè ab negauit eum, & insipienter respuit ante faciem Pilati; quando illo proferente Regem vestrum crucifigam? vno ore respondendo clamant: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Rèquire itaque Apostolum, & discernet tibi eum, qui in occulto Iudęus est, ab eo, qui est in manifesto, & quæ in spiritu est circumcisio ab ea, quę fit in carne; vel spiritualem Israel à carnali; & filius spiritus Abrahæ à filijs carnis. *Non enim*, inquit, *omnes, qui exẽ Israel hi sunt Israelitæ. Neque qui semen Abrahæ, hi sii Abrahæ*. Solos igitur, qui in fide Iacob inuenti sunt, reputat de domo Iacob, vel potiùs noueris ipsos spiritualem, & æternam domum Iacob, in qua regnauit Dominus in æternum. Sequere ergo, & dic similiter; non omnes qui ex Iacob hi reputandi sunt de domo Iacob. Quis ex vobis, qui iuxta interpretationem nominis Iacob supplantet Diabolum; scilicet, de corpore luctetur cum vitijs, & cum concupiscentijs suis; vt non regnet peccatum in suo mortali corpore; sed regnet in eo IESVS; nunc quidem per gratiam, in æternum per gloriam. Beati, in quibus regnabit IESVS in æternum; quia ipsi cum eo regnabunt; & Regni eorum *non erit finis*: ò quàm glorioſum est illud Regnum, in quo Reges congregati conueniunt in vnum ad laudãdum, scilicet, & glorificandum eum, qui super omnes est. *Rex Regũ, & Dominus dominantium*. De cuius splendidissima contemplatione, *fulgebunt iuxti sicut Sol*: ò si & mei peccatoris meminerit IESVS, cùm venerit in beneplacito populi sui, cùm venerit in Regnum suum: ò si me in illa die, quãdo traditurus est Regnum; Deo Patri visitare dignabitur in salutari suo; ad videndum in bonitate electorum suorum; ad

Esai. 9.

Ioan. 19

Rom. 9.

Apo. 19

Sap. 3.

lę-

lętandum in lætitia gentis suæ, vt laudetur etiam à me in hæreditate sua. Veni interim Domine IESV auferscandala deRegno tuo, quod est anima mea, vt regnes tu, qui sedes in eo. Venit enim auaritia, & vēdicat sibi in me sedē. Iactantia cupit dominari mihi. Superbia vult mihi esse Rex. Luxuria dicit: ego regnabo. Ambitio, inuidia, detractio, & iracūdia certant in me; cuius ego potissimū videar esse? ego quātum valeo resisto, renitor; quantū iuuor Dominū meum IESVM Christum reclamo. Ipsi me defendo; quia ipsius me iuris esse cognosco. Ipsum mihi Deum; ipsum mihi Dominum teneo, & dico. Non habeo Regem nisi IESVM. Veni ergo Domine, *& disperge illos in virtute tua*, & regna in me; quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus

Psal. 58

De hoc: Quomodo fiet istud?

CAP. 260.

Post hæc quæritur de illo; quod sequitur. *Quomodo fiet istud?* & videtur potius, quòd hoc dixerit dubitando. Annunciatio de Isaac fuit figura istius annunciationis. Sed ibi Sara risit, & dubitauit: ergo videtur, quòd similiter debet esse in figurato. Item Abrahā dixit Gen. 17. *Tantum Ismael viuit coram te*: ergo videtur simul dubitasse. Item Luc. 1. Zacharias dubitauit: quæ annunciatio etiam istius figura fuit: ergo & in ista annuntiatione debet esse dubitatio. Sed contra Ambr. super Luc. in Gloss. *Cum Sara risit de promissione Dei, & videtur, quòd dixerit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? cur non fuit muta sicut Zacharias? sed Sara, & MARIA non dubitarunt faciendum, quod promittitur; sed modum requirunt.* Itē alia Glo. *legerat: & non dubitabat Virginem pariturā.* Sciebat, quòd impleri oportebat, quòd ab Angelo audierat; & quo ordine impleri debeat requirit. Item Bern. *Non dubitabat de facto, sed modum, & ordinem requirit. Non enim quærit an fiat istud. Sed quomodo quasi diceret. Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votū esse ancillæ suæ nō cognoscere virū, qua lege? quo ordine placebit tibi, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius. Si verò concipiam Virgo, pariam Virgo. Quod vtique si placuerit, & impossibile non erit, tunc scio verè, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ex his videtur, quòd non dubitauerit de facto. Sed de modo. Sed contra videtur: quòd per illud, *quomodo*; non solum quæratur; quando dubitatur de modo. Sed quando dubitatur de facto. Ioan. 3. *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex.* Ibi tantùm dubitatur de ipso facto, & non tantùm de modo. Item signum, quod Angelus dat ad istam quæstionem, non certificat de modo; sed de facto: quasi diceret. Si Elisabeth potest concipere: ergo & tu. Item modus satis videtur expressus; cùm dicit. *Concipies in vtero.* Ergo concipit Virgo. Nupta concipit in vterum. Item Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Gloss. id est *factum, quod verbo exprimitur.* Ergo certificatur de facto: ergo dubitauit de facto. Item Philosophus, dubitare *de singulis non erit inutile*: ergo potuit de vtroque dubitare. Item si de modo licuit dubitare: ergo de facto. Item Sancti exponunt istam conceptionem mistice. Vnde Ambros. *Mistice MARIA desponsata, sed Virgo typus est Ecclesiæ, quæ est immaculata, sed nupta concipit nos de spiritu: ergo parit nos sine gemitu & ideò fortasse alij nupta, ab alio repleta.* Ergo cū ista conceptio possit spiritualiter intelligi, licitè potuit dubitari. Vtrùm sic, vel sic debeat hoc fieri. Item non est credendum omni spiritui. *Quia Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis.* Sicut dicitur 2. Cor. 11. Ergo de hoc potuit dubitare. Itē Sap. 19. *Qui citò credidit leuis est corde.* Item quòd ex hoc quod quęsiuit sequatur aliqua dubitatio, nec de facto, nec de modo patet ex hoc; quod non omnis quæstio est propter dubitationē. Dominus enim in Euāgelijs sæpe, & plura quæsiuit; & tamen de nullo vnquam dubitauit. Item Matth. 11. *Ioannes cùm audisset in vinculis opera Christi, &c.* Gloss. Chrisostomi dicit: quod non propter se; propter Discipulos quæsiuit. A simili videtur, quòd etiam Beata Virgo quæsiuit, non sibi, sed nobis. Item legerat Virginem parituram: ergo hoc sciuit per fidem. Et ei modo dicitur, quòd ipsa sit illa: ergo credidit se Virginem parituram. Item ipsa credidit articulum de incarnatione, sed de substantia ipsius articuli est credere Virginem Deum concipere, & parere: ergo non dubitauit. Vtrùm manens virgo esset concepturа & paritura. Item Angelus nihil respondit, nisi quod sciuit priùs. Item Angelus respondit, nisi de modo concipiendi. Item videtur, quòd non hoc, quod subiungitur. *Virum non cognosco.* Multę enim Virgines virum nō cognoscunt, & tamen in posterum concipere possunt. Ad hoc soluēdo dicimus: quòd Beatissima Virgo prudentissima, & fidelissima, nec de facto, vel modo dubitauit. Nec obstat si in figuris dubitatio præcesserit. Quidquid enim in figuris dubitationis præcesserit, vel imperfectionis: In hoc istud figuratū figuras excellit. Quia nulla figura istud figuratum per omnia, & in omnibus exprimere sufficiens fuit. Quæstionem autem, quam Beatissima Virgo Angelo fecit, propter ipsius dubitationem non fecit, sed propter materiæ pleniorem descriptionem; propter veritatis maio-

Gen. 17
Luc. 1.
Bernar.
Ioan. 3.
Luc. 1.
Ambro.
2. *Cor.* 11
Sap. 19.
Mat. 11

vniorem expræsionem, propter herrorũ dubutationem, opinionum exclusionem, propter nostram ædificationé. Ad id quod de causæ quæstionis traditione obijcitur, patet solutio per argumentum, Glos. *Non cognosco*, ideſt, *non cognituram propono*. Ex his patet solutio ad obiecta.

De hoc: Quia virum non cognosco.

CAP. 261.

Post hoc quæritur de hoc, quòd dicitur: *Virum nõ cognosco*: nouit enim patrem suum: ergo virum. Item nunquid non nouit Ioseph. Item omnis cognitio est sensitiua, vel intellectiua; omnis intellectiua est speculatiua, vel affectiua. Beatissima Virgo cognouit virum cognitione speculatiua, & affectiua; quia dilexit omnes viros, & omnes homines. Item sẽsitiua; quia multos viros viderat, & audierat; ergo omnimodo virum nouit. Item si dicatur, quòd intelligatur de cognitione experientiæ. Contra multos viros experta fuit: est enim experientia multorum singulariũ simul cognitio. Ex multis enim memorijs fit vnum experimentum, & sic experta fuit multos viros. Si autem dicatur, quòd hic accipiatur cognitio pro actu generationis. Hoc videtur inconueniẽs; quia actus cognitionis, & actus generationis genere oponuntur. Item nõ sequitur, non cognosco per experientiam: ergo non cognosco. Item si dicatur, quòd sequitur secundùm vsum. Hoc non videtur posse stare; quia hæc Beatissima Virgo, proprie loquendo, dixisset falsum; quod absit. Ad hoc dicimus; quòd hic accipitur *vir*, secundùm quod dicitur relatiuè ad mulierẽ, vt mulieris vir. Vir importat secũdùm quod Beatissima Virgo nouerat. *Virum* nunquam, vel videre, vel audire, vel intelligere, vel sapere, vel diligere: dicat ergo *non cognosco*, vt personæ meæ dominatorem, operu rectorẽ, corporis corrumptorem, animæ obligatorem; prolis propagatorem nunquam volo cognoscere aliqua cognitione. Ex his soluta sunt obiecta.

De hoc: Spiritus Sanctus superueniet in te.

CAP. 262.

Deinde quæritur de illo quod subditur: *Spiritus sanctus superueniet in te*: videtur, quòd potiùs dixisse debuit; Filius *veniet in te*; quia in illa modo specialissimo tãtùm Filius fuit per corporalem præsentiam. Item: cùm ista aduẽtio sit per filij humiliationem, potiùs dixisset: descendit in te. Item de Domino legitur, Ioa. 1. *Super quem videris spiritum descendentem.* Item spiritus corporali specie descendit in ipsum, Luc. 3. Item Luc. 1. quando dictũ fuit: *Dominus tecum*; intelligebatur de corporali præsentia: ergo videtur superfluere. Item de Ioan. Luc. 1. *Spiritu Sancto replebitur ex vtero Matris suæ*: ergo multò fortiùs Beatissima Virgo: ergo ista superflua. Item Glos. Quod *Spiritus Sanctus castificauit ipsam à sordes vitiorum*; sed nihil de vitijs, vel sordibus habuit.

Ioan. 1. Luc. 3. Luc. 1. Luc. 1.

De hoc: Et virtus altissimi obumbrauit tibi.

CAP. 263.

Post hoc quæritur de hoc, quod dicitur: *Et virtus altissimi obumbrauit tibi.* Christus enim, Dei virtus, & Dei sapientia, non habet obumbrare, sed illuminare, qui sicut dicitur Ioan. 1. *Est lux vera, quæ illuminat omnẽ hominem*; sed in summo Beatissimam suam Matrem. Adidem Ezech. 42. *Ingressa est gloria Domini in Templum, & respleuuit terra à facie maiestatis eius*: ergo Beatissima Virgo non est obumbrata, sed illuminata. Item purgatio ordinatur ad illuminationem, illuminatio ad perfectionẽ, sed in conceptione perficiebatur in summo: ergo illuminabat in summo.

Ioan. 1. Ezec. 42.

Ad hæc soluenda dicimus, quòd spiritus timoris, pietatis, scientiæ, fortitudinis, consilij, intellectus, sapientiæ, & spiritus increatus, purgans, illuminans, inflammans, perficiens, stabiliens, consecrans, fœcũdans. *Superueniet*, ideſt, subitò veniet: super id, quod modo est, veniet; de superno veniet, plus omnibus veniet, prẽter solitũ veniet, super merita est, quod veniet plus, quàm veniet; quia veniet, requiescet super naturam venientis; quia nunquam recedet. In summo veniet, ad summum actum veniet, super omnes est, qui secum veniet Filius Dei: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi*; fomitem extinguendo, contra tribulationem protegendo, de carne tua vmbraculum faciendo, illum modum tibi soli notificando, lucem tuam in se abscondẽdo, lucem tuam mundo nõ pandendo, viatorum refrigerium te faciendo, contra æstum cõcupiscentiæ te opponendo, lucem corporalis prosperitatis tibi subtrahendo; vitam suam cum Christo in Deo abscõdendo: Vnde Bern. *Non dubitat sed modum requirit, & ordinẽ. Non enim quærit an fiet istud; sed quomodo fiet istud*, &c. Et dixit Angelus ei. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Nũquid potuit repleri gratia spiritus; & nec dum habere spiritum, cùm ipse sit dator gratiarũ. Si autem Spiritus sanctus iam in ea erat: quomodo tãquam adhuc nõ venerit superuẽturus repromittitur. An fortè ideò, non dixit simpliciter, veniet in te, sed addit *super*; quia quidẽ priùs in ea fuit per multam gratiam; sed nunc superuenire nunciatur propter abundationis gratiæ plenitudinem, quam effusurus est super illam, si aliquid amplius capere potest, quomodo fuisse gratia plena intelligenda est? At verò, cùm iam plena sit illud amplius, quomodo capere poterat: amplior

Bernar.

plior quidem gratia tantùm repleuerat mẽtem, sequens verò ventrem debet profundere, quatenus, scilicet; plenitudo diuinitatis, quę ante illam sicut in multis sanctorum spiritualiter, & sic in nullo sanctorum corporaliter in ipsa abũdare incipiat, Ait namq; Spi-
Mat.19 ritus sanctus, &c. *Qui potest capere capiat.* Quis enim fortalis excepta illa, quę sola in se fęlicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit; qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se infunderit visceribus; & vt illa, quod inaccessibile est accedere, ad se ferre potuisset de portiuncula eiusdem corporis, cui se per omnia anima mediante contemporauit, reliquæ massæ vm traculum fecerit, & fortè propter hoc maximè dictum est, *obumbrauit tibi*, quia nimirũ in Sacramento erat, & quia sola per se Trinitas, in sola, & cum sola Virgine voluit operari; soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo: *Spiritus sanctus*, &c. Qui vtique potentia sua fœcundabit te, & *virtus altissimi obumbrabit tibi*. Hoc est illum modum, quod de Spiritu Sancto concipies, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, sic in suo sacratissimo consilio obumbrando cõteget, & obumbrabit; quatenus, qui tantùm notus est Patri, notus habeatur & tibi. Ac si Angelus respõdeat Virgini: Quid à me quęris, quod in temet, experieris, scies, scies, & fęliciter scies, sed illo Doctore, quo & Auctore. Ego autem missus sum nunciare virginalem conceptum; non creare, nec potest doceri, nisi à donante; nec potest addisci, nisi a suscipiẽte. *Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*, quoniam non de homine, *sed de Spiritu sancto concipies. Concipies* autem virtute *altissimi*, hoc est Filium Dei: *ideòque, & quod nascetur*, non solum de sinu Patris in vterum tuum veniens, *obumbrauit tibi*: sed etiam id de tua carne sociabit tibi. Ex hoc iam vocabitur *Filius Dei*, quæmadmodum is, qui à patre est ante sæcula genitus; tuus quoque ammodo reputabit filius. Sic autem, & quod natum est ex ipso, erit tuus, & quod ex te nascetur, eius erit, vt tamen non sint duo filij, sed vnus vtriusque filius erit, & licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; iam non cuiusque suus, sed vnus vtriusque erit filius. Ideòque *quod nascetur ex te* Filius Dei vocabitur.

De eo: quod enim nascetur sanctum vocabitur Filius Dei.

CAP. 264.

Post hæc quæritur de hoc quod sequitur: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Cùm enim non natura nascatur, sed persona, videtur, quòd debuisset dixisse: *Qui ex te nascetur.* Item videtur etiam hoc incõgruum; filius est *sanctum.* Item Filius Dei, A est commune multis; quod benè soluit Bern. *Quid enim est ita simpliciter sanctum, & absque additamento. Credo, quòd non habuit quo* Bernar. *propriè dignè nominaret illud eximium, illud magnificum, & reuerendum, quod de purissima Virginis carne, cum sua anima, vnico Patris erat veniendum: si diceret caro sancta, vel sanctus homo; sanctus infans, vel quodlibet tale poneret parum, videretur diminuere.* Potuit ergo indefinitè sanctũ; quia quidquid illud sit; quod Virgo genuit sanctum, proculdubio, & singulariter sanctum fuit, per spiritus sanctificationem.

De hoc: Ecce Elisabeth cognata tua.

B CAP. 265.

Post hæc quęritur de hoc, quod dicit: *Ecce Elisabeth cognata tua*, quare, vel ad quid illud inducitur: & videtur, quòd ad certificandum Dominam de prædictis. Vnde Glos. Bern. *Ne Virgo de partu desperet: accepit exẽplum sterilis.* Item alia Glos. quasi diceret: *Non debes hæsitare; quia cognata tua*, &c. Contra alia, Glos. *Non quasi incredulam hortatur ad fidem: sed credenti, quæ audierat ampliora replicat miracula, vt quæ Deum erat paritura, præcursorem quoque de anu sterili nasciturum cognosceret.* Item si aliud est exẽplum promissi, hoc non videtur simile isti. Quomodo enim probaret hoc propositum,
C vel quę etiam consequentia, si vetula de vetulo concepit hominem: ergo Virgo sine viro concipit, & parit, Deum, & hominem. Itẽ id posset eam in credendo, potius impedire, cum non duceret in suum simile. *Bernar.*

De hoc: Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

CAP. 266.

Post hæc quæritur de hoc, quod dicit: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et videtur esse falsum; quia Deum nonesse, est verbum, & tamen nõ est possibile *apud Deũ.*

De Responsione Virginis: Fiat mihi secundùm verbum tuum.

D CAP. 267.

Item de vltimo, quod dicit: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Quare dicit *tuum*, cùm non sit suum, sed Dei fuerit verbum. Ad hæc dicimus, quòd secundùm Ber. Quatuor de causis hic inducitur conceptio Elisabeth: dicit enim sic: *Quid fuit necesse etiam huius sterilis Virgini nunciare conceptũ. Num quid fortè adhuc dubiam, & incredulam oraculo: recentiori voluit confirmare miraculo? Absit legitur Zachariæ incredulitatẽ ab hoc Angelo fuisse castigatã MARIAM autẽ in aliquo reprehensã nõ legimus; quin potius fidẽ ipsius Elisabeth prophetante,* laudatã cognouimus. *Beata, inquit, Elisabeth; quæ credidisti;* sed

ideò

ideò sterilis cognatæ conceptus Virgini nũciatur, vt dum miraculum miraculo additur, gaudium gaudio cumuletur. Porrò, necesse erat in modico lætitiæ, & amoris inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuit conceptura. Neque enim nisi in deuotissimo, atque hylarissimo corde tanta se capere poterat dilectionis, & alacritatis affluentia: vel ideò conceptus Elisabeth nunciatur MARIÆ; quia profectò decebat, vt verbum mox diuulgandum, priùs sciret Virgo per Angelum, quàm audiret ab homine, ne mater vim Dei à consilijs filij videretur ammota, si eorum, quæ in terris tam propè gererẽtur, remansisset ignara. Vel ideò potiùs nunciatur, vt dum A nunc Saluatoris, nunc præcursoris edocetur aduentus, rerum tempus, & ordinem tenens, ipsa meliùs postmodum scriptoribus, & prædicatoribus Euangelij referaret veritatem, quæ plenè de omnibus à principio cœlitus fuerat instructa mysterijs. Vel ideò, vt audiẽs cognatam vetulam, & grauidam cogitet iuuencula simul de obsequio; sicque illa properante ad visitandum paruulo prophetę locus, & occasio detur; quo minori adhuc domino sui officij valeat exhibere primitias, & dum ad se inuicem concurrit matrum, infantiumque ab alterutro excitata deuotio mirabilius, fiat miraculum de miraculis. Benedicamus Domino, & Benedictissimæ Virgini. B

FINIS.

BIBLIA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ: EX EODEM ALBERTO MAGNO.

Exc. 1. *IN principio creauit Deus cœlum & terrã,* Gen. 1. *cœlum*, scilicet Empyreũ, per quod intelligitur Domina mũdi Virgo MARIA: est enim similis cœlo Empyreo multis de causis, quarum vna ponitur in Historia. Empyreum enim, quam citò factum est, statim dispositum, & ornatum est; quod non alij cœli, sic & ipsa Virgo MARIA, in gratia, in sanctificatione; require hoc in titulo de cœlo.

Gen. 1. *Ipsa enim dicitur lux*, Gen. 1. *tenebræ enim erant super faciem abyssi*, Glos. *Tenebræ* ignorãtiæ, & cecitatis *super faciem* cordis humani, *dixitque Deus fiat lux*, ideſt, MARIA, generetur, & nascatur; Glos. Ab æterna luce primò sit temporalis lux, vt per eam cætera viderentur. Lux enim à lucendo dicitur, ideſt, purgando tenebras; sic & ipsa purgauit tenebras hæreticorum, & peccatorum. *Et facta est lux, & vidit Deus lucẽ, quòd esset bona.* Lux enim multa bona facit. Require in titulo de luce, & ei adapta. *Et appellauit lucem*, ideſt, MARIAM, *diem*, hoc nomen est ei in æternum: ipsa enim optimè dies appellatur. Eua vera nox, Glossa, Deus à luce opera sua incohauit.

Gen. 1. Ipsa etiam est *terra* fructificans, Gen. 1. id- D est, Christum in natiuitate generans, Glos. pabulum verbi opera misericordiæ, *& lignũ faciens fructum*; ipse enim Dominus IESVS Christus fuit herba virens in natiuitate, lignum verò *faciens fructum* in passione.

Exc. 2. Ipsa etiã est *dies* completionis operũ Domini. Gen. 2. *Cõpleuit Deus die septimo opus suum, quod fecerat*, Glos. quia ipsum benedixit, & sanctificauit: opus enim suum est benedictio, & sanctificatio, *& requieuit ab omni opere suo, quod patrarat*, Glos. quia creaturis rationalibus in se requiem dedit. Ipsa est

Gen. 2. *fons* irrigationis peccatorũ per peccatũ aridorũ, Gen. 2. *fons*, ideſt, MARIA. Require in titulo de fonte. *Ascendebat*, vel in natiuitate quando nata fuit, vel in assumptione *de terra* miseriæ, & tenebrarũ, *irrigans* gratia, venia, gloria, *vniuersam superficiem terræ.*

Ipsa est etiam paradisus plantationis, Gen. *Gen.* 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis*, ideſt, MARIAM, *à principio in quo posuit hominem*, ideſt, Christum, *quem formauerat*, in quãtum est homo, quod factum est in incarnatione. Glos. Paradisus est ortus delitiarum, qui factus est remoris aquis à superficie terræ, ideſt, altus locus; quia aquæ diluuij illuc non peruenerunt. Notandum de sanctificatione eius.

Ipsa etiam est *fluuius* iucunditatis, Gen. 2. *Gen.* 2. *fluuius*, ideſt, affluentia æternæ iucunditatis *egrediebatur*, scilicet, in Natiuitate MARIÆ, *de loco voluptatis*, Glos. ideſt, paterno fonte, *ad irrigandũ Paradysum*, Glos. ideſt, Ecclesiã; *nomen vni Physon*, Glos. ideſt, oris mutatio; quia Deus mutauit nobis, os seueritatis in os benignitatis. Notandum ad hoc. *Nomen fluuij secundi Geon*, Glos. ideſt, hiatus terræ; quia se ampliauit, & dilatauit per Sanctorum desiderium, hiatio est ad percipiendam pro nobis abundãtiam gratiarum; insuper & nos hiare facit, & filium suum ad nos. Tertius *Tigris* est, Gloss. ideſt, velocitas in auxilij subuẽtione, in cõsolationis exhibitione pro peccatoribus ad Dominũ interpellatione. Nomen quarti *Eufrates*, Glo. ideſt, frugifer in omnium gratiarum repletione, & quantũ ad nos largissima communicatione.

Ipsa etiã est adiutrix nostræ Redẽptionis, *Psa. 13. Cap. 2.* Gen. 2. *Adæ nõ inueniebatur adiutor similis illi*, Psal. 13. *Quia omnes declinauerũt, simul inutiles facti sunt*, &c. Dixit ergo Dominus *Psal. 13* Deus, *nõ est bonũ esse hominẽ solũ*, ideſt Christum: *faciamus ei*, creãdo, & in mũdũ producẽdo, *adiutoriũ simile sibi*, ideſt, MARIAM.

Ipsa etiam *est tonitus* contritionis diabo- *Exc. 3.*

li, Gen. 3. *Inimicitias ponam magnas*, & multiplicabiles,* *inter te, & mulierem ipsa conteret caput tuum*, Glos. quod est mors.

* *Implacabiles.* Gen. 3.

Ipsa etiam est mater vitę, Gen. 3. *Vocauit Adam nomen vxoris suæ, Eua.* idest, vita; eo quòd mater esset, *cunctorum viuentium*, idest: cunctorum benè operantium, quibus cõtraria sunt peccata, quæ dicuntur mortalia.

Exc. 6. Ipsa est etiam arca saluationis, Gen. 6. *Dixit Dominus ad Noe: finis vniuersæ carnis veniet coram me*, Glo. idest, omnium mortalium præter eos, qui saluandi erant in arca. Fac tibi *arcam*, idest, MARIAM, quod respicit eius natiuitatem, *de lignis leuigatis*, idest quadratis, & bituminatis, & politis; ne quid inhereatur. (Notandũ de sanctificatione eius) & fortibus, & insolubilibus, vt nec vi ventorum, nec inundatione soluantur fluuiorũ. Talis est Domina mea MARIA, *mansiunculas in ea facies*, Glossa, diuisos ordines vitæ. Ipsa enim habuit ordines coniugatorũ, viduarum, virginum, *& bitumine*, idest, dilectionis ardore *linies* intrinsecus, Glos. Ne dissoluatur foris: *fenestrã facies in ea*, Glos. ad emittendum coruum, vel columbam. Hæc fenestra dicitur diluculũ, dicitur meridianũ, dicitur cristallina, *& in cubito consumabis sumitatẽ eius*, Glos. cubitus vnitas est, vnus charitas est. *Bina de omnibus ingrediẽtur*, te cũ, vt possint viuere, Glo. ne diluuio pereãt.

Exc. 7. Ipsa etiam est post Dominum principium omnis gratiæ in nobis, Gen. 7. Ingresso *Noe*, idest, Christo *in arcam*, idest, in vterum Virginis Mariç, quod factum est in incarnatione, *Rupti sunt omnes fontes*, scilicet, gratiarum *abyssi Magnæ* MARIÆ, quando gratiarum diluuium innundauit, & diabolus est submersus, & peccata deleta.

Ipsa etiam per aduentum suum in mundũ, quando nata est, scilicet, *ramum oliuæ*, idest, pacis inter nos, & Deum nobis attulit, Gen. 8. *columba*, idest, MARIA. Require quare columbæ comparetur, *venit ad vesperam*, scilicet in fine mundi, *ad Noe portans ramũ oliuæ*, Glos. Refectionis & lucis * *virẽtibus foliis more suo*, quando dixit: *Ecce ancilla Domini*, & *intellexit Noe, quod cessassent aquæ* indignationis, & furoris Dei, *super terram.*

* *Luminis.* Lucæ 1.

Exc. 8. Ipsa etiam est *altare* propitiationis, & placationis Dei, Gen. 8. *Ædificauit Noe altare Domino*, idest, MARIAM, *& obtulit holocausta super altare, & odoratus est Dominus odore suauitatis, & ait: Nequaquam vltra maledicam terram propter hominem*, idest, MARIAM, *non igitur percutiam*, Glos. Tẽporali iudicio, *omnium animalium*, * *sicut feci*, sed MARIA præcante pariam omni veniam, quam largitatem bonitatis donata est, *reis indignis.

* *Omnẽ animam viuentẽ*

Ipsa est etiam signum securitatis formidoloso peccatori, Gen. 9. *Hoc est signum fœderis, quod do inter me, & vos arcum meum*, Glos MARIA, habet duos colores, ceruleũ extrinsecus, igneum intrinsecus. *Per ã* Glos. in signum securitatis, ne homines formidolosi timeant de se. Altero diluuio deleri pluuiarum, super inundatione irruentibus *in nubibus cœli*, Glo. Hæc in cœlo posita est, vt ab hominibus possit videri; & pro quacumque tribulatione ad Deum attolamus oculos cordis. Hic arcus nõ est nisi ex radijs solis, & humida nube. *Cumque obduxero nubibus cœlũ apparebit arcus meus*, idest MARIA, *in nubibus, recordabor fœderis mei, & non erunt aquæ diluuij ad delendam terram*, idest peccatores.

Cap. 9.

Ipsa etiam est humilitatis nostræ exaltatrix; quia soror, & neptis nostra est, Gen. 12. *Abraham cùm ingrederetur Ægyptum dixit Sarai. Noui quòd pulchra sis mulier, & Ægyptij me interficient, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Et infra, 20. *Hanc misericordiã facies mecum in omni loco, dicens, quòd frater tuus sim.*

Exc. 12

Gen. 20.

Ipsa etiam vocatur Mater gaudij, & exultationis, Gen. 21. *Visitauit Deus Saram*, idest MARIAM, Glo. quæ interpretatur princeps, vel carbo, *& impleuit, quæ locutus est.* Glos. per Prophetam, *peperitque filium*, Glos. idest, nouissimis temporibus Christũ, *& vocauit Abraham nomen filij sui Isaac*, idest, gaudium; quia in natiuitate Christi gauisi sunt pastores, & Angeli, *Dixitque Sara*, idest MARIA. *Risum fecit mihi Deus*; sed Eua planctum. *Et quicumque audierit*, peccator, iustus, Angelus, *congaudere*, conridere debet mihi, idest, congaudebit; quia peperi; Angelo lætitiam, iusto gratiam, peccatori veniam. *Rursumque ait, qui auditurus credidit quod Sara*, idest, paupercula MARIA, *lactet Abraham filium.* Iacto enim, qui lactat omnia, porto eum, qui portat omnia, Glos. Hęc est commendatio gratiæ.

Exc. 21

Luc. 2.

Ipsa etiam est *Princeps* omnium creaturarum, quantum ad defensionem coercendam, & visionem, Genes. 16. *Dixit Dominus ad Abraham, non vocabis vltra vxorem tuam Sarai*, idest, princeps mea, & quasi vnius gentis. *Sed Saram*, idest, princeps absolutè, quasi omnium princeps: *dicit* enim *huic, vade, & vadit; & alio, veni, & venit: & in vno tantùm Regni solio te præcedam, absque tuo imperio nullus mouebit, manum, aut pedem.* Hic accipitur differentia Christi ad MARIAM.

Exc. 16

Luc. 15.

Gen. 41.

Ipsa etiã est fontis vitæ hauriti, * & animarũ sitabundarum refocillatrix, Gen. 24. *Rebecca.* Gloss. quæ interpretatur patiẽtia, id est MARIA, *egrediebatur*, scilicet, in nati-

* *Hausorium.*

Exc. 24

tiuitate, quando nata est, *habens hydriã in scapula sua*, Glos. verbum Dei humiliter sumptura. *Puella decora animis, virgo, qua pulcherrima, & incognita viro; descendebat autem ad fontẽ*, Glos. vitæ, ad quę se inclinauerat hauriẽdum, & *impleuerat hydriam* cordis, gratia, venia, gloria, *dixitq; ei*, seruus pauxilliũ aquæ da mihi ad bibendum, Glos. de salutæ animæ, *aquæ prebe de hydria tua*, quia de mũdi hydria hausi vanitatem: de hydria diaboli iniquitatem: *quæ respondit. Bibe Domine mi, celeriterque dedit ei potum, & adiecit: & camelis tuis hauriam aquam*, gratiæ, veniæ; & letitiæ, donec cuncti bibant, Cant. 5. *Bibite amici mi, &c.* hausta igitur aquam omnibus camelis dedit; vnde & largissima est.

Ipsa etiam est vagantium animarum hospitatrix, Genes. 24. *Dixit Elyezer ad Rebeccam, cuius es filia, indica mihi, est in domo patris tui locus ad manendum? Respondit: Filia Batuelis sum, palearum quoque, & fœni plurimũ est apud nos, & locutus spatiosus ad manendum.* Glos. per latitudinem charitatis. *Et ait Labam frater Rebeccæ, ingredere benedicte Domini. Cur foris stas? Præparaui Domũ, & locum camelis tuis, & introduxit eũ in Domum.* Rebecca est MARIA: frater Rebeccæ est Christus; qui nos in Regnũ introduxit.

Ipsa est etiam sponsa, & mater præparationis, * quam præparauit nobis ab ęterno tota Trinitas, Filio in Matrem, reo in reconciliationem, iusto in præmiũ, peccatori in patrocinium, Gen. 24. *Dixit Elyezer, veni ad fontem aquæ, & dixit: Virgo, cui dixero; da mihi paululum aquæ ad bibendũ ex hydria tua, & illa dixerit, & tu, bibe; nam & camelis tuis hauriam aquam. Ipsa es mulier, quã præparauit Dominus Filio Domini mei.* Vnde ipsa dicere potest: *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis ante quam terra fieret.*

Ipsa est etiã soror nostræ professionis, defensionis, fidelitatis, & exaltationis, Genes. 24. *Dimiserũt eam*, scilicet, quãdo assumpta est à nobis in cœlum imprecãtes, prospera sorori suæ, dicentes: soror nostra es, ex humanitate, fidelitate, dignitione, * *crescas in mille millia*, vltra omnes choros Angelorũ ascẽdẽdo, & *possideat semen tuũ*, ideſt, nos vermiculi, despecti, *portas* cœli Empiret, *inimicorũ suorum* Dęmonũ, qui tamẽ inde electi sunt.

Ipsa est etiam æternæ beatitudinis * procuratrix, Gen. 27. *dixit mater Rebecca ad Iacob. In me sit*, ait, *ista maledictio fili mi, tantũmodo audi vocem meam*, monentis, consulantis, vocantis. *Pergens affer; quæ dixi*, sed quã benedictionem procurat, hanc scilicet: *ecce odor filij mei sicut odor agri pleni*, Glos. pleni virtutibus, *cui benedixit Dominus: det tibi Deus de rore cœli*, Glos. ideſt, de contemplatione, & *de pinguedine terræ*, Glos. Bonorũ operum: *abundantiam frumenti*, charitatis, & *vini*, Glos. feruorem Spiritus sancti, *olei.* Glos. ideſt, misericordiæ. Tria hæc plenissime in se habuit Beata Virgo, & illa etiam nobis procurat.

Ipsa est etiam scala ascensionis de culpa ad gratiam, de mundo ad cœlum, Gen. 28. *Vidit Iacob scalã in somnis*, ideſt, MARIAM; quia scala peccatorum est; per eam descendit Filius Dei ad nos, & nos per eam ad Dominũ. *Stantem super terram*; licet sedeat in throno apud filiũ, tamen peccatoribus vicina est. *& cacumen eius tangens cœlum*; quia licet humilissima sit, tamẽ est sublimissima in ipsam Trinitatem attingens, & *Angelos Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ*, & ex ea carnem sumẽdo, nos per eam ad se trahendo. Ipsa est etiã porta Regni, & nostrę ingressionis in Regnũ, Gen. 28. Iacob ait: *Verè Dominus est in loco isto, &c. Terribilis est locus iste*, Dęmonibus, amabilis hominibus, delectabilis Deo. *Nõ est hic aliud, &c. Nisi Domus Dei, & porta cœli*, Glo. quia inde additus est ad Regnũ cœlorũ.

Ipsa etiam est *aurora* illuminationis, aurora autem est lux infusa vapori terrestri, Gen. 32. *dixit Angelus ad Iacob: dimitte me, aurora est.* Iam ascedit, vt per natiuitatẽ ista aurora, ideſt, MARIA in mundo apparẽdo, vel in assumptione ad cœlos pergendo. Aurora, ideſt, MARIA: & ait. *Non dimittã te*, &c, & ait, *Israel erit nomen tuum.*

Ipsa est enim plenitudo perfectissima omnium gratiarum post Dominũ, Gen. 41. *Septem spicæ*, Glos. ideſt, spiritualia dona *pullulabãt in culmo vno*, ideſt, MARIA, *plenæ atq; formosæ*, Gl. quibus larga pietate redũdat.

Ipsa est etiam horreum saturitatis, * intra famem mortis, Gen. 45. *prouideat Rex*, scilicet * pater *virum sapientem, & industrium*, scilicet, Christum Filium suum, & *præficiat eum*, secundùm humanitatẽ *terræ Ægypti*, ideſt mundo. *Qui per septem annos fertilitatis*, scilicet, tempore gratiæ *congreget* omne frumentum gratiarum, in *horreum* totiùs Trinitatis, ideſt, MARIAM, & præparetur, futuræ famę septem annorum, quæ erit in gehenna, & *ita aperuit Ioseph*, ideſt, Christus, *vniuersa horrea*, scilicet, MARIAM, in annunciatione, quæ plena est secũdùm dictum Gabrielis: *Aue gratia plena.* In passione se ipsum, cœlum Empyreum in ascensione. *Et vendebat Ægyptijs*, Glos. prætio salutis eorum; & ait Iacob filijs suis: quare negligitis?

Ipsa etiã *terra* sacerdotalis, scilicet, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ semper libera fuit, & est à cõditione seruili, & actualis peccati, tam venialis, quàm mortalis, Gen. 47. & eiusdem 48. *Dixit Iacob*, ideſt, Dominus pater *ad Ioseph*, ideſt, ad Christum, *do tibi partem vnã*, ideſt, MARIAM; quæ exceptę * ac-

Can. 5.

Ibidem.

** Propitiationis. Ibidem.*

Prou. 8.

Ibidem.

** Et dilatate.*

** Benedictionis. Exc. 27*

Exc. 28

Exc. 32

Exc. 41

Exc. 45

** Deus.*

Luc. 1

Exc. 47

** Acceptæ.*

Gen.48. actionis in omnibus est: *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu.* Notandum hic de sanctificatione eius.

Exc.49 Ipsa etiam est Mater benedictionis, Genes. 49. ò MARIA, *Deus Patris tui erit adiutor tuus*, suprà, & infrà; intus, & extrà; à dextris, & à sinistris: *& omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper*, Glos. subijciens tibi omnia cœlestia, & terrestia, vt Angelis, & hominibus domineris, *benedictionibus iacentis deorsum*: vt & in purgatorio domineris. *Vberum*, Glos. potum lactis Domino ministrantia, *benedictiones patris tui, confortatæ sunt, benedictionibus patruum tuorũ.* Glos. Omnium meritis Patriarcharum, & Prophetarum, vt nullus tibi, penitus comparetur. Explicit, Genes. MARIÆ.

EXODVS.

Hæc sunt nomina filiorum Israel, Beatissima Domina Regina cœli, Mater Dei, secundùm Exodum cap. 2. dicitur *fiscella* absconsionis. Vnde cùm *iam*, ideſt, tempore gratiæ, *celare non posset*, scilicet, Deus Pater, quin Filium suum à seculis absconditum, mundo manifestaret, *sumpsit fiscellã scirpeam*, ideſt, MARIAM, *& liniuit eam bitumine, ac pice posuit, quæ intus infantulum*, ideſt, Christũ in incarnatione, *& exposuit eum in carecto ripæ*, vbi omnium accessus est. Expedit enim res aliqua, quandoque ad ostendendum, quãdoque vendendum, quandoque ad dandum, sic & Christus est expositus.

Exc.2.

Exc.3. Ipsa etiam est, *rubus* apparitionis, Exo. 3. *Apparuit Dominus Moysi, in flãma ignis, de medio rubi*, ideſt, MARIÆ. *Et vidit, quòd rubus ardet, & non comburetur.*

Exc.14 Ipsa est etiam, virga diuisionis, Exod. 14. *Quid clamas ad me, loquere filijs Israel, vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuã.* ideſt, MARIAM, per deuotionem, *super mare*, omnium tribulationum, & tentationum, & diuides illud, Glos. Fluctus contradictionum, *vt gradiamur in medio maris per siccũ.*

Exc.17 Ipsa etiam virga *excussionis*, quæ gratiam nobis à Christo impetrat, Exod. 17. *Sitibit populus præ aquæ penuria; & Dominus dixit ad Moysem: tolle virgã*, ideſt, MARIAM, *& percuties petram*, ideſt, Christum ipsum, per eam impulsando, *& exibit ex ea aqua, vt bibat populus.*

Ipsa etiam est dulcificatrix omnis amaritudinis, Exod. 15. *Non poterant bibere aquas de maribus, eo quòd essent amaræ.* Glos. ideſt, intollerabiles, **sed dominus ostendit lignum*, ideſt, MARIAM, Glos. istam habens vim, *quòd cùm Moyses posuisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.*

Cap.15. ** Tribulationes.*

Cap.16. Ipsa etiam est vas refectionis, Exod. 16. *sume tibi vas vnum*, ideſt, MARIAM, *& mitte ibi mannam*, ideſt, Christum Deum & hominem, quod factum est in incarnatione *ad conseruandum*, Glos. in memoriam æternã.

Ipsa etiam est *mons* habitationis Dei in incarnatione, Exod. 19. *Totus mons Synai*, ideſt, MARIA. *fumigabat*, gloria, & deuotione, *eo quod descendisset Dominus super eum in igne* Sancti Spiritus, *& ascendebat fumus ex eo, quasi de fornace*, eratque *omnis mons terribilis* Diabolo, & omnibus suis, * Exod. 24. *Habitauit gloria Domini super Syna*, ideſt, MARIAM, Glos. ideſt, super mẽsuram meã, vel amphoram meam: ipsa etiam, & mensura dicitur Dei, & nostra est, & amphora libationis, *tegens illum nube*, Glos. ideſt, in diuina protectione *sex diebus*, Glos. quia sex diebus operari iubemur.

Cap.19. ** Sãctis* Cap.24.

Ipsa etiã est propitiatoriũ veniæ, Exod. 25. *Facies & propiciatoriũ*, ideſt, MARIAM. *de auro purissimo*, & magis etiam in vtero matris pi'is, quàm alij sancti, sanctificata, *inde præcipiam, & loquar ad te: Facies & mensã, & facies ei labiũ aureũ*, Glos. quia omnia nociua, & ociosa redargueri dicũtur, * *& pones supra mensam panes propitiationis:* vnde & mensa satians, * dicitur.

Cap.25. ** Redarguit.* ** Sacietatis.*

Ipsa etiam est *candelabrum* illuminationis, Exod. 25. *facies cãdelabrũ ductile*, Glos. malleus passionis, *& lucernas septẽ*, Glos. septẽ dona Spiritus sancti, *super candelabrũ*, ideſt, MARIAM, *vt luceat*, Glos. ad illustrãdum Tabernaculum.

Ibidem. *Ibidem.*

Ipsa etiam est *velum hyacintinum*, Exod. 25. Quo velatus fuit Filius Dei, & nos velamur à diabolo, & peccato, & ab ira Dei.

Ipsa etiam est *altare holocausti*, quãtùm ad passionem, *& altare Thimiamatis*, quantum ad deuotionẽ, & contemplationẽ, Exod. 30.

Cap.30.

Ipsa etiam est reconciliatrix, quod officiũ assumpsit, maximè in cœlum ascendens: vnde designat eam Moyses, Exod. 32. Qui dixit ad populum, qui adorauerat vitulum. *Peccastis peccatũ maximum: peccastis*, dicit virgo nostra: facillimè, stultissimè, verecũdissimè, insanissimè, multiplicissimè, auarissimè, insolubilissimè. *Ascendam ad dominum*; misericorditer, fideliter, solemniter: *si quomodo quiuero eũ deprecari pro scelere nostro*, Glos. Quod tantũ est: sed notandum, quòd Moyses orabat, vt seruus, vt peccator; vnde, & dicebat: *Recordare Abrahã, Isaac, & Iacob.* Gl. patres, qui diliguntur inducit, sed MARIA orat vt filia, iubet vt soror, imperat vt mater, Reg. 3. *Pete Mater mea, neque fas est, vt auertam faciem tuam.* Vnde & incollecta secreta, in vigilia assumptionis eius, orat Ecclesia, & dicit: Magna est Domine tibi, quàm id circo de seculo trãstulisti, vt apud te pro peccatis nostris fiducialiter intercedat.

Cap.32.

3. Reg. Cap. 2.

Ipsa est etiam *Tabernaculum* repletionis, Exo. 40. Postquã cũcta perfecta sunt, vt Deus fieret homo, & homo Deus, *operuit nubis*, id-

Cap.40.

Luc. 2. ideſt Spiritus ſanctus, *Tabernaculum teſtimonij*, ideſt, MARIAM, Luc. 2. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* &c. *Et gloria Domini*, ideſt Chriſtus *impleuit*, illud, ſe ipſo ad generis humani redemptionem. Gratia ad iuſtorum confirmationem; venia ad reorum reconciliationem, Gaudio ad triſtium conſolationē;
Pſa. 18. *vt non ſit qui ſe abſcondat.*

LEVITICVS.

Vocauit à gloria eius Dominus Moyſen, & locutus eſt ei, Regina mundi dicitur hoſtium præſentationis, ad quod omnis peccator preſentari debet, Leu. 1. *Homo qui obtulerit*, Gloſ. voluntariè. *Hoſtiam Domino*, Gloſ. ad placandum *Dominum*, ſibi offeret primo, *ad*
Serm. de Nat. Virgin. *hoſtium Tabernaculi*, ideſt, ad MARIAM. Bernar: vnde benè *quidquid eſt illud, quod offerre paras*, &c.

Ipſa etiam eſt Hoſtium emundationis, Leuit. 14. *leproſus*, ideſt, peccator mundatur ad
Cap. 14. *hoſtium Tabernaculi per agnum*, ideſt, pinguem Dei miſericordiam, & gratiam, *quo aſperget ſacerdos ſeptiès contra Dominū*, Gloſ. vt etiam ejciantur ſeptem dæmonia, & vt recipiant Spiritum ſanctum.

**Cibās.* Ipſa etiam eſt *arbor* cubans, * & obūbrans Leui. 23 *ſumetis vobis fructus*, Gloſ. fructus eſt Chriſtus, *arboris pulchræ*, ideſt MARIÆ
Cap. 23. *ſpatulaſque palmarū*, Gloſ. ideſt, ramos continentiæ, & caſtitatis coniugij, *& ramos ligni diuinarum frondium*. Gloſ. omnium virtutū, ſcilicet fructus, ſed maximè miſericordiam, quam oportet eſſe continuam, & permanentem, *& ſic habitabitis in vmbraculis ſeptem diebus*, Gloſ. Tota vita pro vmbraculō habetur.

Cap. 25. Ipſa etiam eſt *annus & tempus propiciationis*, Leuit. 25. *Tempore propiciationis clāges buccina*, Gloſ. Quia genus humanum bonitate, & clementia à corruptione liberatur. Quibus in Adam dictum eſt: *Terra es, &*
Gen. 3. *in terram ibis*, & *annum quinquageſimū*, ideſt, MARIAM, *vocabitis remiſſionum*, Gloſ. omnium peccatorum, omnium laborum *cunctis habitantibus terræ*. Non ſolùm cœli, ſed terræ. *Reuertetur* enim *homo* peccator *ad poſſeſſionem ſuam*, Gloſ. Paradiſum; *& ad familiam priſtinam*, Gloſ. Patriarcharum, & Prophetarum.

Cap. 26. Ipſa etiam eſt *Tabernaculū* vnionis inter nos, & Dominum, Leui. 26. *Ponam*, Gloſ. firmiter *Tabernaculum meum*, ideſt, maximam miſericordiam meam, ſanctitatem meam, meam firmitatem, meam fidelitatem, meam amplitudinem, meam largitatē *in medio veſtri*, Gloſ. quæ nūs, * *& nō abijciet vos vltra anima mea*, Gloſ. Audeo, & dico; quia anima Dei Chriſtus eſt; ac ſi dicat: Non abijciet vos vltra filius meus, *ambulabo inter vos*, Gloſ. homo factus, *& ero veſter Deus*, protegens, liberans, & ſaluans, & coronans, *vos queritis mihi populus*, me timendo, vt Dominum, me amando, vt Deum, me laudando, vt creatorem.

NVMERI.

Locutus eſt Dominus ad Moyſen, Num. 1. *Cap.* 1.
Regina mundi, Domina cœli, Mater Dei, dicitur: Mater occultationis, & inuolutionis. Inuoluit enim Dei filium noſtra humanitate. Peccatores miſeratione, iuſtos & ſeruos Dei protectione. Num. c. 4. *ſument pallium hyacintinū*, ideſt, MARIAM. Nota officiū *Cap.* 4.
pallij, & virgini adapta, *& aperient candelabrum*, ideſt, Chriſtum in incarnatione, *& omnia* vaſa, *quibus miniſtratur in ſanctuario*, ideſt, omnes ſeruos Chriſti, qui ſeruiūt Deo *inuoluet pallio hyacintino*; quia ipſa protegeret omnes ſeruientes filio ſuo. Notandum de hoc.

Ipſa eſt etiam *Tabernaculum* peccatorum, *Cap.* 7.
quod ſanctificatum eſt ad aliorum emendationem; * quòd completum eſt ad pauperum ditationem; quòd erectum eſt ad delectorum exaltationem: ſanctificatum in conceptione ex natiuitate, repletum * in Filij Dei incarnatione, erectum in ipſius glorioſa aſſumptione. De his tribus, Num. 7. *Moyſes*, Gloſ. ideſt, Chriſtus, *in die qua compleuit tabernaculum*, ipſam omni gratia replendo, Luc. 2. *Luc.* 2.
Aue gratia plena, erexit illud, Gloſ. ideſt, ad petendam gloriam: *& vnxit illud* gratia ſpirituali, & cap. 9. *die qua erectum eſt tabernaculum, operuit illud nubes*, Gloſ. in incarnatione Chriſti, cuius clementia *Tabernaculum* Eccleſiæ *protegit*, cuius bonitas, ſtatum diſponit; prudentia, in via huius ſæculi tranſitū illi dirigit. *Cap.* 9.

Ipſa eſt etiam nubes obumbrationis, & ductionis, * Num. 10. *Eleuata eſt nubes*, ideſt, *Cap.* 10.
MARIA. Require interliniatiōs, de nube: eleuata eſt, inquam, in aſſumptione, *de Tabernaculo federis*, ideſt, de Militanti Eccleſia. *Et recubuit nubes in ſolitudine Pharan*, Gloſ. Quod interpretatur onager, vel fertilitas, *& mouerunt caſtra filij Iſrael per turmas ſuas.*
Nihil enim aliud reſtat, niſi illam ſequi: vnde Eccleſ. 24. Ipſa clamat: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me*, & nos clamare debemus: Cant. *Trahe me poſt te.* *Eccl.* 24. *Cant.* 1.

Ipſa etiam * præceſſit nos in cœlū ad prēparandum locum nobis, Num. 10. *Arca fœderis Domini*, ideſt, MARIA, *præcedebat eos.* *Cap.* 10.
Quod factum eſt in aſſumptione *per tres dies prouidens caſtrorum locum, & nubes Dominierat ſuper eos per diem, cùm incederent*, Gloſ. ideſt, protectio diuina. Quæ ſcilicet, * gratia electos ab initio mundi defendit, & ad futuram quietem cuſtodit.

Ipſa etiam eſt *tuba* conuocationis ad veniendum. *Tuba* hortationis ad bellandum, *Tuba* iubilationis ad epulandum, *Cap.* 11.

Num.11. *Si clangueris semel tuba* exortationis, *venient ad te Principes: Si prolixior clangor fuerit, mouebuntur castra: si exieritis ad bellandum, clange tuba, quando habebitis festum, & epulum.*

Cap.16. Ipsa est etiam *tabernaculum* protectionis, in omni tribulatione. Num. 16. *Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum, cùm vellet eos omnis multitudo occidere. Qui cum ingressi sint, operuit eos nubes. Et apparuit gloria Domini.* Glossa discamus ex hoc quanta sit vtilitas Christianis, quoniam protegit eos Deus in persecutione. Tunc enim maximè adest gratia Dei, cùm hominum sæuitia concitatur: & quamuis sancti magis meriti sint, non apparet eis gloria Domini, nisi in periculo, & penè in ipsa morte.

Cap.17. Ipsa etiam est virga florens. Num. 17. *Moyses inuenit in tabernaculo Domini germinasse virgam Aaron*, id est, MARIAM. Quod factum est, cùm peperit Virgo manès filium: *Et turgentibus gemmis flores eruperant, qui dilatatis folijs, in amigdala deformati sunt.*

Cap.20. Ipsa etiam est Petra refocillationis. Num. 20. *Dixit Dominus ad Moysen. Loquimini ad petram*, id est, MARIAM, *& illa dabit aquas* gratiarum, & misericordiarum. *Et Moyses percutiens bis silicem, egressæ sunt aquæ.* Gloss. Spiritualis gratiæ largissimè; quia plena gratia. Luc. 1. *Vt populus biberet, & iumenta.* Quia nulli denegat gratiam.

Luc. 1.

Cap.21. Ipsa etiam est *fons, & puteus* totius consolationis. Num. 21. *Filij Israel castramenta tis sunt contra Arnon.* Gloss. Id est, cõtra maledictionem, vt ex eo loco apparuit per natiuitatem, *puteus*, id est MARIA *super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel* per gratiarum actionem, *carmen istud: ascendat puteus*, id est, MARIA, per natiuitatem in mundo apparendo, vel per assumptionem in cœlum gratiarum fluuijs nos perfundẽdo, *Concinebat* hilariter, vnanimiter, & fortiter, *Puteus, quem foderunt Principes.* Gloss. Id est, Prophetæ per pronuntiationem. Patriarchæ per exhibitionem, Apostoli per ostensionem: *Et parauerunt Duces.* Gloss. Id est Reges.

Ipsa etiam est *stella* illuminationis. Num.

Cap.24. 24. *orietur*, scilicet, per natiuitatem *stella*, id est, MARIA, quæ benè comparatur *stellæ* maris, *ex Iacob, & consurget virga*, id est, Christus, *de Israel.* Gloss. De radice Iesse. *Et percutiet Duces Moab.* Gloss. Id est, Dęmones,

Esai.11 & peccata, nos liberans, & saluans.

DEVTERONOMII.

Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses.

Cap.1. Beatissima Domina Virgo MARIA, dicitur infirmarum animarum portatrix. Portauit enim filium Dei pro nobis in vtero sanctitatis, & nos portat in vtero miserationis. Deuter. 1. *Portauit te Dominus Deus tuus.* Et non solùm ipse, sed & Dei genitrix pia, *vt solet homo gestare paruulum filium suum.* Gloss. Quem tenerrimè diligit, nec laborare permittit: *In omni via, per quam laborastis.* Gloss. Nunquam defuit, *donec veniretis ad locum istum.*

Ipsa est etiam *terra optima* bona, & mundissima, non geminans tribulos, & spinas. Melior, quia ad colẽdum facillima, sed optima, quia fertilissima, proferens Deum, & hominem. Deuter. 8. *Benedices Domino*, gratias agendo *pro terra optima*, id est, MARIA, *quã dedit tibi*, vt aleris, & diteris, & lauderis.

Cap. 8.

Ipsa est etiã *soror* paupertatis nostræ. Vnde tenetur nobis ex constitutione totius Trinitatis subuenire. Deutor. 15. *Ne auertas oculos miserationis tuæ*, ò MARIA *à paupere fratre tuo*, scilicet, peccatore; qui licet peccator, & pauper sit, tamen frater tuus est per naturam: *Non enim deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*, id est, in mundo. Non enim possunt esse diuites, sicut tu, cui dictum est, Luc. 1. *Aue gratia plena.* Id circò *aperias* festinanter, & abundanter *manum* subuentionis, defensionis, protectionis, *fratri tuo ægeno; & pauperi.* Hinc orat Psalm. *Aperiente te manũ tuam, omnia implebiũtur bonitate.*

Cap.15

Luc. 1.

Ps. 113.

Ipsa etiam est *altare* sanctificationis, continens dilectionem Dei, & proximi. Deuter. 27. *Ædificabis altare Domino in monte Hebal.* Gloss. Quod veriùs vorago interpretatur, *de lapidibus, quos ferrum peccati non tetigit.* Gloss. Qui immaculati, & incorrupti carne, & spiritu iacula Diaboli non susceperunt. *Et quis est, hic* inter puros homines, *& laudabimus eum?* nisi ipsa post Deum sola excellentissima, *& scribes super illud omnia verba legis*, maximè delectionis Dei, & proximi, *planè, & lucidè*: scriptor huius altaris fuit Spiritus Sanctus.

Cap.27.

Ecclꝛ.31

Ipsa etiam est *mons* benedictionis, sed Eua fuit *mons* maledictionis. Deuter. 27. *Pones benedictionem meam*, non mundi, quæ fallax est, *super montem Garasim.* Gloss. Qui interpretatur diuisio; diuisit enim, vt prudentissima bonum à malo, & melius à bono, & optimum à meliori: istud eligendo, Luc. 10. *optimam partem elegit sibi MARIA.* Diuisit, & nos à mũdo, à Diabolo, à peccato, à morte.

Cap.27.

Luc. 10.

Cap.18.

Ipsa etiam est *cœlum* ditationis; vnde omnia meliora peruenerunt. Deut. 28. *Aperiet Dominus.* Gloss. Placatus, qui aliquando claudit iratus, Thesaurũ. *Suum optimum cœlũ*, id est, MARIAM: Require in titulo de cœlo, *vt tribuat pluuiam terræ.* Gloss. Cordibus terrenorum. Per ipsam enim Dominus pluit gratiam, ad repellendam animæ aridi-

Cap. 33 Ipsa etiam est *Thalamus* delitiarum Dei Deut. 33. *Amantissimus Domini Beniamin.* Glossa ideſt, Christus filius Dei; *in thalamo*, ideſt, in MARIA *tota die morabitur.* Gloſ. Nullo vitio alienatus aliquando vnde, & ibi ſemper à querentibus inuenitur, *& inter humeros illius requieſcet.* Gloſſa, ſcilicet, inter bona opera.

Cap. 33 Ipſa etiam eſt Mater inflamationis, Mater cuſtoditionis, Mater inſtructionis. De his tribus Deut. 33. *In dextera eius* MARIÆ, *ignea lex*, Gloſ. ideſt, charitas; quia ſanctos facilius amore ſuccendit, *omnes ſancti* ad cuſtodiendũ *in manu illius ſunt, & qui appropinquãt pedibus eius.* Gloſſa, vt diſcãt humiliter, accipient, de doctrina illius. Require quid doceat.

LIB. IOSVE.

Et factum eſt poſt mortem Moyſi, Domina
Cap. 1. Angelorum Mater Dei, etiam eſt terminus hæreditatis noſtræ. Ioſue 1. *Dixit Dominus ad Ioſue*, ideſt, omni ſeruienti Deo: *omnem locum*, qui ſurſum eſt Dominus æquè non vult dare. *Locus* hic infimus, qui vilis eſt, ſed ſurſum, qui eſt optimus, & hoc eſt; quia diligit nos. *Quem calcauerit veſtigium pedis veſtri*, Gloſ. Quod vobis tradam *à deſerto, & Libano, & vſque adfluuiũ màgnũ Eufratẽ*, ideſt, MARIAM. Nota vtilitates magnas fluuij, & adapta; *& vſque ad mare magnum*, ideſt, vſque ad Chriſtum, qui comparatur mari magno. Require in titulo de mari. *Erit terminus veſter.* Gloſſa, vt non ſolùm efficiaris hæres Dei, ſed cohęres Chriſti.

Cap. 2. Ipſa eſt etiam *feneſtra* euaſionis, Ioſue 2. *Dixerunt exploratores ad Raab, innoxij erimus: ſi ſignum non fuerit funiculus iſte coccineus.* Gloſ. ideſt, Chriſtus ſanguine ſuo rubricatus: *& ligauis eum in feneſtra, per quã nos dimiſiſti.* Ipſa enim eſt feneſtra, quæ per *funiculum*, ideſt, per filium ſuum peccatores, vt
* *Euadant.* euadent* dimittit, & iuſtos attrahit.

Ipſa etiam eſt *arca* oſtentionis directæ vię
Cap. 3. in cœlum, vnde & feſtinanter eam ſequi debemus. Ioſue 3. *Dixit Ioſue*, ideſt, Chriſtus: diſpoſuit *arca fœderis Domini*, omnis terræ antecedet nos, in cœlum aſcendendo, loca præparando, pro nobis aduocando, nos ad ſe trahendo per ordinẽ, * per Iordanem. *Feſtinauitque populus, & tranſiuit*, Gloſ. Non
Cap. 4. otiosè, non remisè nobis agendũ eſt, ſed omnia feſtinanter trãſeundo. *Cumque tranſiſſent omnes*, licet quidam facillimè, quidam difficillimè, ſed tamen omnes in ipſam ſpem auxilij figentes, tranſiuit, & ipſa *arca Domini*. Ipſa enim præcedit nos propter aliqua, & ſubſequetur propter quædam.

Cap. 8. Ipſa etiam eſt *Clipeus* defenſionis, quantũ ad nos, & clipeus interfectionis quoad dæmones. Ioſ. 8. *Dixit Dominus*, ſcilicet, pater, *ad Ioſue*, ſcilicet ad Chriſtum Filiũ ſuum, *Leua* ſuper omnem puram creaturã in ſanctitate, dignitate, pietate, * vtilitate: *clypeum:* ideſt, MARIAM peccatorẽ defenſatricẽ, Dæmonum impugnatricem. *Qui in manu tua contra Hai.* Gloſ. Hai, interpretatur chaos, vel habitaculum eorum, ideſt, Dæmonũ, qui in abyſſo regnant. Cumque eleuaſſet *clypeũ*, ideſt, MARIAM, in annũciatione, ipsã in Matrem aſſumendo, & in aſſumptione, ipſam in trono ſecum collocando, *non traxit* * *manum, quam in ſublimè porrexerat, tenens clypeũ*, ideſt, MARIAM, nobis in cõſolationem, Diabolo in occiſionem, & peccatis omnibus in deletionem. Vnde & ſequitur:
B *donec interficerẽtur omnes habitatores Hai*, Gloſ. de quibus nullum debemus relinquere, ſed omnes interimere.

* *Poteſtate.*

Geneſ.

* *contraxit.*

Ipſa etiam eſt *Sol* ad adiuuandum omnibus *Cap.* 10.
fidelibus. Ioſue 10. *Steterunt Sol, & Luna, donec vlciſceretur. Seuiens* * *de inimicis ſuis.* Gloſ. viſibilibus, & inuiſibilibus. *Stetitque Sol in medio cœli, & non feſtinauit occũbere*, Gloſ. Quia ſemper oritur in fidelibus.

* *Segẽs.*

Ipſa eſt etiam *ciuitas* refugij, Ioſ. 21. Ad *Cap.* 21.
quam fugere debet, qui mortẽ vult effugere.

Ipſa eſt etiam *receptaculum*, & *latibulum*
fugientium ab ira Dei. Iſai. 16. Moab eſto la- *Eſai.* 16.
tibulum eorum à facie vaſtatoris, ideſt Chriſti, qui impios vaſtabit.

C Ipſa etiam eſt *altare* teſtimonij noſtri, Ioſ. *Cap.* 22.
22. Dixerunt filij Rubẽ ad Gad. *Extruamus nobis altare*, ideſt, MARIAM *infinitæ magnitudinis.* In miſericordia, in bonitate, in humilitate, in largitate Filij Dei, in conceptione, in teſtimonium liberationis, libertatis, & hæreditatis, cęleſtis, & *iuris noſtri ſit afferre holocauſta, & victimas, & pacificas hoſtias*, & vt non dicatur nobis. *Non eſt nobis pars in Domino*; *& vocauerunt altare* teſtimonium noſtrum, quòd Dominus ipſe ſit Deus. Hoc altare extructum fuit, ſcilicet, in conceptione, ſanctificatum in vtero, deificatum in Filij Dei ineffabili incarnatione, tranſlatum in aſſumptione.

D

IVDICVM.

Poſt mortem Moyſi: Domina mundi, Mater *Cap.* 1.
Dei, & Regina cœli dicitur pugnatrix pro ſuis, contra mundum, & Diabolum, & peccatum. Vnde ſignificatur per *Iudam*, de quo dicitur, Iudic 1. *Conſuluerunt filij Iſrael Dominum*, & merito, quia ipſe dicit: *ſine me nihil poteſtis facere, dicentes: quis aſcendet*: ſi *Ioan.* 15
aliquis Angelorum, ſi aliquis ſanctorum *ante nos* debiles, inſcios, & imprudentes *contra Chananæum*, ideſt, mundum, Diabolum, & peccatum, & *erit dux, belli* maximi, inquietiſsimi, impacatiſsimi, & continui, *& dixit Dominus*: *Iudas*, ideſt, MARIA confitens, aſcẽdit enim in natiuitate mũdo apparendo, in

aſ-

assumptione eorum Patre cęlesti, semper interpellando contra Diabolum; semper pro nobis se primam offerendo. *Ecce tradidi terram in manum eius*; immò, & cœlum, & omnia, & me ipsũ, Matt. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Noli ergo sine ipsa inire bellum. Ipsa enim *dux* est *belli* nostri, & ex officio sibi à tota Trinitate iniũcto, semper præcedere nobis debet. *Mat.* 18

Ipsa etiam est Mater liberationis, & iubilationis, & gaudij, Iud. 5. *Quieuerunt semitæ*, Glos. Quia occupatæ ab hostibus erant, & non audebant ascẽdere ad orationem Dei, in Domum Domini: *cessauerunt fortes in Israel, donec Delbora*, ideſt MARIA, *surgeret* per natiuitatẽ in mũdo apparẽdo, vel per assumptionem in cœlũ ascẽdẽdo, *Mater in Israel*, Glos. Quasi cõsiliando, hortãdo, prędicãdo, ab ostibus liberaret: *Quod & ipsa post Deum summè fecit, vnde*, & gratias agendo Deo, dicit: *Ego sum* paupercula, MARIA humilis, MARIA: ego sum tamen Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi; *quæ Deo canã*: quia vox iusti est canoris vocis, & cantilena sincerę mentis Dominum delectat audrtum; quia non habet in se raucum sonum peccati, & nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu: *pallam Domino Deo Israel, dicens: Magnificat anima mea* Dominũ. *Noua bella elegit dominus*, Glos. Quia inermes fortes fecit, & triumphales, *& portas hostiũ ipse subuertit.* *Cap.* 5. *Luc.* 1. *Iud.* 7

Ipsa est etiam *vellus* roris diuini Iud. 7. *dixit Gedeon ad Dominum. Ponam hoc vellus lanæ*, ideſt Virginem MARIAM *in area*, in Iudaica gẽte. Siros. Glos. totius orbis *in solo vellere fuit* * ideſt, in sola MARIA. Quod factum fuit in annuntiatione, quòd * in ea humanitatem assumpsit, & *in omni terra*, in cordibus fidelium. *Siccitas sciam, quod liberabis Israel*; quòd enim ipsa impleta fuit gratia, supra omnem puram creaturam, signum fuit liberationis nostrę, *factumque est ita expresso vellere*, ideſt, MARIA, per inuocationem, per deuotam salutationem occasionem, Glos. *choncam* cordis, *rore impleuit*, ideſt, gratia. *Glossa. *Quãdo

RVTH.

Cap. 1. *Indiebus vnius iudicis*, Beatissima Domina vocatur, Mater pulchritudinis, sed in passione filij sui Domini nostri, ideſt, Christi, fuit Mater amaritudinis, & meroris. Ruth. c. 1 *Dicebant mulieres*, scilicet inaduẽtu Noemi in Betlehen: quòd potest recipere duplicem aduentum Beatæ Virginis, vel aduentũ in mundum per natiuitatem, vel aduentum quando venit in Betlehem ad pariendũ. *Hæc est illa Noemi*, ideſt, illa pulchra, in qua macula, etiam venialis peccati non est, quæ in vtero portat candidum, & rubicũdum; sed quod sequitur respicit statũ passionis Christi. *Quibus ait; ne vocetis me Noemi*, ideſt *pulchram, sed vocate me*, nunc in passione dilectissimi filij mei. MARIA, ideſt, amara; *quia amaritudine repleuit me valdè omnipotens*: quasi dicat: Repleuit me in annũciatione gaudio, & lætitia; in passione verò, merore, & tristitia; impleuit me miserabiliter erubescibiliter, totaliter: *egressa sum plena*, in anũtiatione, quãdo dictũ est mihi: *aue gratia plena: & vacuã reducit me Dominus* tolã rediens, & filiũ prædilectũ relinquens in sepulchro. *Cur ergo vocatis me Noemi*, quã Dominus humiliauit, & afflixit omnipotens: dolores ergo parientis, quos effugaram in natiuitate, nunc per solui in filij mei passione. *Luc.* 1.

Ipsa etiam est ancilla collectionis, & operationis, Ruth. 5. *Dixit Ruth*; Glo. Quæ interpretatur videns, festinans, & deficiens. Adapta Beatæ Virgini. *Vadam in agrum*, scilicet Ecclesiæ, vt *colligam spicas*, ideſt pauperes, cæcos, & claudos, more filij sui, * qui hos libenter colligit, quę *metẽtium*, scilicet, mundi, & Diaboli *fugerunt manus*. Diabolus enim ferè vniuersam terram congregauerat, mittens falcem suam in messem alienã. Vnde, & gloriando dicit Isai. 10. *Vniuersam terram ego congregaui.* Colligit autem *ancilla* Dei in agro Ecclesiæ humiliter, quasi *spicas remanentes*, fideliter, scilicet: sequens messorum vestigia, vt quod alij abijciunt, ipsa sumat. Psal. *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me*: perseueranter; quia vsque ad finem mũdi, ad se fideles congregat. Vnde sequitur, *de mane vsque nunc stat in agro, vt nec ad momentum quidẽ domũ reuersa est, & dixit Booz* * colligentẽ, scilicet MARIAM, quæ colligit, scilicet, quos vult, quando vult, *nemo corripiat.* Item colligit sapiẽter, vnde, & sequitur: *quæ collegebat virga cedẽs*, scilicet, tribulationis, *& excutiens, impleuit* * *tres modios*, scilicet, coniugatorum, viduarum, & virginum, *quos portans* in sinu misericordiæ, & in dorso pacientiæ, *reuersa est in ciuitatem*, suã cæleſtem Hierusalem. *Cap.* 2. *Mei. Esai.* 10. *Psal.* 26 * Ideſt Deus. * Inuenit.

Ipsa etiã est, quæ se, & nos vestiuit, & cooperuit, & inuoluit pallio diuinitatis, sicut dicitur de Christo in Epiphania, in præfatione, vt nos dinitatis suæ, &c. Ruth. 4. *Dixit Ruth ad Booz*, ideſt ad Dominum: *ego sum ancilla tua Ruth, expande pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es; & ille: Benedicta es à Domino filia, noli metuere, sed faciã tibi, quidquid dixeris mihi: scit enim omnis populus, qui habitat inter portas vrbis meæ, mulierem se esse virtutis, nec abno me propinquum.* *Cap.* 3. *Ruth.* 4

I. LIBER REGVM.

Cap. 1. *Fuit vir vnus de Ramatha Sophim*, Regi-

na cœlorum, est *arca* exultationis in Tabernaculis iustorum: sed est *arca* timoris, & meroris in Tabernaculis Dęmonum, & malorum. 1. *Reg.* 4. *Cum venisset* per natiuitatem in mundo apparendo *arca*, id est MARIA *in castra* tribulatorum, tempentatorum, & totius militantis Ecclesiæ. *Timuerunt Philistiim*, id est Dęmones *dicentes: væ nobis, venit* enim illa, cui dictum est. Gen. 2. *Ponam inimicitias*, &c. *Ipsa conteret caput tuum. Non enim fuit tanta* exultatio peccatorum, iustorum, meretium desolatorum, *heri, & nudius tertius. Non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius*, quando non habebant talem adiutricem, propitiatricem, interuętricem, & defensatricem: *Et dixerunt Philistiim: Quæ est hæc vox clamoris magni in castris Hæbreorum.* Psalm. Vox exultationis, &c. *Et cognouerunt, quòd arca Dei venisset in castra, & dixerunt, væ nobis:* Illi autem benè nobis. *Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum;* Vbi enim ipsa est per adiutorium, ibi & Trinitas Deus.

Ipsa est etiam *Sol ardoris*, Mater calefactionis frigidorum filiorum Adam. 1. Reg. 11. *Cras erit salus* gratiæ, & veniæ, *cùm incaluerit Sol*, id est, MARIA. Nunquam non incaluit, cum illi tota Trinitas substantialiter illapsa est. Hæc est Sol ter nos exurens. Vnde dicitur Eccl. 34. *tripliciter Sol exurens, & exsufflans.*

Ipsa est etiam *cornu* vnctionis, ex quo vngimur ad dignitatem, ad sanctitatem, ad venustatem, 1. Reg. 16. *Dixit Dominus* Pater *ad Samuel.* Id est, Christum *Imple cornu tuum.* Id est, MARIAM, *oleo*, id ist, temetipso, & omni gratia, quod factum est, in incarnatione. *Et vngues* in Reges, & in Sacerdotes, & in Filios Dei. *Quemcumque mõstraueroti bi*, Vnde Bernard. De plenitudine eius accipiunt omnes singuli, & vniuersi, &c.

Ipsa est etiam *Ciuitas*, & domus sacietatis. *Rogauit.* 1. Reg. 20. *Rogauit Dauid, vt iret celeriter.* Quod factum est, in incarnatione, quando etiam prævenit Angelum, quę miserat ad MARIAM Virginem. Esai. *Voca nomen eius, accelera. Betlehen*, quæ domus pannis appellatur, & significat Virginem gloriosam, ciuitatem suam sanctissimam inter Sanctos * mitissimam, opulentissimam. Vnde & sequitur: *Quia ibi sunt victimæ solemnes* Deo, Angelis, iustis, peccatoribus vniuersis contribulibus suis. Psalm. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Id est MRIA. De qua dicitur 1. Re. 25. *Festinauit Abigail.*

Ipsa etiam est refrenatrix iræ Dei quo ad peccatores, quæ *Dauid*, id est, Christum ab internecatione æterna, *Nabal stulti*, id est, peccatoris refrænauit; signata per *Abigail*, & cecidit ad pedes Dauid, se in omnibus humiliando, & dixit: *In me Domine misit hæc iniquitas.* Gloss. id est, noli vlcisci, *malitia nõ inueniatur in te*, sed potiùs bonitas. Diffusiua, pietas condonatiua, misericordia attractiua: *Et ait Dauid ad Abigail* iam placatus eius intercessione: *Benedictus Dominus*, scilicet Pater misericordiarum, *qui misit te* prudętissimam, & misericordiosissimam, *Hodie*, scilicet, quandocũque intercedis pro peccatoribus, vel præcipuè in assumptione, *in occursum meum*, ad placandum, & ad refręnandum, & tenendum, & ad componendum inter me, & peccatores: *Et benedictum eloquium tuum* plus quàm omnium Angelorum; immò, omnium Sanctorũ. Psalm. *Eloquium Domini inflamauit eum: misit Rex, & soluit eum*, id est, peccatorem. *Et benedicta tu, quæ prohibuisti me sæuissimũ*, etiãquè furiosissimum contra peccatores, sicut dicit in Osee: *Occurrã eis quasi leæna, & adipsa interiora iecoris eorũ, ne vlciscar me, manu mea* grauissima, & intollerabili: *Et nisi citòve nisses in occursum mihi.* Quod factũ est, quãdo nata es; peccatorũ tibi reconciliationem assumendo *non remansisset Nabal mingens ad parietem*, sed totaliter deleuissem eum vsque *ad matutinam lucem.* Erat autem *Abigail* prudentissima mulier, *& speciosissima. Et dixit Dauid ad Abigail: vade in pace, audiui vocem tuam*, sed quam *vocem?* Vocem miserationis pro peccatoribus, *vocem* conseruationis pro iustis; *vocem* fidelitatis pro seruicijs sibi exhibitis remunerandis, Adapta concordantias: *Et ornaui faciem tuam*, in conceptione, & te sanctificando, in natiuitate tua; mundum per te illuminando. In incarnatione mea, te in matrem pro omnibus eligendo, & in assumptione tua, vltra omnes choros Angelorum te in dextera mea collocando.

Gen. 2. — Ps. 117. — Cap. 11. — Eccl. 43 — Cap. 16. — Esai. 8. — Psal. 86 — Cap. 25 — Ps. 104. — Osee. 5.

REGVM II.

Factum est post quam mortuus est Saul Sancta Theotochos Virgo, & Mater honoratur à Dauid in glorioſa assumptione sua; in hoc quod propter honorem eius Deus peccata reis dimittit, gratiam aridis infundit, & iustis gloriam promittit. 2. Reg. 6. *Abijt Dauid*, id est, Christus, *& adduxit arcam Dei*, id est, MARIAM *de domo Obededon*, in assumptione, scilicet, *in ciuitatem Dauid*, scilicet, in cœlum Empyreum *cum gaudio* magno glorioso conuiuij: *Et erant cum Dauid septem chori*, quorum primus sit chorus omnium Angelorum. Secundus, omnium Patriarcharum. Tertius, omnium Prophetarum. Quartus, omnium Apostolorum. Quintus, omnium Martyrum. Sextus, omnium Cõfessorum. Septimus, omnium Sacrarum Virginum. Ab his omnibus honorata est Domina mundi, Regina cœli, Mater Dei in assumptione eius: *Et benedixit Dauid*, id est, Chri-

Cap. 6.

stus

stus *populo*, reis peccata dimittens, aridis gratiam infundens, & iustis gloriam promittens: *Et partitus est omnibus collixidam panis, & assaturam, & similam frixam oleo.* Ipse enim Christus Dominus collirida pannis nobis est in sua natiuitate, assatatus in passione, simila frixa oleo lætitiæ in resurrectione, propter honorem suæ matris; vtpote largissimus his modis: se, & sua, & suis; donat hæc munera nobis.

Cap. 14. Ipsa etiam est mater reuocationis de regione longinqua peccatorum. Vnde significatur per mulierem *Thetuitem*, quæ dixit ad Dauid. 2. Reg. 14. *Querunt extinguere scintillam, quæ relicta est*, & dixit Dauid: *Viuit Dominus; quia non cadet de capillis eius interram.* Et sic reuocatus est Absalon.

Cap. 21. Ipsa etiam est mater conseruationis, quæ tamdiù peccatores fouet, vsque dum ipsis gratiam Domini impetret, vt significatur per *Respham*, quæ currus interpretatur. 2. Reg. 21. Quæ *septem* viros in patibulo suspendit, scilicet, peccata populi; septem crimina mortalia, à *Dauid*, id est, Christo, *non dimisit eos lacerare per diem, ac noctes*, oues, & bestias, id est, Dœmones, *donec stillarent aquæ* gratiæ, scilicet, contritionis, confessionis, *de cœlo*, id est, de misericordia Dei *super eos*. Gloss. pia solicitudo Sanctorum, peccatoribus succurrit, precum instantia, donec misericordiam Dei impetret super eos prauos homines, & malignos spiritus compescens, ne vitam eorum vlterius corrumpant praua suggerendo, & Dauid eos sepeliuit.

Cap. 23. Ipsa etiam est *cysterna* gratiæ. 2. Reg. 23. *Desiderauit Dauid aquam, & ait: siquis mihi daret potum aquæ de cysterna, quæ est in Bethleben iuxta portam.*

REGVM III.

Cap. 1. *Et Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Super excellentissima Virgo MARIA desideriorum Sanctorum Patruum ardore; optata, & quæsita fuit: vt Regem regum foueret per incarnationem in gremio; vbi ipsum recipiendo calefaceret in conseruatione totius vitæ Christi; in hoc mundo Christo ministrando; & staret in cœlo Empireo, pro peccatoribus exorando. 3. Reg. 1. Significatur Virgo MARIA per *Abisag Sunamitidem*, quæ interpretatur, pater meus abundans, vel patris mei rugitus. De cuius laude dicitur: *Dixerunt serui Dauid*, id est, sancti Patres: *Quæramus* in omni creatura, quæ sub cœlo est rationali, *Domino nostro Regi adolescentulam Virginem*, mundissimam, quæ digna sit, vt *in sinu eius dormiat* Rex regum. Hoc notandum ibi: *Quæ foueat eum* per incarnationem in gremio vteri sui, *dormiatque in sinu suo*: in mundissima mundissimus, in creatura creator, in filia pater, in ancilla Dominus. *Quæramus* etiam Virginem charitate ardentissimam, quæ ipsum Deum ad liberationem, & miserationem peccatorum inflamet. Hoc notetur ibi: *Et calefaciat Dominum nostrum Regem: Quæramus*, & Virginem sapientissimam, quæ sciat, possit, & velit stare, vt interpellatrix *coram Rege* in causa filiorum Adam. Hoc notandum ibi; vt stet fideliter, libenter, sapienter, & perseueranter coram Rege ad refrenandum, ad excusandum, ad inducendum, ad placādum. *Et inuenerunt* licet difficillime *adolescentulā spetiosam in omnibus finibus Israel Abi sag Sunnamitem*, id est, MARIAM. Hanc omnes eligimus, * & ipsam solam dicentes illi, illud Poetæ: Eligi cui dicas, tu mihi sola places. Quæsita fuit in lege, & Prophetis tempore Patriarcharum, & Prophetarum, sed inuenta *in Nazaret ab Archangelo Gabriele* in tempore gratię, in annuntiatione.

* eligamus.

Lucæ 1.

Ipsa etiam est peccatorum aduocata, habens tria; sapientiam, facundiam, & fidelitatem, quæ debet habere aduocatus. Vnde designatur per Bersabee. 3. Reg 2. *Dixit Bersabee*, id est MARIA, *ad Adoniam*, id est, peccatorem: *Benè, ego loquar*, prudenter, & humiliter, instanter, & perseueranter, *pro te*, misero, egeno, & desperato: sed cui, certè *Regi*, scilicet, magno, forti, & glorioso: *Et venit Bersabee ad Salomonem.* Quod factum est in assumptione, *vt loqueretur*, pro *Adonia*, id est peccatore, *& surrexit Rex*, id est, Christus *in occursum eius*, hilariter, & totaliter, & solemniter: *Et positus est thronus*, glorię *matri Regis*, in annuntiatione posita fuit domina mundi *in throno* gratię; in passione filij, *in throno* misericordię; in nostra causa, & iudicio, *in throno* misericordię; in assumptione verò sua ad cœlos, *in throno* gloriæ. Vnde, & sequitur: *Qui sedit ad dexteram eius.* Vt Imperatrix, vt gratiarum, & gloriarum, distributrix, vt nos ad se traheret. Vnde, & post eam clamamus. Cant. 2. *Trahe me*, &c. *Et dixit ei, pete* fiducialiter, regaliter, & vniuersaliter pro omnibus *Mater* misericordiæ mūdissima, fidelissima, obsequiosissima, & super omnem creaturam charissima. *Neque enim fas est*, nec coram me, nec coram Angelis, immò, & omnibus sanctis, *vt auertam faciem tuam*, te pro quacunque re postulantem, non exaudiendo.

Cap. 2.

Caut. 2.

Ipsa etiam est Mater, & domina saluationis, prout * enim Dominus etiam peccatoribus honorantibus eam: quod signatur in Abiathar Sacerdote, qui offenderat Regem Salomonem. Cui dixit *Rex* 3. Reg. *Vir mortis* tu es, *sed te non interficiam*, quia *portasti arcam*, id est, MARIAM, ipsam honorando, te ei subijciendo, & in eius fidelitatem, & misericordiam commendando * *coram Dauid patre meo.*

* Parcit.

Cap. 2.

* Committēdo

Ipsa

Cap. 6. Ipsa est etiam *Templũ* charitatis, 3. Reg. 6. in cuius laude dicitur, *nihil erat in Templo*, ideſt, in MARIA, *quòd non auro tegetur*, Gloſ. ſola enim charitas regnat, *duo oſtiola* in templo *de lignis oliuarũ*, Gloſ. dilectio Dei, & proximi.

Cap. 8. Ipsa etiam est *nebula*, & *habitaculum*, abſconſionis Filij Dei, 3. Reg. 8. *Dixit Salomõ*, *Dominus dixit, vt habitaret*, ideſt, habitaculum ſibi præpararetur, in *nebula*, ideſt: MARIA. Require in titulo de nebula.

Cap. 10 Ipsa etiam est *Regina pacis*, cuius aduentus glorioſus, ad cœlum in die aſſumptionis diſcribitur, 3. Reg. 10. *Regina Saba*, ideſt, MARIA, *cum multo comitatu*, ſcilicet Angelorum, ſanctorum, immò & ipſius filij ſui, *ingreſſa eſt in Hieruſalẽ*, & hoc in die aſſumptionis virginis glorioſæ: *Saba*, eſt ciuitas regalis Æthyopię; vnde hæc Regina fuit, quę præfuit duobus Regnis Æthyopiæ, & Ægypti.

Cap. 10. Ipsa etiam est *tronus* totius Trinitatis, 3. Reg. 10. *Fecit Rex Salomon Thronum*, ideſt, Virginem MARIAM glorioſam, & hoc in tempore gratiæ, quãdo Mater miſericordiæ in mundo nata eſt, *de ebore*, caſtitatis, puritatis, & innocentiæ, *grandem* in natura, in gratia, in gloria, in miſericordia, in humilitate, in bonitate, in largitate, & pulchritudine. Vnde & ſequitur, *& veſtibit eam*, totaliter, & regaliter, pluſquam omnem creaturã puram; *auro fuluo nimis*, ideſt, charitate ſuprema, immò, & ſe ipſo, *qui habebat ſex gradus*. Primus eſt humilitas: ſecũdus eſt virginitas: tertius eſt paupertas: quartus eſt, erubeſcentia: quintus, pacientia: ſextus, temperantia. *Et ſummitas throni rotũda* erat ſpe cęleſtiũ, *& duæ manus tenentes ſedile*, ideſt, MARIAM, ideſt, timor, & reuerentia. Habebat enim ad filium timorem, & reuerentiam; quia licet eſſet filius; tamen erat Dominus Deus, & Pater; *& duo leones ſtabant iuxta ſingulas manus, & duodecim leunculi ſtantes ſupra ſex gradus hinc, & inde: non eſt factum tale opus*, vtile, miſerabile, pręcioſitate, dignitate, pulchritudine, *in vniuerſis Regnis*, cœli & terræ.

Cap. 17. Ipsa etiam est *vas*, & *hydria* ſacietatis, 3. Reg. 17. In cuius laude dicit vidua, ideſt, Eccleſia. *Viuit Dominus; quia non habeo panẽ, niſi quãtum pugillus capere poteſt; in hydria etiam parum olei in lecthito, & dixit Helias, hydria farinæ*, ideſt, MARIA, *non deficiet*; quia ſemper vult, & poteſt dare; quia largiſſima; quia ditiſsima; quia plena gratiæ. *Nec lecthitus olei imminuetur*; quia ſemper nos paſcit, ſemper vnget, ſemper lætificabit.

Cap. 18 Ipsa etiam est *nubecula*, refrigerans, pluẽs, & tonans, 3. Reg. 18. ideſt, in annuntiatione, & in tempore gratiæ, *nubecula parua*, ideſt, MARIA, *parua* per humilitatem, ſed immẽ ſa per gratiam, *aſcendebat*, vel in natiuitate ſua in mũdo apparendo, vel in aſſumptione cœlos penetrando, vel *aſcendebat* per naturã; quia nobiliſsima per gratiam, quia omni gratia ditiſsima: per gloriam, quia ſuper omnes choros Angelorum exaltata: *de mare*, ideſt, de hoc mundo. Require in titulo de mare, & adapta mundo, *& dixit Helias*, ideſt, Chriſtus *ad Achab*, ideſt, peccatorem: *ſonus multæ pluuiæ eſt*, ideſt, gratiarũ, omnes cõpluens, & gratiam quærentibus infundens, *cumque ſe verteret huc, atque illuc obtenebrati ſunt cœli, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis*. Require de plenitudine eius omnes accipiunt, & ſinguli, &c.

IIII. REGVM.

Cap. 2. *Præuaricatus eſt Moab.* Imperatrix cœlorum, dicitur *vas* nouitatum, & ſanctitatis, 4. Reg. 2. *dixit Eliſeus nouum vas mihi offerte*, ideſt, MARIAM: alia enim per peccatũ, & inueterata, & corrupta ſunt: ſed ipſa eſt *vas* nouum multiplicem nouitatem habens. Notandum de hoc, *& mitte in illud ſal*, Gloverbum caro factum eſt. Sal enim Filius Dei eſt, *quod cum miſiſſet in illud*. Quod factum eſt in annuntiatione, ait: *hæc dicit Dominus ſanaui has aquas*, ideſt, humanam naturam, amaram, fluidam, & peſtiferam, *& non erit in eis vltra mors, & ſterilitas*, ſed vita, & fœcunditas.

Cap. 13. Ipsa etiam est *feneſtra*, illuminationis totã Domum Eccleſiæ, luce diuinitatis illuſtrans. Vnde & vehiculum lucis vocatur 4. Reg. 13. *Dixit Eliſeus ad Ioas Regem Iſrael: aperi feneſtram Orientalem*, ideſt, MARIAM, per quam intret lux, & vita ſicut per feneſtrã Occidentalem, ideſt, Euam, intrauit mors, & tenebræ. *Quam cùm aperuiſſet*, quod factum eſt quando virgo manens, & incorrupta peperit Saluatorem mundi. *Dixit Eliſeus: Iace ſagittam*, ideſt, Chriſtum, qui ex ea ortus, & natus eſt, *& iecit, & ait Eliſeus: ſagitta ſalutis contra Syriam*, ideſt, cõtra omnes Dæmones, *& percuties Syriam, donec cõſumes eam*, ad nihilum redigendo. Pſal. *Ad nihilum redactus eſt in conſpectu eius malignus*. *Pſal.* 14

THOBIAS.

Cap. 4. *Thobias ex Tribu, & ciuitate Nepthalim.* Commendatur in Beatiſsima Virgine MARIA, poſt Dominum largitas ſumma, Thob. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors*, omnibus miſericordiam te poſtulantibus præſtãdo, *ſed multum tibi fuerit*, quia gratia plena es, immò, & in * ipſo Deo, & Domina es in cęlo, & in terra, Math. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, abũdãter tribue, ſicut decet dare Reginam omnium creaturarum.

* *Forte cum.* *Mat.* 28

rum. *Si exiguum fuerit, exiguum libẽter impartiri ſtude*, Gloſ. voluntas à Deo pẽſatur, non dati quantitas; & commendatur in ipſa poſt Dominum humilitas ſumma, Thob. 4. *Superuiam in tuo ſenſu*, Gloſ. ideſt, in mente *numquam, aut in vno verbo*, Gloſ. etiam facto *dominari non permittas*, Gloſ. & ſi aliquando ſit, tamen non regnet: quod dictum eſt propter nos; ſed ipſa vt credimus etiam, nec motum ſuperbiæ numquam habuit. Prẽter Deum enim excellẽtiſsimè, & in ſummo humilis fuit, etiam comendatur in ipſa poſt Deum fidelitas præcipua in ſeruitiorum, ſibi impenſorum feſtinatiſsima, & abundantiſsima retributione, *quicumque tibi*, ò MARIA *aliquid operatus fuerit*, ſiue iuſtus, ſiue peccator, etiam aliquid faciendo ad honorem, & laudem tuam, & filij tui: *ſtatim ei mercedem tuam tribue* regaliter; quia Regina es: abundanter, quia ditiſsima eſt: vtiliter, quia fideliſsima es, *& merces mercenarij tui apud te non omnino maneat.*

Tob. 4.

IVDITH.

Arphaxat Rex Medorum in noſtra *Iudith*, ideſt, Virgine MARIA, commendatur. Pulchritudo admiranda, & ſapientia præcunctis mortalibus veneranda, Iudith 11. *Dixerunt ſerui Holopbernis.* Non ſoli ſerui Dei ipſam admirantur, ſed etiam ſeruì mundi, & Diaboli, *alter ad alterum. Nõ eſt talis mulier ſuper terram*, immò nec ſuper cœlum, *in aſpectu:* quia etiam fuſcedine peccati venialis caruit; *& cũ in pulchritudine* exteriori. Credimus enim eam pulcherrimam fuiſſe, & optimè diſpoſitam, & in ſenſu verborum quo ad Domiñu, quãdo dixit: *Ecce ancilla Domini.* Quoad Angelum, quando dixit: *Quomodo fiet iſtud?* Quo ad nos peccatores, quãdo in nuptijs dixit miniſtris: *Quodcumque dixerit vobis facite*: quo etiam ad filium ſuum, quando dixit, Lucæ, 2. *Fili cur feciſti nobis ſic.* Commendatur etiam in Domina mundi nominis præclara excellentia. Ipſa enim poſt Dominum nominatiſsima eſt, & nomen eius laude digniſſimum poſt Dominum. Iudith 11. *Dixit Holofernes ad Iudith*, Gloſ. Quæ interprætatur continẽs, & laudans, & ſignificat MARIAM. *Magna eris, & nomen tuum.* Non tantùm MARIA, vt maris ſtella, vt Mater Domini nominabitur à Deo, ab Angelis, à iuſtis, à peccatoribus, à Patriarchis in *vniuerſa terra*, immò in vniuerſo cęlo. Cõmendatur enim * ſanctiſsima Virgo ab ampliſsima charitate, quæ conſideratur in hoc, quod non tantùm propriam exaltationem, quam noſtram quærebat liberationem. Iudith 12. *Iudith orabat Dominum Deum Iſrael*, feruentiſsimè, *vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui* captiui, & afflicti: hoc enim ſemper quærebat, vt dicit Bern.

Cap. 11.

Lucæ 1.

Ioan. 3.

Lucæ. 2.

Cap. 11.

* Etiam

Cap. 12.

Commendatur etiam in beatiſsima Domina gratitudo; gratias enim agebat indefinẽter pro beneficijs ſibi collatis, & nobis per eam, maximè de Diabolo ſuperato, & peccato deleto, & vniuerſo populo fidelium liberato, Iudith 13. *Abſciſo capite Holophernis*, id eſt, Diaboli, laudando Deum, & nos conſolando dicit: *Aperite portas*, Gloſ. ideſt, deuotionẽ cordis, *quoniam nobiſcum eſt Deus*, vt frater, carnẽ infirmitatis noſtræ in me aſſumens; vt Deus diuinitatis ſuæ participes nos faciens; vt pugnator, & victor à Diaboli poteſtate nos eruens: *& concurrerunt ad eã* omnes Angeli, quibus dedit, vt ait Bernard. lætitiam: iuſti, quibus gratiam; peccatores, quibus impetrat veniam. *Et illa aſcendens in eminentiorem locum*, Gloſſ. Ad laudandum Dominum Deum pro beneficijs ſuis, adiutores attollens dixit: *Laudate Dominum Deum noſtrum.* Gloſ. non me. *Qui non deſeruit ſperantes inſe*; quia fideliſsimus eſt, etiam *in me ancillaſua*, humili, deuota, fideli, & miſericordi. *Adimpleuit* mirabiliter, largiter, ſapienter, & vtiliſsimè *miſericordiam ſuã*, ſcilicet, quòd incarnatus eſt in me propter peccatores, *quam promiſit* per os Prophetarũ domui Iſrael, ideſt, Eccleſiæ, *& interfecit in manu mea*, ideſt per filium qui manus mea eſt, *hoſtem populi ſui*, Gloſ. ideſt, Diabolum, *in hac nocte*, gratiæ, & miſericordiæ: *ecce caput Holofernis*, de quo dicitur: *ipſa cõteret caput tuum.*

Cap. 13.

Gen. 3.

Cap. 13.

Commendatur etiam in noſtra Domina, maxima fortitudo, Iudith 13. *Dixerũt vniuerſi*, ſcilicet Patriarchæ & Prophetæ, immò & omnes fideles *ad Iudith*, ideſt, ad Virginẽ gloriоſam. * *Benedicat te Dominus in virtute ſua*, tibi gratiam, & fortitudinem, & virtutem tribuens. *Qui per te*, non per Angelũ, vel aliquem ſanctorum, *ad nihilum redegit inimicos noſtros*, Diabolum ſuperando, peccatum delendo, mundum vilificando. *Quia hodie*, ſcilicet, in die annũtiationis, quãdo Mater Dei effecta eſt; vel in die aſſumptionis, quando ſuper omnes choros Angelorũ exaltata es. *Nomen tuum*, Angelis reuerendum, hominibus amandum, & Dæmonibus timendũ; *ita magnificauit* in cœlo, & in terra, immò & ſub terra, *vt non recedat laus tua de ore hominum*, immò & omnium Angelorum, *qui memores fuerunt virtutis tuæ in æternum; pro quibus non pepercifti animæ tuæ*, in die amariſsimæ mortis prædilecti filij tui. *Propter anguſtias, & tribulationes generis tui*, miſerorum filiorum Adam: *ſed ſubueniſti* miſericorditer, & vtiliter, & fideliter, *ruinæ* magnæ, amaræ, ignominioſæ, & æternæ; ante conſpectum Dei noſtri, *& dixit omnis populus, fiat: & ait Iudith ad Achior, caput omnium incredulorum*, ideſt, Diabolum, *incidit in hac nocte in manu mea.*

Mariã.

Com-

Commendatur etiam Regina Angelorum à maxima humilitate ; quę conſideratur in hoc quod nos immundos filios perditi, Adam fratres vocat, Iudith 14. *ait Iudith ad omnẽ populum, audite me fratres*, quorum ſoror ſum ego ex natura. Alibi nos vocat filios. Sapien. *Nunc ergo filij audite me*, tanquam matrem, ſed hic: audite me tanquam fratres ſororem : *Suſpendite hoc caput*, crudele nequam, & omni fallacia plenum, quod ego abſcidi *ſuper muros veſtros*. Gloſſ. In doctrina Euangelica, quæ eſt murus credentium, in illa, in quam apertè oſtendatis, hoſtis ſuperbiam eſſe contritam. *Et erit*. Gloſſ. Docet qualiter, hoſtem noſtrum perſequamur, *cùm exierit* de vtero meo, tanquam ſponſus de thalamo ſuo, quod factum eſt in natiuitate Domin. *Sol*. Gloſſ. id eſt Chriſtus filius meus illuminans cęcos, inflammas frigidos, fęcundas ſteriles. Require in titulo de ſole, & ſe vt ſol omnibus largiens, & infundens: *Exite cum impetu*, nil formidantes ad pugnam contra mundũ, Diabolũ, & peccatum.

Cap. 14. Prou. 8. Pſal. 18

Commendatur etiam Beatiſsima domina à ſapientia ſumma. Per ſapiẽtiã enim ſuã, totũ regnũ Diaboli cõfudit, & caput ſuũ cõtriuit. Iudith. 15. *Vna mulier Hebrea*. Id eſt MARIA, *Fecit confuſionem* magnam, & in opinabilem *in domo Regis Nabuchodonoſor*. Id eſt, Diaboli. Cõfudit enim ſuperbiã eius per humilitatem, aſtutiam ſapientiam, & ſic de alijs. Et ipſa eſt, illa quæ traxit Filium Dei de cœlo in vterum ſuum, vt ſibi eam faceret matrem: incarnationis, & domum inhabitationis. Iudith. 15. *Ioachim*. Gloſſ. Quod interpretatur, Domini reſurrectio, & ſignificat Chriſtum; quia Summus Pontifex *venit de Ieruſalem in Bethaniam*. Gloſſ. In vterum Virginis, quæ domus Dei eſt; vnde carnem ſumpſit, *vt videret Iudith*. Gloſſ. Id eſt, probaret fidem, & dilectionem. *Qui cùm exiſſet*, IESVS naſcendo mundum, *dixerunt ad illam omnes* vna voze eam benedicentes: *Tu gloria Ieruſalem*, id eſt, illorum, qui ſunt in cœlo: *Tu lætitia Iſrael*, id eſt, dolentium, & gementium pro peccatis in hoc mundo: *Tu honorificentia populi noſtri* abiecti, & deſpecti, *quia feciſti viriliter*. Gloſſ. Contra Principem mundi, *& ideò eris benedicta in æternum à Deo*, ab Angelis, ab hominibus laudabiliter, & *dixit omnis populus fiat, fiat*.

Cap. 15. Cap. 15.

Ipſa eſt etiam comminatrix omnium lædentium ſeruos, & ancillas filij ſui. Iudith. 16. *Vægenti*. Gloſſ. in perpetuo *inſurgenti contra genus meum* Gloſſ. cultores Dei.

Cap. 16.

LIBER ESTHER.

In diebus Aſueri Regis commendatur Beatiſsima domina à ſuprema potentia, quã poſt Deum habet, ſupra omnes creaturas: *Eſther erat formoſa valdè*. Gloſſ. Circumdata varietate virtutum, *& incredibili pulchritudine oculis omniũ gratioſa* : omnibus enim placet, Deo, Angelis, iuſtis, peccatoribus: *& amauit eam Rex Aſuerus*, id eſt Chriſtus plus quàm omnes mulieres: *Et poſuit diadema regale in capite eius*. Gloſſ. contorte Regni fecit; ecce potentia, *fecitque eam regnare*, potenter, largiter, æternaliter. Potenter regnat; quia ei omnia ſubdita ſunt; largiter regnat, quia largiſsima, & ditiſsima munera tribuit, cui vult, & quantũ vult, & quando vult, & quoties vult: æternaliter, quia regnũ eius non deficiet: *Et regni eius non erit finis*. Dicitur ergo merito Regina potentiſsima Regina largiſsima, Regina æterna. Hæc tria in nulla Regina concurrunt, niſi in ipſa ſola.

A B

Luc. 1.

Ipſa etiam eſt ſponſa Dei, de cuius nuptijs digniſsimis, largiſsimis, & lætiſsimis celebratur. Eſter. 2. *Rex Aſuerus*, id eſt Chriſtus *pro coniunctione, & nuptijs Eſther*; id eſt, MARIÆ, in die annunciationis celebratæ, quorum conciliator fuit Gabriel, *iuſſit præparare conuiuium*. Gloſſ. Gaudium ſpirituale, *per magnificum*. Gloſſ. in toto orbe, immò, & in cœlo, & in purgatorio: dies enim maximi gaudij eſt dies incarnationis Filij Dei: *Cunctis principibus, & ſeruis ſuis*. Gloſſ. id eſt, maioribus terræ, & minoribus; *& dedit requiem vniuerſis Prouincijs*. Requiem gratię terreſtribus: requiem gloriæ cęleſtibus: requiem liberationis manentibus in prouincia purgatorij: *Ac dona largitus eſt ſecundùm magnificentiam principalem*. Regaliter dans, vniuerſaliter dans, celeriter dans, & hilariter dans: vnde clamat ad nos, inuitando nos omnes, & dicens illud, quod dixit homo de monte Ephraim: *Ego præbeo omnia, tantùm vt in platea non maneas*.

Cap. 2. C Iud. 19.

Ipſa eſt etiam *domus, & veſtiaria*, ex qua indutus fuit Filius Dei carne, peccator venia, iuſtus gratia, perfectus gloria. Eſter 4. *Mardocheus indutus erat ſacco* mortalitatis, & miſeriæ; & heu, multi ſacco mortalis culpæ: *Et ſedebat ante fores pallatij* gratiæ, & gloriæ. *Non enim erat licitum indutum ſacco aulã Regis intrare*. Gl. Quia nullus cũ corruptione præſentis vitæ cœleſtem aulam intrabit. *Quod audiens Eſter* amore miſericordiæ, *miſit ei veſtem*, id eſt, nuptialem, *vt ablato ſacco indueret eam. Pallium*, ſcilicet, *laudis* pro ſpiritu mœroris.

Cap. 4. D Iſai. 61.

Ipſa eſt etiam *virga aurea* ſignũ vitæ æternæ. Eſter. 4. *Vir ſiue mulier quicunq; non vocatus atriũ intus intrauerit*. Gl. Nõ habens veſtem nuptialẽ, *ſtatim interficiatur* morte æterna, *niſi forte Rex auream virgam*, id eſt, MARIAM, *ad eum tetenderit* pro ſigno clementiæ, vt ſit ei in propitiationem, atque ita poſsit viuere.

Cap. 4.

Ipſa eſt etiam interuentrix, & reuocatrix deſperantorum quàm ideò Dominus, & crea-

creauit in natiuitate, & in matrem assumpsit in incarnatione, & super omnes choros Angelorũ exaltauit in assumptione, vt pro peccatoribus intercedat. Esther 4. *In Domo Regis es*, Glo. in interiori domo Regis summi* *præcunctis Iudæis*, immò præ omnibus sanctis, & Angelis. *Si enim nunc*, ideſt, in tempore angustiæ nostræ *Silueris*, Glos. non intercedens pro nobis quod absit à te; quia Dominus desiderat te audire, dicens, Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & quis nouit vtrum ita circo ad Regnum veneris*: delicioſissimum etenim venis à Deo prœordinata, à Patriarchis prœsignata, & præfigurata, à Prophetis pronunciata, à peccatoribus postulata, à tota Trinitate electa, & præelecta, *vt in tali tempore*, iracundiæ Dei, tribulationis, & memoris filiorum Adã, *paratereris*, Glos. Ideò te Rex fecit Reginam, vt nobis in persecutione auxilieris.

Cap. 4. * Sinu. Cant. 2. Cap. 5. Cap. 7. Cap. 8.

Commendatur etiam Regina nostra à maxima fidelitate, & bonitate, & misericordia, quæ cõsiderantur in hoc, quod fere tota eius supplicatio est pro nobis coram Patre, & Filio, & Spiritu sancto, scilicet, vt à Diabolo, à peccato, à mundo, gehenna, & morte etiam liberentur. Esth. 5. *de tertio* Glo. ideſt, in tẽpore gratiæ, Incarnationis Filij Dei. *Induta est Hester regalibus vestimẽtis*, Glo. fide, spe, & charitate, & cæteris virtutibus, quibus induta Regi digniùs societur. *Et stetit* vt præcatrix, vt adiutrix, vt aduocatrix, vt tractatrix, & hæc præcipuè quando assumpta est in cœlum; hoc officio pro nobis agens, *in atrio domus Regiæ, & Rex sedebat super solium suum: & cum vidisset Esther Reginam*, natura, gratia, gloria, largitate, dignitate, nobilitate, miseratione, prę omnibus præcipuã *stãtem*, non vt luciferũ superbum sedere volentem, sed *stantem* miserabiliter iuxta crucem, & nobiliter, & misericorditer, & fideliter in cœlo pro peccatoribus, *placuit oculis eius*, quæ omnia structura facit, *Rex extendit contra eam virgam auream*, ideſt, potestatem, quam vult Matrẽ suam habere in cœlo, & in terra; immò sub terra. *Dixitque ad eam Rex: Quid vis Esther Regina? Quid est petitio tua, etiam si dimidiã partẽ Regni mei petieris dabo tibi*: immò totũ dabitur tibi, & impetrabis celeriter, & totaliter, & illa dixit: 7. cap. *Si inueni gratiam in oculis tuis, ò Rex, da mihi populum meum*: Meum fide, meum deuotione, meum ipsius affectuosa veneratione, meũ tuũ dominatione, meũ, & tuum cõmisseratione, pro quo obsecro, quãdo stans miserabiliter apud crucem, nunc verò stans apud te in cœlo lętanter. *Quomodo enim subsistere potero* 8. Esther: *Necem & interfectionẽ* miserabilem, crudelẽ, & generalem, *populi mei*, cùm possim, & sciam, & velim ipsos liberare per te, & per tuos, & per me.

Ipsa etiam est, quæ in natiuitate sua, & per suum ortum in mundum, totam Ecclesiam luce gaudij immensi perfudit, Esther 8. *Iudæis*, ideſt, Christianis, *noua lux*, ideſt, MARIA, *oriri visa est*, quando scilicet nata est, & ipsa est *gaudium* mœstorum, depræsorum, & tripudium omniũ sanctorum. Quod nobis præstare dignetur Christus IESVS. Cap. 8.

IOB.

Vir erat in terra Hus nomine Iob, Regina mundi Virgo MARIA, dicitur aurora surgens, Iob 3. *Expectet lucem, & non videat*, Glos. qui praua agit, vel & bona nõ toto corde, *nec ortum surgentis Auroræ*, ideſt, MARIÆ, quæ in natiuitate sua orta est tenebrosis peccatoribus ad illuminandum. Glos. Aurora priores tenebras deserit, & in lumine iustitiæ venit. Cap. 3.

Aduentus etiam eius optatus est multipliciter in mundum, Iob 14. *Recede paululum ab eo*, Glo. ideſt, flagellũ remoue, vt quiescat, Glos. Quia recessus non dat quiescere, *donec optata*, ideſt, MARIA, optata à Patriarchis, & Prophetis; optata ab omni genere humano flebiliter, & miserabiliter, *veniat* per natiuitatem mũdo apparendo; sed quomodo veniet? veniat, inquam, Deo incoadiutorem, Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium*, &c. Iustis in gratiam, peccatori in reconciliationem, tristibus in gaudium, Angelo in lætitiam, Diabolo in æternam mœstitiam. Cap. 14. Gen. 2.

Ipsa est etiã *solium* misericordiæ, ad quod veniẽs peccator absoluitur, Iob 23. *Quis mihi tribuat, vt veniam vsque ad solium eius*; ideſt, vsque ad MARIAM, quæ est soliũ misericordiæ: *& tunc ponam coram eo iudiciũ, & os meum implebo increpationibus*, vt sua verba miserationis mihi redundent. Notandum de hoc. Cap. 23.

Ipsa est etiam *Aurora* terrens Dęmones, Iob 24. *Si subitò apparuit Aurora*, ideſt, MARIA, vel in lucem mundi nascendo prodiẽs, vt peccatori gratiã, auctoritate Dei infundens, *arbitrantur*: ipsi Dæmones *vmbrã mortis*, Glos. quia de hoc dolent. Cap. 24.

Ipsa etiam quantum in se est nulli denegat lumen gratiæ, & misericordiæ, sicut Baldad ad Iob 25. *Super quem*, Glo. Angelorum, vel electorum hominum, vel etiam peccatorum, *non resurgit lumen illius*, ideſt, MARIA, vel gratia eius, vel adiutorium, vel præmium, & hoc celeriter, fideliter, & totaliter. Cap. 25.

Ipsa est etiam *locus* diuinæ virtutis, & humanæ naturæ, Iob 28. *Aurolocus est*, ideſt, Filio Dei. *Locus est*, Virgo MARIA, *in quo cõflatur*, & vnitur diuinitas humanitati; maiestas infirmitati, æternitas mutabilitati: si ergo, & tu volueris Deo vniri, propera ad hoc locum, & efficieris vnus spiritus cum Deo. Cap. 28.

Ipsa

Ca. 29. Ipsa est etiam, *lucerna*, splendens, *& petra fundens oleum*, Iob 29. *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, quando splendebat lucerna eius*, id est, Virgo sanctissima, *super caput meum, ad lumẽ eius ambulabã in tenebris. Quando petra*, id est, Virgo MARIA *fundebat mihi* largiter, celeriter, & libenter *riuos olei*, Gloss. id est dona Spiritus Sancti.

Cap. 29 Ipsa etiam benè comparatur Iob, quæ omnes perfectiones virtutũ, quæ in eo commẽdantur, ipsa in summo habuit. Ostẽdit ergo Beatissima Domina in persona Beati Iob, Dei in se secretã habitationẽ. Iob 29. *Deus secretò erit* mecũ *in tabernaculo meo*. Quod est contra hypocritas, qui in manifesto, ostendunt Deum esse cum eis, cum tamen nõ

Cap. 29 sit. Ostẽdit etiam se esse *liberatricem* vociferantium peccatorũ. Iob. 29. *Auris audiẽs*

Luc. 1. *beatificabit me:* dicens: *Benedicta tu in mulieribus. Et oculus videns fidelitatem meam, testimonium reddebat mihi*. Quod liberassem misericorditer, & potenter *pauperem vociferantẽ*, id est peccatorẽ, quẽ diabolus suffocabat, & infernus absoruere volebat, & cõtra quem omnis creatura insurgere disponebat. *Et pupillum cui non erat adiutor*, nec inter Angelos, nec inter homines.

Cap. 29 Ostendit etiam se esse Releuatricẽ cadentium, Iob 29. *Benedictio perituri*, in anima, & corpore; & *perituri* coram Deo, & omni creatura. *super me veniebat*. Glos. benedictio perituri, scilicet, euenit, cùm peccatoris interitum peruenit, & à culpę fouea reducitur. *Et cor viduæ*, consolatus sum, id est, animæ à Deo viduatæ.

Cap. 29 Ostendit etiam se esse ex magna humilitate peccatorum cæcorum ductricem, & claudorum sustentatricem. Maxima enim humilitas videtur in Regina crescere, immò Comitissa, *etiamsi cæcum duceret*. Hoc facit quotidie Regina Angelorum peccatoribus ex cæcatis, Iob 29. *Oculus fui cæco*, id est, peccatori ipsum ducens, ipsi viam monstrans ipsum à fouea inferni defendens, & *pes claudo*, id est, peccatori.

Cap. 29 Ostendit etiam se esse Diaboli, & peccati, & inferni spoliatricem, & peccatorum ereptricem, Iob 29. *Conterebam molas iniqui*, id est, Diaboli insidias eius nudando, *& de dẽtibus illius*, quem iam comedebat. Confligebat, & deglutire miserabiliter *auferebam*, Gloss. conuertendo *auferebam* etiam, violenter, sapienter, totaliter, & finaliter *prædam*, id est, miserum peccatorem.

Cap. 29 Ostendit etiam se esse aridissimi mundi copiosissimam irrigatricem, Iob 29. *Expectabant me*, id est, meum aduentum per natiuitatem, in mundum, hi, qui in terra, & qui in purgatorio *sicut pluuiam*, salutiferam mundam, & generalem, *& os suum aperiebant sicut ad imbrem serotinum.*

Ostẽdit etiã se more filij largissimã, & celerrimã datricẽ gratiarũ. Iob 31. *Si negaui quod volebãt pauperibus*. Glos. id est humilibus. *Et oculos viduæ expectare feci*, id est, lumine distuli traditas fuscari, nõ solũ enim ex munere, sed excellẽtię muneris bonorũ operũ merita augẽtur, id est, distuli dare spectãcibus me, Glos. lumẽ dationis tarditas nõ obfuscat, incũctãter dãdum est, quòd cum vera humilitate quæritur, id est, quòd nec ex desiderio, sed ex necessitate poscitur. *Nõ solùm enim ex munere, sed ex celeritate muneris bonorum operum merita augentur.* *Cap. 31*

Ostendit etiam se esse famelicorum animarum *cibatricem*, Iob 31. *Si comedi buccellam meam solus*, id est, mihi à Deo data non communicauerim alijs, immò, quòd plus est; *Buccellã meam*, id est, corpus filij mei communicaui alijs, & omnia sequitur, *& non comedit* abundanter, & fiducialiter, & regaliter, & cum Angelis: iuxta illud Psal. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*. Homo *pupillus ex ea*: fui mater ego per miserationem, & cibatrix per largitatem, Glos. solent nonnulli largiri, sed, habere pauperes socios, refugiunt, gratiam communis vitæ non habentes; sed præiudicium pietati se facere existimarent, si solus comederent, quòd Dominus omnium communiter creasset. *Cap. 31* *Psa. 77.*

Ostendit etiam se misericordiam continere non posse, & præcipuè quãdo inuocatur, Iob 31. *Ab infantia creuit mecũ miseratio* magna, pia, & diffusa. *Et de vtero matris meæ egressa est mecũ* abũdãter, & cõmuniter; quia sicut fluuius Paradysi, qui de Paradyso egrediens diuidit se in quatuor partes, Gen. 1. Hoc ibi require, & est optima materia. *Cap. 31* *Gene. 1.*

Ostendit etiam se non despicere quemquam licet peccator sit, dum tamen quærat misericordiam, Iob 31. *Si despexi*, Glos. hic humilitas *prætereuntem*. Gloss. Quia quidam magis dant pro noticia, quàm pro natura: *Eo quod non haberent indumentum* virtutum Glos. Propter hoc non despexi, *absque operimẽto pauperẽ*, licet sim, *in vestitu deaurato circundata varietate. Si nõ benedixerũt mihi latera eius. Et de velleribus ouium mearum calefactus est*, Gloss. hic est pietas. *Cap. 31* *Psa. 44.*

Ostendit etiam se esse lucidissimam, misericordiæ magis quàm iustitiæ, in causa peccatorũ, Iob. 31. *Si leuaui supra pupillum*, id est, peccatorem, *manũ meã*, scilicet, ad opprimendũ eũ. *Etiam cùm viderẽ me in porta*, Glos. id est, in iudicio, *superiorẽ*, omnibus Angelis Sanctis, Glos. Non quod iustè cõpetit, iustus vehemẽter exegit, & quando in iuditio ex iustitia peccatorem se videt; neque enim tunc vtilitatis meę negotia virtute cõtra pupillum exigere volui, quãdo me in iuditio etiam ex iustitia potiorem vidi: hic enim *portæ*, nomine iuditium, quod in porta agebatur, significat. *Cap. 31*

Ostendit etiam se esse hospitam, & receptricem generalem Dei, hominum largissimam. Iob 31. *Foris non remansit peregrinus.* Hospitium vir generalis veteri præbens Filio Dei peregrino: & hospitium gratiæ, misericordiæ, & gloriæ, viatori; patuit, celeriter, totaliter, & frequenter. *Cap.* 31.

Ostendit etiam Beata Virgo se esse Reginam cœlorum, & tum consolatricem mœstorum. Iob 29. *Cùm sederem* regaliter, potenter, & solemniter, *quasi* Regina, vxor, & Mater Regis æterni, circunstante exercitu Angelorum, & hominum: *Eram tamen* ex misericordia, & benignitate *merentium* peccatorum *Consolatricem.* *Cap.* 29

Ipsa est etiam *Aquila* singularis, de cuius laude, & præconio loquitur Dominus ad Iob. Iob 39. Nunquid ad *præceptum tuum* sicut ad meum, qui quod præcipio inspiro: *Renouabitur*, in natura, gratia, & gloria, & in omni prærogatiua: *Aquila*, id est, MARIA super omnes choros Angelorum, etiã *in arduis ponet nidum suum: pulli eius sanguinem lambunt, & vbicũque fuerit cadauer statim adest.* Glos. Christus in cœlo sedens est refectio iustorum. *Cap.* 39

PROVERBIORVM.

Parabolæ Salomonis Filij Dauid, Regis Israel. Regina omnium creaturarum nominatur à Salomone sapientia. Prou. 7. *Dixi sapientiæ*, id est, MARIÆ, *Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meã.* Ex sensu enim humilitatem habuit, & summam sapientiam. Ecce vbi humilitas est, & sapiẽtia: ergo maior humilitas, vbi maior sapientia, vbi summa sapientia; sed in Beatissima Virgine fuit improportionabilis humilitas super omnes viatores: ergo improportionabilis sapientia. Minor patet, per illud, quòd dicitur in Euangelio: *Qui se exaltat humiliabitur.* Ergo qui improportionabiliter alijs exaltatur, improportionabiliter alijs humilis demonstratur. Alijs super choros, etiam Angelo. Sed Beata Virgo super omnes choros Angelorum, secundùm Hieron. in quartam Ierarchiam improportionaliter alijs super choros, & Angelos ascendit: ergo hominum, & Angelorum omnium humillima fuit: ergo, & in sapientia omnes transcẽdit. Sapiẽtia est etiam quidã gustus, spiritualis, & primæ veritatis per modũ summæ bonitatis, quàm ipsa præ omnibus viatoribus habuit. Discretio etiã, quàm gustus debet habere, fallitur duobus modis: vno modo ex parte gustabili propter saporum, vel gustabilium immixtionem, vel assimilationem. Alio modo propter gustatiui organi discutiuam sui infrectionem. Et hæc deceptio non tantũ contingit in corporali, sed etiã in gustu spirituali; *Quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, & ponunt tenebras in lucem, & è contra; & dicunt malum bonũ, & è contra;* & hæc deceptio nunquã contingit, nec contingere potuit Beatæ Virgini, è conuerso: cuius palatus spiritualis ab omni corruptione fomitis purus, & sanus fuit, & spirituali dulcedine plenus, & nil præter Deũ gustauit, & sic sapientia fuit. Hanc sapientiam debemus vocare secundùm consilium Salomonis, sororẽ nostrã; sed quia sequitur, *vt custodiat te*, quasi sapientissima, & fidelissima *à muliere extranea*, ab omni immunda, & praua voluntate: *Et ab aliena, quæ verba sua dulcia facit* cùm sint amarissima. 1. *Cor.* 2. A

Ipsa est etiam *saccus* redemptionis, in quo Deus Pater abscondit prætium redemptionis humanę. Prouer. 7. *Sacculum*, id est, MARIA, *pecuniæ* liberationis humanæ *secũ tulit in die plenæ lunæ reuersus in domũ suam.* *Cap.* 7. B

Ipsa est etiã in gratia veritatis, clamans ad nos per Salomonem, dicens Prou. 8: *Audite me tanquã matrem, filij; Quoniam de magnis rebus locutura sum*, delectabilia, & vtilia, & amabilia, & consolabilia: sed quę loquebatur? Ecce hic. Prou. 8. *Dominus possedit me*, quasi dicat. Magna sunt quæ dico, & *qui fecit mihi magna* sunt. *Qui potens est*, possedit me, ordinauit me, concepit me, assumpsit me; de his quatuor gratias ago ego humilis. MARIA Deo meo. Primo gratias ago de hoc; quia Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus possedit me. Pater possedit me per potentiã, me ab omni peccato potentialiter exipiendo, de hac ereptione. Gen. 48. *Do tibi vnã partem extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrei, in gladio, & arcu meo*, &c. Filius possedit me per sapientiã, me in cooperatione, assumendo sibi ad generis humani redemptionẽ, ad Diaboli confusionẽ. Gen. 2. *Non est bonum*, &c. *Adiutoriũ*, id est, MARIAM *simile sibi.* Spiritus Sanctus possedit me prægnantẽ tanquã templũ gloriæ dignanter inhabitando, & omni gratia totaliter implendo. Luc. 1. *Aue gratia plena*, & *Spiritus Sãctus superueniet in te.* Secũdo dico gratias ago, de hoc quod ordinauit me, vbi ab æterno sum* siue ab æterno ordinata sum. Nullus enim Angelorũ Seraphim, vel Cherubim, sed ipse æternus *ordinauit me ab æterno*, scilicet, Papa* Sũmus, & æternus ordinauit in Exorcistã, quantum ad Dæmonũ expulsionẽ. *Vnde ipsa conteret caput tuum.* In Ostiariam quantum ad immundorum spirituum exclusionẽ, & mundorum introductionẽ. Ezech. 44. *Porta hæc clausa erit Principi, & Princeps egredietur per eam*, quasi diceret: Porta hæc Principẽ, & immitatores suos introducit, & indignis clausa est. In Acolytũ, quantũ ad illuminationem: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens.* Et illud Num. 24. *Orietur stella ex Iacob.* In Lectorem, quantùm ad omniũ Prophetarũ expositionẽ ad litterã in se ipsa. *Cap.* 8. C *Cap.* 1. D *Pater *Gen.* 3. *Ezc* 44. *Cant.* 6. *Nu* 24.

Vnde

Esai.7. Vnde Isai. *Ecce Virgo concipiet*, & Angelus ad ipsam: *Ecce concipies*, &c. In subdiaconũ quantum ad doctrinæ Apostolicæ ostensionẽ per exempla. In diaconum quantum ad verbum Domini obseruationem, quod alijs scribendum narrauit. Vnde MARIA *conseruabat omnia verba hæc*. In sacerdotem, quantũ ad corpus Domini de se ipsa informationem. Communicauit enim nobis corpus filij sui in cibum, & sanguinem in potum. In Episcopum, & Papam, quantum ad solicitudinem omnium Ecclesiarum. Papa enim est pater patruum: ipsa autem mater matrum. Omniũ Christianorum quantum ad pulchritudinem potestatis in vita ista, sed non in cœlo, neque in purgatorio, nec in inferno Papa potestatẽ non habet. Beatissima autem Virgo MARIA habet potestatem in cœlo, in purgatorio, & in inferno, vel quantum priuilegiatorum actuum vniuersitatem; quos require alibi, & ad apta Virgini MARIÆ. Sic ergo & totaliter ordinata est Domina mundi, Regina cœli, Mater Dei, vel *ordinata sum*; vt dicit Bernard. Angelo in lætitiam, iusto in gratiam, peccatori in veniam, Christi in lætitiam, captiuo in redemptionem, Diabolo in conculcationem.

Luc. 1.

Luc. 2.

A

Tertiò, gratias ago de hoc, quòd concepit me per prædestinationem contra mortis, & peccati destructionem: hoc notatur ibi: *Nec dum erant abyssi*, id est, Dæmones nondum facti, quos Dominus Angelos fecerat; sed ipsi per superbiam facti sunt, abyssi miseriarum, & peccati; *& ego iam concepta erã*, scilicet, in præscientiam, & prædestinationẽ Dei, vt exhiberem lucem contra tenebras, gratiam contra culpam, vitam contra mortem; & essem ruinæ filiorum Adam fortissima, & fidelissima sustentatrix. Iudith. 13. *Subuenisti ruinæ populi.*

B

C

Iud.13.

Quartò, gratias ago de hoc quòd assumpsit me, sed ô Beata, ad quid assumpsit te? Respondes: Assumpsit me ad componendum. Hoc notatur ibi: *Cum eo eram cuncta componens*, in meo vtero per incarnationem *cõponens* eram primum cum vltimo, paruum cum magno, diuinitatem cum humanitate.

D

Pro.vl. Prou. vlt. *Procul, & de vltimis finibus* Etiã eram *componens* in mundo per filij mei passionem totius generis humani redemptionem. Ioan. *Stabat iuxta Crucem MARIA Mater eius.* Et eram *componens*, & sum existens in cœlo peccatorum in reconciliatione.

Ioa.19.

1.Re.25 Nota de compositione, quam fecit Abigail inter Dauid, & Nabal stultum, & *eram componens* cum filio meo, cœlestia ad habitandũ, terrestria ad peregrinandum, infernalia ad cremandum.

Commendatur etiam Beatissima Virgo MARIA à maxima fidelitate, & charitate, se matrem nostram nominans, & nos filios eius appellans, Prouerb. 8. *Nunc ergo filij audite me: Nunc* id est, quandiu possum, & volo instruere vos, & adiuuare, quod post iudicium, nec volo, nec possum; votantem, consulantem pro vobis intercedentem, & vos docentem; sed quare hoc, scilicet: *Beati estis* in anima, & corpore, qui *custodiuit* meas viasas, vias humilitatis contra luxuriam. Consulo etiam peccatoribus, vt me quærant, & inueniant; sed quare hoc? quia qui me *inuenit* humiliter, deuotè, & feruenter *inuenit vitam* gratiæ, gloriæ, & per ipsam vitam increatam, & *haurietis* abundanter *salutem* animæ, & corporis à *Domino*, qui est fons salutis. *Capi. 8.*

Commendat Salomon sapientissimus Reginam Angelorum à fortitudine, Prou. vlt. *Mulierem fortem quis inueniet?* Mulier fortis quam quæris Salomõ, est sola Virgo, quæ donum fortitudinis habuit in summo, quod probatur hoc modo: Quidquid est fortius fortiore, est fortius infirmiore. Beatissima Virgo fortior fuit tribus, quorum quodlibet est fortius omni viatore: ipsa ergo habuit fortitudinem super omnem viatorem terræ: fortiores enim viatores sunt: Deus, mors, Diabolus. Humilitas enim Beatæ Virginis Deum quodammodo superauit, quando eum de cœlis ad terras humilitate deducens, charitate vinculatum, pariter, & vulneratum in sua virginitate carcerauit: vnde, & de eius laude statim subiungitur, *procul, & de vltimis finibus*, &c. Vltimi fines sunt diuinitas, humanitas maximè à se distantes: vnde fortissima fuit mulier, quæ hoc coniunxit: ergo fortitudo Beatæ Virginis rigorem fortitudinis, diuinæ seueritatis tẽperauit, de quo Iob, cuius fortitudo Rhinocerõtis, cuius fortitudo in gremio Virginis mansuescit secundus. Fortis etiam est mors, cui nemo mortalium resistere potest: hanc ipsa destruxit, & per eã redijt vita. Tertius, fortis est Diabolus, de quo Iob 14. *Non potestas*, &c. Illo etiam ipsa fuit fortior iuxta illud: *ipsa conteret caput tuum.* *Iob 39.* *Iob 14.* *Gen.3.*

Commendat etiam eã summa confidentia, quam Deus habuit in ipsa. Prou. vlt. *Confidit in ea cor viri sui.* Confidit in ea Rex, vt in domo, & castello inexpugnabilissimo. Omnes enim expugnabiles fuerunt, saltim quantum ad venialia. Hęc autẽ MARIA omnino inexpugnabilis in se, vt dictum est, & inexpugnabilia quantum ad alios cõfugientes ad se, qui apud eam tutissimi sunt: *& confidit in ea*, vt negotiator in vxore negotiatissima, & lucrosissima, quæ multum lucrauit sibi, sic post Dominũ nullus Angelorũ, aut hominum tot animas lucratur Domino, quod ipsa, *vel cõfidit in ea*, vt pater in filia prudentissima. Ipsa enim sola scit prę omnibus prudẽter allegare coram Imperatore cęlesti merita peccatorũ. Vnde Salomon rogatur, vt officiũ aduocatæ *Cap.vl.*

Cap. 31 & 26. inſe ſuſcipiat, dicens ad eam Prouer. 31. vel 26. *Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum, qui pertrãſeunt.* Gloſ. pro paupere, qui in iudicio pro ſe loqui non valet, & eos defende, qui patrię cœleſtis intuitu huius vitæ viam citò tranſeunt.

Commendat etiam eam Salomon ab operatione. Non enim fuit ocioſa, & pigritię dedita, ſed operibus ſpiritualibus, & corporalibus intenta. Prouerb. vlt. *Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarũ.* Cap. 31. Eſai. 58 Gloſ. ad litteram, ſecundùm illud, *cùm videris nudum*, &c. Operuit enim, & veſtiuit Filium Dei humanitate, peccatorem miſeratione, Eccleſiam totam, Spiritus Sancti illuminatione, Angelos lætitia, iuſtos gratia, cœlos gloriæ. Abbac. 3. *Operuit cœlos gloria eius*, &c. Et ſic exẽplo eius redarguũtur ocioſi nolẽtes, nec corporaliter operari, nec ſpiritualiter. Commẽdat etiam eam à ſumma vtilitate comparans eam naui applicanti ad portum, propter vtilitatẽ, quæ multis, & diuerſis, & prætioſis mercibus eſt referta. Prou. vlt. Facta eſt Virgo MARIA quaſi *nauis* mundiſſima, ampliſſima, fortiſſima, integerrima, & repletiſſima *inſtitoris*, id eſt, Chriſti IESV, qui dicitur inſtitor *de longè portans panem ſuum*, id eſt, nobis portans de ſinu Patris Chriſtum filium Dei, qui dicitur inſtitor; quia emit nos.

Abac. 3. Cap. vl.

Commendat etiam eam ab operum fortitudine, ibi: *Manum ſuã miſit ad fortia.* Gloſſa: dicitur fortia per ſancta opera, vt diligere inimicos, & benè facere odientibus, & perſequentibus nos: *Et ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia*; quia ipſe pleniſſimè fecit. Mat. 5.

Cõmẽdat etiã eam à largitate, ideſt. *Manũ ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperes.* Tanta largitas Virginis Matris eſt, quod ſe totam per largitatem aperuit: ſed quid? aperuit enim vterum virginitatis, & ſanctitatis Filio Dei; vterum miſerationis fugienti peccatori. Iſai. *Abſconde fugientes, & vagos ne prodas; eſto latibulum eorum à facie tua* oculos ad flẽdũ, aures ad audiẽdũ, os ad placandũ: vnde, & ſubdit: *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ*, &c. Gloſ. vt non ſtatim puniat, vt lex Moyſi, ſed parcat. Pſal. 16

Commendat etiam eam à ſumma poſt Dominum beatitudine, id eſt, *ſurrexerunt filij eius*, id eſt, prædicatores, qui ſunt de ordine Prædicatorum; quorum ſpiritualis ipſa Mater eſt Virgo, & *Beatiſſimam prædicauerũt* inquam eam Beatam in natura, beatiorem in gratia, beatiſſimam in gloria. Vel prædicauerunt, Beatam ſuper omnes coniugatos, Beatiorem ſuper omnes viduas, Beatiſſimam ſuper omnes Virgines. *Vel prædicauerunt* Beatam in conuerſione peccatorum, Beatiorem in ſaluatione iuſtorum, Beatiſſimam in coronatione electorum.

A Commendat etiam eam à diuitiarum immenſitate, ſcilicet, *multæ filiæ*, id eſt, omnes filiæ animæ Beatæ, vel Virgines ſanctæ *congregauerunt diuitias*, particulariter, difficulter, & exiliter: *Tu* quæ Dei Mater es, Imperatrix cœlorum, *Es ſupergreſſa vniuerſas* immenſitate, & in prætioſitate, & in multiplicitate gratiarum. Amen.

ECCLESIASTES.

Verba Eccleſiaſtes filij Dauid Regis Iſrael. Imperatrix cœlorũ Virgo MARIA cõmendatur hic à Salomone, à ſua natiuitatis vtilitate, & ab aſſumptionis ſuæ glorioſitate. Eccleſ. 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locũ ſuum reuertitur.* Sol iſte eſt Virgo MARIA, quæ omnia viuificat, & illuminat. Require in titulo de Sole. Hic Sol ortus eſt toti Eccleſiæ cũ ipſa nata fuit. Sed ſciendũ, quòd ipſa orta fuit, vt in ſua genealogia narratur à bonis, & malis. Quod à bonis orta fuit, textus poteſt eſſe ratio vna, vt antiquitas nobilitatis ipſam nobilitatẽ extolleret. Vnaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur, & quòd naturale, magis tale per virtutẽ perficitur, quia ad ipſam ex naturæ origine inclinatur. Virtutes enim partim innatæ ſunt nobis, perfectè autem per conſuetudinẽ. Secũda cauſa eſt, vt ſanctitas eam vndique circũdaret, retro per humilitatẽ, per nobilitatẽ, ante per vtilitatẽ, ſupra per dignitatem, infrà per poteſtatẽ; à dextris per virtutũ ſuauitatem, à ſiniſtris per peccati immunitatẽ, intra per charitatẽ. Tertia cauſa eſt, vt humilitas humilior appareat: quia vt dicit Bern. In alto poſitus, non alta ſapere, ſed humilibus conſentire nullũ donũ cariùs, nil apud homines rariùs inuenitur. Triplici enim ratione orta fuit à malis. Prima eſt, vt cõparatio, alterorũ extremorũ extolleret, iuxta illud oppoſitũ, iuxta ſe poſitũ magis eluceſcũt. Et illud: *Sicut lilium inter ſpinas*, ſicut ſpinarosã, genuit Iudęa MARIAM. Secunda cauſa eſt, vt ſapientia Dei, miſericordior appareret. Erat enim exitus de bono ad bonũ. Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerit, & erant.* &c. Et eſt exitus de malo ad malũ. Eccl. *Initiũ omnis peccati ſuperbia.* Et eſt exitus de bono ad malũ, *vt de muliere peccati initiũ.* Et eſt exitus de malo ad bonũ. Et hoc ſolius Dei eſt propriũ: *Cuius ſapientia vincit malitiã, attingens à fine vſque ad finem.* Tertia cauſa eſt, vt confidentiã peccatoribus generaret, & augmentaret per hoc quod mediatrix eorum eadem propinquitate, vtramque extremitatem attingeret, vt ſicut eſſet Mater, ſoror, & filia Dei: Sic eſſet, & mater, & ſoror, & filia rei: & ſic etiam à natura inclinaretur ad miſerendum peccatori. Hic eſt arcus poſitus in nubibus cœli. Gen. 7. *In ſignum fœderis inter cœlum, & terram.*

B Cap. 1.

Bernar.

C

Eccl. 10. Eccl. 25. Sap. 7.

Gen. 7.

D

Non

Non enim potuit Deus cũ peccatoribus efficaciter stabilire pacem, quàm quòd filiam peccatorum filio suo accepit in sponsam, & in matrem. Nec alias fidelius inter Deum, & hominẽ pacẽ facit, quàm quæ mater vtriusque existit; sed *& occidit*, quando iura naturæ per mortẽ soluit, & *ad locum suum reuertitur*, id est, ad cœlum Empyreum sibi à Deo æternaliter præparatum. In cœlo autem Empyreo, tanquam in proprio locata est, & hoc multiplici ratione. Require in titulo de loco: & quia dicit Philosophus, quòd res nobilis debet esse in nobili loco.

Commendatur etiã Beatissima Domina ab omni gratiarũ redundantia, & immensitate. *Cap.* 1. Eccl. 1. *Omnia flumina* gratiarũ *intrant mare*, id est, MARIAM, *& mare non redundat*, per superbiam. MARIA enim interprætatur Domina, vel illuminatrix, vel illuminata, vel stella maris, vel amarũ mare; quæ interpretationes optimè ipsi conueniũt. Ipsorum enim omnium, quorum ipse Dominus est, ipsa est Domina. Et in hoc notatur singularis excellentia.

Ipsa est etiam *stella* veri solis sine corruptione, vel diminutione generata, & hoc exponitur suæ conceptionis proprietas. * Ipsa est etiam omnium bonitatum vniuersaliter distributrix, & ideò dicitur *stella*. Dicitur etiam mare; quia omnibus gratijs semper plenissima est; quia sicut in mari est omnium aquarum congregatio, ita in ipsa congregatio omnium gratiarum. Vnde Gen. 1. *Congregationes aquarum appellauit maria.* Ipsa etiam fuit verbi sui ipsius conuersatione in hoc mundo per totum amara, sicut in filij sui passione amarissima. Insuper omnibus de amaritudine exeuntibus causa, & exemplum. Quare autem ipsa comparatur mari multis alijs rationibus. Require in titulo de mari.

** Puritas.*

Gen. 1.

CANTICA CANTICORVM.

Osculetur me osculo oris sui. Commendatur hic Domina Angelorum à Salomone; à reconciliatione Dei, & peccatorum. Vnde merito templum pacis dicitur, in quo osculata est diuinitas humanitatem, & in quo templo *misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.* Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Glos. In incarnatione filij, quæ est prælibatio communicationis nostræ, & Dei. Bern. Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro, quæ assumitur, osculũ verò quod pariter ab osculante & osculato conficitur: persona ipsa ex vtroque cõpacta mediator Dei, & hominum: homo Christus IESVS. Minime igitur mihi suspectus erit; frater enim, & caro mea est: puto enim spernere iam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea.

Psal. 88.

Cap. 1.

Commendat etiam eam à pulchritudine, quã non solùm habuit exteriùs, sed maximè interiùs. Cant. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Glos. Simplicitate cordis, & munditia oris: *Ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Glos. Quia simpliciter Dominum intueris, & nil aliud, nisi Christum queris. De pulchritudine Virginis MARIÆ sciendum, quòd sicut Dominus noster IESVS: *Fuit speciosissimus forma præ filijs hominũ*, ita Beatissima Virgo pulcherrima fuit inter filias, & filios hominum. Habuit enim summum in pulchritudine, quæ potuit esse in corpore mortali. Quare autẽ Euangelium, nil scribit de pulchritudine eius, vna causa potest esse: Quòd cum Domina nostra nobis posita sit in exemplum, & in speculum saluos fiendi, non vult MARIA à talibus laudare, quorum inordinatus appetitus, vel vsus fuit multis; & est hodie causa pereundi: alia causa est, sicut Angeli supremi à donis nobilioribus laudantur, & denominantur, & non ab inferioribus; quæ tamen in ipsis esse non dubitantur. Ita & Beatissima Virgo donis spiritualibus plenissima, & donis gratuitis, & nobilissimis, ita occupat, & implet animas laudantium, quòd obliuiscũtur bonorum corporalium. Pro regula enim infallibili habere debemus omnes, qui diligimus eam, quod quidquid vnquam in aliquo sanctorum bonitatis, vel pulchritudinis fuit, in ipsa non dubitemus minimè defuisse, * & per ipsam in eos.

Psal. 44.

Ipsa etiam est *lilium* totius castitatis, & odoris. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas.* Glos. Quod pungitur spinis, candorem tamen retinens, & tunc maiorem odorem infundens. Nunquid non fuit lilium nostrum inter spinas ei detrahentium, & filio eius? Nonne *hic est filius MARIÆ*, & maximè quando stetit inter crucifixores iuxta crucem apud filium.

Cap. 2.

Mar. 6. *Ioan.* 19

Ipsa est etiã celeraria totius Trinitatis, quę de vino Sancti Spiritus dat, & propinat cui vult, & quantum vult, & quando vult: vnde, & congratulando, & gratias agendo dicit. Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellã vinariã.* Glos. id est, in Ecclesiam, in cuius vnitate Spiritus Sanctus solus datur, & accipitur; vel *cella vinaria* est cœlum Empyreum, vbi omnes *inebriantur ab vbertate domus Dei.* in quam introducta fuit à Rege in die assumptionis. *Ordinauit in me charitatem*, quam mihi super omnem puram creaturam abundantissimè, & excellentissimè donauit; quod sic probatur. Luc. 7. Quærenti Domino de duobus debitoribus: *Quorum vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, & non habentibus illis vnde redderent, donauit vtriusque: quis enim plus diligit? Respondit: æstimo, quia is cui plus donauit.* Sed Beatissimæ Virgini super omnes creatu-

Cap. 2.

Psal. 35.

Lucæ 7.

ras plus donatũ est: ergo super omnes creatu A ras plus diligere tenebatur, sed quantum dili gere tenebatur; tãtum ergo ipsa plus dilexit, quantum aliquam creaturam dilexerit. Item Deus *dat omnibus abundanter, & illuminat* Iacob 1. *omnẽ hominem venientẽ in hunc mundu.* Non Ioan. 1. tamen omnes recipiunt æqualiter, cuius diuersitatis duplex est causa: vna ex parte recipientis; quia recipiens capacius est alterum altero, iuxta illud: *Diuisit illis bona sua* Mat. 25 *vnicuique secundùm propriam virtutem.* Gloss. id est, capacitatem. Hanc autem capacitatem operatur humilitas, iuxta illud: Iacob 4. *Humilibus dat gratiam*: vbi ergo maior humilitas, maior capacitas: sed ipsa super omnes humillima fuit: ergo maximè capax: ergo B maximam gratiam recipere potuit. Sed quantum recipere potuit, tantum recepit: ergo gratiam in summo creatore recepit. Item ex parte dantis est diuersitas doni, quia cùm dans det secundùm rationẽ, & ratio respiciãt finem, maius donum dat, quod dat ad maiorem finem: vt Imperator magis daret, cui daret donũ ad essendum Senatorẽ, quàm qui daret ad essendum simplicem siruiẽtem; sed ipsi dabatur ad essendum Matrẽ Dei; omnibus autem alijs datur gratia ad essendum seruum Dei: sicut ergo improportionabiliter maius est esse Matrem Dei, quàm seruũ Dei. Ita improportionabiliter maius erit donum, quod datur ad essendum matrem, quàm ad C essendum seruum Dei; sed donum, in quo omnia dona dantur, est charitas: ergo charitas Beatissimæ Virginis maior erit charitate omnis creaturæ. Licet eius charitas maior * Suple hæc. fuerit in substantia, creaturę Angeli licet * minor fuerit quam ad actum, & hoc propter conditionem, & statum subiecti, in quo erat. Habuit etiam Beata Virgo summã charitatem ad proximum, quæ animam filij, & ipsum filium pro proximo posuit, quem plus quàm propriam animam dilexit: insuper & animam propriam plena voluntate in passione filij crucifixit cum filio; & sic duas animas obtinuit, & sic est quod dicitur: Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius.* D

Ipsa etiam est *speculum* totius pulchritudinis post Dominũ Cãt. 2. *Ostende mihi faciẽ* Cap. 2. *tuam.* Faciem humiliatis, quam ostendisti in incarnatione: dicens. *Ecce ancilla Domini,* Luc. 1. faciẽ palloris, quam ostendisti apud me, stãs in mea passione faciẽ summi decoris, & Reginæ pulchritudinẽ, quam in tua coronatione, & hoc in die assumptionis tuæ: *Sonet vox* Cap. 2. *tua in auribus meis*: Vox pietatis, quãdo dixisti, *vinum non habent*: vox fidelitatis, quãdo consuluisti: *Quidcumq; dixerit vobis facite*: Ioan. 2. Vox doloris, quando dixisti: *Filij quid* Luc. 2. *fecisti nobis. Vt sonet vox tua.* Vox terroris ad Diabolũ fugandum: vox miserationis ad peccatorem propiciãdum. Vox inuitationis ad famellicum peccatorẽ inuitandũ. Prou. 7. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum* Prou. 7 *meum.* In Eccl. 24. *Transite ad me omnes, qui* Eccl. 24 *concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Hæ voces sonant dulciter, & amanter in auribus meis. *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

Ipsa etiam est *lectulus* Salomonis. Can. 3. in quo requieuit nouem mensibus Filius Dei, in Cap. 3. hoc loco quieuit, & dormiuit Filius Dei moliter, & suauiter. Vnde & ipsa dixit. *Qui* Eccl. 24 *creauit me, requieuit in tabernaculo meo.*

Ipsa est etiam *turris* munitissimæ in se, & in alijs. Cãnt. 4. *Sicut turris Dauid collum* Cap. 4, *tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis,* B *mille clypei pendent ex ea*: ibi quilibet inueniet defensionem contra malum suum: ibi pendet *clypeus* castitatis contra luxuriam, humilitatis contra superbiam, charitatis contra inuidiam, largitatis contra auaritiam. *Omnis armatura fortium,* in ipsa etiam armauit se ipse Filius Dei.

Ipsa est etiam, quàm tota Trinitas ad thronum gloriæ solemniter, & multipliciter eam nomine vocãs, eã ad se venire inuitauit. Cãt. 4. *Tota pulchra es amica mea.* Immunis etiã Cap. 4. à veniali peccato, *& omni macula nõ est in te. Veni de libano Sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis, &c.* Glo. Ter dicit veni propter fidem Trinitatis; & nota, quod res multũ C dilecta multiplicato nomine solet à diligẽti nominari, vel appellari: sic Beatissima Virgo à Deo vocatur amica, colũba, dilecta, formosa, speciosa, sponsa, soror, immaculata, perfecta, electa, sũnamitis, filia principis. Nota diuersitatẽ nominũ, & apta Virgini gloriosæ.

Ipsa est etiã quam cõparat *auroræ* in sua natiuitate Lunæ plenæ in Filij Dei inefabili cõceptione: soli in sua assumptione: terribili castrorum aciei, in omni Dęmonũ potenti, & regali effugatione. Cant. 6. *Quæ est ista quæ* Cant. 6. *progreditur sicut aurora cõsurgẽs.* Ecce Virginis natiuitas. *Pulchra vt Luna,* in Filij cõceptione Eccl. *Sicut Luna plena in diebus suis* Eccl. 50 *lucet.* Require in titulo de Luna, *electa vt Sol* in sua gloriosa assumptione. Require in titulo de Sole. *Terribilis vt castrorum acies ordinata,* quantum ad omnium Dæmonum effugationẽ. Vnde Bern. Nõ timent hostes visibles quãlibet castrorum multitudinẽ, quantũ Dęmonum potestates. MARIÆ voluntariæ patrocinium, & exemplum fluunt, & defluunt. Sicut fluit cera à facie ignis. Vbi cumque inuenerit huius deuotam inuocationem, crebram recordationẽ, sollicitam imitationem.

Ipsa est etiã ad quã omnis peregrinatio clamat Cã. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis,* Cap. 6. *reuertere, reuertere vt intueamur te.* Hoc sic Pet. Damianus, Se 2. de M. Vir. exponit. Ber. in assũptione: reuertere primo per naturam, nunquid, quia deificata es: ideò nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam

Do-

Domina tu scis in quo discrimine nos relinqueris, vbi iacēt miseri tui, quantum delinquam serui tui. Non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci; quia etiam si subtrahat te à nobis gloria reuocat natura. Neque ita impassibilis es, vt sis incompassibilis. Naturam nostrā habes, non aliam, & iustum est, vt de rore tantæ pietatis diffusim infundamur. Reuertere secundū pò tentiam. *Fecit enim tibi magna qui potens est,* *Ma.28.* *& data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Quid tibi negabitur, cui negatum non est Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare, & infœlicem miseriam,* in spem ** Animulam.* beatitudinis eleuare. Quomodo enim illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua, carnis accepit originem: accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperās, vt Domina; non vt ancilla. Moueat te natura, moueat te potentia; quia quantò potentior, tantò misericordior esse debes. Reuertere tertiò per amorem: scio Domina; quia benignissima es, & amas nos amore inuencibili, quos in te, & per te filius tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras irā iudicis cùm iustitiæ virtus à præsentia diuinitatis egreditur. Reuertere quartò per largitatem, in manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es cui tanta gratia cōceditur. Absit vt cessent misericordiæ tuæ, & occasionem queras saluandi miseros, & effundendi misericordiā. Neque enim gloria tua minuitur, sed augetur; cùm pœnitentes ad veniam, iustificati ad gloriam assumūtur. *Reuertere* ergo *sumnamitis*: id est, despecta, cuius animam pertransiuit gladius, quę vxor fabri appellata fuisti. Adquid reuertar? *Vt intueamur te.* Summa gloria est præter Dominum, te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari. Subueni igitur Domina clamantes ad te iugiter fratres. Hic est triplex funiculus, qui trahit matrem misericordiæ ad nos, visitandos, & consolādos, scilicet, funiculus naturæ, funiculus amoris, funiculus largitatis.

Cap. 7. Commendatur etiam Regina nostra à summa post Dominum, nobilitate, Cant. 7. *Quā pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis.* Nobilitas filiæ principis Virginis MARIÆ consideratur in tribus: in causa; quia à nobili origine principe duxit, ab Abraham, qui fuit Domini Princeps, à quo ipsa quadraginta, & vna generatione descendit. Item consideratur in substantia, si nobilem substantiam, & proprietatem in se possideat. Habuit enim in substātia, & naturę perfectionem, & in anima gratiæ plenitudinem. Item consideratur in efficientia, si nobiles de se producat effectus, & ipsa ipsum Deū, Dei Filium de se generauit; & sic Beatissima Virgo in omnibus, in quibus nobilitas consideratur in summo, nobilis inuenitur. Ipsa enim originem duxit à Regibus, à Sacerdotibus, & Prophetis, & ipsa fuit, & est Regina misericordiæ, & Prophetissa sapientiæ, iuxta illud Isaiæ: *Accessi ad Prophetissam*, Glos. Virginē *Isai.6.* MARIAM, fuit & Sacerdos iustitiæ. *Quæ proprio Filio suo non pepercit, sed stabat iuxta Crucem*, vt dicit, Ioan. Non vt * dolorem *Rom.8.* filij consideraret, sed vt salutem humani ge- ** Solum* neris expectaret, & licet esset eleuata per sum- *Ioan.19* mam nobilitatem; insursum tamen per humilitatem se ipsam depræsit super omnes deorsum. Vnde August. dicit, quòd nunquā fuisset super omnes choros Angelorum exaltata, nisi fuisset infra omnes homines humiliata: & sicut vera nobilitas carnis ornatur nobilitate mentis, scilicet bonorum morum, & operum vtraque prestat alteri incremētum laudis, sicut laudatur Beatus Gregorius. Fulgebat in venerando duplex decus, Gregorio Senatoria dignitas, & voluntaria paupertas: si autem separantur, tunc nobilitas carnis, nō tamen laudatur, sed vituperatur; quia qualitas mali operis contrariè agit nobilitati originis; & tantò vicioſior est, & detestabilior deformitas operationis, quantò magis est cōtra naturalem indignationē originis, & nobilitatis; & sic magis est culpabilis nobilis vicioſus, quàm ignobilis. Nobilitas autem mētis sine nobilitate carnis tantò amplius laudatur, quantò etiam ipsa vicens naturam laudabiliter operatur. Vnde Poeta.

Iorgè Bern. sup illud signū Magno, Lit. C.

Malo pater tibi sit Tersites dummodo tusis.
Eacide similis vulconiaque arma capesces,
Quam te Tersite similem producat Achilles.

Commendat etiam eam à delitiarum copiositate, Cant. 7. *Quàm pulchra es, & decora charissima*, in delitijs gratię, & glorię. Catellis itaque Virgo Regina famellicis, quorum vnus ego pauper sum de prædiuite mensa tua aliquid porrigas, Matth. 15. *Nam & catulli edunt de micis, quæ cadunt de mensa* tātæ Reginæ. Has delicias admirans Salomon, ait: Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens innoxa supra dilectum suum*, de ista gloriosa ascensione, vel assumptione Virginis Matris, sic loquitur Bern. in sermone de Assumptione, quæ sic incipit. Tempus est loquendi: omni carni cùm assumitur incarnati Verbi mater in cœlum, nec cessare debet humana mortalitas, cùm hominis sola natura super mortales spiritus exaltatur in Virgine, sed de eius gloria, nec silere deuotio patitur, nec dignum aliud stylum cogitatio cōcipere, aut inerudita potest locutio percurrere. Hinc est quòd & ipsi cęlestis curiæ principes in cōsideratione tātę nouitatis clamāt, nō sine admiratione: *Quæ est ista, quæ ascēdit de deserto*, tantarum affluentia delitiarū. Nec tā

Cap.7. *Ma.15.* *Cant.8.*

pares inueniuntur delitiæ, vt in ribuli, quæ à vultu gloriæ voluptatis torrente potantur. *Quæ est ista* sub Sole, vbi nihil est; nisi labor, & dolor, *quæ ascendit delitijs affluẽs* specialibus. Quid in delicias dixerim? virginitatis decus cum munere fecunditatis, humilitatis insigne. Distillantem charitatis fauum, viscera misericordiæ, plenitudinem gratiæ, prærogatiuam glorię singularis? Quid mirãtur Angeli de terra deserta Sãcta, MARIAM ascendere delicijs affluentem? Mirentur potiùs pauperem Christum de cœlestis Regni plenitudine descendentem. Longè enim ampliore miraculo videtur Dei Filium paulò minus ab Angelis minorari, quàm Dei Matrẽ super omnes Angelos exaltari. Illius siquidẽ exinanitio facta est nostra repletio, illius in mundo miseriæ, nostræ delitiæ sunt. *Quæ est ista?* Fateor impericiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed non est quod me magis terreat, quã de gloria Virginis matris habere sermonem. *Quæ est ista?* Tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, (vt dignũ est) vniuersi, vt licet, de ea loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod potuit dici, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quod minus sapiat quid quid de incoprehensibili gratia cõprehẽdere potuit mens humana. *Quæ est ergo ista?* Hæc est, quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem; gaudium matris habens, cũ virginitatis honore. *Optimam*, inquit, *partẽ elegit MARIA.* Optimam planè, quia Beata fecunditas Virginis, & fecunda virginitas. *Luc. 10* MARIÆ priuilegium est, alteri nõ dabitur. *Quia non auferetur ab ea.* Cæteras quoque virtutes singulares prorsus inuenies in MARIA, quæ videntur alijs communes. *Quæ est ista?* Hæc est purissima super omnes mulieres, & Angelos. Quæ enim vel Angeli puritas virginitati illi audeat comparari. Vnde Bernar. Si rerum pretia de caritate pẽsamus. Quæ prima in terris Angelicã proponit ducere vitam super omnes. *Quæ est ista?* Hæc est humillima, quæ super omnes pretiosa est, in ipsa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum tanta innocentia, & conscientia prorsus absque delicto, immò cum tanta gratiæ plenitudine, &c. *Quæ est ista?* Hęc est misericordiosissima super omnes: sileat misericordia, Bern. Tuam Virgo MARIA; si quis est, qui inuocatã te necessitatibus meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus cõgaudemus tibi, sed in hac nõbis potiùs, nobis ipsis laudamus. Virginitatem, humilitatẽ, misericordiã, miramur: sed misericordia miseris sapit dulciùs: hanc amplectimur, carnis recordamur, sæpiùs, inuocamus crebriùs. *Quæ est ista?* Hęc est totius mũdi reparatrix. Hæc est enim, quæ totius mũdi obtinuit reparationem, salutem omnium impertiuit. Constat enim eam pro vniuerso genere humano fuisse solicitam. Vnde dictum est: *Ne timeas MARIA, inuenisti enim gratiam apud Deum* Gratiam, itaque, quam quęrebas. *Quæ est ista?* Hæc est illa sublimis, cuius longitudinem bonitatis, latitudinem misericordiæ, altitudinem charitatis, nemo mensurare potest. Quis ergo misericordiæ tuæ, ò benedicta, lõgitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profunditatem quæat inuestigare. Nam longitudo eius, vsque in diem nouissimum inuocantibus eam; subueniet vniuersis; latitudo replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra; sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inueniet restaurationem; & profunditas eius sedentibus intenebris, in vmbra mortis obtinuit redemptionẽ. *Quæ est ista?* Hæc est inferni euacuatrix, cęli repletrix, cęlestis Hyerusalem restauratrix, vitæ perditæ donatrix. Per te enim cęlum repletũ est, infernus euacuatus, instauratio ruinæ cœlestis Hierusalem expectantibus, miseris vita perdita data, sicut potentissima, & purissima charias, & effectum compatiendi, & subueniendi abundat effectu, æquè locuplex in vtroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet, anima nostra adhuc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Ecce iam, quibus potius votis ascendentem ad filiũ deduximus, & prosecuti sumus saltem à longè te Virgo Benedicta. *Quæ est ista?* Hæc est, quæ in cœlum ideo ascendit, vt toti mundo gratiam, quàm inuenit, notificet, reis veniam impetret, medelam ęgris cõferat: sed deinceps, pietatis tuæ, ipsam quam apud Dominum inuenisti gratiam, notam fac mundo reis veniã, medelam egris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem, sanctis tuis præcibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis, & letitiæ dulcissimum MARIÆ nomen tuum, laude inuocantibus seruulis per te Regina clemens gratiæ suæ munera largiatur IESVS Christus Filius tuus Deus noster, qui est super omnia Benedictus Deus in sæcula. Amen.

Luc. 1.

Ipsa est etiam, quam super omnem creaturam Deus allocutus est. Cant. 8. *Soror nostra*, scilicet, MARIA, *paruula est* per humilitatem, sed maxima per dignitatem: *vbera non habet*, scilicet, concupiscentiæ, & luxuriæ, sed gratiæ, & misericordię: ergo. *Quid faciemus sorori nostræ* fidelissimæ, verecundissimæ, *in die*, scilicet annũtiationis, *quãdo alloquenda est*, ab Angelo exteriùs per annunciationem, & à tota Trinitate interiùs, ad Filij Dei receptionem; ad hominum recõciliationem, ad inferni clausionem, ad cęli reserationem, & ad diaboli æternam conculcationem.

Cap. 8.

Ip-

Ipsa est etiam *murus* defensionis, & conseruationis, sicut dicit ipsamet, Cant. 8. *Ego sum murus* firmissimus, altissimus, longissimus, & latissimus : *Et vbera mea sicut turris* saluans, & exaltans; *ex quo facta sum coram eo, quasi pacem recipiens*; quam pacem nullus poterit reperire, quasi dicat: ego sum *columba Noe*, ramum pacis Ecclesiæ deferens. Gen. 8.

Cant. 8.

Gen. 8.

LIBER SAPIENTIÆ.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Beatissima Domina dicitur *Mater* instructionis, stultorum peccatorũ: peccator enim stultissimus est, & ideò indignus matris Christi doctrina, quæ instruat eum. Sapien. 7. *Ignorabam*, scilicet, ego peccator, *quontã omnium*, scilicet fidelium Christi *Mater est; sapientia*, id est, MARIA. Ipsa est etiam speculum bonitatis Dei, *& speculum* immutationis. Cap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula*, etiam venialis peccati, *& imago bonitatis Dei.*

Cap. 7.

Cap. 7.

Ipsa est etiam vnitrix Dei, & hominum, quæ *attingit à fine vsque ad finem* misericordiarum Dei, vsque ad finem miseriarum peccatoris. Cant. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.*

Cap. 8.

Cap. 8.

Ipsa est etiam *Mater* communicationis omnium bonorum. Sap. 8. Et Mater consolationis: tædium auferens per piam allocutionem, & consolationẽ Sap. 8. *Proposui hanc*, id est, MARIA *Mihi adducere ad conuiuandũ* per deuotiotionem, ipsam ad me venire inuitans, *sciens quoniam mecum cõmunicabit* largiter, fideliter, & vtiliter de bonis gratiæ, & gloriæ, *& erit allocutio tædij mei.* Gloss. id est, alleuiatio.

LIBER ECCLESIASTICI.

Omnis sapientia à Domino Deo est. Theotocos. Dei Virgo MARIA dicitur fidelissima susceptrix, in domum gratiæ, & gloriæ seruorum suorum. Eccl. 4. *Sapientia*, id est, MARIA *Filijs suis* vitam gratiæ, & gloriæ *inspirat*, id est, Deus per ipsam, *& suscipit* gloriosè *exquirentes se* humiliter, & deuotè, & *præibit in via iustitiæ*, scilicet, per gratiam in præsenti, & posteà etiam in morte; *præibit* ad viam gloriæ, & *quo introibit.* Gloss. Benedicet illum Deus, scilicet, illum ditans, & conseruans. Gen. 30. *Dixit Iacob ad Laban: Benedixit tibi Deus ad introitum meum.* Multò ergo fortiùs benedixit ad introitum MARIÆ, & eius glorioſum aduentũ, quod experta fuit Elisabeth, & Ioannes adhuc in vtero gaudens, & ipsa clamans ad Virgine: *Vnde mihi hoc, vt Mater Domini veniat ad me. Ecce enim etiam, exultauit in gaudio infans in vtero meo.*

Cap. 4.

Gen. 30.

Ipsa est etiam *Mater honorificata*, quæ cibat Filium esurientem, potat sitientem, exaltat vilificantem, implet vacuos, thesaurizat gratiam, & gloriam super egentem, *& nomine æterno* glorificat se diligentem. Hæc sex Matris glorioſæ beneficia tanguntur. Eccl. 16. *Obuiauit illi quasi Mater honorificata, & cibauit illum, & potabit illum, & exaltabit illum, & iucunditatem. & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.*

Cap. 16.

Ipsa est etiam lumen Ecclesiæ, lumen indeficiens. Eccl. 24. *Ego feci in cœlis, vt oriretur lumen indeficiens*, id est, MARIA, *& sicut nebula texi omnem carnem.*

Cap. 24.

Ipsa est etiam sola *lectus*, & *thalamus* requiei filij, in qua numquam inquietatus fuit per peccatum, etiam teneriſsimum veniale. Vnde, & ipse filius gloriando dicit, & ipsam laudando. Eccl. 24. *In omnibus requiem quæsiui, & nõ inueni: Hic est Leuita*, quem nullus hoſpitare volebat. Iudic. Nisi homo, id est, MARIA, *de Monte Effraim, quæ gloriosè* eum suscipiens dixit: *Pax tibi*, scilicet, *sit*, in anima, & in corpore ab omnibus vitijs, & peccatis: *ego præbebo omnia* media, materialia, & passibilia ad redimendum genus humanum; oculos ad flendum, quod deitas non potest: manus, & pedes ad crucifigendum, dorsum ad flagelandum, colum ad colaphizandum, os ad clamandum, caput ad coronandum. Vnde, & hoc acceptans filius ait: *In hæreditate Domini morabor*, id est, in MARIA: quæ anthonomacice, portio, & hæreditas Domini. Gen. *Do tibi vnam partem*, id est, MARIAM.

Iud. 19.

Gen. 48.

Hæc est illa mulier susceptrix, quæ in Euangelio laudatur, Luc. 10 *Intrauit IESVS in quoddam castellum*, id est, in hunc mundum, *& mulier* singularis præ omnibus MARIA *nomine*. Nota interpretationem nominis, & adapta: *Excepit illum* peregrinum propter nos factum *in domum suam* largissimè, humillimè, libentissimè, & mundissimè. Vnde, & tota Ecclesia de hac hoſpitatione laudando ipsam dicit: *Quæ Domino cœli præbuit hoſpitium*, scilicet, sanctissimo corpori. Vnde, & in ipse ei, in sua assumptione præbuit glorioſè hoſpicium cœli, dicens ei: *Hoſpes fui, & recepisti me: esuriui, & cibasti me: nudus*, & pannis operuisti me. Luc. 2. *& pannis eum inuoluit*, & ideò do tibi tanquam matri fidelissimæ potestatem in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

Luc. 10.

In prosa quæ incipit iubilemus.

Mat. 25

Lucæ 2.

Ps. 134.

Ipsa est etiam *templum*, *& locus*, *& tabernaculum* dormitationis, & quietis filij Dei. Eccl. 24. *Creator omnium*, *qui creauit me, requiuit in tabernaculo meo.* Id est, in corpore meo nouem mensibus requiescens; sed ò beata, quare creauit te, & quæ causa aduentus tui. Per natiuitatem tuam in hunc mundum, fœtidissimum, ignobilissimum, & hor-

Eccl. 24.

horribilissimũ. Respondeo: *Creauit me* creasimam Deus Pater placaretur; comminando enim iurabat Deus Pater per Hieremiam, dicens: *Non parcam, non concedam, non miserebor*, Et iterum: *sed stetit in conspectu meo Samuel, &c.* sed quid sapiens MARIA dicebat. Ex eo enim quod ineuitabile est vt nõ percuties. *Fiat ergo manus tua super virũ dexteræ tuæ, & super filium tuum.* Qui & ictum tuũ sufferri possit ex diuinitate, & tamen de illo super modum doleat de humanitate: & patet illud Esai. *Si posuerit pro peccato*, &c. Et filius illius, Ion. 1. *Si propter me ista tempestas*, &c. Placabo ergo Patrem clamore, cruore morte, & tunc Pater placatus ait: *Nolo mortem peccatoris*, quia iam video mortem Filij; sed vt cõuertatur, & viuat. Creata etiã sum, vt per me ignobilis peccator nobilitaretur. Nihilum enim ignobile est, vt peccator, & peccatum, Psalm. *Facti sunt, vt stercora terræ*, per peccatum, qui prius fuerunt Filij Dei per gratiam. Nota ergo ipsa nobilitati sumus *natura*, quia fratres Christi, nomine; quia à Christo dicimur Christiani: *Regno*, quia fecit nos Reges per ipsam, quia soror nostra est, Gen. dicit: *Obsecro in omni loco, quod soror mea sis.* Creata etiam sum, vt debilitas humani generis per me fidelissimam iuuaretur, Eccles. *Vidi lachrymas innocentum, & neminem consolatorem.* Vnde & ipsa consolando nos dicit illud Oseæ: *Perditio tua Israel tãtùm* in *me auxilium tuum.* Creata enim sum, vt per me lucidissimam, totius mundi tenebrositas fugaretur.

Ipsa est etiam *lux*, de qua Gen. 1. *Fiat lux*, ideſt, MARIA, nascatur. Illuminat enim Beata Virgo omnes, sed dissimiliter coniugatos, vt stella; viduatos, vt luna; Virgines, & Religiosos vt Sol. Creata etiam sum, vt fortitudo diaboli per meam fortitudinem vinceretur. Gloriatur enim diabolus de sua fortitudine dicẽs illud Isai. *Vniuersam terram ego:* de aliorum sanctorum ortu, vel natiuitate parum curauit diabolus; sed de ortu Virginis Matris totaliter debuit terreri, Iob. *Si subitò apparuit Aurora*, ideſt, MARIA, *arbitrantur vmbram mortis*, Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Vnde non solùm præsentia eius, sed etiam nomen eius nominatum formidat. Exemplum de Monachis, & de S. Benedicto: *Vt castrorum acies ordinata.* Creata etiã sum, vt per meam charitatem feruentissimam frigidus peccator foueretur ad vitam, 3. Reg. *Quærebamus*, &c. *Qui foueat*, &c. Gallina enim tamdiù fouet frigidum ouum, vsque dum fœtus in eo nascitur, sic & ipsa. Creata etiã sum, vt paupertas filiorum Adã per me ditissimam locupletaretur. Vnde Hieron. in sermone, *Cogitis me*, &c. Dicebat: Virginem vt esset gratia plena, quæ cœlis dedit gloriam, terris Deum, & pacem refudit, & dedit fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hæc sunt septem causę, quare creata sum, sequitur: *Requieuit in tabernaculo meo.* Requieuit totaliter, quia cũ tota diuinitate, & humanitate; requieuit vtiliter, quia tunc etiam in vtero meo existens, operabatur, *salutem in medio terræ*: de hoc Bern. alibi: requieuit, & dulciter, nullum dolorem mihi inferens, & cum integritate virginali claustri cubicula intrans, & exiens: Requieuit etiam largiter mihi *omnia bona*, secum deferens Sap. 7. *Venerunt omnia mihi bona pariter cum illa.* Et potest mihi dicere illud, quod dixit Iacob ad Laban, *Modicum habuisti*, ò Mater, *ante quam* venirem in mẽtem; te gratia replendo, & ventrem diuinitate. *Et nunc dues*, & inclita, *facta es*, quia Domina es in cœlo, & in terra, & *tibi traditæ sunt claues mortis, & inferni*, & cœli. *Benedixit q; tibi Deus* Pater, *ad introitum meum* in vterum, & in mentem. Hic est introitus Noe in arca, quando *rupti sunt omnes fontes abyssi gratiarum*. Require ergo in Gen. Requieuit pariter purissimus in purissima. Vnde & ipse dicit: *In ciuitate sancta similiter requieui*, ideſt, in MARIA. Requieuit totaliter, vtiliter, dulciter, & puriter.

Ipsa etiam est Beata Virgo, vt dicit se exaltatam in gratia, & in gloria, & super omnem puram creaturam, in assumptione sua in cœlo Empyreo ad effugandum Diabolum Eccles. 24. *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*; cuius odor serpentem antiquum fugat, vel ad sustentandum onera totius generis humani. *Quasi cypressus in monte Syon*, quæ nunquam cedit oneribus; sic ipsa nunquã aliquibus tribulationibus, vel ad defendendum, vt ibi. *Quasi palma exaltata sum*, quæ expansis ramis in modum manus hominis habet filia, vel ad pacificandum. *Quasi oliua speciosa*, quæ est arbor pacis, vel ad vmbrandum contra caloré temptationũ, ideſt: *Quasi platanus exaltata sum*, quæ alta est, & lata habet filia, & ramis diffusa; sicut & Domina mundi, Regina cœli, Mater Dei. Ipsa est etiam vitis iucunditatis, & lętitię, sicut de se ipsa dicit, Eccles. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatẽ odoris*. Comparatur enim viti bonæ Beatissima Domina propter multa. Primò, quia flos, & vitis fugant serpentes, & necant; sic MARIA Dæmones. Secundò, quia lacryma vitis sedat impertiginem, & scabiem, sic MARIA, videlicet, quodlibet crimen. Tertiò, quia generat vinum, & tollit tristitiam, & dat lætitiam. Require de effectu vini.

Ipsa etiam appellat se ipsam quadruplicem Matrem *pulchræ dilectionis*, contra luxuriã. Matrem timoris contra audaciam. Mater agnitionis contra ingratitudinem. Mater spei; contra desperationem, & de fidẽ etiam, Eccles. 24. *Ego sum Mater pulchræ dilectionis, & ti-*

Hier. 13
Pſ. 79.
Eſa. 53.
Ion. 1.
Ezec. 26
Pſal. 62
Eccleſ. 4
Oſeæ 13
Geneſ. 1.
Eſai. 10
Iob 24.
Geneſ. 3.
Can. 6.
3. Reg. 1
Pſ. 43.
Sap. 7.
Gen. 30.
Apoc. 1.
Gen. 30.
Gen. 7.
Eccl. 24
Eccl. 24

timoris. Ecce primum, & sic de alijs.

Ipsa est etiam depositorium ipsius Trinitatis, apud quem quærere debet peccator
Eccl.24 quidquid in gratia necessarium est. Eccl. 24. *In me omnis gratia vitæ* contra mortem: *veritatis* contra mendacium: in me *omnis opes*, contra desperationem: *vitæ & virtutum*, contra vitia.

Ipsa etiam est stans in cœlo, & sedens ad dexteram filij, nostram miseriam videns, & pericula infinita: clamat ad nos, vt transeamus. Eccl.24. *Eccl.24* *Transite ad me omnes qui concupiscitis me*, &c. Nota à quo, & ad quem, quos ad transeundum inuitat, à quo; quia inuitat à mundo decipiente: à peccato inficiente, à Diabolo deuorante, ibi: *Transite.* Quasi diceret. Mundus, & omnis concupiscentia eius transit, & ideò, & vos *Transite*: & *Transite*; quia omnia sunt in trãsitu, cœlum, & terra, mare, & omnia quæ in eis sunt.
Apoc.12 Etiam tempus, in Apocalip. *Tempus non erit*: vel *Transite*, quoniam diù potestis transire de culpa ad gratiam, quia postea non va-
Luc.16. letis. *Hinc magnum chaos inter nos, & vos firmatum est, vt hi qui volunt transire, non possint*; vel *transite*, quia, & IESVS transit, &
Luc.17 omnes sui. Luc. 17. *Quia IESVS transciens.* Sed ad quem, ò Virgo Beata, *ad me*, quæ
Iob.29. sum peccatorum illustratrix. Iob. *Oculus*
Gen. 8. *fui cæco*, & in Gen. 8 *Fenestra*; vel ad me, quæ
1.Re.25 sum peccatorum reconciliatrix. 1. Reg. 25. De Nabali, vel *ad me*, quæ sum omnium peregrinorum Christi generalis receptrix. Recepi enim Filium Dei ad hospitandum, & cuilibet ad me clamanti hospicium miseri-
Iob 31. cordiæ, & gratiæ non negabo. Iob. *Hostium meum viatori patuit*, sed quos inuitas ad transeundum ad te? *Omnes qui concupiscitis me.* Id est, me honorantes, & diligentes, etiam per tenuem deuotionem; sed quare debemus transire? vt *à generationibus meis* adimpleamini; quia vacui: vt saluemini; quia perditi: vt dulces efficiamini, quia amari. Vnde *spiritus meus super mel dulcis* omnem amaritudinem peccati repellens, vel magis dulcis super mel peccati, quod mentitur dulcedinem, & amarissimum est.
1.Re.14 Notãdũ de melle, quod gustauit Ionathas, & fecit incurrat mortem, nisi populus liberasset eum, vel ad hoc, vt saturemini, & potemini, ibi: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, propter desiderium, & deuotionem, vel propter hoc, vt instruamur: *Qui audit me, non confundetur*; quia optimam, & magnam audit, *& qui operantur in me* mihi seruiendo, *non peccabunt*: *& qui elucidant me* alijs predicando: fideliter, veracitèr, & deuotè, *vitam æternam habebunt* per me, & per filium meum.

Ipsa est etiam, quæ propter nos creata, & missa in mundum. Eccles. 24. *Ab initio, & antesæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam.* Require de hoc in Prouerb. 8. ibi: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* *Eccl.24* *Prou.8.*

Ipsa est etiam, cuius habitatio est in plenitudine gratiarum, gloriarum, Sanctorum, & Angelorum ommnium, & in plenitudine totius Trinitatis. Eccl. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea*, non vbi vacuitas. *Eccl.24*

Ipsa est etiam *fluuius* sanitatis infirmarum animarum. Eccl. 24. *Ego quasi fluuius dorix*, qui interpretatur medicamentum generationis; scilicet, infirmorum filiorum; Adam; *Et quasi aquæ ductus exiui de paradiso; dixi: rigabo ortum meum plantationum mearum, & inebriabo pratus mei fructus*, id est, illos qui sunt partus fructus mei, id est, filij; & illuminabo omnes sperantes in Domino, non in múdo, vel inalia re. *Eccl.24.*

Ipsa est etiam, quæ communiter omnibus, & pro omnibus laborauit; & ideò communiter ab omnibus, & pro omnibus laborauit; & ideò communiter ab omnibus laudanda est. Eccl. 24. Videte Angeli, iusti, pec- *Eccl.24*
catores, quoniam non mihi soli laboraui, filium lactando nutriendo, & huiusmodi: & apud Crucem stando, sed omnibus exquirentibus veritatem. Nota ad hoc: *Omnium me seruum feci, cùm essem liber.* Hæc ipsa per *1.Cor.9*
optima potest dicere, & illud: *Sapientibus, & insipientibus debitrix sum*, cum essem super omnes liberrima, omniũ ancilla facta sum. *Rom.1.*

Ipsa est etiam sol, qui sua potentia ornat cœlum. Eccl. 26. *Sicut sol in altissimis Dei oriens in mundo, sic mulieris bonæ species, & ornamentum Deus est.* Et Eccl. 40. *Sol* *Eccl.26*
per omnia illuminans respexit, & gloria Domini plenum est opus eius, & ita sol in aspectum annuncians, in exitu vas admirabile opus excelsi, quæ in meridiano exurit terram, in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere fortem custodiens in operibus ardoris. Triplex sol exurens montes, radios igneos exsuflans, & refulgens, radijs suis obsecat oculos. Magnus Dominus qui fecit illũ. *Eccl.40*

Ipsa est etiam *Luna*, quæ nobis indicat festa æternę iucunditatis. Eccl. 42. *A Luna significatum diei festi.* Nota de signis Lunæ, *Eccl.42*
quando est generalis, & quando aurea, quid tunc significet; Basilius in libro, ait: luminare quod minuitur in consummatione, sicut ipsa quando dixit: *Ecce ancilla Domini, &c.*

Ipsa est etiam Beatissima Domina significata per Abraham, in cuius laude dicitur. Eccl. 44. Et filij sui Isaac: *Benedictionem om-* *Eccl.44*
nium gentium dedit illi. Quod antonomaticè de Virgine verificatum est, cui benedictionem dedit; & vt ab initio aliquantulum repetamus. Ipsa habuit benedictionem septi-

mi

mi diei. Gen. 2. *In quo requieuit Deus ab omni opere.* In ipsa enim vere fuit cõsummatio operum, quando omnia creata in vno homine vniuntur cum creatore, & primum fit vltimum, & vltimum primum. Non enim est perfectio motus, vel operis, quando non est in circulo. Habuit enim benedictionem potestatis Adam, & Euæ. Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs terræ.* Dominatur enim per potentiam *piscibus maris.* Id est, Dæmonibus in amaritudine inferni constitutis: dominatur etiam per gloriam *volatilibus cœli*, id est, Angelis volantibus per contemplationem Dei: dominatur etiam per misericordiam vniuersis *animantibus, quæ mouẽtur super terram*, ideſt omnibus hominibus, in hoc mundo constitutis. Habuit enim benedictionem Iacob, quę in tribus consistit. Primò in abundantia necessariorum, ibi: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* Secundò, in dignitate honorum, ibi: *Esto Dominus fratrum tuorum. Incuruentur ante te fratres matris tuæ, seruiant tibi populi.* Tertia, in amotione incommodorum; ibi. *Qui maledixerit tibi, ille sit maledictus, & qui benedixit tibi, benedictione repleatur.* Ergo omnes cantemus MARIAM laudantes, omnes dicamus: *Benedicta tu in mulieribus.* Habuit etiam benedictionem quantum ad charitatem, quòd sic patet: charitas est dignissima virtutum, Hoc nota, ibi: *Iuda te laudabunt fratres tui.* Vel ipsa est expugnatrix vitiorum. Hoc notatur, ibi: *Manus tua in terra inimicorum tuorum*, vel charitas dat esse virtutibus. Hoc nota, ibi: *Adorabunt te filij patris tui.* Vel charitas est amatrix arduorum, ibi: *Catulus leonis Iuda.* Vel charitas est spoliatrix Dæmonum, ibi: *Ad prædam ascendisti.* Vel charitas est victrix passionum, ibi: *Acquiesces, ac vt leo.* Vel charitate nullus separatur à Deo, ibi: *Quis suscitabit eũ.* Vel charitas facit in æternum regnare, ibi: *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Vel charitas Christum fecit de cœlo descendere, ibi: *Donec veniat qui mittendus est.* Habuit etiã benedictionem Zabulon quantum ad zelum animarum, cui dicitur: *Zabulon in littore maris habitabit.* Vt tempestatibus diù fatigatis, & tandem litoribus ereptos benignè excipiat, & foueat, quod ipsa facit in summo. Habuit enim Benedictionem Balaam, in quo notantur septe. Primum est: Benedictissimę Dominæ generatio, ibi: *Orietur stella ex Iacob.* Secundum, Filij Dei ex ipsa incarnatione, ibi: *Et consurget virga de Israel.* Tertium, vitiorum destructio, ibi: *Et percutiet duces Moab.* Quartum, hominum liberatio, ibi: *Et erit Idumea possessio eius.* Quintum, bonorũ confirmatio, ibi: *Israel fortiter aget.* Sextum, bonorũ donatio, ibi: *De Iacob erit qui dominetur.* Septimũ, malorum damnatio, ibi: *Et perdet reliquias ciuitatum.* Habuit enim benedictionem Moysi. Deut. 18. *Benedicta tu in ciuitate, in agro: Benedictus fructus ventris tui* Benedicta eris *ingrediẽs, & egrediens.* Quæ de hac vita sine dolore mortis migrauit, & statim in anima, & post in anima, & corpore simul, cœlum introiuit. Habuit enim Benedictionem Aaron. Eccl. 45. De cuius laude dicitur: *Coronauit illum in vasis virtutis, & circumcinxit, eum tintinabulis aureis: auditum facere, in templo, in memoriam gentis suæ.* Habuit enim benedictionem Samuelis, de cuius laude dicitur, Eccl. 16. *Renouauit Imperiũ, & vnxit Principes, & vidit Deum lucis, & pecunias, & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit illũ homo.* Habuit enim benedictionem Dauid, de cuius laude dicitur. Eccl. 47. *In iuuentute sua occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente: contriuit inimicos vndique, & exturpauit Philisthim, contrarium vsque in hodiernum diem.* Habuit enim benedictionem Salomonis, de cuius laude dicitur. Eccl. 47. *Impletus est quasi flumine sapientia, longè diuulgatum est nomen eius.* Habuit enim benedictionem Ioseph, de cuius laude dicitur. Eccl. 49. *Quòd fuit Princeps, & firmamentum gentis.* Id est, collector frumenti, stabilimentum populi. Habuit enim benedictionem Onię, de cuius laude dicitur: *Quòd in diebus suis emanarũt putei aquarum,* & quòd *suffulsit Dominum:* & quòd *fuit quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena, & quasi Sol refulgens, & quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarũ in diebus verni, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ: & quasi thus redolens in diebus æstatis, & quasi ignis effulgens, & quasi thus ardens in igne, & quasi auri vas solidum ornatum omni lapide precioso, & quasi oliua pullulãs, & quasi cypressus in altum se tollens,* & quod porrexit *manum suam in libationem, & libauit de sanguine uuæ excelso Principi.*

ISAIAS.

Visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam, & Israelem. Regina, & Domina omnium Prophetarum vocatur *Domus, & ciuitas* fidelitatis. Isai. 1. *Vocaberis,* scilicet, *ciuitas* MARIA, scilicet à Patriarchis, & Prophetis; *ciuitas iusti.* Glo. ideſt, Christi; Vrbs fidelis fideliter recipiens, & conseruans ad se fugientes. Hanc ciuitatem laudat Psal. dicẽs: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Fuit enim ciuitas hæc fundata super humilitatẽ, murata super castitatem, turrita per charitatem, ditata per paupertatem, custodita per discretionem, liberata peccatorum immunitate, pacificata tentationum, victoria Diuino

Gen. 2. Gen. 1. Gen. 27. Gen. 27. Lucæ 1. Gen. 49. Nu. 24. Deu. 18. Lucæ 1. Eccl. 45 Eccl. 16. Eccl. 47 Eccl. 47. Eccl. 49 Eccl. 50 Cap. 1. Psal. 86

uino officio ornata, per elegantiam morum ædificata. In refugium peccatorum populosa virtute, & omnium donorum gratuitorum irrigua, abundans miserationum. In altissimo sita per excellentiam priuilegiorum.

Ipsa etiam est *tabernaculum*, quod Deus Pater extēdit peccatoribus; quatuor de causis. Isai.4. *Tabernaculum* id est, Virgo MARIA *erit in vmbraculum*. Glos. super protectione *diei, & æstus*. Glos. persecutionis, & *Psal.32* *insecuritate*. Glos. Dominus adiutor noster, *Psal.60* in absconsione *à turbine, & à pluuia*, Glos. id est, à persecutione maiori, & minori. Psal. *Protegar in velamento alarum tuarum.*

Cap.6. Ipsa etiam est domus, quàm omni gratia replent Deus, & tota Trinitas; & solium incarnationis Filij Dei Isa.6. *Vidi Dominum sedentem*. Gloss. id est, Filium in humanitate *super solium excelsum, & eleuatum*, id est, Virginem MARIAM, excelsam quantùm ad animam, & eleuatam quantùm ad corpus. *Et Plena erat omnis terra*, id est, domus *gloria eius*. Glos. omnis gratia, *à maiestate eius*. Gloss. regnantis.

Capi. 5. Ipsa est etiam *Virgo* illa specialis, quæ & Virgo concepit, & Virgo peperit liberatorem, & Saluatorem omnium. Isa.5. *Ecce Dominus dabit ipse vobis signum*. Gloss. salutis, & liberationis. Hoc scilicet. *Ecce Virgo cōcipiet, & pariet filium*, Glos. peccatorem reuocantem, &c. Require in sermone. *Beatus venter qui te portauit. Et vocabitur nomen eius Emanuel*. Gloss. id est, nobiscum Deus. Nobiscū humanitate, diuinitate, fidelitate. Vnde Bernard. Noli fugere Adam, quia nobiscum est Deus.

Cap.11. Ipsa etiam est *virga floris*. Isa.11. *Egredietur virga*, id est MARIA, *de radice Iesse, & flos*. Glos. ideſt, Christus, qui timidis est virga, sed bonis est flos virtutum, & corona Angelorum, & sertum electorum. *De radice eius ascendet*, in salutē electorum, in cōsolationē afflictorum, & in libationē captiuorū.

Ipsa est etiā *solium* misericordię, quod prępparauit Deus Pater Filio suo, cui omne iudi-
Cap.13 cium dedit, vt misericorditer iudicet peccatorē. Isai.13. *Præparabitur in misericordia*. Gloss. Dei Patris. *solium eius*. Gloss. id est filij, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, *& sedebit*, id est, iudicās; aliter scilicet iudicabit sedēs in solio misericordiæ, & aliter sedēs in solio iustitię, quod est in futuro. *In solio* misericordiæ sedens, & iudicās, quādo Deus vult parcere peccatori. Considerat, & attēdit misericordia Dei, quinque: & primo infirmitatem, & debilitatem peccantis: Secundo malitiam Diaboli insultantis dicē-
Psal.20 tis illud: *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum*; quia non est qui liberet eum. Tertiò, dolorem ipsius pœnitentis,
Psa.6. præcipuè quando clamat. *Miserere mei, con-*

A *turbata sunt omnia viscera mea, anima mea, & vēter meus*. Quartò, intercessionē thriūphantis Ecclesię, pro eo supplicantis: Et prępcipuè, Beatæ Virginis, cuius oratio non potest contēni. Quintò, similiter omnem bonitatem suam, de qua ipsemet dicit, Matt.20. *Mat.20* *An non licet mihi facere quod volo, quia ego bonus sum?* Solium ergo gloriæ temperabatur in conceptione, præparatum fuit in ipsius gloriosæ Virginis natiuitate, super illud sedit: in sua incarnatione, & sedet super eam, miserans peccatorum. In solio verò iu-
Psal.61 stitiæ, sedens iudicabit, *quod iustum est*. Vnde sequitur: *Quærens iuditium*, Gloss. in se-
Mar.26 cundo aduentu. *Et velociter reddens*. Gloss.
B vnicuique. *Secundùm opera sua; Quia iustum est*. Gloss. de malis *Ite in ignem æternum*. Et bonis: *Venite benedicti, &c.* Sed quomodò velociter reddet, cùm expectet peccatores, non vlciscendo, vsque ad decrepitam ętatē? *Deu.7.* Hoc verbum quod dicit, Deutero. 7. cap. vbi dicit. *Rectiùs reddet odientibus se statim*. Gloss. omne tempus æternitati comparatum est, quasi punctum. Et ideò, non reputat Deus, etiam quando in multum expectet.

Ipsa est *nubes* purissima, & à veniali* pec- **Et sine omni.*
cato: nihil enim est ita ponderosum, & ma- *Cap.19.*
culosum coram Deo, vt peccatum. Isai.19. *Ecce, ascendit Dominus super nubem leuem*. Gloss. corpus Beatæ Virginis, *& ingredie-*
C *tur Ægyptum*. Gloss. id est, in mundum, *& mouebuntur simulachra Ægipti à facie eius;* quia omnia peccata destruet. *Cap. 26*

Ipsa est etiam, *domus & vrbs* fortitudinis nostræ contra omne malum, Isa.26 *Vrbs fortitudinis nostræ Syon*, id est, MARIA, Gloss. Vox est iustorum, & nunc, & in futuro *Saluator ponetur in ea murus*. Glos. id est Christus *& antemurale*. Ipse enim est murus, secundùm diuinitatem; & antemurale, secundùm humanitatem. *Aperite portas*. Glos. Dominus ad Angelos, *& ingrediatur gens iusta faciens veritatem*, non mendaces, non iniusti.

Ipsa est etiam *ciuitas*, & *domus* opulenta, & *Cap.33.*
prædiues, Isai.33. *Respice Syon*, id est, MA-
D RIAM *ciuitatem solemnitatis nostræ*, Gloss. In qua vera est solemnitas. *Oculi tui videbūt Ierusalem, ciuitatem opulentam*, gratia, gloria, & ipso Deo; *quia solummodo, ibi magnificatus est Dominus Deus noster*; quia in MARIA magna fecit, & per eam magnifica fecit & propter eam, & in ea magnificus apparuit, & apparet, quàm plus in omnibus Sanctis, & Angelis.

Ipsa est etiam *ciuitas*, & *domus*, ab omnibus peccatis, etiam minimis, & ab omnibus *Cap.35.*
iaculis tentationum immunis, Isa.38. *Hæc dicit Dominus de Rege Assiriorum non intrabit ciuitatem hanc, & non iacet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in ductu eius aggerem.*

Ipsa

Cap.45. Ipsa est etiam causa, propter quam peccatores laudant, & glorificant Deum. Isa.43. *Glorificabit me bestia agri.* Glos. id est, homo bestialis. *Dracones.* Glos. id est, maligni venenosi, & *struthiones.* Glos. id est, hypocritæ, *quia dedi* ex misericordia in *deserto*, id est, in MARIA, omnium gratiarum *aquas*, & flumina donorum, Spiritus Sancti, *vt darem potum.* Glos. aquæ viuæ populo meo electo, clamanti ad me, cui dedi potum largiter, vniuersaliter. Ipsa est etiam *petra*, de qua dicitur: *Loquimini ad petram*, id est, ad MA-
Nu. 20. RIAM, & illa *dabit aquas* gratiarum, & gaudiorum.

Ipsa est etiam terra germinans saluatorē. Isai.40. *Rorate cœli desuper.* Glos. veniat Ga-
Cap.40 briel, mittat nobis rorem, & nuntiet nobis salutem, *& nubes*, Glos. Et Prophetæ *pluāt.* Glos. Annuntiando Christi natiuitatem, & passionem, & resurrectionem *Iustum.* Glos. Id est, Christum, *aperiatur terra.* Glos. Id est, MARIA, ad credendum: *& germinet Saluatorem*, Glos. Id est, Iesum.

Ipsa est etiā, *vterus* misericordiæ, in quo peccatores fouentur, & portantur ad conuer-
Cap.46 sionem. Isai.46. *Audite me, qui portamini.* Glos. Etiā peccantes: *à meo vtero.* Glo. id est, misericordia; & quòd Beata, * Virgo enim quasi misericordiæ vterus dicitur: *Qui gestamini à mea vulua.* Glos. id est, clemētia; quia mater *vsque ad senectam ego ipsa, & vsque ad canos ego portabo, & sanabo.* Glos. Si conuersi fueritis.

Ipsa est etiam *terra* faciēs salutem omniū.
Cap.53 Isai.53. *Ascendet.* Glos. id est, Filius Dei *sicut virgultum.* Glos. de vtero Virginis *coram Deo, & sicut radix de terra sitienti.* Glos. sicca, & munda à concubitis.

Ipsa est etiam (ex nimia misericordia, quā
Cap.54. ad nos habet) etiam alijs sanctis peccatores derelinquentibus; ipsa nunquam derelinquet nos. Isai.54. *Montes mouebuntur, & colles tremiscent; misericordia autem mea*, id est, mater mea *non recedet à te*, non dimittet, neque derelinquet dummodo volueris cōuerti.

Ipsa est *fons* à quo nobis profluxit, & pro-
Cap.58 fluit omne bonum. Isai. 58. *Eris*, scilicet, ò MARIA, *quasi ortus irriguus.* Glos. Virtutum floribus, & operum fructibus conspicuus. *Et sicut fons aquarum*, cuius non deficient aquæ. Glos. Assimilaberis Christo capiti tuo, *Cuius non deficiunt aquæ* spirituales, quæ irrigant Ecclesiam.

Ipsa est etiam quæ occurrit Deo fideliùs,
Cap.59 & fiducialiùs, & potentialiùs præ omnibus sanctis, ad Deum refrænandum, ne feriat peccatorem. Isai.59. *Vidit.* Glos. Deus, quòd nō esset *vir* Glos. in Iudæis Sanctus. *Et aporiatus est.* Glos. id est, contristatus: *Quia non est qui occurrat.* Glos. Deo, vt nō percutiat, sed ipsa præ omnibus occurrit sicut Abigail Da-

A uid, quem placauit, & Dauid ait: *Benedictus* 1.Re.25
Deus qui te misit in occursum meum, & saluabit sibi brachium suum, & iustitiā. Glos. Vt misericordia secundùm septuaginta *confirmabat eum.* Glo. scilicet, Deum; quia qui conuertitur, meritò non conuertitur, sed misericordia, & iustitia. Iustum est enim, vt pœ- *Hic alij*
nitenti crearetur Creator.* Pereat qui meri- *qua desiunt.*
tis suis saluari non potest.

Ipsa est etiam ciuitas splendidissima, quæ in incarnatione Filij Dei totaliter illumina- Cap.60
B ta fuit, cui congratulādo sic loquitur Prophe ta. Isai.60. *Surge illuminare Ierusalē*, id est, MARIAM: ergo summa, immò ipso Deo, *quia venit lumen tuum.* Glos. id est, Filius, & *Gloria Domini super te orta est.* Glos. ad illuminandum Filius Dei, sicut sol ortus illuminat mundum: *Quia ecce tenebræ.* Glos. Infidelitatis, & peccati *operient terram.* Glos. id est, terrena amantes, *& caligo populos.* Superte specialissimè, abundantissimè, dignissimè. *Orietur Dominus.* Glos. Verus Sol. *Et gloria eius in te videbitur*; Sicut lumen in lucerna, Sol in nube, ignis in rubo. *Et ambulabunt gentes*, id est, miseri peccatores *in lumine tuo.* Glos. in Christo, qui est lux. Et *Reges*, id est, iusti, vel etiam Angeli *in splendore ortus tui.* Omnes enim indigent tua gratia, tua illuminatione, tua propitiatione.

Ipsa est etiam, ad quam omnes, & per quā
C omnes cōgregantur per deuotionem, per necessitatē, ad ipsam omni die, vel in festiuitate eius cōfluentes. Vnde, & filius eius, quasi, ei in hoc cōgratulādo, & eam ad subueniēdū prouocādo dixit. Isai. 60. leua, ò Mater MA-
Cap.60 RIA, *In circuitu oculos tuos*, scilicet, misericordiæ, & bonitatis, & largitatis, & *vide* hilariter, cōmuniter, & largiter: *Omnes isti congregati: sunt venerūt tibi.* Glos. Ex omni natione, quæ sub cœlo est, peccatores provenia, iusti pro gratia, tristes pro gaudio, incarcerati pro liberatione. Immò veniunt sibi, & ipsi Angeli pro lætitia, venerunt ad honorē tuū, ad largitatē tuā, ad misericordiā tuā, eiulantes, & clamātes; subueni, ò Domina, quia potēs es; quia misericors es; quia Mater Dei est,
D clamātibus ad te iugiter; licet sumus peccatores, tamē sumus ex misericordia tua, consilij tui, & filij tui, & filiæ tuæ. Vnde sequitur, *filij tui*, ò MARIA, *de longè venient*, Glos. de longinqua regione peccati; quia longè erāt à Deo, *& filiæ tuæ de latere surgent.* Glos. Vos
Eph. 2. qui longè eratis, sancti estis propè: *Tunc videbis.* Glos. Cū leuaueris oculos tuos, *& affluues.* Glos. Quasi riuus aquis subiectis, *& mirabitur.* Glos. Vt suscipias hospitē Christū. *Et dilatabitur cor tuum.* Glos. Præ gaudio. *Quando conuersa fuit ad te multitudo maris.* Glos. Omnes nationes mundi: *Et fortitudo Gentium veniet tibi.* Omnes enim militant tanquam stipendiarij præditissimæ Reginæ:

omnes

omnes te sequuntur, & glorificat matrẽ lucis.

Cap.60. Ipsa est etiã *Domus* maiestatis totius Trinitatis, *& altare* placationis peccatorũ. Isai.60. *Offerentur*, scilicet, omnes fideles, qui per misericordiã Christi Sacerdotis volunt recipi, & præsẽtari *super placabile altari meo*, ideſt, MARIA Matre mea. *Et domum maiestatis meæ*, quã tota Trinitas potenter, & abundãter possidebit, & adimplebit. *Glorificabo* in cœlo, & in terra, in inferno, in purgatorio; vel *glorificabo* corã Angelis, corã Sanctis, corã Patriarchis, & Prophetis, corã iustis, & peccatoribus. Vel *glorificabo* ipsam prę omnibus honorãdo, præ omnibus diligendo, præ omnibus in matrẽ assumẽdo, præ omnibus ei potestatẽ in cœlo, & in terra, dãdo ei regna omnia; cœlestia, terrestria, & infernalia subijciendo. Vnde, & sequitur. *Gens enim, & Regnũ, quod non seruierit tibi*, ò Mater MARIA *peribit.* Glos. in die iudicij, quod nõ sit: ergo qui seruierint ei, non peribunt; & hoc est verum: & in me Domina totaliter, & finaliter impleatur. Amen.

Cap.65. Ipsa est etiã, quę sola nõ est grauidata actuali peccato, & in qua benedictio cęlestis nobis reseruata est. Isa.65. *Hæc dicit Dominus: quomodo si inueniãtur* post tẽpestate *granũ.* Glo. Illesum: Hoc granũ est Virgo MARIA illæsa ab omni peccato, & tempestate venialı peccati in *botro* humani generis, vel in *botro*, ideſt, in sancta Anna matre eius. Hoc granũ inuẽtum fuit in natiuitate Virginis gloriosæ, quando nata est, *& dicatur.* Glos. Volenti tangere, *ne dissipes illud*, sine crescere, *quoniam benedictio est.* Glos. Ideſt, placuit Domino, vt pro benedictione, de tanta copia reseruaret illud. *Sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum.* Glos. Genus humanum.

Ipsa etiam est *domus* Imperatoris omniũ, qui ad consilium omnium Patriarcharum, & Prophetarum, & amicorum Dei, in solatum peccatorum ædificata est, de qua, & de cuius ædificatione, & constructione; Deus qui *gloria*
Psal.1. *tur in consilio sanctorum suorũ, vt dicit.* Psal.
Cap.66 Quasi consilium requirat, dicit Isai. 66. *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi*; tam immensa, vt in ea includar. Quia dicitur Isai.66.
Iere.23 *Cœlum mihi sedes, & terra scabellũ pedum meorum, & cœlum, & terrã ego implebo.* Quæ est ergo illa tam magna, tam lata, tam longa *Domus*, quàm ædificabitis mihi. De ædificatione igitur huius domus, & quam ego ipse ædificare
2.Par.3 cupio, vt in 2. Paralip. Quę debet esse adeò inclita, vt nominetur in vniuersis Regnis cœlestibus, terrestibus, & infernalibus. Volo etiã, vt non secundũ solum consiliũ Trinitatis, verum tamen secundùm consilium, & voluntatẽ omniũ seruorum meorũ, & Patriarcharum, & Prophetarũ ædificetur. Quod das tu consiliũ Dauid Propheta, qualis debet esse? Respondo,
Psal.62 domus totius puritatis, & sanctitatis. Psal. *Domum tuam Domine decet sanctitudo*, & talis sanctitudo, quæ sit ab omni inquinatione libera, vt dicit Dionysius, sed hoc non inuenitur in terra morientium, in qua non est videre, *nisi faciem abyssi.* Gen. 1. Ioannes enim non habet, sed clamat: *Sanctifica me Saluator.* Petrus non habet, cui dicit Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Insuper, vt dicit Iob: *Astra non sunt munda in conspectu Domini.* Sed consolamini populę meus dicit Deus noster: Inuenta est MARIA hanc puritatem habens, vt dicit, qua sub Deo maior, nequit intelligi.

Gen. 1. *Ioan.13* *Iob 25.*

Ipsa etiam est *Domina* puritatis, ad eam confluite immundi peccatores, & mundamini ab omnibus inquinamẽtis vestris. Clamabat quondam leprosus ad Christum mundatorem: *Domine si vis, potes me mundare* Si filius tuus dedit hanc potestatem Apostolis, & semiplenam, dicens: *Leprosos mundate.* Multò fortiùs tibi, quæ Domina es, & mater Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et Regratiamini omnes mundi homines, Dauid de consilio suo; nempè, quia bonum, & peroptimum consilium est. Quid tu dicis. Isaia? Quod das consilium? Qualis debet esse domus Trinitatis? Respondit: *Domus* totius plenitudinis, à qua repleatur peccator venia, iustus gratia, tristis lætitia, Trinitas gloria, filij persona, humana substantia, vt non sit quæ vacua manu à domo ista recedat. Isai.6. *Vidi Dominum sedentem*, &c. *Et plena erat domus.* Require supra. Regratiamini, ò famelici, vacui, & miseri peccatores; bonum dedit, & hoc cõsilium. Sed quid tu vides Ieremia. Et quid dicis, quòd das consiliũ? Qualis debet esse domus summi Dei? Respondet: *Domus* totius reformationis, in qua formetur Filius Dei, ad imaginem, ad similitudinem nostram, mortalis de immortali, vltimus de primo, pauper de diuite, &c. In qua etiam formetur luxuriosus ad castitatem, superbus ad humilitatem; inuidus ad charitatem, cæcus ad lumen, claudus ad gressum, vnde ipsa dicit: *Oculus fui cæco, & pes claudo*, ò quãtum auidè mutilati, & carentes membris, ad domum Dei irent, vbi statim eis omnia membra restituerentur, sic peccatores ad domum istam reformationis ire debent: de qua Iere.
18. *Surge, & descende in domum figuli*, &c. Re*Iere.18.* gratiemini etiam, ò peccatores horribiles, & deformes, & à Diabolo mutilati dedit, & hic consilium bonum. Tu verò Ezechiel, quòd das consilium? Qualis debet esse domus Creatoris, & Domini omnium, quæ sunt. Respondit: *Domus* protectionis, & receptionis fugiẽtium peccatorum, vt fugiens ad eam recipiatur, & protegatur à Diabolo; maximè à peccato, & maximè à te irato Deo: in hoc honores domum tuam, vt fugiens ad eam sit securus. Hæc est domus securitatis, de qua ipse Dominus dicit. Ezech.3. *Surge, & includere in medio domus tuæ*, &c. Require ibi. *Ezec.3.*

Mat.8. *Mat.10* *Psal.50* *Iob 29.*

Ad suscipiendum fugientes peccatores inuitat, dicens illud Isai. *Moab esto latibulum eo*

rum à facie vastatoris, id est, à me, qui volo esse per iustitiam vastator peccatorum: *Abscondefugientes, & vagos, ne prodas: habitabunt apud te profugi mei.* Inclinate, ò peccatores ad me. Dedit enim hoc per optimum cõsilium, alioquin rarus esset, qui effugeret, & relinqueretur. Secundùm consilium ergo vestrum, & aliorum Prophetarum ædificabo MARIAM Dominam sanctitatis in mũdationem: Dominam plenitudinis in largitatem: Dominam protectionis in saluationem! Dominam reformationis, in omnis creaturæ admirationem * si vis ampliùs prosequere, adapta alia nomina ad Dominam istã, & erit materia peroptima, & deuota, dicit ergo: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi, & quis iste locus quietis meæ?* Glos. Tam humilis, quietus. Require in Eccl. ibi: *In omnibus requiẽ quæsiui.*

* Renouationẽ.

Eccl. 24

Ipsa est etiam mater admirationis, cuius partum, & modum pariendi omnis creatura stupet, & miratur. Isa. 66. *Antequam parturiret.* Glos. MARIA in tẽpore *peperit*. Glos. Deus Pater, Verbum sibi coæternum, *Antequam veniret partus eius*. Glos. MARIÆ *peperit masculum*. Genuit sine tẽpore fortem filium, per quem omnia facta sunt, & subsistunt. *Quis audiuit vnquam tale?* Glos. Vt antequam parturieret pariat, cùm naturaliter parturitio partum præcedat: *Et quis vidit huic simile?* Peperisti tu Virgo Patrem * sine tẽpore, peperisti tu Virgo Mater eundẽ in tempore. Luc. 3. *Peperit filium Suũ primogenitũ, & pannis eũ inuoluit.* Peperisti, ò Virgo filium tuũ mirabiliter. Vt hic dicit Esai. Peperisti incorruptibiliter, sicut sydus radium, & virga florem, & vitis odorem. Peperisti, & vtiliter, & genuisti Angelorum restauratorem, hominum redemptorem, corporalium innouatorem; & ideò laudaris, & beneditceris ab Angelis, ab hominibus, à corporalibus. Laudãt te Angeli propter tria; quia is quem tu genuisti, restaurauit eos, reddendo per æquipollentiam, multiplicando perditum numerum, augmentando super additum * quartam, scilicet, Hierarchiam. Laudant te homines propterea, quia genuisti eis redemptorem, iustificatorem, glorificatorem. Laudant te corporalia propterea, quia is quem tu genuisti, immutauit corpora innouando, nobilitando; & omnia in Christi corpore diuinitati vniendo. Laudat te pater propter castitatem: ipse filius propter humilitatem, Spiritus Sanctus propter bonitatem. Laudat te omnis creatura, ò Virgo MARIA: Genuisti enim, & peperisti cœcis illuminatorem, immundis mundatorem, siue purgatorem, curuis erectorem, tristibus consolatorem, vinctis liberatorem, pauperibus ditatorem, desperatis confortatorem, errantibus ductorem, & reductorem, certantibus coronatorem. Amen.

* Pater

Luc. 3.

* Super adendũ.

HIEREMIAS.

Verba Hieremiæ filij Elchiæ. Prophetarum Domina, Virgo MARIA; est *virga* percutiens Dæmones, & corrigens peccatores, & vigilans super electos. Iere. 1. *Quid tu vides Ieremia? & dixi: virgam vigilantẽ*, id est, MARIA vigilantẽ. Fideliter. super electos, vt Mater super Filiũ, vigilantem, misericorditer, sicut Magister super Discipulum, sic ipsa super peccatores, vt eos corrigat: vigilantẽ terribiliter super Dæmones, vt percutiat, & interficiat: *Ego video.* Glos. Vt percutiat, & corrigat: *Et dixit Dominus ad me: Benè vidisti, quia ego vigilabo super domum*, vt pater; ipsa verò vigilabit, vt mater *super verbo meo*, vt faciam illud. Ipsa est etiam *solium* congregationis, & misericordiæ, ad quam omnes peccatores fiducialiter congregantur. Iere. 4. *Vocabunt Ierusalem*, id est, MARIA, quæ est visio pacis *in tempore illo*, id ist, in tempore gratiæ, & incarnationis Filij Dei: *Solium Domini*, in quo Dominus sedit, per misericordiam incarnatus: & *congregabuntur ad eam omnes gentes*, id est, peccatores quia apud soliũ illud peccatores absoluuntur, & nõ secũdùm merita puniũtur. Ipsa est ciuitas, & *domus* saluationis, & protectionis, ad quam omnes peccatores infernum, & mortem æternam, & furorem Domini intolerabilẽ expectantes conueniere, sceleriter, & vnanimiter: *Et ingrediamur ciuitatem munitam*, id est ad MARIAM: *munitam* in natura, in gratia, in gloria; de hac ciuitate multa require. Isai. 38. Glos. Munitam, quia aliæ captæ sunt, *& fileamus ibi.* Glos. Quia non audemus deprecari Dominum, quem offendimus, sed ipsa deprecet, & roget: *Quia Dominus silere nos fecit.* Glos. Quia eum offendimus, & potum dedit nobis, *aquam fellis.* Glos. Quia dulcem Deum amarum nobis fecimus. Ipsa est etiã *oliua* totius misericordiæ, & bonitatis. Ierem. 11. *Oliuam pulchram, vberem, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen suum.* Istis nominis diuersis gratijs Beatæ Virgini adaptentur.

Cap. 1.

Esai. 38.

Cap. 11.

Ipsa est etiam *solium* propitiationis præ omnibus Sanctis, vnde Ierem. In persona peccatorum orando, dicit ad Dominum, Ierem. 14. *Ne des nos in opprobrium, vt facias nobis contumeliam*, quam tamen meruimus: *Solij gloriæ tuæ recordare.* Glos. Cuiuslibet sancti: ergo multò fortiùs MARIÆ, *ne irritum facias fœdus tuum.* Glos. Promissæ salutis *nobiscum*. Glos. Qui culpa sua perditur, Domini clementia sustentetur.

Cap. 15

Ipsa etiam est *aduocata*; sapientia aduocati manifestatur in tribus. Vnum, quòd obtineat contra iudicem iustum, & sapientem. Secundũ, quòd contra aduersarium astutum, & sagacem. Tertium, quòd in causa desperata: sic Beatissima Virgo contra iudicem sapientem, scilicet, Dominum. Contra aduersarium callidissimum, scilicet, Diabolum in causa nostra desperata, sententiam optatam obtinuit: ergo sapientissima aduocata est; vel sapientis eligere est aduocatum sapientem: sic istam aduo-

aduocatàm, ſpiritus ſcilicet nobis elegit. Ité aliquando aduocati iniuſtum probare poſ-
*Iuſtũ. ſum ſophiſticè eius, * ſed non facere, ſed Virgo gloriosa de noſtra iniuſtitia iuſtitiam fecit. Vel ipſa Imperatrix eſt: ergo poteſt condere leges, & legis interpretatio penes eam eſt; & ſic ſapiens, & potens, & benigna peccatorum aduocata eſt: & ſic dici poteſt, quòd eſt aduocata potentiſsima obtinens in curia Trinitatis, quòd alij obtinere non poſſunt.

Cap.15. Iere. 15. *Dixit Dominus ad me ſi ſteterint Moiſes, & Samuel coram me.* Gloſ. pro populo orantes *non erit anima mea ad populum iſtum.* Gloſ. Quia iam conſummata ſunt ſæcula populi; ſed quid ò bone IESV, ſi ſteterit coram te Regina Mater tua, miſericorditer, & fideliter te implorans? nunquid erit anima tua, tũc irrata ad populum peccatorem,

Iere.14 vt exaudias eam; certè immò, ſicut priùs dixiſti iratus ad Ieremiam 14. *Eijce illos à facie tua, egrediãtur ad gladium, ad famem, ad captiuitatem, ad mortem*: ſic nunc clamauit voce MARIA. Placatus reduc, & introduc miſeros peccatores; ad pacẽ contra gladium; ad ſaturitatem contra famem; ad libertatem contra captiuitatem; ad vitam cõrra mortẽ.

Ipſa eſt etiam, quæ deſperatorum peccato-

Cap.15 rum cauſam, quam etiam nullus ſanctorum præſumit aſſumere, ipſa aſſumit. Iere. 15. dicente Domino ad peccatorem deſperatum: *Quis miſerebitur tui Ieruſalem*, id eſt, ò anima deſperata, quæ prius fuiſti viſio pacis: nunc autem viſio inferni: *Aut quis contriſtabitur pro te*, cùm ſententia Mortis formetur

Mat.25 contra te. *Ite maledicti* cùm te omnes Angeli, & ſancti derelinquent, tibi reſpicies adiutorium, & non erit, aut quis ibit ad rogandum illum iratum Dominum: *Ex cuius ore*

Apoc.1. *gladius acutus exibit.* Apoc. 1. Illum quem contempſiſti, quem grauiſsimè offendiſti pro pace tua, quem quærere neglexiſti. Nunquid, hoc Angelus faciet, nunquid Apoſtolus; ſed certè omnibus derelinquentibus te Mater miſericordiæ, non derelinquet: dicit enim illud

Eſt. 8. Eſther: *Quomodo poſſunt ſuſtinere necem*, &c. Require ibi, illa, inquam, miſerebitur, illa compatietur, illa ibit ad rogandum pro pace noſtra, & ſine dubio impetrabit.

Cap.18 Ipſa etiam eſt *Domus figuli*, & domus reformationis generis humani. Iere. 18. *Dixit Dominus ad Ieremiam, ſurge, & deſcende in domum figuli.* Domus figuli, id eſt Dei, eſt Beata Virgo, in qua fecit Deus opus ſuum, ſuper totum opus incarnationis, ipſum ponens *in rotam* humanæ nobilitatis, vt fons ſitiret, panis eſuriret, requies fatigaretur, lux obtenebraretur, vita in ligno moriretur. Et hoc eſt, quod ſequitur: *Diſſipatum eſt vas figuli*, ſcilicet in paſsione, ſed reſtitutum, & reformatum in reſurrectione. Hæc eſt domus reformationis, in qua reformatus fuit miſer Theophilus, ſicut in laudibus eius canitur in Proſa * *Theophilũ reformas gratia.*

Ipſa etiam eſt ſapientiſsima aduocata, quæ per efficaciſsimum modum, veniam, & gra-Cap.18 tiam, & gloriam verbi obtinuit apud Dominum: dicens, & allegans illud in conſpectu filij, & Dei Patris, Iere. 18. *Recordare* ò fili, *quod ſteterim* tempore mortis tuæ *in conſpectu tuo*, apud Crucẽ, vbi ſteti miſerabiliter, lacrimabiliter, & lamẽtabiliter, ſed nũc apud te ſto potẽtialiter, regaliter, vt Regina à dextris tuis in *veſtitu deaurato circumdata varietate. Vt loquerer pro eis*, qui digni ſunt morte æterna. *Bonum, & auerterem indignationem tuam*, grauem, duram, & æternam *ab eis*, quam tunc meruerunt nunc, & in futurum; in corpore, & in anima.

Ipſa etiam eſt, quæ ſe ipſam exemplo filij Cap.26 totum ſe nobis, & pro nobis offert, ſicut dixit Iere. Tribulationibus ſuis, ſic ipſa dicit amatoribus ſuis. Iere. 26. *Ecce ego*, ſcilicet, Mater Dei, Regina cœli, *in manibus veſtris ſum*, me totam in ſeruicio veſtro ponendo: *Facite mihi, vt bonum eſt*, mihi, & etiam vobis, & nunc, & in futuro, & facite de me, immò, & de filio meo, quem quotidie in altare tractatis, vt vultis, eius corpus, & ſanguinem quotidie ſumitis: *Quod bonum, & rectum eſt in oculis veſtris*, immò, & in oculis omnium Angelorum; immò, & in conſpectu Patris, & Domini omnium, quæ ſunt.

Ipſa eſt etiam *Ciuitas* altitudinis. Iere. 30. *Ædificabitur à Domino Ciuitas*, id eſt, MARIA *in excelſo*, vt ſit omnibus firmamentũ. Exemplũ Matth. *Non poteſt ciuitas abſcondi* Mat.8 *ſuper montẽ poſitã. Et templũ* gratiæ, gloriæ, & miſericordiæ, immò, & Templum Trinitatis, quod totum eſt MARIA iuxta ordinem ſuum, qui ſingularis ordo eſt, & excellentiſſimus, ſuper omnes homines, & ſuper omnes Angelos, *fundabitur* per humilitatem, erigetur per ſpem, decorabitur per charitatem.

Ipſa eſt etiam opus totius nouitatis, & clau-Cap.31 ſtrum incluſionis Dei, quem totus non capit orbis, in eius ſe clauſit viſcera factus homo. Iere. 31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram*, immò, & in cœlo nouum eſt, & ſub terra, quod eſt illud. *Ecce* illud *fœmina.* Gloſ. id eſt, MARIA: *fœmina*, immò Virgo gracillima, tenerrima. *Circumdabit* mirabiliter. Gloſ. Quia ſine virili ſemine totaliter, quia totum Deum, & hominem; fortiter, quia *virũ.* Gloſ. Gremio veteri ſui, hoc eſt, illud vas de quo dicit Spiritus Sãctus. Eccl. 43 *Vas ad-*Eccl.43 *mirabile opus excelſi*, mirabile enim eſſet vas quod maius ſe ipſo contineret, quòd ipſa fecit: mirabile enim eſſet vas quod ſimul vinum, & aquam ſine interſticio, & tamen ſine mixtione contineret, & vas illud ſimul vinũ diuinitatis, & aquã humanitatis cõtinuit ſine cõfuſione mixtionis naturarũ, vel proprie-

tatis naturalium. Non enim commixtionem passus est, neque diuisionem. Mirabile etiam esset vas, quod manens clausum omnia in se reciperet, & clausum effunderet, quod ipsa fecit: fuit enim *ortus conclusus*, *fons signatus*, & porta clausa, per quam princeps. *Ingrediebatur, & egrediebatur*, Ezec. 20.

Cant. 4. *Ezec.* 20

Ipsa est etiam *mons*, & domus totius sæcuritatis, Ier. 31. Consolans peccatores dicit: *Adhuc dicunt verbum istud*, Glos. fideles. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo, iustitiæ, mons sanctus*, Glos. In quo quis habitabit nullas timebit insidias. Capitales inimicitias habens libēter ædificaret, ideſt, vbi esset tutus. Sic tu cole virginem per deuotionem, & tutus eris.

Cap. 31.

B

LIBER LAMENTATIONVM.

Quomodo sedet sola ciuitas plena populo, Spoſa Dei electa, in morte filij sui vidua facta est dolores sustinens; & afflictionis super modū, Tren. 1. *Facta est, quasi vidua*, Glos. Absente Sponso *Domina gentium*; immò omniū creaturarum, *Princeps prouintiarum*, cœli, & terræ, & inferni. *Facta est sub tributo* doloris, & angustiæ: vnde Damascenus. Ipsa Beata Virgo MARIA, & earum, quæ super naturam digna effecta Dominationum; dolores, quos effugit pariens hos in Christi passionis, tempore omnes subſtinuit: amanter * naturali compassione viscerum laceratione tollerans. Et quem Deum cognouit per natiuitatem, hunc vt maleficum interfectum videns, cum gladio, cogitationibus lacerabatur; & hoc est, quod dicitur: *Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius.*

Cap. 1. * *Ex materna.* *Luc.* 3.

Ipsa est etiam *Mater* amaritudinis in Filij passione, quæ fuit Mater dulcedinis in Filij sui dulcissimi conceptione. Dirigēs ergo ad Deum Patrem orationem suam dicit, Tren. *Vide Domine*, scilicet, ò Pater, vt pium iudicē cruciatus flectat: * vide primo Filium tuū pulcherrimum, deformissimum, excelsum, deijcissimum, & clamantem ad te. *Heli, heli, vt quid dereliquisti me?* Vide filium tuum super omnia mihi coniūctissimum, per mortem corporalem disiunctissimum. Vide secundo me pauperem. MARIAM Matrem vnigeniti tui. *Quoniam amaritudine plenam sum.* Quę aliquando fui dulcedine plena: quando Angelus dixit mihi: *Aue gratia plena*: modo mihi vę dici potest, væ tibi MARIA; amaritudine plena in anima, quàm gladius pertrāsiuit in auribus audiens clamorem insultantis. *Vauh qui destruit templum.* Tertio audiēs clamorem clamātis, *vt quid dereliquisti me?* vel audiens clamorem se à me licenciātis, & dicentis: *Mulier, ecce Filius tuus*, vel plena in oculis videns coronatum spinis, lanceatū, sputis illitum * vndique sanguine cruentatū. Quia ergo nunc amaritudine *plena sum*, rogo, & volo, vt peccatores sint pleni misericordia, iusti gratia, electi gloria. Sequitur *vocem meam*, ò pater misericordiarum, *audisti*, & vocem filij tui, & audiasti, *ne auertas aurē tuam*, propitiationis, & exauditionis, & placationis *à singultu meo, & clamoribus*, Glo. cordis mei, pro peccatoribus quos tuę pietati commendo.

* *Forte fletus.* *Mat.* 27 *Luc.* 1. *Ioan.* 19 * *Illinitum.*

C

D

LIBER EZECHIELIS.

Et factum est in tricesimo anno, Regina prophetarum, Virgo MARIA, est domus fraternitatis, in qua Filius Dei ordinem, & habitū humani generis * induit, & assumpsit, & factus est frater noster, Ezec. 3. *Dixit Dominus ad Ezechielem*, Glos. Qui interpretatur roboratus à Deo, & significat Christum. *Ingredere*, subtiliter sicut Sol per fenestrā vitreā: largiter, sicut pluuia in vellus. Humiliter, sicut vincula pęnalitatum, omnia assumendo mirabiliter; vt quem totus orbis non potest includere, vterus tenellæ Virginis includat. Vnde sequitur, *& includere in medio domus tuæ*, ideſt, in vtero MARIÆ, includere, vt operator, Psal. *Operatus est salutem in medio terræ.* Includere vt conseruator, qui & se, & alios in domo fraterna includit, vt protegātur, & non lędantur. Includere vt obses, qui vinculatur, donec reddatur id quod promissum est. Vnde sequitur. *Et ecce data sunt super te vincula famis*: vt sis saciator sitis, vt sis potator lassitudinis, vt sis refrigerator mortis, vt sis viuificator: *& eris mutus*, peccata dissimulando, quasi diceret: Silentium seruabitur in peccatorū dissimulatione, Isai. *Tacui semper silui, silentium seruaui*, in tua iniusta acclamatione, vel silentium seruaui in tua acerrima flagellatione, Isai. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

Cap. 3. * *Humanitatem professus* *Psal.* 73 *Isai.* 42. *Isai.* 53.

Ipsa est etiam Mater instructionis, & exēplum omnium virtutum, Eze. 5. Ista est Hierusalem, ideſt, MARIA, *in medio gentiū posui eam*, Glos. in vmbilico mundi, vnde Psal. *Operatus est salutem in medio terræ, & in circuitu eius terras*, Glos. in exemplum boni. Multis enim causis ponitur aliqua res in medio: & sic Beata Virgo. Notandum de hoc.

Cap. 5. *Psal.* 73

Ipsa est etiam *porta gratiæ*, per quā intramus ad Regnum, Ezec. 11. *Eleuauit me spiritus*, scilicet, sanctus, *& introduxit me ad portam*, ideſt ad MARIAM. *Domus Domini orientalem*, per quam toti mūdo lux effulsit. *Quæ respicit Solis ortum.* Glos. Iustitiæ, de quo ecce MATER, *oriens nomen eius*, & ipsa optimè porta Solis, dicitur.

Cap. 11 *Zach.* 6.

Ipsa etiam, non solū misericors MARIA nominatur, & dicitur: Sed & per optimè dicitur, iusta MARIA, propter summā iustitiā, quā ipsa prę ter Deū in summo habuit. Cuius iustitiæ partes sunt istę, Ezec. 18. Prima est, *si fe-*

Cap. 18.

1.Cor.1 fecit *iustitiam, & iudicium.* Gloss. id est Christum. Qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio, vt faciat iustitiam veram. Nec in iudicio personam accipiat. Secunda iustitia est, si *oculos suos* non leuauit ad aliquod malum, quod ipsa sola inter alios viatores plenissime fecit. Tertia est: *Si hominem non contristauit.* Quod ipsa optime canit, sed fratres omnes lętificauit. Quarta est, si *pignus debitori reddidit.* Gloss. Non omni, sed pauperi. Glos. Qui pauper est, & proprium non impignorauit vestimentum ante solis ocasum. Debet reddere, & ille recipere, ne frigore moriatur, siue opprimatur. Quinta est, *si per vim nil rapuit*, quòd Eua non fecit, quæ voluit rapere diuinitatem, & amisit fęlicitatem; non sic MARIA, quæ quærebatur in Dominam, & obtulit se in ancillam. Sexta est: *Si panem suum esurienti dedit*, quod quotidie facit, cum corpus filij sui manducamus, & sanguinem bibimus. Septima est, *si nudum operuit vestimento*; quis nudus non peccator: vestit enim nos mundi Domina; peccatorem venia, iustum gratia, electum gloria, filium Dei carnis humanæ substantia. Gloss. Qui hæc septem fecerit hic iustus est. Vnde, & Virgo MARIA, quia hæc summè fecit nominatur de iure iusta MARIA, cui supplicare debemus, vt nos iustos faciat.

Cap.18. Ipsa est etiam tantorum meritorum in summo apud Deum præ omnibus sanctis Virgo MARIA. Quod quasi mirando, & quasi interrogando quærit Dominus à peccatoribus, quare moriantur morte æterna, cùm viuere possint vita gloriæ, meritis, & intercessione Virginis MARIÆ. Eze. 18. *Hæc dicit Dominus*, scilicet, ad peccatores desperatos, & per peccatũ mortificatos: *Quare moriemini*, ita crudeliter, ita viriliter, ita negligẽter, ita totaliter *Domus Israel.* Glo. Qui estis filij Israel, Abraham, Isaac, & Iacob. Qui patrũ merito debetis viuere, ex quo sic concludo. Si meritis Abraham, Isaac, & Iacob possumus viuere, qui fuerunt peccatores, & serui Dei: multò fortius possumus, & debemus vita gloriæ meritis post Dominum, supremis Virginis MARIÆ. Quæ Mater Dei est, Domina mundi, Regina cœlij, cui omne iudicium misericordiæ dedit Dominus Filius post se, vt omnes honorificent matrem, sicut honorificant filium eius, tanquam Deum, ipsam tanquam Dei Matrem. Quia igitur filij misericordiæ eius sumus, clamat Dominus dicens illud, quòd statim sequitur in littera: *Nolo mortẽ morientis.* Glos. Quia debetis viuere mea misericordia, & merito, & præcibus Virginis Matris MARIÆ.

Cap.32. Ipsa est *Regina* illa, quæ stat à dextris Dei, in vestitu deaurato; stat autem ibi, vt se opponens iræ Dei, & plagæ Dei contra peccatores. Quia nullus sanctorum ita potenter facit, vt ipsa, nec potest facere. Eze. 33 *Hæc dicit Dominus: Quæsiui virum, qui interponeret sepem.* Glos. Id est, intercessionem: *Et staret oppositus contra me pro terra*, id est, peccatore, qui nõ cœlum, sed terra dicitur propter peccatum, *ne dissiparem eam* crudeliter, celeriter, & totaliter, *& non inueni.* Sed hoc est reseruatum Virgini MARIÆ, cuius officiũ hoc est, & specialiter iniunctũ à Domino.

Ipsa etiam est *nubes* candidissima vestiens *Solem* iustitiæ humanitate nostra, in incarnatione sua. Eze. 33. *Solem*, id est, Christum *nube* humanitatis in vtero MARIÆ *tegam* sapienter, humiliter, & misericorditer. Cap.32

Ipsa est etiam porta illuminationis omnis creaturę. Eze. 43. *Duxit me ad portã, quæ respiciebat viam orientalem, & ecce gloria Domini Israel*, scilicet, Christus IESVS *ingrediebatur* subtiliter, puriter *per viam orientalem*, quia sine peccato conceptus. Alij ingrediuntur in hunc mundum per portam occidentalem originalis culpæ: *Et vox erat ei* Glos. quasi aquarum multarum: *Et terra resplenduit à maiestate eius.* Glos. Quòd in aduentu Christi propriè factum est. Cap.43

Ipsa etiam est *templũ* maiestatis Dei. Eze. 43. *Maiestas Domini ingressa est in templum.* Id est in vterum MARIÆ, quæ est tẽplum Dei, sed quomodo ingressa, & ad quid ingressa? ad sanctificandũ. Psal. 45. *Sanctificauit tabernaculũ suũ altissimus.* Ad replendũ. Vnde, & sequitur: *Et repleta est domus Domini.* Ad habitandũ nobiscũ. Vnde, & dicit: *Et dixit Dominꝰ ad me, locus solij mei, & locus vestigiorũ pedũ meorũ.* Vbi habito tanquã ciuis, tanquã frater, tanquã adiutor, scilicet, est MARIA in medio filiorũ Israel in ęternũ. Glos. Nõ ad tẽpus: *Tu autẽ fili hominis*, ostende prædicando, laudando *domui Israel Templũ*, id est, MARIAM, longitudinẽ eius, latitudinẽ eius, sublimitatẽ, & profundũ, de quibus Bern. optimè loquitur. Require supra Cant. 8. *Quæ est ista quæ ascendit. Et confundantur.* Glos. visio tẽpli. Ipsa est etiã *porta clausa.* Eze. 44. *Conuerti me ad viã portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Oriẽtẽ, & erat clausa.* Glos. Virgo MARIA. Virgo ante partũ, Virgo in partu, Virgo post partũ: *Et dixit Dominus ad me. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Glos. Clausis hostijs ingressus est, *eritq; clausa Principi.* Glos. Verbum Dei, aduentus eius, *Princeps ipse.* Glos. id est, Christus *sedebit in ea, vt comedat.* Glos. Nobiscum, *panem coram Domino.* Glos. Tantæ clementiæ, & bonitatis est Princeps noster, vt cùm sedeat solus in porta, quæ clausa est, & comedat panem coram Domino, velit tamen plures habere consortes mensæ suæ. Ipse per portam *ingredietur*, Glos. vt eos qui

per se intrare non possunt, introducat. Ipse enim intus est omnibus infusus, & *egredietur*, Glos. His qui foris sunt, omnibus circumfusus.

Ipsa est etiam, quæ nunquam se claudit per misericordiam peccatori, & vsque ad finem
Cap. 46. vitæ suæ, Eze. 46. *Porta quæ respicit ad orientem*, Glos. Vnde Sol iustitiæ oritur, *die sabbathi aperietur*, Glos. in quo est requies, & *in die Kalendarum*, scilicet, solemnitatum Filij Dei, & in suis *aperietur*, per largitatem, & per subuentionem, & *intrabit princeps. Porta enim non claudetur*, Glos. post egressionē principis, *vsque ad vesperam, & adorabit populus ad ostium portæ illius*, Glos. Quando aperietur porta: immò enim non claudetur, vt populus post Principem adoret, *holocaustū*, remissionis omnium peccatorū, *offert Princeps*, Glo. Christus *in die Sabbathi*. Ad litteram quando festū matris suæ agitur, & *Princeps erit in medio eorum*, Glos. ingredientiū.
Ioan. 1. *In medio vestrum stat, quē vos nescitis. Cum ingredientibus ingredietur, & cum egredientibus egredietur*. Glos. Vtriusque sexus, scilicet, virtutis, vel peccati testis assistens.

LIBER DANIELIS.

In tertio anno Ioachin. Imperatrix Prophetarum Virgo MARIA, dicitur, *mons* comminutionis omniū peccatorum, & percussionis
Cap. 2. Diaboli, Dan. & *abscissus est lapis*, Glos. id-est, Christus *de monte*, ideſt, Virgine MA-
Psa. 67. RIA. Quæ est *mons coagulatus, mōs pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Sine manibus*, absque virili opere generatus, & *percussit statuam*, ideſt diabolū, & omnes superbos, Psal. *Et comminuet eos, vt pulueream ante faciem venti, vt lutum platearū delebo eos: Et lapis factus est mons magnus*. quia magnus in natura, magnus in potentia, magnus in misericordia, & magnus in Iudæa *Et impleuit vniuersam terram*, & cœlū, Glos. per gloriam cęlorū, Abac. *Operuit cœlos gloria eius*, terram misericordia, Psalm. *Misericordia Domini plena est terra*, infernū dolore, & miseria, Iob. *Terræ miseriam, & tenebrorum*.

Ipsa est etiam *arbor*, quę in multis commēdatur, Dan. 4. Commendatur primo, à com-
Cap. 4. munitate Beata Virgo, quia cōmuniter omnibus benefacit, ibi: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ*, ideſt, MARIA, in medio Ecclesiæ, omnes respiciens, & communiter quātum in se est, ad omnes se habens. Secundò cōmendatur à dignitate, & sublimitate super omnem creaturā, ibi: *Et altitudo eius nimia*, Bern. O Virgo virga sublimis, ad quantā celsitudinem verticem sanctum erigis, vsque ad sedentem in throno, vsque ad Dominum maiestatis. Neque id mirum, quoniam in altum mittis radices humilitatis, & *magna* virtutū magnitudine. Tertio commendatur à fortitudine, scilicet, & fortis contra Diabolum, mortem, & peccatum. Require illud in Prou. vlt. *Mulierem fortem quis inueniet? Et proceritas eius attingens cœlū*, ideſt ipsum Deū. *Pro. vl.*
Quarto, cōmendatur à misericordia vniuersaliter ad omnes *aspectus eius*, scilicet, intuitus misericordię, *erat vsque ad terminos vniuersæ terræ*, Glos. Non solum ad Angelos, & iustos, sed ad peccatores: immò & ad illos qui sunt in Purgatorio. Quinto, commendatur à fęcūditate, ibi: *Folia eius pulcherrima*, ideſt, verba, quæ dixit ad Angelū, ad Filiū, ad iustos: & *fructus eius nimius*, ideſt, IESVS Christus qui sufficit Angelis, & hominibus. Sexto commendatur à cibatione; quia cibat omnes, id est, est esca omnium sanctorum in ea, & Angelorum, & hominem. Septimò commendatur à protectione fidelissima, ibi: *Subter eam*, id est, sub protectione eius *habitabant* lætanter, & confidenter *animalia*, ideſt, miseri peccatores propter reformationem, protectionem, pausationē, & pulchritudinē. Octauo commendatur à iucūditate, quam habuit inter omnes sanctos, ibi: *Et in ramis eius*, virtutum, misericordiæ, humilitatis, & charitatis. *Cōuersabantur volucres cœli*, ideſt, omnes sancti: & *ex ea vescebatur omnis caro*, quia omnes alit.

LIBER OSEE.

Verbū Domini quod factum est ad Osee, Do- *Cap. 10.*
mina mundi, Regina Prophetarum assimilatur, viti non qualicumque, sed fertilissimæ, Osee 10. *Vitis frōdosa Israel*, ideſt, MARIA, omni gratia plena, Glos. habens bonas propagines, *fructus adæquatus est ei*. Hoc excellit omnes alios in quantitate, & qualitate, & vtilitate, sanctitate, saporitate, sanitate. Ipsa est etiam lilium castitatis, Osee 4. *Ego quasi ros* *Cap. 4.*
æstuantis incendij æstum libidinis auferam. *Israel germinabit quasi lilium*, Glos. Hoc rore infusa. Ipsa etiam alijs sanctis quandoque cessantibus à beneficio peccatorum. Ipsa sem *Cap. 14*
per ad pietatis opera erumpit, Osee 14. *Erūpet radix eius*, Glos. Bona voluntas ad effectū boni operis perducetur, *vt Libani*, & *ibūt rami eius* de virtute in virtutem, Glos. Arbores excelsæ libani, quantum in auras extollunt verticem, tantùm in imū demergunt radices, vt nulla potestate moueantur.

Ipsa est etiam *Mater* misericordiæ, propter misericordiam, maximè sapit peccatoribus, & laudatur ab omnibus, Osee 14. *Erit quasi oliua gloria eius*, Glos. Per opera misericordię, & *odor eius vt Libani*, Glos. ideſt, thuris. *Memoriale eius, vt vinū Libani*, Glo. Quod diuersum pigmentis conditum suauē odorem emittit, Bern. Laudamus Virginitatem, humilitatē miramur, sed misericordia, *Hier. 4. de Assūp.*
&c. *Require* 8. Cant. *Quæ est ista*.

PROPHETA IOELIS.

Verbum Domini quod factum est ad Ioel. filium

liam Phatuel. Ipsa est etiam ad quã respicit omnis creatura præter Deum, Iohel. 1. *Bestiæ agri*, ideſt peccatores, non solùm Angeli, vel sancti, *quasi area sitiens*, imbre veniç, & gratiæ, *suspexerunt ad te*, Glos. Rorem misericordiæ flagitantes, quoniã *exsiccati sunt fontes aquarum*, Glo. Ebibiti & exhausti, sed tu non, quia plenitudinem gratiæ habes. Cap. 1.

Ipsa est etiam fons domus Domini irrigãs ariditatem peccatorũ, Ioel. 3. *In die illa*, scilicet gratiæ, & misericordiç egredietur, in mundo nascẽdo, *fons*, ideſt, MARIA, *de domo Domini*: & *irrigabit torrentem spinarũ*, Glos. Vt quæ vitiorum punctionibus, pũgebantur, modo virtutum floribus adornentur. Cap. 3.

B

IONAS PROPHETA.

Factum est Verbum Domini ad Ionam. Ipsa est etiam illud mare, quod nunquã desideria, & suspiriaeos, * quiescere potuit, donec verus Ionas, Filius Dei in ipsam missus fuit per incarnationem, Ionæ 1. *Dixerũt viri ad Ionam*, Glos. Iona, quæ interprætatur columba, Christus est. *Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis*, & dixit: *Tollite me, & mittite me.* Me ditissimum in pauperrimam: me sublimissimum in humilissimam: me Dominum in ancillam, *in mare*, hoc est, in vterum MARIÆ. Ipsa enim comparatur mari propter multa. Require in titulo de mari, *& tulerunt Ionam*, Glos. ideſt, Christum. Non rapiunt, sed eum cum honore, & obsequio portant, *& miserunt in mare*, Glo. Nõ repugnãtem, sed manus voluntati Dei prębentem. * Desiderijs, & suspiris. Cap. 1.

MICHEAS PROPHETA.

Ipsa est etiam turris potentiæ Dei, Miche. 4. *Turris gregis*, Glos. ideſt, munimentũ, *nebulosa*, obumbrans, & abscondens peccatores *vsq; ad te veniet.* Glos. Deus, *& potestas prima veniet*, Glos. ideſt, Christus dans tibi secundam potestatem in omnibus, vt ita dicere possis. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Cap. 4. Mat. 28

D

ZACHARIAS PROPHETA.

Ipsa est etiam *murus* conseruationis, & defensionis contra diabolum, mundum, & peccatũ, Zachar. *Et ego murus in circuitu*, Glos. ideſt, defensio in eis. *Qui tetigit vos* detrahẽdo, persequendo, turbando, maledicendo, *tãgit pupillam oculi mei*, qui statim iudicatur. Cap. 2.

Ipsa est etiam *lapis* fundamenti plenitudine gratiarum adornatus, Zachar. *Ecce lapis quem dedi coram IESV, & super lapidẽ*, istũ, ideſt MARIAM. *Septem oculi sunt*, Glos. ideſt plenitudo totius gratiæ spiritualis. Ipsa est etiam candelabrum pulchritudinis illuminationis totius Ecclesiæ, Zachar. 4. *Vidi, &* Cap. 4.

A

ecce candelabrum aureum totum, Cant. *Tota pulchra es, &c. & lampas eius*, Glos. ideſt, Christus, *super caput eius, & septem lucernæ eius super illud*, Glos. ideſt, candelabrũ gratiç Spiritus sanctiç scilicet per quas oleũ misericordiæ Dei suscipit Ecclesia. *Et septẽ infusoria*, Glo. Quibus oleum infunditur *in lucerna*, vt luceant in candelabro. Ipsa est etiã lapis primarius, Zach. 4. *Educet*, Glo. *Dominus lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius*, Glos. ideſt, gratiam lapidis exæquabit gratiam, quam patres * exercuit. Cant. 4. * Peccatores.

Ipsa est etiam *Domus*, & *Templum* munitionis, & ciuitas ad quam conuerti debemus, si saluari volumus, Zach. 9. *Hoc dicit Dominus*, scilicet iustis, peccatoribus, omnibus *cõuertimini*, scilicet celeriter, & fiducialiter, lętanter, & totaliter, & vniuersaliter *ad munitionem*, ideſt, ad MARIAM, firmissimam, aptissimam, communissimam, *tuncti spei*, Glos. dirigitur sermo ad eos, qui sunt, & Dei misericordia liberandi. Cap. 9.

Ipsa est etiam *fons*, communicationis cœlestium, terrestrium, & in purgatorio peccatorum, Zach. 13. *Erit fons patens*, Glos. omnibus sitientibus *domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionum peccatorum, & menstruatæ*, Glo. ideſt, maiorũ peccatorũ. Cap. 13.

MATTHÆVS EVANGELISTA.

C

Liber Generationis * *Filij Dauid, filij Abraham*: Imperatrix, & Domina Euangelistarum omnium in Euangelio, Matth. Cõmendatur à multis, & primò ab omni humilitate, Matth. 1. ibi: *Cùm esset desponsata.* Magna enim fuit humilitas, quòd Domina desponsari voluit seruo in patria fabro. De hac humilitate, Bern. in Serm. *Missus est Gabriel*, sic dicit. Quæ est hæc Virgo tàm venerabilis, vt salutetur ab Angelo, tam humilis, vt desponsata sit fabro: audis ò peccator Virginem humilem, si non potes virginitatẽ, Virginis immitare, humilitatem humilis. Potes denique sine virginitate saluari, sine humilitate non potes, sine humilitate verò minimè, si audeo dicere, neque Virginitas MARIÆ placuisset Deo, & si MARIA, humilis non fuisset spiritus, scilicet super eam, non requieuisset, nec impregnasset. Quomodo ergo de se ipso, sine ipso cõciperetur. Vnde ipsa dixit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, potius quàm Virginitatem: & MARIA ex virginitate placuit, sed ex humilitate cõcepit tantùm. Cùm ergo *esset desposata*: fuit enim ista despõsatio vtilis ad multa. Primò, vt matrimonium bonum esse ostendatur. Secũdo, vt Domina omniũ nullo bono priuaretur. Tertio, vt hostis fallatur. Quarto, vt testis castitatis habeatur. Quinto, vt origo Dominæ describatur. Quia scriptura nõ cõsue- * IESV Christi. Cap. 1. Luc. 1.

nit fœminas genealogizare. Sexto, vt ab infamia seruaretur. Septimo, vt pœna caueretur. Octauo, vt à Christo persecutio tollatur. Nono, vt filius procuretur. Decimo, vt Domine seruiatur. Vndecimo, vt humilitas virginitati coniungatur. Duodecimo, vt occasio incurrendi, * infamiam virginibus tollatur. Tertiodecimo, vt filij charitas, & humilitas ostendatur. Qui potiùs filius fabri voluit reputari, quàm Matrem infamari. Quartodecimo, vt Matris dignitas humilitati societur, vt quanto maior est, humiliet se in omnibus, vt sit Mater Dei, & vxor fabri.

Commendatur, & à fidelitate, & pietate, & bonitate materna, ibi: *Mater IESV, MARIA*: immò etiam Mater nostra miserorũ, & orphanorum. Qualiter autem omnia officia Matris, piæ ad nos habeat. Require in titulo de Matre.

Commedatur etiã à sublimitate, & dignitate super omnes Angelos, scilicet, quod sit Mater IESV, Bern. O si, & cuius Mater attẽdas. An non Deũ, & Dominũ Angelorũ MARIA, suum appellat filiũ suum, diceds: *Filij quid fecisti nobis sic?* Quis hoc audiat Angelorũ? Sufficit eis, & pro magno habent, cum sint spiritus ex conditione, ex gratia sancti sint, & Angeli vocati sunt. Matrẽ verò MARIAM, se cognoscẽs maiestatẽ illam, cui illi cum reuerentia seruiuit, cum fiducia suũ nũcupat filium, neque dedignatur nuncupari, vel esse dignatus est: commendatur, & à nominis nobilitate, ibi, MARIA: de hoc require Eccles. 1.

Luc. 2.

Eccles.

Commendatur etiã à seruandi, & conseruãdi fidelitate: reposuit enim Deus Pater, tanquã in firmissimo loco thesaurũ redemptionis nostræ, quẽ conseruãdũ ipsa præ omnibus accepit, ibi: *Inuenta est in vtero habens*: sed quid? Angelorũ lętitiã, iustorũ gratiã, peccatorũ veniã, Bern. In te Angeli lætitiam, iusti gratiã, peccatores veniã, inueniunt in ęternũ. Audite peccatores, audite, enquẽ quærimus. MARIA habet in vtero *inuenta est*. Inquit Euãgelista *in vtero habẽs*. Redde ò pia, quod debes, Beatus Sebastianus laudatur, quod fuit in commisso fidelis, sed tu super omnes fidelissima. Tenete eam, ò peccatores, *& ducite, non sólũ cauete*, sed cũ lachrymis, & deuotè postulantes, & dicentes. Quia inuenta est in vtero habẽs: profer ex vtero, ò benignissima, panem quo lætiemur; vinũ quo lætificemur, medicinã quo sanemur, obsidẽ quo redimamur, thesaurũ quo ditemur, fratrẽ quo iuuemur, Dominũ per quẽ exaltemur, & coronemur: omnia hæc est IESVS tuus vnicus, quẽ in vtero habes. Cõmendatur: etiã à sanctitate ex puritate summa post Deum, ibi: De Spiritu sancto, de hac puritate dicit Anselmus, in libro de conceptu virginali: decebat vt illius hominis conceptio, de Matre purissima

Mar. 14

A fieret. Nempe decés erat, vt ea puritate, quæ maior sub Deo nequit intelligi Virgo niteret, cui Deus Pater vnicum filium suum, quẽ de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus, idemque Deus, communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quã sibi substantialiter Matrẽ eligebat, & de quo Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur ille, & nasceretur, de quo ipse procedebat. Cõmendatur enim à præcipua, & vtilissima IESV Christi vtilitate, Matth.

1. *Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph dicens: Ioseph Fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugẽ tuã, quod enim in ea*

Mat. 1.

B *natũ est, de Spiritu sancto est, pariet autem filium* Sed quem? Angelorũ restauratorẽ, hominũ redemptorẽ, innouatorẽ corporalium. Require de hoc, Isai. 66. Vltimo, ibi: *Peperit filium:* peccatorũ reuocatorẽ, &c. Require in Sermone. *Beatus vẽter qui te portauit. Et vocabis nomen eius* lætanter *IESVM*. Sed quare? Ipse enim * Angelum, non Propheta, *saluum faciet* libenter, sapienter, totaliter, & liberaliter, & abundanter, Psal. *Pro nihilo salnos facies illos*, populum suum ad se vocantẽ, & eum desiderantem, Isai. *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes. A peccatis eorũ* turpissimis, grauissimis, damnosissimis. Require in titulo de peccato.

* Nõ Angelus, nõ Propheta.

Psal. 55

Isai. 64.

C Cõmendatur etiã Beatissima Domina à summa fidelitate post Deum, quæ fidelitas in hoc cõsideratur, quòd Deus Pater totũ thesaurũ suum ei commendauit, qui nõ solet nisi fideliter commendari, Mat. *Hoc autẽ totũ factũ est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam*, scilicet, Isai. *Ecce virgo in vtero*, habebit Dei Patris depositum, Psalm. *Redemptorem misit Dominus populo suo*, meitorũ consolationẽ, Isai 40. *Consolamini, cõsolamini populemeus. Dicit Deus noster inferorũ repagulum*, qui scilicet claudat infernũ, *ne aperiat os suum, absque vllo termino*, vt dicit Isai. Cęlorum Dominum qui aperit, & nemo claudit, *& pariet filium suum, & vocabitur nomen eius Emanuel*, quod est interpretatũ nobiscũ, Deus: sed quomodo nobiscũ? Respondeo. Nobiscum humilitate, quia *cum peccatoribus* mãducat, *& bibit*. Nobiscũ fraternitate, quia *caro & frater noster* est, ordinem humani generis, non ordinẽ Angelorũ assumens, ad Hæbr. *Non Angelos appræhendit, sed semen Abrahæ appræhẽdit*. Nobiscũ fidelitate, Prou. *Qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*. Nobiscũ conseruatione. Ioan. *Pater, quos dedisti mihi nõ perdidi ex eis quidquã*. Nobiscum prouisione: prouidet enim nobis quotidie, Petr. *Omnẽ sollicitudinẽ nostrã proijcientes in eum*. Quoniã ipsi cura est de nobis: nobiscũ tractatione, quia semper nos ad se, & post se, & in se trahit, Osee.

Isai. 7.

Psa. 118

Isai. 40.

Isai. 5.

D

Isai. 7.

Marc. 2

Gen. 37.

Hæb. 2.

Pro. 18

Ioan. 17

1. Pet. 5

Osae 1

In

Oſee 11. *In funiculis Adam trahã eos, in funiculis* A *charitatis.* Nobiſcum vſque in finem manens
Mat. vl. ſæculi in habitatione, Matth. vlt. *Ego vobiſcum ſum, vſque ad conſumationem ſæculi.*

Cap. 2. Ipſa eſt etiam ſtella Orientis, quæ cõmẽdatur primò in hoc, quod apparuit in Oriente gratiæ, & non ſicut Eua in Occidẽte culpę, quæ fuit ſtella Occidentis, Matth. *Et Magi ab Oriente venerunt Hieruſalem dicẽtes: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus ſtellam eius in Oriente*, Cant. *Quæ eſt iſta, quæ*
Cant. 6. *progreditur ſicut Aurora.* Ipſa enim, quaſi prima apparet peccatori redeunti ad Dominum. Vnde & ſequitur. *Et venimus adorare*
Iſai. 60. *eum*, Iſai. *Filij tui de longè venient*, &c. Mar. *Quidam enim ex eis de longè venerunt.* Stella B
Mar. 3. etiam iſta commendatur. Secundo in hoc, quod turbauit *Hærodẽ*, ideſt, diabolum, ibi: *Audiens autẽ Hærodes Rex turbatus eſt, & omnis*, & poſt: *diligenter didiſcit ab eis tẽpus ſtellæ*, ideſt, MARIÆ, *quæ apparuit* per naturam in mundo naſcendo, & per gratiam in morte peccatoris apparendo. Hoc enim Hæ-
* *Ideſt diabolus* rodes * pellicens, vehementer expaueſcit: ſtella, & iſta. Tertio commendatur à fideliſsimo ducatu, peregrinorũ Chriſti IESV, ibi: *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente antecedebat eos*, ſicut antecedit reconciliatrix eũ,
Ioan. 4. vel inuitatrix hoſpitẽ, Ioan. *Vado parare vobis locum*, vel ſicut antecedit, viam oſtendẽs, viam patriæ ignoranti. Vnde & ſequitur. *Vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer.* C
Et tunc primo ſecura eſt de nobis. Quarto commendatur ſtella iſta, quia ſuos peregrinos, & ſuos ſequaces lætificauit, ibi: *Videntes autem ſtellam*, ideſt, MARIAM, *Gauiſi ſunt gaudio Magno valdè.* Gaudemus de ea, primo enim tanquã de tenebrarum noſtrarum illuminatrice, quamtum ad primum ſuperiùs poſitum. Gaudemus ſecundò de ea, tanquam de aduerſarij noſtri Diaboli, exterminatione exterminatrice. Gaudeamus tertio de ea, tanquam de fideliſsima ductrice, quantum ad tertium. Gaudeamus quarto, de ea, tanquã de omnium merentium, & dolentium, pro
Iob 29. peccatis conſolatrice, Iob. *Cùm ſederem quaſi* D *Rex eram, tanquam merentium conſolator.*

Ipſa eſt etiam, quam in omni negocio ſemper peccator debet aſſumere, ſiue ad fugiendum diabolum; ſiue ad reuertendum ad pa-
Mat. 2. triã, de primo MARIA, ſcilicet fuga, * Mat. *Et Angelus Domini*, ſcilicet ad litteram, vel gratia in mente, vel prædicator, qui Angelus Dei eſt. *Apparuit in ſomnis Ioſeph*: ideſt, peccatori: peccator enim dormit dicens: *Surge*, ſcilicet à peccato: ſcilicet, celeriter, veraciter, & totaliter. *Et accipe puerum, & Matrẽ eius*, Patri in oblationem. Magna enim dona oblata mitigant, & extinguunt iram principum, ſic puer iſte patri oblatus. *Accipe, & Matrem* te in reconciliationem, vt pro te lo-

quatur, 3. Reg. 2. Benè, ergo loquar pro te Regi; vel *accipe*, ſimul *puerum, & Matrem*, *3. Re.* 2
ad fugiendum mundum, diabolum, & peccatum; & fuge de deſerto, ſcilicet, ad reuertendum ad Deum, & ad cœleſtem patriam, Mat. 2. Et idem Angelus dixit ad Ioſeph. *Surge* lætanter, & feſtinãter, *& accipe puerum, & Matrem eius, & vade in terram Iſraelis*, vel in cęleſtem patriam. In hanc terram, & patriam vadas, & reuertaris lætanter, quia illuc modo reuocaberis, Apoc. 3 *Vox prima, quam* *Apoc.* 3
audiui dicentem mihi, aſcende huc; vel reuertaris libenter, quia tu magnis diuitijs vadis, ſcilicet cum puero, & Matre; vel reuertaris ſecurè, *quia defuncti ſunt*, Dæmones tentantes, cogitationes nos infeſtantes, mũdani decipientes; *qui quærebant animã pueri*, immò, & animam tuam, *qui quærebãt*, gratiã Chriſti in te extinguere, te ad infernũ rapere omnes mortui, & defuncti ſunt.

Ipſa etiam eſt *mons*, illuminationis omniũ beatitudinum, quas in ſummo omnis creaturæ, poſt Dominum habuit. Matth. 5. *Videns IESVS turbas aſcendit in montem.* Hic eſt *mons*, quem aſcendit Filius Dei in Incarnatione. Hic eſt *mons* omnium illuminationũ gratiæ ſpiritualis, quas ipſe à vero Sole radioſe, & copioſiſsimè recepit. Quarum prima eſt illuminatio paupertatis, ibi: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnũ cœlorum*, Gloſ. Pauper ſpiritu, eſt humilis corde, quam in ſummo habuit: ergo & ſummam paupertatem. Itẽ Gloſ. Beati pauperes, quos nõ neceſsitas, ſed fides, & deuotio paupertatis bonos facit, vt contemptis omnibus Deo viuant. Abdicatio enim omnium rerum temporalium in ipſa fuit in ſummo, & ſic patet: quidam enim dant ſuperflua naturæ, ſed non perſonæ. Vnde Auguſt. vtere ſuperfluis neceſſaria da pauperibus, vtere prẽcioſis, pauperibus dà vilia: iſte eſt primus gradus paupertatis. Secundus dant ſuperflua, & naturæ, & perſonæ, Luc. 11. *De eo, quod ſuperſt da pau-* *Luc.* 11
peribus, Glo. de eo, quod ſuper eſt neceſſaria victui, & veſtitui, dandũ eſt pauperibus. Tertius gradus eſt, dare non tantùm ſuperfluum, ſed & neceſſaria. Vnde Gloſ. non ſolùm exteriora, & non neceſſaria: ſed etiam interiora, & valdè neceſſaria tua, proximis diuidamus. Quartus gradus eſt; omnia ſuperflua, & neceſſaria ſimul dare, ſed adhuc ſemetipſum retinere. Quod, quidam Philoſophorum fecerunt, qui omnia relinquerunt, licet non propter Deum: vnde ſuper illud. *Ecce nos reli-* *Mat.* 19
quimus omnia, & ſecuti ſumus te, dicit Gloſ. Non dixit tantum, qui reliquiſtis omnia, hoc enim, & Socrates fecit Philoſophus, & multi alij, qui diuitias contempſerunt. Sed *qui ſequuti eſtis me*, quod proprium eſt Apoſtolorum, & credentium. Quintus gradus eſt, omnia dare, & ſe ipſum relinquere,

& prætereà laborare manibus, vt habeat nudus necessitatem, tribuat patienti reuelans eius miseriam temporalem. Hunc gradum habuit Apostolus. Sextus gradus est: omnia dare, & se ipsum superaddere. Vnde in Euan-
Mat.19 gelio. *Si vis perfectus esse, vade, & omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Septimus gradus, omnia dare, & se ipsum & spiritu, & corpore laborare, vt pascat Christum pane spirituali; & iste gradus est excellentior sexto: quia vt dicit Gregorius. Maius est reficere animam semper victuram, quàm ventrem quandoque moriturũ. Octauus gradus est, omnia & se ipsum relinquere, & de substantia sui corporis partem accipere, & ad refectionem animarum proximorum dare. In isto gradu paupertatis, & largitatis fuit Beatissima Virgo, quę de purissimis carnibus, & sanguinibus eius maximè nobis con-
Ioan.6. fecit panem, scilicet viuum, *qui de cœlo descẽdit, qui est* verè vita. Require *qui mãducauit mortem non timebit in æternum.* Hunc autem toti mundo vendito dedit Beatissima Virgo. Nonus gradus, est omnia dare animã, & corpus proprium, & diuinitatem his vnitam proximo dare in cibũ animæ sub specie aliena. Tamen & hoc est opus misericordiæ summum, & summùm paupertatis Domini nostri IESV Christi in via. Decimus gradus, est se ipsum dare totum, & corpus, & animam, & diuinitatem sub specie propria in cibum corporis, & animæ simul, & semper in ęterna
Luc.14. beatitudine, de quo dicitur: *Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum.* Ex his patet, quòd Beata Virgo spiritus paupertatem habuit, quantum ad rerum abiectionem excellentiùs omni homine pręter Christum Dominum, vel in carentia necessariorũ. Non attenditur perfectio paupertatis pęnes propinquationem ad summum defectum; sed penes voluntatem, & deuotionem, & personæ dignitatem. Si enim ęquè parum habeat miles, & rusticus, pauperior est miles, quã rusticus; immò quòd rustico diuitiæ, paupertas est militi, & quod militi diuitiæ paupertas est Principi; & sic ascendendo: quantò quis dignior sit in eodem defectu, tantò erit inferioribus pauperior: ergo cũ Beatissima Virgo prælellat omnes in dignitate; & æqualem alijs habuit paupertatem, excellit tamen omnes improportionabiliter in paupertate.

Secunda est, illuminatio mititatis, ibi: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terrã.* Ipsa enim mititatem, & mãsuetudinẽ pręter Christum excellentissimè habuit, Gloss. Mites sunt, qui malis moribus dominantur. Quod ipsa perfectissimè fecit, quia eius dominium de malis moribus fuit sine pugna; omnium aliorum cum pugna. Item Glos. mansuetus non irritat, nec irritatur; nec nocet, vel nocere cogitat, & nulli nocere, & omnibus in summo prodesse. Hoc totum fuit in summo in ipsa. Item Glos. Mitis est, quem nec animi rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter substinet, quod nullus perfectissimè viatorum impleuit, vt ipsa sola. Vnde & tota Ecclesia ipsam laudando dicit: *Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mittes fac, & castos.*

Tertia est, illuminatio luctus, ibi: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Beatitudinis * enim luctus post Christum fuit in Beata Virgine excellentissimè, quia cuius causa nobilior, & effectus, omnes alios viatores instigabat ad flendum peccatum. Beatam autẽ Virginem instigabat ad flendum sola charitas. Item dicit Hiero. Seruitia, quanto minus debita, tanto magis grata: sed luctus Beatæ MARIÆ Virginis nullo modo fuit debitus debito necessitatis, sed tãtùmodo debito charitatis: ergo sicut eius luctus alijs fuit improportionabilis, ita & consolatio eius alijs etiã fuit improportionabilis.

Quarta est, illuminatio esuriei, & sitis iustitiæ, ibi: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quod similiter in ea fuit excellentissimè.

Quinta est, illuminatio misericordiæ, ibi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Glos. Misericordia est dare, & dimittere; sed Beata Virgo omnibus plus dedit improportionabiliter, & dimisit super omnes creaturas: ergo habet Beatitudinem misericordiæ super omnes. Item Ambrosius. Misericordia est nullum in miseria relinquere, & nullum miserum facere. Hoc autem in summo fuit in Beata Virgine, & sic habuit misericordiam super omnes. Itẽ hæc misericordia non solùm in electis consistit, sed in omni peccato corrigendo. Hoc etiam habuit in summo Beata Virgo, & sic habuit misericordiæ Beatitudinem super omnes. Itẽ misericordia reddita ei improportionabiliter super omnem misericordiã, quæ est præmium: ergo Beatitudo misericordiæ erat in ea improportionabiliter super omnem naturam, quæ est meritum. Vnde & Mater misericordiæ vocatur, & Regina misericordiæ: est enim duplex Regnũ iustitiæ, in quo vnusquisque recepit, prout gessit hic in corpore: cuius prima potestas est hic à Rege glorię, & à Rege iustitiæ, & à sacra Trinitate. Regnum misericordiæ est, vbi nondum recipitur, secundùm merita; sed adhuc Regnat misericordia, peccatum dimittendo, pœnas diluendo, bonũ multiplicando, mala differendo. Huius Regni origo, & prima potestas est à Beata Virgine, propter quam *Suscepimus misericordiam in medio Templi tui*, IESVM Chri- *Psal.47.*
stum. Patet ergo, quòd omnes alij serui misericordiæ sunt; Beata autem Virgo Regina mi-

misericordiæ, sed sicut improportionabiliter, maius est esse Reginam misericordiæ, quàm seruum misericordiæ; sic Beatissima Virgo improportionabiliter, se ad misericordiam habet, quàm omnes alij.

* *Mũditiæ.* Sexta illuminatio est mundicitiæ, * ibi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ munditia fuit excellentissimè in Beata Virgine. Anselmus, decebat enim; vel secundùm Dionysium. Tres sunt actus Hierarchię. Purgare, illuminare, perficere; & sunt ad se ordinati, ita quod magis purgatus, magis illuminatus, magis perfectus; sed Beata Virgo MARIA, fuit in summo illuminata & perfecta: ergo & in summo purgata, & in summo munda. Item visio Dei, quæ est præmium huius munditiæ, improportionabiliter maior est visionibus omnium Angelorũ: ergo & præmium huius munditiæ improportionabiliter, maius est visionibus omniũ, scilicet Angelorum: ergo & munditia eius erit maior munditijs omnium Angelorum. Item Glos. Mundi corde sunt quos nõ arguit cõscientia peccatorum. Itẽ mũdũ cor habet qui sibi nihil est conscius. Hoc autem in Beatissima Virgine fuerunt in summo: ergo habuit munditiam cordis in summo.

Septima illuminatio est pacis, ibi: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabũtur*, Glo. Pacifici sunt, qui omnes motus animi rationi subijciunt, quia his nil repugnat, quod similes patri suo sint, quod est summa quies. Hoc autem in summo est totum in Beata Virgine: ergo pacifica est in summo. Item alia, Glos. ibidem dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici: ergo super omnes improportionabiliter pacificata extitit, in qua caro aduersus spiritum non rebellauit. Item alijs pacificis datur in præmium, quod sint Filij Dei per adoptionem, sed ei datum est, quod sit Mater Dei per naturam, sed improportionabiliter. Plus est esse Matrem per naturam, quàm Filium Dei per adoptionem: ergo & pacificatio, cuius est hoc præmiũ, erat in ipsa, in summo super omnes.

Octaua illuminatio martyrij, vel persecutionis, ibi: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Hic agitur de persecutione illa, quæ est martyrum, cui debetur aureola. Habuit enim Beatissima Virgo MARIA, aureolam martyrum. Vnde Damascenus, sed ipsa Beata, &c. Require Trenis, ibi: Habuit etiam aureolam prędicatorum, dicitur enim Luc. 2. Luc. *MARIA conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Sancti dicunt, quòd omnino conseruabat, quod optimis temporibus ad scribendum Euangelistis reuelaret: & sic Beata Virgo per Euãgelistas nobis præ Pro. 14. dicauit, Prouerb. 14. *Doctrina prudentium*

A facilis est; sed Beata Virgo lucidissimè, & breuissima omnia prædicabilia: vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptijs ad ministros, per quos significantur prædicatores. *Quæcumque vobis dixerit facite.* Qui enim Ioan. 2. facit quidquid Filius Dei dicit, omnia prædicabilia impleuit. Et Beata Virgo omnia vno verbo prædicauit. Habuit etiam aureolam Virginum in summo. Ipsa enim est Virgo Virginum per originem; vt sit sensus Virgo Mater Virginum, quia est Mater gloriarum, & virginitatis: aliæ autem sunt nutrices virginitatis.

Ipsa etiam est Regina Virginum; omnes aliæ ancillæ Virginis, & pedisequæ; & sicut B improportionalis est corona ancillæ, & Reginæ, sic improportionaliter habet perfectiorem aureolam, super aureolam Virginũ, & hoc in summo. Vnde de omnibus similibus aureolis dicit Bern. * Super illud, *in plenitudine sanctorum detentio mea.* Meritò in * Forte Idiotu plenitudine sanctorum, eius erat detẽtio, cui lib. 2. non ades defuit Patriarcharum, & Prophetarum spiritus, nec Apostolorum zelus, nec cõstantia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec Virginum castitas, nec coniugatorũ fœcunditas, nec Angelorum puritas. Idem longè eam plus, quàm Martyrem censemus in qua passionis sensum compassionis superauit effectus.

C Isti sunt octo radij illuminationũ, quibus mons noster Beatissima Virgo MARIA, prę omnibus incomparabiliter illuminata est, & post Deum ab ipsa illuminabimur, Psal. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Psal. 75. Ipsa enim est *ciuitas* in excelso posita omnibus, & in refugium, Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi*, Glos. id est, cęlari. *Super montem posita*, scilicet, virtutum gratiarum, gloriarum: immò super cœlum Empyreum, in quo posita est ciuitas nostra in die assumptionis, Glos. Ipse mons manifestat eam. *Ipsa est* Mat. 5. *lucerna lucens omnibus.* Matth. 5. *Nec accendunt* scilicet Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, *lucernam*, id est, MARIA, quæ accensa D fuit totaliter in die incarnationis. *Et ponunt eam sub modio*, sicut Iudæi faciunt ipsum in honorando: *sed super candelabrum*, Glos id est, Ecclesiam, vel cœlum Empyreum, *vt luceat*, vel regaliter, & in differenter, & continuè finaliter, quæ *in Domo*, Glos. Mundo, vel Ecclesia.

Ipsa est etiam *altare* omnium oblationum nostrarum, & propitiationum, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad Altare*, id est, ad MARIAM. Require in titulo de Altare, ibi: *Reconciliemur fratri nostro IESV.* Ipsa est etiã datrix, & mutuatrix nostra, Matth. 5. *Quod petit* à te humiliter, fideliter, instanter, *da ei*, Glos. Quæ honestè, & iustè possunt dari. *Et volenti mutuare à te*, quæ ditissima es, & super

per

perabundantissima *ne auertaris*. Ipsa est etiam *sol* omnibus se communicãs. Matth. 5. *Cap. 5.* *solem suum*, id est, Virginem MARIAM *oriri facit* per natiuitatem *in mundo*, & per gratiam, in mente apparendo *super bonos*, vt confidenter consolentur: illuminentur, accendantur, *& pluit super iustos, & iniustos*, sed aliter, & aliter.

Ipsa est etiam arbor bona, quæ optimum *Cap. 7.* fructũ fert. Matth. 7. *Non potest arbor bona*, &c. id est MARIA bona in natura, melior in gratia, optima in gloria *fructus malos facere*, quia à radice fructus arboris pullulat: *Neq; arbor mala*, id est, Eua misera, *fructus bonos facere*, quia in amaritudine originalis culpæ, & concipimur, & nascimur. Ipsa est etiam domus totius fortitudinis, & firmitatis, & stabilitatis. Math. 7. *Assimilabitur viro sapienti*, id est, Christo, *qui ædificauit domum suã*, id est, Virginem MARIAM, *supra petram* totius firmitatis, stabilitatis, & fortitudinis. Qui enim de facili mutantur per inconstantiam, & instabilitatem non bonæ sunt domus Dei. Require in titulo de constantia: *Et descendit pluuia, & venerunt flumina*, in passione filij prædilecti, *& flauerunt venti*, scilicet, vituperatores, & irrisores dicentes, & *Mat. 27* flantes. *Vah qui destruit templum Dei, & irruerunt in domum illam.* Vnde, & ipsa pote- *Psal. 41* rat dicere illud. Psalm. Ad Dominum Patrẽ, *Omnes fructus tuos induxisti super me*, & non cecidit per infidelitatem, & incredulitatem sicut omnes Apostoli, sed potiùs stetit, vt fortissima apud Crucem: *Fundata enim* *Lucæ 6.* *erat super firmam petram.* Gloss. id est, Christum.

Ipsa est etiam *nauicula*, in qua transfretauit filius Dei, de littore immortalitatis ad littus mortalitatis; assumens nostram humanitatem, & suam nobis conferens diuinita- *Cap. 9.* tem. Matth. 9. *Ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam.*

Ipsa est etiam Centurio, qui veraciter potest dicere Matth. 8. *Nam & ego*, scilicet, *Cap. 8.* MARIA *homo sum*, licet Mater Dei, & super omnes Angelos *sub potestate constitutus* filius Dei, habens *sub me milites*, scilicet, omnes Angelos, Iob. 25. *Nunquid nosti numerũ mi-* *Iob. 25.* *litum eius: & dico huic vade*, ad liberandum, ad consolandum, ad transferendum, socios meos, & fratres homines, *& vadit* obedienter, & libenter, & festinanter, *& alio veni, & venit.*

Ipsa est etiam per Ioseph designata, cui di- *Gen. 41.* xit Rex Ægypti: *Vno tamẽ solio Regis te præcedam absque tuo Imperio nullus mouebit manum, ac pedem, in tota terra Ægypti.*

Ipsa est etiam locus thesaurorum Dei. *Cap. 12* Mat. 12. *Bonus homo*, scilicet, Christus, Deus & homo, *de bono thesauro suo*, id est, Virgine MARIA, *profert bona* misericordiæ, gratiæ, & veniæ. Ipsa est etiam mons misericordiarum. Matth. 12. *Cùm venisset IESVS ad mon-* *Cap. 12.* *tem Olueti.* Glos. id est, ad sublimitatem misericordiæ *respiciens.* Oleum enim misericordiæ interpretatur. Nam, vt olei lucis ministra est, & laborum, & dolorum solamen. Et excellit cunctis liquoribus, sic etiam Beata Virgo: *venit* ergo ad montem Olueti Filius Dei, quando venit ad MARIAM ex ea incarnatus, huius autem aduentus quadruplex est vtilitas. Prima vtilitas est, quod *asina alligata soluitur.* Gloss. à pœnis peccatorum. Secunda, quod in Ierusalem ducitur. Tertia, quòd vestimentis discipulorum tegitur, & ornatur. Gloss. Fide, & moribus. Quarto, quòd à Christo sessore in Ierusalem æternæ pacis, & gloriæ ducitur, & equitatur.

Ipsa est etiam seruitrix, & ministra peccatorum, secundùm constitutionem filij sui. *Cap. 13.* Matth. 13. *Qui maior est vestrum*, &c. Sed ipsa excepto Domino maior est omnibus: ergo, & ministra: seruit autem nobis, & ministrat libenter. Luc. 2. *Ecce ancilla Domini,* *Lucæ 2.* purè, & sinceriter. Eccl. 24. *In habitatione* *Eccl. 24* *sancta coram ipso ministraui*, largiter. Iudic. *Iud. 19.* 19. *Ego præbebo* MARIA, *tantùm quæso, vt in plateis non maneatis*, vniuersaliter; quia, & in cœlo ministrat, & in terra, & in purgatorio. Humiliter; quia paruo sicut magno, pauperi peccatori, sicut diuiti iusto. Ipsa etiam pluit rorem gratiæ super iustos, & iniustos fideliter; quia corpore filij nos pascit, & sanguine potat.

S. MARCVS.

Initium Euangelij, IESV Christi Filij Dei. Domina Euangelistarum Virgo MARIA cõparatur *grano sinapis.* Mar. 4. De quo dicitur, *quod minus est omnibus oleribus.* Et hoc *Cap. 4.* per humilitatem, & *cùm natum fuerit*, scilicet in mundo apparendo *ascendit in arborem.* Gloss. Qui altitudine, amplitudine, annositate transcendit herbarum naturam; alta est, quia ad cœlestia sustollitur: Ampla, quia totum mundum occupat: annosa; quia non potest finiri. Hæc tria sunt in arbore MARIA, *quæ est maior.* Gloss. Charitate, *omnibus oleribus*, id est, omnibus hominibus; immò, omnibus Angelis, *& facit ramos.* Gloss. Misericordiæ, & compassionis. *Magnos*, ita vt possint *sub vmbra eius*, scilicet, protectionis, *aues cœli.* Gloss. Sancti Dei, immò, & peccatores, qui magis necesse habent habitare fiducialiter propter securitatem, gaudentur propter vmbram, vtiliter propter fru- *Cap. 4.* ctum.

Ipsa est etiam *ceruical* omnium virtutum, in quo Filius Dei dormiuit. Mar. 4. *Erat ip-* *Eccl. 24* *se in pupi*, id est, in MARIA dormiens; quia alibi requiem talem non inuenit. Eccl. 24. *In omni-*

omnibus requiem quæsiui, sed non inueni. Ipse Filius Dei conquerendo dicere potest, *& excitans eum, & dicunt ei Magister, non ad te pertinet, quia perimus*, &c. *Et exsurgens* in Natiuitate, vel in Resurrectione. *Comminatus est vento*, ideſt, diabolo, *& dixit mari*, ideſt omnibus tentationibus. *Tace, obmutesce.*

Cap. 12. Ipſa eſt etiam *vidua* pauper, ſed largiſſima ditatrix totius Eccleſiæ. Nullus enim hominum, vel Angelorum tantùm dedit, quantùm ipſa, Mar. 12. *Vidua hæc pauper*, ſcilicet rebus, ſcilicet, MARIA, *plus omnibus miſit*, plus in quantitate, prætioſitate, vtilitate, qui miſerunt. Miſit enim Chriſtum Filium ſuum; totum victum ſuum, in cibatione famelicorũ. Totum gaudium ſuum, in lętitia deſolatorũ. Totum lumen ſuum, in illuminatione cæcorum. Totum Thæſaurum ſuum, in redemptionem captiuorum.

Cap. 14. Ipſa eſt etiam ſemper prima, quæ poſt Deũ reuertenti peccatori per gratiam occurrit, Marc. 14. *Ite in ciuitatem*, ſcilicet, Eccleſiæ communicationem, & vnitatem, quam, ò peccatores per peccatum amiſiſtis. *Et occurret vobis homo*, ideſt, MARIA: occurrit enim feſtinãter filio perdito reuertenti, Eccl. *Obuiabit illi, quaſi Mater honorificata*, & occurret fideliter, & largiter, quaſi *lagenam*, vel *amphoram*, aquæ gratiarum * *baiulans*. Ipſa eſt etiam poſt Deum largiſſima, & potẽtiſſima diſtributrix gratiarum; ſed nunc audiamus conſilium Dei. *Sequimini eam* fiducialiter, quia tũc non errabitis: ſecuriter, quia ab omni incurſu poteſt defendere, lætanter, quia ducit ad Hieruſalẽ. Vnde & ſequitur, *in domum*, ſcilicet, cęleſtem, in quam intrat, ſcilicet, in glorioſa eius aſſumptione. Beatus eſt cui tu ſic occurres ò MARIA: occurre quęſo, & mihi peccatori, & duc in domum tuam.

Eccl. 15.

Et miſericordiæ

LVCAS EVANGELISTA.

Fuit in diebus Hærodis Regis Iudeæ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, &c. Imperatrix Euangeliſtarum Mater Dei, & Virgo MARIA, commendatur à maxima dignitate, quę poſt Chriſtum maior non eſt: immò maxima eſt, Luc. 1. *Miſſus eſt Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, & nomen Virginis MARIA.* Quamuis Deus eſſet cum Beata Virgine, per eſſentiam, præſentiam, potentiam, ſicut eſt in creaturis generaliter, & licet eſſet in ea per inhabitantẽ gratiam, ſicut eſt in ſanctis ſpecialiter tamen, quia adhuc diſtabat per corporalem præſentiam, vt in ea Filius Dei fieret homo ſimilis nobis paſsibilis, voluit mittere Angelum Gabrielem ad Virginem partui conſequendam diuino. Cuius miſsio, & annunciatio cõgrua fuit, & neceſſaria propter quatuor, propter

Cap. 1.

A Dei honorationem, propter Angelicæ dignitatis oſtenſionem, propter Beatiſsimę Virginis commendationem, propter noſtram vtilitatem. Deus enim honorabatur in iſta annũciatione tripliciter, quantum ad potentiam in eo, quòd Angelicos miniſtros habuit. Quãtum ad ſapientiam in eo quod modo perditionis modus obuiauit liberationis; quia Virginem per Angelum docuit; ſicut Virginem Angelus decepit. Quantum ad bonitatem, in eo, quod non de contingentibus obmiſit in omni eo, quod ad Matris ſuæ honorem, & noſtram vtilitatem neceſſarium fuit. Neceſſaria etiam fuit, ſecundò, ad Angelicæ dignitatis oſtenſionem, quæ in tribus oſtenditur. Primò, quod Angelus hoc officiũ ſuum, ſcilicet, nũciãdi, ſcilicet, in ſũmo exercuit. Secũdò, quia ſũmæ cõſcius fuit. Tertiò, quia ſummã Beatitudinẽ homini nũciauit, fuit etiã neceſſarium. Tertio ad noſtram vtilitatẽ, ſcilicet, ad fidei confirmationem: per id enim quod Beatiſsima Virgo geſsit quando Angelus ad eam venit, & per id, quod Angelo reſpondit. Et per id, quod poſt receptionem plenitudinis fecit, inſtruimur: qualiter nos debemus ad recipiendam gratiam prępparare, qualiter receptam augmentare, qualiter aucta conſeruare; & ſic patet, ad quod, & ad quæ neceſſaria fuit annunciatio hæc. Sequitur *Angelus Gabriel*, iſte Angelus non fuit de maioribus, ſed fuit Archangelus, & hoc in Beatiſsimæ Virginis honorationem; quia ſi aliquis de ſuperioribus mitteretur, ab ipſo illuminari crederetur. De minoribus ergo mittitur, vt oſtendatur, quòd Angelus eſt tanti negotij miniſter, & exterior delator. Deus autem per ſe ipſum eſt negotij inuentor, ſalutationis dictator, intelligentiæ inſpirator, & mentis ad conſenſum inclinator; in omnia executionis expoſitor. Vnde Angelus requiſitus de modo, tranſmittitur ad Spiritum Sanctum. *Spiritus Sanctus inquiens, ſuperuenet in te.* Apparuit autem ei Gabriel in clara veſte, vt dicunt quidã, quia ille qui concipiebatur, fuit, ſine corruptione, ſine diminutione, ſine mixtione, ſicut lux procedit de luce. Et creditur à quibuſdam, quòd hæc annũciatio fuit facta in ortu diei, & benè congruebat, quòd cum ſole materiali Oriente oriretur, ſimul *Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.* *Mal. 4.*

B

C

D

Sequitur *in ciuitatem*, ſi obijcitur, quòd iſta annuntiatio non debuit fieri in ciuitate, quæ eſt digniſsimum opus Dei: ergo in digniſsimo loco debuit fieri, ideſt, in Templo. Ad hoc ſic dicitur, quòd Dominus in omnibus principalibus factis, quæ in mũdo geſsit, ſemper in communi fuit, per hoc oſtendens, quare in mundum veniſſet. Inter homines peccatores natus fuit, natus ante bouem, & aſinum iacuit. Inter peccatores conuerſatus fuit, cum ipſis comedit: inter latronis Cruci-

fixus

fixus fuit peccatrici resurgens primus apparuit. Sic & in ciuitate, quæ est locus communis hominum concipi voluit, qui propter nostram salutem descendit de cœlo in ciuitate: ergo concipi voluit, vt ostenderet, quòd pro omnibus venerit. In via natus fuit, vt ostenderet, quòd sua via, nobis esset via ad regnum cœlorum: *Extra portam passus*, fuit ad ostendendum, quòd per ipsius passionem non liberatur quis, nisi de cõuersione peccati ad eum egrediatur. Sequitur *Galileæ*, quia regio à Iudæis, & gentibus inhabitabatur, & sic in regione communium concipi voluit, qui pro omnibus nasci voluit. Non enim Iudæorum Deus est tantùm, sed gentium. Regio etiam illa nomine suo proprietatẽ incarnationis optimè expræssit. *Galilæa* enim interpretatur reuelatio, seu transmigratio, & in hac annunciatione erat summorum secretorum reuelatio, quando verbum, quod lucem inhabitat inaccessibilem, verbum caro factum est. Simili modo fiebat transmigratio magna de ignorantia in scientiam; de culpa in gratiam; de mendacibus in veritatem; de seruitute in libertatem; de timore in amorem; de grauitate in leuitatẽ; de austeritate in benignitatem: diuinitas ad humanitatem, quæ maxima transmigratio fuit; quia in ea primum adultimum in vnam personam transmigrauit.

Iob 13.

A

B

Sequitur, *cui nomen Nazareth*, Nazareth interpretatur flos, benè ergo Dominus in Nazareth cõceptus fuit, qui sicut flos de flore sine corruptione, saluo Virginitatis decore, & matris integritate, processit. Cũ enim in Nazareth Christus concipitur hyems transit, tempus nouitatis aduenit, fructus appropinquauit, omnibus se sicut flos exhibuit, medicinam confecit, sensum refecit: coronandus pauperibus venit. Hæc autem sunt propietates floris, propter quas conuenit *Nazareth* ad locum conceptionis Diuinæ.

C

Sequitur *ad Virginem*, sed quare non ad mulierem? Respondeo, Initium peccati fuit à muliere sub ratione mulieris, & sub ratione Virginis. Eua enim in quantum Virgo nos non perdidit, sed in quantum coniuncta viro, cùm nos carnaliter generauit. Quia sicut dicit Augustinus: Peccatum originale nascitur ex vulnere concupiscentiæ, quæ annexa est commixtioni seminum, cui vulneri subiacere non debuit, quæ vulnus curare venit. Item *ad Virginem*, quia generatio temporalis imago est generationis æternæ. Vnde sicut æterna generatio est de vno manente incorrupto, & indiuiso; ita generatio temporalis debuit esse de via incorrupta, hoc est, de Virgine.

D

Creditur etiam, quòd Beatissima Virgo in actu contemplationis fuit, quando ei annunciatio venit: eleuabatur enim tunc caliter in summam potestatem, in eo quod super naturam Deum genuit, & ad hanc potestatem eleuabatur fides, iuxta id: *Omnia possibilia sunt credenti.* Eleuabatur etiam in summam dignitatem, per hoc quod totius creaturæ per creationẽ mater effecta fuit, & ad hãc eleuabatur humilitas iuxta illud: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Eleuabatur etiã in summã charitatẽ, per hoc quod summa, & in omni propinquitate propinquissima fuit, vt pote quæ ipsius filia, mater, & soror, & sponsa fuit. Et ad charitatem eleuabatur charitas, iuxta illud: *Ego diligentes me diligo.* Eleuabatur etiã in summam familiaritatem, & illam faciebat castitas, iuxta illud: *Incorruptio facit proximum Deo.* Et inter virtutes sperantes Beatissimam Virginem ad istam conceptionem, fides eleuabat rationalem potentiam. Humilitas irascitiuam, siue ardui appetitiuam. Charitas affectiuam; virginitas verò ex parte cordis præparabat generatiuam, susceptiuam, & sic tota eleuabatur, quę tota replebatur, & tota glorificabatur.

Mar. 9. *Mat.* 23 *Prou.* 8. *Sap.* 6.

Sequitur: *Desponsatã*. Ista desponsatio vtilis fuit ad multa. Require de hoc ibi. Matth. 1. *Cùm esset desponsata Mater IESV MARIA Ioseph.* Creditur etiam à quibusdam, quòd Deum concepit, tali ætate, quæ perfecta fuit statu, & corporis quantitate. *Mat.* 1.

Sequitur, *& viro, cui nomen erat Ioseph.* Ioseph vir erat per constantiam fidelitatis, quantum ad iustitiam, vir per virtutem castitatis quantum ad temperantiam: vir erat per excellentiam discretionis, quantum ad prudentiam: vir erat per strenuitatem operationis quantum ad fortitudinem; & sic in viro notantur excellentiæ quatuor cardinalium virtutum. Bernard. Non est dubium, quin bonus, & fidelis homo fuit iste Ioseph, cui mater desponsata est, Mater Saluatoris, fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutricium.

Sequitur, *De domo Dauid*: sed quare in hac Annunciatione, in qua mundissima Dei conceptio describitur. *Dauid* qui quandoque notorius peccator extitit, ponitur ad quod diendum. Quòd non ideo hic ponitur, quòd peccator fuit, sed quòd Ioseph ab eo carnaliter descendit, & per imitationem in virtutibus similis ipsi fuit.

Nec propter peccati maculam, quam pœnitenti deleuit, minùs in geneologia Dei nominari debuit, sed audacter prædicari, cum hoc, & peccatoribus confidentiam generet, & eius misericordiam augmentet, qui dicit: *Quacunque hora peccator ingemuerit, & conuersus fuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor.* *Eze.* 33.

Sequitur: *Et nomen Virginis MARIA.* Quare sic vocetur. Require Eccl. 1. Hoc *Eccl.* 1.

etiam

etiam nota. Quòd Beata Virgo interpretationem sui nominis non de nouo acquisiuit: sed etiam in hoc, & nata fuit: semper enim stella maris fuit, & tam præcedentes se, quã etiam sequentes illuminauit. Quia nisi per fidem Verbi incarnati, vel incarnandi de virgine, nunquam alicui salus fuit. Vnde & ipsa in fide hominum, & Dei electione, & confirmatione Domina, & Regina omnium creaturarum semper fuit. Vnde & ipsa conuenienter illud in Prou. dicere potest: *Dominus possedit me initio viarum suarum*, vel ibi: *Nondũ erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Require hoc ibidem. Hoc etiam sciendũ, quòd hoc nomen MARIA Virgini, nostræ congruẽtissimè impositum est, propter tria. Primò, propter personæ dignitatem. Secundò, propter actionis suæ vtilitatem. Tertio, propter conceptionis Dominę proprietatem. Virginitas personæ exprimitur per naturam lucis, quæ intelligitur in stella maris. Nihil enim digniùs, vel nobiliùs luce est: sic post Deum, nil MARIA: Deus enim lux est; vnde lux ad illam lucem inmediatissimam; secundò loco erit nobilissima. Hoc autẽ est Beata Virgo, quæ non solùm Beata Virgo ab hac luce, sicut Luna à Sole illuminata fuit; sed sicut Aurora de Sole produxit; quæ omnia illuminabilia illuminauit: & sic per naturã lucis exprimitur excellentia dignitatis Beatissimæ Virginis. Secundò, per hoc quod additur, stella maris, tãgitur vtilitas operationis, in hoc, quod omnes naufragos ducit, deducit, conducit, & perducit, ad portum æternæ salutis. Tertiò enim tangitur in stella proprietas cõceptionis Christi. Quia sicut sydus radium profert, Virgo filium, videlicet, sine corruptione, sine diminutione, sine pollutione.

Prou. 8.

Et ingressus Angelus ad eam dixit. Hic cõmendatur Beatissima Domina à pudicitia summa: vnde Bern. Ingressus ad eam puto in secretarium pudici cubili, vbi illa hora forsam, super se clauso hostio orabat Patrẽ suum in abscondito. Solẽt enim Angeli astare orãtibus, & delectari in his, quos vident, puras in cœlum manus leuare in oratione, & holocaustum sanctæ deuotionis gaudent, se offerre Deo in odorẽ suauitatis. Angelicis enim spiritibus parietes non subsistunt; sed cuncta illis visibilia cedunt, quãtumcumque solida corporea, & spisa. Non enim appertum inuenit Angelus Virginis ostium, cuius propositum erat fugere hominum frequentias, vitare colloquia, ne orãtis silentium turbaretur: ex his verbis Bern. Credunt quidam Beatissimam Virginem in aduentu Angeli inclinatis genibus, & eleuatis puris manibus, erectis in cœlum oculis ad Patrem misericordiarũ pro Incarnatione Filij sui, deuotissimas præces cum lachrymis fudisse; & Angelo veniẽti reuerẽter assurrexisset. Et percepta eius annunciatione credentem in eam consensisse, & quàm citiùs impleri flexis rursum in terra genibus, & eleuatis in cęlum oculis, ac manibus ex intimo corde erumpentibus, lachrymis præ gaudio deuotissimè flagitasse, & sic Deũ pariter, & hominem cõcepisse; & iste est quidem modus positionis, & situs eorum, quę de manu Angeli, ideſt, Sacerdotis suscipiunt dominicum corpus de Altari.

Sequitur: *Aue gratia plena Dominus tecũ, Benedicta tu in mulieribus.* Aue, quia sine vę corporis, & animę. Per peccatũ enim incurrit omnis homo triplex væ: quantum ad corpus; primum væ est, corporis distemperatio, naturalium appetituum inordinatio. Secũdũ est, ipsius corporis, & animæ ad inuicem repugnatio, scilicet, quòd *caro concupiscit aduersus spiritum.* Tertium est, ipsius corporis post mortem incineratio: sine isto triplici væ fuit Beatissima Virgo in corpore. Quę & corpus, habuit castum, & per omnia cum spiritu pacificatum, & nunquam per mortem in cineres resoluendum: ex parte animę habuit triplex væ omnis homo: errorem in rationabili, dolorẽ in incõcupiscibili, pudorẽ in irascibili. Ab isto triplici væ immunis fuit Beatissima Virgo, quæ nec in discretione, nec in electione, nec in exsecutione vnquam errauit; quia sine consilio Spiritus sancti, ipsa nil fecit, & sic fuit sine væ erroris. Dolorem etiã suæ rationi dominantem numquam habuit, quia ratio semper superior, & dominans, & imperãs in ipsa fuit. Vnde quidquid doloris substinuit in materiam amoris, & gaudij, totũ cessit; & sic in ea dolor gaudio rationis, nunquam contrarius fuit, sine vę doloris. Itẽ nũquam turpitudinis aliquid fecit, vel habuit, vel substinuit, & sic ab omni vę pudoris immunis fuit. Itẽ est triplex væ, scilicet, væ culpæ, vę pœnæ, væ ignorãtiæ: væ culpæ triplex est, originalis, actualis, venialis: actualis mortalis culpa triplex habet væ. Scilicet væ auaritiæ in opere, væ luxuriæ in corpore, væ superbiæ in corde. De isto triplici væ dicitur in Apocal. *Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Item væ triplex est, væ pœnę Iehænnæ, vę pęnæ purgatorij, væ pœnæ pœnitentiæ. Item væ ignorantiæ triplex, scilicet ignorãtia credendi, ignorantia operandi, ignorantia saluandi. Hoc est quod homo ignorat: quid credendũ, quid operandum, & vtrùm debeat saluari; sine isto triplici væ fuit Beatissima Virgo. Item triplex væ est in mulieribus specialiter: væ sterilitatis in virginibus, væ subiectionis in coniugatis, væ desolationis in viduis. Ab isto triplici væ, etiam immunis fuit Beata Virgo: fuit enim Virgo sine sterilitate, coniugata sine subiectione vidua sine desolatione. Item in matribus est triplex væ: omnis enim Mater pariter * in conceptu perdit Virginitatem, post conceptionẽ corporis

Gal. 5.

Apoc. 8.

* *præter eam.*

ris venustatem,& sanitatem. In partu hominum societatem; ab isto triplici vę, etiã immunis fuit Beatissima Virgo: In conceptu non amisit virginitatem; immò acquisiuit puritatem. Post conceptum nõ perdidit pulchritudinem, immò tanta pulchritudine radiauit, quòd eam Ioseph inspicere nõ potuit.

Mar.1. Vnde super illud, Matth.1. *Et non cognouit eam:* dicit Glos. Ioseph, MARIAM facie ad faciem videre non poterat: quã Spiritus sanctus à conceptione pœnitus impleuerat; & ideò non cognoscebat facie ad faciem, quam desponsauerat, donec euacuaretur vterus. Itẽ post partũ huiusmodi, nõ perdidit hominum societatẽ. Immò tũc mediatrix Dei, & hominũ cõstituitur: vnde & in puerperio à pastobus, & à Regibus visitatur. Si quæritur quare generali consuetudine apponatur: hoc nomẽ MARIA, in salutatione Angeli. Dicendum, vt eam per hoc nomen inclinet ad nostrã necessitatem. *Ipsa enim gratia plena*, per influẽtiã diuinæ bonitatis, data est nobis stella maris. MARIA, vt eius gratiæ plenitudo suppleat in nobis defectum culpæ. Et ipsa stella in firmamento gloriæ, fixa nos naufragos de statu miseriæ traducat ad portũ salutis æternæ. Hac de causa apponit Ecclesia in salutatione ista, hoc fœlix nomen, MARIA.

Sequitur *gratia plena*: respõdeo: Quatuor modis fuit Beatissima Domina *gratia plena*. Primò, quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarũ in summo habuit. Secundò, quia gratias illas habuit, à quibus omnis alia creatura vacua fuit. Tertiò, quia sua gratia tanta fuit, quòd pura creatura maioris gratiæ, capax nõ fuit. Quartò, quia omnium gratiarum increatam, in se totam continuit: & sic per omnem modum gratia plena fuit. Est attamẽ tripiex plenitudo. Est quædã plenitudo recepta, & datiua, & non retentiua. Sic plenitudo canalis, quæ recepit, & dat, & non retinet. Hanc habuit Beatissima Virgo, in quantum ad numerum omnium gratiarum, quia omnes quantum ad numerũ trãsierunt per ipsius manus.

Eccl.14 Ipsa est etiam *canalis* misericordiæ, sicut ipsa dicit, Eccles. 14. *Ego quasi aquæductus exiui de paradiso Dei.* Hoc est de delitijs misericordiarum. Ber. Diù defluerunt fluẽta gratiarum, quia nondum venerat aquæductus. Per istum aquæductum defluit omnis aqua gratiarum deorsum, & per eundem iterum refluunt in sursum: est etiam quædam plenitudo receptiua, & retentiua, & non datiua, sic est plenitudo vasis. Hanc habuit etiã Beatissima, quæ plena fuit omnibus gratijs creatis. Secũdùm spetiem, quã ante omnes in specie in summo habuit, & nunquam amisit, & prætereà gratiam increatam, quàm totam simul accepit. Et nouem mensibus in se clausit: fuit ergo *vas* plenum, *vas* admirabile, opus excelsi, Eccles. 43. Require, ibi: *Quàm mirabile fuit illud vas.* Est etiam quædam plenitudo receptiua, & datiua, & tamen retentiua, sicut est plenitudo fontis, qui est plenus, & tamẽ semper effluit. Hac plenitudine etiã, *plena* fuit Beatissima Virgo: ab ipsa enim cõtinuè effluxit, & effluit gratia, & tamen ipsa gratia semper est plena. Vnde ipsa *fons purus creuit in fluuium maximũ: & in aquas plurimas redundauit.* Esther 10. Hæc est fons Iacob, ex quo ipse bibit, & pecora eius. Hæc est fons super quem *sedit Dominus* IESVS, *hora septima.* Ex fontis huius plenitudine, quæ est post Deum, fons Beatitudinis nostræ, profluxit, & non cessat profluere omnis beatitudo generis. *Ex hoc nobis venit prætium redemptionis: vnde secundùm hoc ipsa est, *faculus pecuniæ*, Prou.7. Quem secum tullit Filius Dei in ipsius Virginis assumptione. Et reuersus est, *in die plenæ Lunæ*, idest, in consummatione Ecclesię: de hoc dicitur, Pro.vl. *Mulierem fortem, quis inueniet? Procul, & de vltimis finibus prætium eius*, idest, de coniunctione Dei, & hominis, qui sunt duo vltimi fines. Istud prætium fuit cõmassatum in die annũciationis, persolutum in die passionis; sed prætium nostrum miseri Iudęi cogitauerunt repellere. Quamuis enim *aurũ terræ illius*, idest, Beatæ Virginis, *aurum optimum esset*, tamen ipsi non cognouerunt, quia non crediderunt eum esse Deum, & quòd fuit aurum mundissimum, crediderunt esse impurum; vnde & omnimodo, quo probatur peccunia, ipsum examinauerunt, scilicet, igne tribulationum, Psal. *Igne me examinasti*, sed nec sic aliquid de scoria inuenerunt. Secundo dinumerauerunt, Psal. *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Tertiò, statera crucis ponderauerunt, vt cantatur: *Statera facta est corporis*, & sic effluxit prætium redemptionis. Effluxit etiam nobis ex ea, aqua ablutionis. Ipsa est etiam *fons patens*, Zachar. 13. *Cisterna in Betlehem*, 2. Reg. penult. *& iuxta portam.* Quia vult omnes saciare. Hanc aquam desiderauerunt nimis sancti Patres, Isai. 41. *Egeni, & pauperes quærunt aquas*, & non sunt, & Iob 30. *Ossa mea aruerunt.* Et tunc Dominus misertus consilium dedit, Moysi dicens, Num. 30. *Loquimini ad petrã*, idest, ad MARIAM. Duram contra tribulationem, grauis contra instabilitatem, frigida contra libidinẽ, *& illa dabit aquas*, & tunc aperuit Dominus populo sicienti thesaurũ suũ fontẽ, aquę viuæ de *cisterna Betlehem.* Quam aquam attulerunt tres fortes, fides, & charitas, & humilitas Virginis. Hæc est fluuius Paradysi, Gen. 1. *Qui egrediebatur de loco voluptatis*, idest, de Beata Virgine, Filius Dei in Natiuitate. Qui egressus est de ipsa, in quatuor flumina diuisus est. Quia effluit in nos illa quatuor beneficia maxima: scilicet creationis.

Eccl.43 *Esth.10.* *Ioan.4.* *Prou.7.* *Pro.vl.* *Gen.2.* *Psa.16.* *Psa.21.* *Isai.41* *Iob 30.* *Nu.30.* *2.Re.23* *Gen.1.*

nis, recreationis, iustificationis, & glorificationis. Quę beneficia optimè comparabuntur fluminibus quatuor, quia contulerunt nobis quatuor, quæ solent flumina magna conferre ciuitatibus per quas fluũt. Flumẽ enim necessaria aportat, superflua deportat, sordes abluit, sitim extinguit: sic beneficiũ creationis omnia necessaria aportauit. Recreationis omnia superflua detulit. Nil autem superfluum, vt peccatum. Beneficium iustificationis omnia immũda abluit. Beneficium autem glorificationis omnẽ sitim extinxit, vsque enim illuc sitit omnis anima ad Deum *fontem viuum*; & hæc sitis hic nunquam extinguitur, quia non satiamur de visu. *Sed satiabimur cùm apparuerit gloria eius*, ex ipsa etiam profluxit nobis panis refectionis.

Ipsa etiam est, *nauis de longe portans panẽ suam*. Iste panis pistus fuit in incarnatione, sed fractus in passione, quando misit *cristalũ suum*, ideſt, clarissimam, scilicet suum, *sicut buccellã*. Alia translatio habet: *sicut fruſtrũ panis*. Misit ergo cristallum suam, ideſt, clarissimam animam suam ad limbũ, quasi fruſtrũ panis diuisum à pane, ideſt, à corpore; quia iacuit in sepulchro in quo vnita fuit. Fuit ergo integer panis viuus, *qui de cœlo descendit*. Effluxit etiam ab hac plenitudine nobis medicina curationis, Eccles. 18. *Altissimus de terra*, ideſt, MARIA, *creauit medicinam*, Eccles. 43. *Medicina omnium in festinatione nebulæ*: Hoc est in Christi carne purissima festinata, quia subitò decissa, & in corpus formata. Accepimus etiam ab hac plenitudine arma expugnationis, quod optimè significatum est, 3. Reg. 7. Quod *domus saltus Libani*, quam ædificauit Salomon, vt dicit Magister Hugo, fuit in duo diuisa. Superior fuit pigmẽtaria, in qua fuerunt aromata ad vsum tẽpli. Inferior fuit armaria, in qua fuerũt arma ad defensionem domus, & ad tutionem* Regis, & sic accepimus ab ea, in medicinã, & arma. In hac domo armauit se Filius Dei, & factus est scutifer. Hæc est enim summa corona hominis ad omnes creaturas, quia videt Deũ ferentem suum scutum. Illud scutum inexpugnabile perforatum fuit in quinque locis. Accipiemus tandem ab ea prẽmium retributionis. Vnde Psalm. *Filij tui merces fructus ventris*.

Est etiam quarta plenitudo gratiæ datiua tantùm, & efluxiua, & non receptiua, & illa est plenitudo æterna, quę soli Deo conuenit, de qua dicitur, Hester 18. *Facies tua plena est gratiarum:* plenitudo verò Christi est plenitudo, *gratiæ, & veritatis*, Ioan. 1. Quia ille homo per gratiam omnia quæ Deus habuit per naturã; & hæc fuit gratia vnionis. Quia in Christo *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Et hæc gratiæ plenitudo propria est Christi hominis, sed plenitudo

Psa. 41. *Psa.* 16. *Pro.* 31. *Psa.* 147. *Ioan.* 6. *Eccl.* 18 *Eccl.* 43 3. *Re.* 7. * *Forte tuitionẽ* *Psa.* 126 *Esther* 18. *Ioan.* 1. *Collos* 2

A Beatæ Virginis, est quasi plenitudo fontis, de quo Esther 10. *Fons paruus creuit in fluuiũ maximum*, Beata Virgo dicitur fons, propter gratiarum abundãtiam. *Paruus*, propter humilitatis excellentiam; & propter hoc *creuit in flumen magnum*, quando genuit Deũ, & hominem. Plenitudo ergo Beatæ Virginis priuat vacuitatem. Quandiù enim vas potest recipere, aliquid tamdiù, aliquid habet de vacuitate. Vnde omnis alia creatura, aliquid vacuitatis habuit, quia maiorem gratiam recipere potuit. Ipsa autem sola gratia plena fuit, quia maiorem gratiã habere non potuit; nisi enim ipsa diuinitati vniretur, de ipsa acciperetur, scilicet, quod vniretur, *hęc nisi ipsa esset Deus non posset maior gratia intelligi, quàm quòd esset Mater Dei. Vnde Bern. legimus, Actor. 5. Apostolorum, *Stephanum plenum gratia, & fortitudine*, ideſt, fide, & operibus: & Apostolos repletos Spiritu sancto fuisse. Sed longè dissimiliter à MARIA, quia nec in illis habitauit *plenitudo diuinitatis corporaliter*, quem admodum in MARIA. Nec illi conceperunt de Spiritu sancto, quomodo MARIA. Plenitudo ergo Beatæ Virginis priuat vacuitatem; sed plenitudo negat particularitatem. *Non enim Deus dedit ad mensuram Spiritum sanctũ*. Super hoc dicit, Glos. Non particulariter, non per subdiuisiones; sed vniuersaliter & generaliter.

C Plenitudo verò sanctorũ, quę communis est, importat redundationem, & effluxionẽ. Replet enim animã gratia interius, & sic effluit per opera exterius. De istis omnibus plenitudinibus, dicitur in Eccles. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertũtur, vt iterum fluãt*. Locus istarum plenitudinum est abyssus diuinitatis. Vnde exeunt omnia flumina per gratiarum effusionem, & redeunt per gratiarum actionem, vt iterum fluant per gratiarũ multiplicationem. Sequitur *Dominus tecum*, scilicet in vtero, *tecum*, in exilio, *tecũ*, in solio, *tecum*, vt frater cum sorore, vt Filius cũ Matre, vt sponsus cum sponsa. Item *tecum* per essentiam, *tecum* per potẽtiam, *tecum* per præsentiam, *tecum* per inhabitantem gratiã, *tecum* per corporalem præsentiam. Item *tecum* in propria humiliatione, quãdo ipsum in tẽplum obtulisti. Item *tecum* in sua persecutione, quando Crucem substinuit, quando stabas *iuxta crucem*. *Tecum* in summa consolatione, quando resurrexit. Item Maximus Episcopus. *Tecum* Dominus in mente, *tecum* in ventre, *tecum* in auxilio.

Sequitur *Benedicta tu in mulieribus*. Primò, quòd Angelis, & hominibus reuerentissima, vel quia filio dicata, vel quia omniũ fidelium successione glorificata. Item ideò *Benedicta*, in cuius conceptione, etiam pregnãs fuit Spiritus sanctus, concipiens Virgo, conceptus Deus. Item ideò *Benedicta*, cui in con-

cep-

Esther 10 * *Notãnam aliqua delegimus sunt.* *Actor.* 5 *Col.* 2. *Ioan.* 3. *Eccles.* 1. *Ioan.* 19

ceptione, etiam pregnãs fuit Spiritus sanctus, concipiens Virgo, cõceptus Deus. Item ideò *Benedicta*, cui in conceptione Virginitas adaucta, & cõsecrata est, & quę sine labore portauit, & sine dolore peperit: vel ideò *Benedicta*. Quia ipsa est secundùm dignitatem, caput, & principium fœminarum; & hoc propter tria. Primum est, quòd habuit quidquid boni in fœminis fuit. Aliud est, quòd quodlibet illorum habuit in summo. Tertium est, quòd id habuit, quod nunquam aliqua fœminarum habuit, neque habebit, scilicet, quòd Virgo Virginum fuit: quòd Mater, & Virgo fuit: quòd Mater Dei fuit. Triplex est enim bonum in fœminis, scilicet, coniugatarum, viduarum, Virginum. Bonum coniugatarum est triplex, fides, proles, sacramentum. Bonũ viduarum triplex est, scilicet, libertas contẽplationis, exercitiũ in operibus pietatis, castigatio carnis: bonum Virginum triplex est, scilicet, carnis incorruptio, nulla viri subiectio, & Angelica conuersatio: omnia ista bona fuerunt in Beata Virgine. Habuit etiã ista omnia in summo; quia præcellit omnes virgines virginitatis causalitate; quia Virginũ Virgo: puritate, quia pura in summo; fęcunditate, quia Mater, & Virgo. Coniuges etiam excellit in tribus, quia habuit fœcunditatem sine corruptione, prolem sine Patre; fœcunditatem respectu altissimæ naturæ, quia Mater Dei. Similiter bonum viduarum habuit in summo, scilicet, quod fuit in summa contemplatione, præcipua pietate, excellentissima castitate: insuper super omnia hęc est Domina omniũ, & hoc triplici ratione. Tripliciter enim efficitur quis Dominus, vno modo per operationem: vt Dominus est quis vnius rei, quàm ipse operatus est, & deduxit in esse. Secundo modo per emptionem. Tertio modo per electionem, vt prælati: ista triplici ratione, fuit Beata Virgo Domina omnium creaturarum, vtpote Mater creatoris, adiutrix Redemptoris, Regina Creatoris.*

** per electionem*

Sequitur & *Benedictus fructus vẽtris tui.* Primo ideò, quia puncturam fomitis non habuit. Secundo ideò, quia omnia sciuit. Tertio, quia corruptionem non vidit. Nos enim per peccatum incidimus hoc triplex maledictum, scilicet fomitis punctionem. Vnde cũ operatus fueris terrã, *spinas & tribulos germinauit tibi*, vel laborem inueniendæ veritatis: vnde *in sudore vultus tui vescęris panem tuum*, vel necessitatem incinerationis. Vnde *cinis es, & in cinerẽ reuerteris.* Item *Benedictus fructus ventris tui.* Quia ipse Pater omnium per creationẽ in esse naturæ; Pater omnium per recreationem in esse gratiæ; Pater omnium per glorificationẽ, in esse glorię. Iteꝝ *Benedictus fructus ventris tui*, nõ solùm propter maledicti euacuationẽ, sed etiã propter omnis boni possessionem. Habuit

Gen. 3.

A enim bonitatem naturæ humanæ in summo; vel bonitatem diuinæ naturæ in summo; vel bonitatem habuit, quę est ex communicatione vtriusque: est enim iste fructus *benedictus*, benedictione naturæ, benedictione gratiæ, benedictione gloriæ. Habuit enim benedictum corpus in materia, quia purũ in forma, quia pulchrum in armonia; quia euchraticum. Habuit etiam benedictam animam, à fomite, ab ignorantia, à peccato. Habuit etiã benedictã diuinitatem. Benedictam scilicet in se: Benedictã in operibus suis: Benedictã in donis suis

Sequitur, *ecce concipies.* Cõceptio hæc est opus totius Trinitatis appropriabilis tamen est Spiritui sancto, propter opus summè be-
B nignitatis, cuius est donorũ distributio. Vnde autẽ facta sit ista sanctissima cõceptio, dicit Damascenus Quia non tantùm de sanguinibus, sed de sanguinibus, & carnibus Beatæ Virginis. In vno enim loco de sanguinibus, in alio loco dicit expręsse ex purissimis carnibus, & sanguinibus.

Sequitur *in vtero* concipies, & videtur superfluum esse hoc quod dicit, *in vtero.* Omnis enim concipiens, cõcipit in vtero: Ad hoc est dicendum: Quòd hoc est priuilegiũ istius conceptionis solùs. Omnes enim alię concipiunt in vterum. Illa sola concepit *in vtero*, quæ concepit Virgo. Concedimus etiã, quòd Dominus fuit in vtero ducentis septuaginta
C sex diebus, hoc triginta nouem, sunt septima næ, & duos dies: exiuit etiam clauso vtero sine dotis assumptione supernaturaliter nascendo; concepit etiam Beata Virgo cũ summa spiritus delectatione, & etiam cũ delectatione summa naturali: id m dicimus de partu per omnia.

Sequitur, *& vocabis nomen eius IESVM.* Hoc nomẽ IESVS imposuit Dominus rẽ nominis pręstãdo, Angelus prędicando, Domina imperando, Ioseph exequendo. A Deo impositũ fuit hoc nomen ęternaliter ab, Angelo etiam in incarnatione, à Domina & Ioseph in circunciſione.

Sequitur: *Hic erit Magnus.* Quomodo? Res
D pondeo: *Magnus* nobilitate, dignitate, potestate, famositate, nouitate. Item *magnus* secundùm omnem modum. *Magnus* secundùm substantiam, quia Deus; vel *Magnus* secundũ quantitatem, quia optimus. *Magnus* secundùm qualitatem, quia summè bonus. *Magnus* secundùm relationem, quia Filius Dei. *Magnus* secundùm quando, quia æternus. *Magnus* secũdùm vbi, quia vbique. *Magnus* secundùm situm, vel positionum, quia cęlum est sibi sedes, & terra *scabellum pedum suorũ*, *& sedet super Cherubim*, & ambulat *super pẽnas ventorum.* Sedet etiam ad dexteram Patris, & astat nunc *vultui Dei pro nobis. Magnus* secundùm habitum, *quia vestimenta eius sunt candida super niuem, quali a fullo non po-*

Isai. 66. Isai. 37. Psal. 17

Dan. 7. Marc. 9

test

Pro. 31. *testa facere super terram & fortitudo, & decor*
Psa. 29. *indumentū eius, & conscidit saccū suū, & circū*
Gen. 1. *dedit se lætitia. Magnus*, enim magnitudine actionis, ideſt, *Magnus* creatione, Gen. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terrā*, ideſt, filium genuit in quo omnia creauit, recreauit, & iuſtificauit, & glorificauit. *Magnus* eſt etiam paſſione. *Magnus* etiam erit, & glorificatione.

Sequitur: *& filius altiſſimi vocabitur*, æterna nominatione, Scripturæ atteſtatione, Ioannis Prophetatione, operum probatione, patris declaratione, columbæ oſtenſione; Petri confeſsione, Dæmonū ſuſpicione; doctrinæ ſingularitate. *Quia numquam locutus eſt*
Ioan. 7. *homo ſicut hic homo.* Omnibus his modis vocabitur ab hominibus, *altiſſimi Filius*: vnigenitus in eſſe naturæ, vnigenitus in donis gratiæ, ſummus in eſſe gloriæ. Vnū in eſſentia cum Patre eius, à Patre æterna generatione, vnum principium, & vnum ſpiratione. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem*, ſcilicet, *Dauid patris eius.* Per Regnum Dauid corporale figuratur Regnum Chriſti ſpirituale, in quo IESVS Chriſtus habet, *ſedē* Regni. *ſedē* Sacerdotij, *ſedem* Magiſterij, *ſedē* iudicij, *ſedem* cōmunij. Sequitur & *Regnabit*, ſed quomodo regnabit? Reſpōdeo: *Regnabit* miſeris miſerādo, malos extirpādo, bonos exaltādo, omnibus imperando, hoſtes ſubiugādo, curias celebrando, iura promulgando, Regnum dilatando. *Regnabit* autē per gratiā, & gloriā.

Sequitur: *In domo Iacob in æternū*: per ſedem Dauid intelligitur hic Regnum in preſenti, per ſedem Iacob intelligitur Regnum
Mat. 1. gloriæ in futuro, iuxta illud. *Abrahā genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob*, ideſt: fides ſpem: ſpes verò charitatem. Non ergo regnauit in domo Abraham, vel Iſaac: quia fides & ſpes
1. *Co.* 13 euacuabuntur. Sola autem *charitas nunquā excidet*, vnde, *& regnauit in domo Iacob in æternum:* vnde Bern. Beati in quibus nunc regnat IESVS per gratiam, & in æternū per gloriam. Nimirum, quia & ipſi cum eo regnabunt; & Regni eorum non erit finis. Veni Domine IESV Chriſte, & aufer ſcandala de Regno tuo, quod eſt anima mea, vt tu tantū regnes in ea, tu qui ſedes in ea. Venit enim auaritia, & vendicat in me ſedem ſibi, iactantia cupit dominari, ſuperbia vult eſſe Rex; luxuria dicit, ego regnabo: ambitio, inuidia, detractio, & iracūdia tractant in me ipſo, cuius ego potiſsimum videar eſſe Regnū. Ego quantum valeo, reſiſto, renito, & clamo: non habeo Regē, niſi Ieſum. Veni Domine mi, &
Pſa. 58. diſperge illos in virtute tua, & Regna in me. *Quia tu ipſe es Rex meus, & Deus meus.* Amē

Sequitur: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*: vt perſonæ meæ dominatorem, vt operum rectorem, vt corporis corruptorem, vt animæ obligatorem, vt prolis propagatorem, nunquā volo cognoſcere aliquam contentionem, * Bernard. Non dubitat de facto, ſed modū requirit, & ordinem. Non enim quærit, an fiet illud: *ſed quomodo*: quaſi dicat: cum ſciat Dominus meus (teſtis cōſciētiæ meæ) votū eſſe ancillæ ſuæ nō cognoſcere virū, qua lege, quo ordine placebit tibi, vt fiat *illud?* ſi oportuit me frāgere votū, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito: fiat tamen voluntas eius. Si verò cōcipiā Virgo, pariā & Virgo: quòd vtique ſi placuit ei, non erit impoſsibile, & tunc ſcio, quia *reſpexit humilitatem ancillæ* *Luc.* 1. *ſuæ. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te:* Sed quis ſpiritus? Reſpondeo: ſpiritus purgās, ſpiritus illuminans, ſpiritus inflammans, ſpiritus perficiēs, ſpiritus ſtabiliens, ſpiritus conſecrans, ſpiritus fœcūdans. *Superueniet in te: ſuperueniet*, ideſt, ſubito veniet ſuper idē, quod modo eſt, *veniet* de ſuperno, *veniet* plus omnibus, *veniet* præter ſolitum, *veniet* ſuper merita: eſt quod *veniet*, pluſquam *veniet*, & in ſummo *veniet*, & ad ſummū actu, *veniet*, & ſuper omnes eſt, qui fecit, *veniet*, ſcilicet Filius Dei.

Sequitur: *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Fomitē extinguēdo, cōtra tribulationē protegendo: de carne tamē obumbraculū faciendo, illum modū tibi ſoli notificādo, lucē ſuam in te abſcondendo, lucē tuā mundo non pauendo, viatorium refrigerium te faciēdo, contra ęſtū concupiſcētiæ te opponēdo: lucē corporalis proſperitatis tibi ſubtrahendo: vitam tuam cū Chriſto in Deo abſcondēdo.

Sequitur: *Quæ cum audiſſet, &c Cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio.* Admirās Dei ſapiētiam, miſericordiam, charitatē, veritatē, humilitatē, Nūcij dignitatē, Salomonis * nouitatē, rerū immēſitatem, ſiue puritatē: inſuper *cogitabat*, quàm venerabilis, quàm delectabilis, quàm amabilis, quàm ſalutaris, quā ſublimis, quā ſubtilis, quàm familiaris, quàm ſpecialis, quā ſingularis *eſſet iſta ſalutatio. Iſta* dico à Deo Patre dictata, à Filio ſcripta, ab Spiritu ſancto inſpirata, nunciata ab Angelo, inquam, *iſta ſalutatio, & ait Angelus ei: Ne timeas MARIA*, quaſi dicat: *Ne timeas* Regis magnitudinem, tui paruitatem, ſermonis falſitatē; rerū incomprehenſibilitatem, ſiue ambiguitatē, promiſsi protractionē, ſalutis amiſsionē, retenti diminutionem. *Ne timeas: inueniſti enim gratiā apud Deū. Inueniſti*, nō creaſti vt Deus, item non ſemper habuiſti, vt filius tuus. Ītē non rapuiſti, vt primus Angelus. Ītē non perdidiſti vt primus Parens. Nō emiſti vt Simō Magus, ſed *inueniſti*, quia quę ſiuiſti, vt Virgo prudentiſsima non abſcōdiſti, vt doctrix fideliſsima, ſed reddidiſti, vt Mater miſericordiſsima. *Inueniſti*, dico Dei miſerantis charitatē, promittentis Dei veritatem, tui ad hoc idoneitatem.

Vel contritionē

Sermonis.

Sequitur: *Dixit autem MARIA ad Angelum: Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Item ancilla proba septē habet officia. Primum est, quòd purgat domum, sic ipsa totam Ecclesiam. Vnde & filius eius sanguine quem de ipsa acceperat, totum mundum purgauit: vnde ad Hæb. 1. *Purgationem peccatorum faciens.* Ad purgationem illam peccatorum clama: ò immunde peccator, & mundaberis: Matth. 8. *Si vis, potest me mundare.* Secundùm est, quòd præparat cibum. Hæc est Sara, *quæ commiscuit tria sata*, farinæ, Gen. 18. Hęc est quæ coctum, & frixũ agnum in cruce exhibuit: famelicis animabus ad manducandum. Tertium est, quòd fornacem calefacit, & hæc, fornacem animarum nostrarum, frigidum igne diuini amoris succendit: vnde ipsa potest dicere: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi vt ardeat.* Quartum est, quòd aquam apportat: similiter hæc aquam gratię sitibundis animabus indefinenter aportat. Et ministrat aquã, videlicet gratiæ, Gen. 18. De Rebecca, quæ camelos sitientes refocillauit. Quintum est, quòd domum totam visitat, & circuit; vnde etiam dicitur ancilla ab an, & cilleo cilles, quod est moriri. Ipsa etiam circuit superiùs emisphęrium, & inferius; Angelos per lætitiam, iustos per gratiam, reos per veniam. *Vt non sit, qui se abscondat ab ea.* Sextũ est, quòd pueros lactat & portat, vnde inuitamur ad gaudium de tali nutrice. Dicitur Isai. vlt. *Saciemini ab vberibus consolationis eius.* Vnde & in Can. Vbera assimilantur *botris.* Septimus est, quòd lasis, & fessis lectos præparat, quòd & hæc facit: vnde & illud Ioan. 14. Dicere potest quando assumpta fuit in cęlo *Vado parare vobis locum* Et Ioan. 16. Expedit vobis, vt ego vadam, & post 16. Ego rogabo patrẽ, & aliũ Paraclytũ dabit vobis, Ioa. 18. *Pater sancte serua eos*, &c *sanctifica eos*, &c. *volo vt vbi ego sũ, & illi sint mecũ*, vt videãt claritatẽ, quã dedisti mihi: & illud, Gen. *Ingredere benedicte Domini præparaui domum*, &c. Benè ergo propter ista septem officia cõparat se ancillæ dicens: *Ecce ancilla Domini*, &c. Quòd nobis præparare digneris, qui vius & regnas Deus. Amen.

Hebr. 1. *Mat. 8. & Ma. 1* *Gen. 18.* *Luc. 12.* *Psa. 18.* *Isai. 66.* *Cant. 7.* *Ioan. 14* *Ioan. 16* *Ioan. 17* *Gen. 24.* *Luc. 1.*

Ipsa est etiam Mater salutationis, Luc. 1. *Intrauit MARIA domum scilicet Zachariæ & salutauit Elisabeth.* Sed quomodo salutauit eam? Respondeo. Salutauit eam fideliter. *Vnde & abijt in montana cum festinatione*, Glos. Non gaudens diù in publico videri, vel lætanter; quia vt dicit Glos. Congratulans Elisabeth, quòd dono, quòd eam dilexerat accepisse: vel vtiliter, quia *repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* Vnde ait: *vnde mihi hoc*, Glos. Quæ mea iustitia, quibus meis meritis, *vt Mater Domini mei veniat ad me?* Glos. Quasi diceret, bonum magnum accidit mihi, inde quòd venit ad me. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: exultauit ingaudio infans in vtero meo.* Glo. Vox MARIÆ non solùm Matrem, sed etiam sobolem amore aduenientis accendit. *Sedulius.*

Ipsa est etiam Virgo parturitionis, in quo *nec primam similem visa est nec habere sequẽtem*, Luc. 2. *Peperit filium suum, primogenitum.* Sed quomodo *suum?* Respondeo: *Suum* Patris donatione, Filij electione, Spiritus sancti voluntate: de his tribus Anselmus. Dicebat etiam. Vel *suum* superiorum immẽsitate, Bern. Hoc est, quòd quærebas, quòd gemebas, quòd suspirabas, vt fieres Mater Dei: vel *suum* totali carnis inditione: vel *suum* summa dilectione: vel *suũ* omnimoda procuratione; quia eius fidelissima ministra fuit: hunc, inquam, filium *suum peperit* multis de causis. Primò, vt quòd gerebat in vtero, sola nobis etiam communicaret: & in hoc commendatur à maxima charitate. *Vel peperit* vt Deum à sæculis absconditum: iuxta illud Isa. *Verè tu es Deus absconditus.* Facie ad faciem ostendet, & digito, si opus esset denominarẽt, dicens: Hic iacet in præsepio, qui & sydera regit *Vel peperit*, vt omnium sanctorum desiderantium Natiuitatem Christi, desiderũ compleret. Vnde & in Natiuitate cantat Ecclesia: *Ecce completa sunt omnia quæ dicta sunt*, &c. *Vel peperit.* Vt depositum Dei Patris in ea pro nobis repositum totaliter, & fideliter, & gaudenter repræsentaret: vnde & Angelus dixit: *Inuenietis infantẽ pannis inuolatum, & positũ in præsepio.* Ipsa est etiã, quæ hyemem vitiorum depulit: estatẽ gratię nobis adducens, Luc. 21. *Videte ficulneam*, id est, MARIAM. *Cùm producit iam ex se fructũ*, id est, Christũ, quòd factũ fuit in Natiuitate Christi *Scitis, quia propè est æstas*, scilicet gratię, quæ est calida, sicca, clara, fructuosa.

Luc. 2. *Isai 45.* *Luc. 21*

IOANNIS EVANGELISTA.

In principio erat Verbũ. Beatissima Domina Virgo MARIA, secundùm Euangelium Ioannis dicitur Mater restitutionis omnium, Ioan. 1. Sicut dicitur de eius Filio, *omnia per ipsum facta sunt:* sicut dicitur de ipsa. Omnia per ipsam refecta sunt: vt dicit Anselmus. Item ipsa est lux vera, Ioan. 1. *Quæ post Deũ illuminat omnem, hominem venientem in hũc mundum.* Genuit enim lumen, quòd omnes illuminatos illuminauit. *Cap. 1.*

Itẽ ipsa est *claustrũ* humanitatis Filij Dei, in quo, vt dicit Ioa. 1. *Verbũ caro factũ est, & habitauit in nobis.* In quo Deus Angelorũ factus est frater peccatorũ, *verbũ*, inquã, *caro factũ est.* Nota bonum verbũ debet habere quinque. Primò, quod sit integrũ, sic Filius Dei totus apud Patrẽ, & totus apud nos, vel debet esse rectũ: sic Christus, Deut. *Deus iustus, & rectus*, vel debet esse manifestatiuũ oculorũ sic Christus: vnde *omnia quæcũque audiui à Patre*

Deu. 32 *Iosn. 15*

tre notã feci vobis. Manifestauit etiam nobis Patrem per potentiam, se ipsum per sapientiam, Spiritum sanctum per benignitatem. Item manifestauit nobis mundi varietatem, peccati damnositatem, pœnarum acerbitatẽ, gloriæ æternitatem: vel debet esse lætificativum desolatorst, sic Christus Mat. *Beati pauperes*, &c. & multis alijs modis lætificat nos; vel debet esse confortatiuum, scilicet, debilium, sic Christus: vnde & dicebat: *Quid timetis modicæ fidei.* Et alibi, *nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et alibi: *Confidite, ego vici mundum.* Hoc inquam verbum caro factum est; sed quare factum est caro? Primò ideò, vt Filius Dei compassibilem nobis se in mundo summo ostenderet. Caro enim passibilior est inter omnia: vel ideò vt omnes defectus nostros se assumpsisse demonstraret præter ignorantiam, & peccatum, vel vt se nobis palpabilem exhiberet; Luc. 24. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Vel vt nos à multa humilitate suscitaret, Chrysostomus excelsum humili adhærens, &c. Item ipsa est Ecclesiæ promptuarium plenissimum: vnde omnes cœli, & terrigenæ stipendiãtur, Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet potẽ Deum: *gratiam pro gratia*, & Psalm. *Promptuaria eorum plena*, ideſt, MARIA. *Eructans ex hoc in illud*, ideſt, de triũphante in militantem, de gratia in gloriam.

Item ipsa est generale baptisma peccatorum, quantũ ad veniam, iustorum quantum ad gratiam, euolantium quantum ad gloriã, Ioa. 3. *Erat Ioannes baptizans in Ænnon iuxta Salim, quia aquæ multæ erãt ibi.* Quod totum ei mysticè conuenit: formã enim baptismi spiritualis in nobis seruat baptizando, ideſt mũdando peccatores. *In nomine Patris* per potentiam, *in nomine Filij*, per sapientiã, *in nomine Spiritus sancti*, per bonitatem. Vnde si Ioannes propter officium baptismi interrogatus fuit à Iudæis. *Tu quis es?* Sic & nos si interrogauerimus eã. *Tu quis es?* Respondebit nobis: Quia *non sum Christus.* Sed Christi Mater Baptista peccatorum.

Et ipsa est etiam *Templum* totius Trinitatis, ad quod nullus intromittitur nisi ipse solus Deus, Ioan. 2. *Omnes eiecit de templo.* Et ait. *Nolite facere Domum Patris mei, domum negotiationis*, sicut fuit Eua, & nos.

Item ipsa est. *fons Iacob*, de quo nobis profluxerunt quatuor flumina. Ioan. 4 Require supra: fons igitur iste Beatissima Virgo est propter multa. Primò, quia venientes ad se dirat, inuenitur enim ibi totus thesaurus Dei Patris, scilicet, IESVS. Vnde *IESVS fatigatus ex itinere sedebat sic super puteum: erat autem hora, quasi sexta.* Vbi & mulier inuenit eum. Secundò, quia sitientes aqua gratiæ refocillat. Vnde dixit: *IESVS mulieri, si scires, quis est qui dicit tibi: da mihi bibere forsitan tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam bibere viuam*, ideſt gratiam, & gloriam. Tertiò, quia peccata videnda illuminat: vnde dixit IESVS: *Quinque viros habuisti.* Et mulier statim subtulit. *Domine, vt video, Propheta es tu.* Quasi diceret: Prius cæca fui; sed modò video. Quartò, quia à peccato liberat: vnde reliquit *hidriam suam mulier.* Hidriam cupiditatis, voluptatis, & vanitatis. *Et dixit Samaritanis: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci.*

Ité ipsa est *piscina* sanationis: *quinque porticus habens.* Ioan. 5. Mons *sanationis, & saluationis*, quia saluat, & sanat potenter, velociter, misericorditer, totaliter, & finaliter. Hæc est *piscina* gratiæ MARIA, Ioan. 5. In quam *secundùm tempus* misericordiæ *descendit Angelus Domini*, ideſt, Filius Dei, *mouẽs* in ea aquas gratiarum ad sanandum: vnde & ibi: *Sanus fiebat à quacumque tenebatur infirmitate.* Item ipsa est *Iudicissa* viuorum, & mortuorum, & Mater Iudicis sempiterni, de quo Ioan. 5. *Potestatem dedit ei*, ideſt, Pater Filio. Secundùm humanitatem, *iudicium facere, quia Filius hominis est.* Si potestatẽ habet Filius eius, *iudicium facere* iustitiæ: Ipsa etiam, ex concessione sua potestatem habet iudicium misericordię *facere*; quia Mater Dei est: vnde & de cõfidentia Filij illud Mat. dicere potest. *Annõ licet mihi facere quod volo.* Ipsa est enim Debora Prophetes, vxor Lapidoch. *Quæ iudicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma, ad quam ascendebant filij Israel in omne iudicium.* Vnde & ipsa consequenter illud Filij sui verbum dicere potest, Ioa. *In iudicium ego in hunc mũdum veni*, scilicet, vt sim Iudicissa misericordiæ, sed iudicis est scire omnia: vnde iudicantem cuncta rimari oportet. Orationes nostræ, & causæ innotescunt ei per Angelos: verbi gratia, cũ orantes dicimus: *Aue MARIA gratia plena.* Tum Angeli nostri offerunt ei preces nostras, vt legitur Tob. 12. Sed valdè probabile est, & credibile, quòd orationes nostrę priùs innotescant ei per filium, qui omnia fecit, antequam petitiones nostræ innotescant ei per Angelos, Amos 3. *Non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit seruis suis Prophetis.* Multò magis MARIÆ, quæ est Mater, & Prophetissa omnium Prophetarum, Isai. 8. Iud. 4.

Ipsa etiã est attractrix peccatorum ad Deũ, Ioan. 6. *Dixit IESVS turbis: nolite murmurare inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui venit* * *ad me, traxerit eum.* Sed nunquid non veniunt ad te, quos Mater tua ad te trahit? Vtique, immò omnis, quem Mater ad eum trahit, impossibile est, vt intereat: vt dicit Anselmus.

Mat. 5. *Mat. 8.* *Mat. 10.* *Ioan. 16* *Christost.* *Luc. 24.* *Ioan. 1.* *Ps. 143.* *Cap. 3.* *Cap. 2.* *Cap. 4.* *Cap. 5.* *Mat. 20* *Iud. 4.* *Tob. 12.* *Amos 3.* *Isai. 8.* *Iud. 4.* *Cap. 6.* * *Misit me.*

Cap. 7. Item ipsa est *opus* admirationis, tàm Angelorũ, quàm hominum: de quo Dominus Ioan. 7. *Vnum opus feci*, ideſt, MARIAM, quæ est vna, & singularis, & prætiosa præ omnibus, & *omnes* tàm Angeli, quàm homines *admiramini* eius naturam, eius gratiam, eius gloriã, eius humilitatem, eius misericordiam, eius largitatem, eius solemnitatem.

Cap. 8. Item ipsa est *sedes*, misericordiæ; in quam sedens Filius Dei, Dominus noster, & iudex pro cõdemnatis filijs Adæ, protulit sententiam absolutionis, Ioa. 8. *IESVS inclinans se deorsum*, Glo. de sede Patris in mundum. *Digito scribens in terra. Qui sine peccato est mittat*, &c. & statim post: *Nemo te condemnauit:* & illa, *nemo Domine?* & ille: *nec ego te condẽnabo, vade & iam amplius noli peccare.*

Cap. 10. Item ipsa est *ostium* cœli, vnde illud Ioan. 10. dicere potest: *Per me, si quis introierit,*

Cap. 15. *saluus erit.* Item ipsa est vitis, Ioan. 15. *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est.* Nota proprietates vitis bonæ, & adapta.

Cap. 19. Sequitur Ioan. 19. cap. *Stabat iuxta crucem Mater eius*, libet exclamare mulierum, de ista statione. Clamo igitur, & dico, quod ista statio fidelissima est: fidelis enim aduocatus libenter stat ad Tribunal iudicis, in quo pro suo clientelo datur sententia absolutionis; & pro aduersario sententia condemnationis: sicut MARIA aduocata apud Crucem IESV, in qua pendens Filius Dei, iudex omnium dedit sententiam de Diaboli condemnatione, & sententiam de peccatorum absolutione. *Pater dimitte eis, quia nesciunt*

Luc. 23. *quid faciunt*: & sententiam de Regni aperitione: vnde, *hodie mecum eris in paradyso.*

Clamo secundò, & dico: quia statio ista sapientissima est: docet enim Beata Virgo sub arbore crucis semper stare, propter tuitionem à miluo inferni. Propter refrigerationem contra æstum mundi, & peccati; propter pausationem à labore peccati, Genes. 18.

Gen. 18. *Dixit Abraham: requiescite sub arbore, & postea transibitis.*

Clamo tertio, & dico, quòd statio ista vtilissima est: docet enim nos Magister noster Christus in cathedra Crucis sedens: in omni tribulatione ad Deum clamare, ibi: *Heli, heli, lamazabathani*, Glos. ideò, vt homo loquitur, vt homo flet, vt homo crucifixitur, vt homo turbatur. Secundo docet pro persecutoribus exorare, ibi Luc. 23. *Pater, dimitte*

Luc. 23. *illis*, &c. Tertio docet, afflictis misereri, ibi, Luc. 23. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso*, Glos. semper Dominus plus tribuit, quàm rogetur; sicut patet in latrone. Qui dicebat: *Memento mei*: & ille, *hodie mecum eris.* Citò ignoscit Dominus, quia ille conuertitur citò. Quartò docet, parentum diligentiam habere, & curam, vt dicit Chrysostom. ibi: *Mulier, ecce Filius tuus.* Quinto docet salutem æternam desiderare, ibi: *Sitio.* Sexto, docet in articulo mortis, Deum Patrem inuocare, ibi: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, &c.

Sequitur Ioan. 20. cap. *Vade ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum.* His verbis post Deum nullus sanctorum; ita conuenienter vti poterit, sicut Beatissima Virgo in sua glorioſa assumptione. Tria igitur hic notanda. Primò, qualiter ascẽdit, quia ordinabiliter de paupertate ad Regnũ: de humilitate ad sublimitatem, de tristitia ad gaudiũ, & huiusmodi. Taliter enim ascendere, est ordinabiliter ascendere. Item ascendit hilariter, quoniam conculcauerat mundum diabolum, & peccatum: vnde congratulando ei occurrere debemus, & in laudem eius canere. *O Regina gloriæ, quæ triumphatrix hodie super omnes cœlos ascendis, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum paraclhetũ in nos spiritum veritatis, &c.* Item ascendit regaliter cum choro sanctorum, & choris Angelorum, cum ductore filio suo IESV Christo: vnde etiam non immerito admirando possum quæri illud, Isai. *Quæ est ista, quæ venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra: ista formosa, in stolla sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ.* Rei põdeò: *Ego sum qui loquor iustitiam, &*

Cap. 20. Isai. 63.

propugnatrix sum ad saluandum. Sic patet qualiter ascendit. Secundò videndum est, quare ascendit? Vt infernum obstruet, vt cœlum aperiret, vt Deum Patrem placaret, vt peccatores exaltaret, vt omnem cœli militiam lætificaret, & vt nos ad se traheret:

Cant. 1. Cantic. 1. *Trahe me post te.* Tertio videndum est, quo ascendit, & sciendum, quòd præter Christum ad locum altissimum, & nobilissimum, & hoc triplex ratio exigebat. Prima fuit, summa post Deum nobilitas: vnde Aristoteles. Nobilis res debet esse in nobili loco. Sic & ipsa. Secũda fuit, meritorum qualitas. MARIA enim summum meritum habuit post Christum, & summum locum debuit habere post Christũ. Tertia est Dei promittentis veritas; Dei enim constitutio est: *Omnis qui se humiliat exaltabitur.*

Luc. 14. Et qui se maxime humiliat, maximè exaltabitur. Hoc autem ipsa post Christum fecit: ergo post Christu maxime debuit exaltari. Rogamus te Virgo, vt nos ad te totaliter, & finaliter ad cœlum Empyreum trahas, vbi viuis, & Regnas cum Deo.

Amen.

APO-

APOCALYPSIS.

Apocalypſis quam dedit Deus, &c. Beatiſſima Domina ſecundùm Ioan. in Apocalypſi.

Cap. 4. Dicitur ſedes Filij Dei, Apocal. 4. *Vidi & ecce ſedes poſita erat in cœlo*, ideſt, in Eccleſia. MARIA. Hæc ſedes vocatur, ſedes totuis nobilitatis; quia ſolus Deus ſedet in ea. Vnde, *& ſuper ſedem ſedens*, ideſt, Deus homo, vt exceuens paratus ad iudicandum. *Similis aſpectui lapidis, iaſpidis, & ſardinis:* & hęc ſedes vocatur, ſedes totius propitiationis: vnde & *iris erat in circuitu ſedis*, Gloſ. ideſt, pax & propitiatio, vt protegens. Item hęc *ſedes* vocatur totius commiſerationis: vnde de *throno*, ideſt, Virgine MARIA, *procedunt fulgura*, Gloſ. quæ terrent: & *tonitrua*, Glo. ideſt, comminationes, *& voces*, Gloſ. ideſt, admonitiones. Itẽ hæc ſedes eſt, ſedes totius pulchritudinis: vnde *ſeptem lampades ardẽtes ante thronum*, Gloſ. ideſt, ſeptem dona Spiritus ſancti. Quibus ipſa præcunctis mortalibus illuminata, & accenſa fuit. Hic eſt

Cap. 7. thronus, de quo Apocal. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex gentibus ſtantes ante Thronum Dei*, Gloſ. vt cõſpiciantur, & *clamabant voce magna*, Gloſ. in preſenti, & in futuro, maximè dicentes: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum.*

Cap. 9. Ipſa eſt etiam *Altare* propitiationis, Apocalyp. 9. *Audiui vocem vnam*, Gloſ. ideſt, MARIAM, *de quatuor cornibus Altaris aurei*, Gloſ. ſuper quod quidquid offertur, accipitur à Deo. *Quod eſt ante oculos Dei.* Quatuor cornua huius altaris ſunt hæc. Miſericordia eius: humilitas eius: Virginitas eius: largitas eius. Hæc omnia clamant pro nobis.

Ipſa eſt etiam *Regina*, omnium coronata duodecim prærogatiuis, Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo*, Gloſ. in Eccleſia. *Mulier amicta Sole*, ideſt, MARIA Chriſto. Quia induit Chriſtũ: qui eam illuminat, *& Luna ſub pedibus eius*, Gloſ. ideſt: omnia terrena: vnde Bern. Quid ad MARIAM trepidet humana fragilitas? Nil in ea auſterum; nihil terribile, ſed tota ſuauis eſt, offerẽs lac, & lanam. Reuolue diligentiùs Euangelicę hiſtoriæ ſeriem, & ſiquid fortè increpatoriũ, ſi quid durum, ſiquid denique ſignũ, vel tenuis indignationis, occurrerit in MARIÆ, & de cætero ſuſpectã habeas, & accedere verearis. Quod ſi vt verè ſunt plena omnia pietatis, & gratiæ, plena manſuetudinis, & miſericordiæ in ea inuenies; age gratias ei, qui tibi talem mediatricem benigniſsima miſeratione prouidit, in qua nil poteſt eſſe ſuſpectum. Denique omnibus omnia facta eſt ſapientibus, & inſipientibus, copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſeri-

A cordiæ ſinum aperuit; vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. Captiuus redemptionem; ęger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus læ *Pſal. 18* titiam. Denique tota Trinitas gloriam; filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam: vt non ſit, *qui ſe abſcondat à calore eius.*

Ipſa namque mulier *amicta Sole*, quæ quẽadmodum Sol ſuper bonos, & malos oritur indifferenter. Sic ipſa quoque non diſcutit merita; ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſsimam ſe exhibet: omnium neceſsitates ampliſsimo miſeratur affectu, nam & defectus omnis ſub ea eſt. Et iure MA-

B RIA, ſole perhibetur, vel probatur amicta, quę luci illi inacceſsibili pœnitus videtur immerſa illo igne diuino: non ſummatim tacta, ſed operta vndique, & circumfulſa familiaris ei facta es ò Domina, & veſtis eum, & veſtiris ab eo. Veſtis eum ſubſtantia carnis, & ille veſtit te gloria ſuę maieſtatis. Denique, & coronauit eum, & viciſsim ab eo meruit coronari: duodecim ſtellis, duodecim ſtellas, duodecim prærogatiuas intelligimus gratiarum. Et prima quidem eſt MARIÆ generatio. Secunda, Angelica ſalutatio. Tertia, Spiritus ſancti ſuperuẽtio. Quarta, Filij Dei conceptio. Quinta, eſt virginitatis primiceria. Sexta, quod ſine corruptione fęcunda. Septima, quòd ſine grauamine grauida. Octaua, quod ſine dolore puerpera.

C Nona, manſuetudo pudoris. Decima, deuotio humilitatis. Vndecima, magnanimitas credulitatis. Duodecima, martyrium cordis. *Et in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Prima ſtella, & primum priuilegium Beatiſsimæ Virginis eſt peccati immunitas. De omnibus enim alijs puris hominibus dicitur, 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam pec-* 1. *Ioã.* 1. *catum non habemus, nos ipſos ſeducimus: & veritas in nobis non eſt:* & in Eccleſ. *Et infans vnius diei, ſine peccato non eſt ſuper terram.* Et Iob 3. *Stellæ non ſunt mundæ in* *Iob* 3. *conſpectu eius.* Et Gloſ. Rom. 8. Impoſsibile eſt quantumlibet ſanctum aliquando non

D cadere. Sed Beatiſsima Domina ab hac lege excipitur, & eſt priuilegium eius ſpeciale, & derogat generali. Ipſa enim nunquam peccauit, quòd per omnia verum eſſe dicimus, dicentes cum Auguſtino: de qua cùm propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, de ea noli fieri mentionem. Secunda ſtella, & ſecundùm priuilegium Imperatricis noſtræ, eſt peccandi impoſsibilitas; ſed non poſſe peccare, quatuor modis dicitur. Primò, non poſſe peccare per ſe, ſecundùm naturam inuertibilem; & hoc modo Deus Trinitas non poteſt peccare. Secundò, quòd habet vnionẽ perſonalem cũ natura inuertibili. Hoc modo Chriſtus homo, nõ poteſt peccare. Tertiò modo dicitur, non poſſe pecca-

re, quòd habet coniunctionem, vel conuersionem ad naturam inuertibilem per mediũ, quod est de sui natura inseparabile, vt est habitus gloriæ. Quarto modo dicitur, non posse peccare; quòd habet coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod secũdùm sui naturam in se est separabile. Sed tamen omnino est separatum à cõtrario repugnante, vel resistente, vel impediente, & præterea in suo summo in tali substantiuo est inseparabile, vt est plenitudo gratiæ in Beata Virgine MARIA; & hoc modo dicitur Beata Virgo non posse peccare. Tale enim nõ posse peccare coniunctum cùm posse mereri, est proprium priuilegium Beatę Dei genitricis MARIÆ. Tertia stella, & tertium priuilegium Imperatricis est, quòd quolibet motu, & opere meruit. Motu dico liberi arbitrij ad agendum, vel patiendum, vnde non merebatur motibus naturalibus, in quantum naturalibus, sed rationalibus gratia informatis: vnde motibus liberi arbitrij gratuitis merebatur, vbi & liberum arbitrium, & gratia operabatur. Sed liberum arbitrium, vt iumentũ,
1. Co. 12 gratia, vt sessor, vt dicit Anselmus: vnde Apostol. 1. Cor. 12. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*, & sic merebatur quolibet motu, quo contingit mereri. Ipsa enim sola impleCol. 4. uit illud inter puros viatores, Col. 4. *Omne quodcumque facitis in verbo, vel in opere; om*
1. Co. 10 *nia in nomine Domini IESV*, & 1. Corint. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite*. Hoc enim inter omnes sanctos huius vitę plenissimè fecit. Quarta stella, & quartum priuilegiũ Reginæ cœlestis, est puritas in summo, de qua dicit Anselmus: Nempè decens erat, vt ea puritate, qua sub Deo maior nequit intelligi, Virgo illa niteret: cuius Deus Pater vnicum Filium, quem de corde suo æqualem, sibi genitum, tanquã se ipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus: idemque Dei Patris, & Virginis Filius, & quã ipse filius substantialiter, sibi facere Matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, vt conciperetur, & nasceretur ille de quo ipse procedebat. Et si quæritur, quid sit hæc puritas in summo, sciendũ, quòd secundùm rem, nihil aliud est hęc puritas, nisi peccati originalis deletio: fomitis extinctio; gratuitarum perfectionum illuminatio; & sciendum, quòd ad hanc puritatem in summo, quatuor gradibus ascendit. Primò enim purificata fuit per sanctificationem in vtero. Secundò, virtutum exercitationem. Tertiò, in Spiritu sancto superuentione. Quartò, in Filij conceptione. In primo gradu est, perfectio gratiarum Sacramentalium: in secundo perfectio virtutum, & donorũ. In tertio, perfectio fructuum, & Beatitudinum: de primo
Cant. 4. Cant. 4. *Tota pulchra es* ab originali. *Tota pulchra* ab actuali mortali, *& macula*, & venialis peccati, *non est in te* De secundo ibidẽ. *Quàm pulchra es amica mea, & absque eo quod intrinsecus latet*, quasi diceret quã pulchra in opere propter charitatem, absque eo quod intrinsecus latet, scilicet in corde per humilitatem: de Tertio dicitur in Psal. *Sãctificauit Tabernaculum suum altissimus*. Item Psal. 45
Deus in medio eius non cõmouebitur, & Luc. Ezec. 43
11. *Spiritus Sãctus superueniet in te*, de Quarto Eze. 43. *Maiestas Domini ingressa est templo, ad vnam partem, quæ respicit ad Orientẽ, & repleta est gloria domus Domini*, ideſt, MARIA. Hæc est enim puritas, qua sub Deo nequit maior intelligi. Quinta stella, & Quintum priuilegium Imperatricis est illud, quod ipsa est Mater Dei, ratione etiam cuius principaliter dicitur: *Gratia plena*, & manifestũ est, quòd maior gratia non potest intelligi, puræ creaturæ participari, quàm esse Matrẽ Dei, quia hoc est plus esse Matrẽ Dei per naturam, quàm esse Filium Dei per adoptionẽ. Item immediatè esse potest Deum, est esse Matrem. Item maius est esse Matrem Dei, quàm esse Angelum, quia ad esse Matrem Dei, sequitur Dominam esse Angelorum omnium. Sexta stella, & Sextum priuilegium Dominę MARIÆ, est illud quòd est Mater, & Virgo, & quòd hoc soli ipsi cõueniat, probat Isa. 66. *Antequàm parturiret peperit*. Et post: *Quis* Isai. 66.
audiuit vnquã talia, & Ecclesia cantat ipsi, de hoc priuilegio laudando. *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem*. Item dicit Dionysius, quòd hoc omnium notiorum notissimum. Septima stella, & Septimum priuilegium est, quòd est Virgo Virginum, & hoc multis de causis. Primò, ideò, quia Beatissima Virgo est Mater omnium in Virginitate, quæ prima sine præcepto consilio, vel exemplo glorioſum munus virginitatis obtulit Deo, per quod, & omnes Virgines per immitationem virginitate genuit: vel Secũdo ideò per excellentiam. Excellit enim omnes Virgines in fomitis extinctione, & in summa puritate circa Deũ: vel Tertio ideò, quia victoria est declaratio potentiæ super aduersariũ, quando tanta est potestas in aduersarium, quòd non potest moueri bellum, nec mire cõflictum, quàm tunc cùm post ictus, & vulnera vincit inimicum; & ex hoc patet, quòd maior fuit virtus castitatis in Beata Virgine, quàm in aliqua Virgine pura, vel puro homine. Vel Quarto ideò, quia in virginitate excellit Angelos; Angelorum enim virginitas est à natura hæc à gratia, ergo nobilior. Item Angelorum necessaria, hæc autem voluntaria; vnde gratiosior est, quàm illa. Item Angelorum non est meritoria: hæc autem meritoria, vnde vtilior est hæc quàm illa. Ité Angelorũ est in natura impassibili, hæc autem in carne fragili: Vnde mirabilior, est quàm illa, vel

An-

Angelorũ est cũ libero arbitrio inflexibili: hæc autẽ cũ libero arbitrio flexibili: ergo laudabilior hęc quã illa, & sic est Virginitas MARIÆ nobilior, gratiosior, vtilior, gloriosior mirabilior, laudabilior, & intelligibilior, quę est in corpore, & anima: Angelorũ tantùm in spiritu, & sic patet, qualiter Beata Virgo MARIA, excellit omnes Virgines, citra illũ qui est Deus, in virginitate. Octaua stella est octauum priuilegium Virginis MARIÆ, & illud quod dicitur Mater omniũ, Sap. 7. *Omnium bonorũ Mater est.* Ipsa enim Mater nostra est maternitatis genitura; quia vnũ hominem genuit, in quo omnes regenerauit. Item Mater nostra est cura, * quia in vno nobis genuit, quidquid nobis ad hanc vitam, vel futuram necessarium fuit. Vnde & dicit: *Et à generationibus meis adimplemini.* Item Mater nostra est dignitate: *quia ipsa est primogenita ante omnẽ creaturam.* Ipsa est prior prioritate prædestinationis. Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, vt esset principiũ, ex quo restaurandum fuit omne creatum. Angelorũ quoque Mater dici potest genitura, * quia generauit Patrem Angelorũ, & restaurationem eorum, ante ipsos dignitate corporaliũ; etiam Mater est genitura, * quia genuit ipsorum innouitatẽ, & prior ipsis dignitate placationis, & vniuersaliter, quia Mater est creationis, * Mater est omnium creaturarum: & sic *omnium bonorum Mater.* Nona stella, & nonum priuilegiũ Beatæ Virginis est, quia ipsa dicitur Stella maris, & hoc propter quinque. In illa enim stella est considerare, substantiam, qualitatem, situm, statum, effectũ; substantia est cœlestis, incorruptibilis, origo lucis. Sic ipsa est cęlestis conuersatione, incorrupta, corpore origo lucis generatione, qualitate, superior: Est enim sita in supremo poli respectu omnium: sic ipsa respectu sanctorum omnium: & clarior est Virginitate, vtilior fęcunditate, situ est suprema, & vltima dignitate: & ipsa est suprema dignitate, & vltima humilitate. Status stellæ est, quòd sine motu, sine occasu, sine errore: & ipsa est sine motu inconstantiæ, sine occasu culpæ, sine errore ignoratiæ. Effectus triplex ferrum attrahit, lucẽ tribuit, nautas dirigit, sic MARIA attrahit peccatores, illuminat pęnitentes, dirigit innocentes; sic patet quare ipsa dicitur Stella maris. Decima stella, & decimum priuilegium est, quòd dicitur Porta cœli. Primò, quia porta exportat, & importat: sic ipsa dicitur porta, quia per eã exiuit, quidquid vnquam gratiæ creatũ, vel increatum in mundum venit: vel ideò quia per ipsam intrauit, quidquid vnquam boni à terris ad cœlos ascendit: vnde dicit Filius, Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa;* vel ideò, quia porta quantùm in se est, omnibus intrare volentibus est peruia: vnde significatur in Apocal. per duodecim portas. Quia ex omni parte mundi tria genera hominum, scilicet, viduas, coniugatas, & Virgines aportat, & importat. Vndecima stella, & vndecimum priuilegium Virginis Matris est, scilicet, communicatio passionis: de quo Damascenus. Quòd dolores, quos effugit partiens in Christi passione substinuit: & Isai. vlt. *Ante quàm parturiret peperit, & antequam veniret tempus eius peperit masculum:* ex hoc sequitur, quòd aliquando peperit sine parturitione, & sine dolore; & postmodum sequitur. *Nunquid parturiet terra vno die, aut parietur gens simul: quia parturiuit, & parturit peperit Syon.* Ergo aliquando peperit gentes simul, & cum parturitione, & dolore. Primò ergo peperit filium suum primogenitum, sine dolore in sua natiuitate: postea peperit totam gentem simul in Filij passione: vbi factus fuit ei in *adiutorium simile sibi*; vbi ipsa Mater misericordiæ; Patrem misericordiarum in opere summę misericordiæ adiuuit: & vna secum omnes homines regenerauit: vnde & apud crucem stetit; & hæc regeneratio cum summo dolore vtique fuit. Duodecima stella; & duodecim priuilegium est illud, scilicet, super omnem creaturam, in quartam Ierarchiam exaltatio: & hoc dicit Hieronym. & Sancti omnes, vt Ecclesia cantat, *Exaltata es super choros Angelorum*, & gloria quasi Seraphin super Cherubin; sed propter excellentiam dignitatis, ordinatur Seraphin, super Cherubin vno ordine: ergo ipsa est super Hierarchiam Angelorum omnium, vel alij homines possunt venire ad Seraphin: nullus autem ad statum, vel dignitatem Beatæ Virginis ergo est super Seraphin; & sciẽdum, quòd vltimum priuilegium, scilicet, quòd nominatur Regina misericordiæ, propè conuenit ei in prædictam dignitatẽ exaltare. Primò, ideò, quia misericordia plus apprehendit, quàm gloria, iustitia, gratia. Gloria enim, & gratia, & iustitia per se tantùm dicunt collationem boni. Misericordia verò dicit, & collationem boni, & ablationem mali: per se ergo, plus comprehendit, & in ampliùs se extendit Regnum misericordiæ, quàm iustitiæ, gloriæ, vel gratiæ; sed & ab ampliori; & maiori potentia, maior est dignitas, & denominatio: ergo Beata Virgo MARIA à summa dignitate, debet dici Misericordiæ Regina. Item gloria tantùm est in cęlo, & non in terra, non in inferno, non in purgatorio. Misericordia autẽ, in cęlo, & in terra, in inferno, & in purgatorio: ergo maximum est Regnum misericordiæ: ergo maxima Regina debet dici Regina Misericordię.

Item Beata Virgo Regina est super patrimonium, & proprietatẽ filij sui, sed hoc patrimonium, & proprietas est misericordia:

secundùm, quod dicitur: *Deus cuius propriũ est misereri semper, & parcere*: ergo propiè est Regina misericordiæ; & secundũ hoc sciẽdum, quòd proprijssimum nomen, quod Beatæ Virgini debetur, secundùm suam dignitatem; summa est Regina misericordiæ, & plus propriè, quã Imperatrix; hoc nomen est, nomen timoris, & rigoris. Regina autem, nomen est prouidentiæ, & æquitatis: sed nomen misericordiæ, est nomen spei, & timoris.

Ipsa est etiam Beata Virgo, significata per
Cap.16. septem Angelos, Apoc.16. Quorum primus effudit phialam suam *in terram*. Secũdus in *mare*. Tertius, *super flumina*. Quartus *in Solem*. Quintus, super *sedem bestiæ*. Sextus, in *flumen magnum Eufratem*. Septimus, *in aerẽ*. Sic & ipsa phialas grãtiæ, misericordiæ, & bonitatis, & largitatis in omnes effudit. Ipsa enim habet in summo proprietates omnium Angelorum; & videndum est de singulis Angelis, de proprietatibus primæ Hierarchiæ ascendendo, quatuor. Primus est ordo Angelorũ, & hæc tres proprietates sunt vna; quia ordo ille immediatè ordinatur ad humanam Hierarchiam, sic & ipsa in mediatrix est nobis, quàm Angeli. Quia Angeli nobis tantũ prælati, sed non fratres, vel filij; sed ipsa cõprelata, & Mater, & Filia, & soror. Secunda, quia maximè noti sunt nobis illi de ordine Angelorum; scilicet, tantùm per intelligentiam, sed Beata Virgo MARIA, insuper per experientiam, scit enim infirmitates nostras. Tertia, quia singuli, singulos homines custodiunt, sed ipsa vniuersaliter singulos, & vniuersos. Secundus est ordo Angelorum, qui similiter secũdùm Dionysium, tres videtur habere proprietates. Prima est, à superioribus communicare, sic ipsa à maximè superioribus communicauit. Luc.1. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Secunda est, inferiores ad superiora reducere, quòd ipsa in summo fecit: ipsa enim sola omnes inferiores reduxit, tanquàm mediatrix, reconciliatrix, & adiutrix redemptionis; Angelorumque numerum restaurauit, & hominem lapsum reuocauit. Tertius est, ordo principatuũ, qui similiter habuit tres proprietates. Prima est, primi principij immitantium, * sic & Beata Virgo primum principium immitatur in tribus, in mali immunitate, Sap.7. *Incoruptio facit proximum Deo*, in boni communicatione. *Mater enim omnium bonorũ est, & venerunt nobis omnia bona pariter cum illa*, Sap.7. Itẽ in communicanda cõmunitate, *est oliua speciosa in campis*, Eccles.24. Secunda proprietas est, scilicet principatuum, virtutum ornatus, quòd ipsa habuit in summo, quia habuit deiformissimas * virtutes, illud Eccles.24. *Ego in altissimis habito.* Tertia est, inferior ad ipsum præ magnificum principium reductio, quòd etiam habuit in summo. Ipsa etiã de vltimo fecit primũm, & de primo vltimũ; immò omnia, ideſt, omnium creaturarum in homine reduxit ad illum, ex quo exierũt, etiã ipsi personaliter vniendo.

Luc.1. **Imitationem.* *Sap.7.* *Eccl.24.* *Eccl.24.*

Iam de secũda Hierarchia, videamus cuius etiam tres sunt, secundùm Dionysium proprietates: in qua primus est ordo Potestatum, qui habet tres proprietates. Prima est sui ordinis, & dignitatis custoditam gratiam, hanc habuit in summo Beata Virgo, quæ fuit post partum, & ante dignitate stante. Secunda est aliorum ordinamentum, sic & ipsa fuit ordinis Virginum inuentrix, & ordinatrix. Tertia est, actiuum, & reductiuum: sic & ipsa fuit actus virtutum, secundùm modũ patriæ, quãtum ad persecutionem; & secundùm statum viæ, fuit etiam vniuersaliter reductiuũ, quantum ad meriti conductionem per exemplum: vnde & dicenda est Stella maris. Secũdus ordo Hierarchiæ, est ordo virtutuũ, quarũ tres sunt proprietates. Prima est, incommunicabilis virilitas, quæ consistit in tribus, in resistentia contrarij, quia omne peccatum vicit, vel in aggressione ardui, scilicet, in altissima paupertate carnis, asperitate summa cordis: humanitate, vel intollerantia contrarij, scilicet, in acerrima Filij passione. Secunda proprietas virtutum est nullius imbecillitatis tarditas. Hanc cum excellentia habuit, quia eandem Angelicam vitam, quàm Angeli sine onere carnis; ipsa cum carne in carne duxit: & cum sarcina carnis, illos sine sarcina ad maius brabium anteuertit. Tertia proprietas virtutum est ad inferiores largitas. Hãc etiã habuit cum excellentia: illi enim dant, donũ Dei: ipsa dedit ipsum Deum, vel ipsi dant tãtum inferioribus; ipsa & superioribus summũ donum tribuit: dedit enim mundo Deum. Deo mundum quilibet homini vnum Regnũ cœlorum. Vltimus in secunda Hierarchia, est ordo dominationũ, qui habuit has proprietates secundùm Dionysiũ. Prima est à seruitute libertas. Secunda est, ab hostibus inuincibilitas. Tertia liberalis serenitas. Quarta minuti seruitij superioritas. Quinta nullius subiectionis egestas. Sexta, dissimilitudinis immunitas. Septima, dominandi ordinata volũtas. Octaua, sui & suorum ad Deum cõformitas. Nona, nulla in dominando vanitas. Decima, Dominicæ dominationis particeps conformitas, & hæ proprietates inueniuntur, secũdùm Dionysium in cœlesti Hierarchia, cap.8. in hęc verba: Sanctorum dominationum, &c. Has omnes propietates, habuit Beata Virgo in summo. Restat nunc videre de suprema Hierarchia, in qua primus in ascendendo est ordo thronorum, quorũ hæ sunt sex proprietates. Primò est celsitudo. Secunda Regis circumdatio. Tertia stabilis collocatio. Quarta est Regis susceptio. Quinta, Regis delatio. Sexta familiaris apparitio. Sic & Beata Virgo

cel-

celsissima est quantum ad primum, Regem gremio nutriuit, siue vtero circũdedit, quãtũ ad secũdùm ipsa in soliũ gratiæ, & gloriæ æternaliter elegit, & in ipsa requiescẽs, de ipsa sua sede corpus sibi fecit, quod sibi in vnitate personæ assumpsit, & nũquam deposuit, quantum ad tertium. Quæ & ipsum Regem suscepit in incarnatione per gratiæ plenitudinem, & præsentiam corporalem, quantum ad quartum. Quæ & ipsum Regem gloriæ in mundum detulit de cœlo. Ipsa est etiam *ferculum Salomonis*, Can. 3. Et ipsum in mundũ detulit, & in mundo circumtulit quantum ad quintum, cui & familiarissimè apertum est incarnationis Sacramentum, cui datum est Soli pro omnibus illud, & scire, & experiri quantum ad sextum supremus vltimæ Hierarchiæ ordo est Cherubin, cuius secundùm Beat. Dionysium, quatuor sunt proprietates. Prima est, in circuitu esse, per quod secundùm commentatorẽ intelligitur, quòd in circuitu sunt; quia ad totum, quod est in totum, sic & ipsa ipsum totum circumdedit: & insuper in intima viscera misericordiæ patris intrauit, & ei filium vnicum de corde paterno extraxit. Secunda est rectitudinũ,* per quod intelligitur secundùm commentatorẽ, quòd ad Deum tendunt, sic & Beata Virgo omnia reductibilia ad Deum reduxit. Tertia est acertiuum, quod est vt dicit cõmentator, vt secundùm Deum incedant, quòd ipsa præ omnibus fecit. Quarta est exẽplatiuum, quod est secundùm commentum, vt secundùm suũ exemplum hoc faciant, & ipsa omnibus exẽplum, & exemplar virtutum fuit: supremus omnium est ordo Seraphin, cuius secundùm Dionys. octo sunt proprietates. Prima est mobile, scilicet, dilectionis, quantum est vita, quia ipsa est nobis causa vitæ æternæ. Secunda est incessabile, ideſt, in perpetuum, & incessabilitatẽ charitatis habuit Beata Virgo super Seraphin. Magis enim est incessabile, quia non cessat, & non quod non cessat: potest tamen cessare: sic & charitas Angelorũ, Seraphin potuit aliquando cessare, in summo enim de illo ordine cessauit, dum cecidit: sed charitas Beatæ Virginis nunquam potuit cessare: ergo excellit Seraphin in incessabili charitate. Minor probatur ex hoc, quia non potest cessare charitas, nisi per peccatum mortale; sed ipsa nũquam potuit peccare mortaliter. Tertia proprietas est calida, & est dilatio calida, quasi sopita. Hanc habuit Beata Virgo super Seraphin. Maior est enim virtus quę facit sopitum in tumultu, & strepitu quã illa, quæ sopit in silentio, & quiete, & sic Beata omnino tranquillata fuit in tumultu, tribulationum persecutionũ huius mundi; quia extra huius mundi strepitum Seraphini constituti. Quarta est acutum, & dicit commentator, acutũ quòd est sapientia, & ipsa sapiens maximè fuit. Quinta est super fluidum, quod est cùm per ignem amoris extollitur superse, & ipsa super omnes choros Angelorum. Sexta est, intenta quod est sucundũ commentatorem, vt in ipsum pergat, quod & ipsa fecit. Septima est intima, quod est, vt dicit cõmẽtator, vt ad exteriora non effluat; immo ipsa super naturam, & cõtra naturam sursum fluxit, & omnes qui defluxerãt, secũ sursum duxit. Octaua proprietas est inflexibilis, quod est, vt ad alta extra ipsum nõ diuertat: immò ipsa non solùm nunquam diuertit ab ipso, sed omnia vertit ad ipsum, & totum mundum, & ipsum conuertit. Est ergo Beatissima Virgo MARIA, Angelus in gratię inuentione: Archangelus in Dei generatione; principatus in Principũ subiectione: Potestates insuper naturalium operatione: Virtutes, in Dei formissimorum actuum perfectione, Vominationes in creaturæ suppositione. Throni in Dei corporali receptione: Cherubim in omnium secretorum secretissima congregatione. Seraphin, in suprema super omnes dilectione. Ecce, ò Regina, & Imperatrix creaturarum omnium. Hunc libellum ad honorem tuum qualiter cumque compilatum benignè suscipias, & omnia peccata mea diluas; gratiam, gratam finaliter facientem tribuas; & ad gloriam sempiternam me famulum tuum perducas, Amen. Tu quoque ò Lector, quit quid in eo emendandum est, charitate fraterna studeas emendandum.

Cant. 3.

**Reductiuum.*

Explicit Biblia Beatæ Virginis Mariæ,
Hoc opus inceptũ, quĩ compleuit benedignũ.
Hunc piè Christe velis cũ sanctis iũgere cœlis.

EXPOSITIO SVPER MISSVS EST, ET MAGNIFICAT EIVSDEM ALBERTI MAGNI.

In mense autem sexto.

Luc. 1. Hic incipit Euangelista tangere denoui solis ortu, quẽ producit Lucifer, de quo iã ante habitus est Sermo. Tangit autem circa conceptionẽ Saluatoris tria, videlicet Annũtiationem, salutationem, & conceptionẽ: circa salutationem tangit tria. Personas salutãtes, personam salutatam, & tempus consonũ salutationi: de tempore dicit: *In mense autẽ sexto*, à conceptione Ioannis; quia in Martio octauo Kalendas Aprilis, cuius ratio litteralis est, quia Præcursor, prius motibus vitæ, excipere debuit Regem venientem; & sic ante eum præcurrere: sensibiles autem motus vitę nõ habet infans ante sextum mensem; in primis enim quatuor mensibus fortiter radicatur in matrice, in quinto autem residentibus ali-

aliquantulum motibus humorum præparatur ad sensum, & ad motum, & in sexto mense dat motum sensibilem localem. Sunt etiam præter hãc rationem aliæ tres rationes, quare in sexto mense: quarum prima est, vt tempore nostræ condemnationis, tempus congrueret reparationis. Secunda, vt creatione mundi consonaret, eiusdem mundi in homine reparatio. Tertia, vt tempori resolutionis mundi Verbum incarnatum, mundum reflorere faciens consonaret. Et quantum ad primam notandum, quòd in Martio, octauo Kalendas Aprilis factus est mundus, & in ipso cecidit Adam, per peccatum, post meridiem, & vt dicitur Genesis 3. *Dum deambularet Dominus in Paradiso ad auram post meridiẽ vocauit Dominus Deum Adam, & dixit Adam vbi es?* Et sicut dicitur Iere. 15. *Occidit enim Sol cùm adhuc esset dies.* Et iterum Iere. 6. *Væ vobis, quia declinauit dies; quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi.* Obscuritates enim super vos prolongatæ sunt, Occidente Sole iustitiæ. Aptè ergo tunc etiam fit mundi reparatio. Hoc significatum est 1. Macha. 4. Secundùm tempus, & secundùm diem in quo contaminauerunt gentes templum, in ipso renouatum est. Sic enim lignum in quo cecidimus, tunc notauit, vt dicit Ambrosius: *Damna ligni, vt solueret.* Ita tempus tunc notauit, vt in ipso lapsum primi hominis repararet Isaiæ 49 *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* 2. Cor. 6 *Ecce nũc tempus acceptabile, ecce dies salutis, nemini dantes vllam offensionem. Hæc ergo est dies quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* Psal. 117. Circa secundam autem rationem, notandum, quòd dicit Augustinus. Quòd ideò Deus, cuius perfecta sunt opera, in senario dierũ, perfecit opus suum; quia senarius numerus perfectus, & constans ex suis partibus totus: non monstruosam vltra totum generans superfluitatem, neque citra remanens generat imperfectionem ab inchoatione: ergo nostræ salutis, quæ in Ioannis conceptione in choata est, eadem ratione nostram perfecit salutem: in senario mensium, illi qui operatus est salutem in medio, Iob 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Hoc significatum est Ioã. 4. Vbi dicitur: Quòd sexta hora sedit super fontem, vnde nobis fluxerunt fluenta gratiarum, Lucæ 13. *Sex dies sunt in quibus oportet operari; in his ergo venite, & curamini.* Deut. 32. *Date magnificentiã Deo nostro, Dei perfecta sunt opera.* Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Sic enim iuxta Prophetam. Esai. 66. *Erit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato.* Quoniam mensis, & dies operis creationis respondent operi redemptionis. Circa tertiam rationem notandum, quòd tunc Sol ad æqualitatem diei, & noctis, ascendens facit florere terram nostram habitabilem; & ideò: etiam congruum est, vt nostra salus floruerit, & flos ortus sit qui ascendit *de radice Iesse.* Isai. 11. 2. Reg. 23. *Cuncta salus mea, & omnis voluntas, nec est quidquam ex eo quod nõ germinet.* Isai. 55. *Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & dat semen serenti, & panem comedenti; sic erit Verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quodcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Tunc enim omnia elementa feminibus suis gestiunt se conformare flori, qui oritur in gloriosa Virgine: hoc est igitur quod dicit *in mense sexto*, vt congruat, & numerus, & tempus, & euentus, numerus in perfectione, tempus in salutis germinatione, & euentus in primi lapsus reparatione: *Rorẽt igitur cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Et terra vteri Beatæ Virginis *aperiatur, & germinet Saluatorem.* Esai. 45. Iere. 23. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnauit Rex, & sapiens erit.* Istud est tempus de quo dicitur 2. Macha. 1. *Tẽpus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo.* Vnum enim tempus lucidum claro Sole refulget: *Quia tunc timentibus Deum ortus est Sol iustitiæ, & sanitas in pœmis eius.* Malach. 4. Sequitur.

Gen. 3. Iere. 15. Iere. 6. 1. Ma. 4. Esai. 49. 2. Cor. 6 Ps. 117. Iob 5. Ioan. 4. Iuc. 13. Deu. 32. Ioan. 5. Esai. 66

MISSVS EST.

Describitur salutantis, & annuntiantis persona, & dicuntur duo, Angelus minister exequens, & Deus legationem, & salutationem mandans, & iniungens: de Angelo Italo itaque dicitur, *Missus est*, & in hoc notat auctoritatem *Angelus*, & in hoc tangit mysteriũ, *Gabriel*, & in hoc tangit officium, & virtutem. Non enim tantam legationem arrogare sibi quisquam auderet, *nisi à Deo missus* esset. 2. Cor. 5. Ad hoc tam idoneus nullus inueniretur in cœlo, qui ad tantum Sacramentum diceret, *Ecce ego mitte me*, Isai. 6. Nisi ipse sua præciperet authoritate; est autem hæc legatio, admirabiliter digna, ardore desiderij, patrum diù desiderata, & ab omni eo qui spiritualis est dulcissimè audita, & clamore deuotionis omnium fidelium, & in communi denuntiata, propter admirationem altitudinis eius, & dignitatis dictum est. Abdi. 1. *Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit*, hoc est ad gentium vtilitatem. Genes. 37. *Veni mittam te ad eos*, ardorem desiderij patrum, sonat vox illa. Genes. 49. *Salutare tuum expectabo Domine.* Exod. 3. *Obsecro Domine mitte quem missurus es.* Dulcedinem vocis eius ostendit. Prouer. 25. *Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus*

2. Cor. 5 Esai. 6. Abdi. 1. Gen. 37. Gen. 49. Exod. 3. Pro. 25.

nus

nus de terra longinqua: fluuia enim gratiarũ, ex tunc fluere cęperunt, ex quo vox Gabrielis sonuit in auribus Beatæ Virginis, Cant. 2. *Vox tua dulcis.* Promulgatur autem ab omnibus ex tã magno clamore Hebręorũ, quòd venit Deus in castra, 1. Reg. 4. & 4. Reg. 7. *Dies hæc, dies boni nũtij est, si tacuerimus, & noluerimus annuntiare Sceleris arguemur*: huius igitur legationem nemo præsumeret, nisi ab ipso Deo missus esset: & ideò missus dicitur, & non per se venisse.

Cant. 2. 1. Re 4. 4. Re. 7.

ANGELVS.

Angelus autem dat mysterium; quia Angelus nuntius interpretatur. Propter tria autẽ puto Deum nostræ saluti interposuisse Angelum nuncium; quòd videlicet tanto gaudio Angelica natura, quo ad mysterium non priuaretur; & quia Angelorum ruina ex hoc reparatur; & quia circa hominem custos, & minister Angelus deputatur. Hoc enim est mysterium, sicut dicitur, Eph. 3. *A seculis in Deo absconditum, & nunc per Angelum administratum*; vt ex hoc illuminationem, & gaudium potissimum Angelus habeat, & cõgratuletur; sic enim ipsi dicunt Angeli, Luc. 2. *Gloria in altissimis Deo*. In altissimis enim Deo gloria est, quando gloria noua innotescit. Angeli igitur gloriantes, & gaudentes in affectu nouæ exultationis, dicunt Isai. 63. *Quis est iste qui venit de Edon, iste formosus in stola sua*. & Psal. 23. *Quis est iste Rex gloriæ?* Ruina etiam Angelorum: ex hoc reparatur, sicut significatur, Luc. 15. & Mat. 27. de dragma decima, quæ perdita erat, & est inuenta. Sic etiam dicitur Ezech. 43. *Mensura hominis, & Angeli*. In beatitudine, & ideò homines assumuntur, in sortẽ Angelorum, vt decimus chorus, ex hominibus reparetur, qui cecidit ex Angelis. Notãdũ, quòd decẽ chori sint futuri licut dicũt sãcti, sedquòd de quolibet ordine, tot ceciderint, quòd sũt in choro, & ille numerus ex hominibus reparatur ad hoc: ergo Angelum iustum est mitti; vnde sua ruina reparatur, Amos 9. *Restituam Tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo ruinas eius*, Deut. 32. *Constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel*. Ministerium etiam istud congruit Angelo, quia ipse est custos hominum, & ideò perditus homo per suum mysterium reparãdus, Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Hæc igitur est causa quare missus est Angelus, Isai. 18. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quẽ non est alius, ad gentẽ spectantem, & cõculcatã, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad montem nominis Domini exercituum; montẽ Syon*. Iudæorum enim gẽtem describens vocat conuulsam tentationibus, & dilaceratam peccatis: gentem tamẽ Dei promissa expectãtem, & conculcatam seruitute dæmonum; cuius terrã, & habitationẽ iam flumina vanitatũ diripuerant; cùm tamẽ ex scientia legis, & Prophetarum esset terribilis; itaque secũdam in protectione Dei non haberet, si legem spiritualiter obseruasset. Ad hãc ergo (dictis tribus causis) Angeli veloces mittuntur, vt annuntient opus redemptionis. Nec est credendum, quòd Angelus vnus venerit; sed cũ eo principali nuntio multitudo aliorum aduenit, Luc. 2. *Facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium, & dicentium: gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Hoc significatum est, Gen. 24. Vbi cùm pater Abrahã, mitteret ad ducendum vxorem filio suo, misit quidẽ vnum Eliezer, domus suę procuratorem; qui tamen comites multos habuit. Ita Pater summus mittens ad desponsandam sibi naturam humanam, vnum quidem præcipuæ dignitatis Angelum misit, tamen cum illo multos creditur misisse secundæ dignitatis Angelos. Sequitur.

Eph. 3. Isai. 63. Psa. 23. Luc. 15. Mat. 27 Ezec. 43 Amos 9. Deu. 23 Psa. 90. Isai. 18. Luc. 2. Gen. 24.

GABRIEL.

Ecce tangit officiũ: Gabriel enim fortitudo Dei interpretatur. Fortitudine enim Dei opus erat, vt legibus naturæ occurreret, vt scoriam peccati de medio tollendam signaret; vt vltima primis coniungenda nũtiaret; legibus enim naturæ occurrit, qui Virginem manentem Virginem concepturam, & parituram nuntiaret: hoc est enim mirum super omnia mira, vt impotentia ad actum remanente, actus nuntietur in esse. Si enim cecus per miraculum accipiat oculum, non erit mirum, si videat accepto oculo: similiter autem si mortuus accipiat vitam, nihil erit mirum si posteà viuat: sed super omne mirum esset, si non accepto oculo, vel vita videret, vel viueret, & ita est hoc: Virgo enim secundùm naturam impotens est ad conceptũ, & si maneat Virgo, semper erit impotens; si ergo cõcipiat, & pariat, omnino hoc est nouũ, & non nisi virtute fortitudinis Dei fieri potest. Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus super terrã, fœmina circundauit virum*, Apoc. 21. *Dixit qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia*, Eccles. 36. *In noua signa, immuta mirabilia*. Manus enim, & brachium fortitudinis Dei hoc annũtiari operatur, & ideò Gabriel mittitur. Scoria etiam aliquam peccati hic tollitur, vt quòd ex ea nascitur, sanctum vocetur Filius Dei; quod etiam non nisi fortitudine Dei fieri potuit, quia cõceptus virginalis, sicut in Matre omni caruit concupiscientia; sic vt dicit Augustin. in concepto, & originali caruit culpa, Sapien. 7. *Propter suam munditiã nihil inquinatum incurrit in illam*, Sap 8.

Hier. 31 Apoc. 21 Eccle. 36 Sap. 7. Sap. 8.

Sortitus sum animam bonam, & cùm essem magis bonus veni ad corpus coinquinatum. Iste est subcineritius panis acymus factus ex Azara Principe, sapientia Diuina. Acymus, quia sine fermento peccati: subcineritius autē, quia sub pœnalitatū humilitate huius vitæ, hæc autē potentia, & fortitudo separandi naturā à culpa: cōceptū ab originali inertia: pœnalitates à pœnæ causa. Quis efficere potuit, nisi fortitudo diuina? Sic igitur iterum huius annūciationis minister merito fortitudo Dei nominatur? quis enim vnquā vltimū primo cōiungeret, nisi summa Dei fortitudo? vltima autem in facturis Dei est homo, Primum principium omnium Deus. Quis ergo hæc coniungeret nisi summa, cui nihil obstat, Dei fortitudo. Esai. 41. *Confortauit faber ærarius percutiens maleo eum qui cudebat tunc temporis, dicens glutino, bonum est.* Faber enim ærarius, qui fortitudine sua omnia domat per filium suum, qui tunc temporis cudebat mundum. Confortauit, hoc est in fortitudine sua cum vltima factura primis coniunxit; & ita sibi glutinauit, vt neque morte solui posset, & ideò bonum esse opus huius glutinationis pronuntiatur ab Angelo: *Ecce procul, & de vltimis finibus.* Simul glutinatis præcium fortissimæ mulieris, Prouer. vlt. Finis enim ante quē nihil, Deus est, & finis, post quem nihil homo; & sic Christus est. Alpha, & Omega Apoc. 1. & vlt. *Ego sum alpha, & omega* Primus, & nouissimus: principium, & finis: mira res, & mirabile Sacramentum. Iob 33. Ecce Angelus loquens cum annunciatione: futurum esse vnū de similibus: primum enim exemplar (Deo simile Verbū est Patris, imago Patris Filius.) Vltimum autem homo: *(Factus ad imaginem, & similitudinem Dei.* Genes. 1.) Vnum effici debent, & nuntiat loquens ad MARIAM Angelus, & ideò perficitur opus liberationis. De quo subiungit. Liberabo eum *ne descendat in corruptionem.* His igitur, & talibus rationibus nuntius istius sacri (*Gabriel Angelus*) hoc est fortitudo Dei merito nominatur. *Missus* igitur, quia qui non missus venire ab illo, præsumeretur, & venienti ad nos non misso, à nullo vnquam de tantis mysterijs crederetur, & hoc est quod sequitur.

Esai. 41.

Pro. vl.

Apoc. 1.

Iob 33.

Gen. 1.

A DEO.

Leguntur enim nonnunquam Angeli missi ab Angelis alijs; sed hæc noua superueniēs authoritas inducitur in annunciatione mysterij, quòd à nullo, nisi à Deo præsumeretur. Esai. 52. *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Morem etiam in hoc seruat Dei benignitas quantumcunque enim paupe rem ad nuptias suas vocat Rex Magnus puellam nuntio quem mittit, ipse Rex legationem iniungit, & non alius paruus, vel magnus de curia. Sic ergo disponaturus naturā nostram Rex cœlestis, per se ipsum legationem iniunxit. Sap. 8. *Quæsiui mihi eam sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Possumus autem in hoc notare tria. Tātam in Domino maiestatis ad nos charitatē, compassionem, & in miserijs nostris ei esse delitias. & de charitate quidem. Iere. 31. *In charitate perpetua dilexi te, &c.* De secundo autem. Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis.* Funiculi enim Adam fuerunt compassio, & affectus, & miseratio, quam ad nos habuit; qui cùm non rapinam arbitraretur, se fieri æqualem esse Deo compatiendo ex viscēribus affectus, & miserationis clamauit: *Ecce Adā quasi vnus ex nobis factus est.* Genes. 3. Et hæc compassio in Deo perseuerauit; donec vnus de naturalibus, quasi vnus ex nobis factus est: *In similitudinem hominum, & habitu inuentus, vt homo.* Et si Deus vt vnus ex nobis, & nos sumus consequenter sicut vnus ex tribus personis. Ecce funes Adam trahentes nos ad Deum, & Deum ad nos. De delitijs suis reputatis, vt sit nobiscum, habetur Prouer. 8. *Delectabar per singulos dies ludens in Orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filijs hominum.* Ideò iustè. Esai. 7. *Vocatur nomen eius Emanuel.* Quòd est nobiscum Deus. Vide quàm verum est, quòd dicit Mich. 6. *Solicitū te ambulare cum Deo tuo.* Qui delitias reputat esse tecum in miserijs, vt tuā tecum operetur salutem. Denique *sustinuit crucem confusione contempta.* Hæbr. 12. Vt te redimeret *proposito sibi gaudio* tuæ redemptionis, pudeat ergo nolle te secum esse, qui ad hoc quod tecum sit, misit Angelos. His & similibus causis *à Deo* missus est, & non ab alio.

Sap. 8.

Iere. 31.

Oseæ 11.

Gen. 3.

Phi. 2.

Prou. 8.

Esai. 7.

Hæb. 12.

IN CIVITATEM.

Sequitur de discretione personæ ad quam mittitur hic tam nobilis nuntius; describitur autem à loco suæ habitationis, & à proprietatibus sibi conuenientibus. A loco quidem tripliciter, communissimo qui est prouincia, speciali qui est ciuitas, & tandem proprium adiungitur nomen ciuitatis, quæ vocatur Nazareth. Dicit ergo, quòd missus est in *ciuitatem*, tangens locum specialem habitationis Beatæ Virginis: ciuitas autem vt dicit Tullius, dicitur quasi ciuium vnitas, & hoc est quòd dicit Psal. 121. *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Habitantium enim communi participantium, id ipsum locus habitationis ciuitas vocatur: huius autem quatuor sunt vnitates, ius vnum, libertas vna, locus habitationis vnus, communitas vna: hæc

Psal. 121.

hæc autem maximè huic congruunt ciuitati,
Isai.1. Esai.1. *Restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos, vt fuerunt antiquitus, prius hæc vocaueris ciuitas iusti vbrs fidelis. Sion in iuditio redimetur, & reducent eam in iustitia;* hoc autem factum est, quando descendit, & regnauit in ea ille, de
Iere.23. quo dicitur Ierem.23. *Regnauit Rex, & sapiens erit, & faciet iuditium, & iustitiam in terra, & hoc est nomen, quod voco eum Dominus iustus noster.* In hac enim ciuitate Dominus noster Rex est. Senatores Angeli venientes, & Regina Virgo gloriosa; populus autem vniuersitas fidelium. De libertate au-
Ioan. 8. tem dicitur Ioan.8. *Si filius vos liberauerit,*
Gala.5. *verè liberi eritis.* Gal.5 *Vos in libertate vo-*
Gala.4. *cati estis.* Gal.4. *Non sumus ancillæ filij, sed*
Actor.4 *liberæ.* De communicatione dicitur Acto.4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam aliquid eorum, quæ possidebat, suũ esse dicebat,* &c: quia licet possessio sit priuata fidelium, tamen vsus tem-
1. Ioa.3. poralium est communis, 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & claudit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei*
Psal.86 *manet in eo?* De habitatione dicitur Psal.86. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Ethyopum hi fuerunt illic: omnes enim venientes*
Mat.8. *ab Oriente, & Occidente, recumbent cum Abraham, Isac, & Iacob,* Mat.8. Alieni conuersi ad fidem. De angustia Tyri, & de nigredine peccatorum venientes, & de omnibus his, subinfertur, quòd sicut lætantium omnium in suffragijs huius ciuitatis existentium, habitatio est in te, & nomen ciuitatis ex die il-
Ezc.48. la: & deinceps Dominus, ibidem Ezeq.48. Isai.62. *Non vocaueris vltra derelicta; & terra tua non vocatur amplius desolata, sed vocaueris voluntas mea in ea; & terra tua non inhabitata, quia placuit Domino in te.* Sic igitur in hanc ciuitatem est missus. Hæc est ciuitas.

GALILEÆ.

Quam Prouintiam vocat propter nominis interprætationem Sacramento conuenientem: propter prophetiæ completionem, & propter fidei in Prouintia illa dilatationem. Et nominis quidem interpretatio est, trans-
Psal.76 migratio factam, vel rota, quæ etiam volubilis semper migrare videtur. Psal. 76. *Vox tonitrui tui Deus in rota*, hoc est, sonus annunciationis in Galilæa transmigrationis. Habitum in ea assumpsit ille, qui stabilis ma-
Hier.14 nens, dat cuncta moueri. Hierem. 14. *Sic co-*
Eze.12. *lonus futurus est in terra, & quasi viator declinans ad manendum.* Ezeq.12. *Filj hominis fac tibi vasa transmigrationis, &c.* Matt.8.
Mat.8. *Vulpes foueas habent, &c.* Congruit autem prophetiæ, quia ibi erant gentiles, quos ibi posuerat Iram Rex Tyri in tempore Salomonis, vnde Isai.9. *Trans Iordanem Galileæ gẽtium, populus qui ambulat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Ibi enim lux cœlestis primo oriri debuit, vbi prophetia prædixerat, vt veritas vmbræ responderet: Et ideò ibi suam incepit prędicationem, & ibi ostendit Discipulis lucem suæ resurrectionis; propter quod etiam Discipuli Galilei sunt vocati, Luc.23. *Commouit populum docens, per vniuersam Iudæam incipiens à Galilea, vsque huc,* Mat. vlt. *Vndecim Discipuli abierunt in Galileam,* &c. Lux ergo oriens annuntiationis, lux prædicationis, lux resurrectionis, in Galilea fulsit; & ideò Galilei fideles vocantur, Actor.2. *Nonne omnes isti, qui loquuntur Galilei sunt,* ibidem. *Viri Galilei quid statis.* Notatur, & in hoc fidei dilatatio, & transitus à Iudęis ad gentes, Isai.49. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas mihi tribus Iacob: & fæces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum terræ,* Malach.1. *Ab hortu solis, vsque ad occasum magnum nomen meũ in gentibus,* &c. Mat.5. *Nemo accendit lucernam,* &c. Hyero. significat, notitiam claritatis, nequaquam abscondendam, neque submodio hoc est, inter terminos Iudeæ claudẽdã, sed palam omnibus exhibẽdam, & hoc cõ gruè fecit in Galilea, vbi & Gentiles, & Iudæi habitãt, sic ergo ista ciuitas fuit *Galileæ.*

Isai. 9. *Actor.2* *Isai.49* *Mal.1.* *Mat.5.*

CVI NOMEN NAZARETH.

Locus est proprius habitationis, *Nazareth* autem conuenienter notatur, quia *Nazareth* sanctum, vel flos interpretatur. Sanctus autẽ vt dicit, Glos. Quia concipi ibi debuit sanctus sanctorum, Dan.9. *Et qui sanctificat omnes,* Heb.2. *Et qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes.* Quod enim in hac ciuitate natum est sanctum in vtero Virginis, causa est sanctificationis omnium, Ioan.17. *Sãctifica eos in veritate*: flos autem congruit, quia ibi flos campi nasci in vtero, & concipi voluit, Cant.2. *Ego flos campi, & lilium conualium*: amat enim, vt dicit Bern. Florigeram patriam: flos de radice Iesse. Nec concipitur nisi ab eo qui se florem, & non cicutã per mundi insaniam, vel vrticam, per carnalis peccati pruritum: vel spinam per mundi solicitudines exhibuerit. In flore autem est species pulchritudinis, & fragrãtia odoris, & spes fructificationis, & species quidem pulchritudinis in virtute cõuersationis: fragrãtia verò odoris, in odore bonę operationis, (aliàs opinionis) spes autem fructificationis in intentione bonæ retributionis, quæ omnia competũt fidelibus, & præcipuè Beatæ Virgini; de specie conuersationis, Iud.

Dan.9. *Hebr.2.* *Ioan.17.* *Cant.2.*

Iud.10. 10. *Cui etiam Dominus contulit splendorem; quia omnis ista pulchritudo non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideò Dominus hanc in eam pulchritudinem ampliauit, vt omnium oculis gratiosa in credibili pulchritudine crederetur* de odore bonę opinionis
2.Cor.2 (animalis operationis) 2.Cor. 2. *Christi bonus odor sumus Deo in his, qui per eum, & in his, qui salui fiunt.* Ibidem, & odorem notitiæ
Cant.4. suæ Deus per nos semper, &c. Cant. 4.
Psal.44 *Odor vestimentorum tuorum,* &c. Psalm. 44. *Mirra, & guta, & casia,* supple suspirant, *à vestimẽtis tuis, à domibus eburneis,* hoc est, à corporibus castis, de intentione æternæ re-
2 Re.13 tributionis 2. Reg. 23. Cuncta salus mea.
Oseæ 14. Oseæ 14. *Iustus germinabit sicut lilium.* Sic B
Cant.1. etiam thalamus Cõscientiæ, in quo susceptus
Mat.1. est, floridus est. Cant. 1. *Lectulus noster floridus est.* Matthæus assignat rationem, quare in Nazareth nutritur, & concipitur. Impletionem, scilicet, prophetiæ; quia Nazareus vocabitur, & de hoc ibi satis dictum est, cùm exponeretur Matthæus.

AD VIRGINEM.

Hic describit Virginem salutatam à suis proprietatibus, & ponit titulum pudicitiæ virginalis, & sponsionem vinculi matrimonialis, & excellentiam glorioſi nominis. De titulo quidem pudicitiæ virginalis dicit. C *Ad Virginem,* vt dicit Gloſſa, quæ prima inter fœminas Deo virginitatis glorioſum munus obtulit, non enim hæc de fatuis virginibus, quæ lampades castitatis habent extinctas
Mat.25 Matth. 25. Sed cuius lampas flamma limpidiſsima lucet in conſpectu Domini, & ideò
Esai.62 ex ea ortus est ille, de quo dicitur Esai. 62. *Egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius, sicut lampas accendatur.* Virginitatis autem lampas in quinque rutilabat in ea, in corde quidem in tribus, & in duobus in corpore. Primum, in corde est, quòd virginitatis integritatem, ad Dei integritatem, & incorruptionem continuè quantum potuit, referebat. Secundùm, quòd Angelicæ mun- D ditiæ æmula vitam cœlestem in contemplatione ducebat. Tertium, quòd hoc in voto, prima quantum voluit, & licuit, Deo continentiam offerebat, de primo dicit Auguſtinus, quòd virginitas est in carne corruptibili in corruptionis perpetuæ meditatio, & hoc
Exo.25 significatum est Exod. 25. Vbi præcipitur arca Dei de lignis *Sethim* fieri, quòd est lig-
Cant.6. num imputribile, de secundo dicitur Cant. 6. *Formosa tanquam Ieruſalem,* quæ est ciuitas munditiæ Angelorum: de tertio verò dici-
1.Cor.7 tur 1. Corin. 7. *Virgo cogitat quæ Domini sunt,* &c. Hoc enim intelligitur de volentibus virginitatem; quia alijs non est prohibi-
Lucæ 1. tum cogitare de nuptijs, Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Hoc est me non cognitura propono. Hæc est Rebeca, quæ multũ gratiæ recepit, *Virgo pulcherrima, & incognita viro,* quam summus Pa- Gen.24. triarcha filio suo Isaac gaudio vniuersæ terræ elegit in Matrem. Duo autem lucent in corpore integritas pudoris, & verecundia virginalis; de integritate quidem corporis dicitur in figura eius Tob. 3. *Scis quòd nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscientia:* de ve- Thob.3. recundia virginali Eccl. 26. *Gratia super gratiam mulier sancta pudorata,* & Eccleſiaſtici 32. *Ante verecundiam præibit gratia.* Eccl.26 Eccl 32.

DESPONSATAM.

Ecce descriptio à vinculo coniugali, quærũt autẽ Patres quare de fœmina, & quare de fœmina virgine, & quare de fœmina virgine desponsata Christus nasci voluit? quare autẽ de fœmina Bernardus redijt rationem; quia sicut fœmina initium peccati, & mortis fuit, ita fœmina initium, & via salutis; quia igitur fœmina spiritum superbiæ viro gustum necis obtulit, ita fœmina ab Angelo salutata, mundo salutis authorem edidit: aliter enim ille sexus omnino contemptibilis esset, & desperatus, (aliàs despectus) quia igitur masculini sexus salutem est operatus, con- C gruum fuit, vt idem salutis author de fœmina sit natus, vt vterque sexus ad vitam pertinere se præsumat. Gal. 4. *Misit Deus Filiũ* Gal.4. *suum natũ ex muliere,* &c. Voluit autem de fœmina virgine propter tria, scilicet, vt generatio sua humana diuinę, quantum possibile, est assimilaretur, vt omnis generationis series impleretur, vt miraculum matris miraculo filij proporcionaretur. Diuina autem generatio est de Patre sine fœmina, sine corruptione, sicut candor nascitur de luce, & ita humana generatio de matre, sine patre sine omni corruptione, sicut radius nascitur de stella, & ideò flos vocatur; quia sicut dicit Philoſophus Abrutallus, quòd flos in terra est sine patre, sed in cœlo habet patrem solem, in terra autem habet matrem terram. Sap. 7. Sap.7. *Candor enim est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius.* Omnis enim generationis series sic impleta est, ne aliquid in creaturarum ordine vacuum remaneret. Præceſerunt enim tres series generationum. Viri videlicet, de terra virgine, & mulieris virginis de viro virgine, & filiorũ de viro, & muliere corruptis, & restabat quarta secundæ respondens, quòd vir virgo de fœmina virgine produceretur. Gen. 5. *Generatione quarta reuertentur huc ad statum,* videlicet gratiæ reconciliationis, & libertatis. Sic etiam miraculo filij, miraculum matris in quantum possibile Gen. 5.

est

est assimilatur; innato enim impossibilia cõiunguntur, per naturam quidem incompossibilia, diuinæ autem virtuti possibilia, natus enim Deus, homo; creatus & increatus; passibilis, & impassibilis; tẽporalis, & æternus: Mater autem gaudium matris habet, cu virginitatis pudore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem: & ideò sola est sine exemplo, & sicut filius nullum habet in cęlo, vel in terra similem, Isai 66. *Ante quã parturiret peperit, ante quã veniret partus eius tempus, peperit masculum: quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile?* Quare autem desponsata, plurimæ à patribus, tam mysticè, quàm litterales assignãtur rationes, valde conuenientes; quarum, & nos supra Matth. Plures assignauimus, hic autem tantùm ponemus duas, quarũ vna est, quam tangit, Glos. Quòd videlicet tanta cura erat ei de matris infamia, quòd maluit aliquos de suo ortu, quàm de matris infamia dubitare: & ideò maluit, quòd ipse filius crederetur esse Ioseph, quàm quòd Mater infamaretur de fornicatione, si grauida non desponsata apud vulgus inueniretur, Exod. 20. *Honora Patrem, & Matrem.* Secunda causa est, quia si de non desponsata nasceretur, illegitimus haberetur, nec admitteretur ad actus legitimos: & sic doctrina eius iustè coram hominibus refutaretur, Isa. 52. *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè.* Hæc autẽ sublimitas calũniam habuisset, si de matrimonio natus non fuisse, Deu. 23. *Non ingredietur manser.* Hoc est de scorto natus, *in Ecclesiam Dei*: adhuc autẽ bonum summæ prolis, non esset alicuius matrimonij, sed suo summo bono priuatum esset matrimonium. Dicit autem *desponsatã*

Isai. 66.

Exo. 20

Isai. 52.

Deu. 23

VIRO.

Et describit hunc virum, à sexu, à genere, & à nomine; à sexu quidem, quia dicit *viro*, qui auireo, (aliàs à virore) dicitur, quia viret omni virtute, Hier. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: erit enim quasi lignũ viride, quòd ad humorem mittit radices suas in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquando desinet fructum facere*, Gre. Vir est, qui cõui formes fortunæ, insultus vniformi constantia mentis militat præmunitus: de tali viro dicitur Eccles. 6. *Vnus de mille*, alij enim omnes æfeminati sunt, & ad mulierum illecebras, & mollitie resoluti.

Hie. 17.

Eccles. 6

CVI NOMEN ERAT IOSEPH.

Ecce descriptio per nomen. Quatuor autẽ legimus huius nominis insignes viros, quorum Primus in figura Saluatoris mundi processit, vnde & Saluator mũdi. Gen. 44. *Est vocatus*, qui fuit Ioseph, filius Iacob Patriarchæ. Secundus autem est iste, qui obsequitur Matri Saluatoris, & paruulo. Tertius autem, qui obsequitur sepulturæ Domino mortuo, qui fuit Ioseph Abarimathia. Quartus autem Ioseph, qui iustus cognominabatur, qui testimoniũ perhibuit à mortuis resuscitato. Infrimo horum commendatur, prudẽtia, quia patriam saluauit ab imminentibus famis periculis, in Secundo continentia, siue temperãtia, quia ab amplexu abstinuit in matrimonij thorũ: Tertius à fortitudine; quia audaciter introiuit, & immisit se furijs populi, & præsidis, corpus IESV petens, sepulturæ tradendum officijs. Quartus autem à iustitia, quia à iustitia cognominatus: ceteris fuit veritatis, Eccl 49 *Ioseph qui natus est homo, Princeps fratrum firmamentum gentis, rector fratrũ, stabilimẽtum populi*: & primus quidem fuit, *fratrum princeps*: alius autem gentis, *fulcimentum*, in custodia Domini. Ioseph autem Abarimathia nobilis decurio, *rector fuit fratrum*. Dispersorum in motte Domini: *stabilimentum autem populi*, contra perfidiam negantium resurectionem: fuit Ioseph iustus.

Gen. 44.

Eccl. 49

DE DOMO DAVID.

Ecce descriptio à genere, & debet referri ad Ioseph, & ad MARIAM, quia vterque fuit de domo Dauid. Domus autem hic vocatur genus, sicut ibidem, *Domus Aaron benedicite Domino.* Isti autem coniuges de domo fuerunt Dauid, & familia per successionem hæreditariam. Infra 2. *Eo quod esset de domo, & familia Dauid, cum MARIA vxore sua sibi desponsata pregnante.* Dauid autem hic propter sex præcipuè nominatur. Quorum vnum est, quòd in expugnandis aduersarijs in populo Dei, nullus eo fortior. Secundùm, quia in exemplo conuersationis in populo Dei, quo ad exẽplum, nullus fuit aspectu desiderabilior. Ita etiam, vt animã Ionathæ sibi cõglutinaret. Tertium, quia in altis nullus humilior. Quartum, quia ad inimicos in aduersitatibus nullus mitior, & mansuetior. Et hæc quatuor habuit in seipso. Quintũ, quia repromissionem expressiùs omnibus alijs Prophetis acceperat. Sextũ, quia iste plus alijs peccatoribus, pro quibus saluãdis Christus venit: spem salutis dare potuit. De omnibus autem istis scriptura dat testimonium. Quòd enim iste propulsauerit populi Israel aduersarios, 1. Reg. 18. Vbi præcinebat ei populus. *Saul percussit mille, & Dauid decem millia.* Vnde, & Leonẽ, & vrsum, & Goliath Gethęũ interfecit, 1. Reg. 18. Et ideò manu fortis interpræratur figura eius, qui Leonem, ideſt, Diabolum strauit, & vrsum, ideſt, nostræ carnis illecebras: & Gigantem,

Pſ. 134.

Luc. 2.

1. Re. 18

tem, id est, mundum cum tentatione congre-
1.Mac.3 diés, interfecit. 1.Mach.3.& Eccl.47. Quòd
Eccl. 47 etiam aspectu desiderabilis sit suis in exem-
2.Re.23 plo. 2. Reg. 23. *Sicut Aurora Oriente Sole mane absque nubibus rutilat.* Significans, eum, qui preciosus est præ filijs hominum, & præ pulchritudinibus Angelorum. Et hæc habuit Christus ex matre filia Dauid. De
Gen. 3. cuius fortitudine dicitur. *Ipsa conteret caput tuū.* Et de pulchritudine. Cant. 6. Quod
Cant. 6. processit *sicut Aurora consurgens, pulchra,*
2.Re.6. *vt Luna.* In altissimis autem fastigijs Regni, erat humilis; sicut dicitur 2. Reg. 6. *Ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis.* Et huius humilitatis erat Beata Virgo, cum dixit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et Christus, cum dicit
Mat. 11 Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quod autem inimicis in aduersitatibus fuerat mitis, & mansuetus, dici-
2.Re.16 tur 2. Reg. 16. Vbi Semei maledicente sibi, & mittente contra ipsum lapides, dixit: *Dimitte eum, vt maledicat mihi iuxta præceptum Domini. Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum, pro maledictione hac hodierna.* Et huius hæres fuit Beata Virgo, cum Simeon de ea dixit.
Lucæ 2. *Tuam ipsius animam pertransiuit gladius.*
Luc. 23. Luc. 2. Et Christus: quando dixit: *Pater ignosce illis*, &c. Et ideo dicitur, quòd ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui adeò mollis est, quòd tactu non sentitur. De
Ps. 131. repromissione autè dicitur Ps. 131. *De fructu*
Esai. 9. *ventris tui ponam*, &c. Et Esai. 9. *Super solium Dauid, & super Regnum eius.* Et sic vsque in sempiternum. Peccator autem fuit, adulter, homicida; & proditor fidelis militis sui. Et tamen ad pœnitentiam receptus. Nec propter suum peccatum euacuata est promis-
Psal. 50 sio. Sicut ipse dicit Psalm. 50. *Iustificeris in sermonibus tuis*, &c. Hoc est. Veri fiant sermones promissionis tuæ. Et cum iudicauerint homines, quòd cassanda sit promissio propter peccata. Vincas peccata mea, & iudicium illorum. Vt omnis peccator speret de
Lucæ 5. misericordia tua promissa. Luc. 5. *Non veni vocare iustos, sed peccatores* ad pœnitentiam.
2.Para. vlt. 2. Paralip. vlt. in oratione Manasses. *His qui tibi non peccauerunt, non constituisti pœnitentiam.* Ecce quare dictum est: *De domo Dauid.*

ET NOMEN VIRGINIS MARIA.

Ecce descriptio virginis ex nomine. Habet autem quatuor interpretationes. Interpretatur enim Illuminatrix, Stella, Amatum mare, & Syra lingua, MARIA, interpretatur, Domina. Illuminatrix quidem, quia illuminat in dubijs, Stella poli; quia ducit in dubijs. Amarū mare, quia compūgit illecebris. Domina autem; quia protegit in aduersis.

A Sic ergo tenebras nostras illuminatrix illuminat. Fluctuationes tentationum nostrarū hoc magno mari, stella tranquillat. Noxias delectationes nostras, vt amarum mare abundanter amaricat. Aduersitates nostras, vt Domina comprimit, & sedat. Si ergo circumdatus es tenebris, *& abscondita est tibi via tua,* Iob. 3. respice illuminatricem. Inuoca Dei *Iob 3.*
genetricem, & nomina MARIAM, si autem surgunt venti suggestionum malarum, & eleuentur procellæ tentationum, respicè ad stellam, & nomina MARIAM. Quòd si illecebræ carnis retrahant, & superantes iam ad illicitas delectationes, & propellant: Baptiza
B te in amaritudine maris, & inuoca intercessionem Dei matris, & nomina MARIAM. Tandē etiam, si aduersitates tribulationem te tractent, & iam superātes te quasi prosternant, leua oculos ad Dominam, & inuoca MARIAM, & sic pro certo in te ipso experieris, quàm iustè vocatum est nomen Virginis MARIA. De illumanatrice enim habes. Apoc. 12. Vbi apparet in cœlo *Mulier* *Apo. 12.*
amicta sole, & luna sub pedibus eius, &c. Amicitur enim gloria solis in conuersatione sanctitatis. Lunam puram habet sub pedibus. Hoc est, Ecclesiā, in gratiæ suffragijs. Coronam autem duodecim stellarum in capite in virtutum radijs, prudentia, temperantia;
C fortitudine, & iustitia. Ex prudentia quidem lucent stellæ tres. Ex prudentia enim siluit turbata, intellexit audita sapienter, & respondit ad proposita, similiter ex temperantia fulgent stellæ tres, carnis pudicitia; sermonis modestia, cordis mundicia. Nihilominus, ex fortitudine tres: quia ex fortitudine votum, & propositum virginitatis Deo obtulit, oblatum firmiter tenuit. Et rei tam immensæ, quantam promisit Angelus, firmissimè fidem adhibuit. Deinde etiam ex iustitia micant tres stellæ. Reddidit enim omnibus debita. Duris quidem gessit morem in sua desponsatione. In filij circumcisione, in legali purificatione. Afflictis attamen exhibuit compassionem. In nuptijs vini multipli
D cationem petendo à filio Ioā. 2. Sanctis attamen communionem; quia erat cum mulieribus, & discipulis in oratione perseuerans. *Ioan. 2.*
Actor. 1. De stella autem habes Num. 24. *Act. 1.*
Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de *Nu. 24.*
Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, & erit idumea possessio eius.
De amaritudine eius. Ruth. 1. *Non vocetis* *Ruth. 1.*
me Noemi. Hoc est, pulchra, sed vocate me mara, hoc est, amara; quia amaritudine me valde repleuit omnipotens. Et hoc fuit: quia tempus partus natura in ea repetebat in passione cum vsura gemituum, quos paritura naturæ detinuit. De Domina autem habes in Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & Beatissimam prædicauerunt, & Reginæ laudauerunt* *Cant. 6.*

uerunt eam, vt vniuersitatis, videlicet, Dominam. Sic ergo nomen Virginis est *MARIA.*

ET INGRESSVS ANGELVS Ad eam, dixit:

Ecce salutatio, & dicuntur hìc quatuor. Primo enim ibi eulogiũ innuitur. Secundo, salutatio ex ordine ponitur. Tertiò, Virgo salutata puellariter turbatur & quarto ab Angelo, more bonorũ Angelorũ cõsolatur. De primo horum dicit: *Et ingressus*, per quod habetur MARIAM in secreto fuisse, videlicet, in cõclaui, sicut adhuc specus quædã in monte demonstrat, in quam ingressus Angelus, Virginem in secreto orantem inuenit; & in hoc patet, quòd à mundi strepitu, petiuit orationis secretum. Qualiter non vt vaga, & vana, fugit fatuarum Virginum spectaculum; quæ internæ consolationis, sola sitiuit affatum.

Mat.6. De primo Matt.6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum, & claude hostium; ora Patrem tuum*: tunc inuocabis, & Dominus

Esai.26 exaudiet. Esai.26 *Vade populus meus, intra cubicula tua, & claude super te hostia tua.*

Iudic.8. De secundo dicitur in Iudith 8. Quòd in superioribus domus suæ cubiculum secretum fieri fecit, in quo cum puellis suis clausa cõmorabatur; & non ibit vaga per plateas. Si-

Thob.3. militer autem Tobias 3. *Perrexit Sara ad locum secretum*, &c. De consolatione autem

Psal.44 Diuina, sic est, quòd non datur admittentibus alienam. Psalm. *Audi filia*, &c. Et tunc

Cant.3. tandem, *Concupiscet Rex decorem tuum.* Can.3. *Paululum cùm pertransissem eos inueni*, &c. Ad interiora igitur penetralium

Act.10. suorum clausis ostijs, *ingressus Angelus:* Angelo enim ostia non obstant: *ad eam*, sicut ad Cornelium. Act.10. Et sicut ad Petrum in solario orante. Act.10. Angeli frequenter, &

Psal.66 libenter sunt cum orantibus; aliquando præuenientes orationis tempus. Psal.66. *Præuenerunt. Principes coniunctim psallentibus.* Hæc autem Virgo Beata nostra est tympanistria: quia sicut MARIA soror Moyũ: *Sũpsit tympanum in manu sua; egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis, & choris, quibus præcinebat.* Exod.15. Sic, & hæc Beata Virgo præcessit cum tympano mortificationis carnalis voluptatis ludens in choro Angelorum, quàm multitudo magna Virginum, quibus ipsa præcinuit est subsecuta: de qua dicitur Hier.31. *Virgo Israel adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.* Et inde aptum nostræ redemptionis initium: sicut enim Angelus malus suasit Euæ gustum perditionis. Ita è contra, Angelus bonus obtulit Virgini eulogium salutationis. Et est notabile, quòd in annunciatione Ioannis, qui priùs habuit de patre, quàm de matre: quia senex plus aptus

Exo.15.

Hie. 31

A est generare, quàm vetula concipere. Annũciatio incipit à Patre, & deriuata est ad Matrem, eò quod in talibus, *caput mulieris est vir*, vt dicitur 1.Cor.11. Ita è contra in annunciatione Christi, quæ in terris est sine patre, annunciatio incipit à matre. Et deinde de multis præmonuit Angelus Ioseph patrem putatiuum, sicut, quod non timeret accipere *eam*. Et propterea; quia quod in ea natum esset, de Spiritu sancto esset. Matt.1. Et eodem ordine præcesserat in figura. In annunciatione enim Isaac (qui risus interprætatur) incepit Angelus à patre, & deriuatur in, matrẽ, qui illum significat Isaac: in cuius natiuitate multi gaudebunt. In annũ-

B ciatione autem Sansonis, Angelus primò nũciat matri, & per mulierem venit ad patrem annunciatio; quia Sanson, Sol fortis interprætatur, & significat Christum, de quo dicitur Malach.3. *Vobis timentibus nomen meũ orietur sol iustitiæ, & sanctitas in pennis eius.* Sic ergo, *Angelus Gabriel ingressus* in conclauis secretum, ostio clauso, & figmato ad Beatam Virginem, dixit:

1.Co.11

Matt.1.

Gen.17.

Iud.13.

Mala.3

AVE.

Et vt dicit B. Bernard. *Hæc salutatio tantò est præciosior, quantò est rarior; & bonis omnibus plenior alijs salutationibus.* In ista enim salutatione duo sunt. Amotio vni-

C uersalis mali, & in præcatio omnis boni: & amotio quidem mali tangitur per hoc, quod dicitur, *Aue*, & hoc habet ista salutatio singulare. Nunquam enim legitur aliquis salutatus ante hoc per mali amotionem, sed potiùs malum est intimatum omnibus, sicut Gen.3. Mulieri dixit: *Multiplicabo ærumnas tuas.* Et viro: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Cùm operatus fueris eam, non dabit fructum; sed spinas & tribulos germinabit tibi; & ideò, maledicta terra in opere tuo.* Per terram intelligitur potiùs terrà, quam gerimus, quod est corpus nostrũ, quã terraquã terimus, quæ est possessio nostra. Et ideò dicitur Apoc.8. *Væ, væ, væ habitãtibus in terra* concupiscentiæ: væ in carne culpæ:

D væ in mente, & væ condemnationis in vtroque. Quomodo ergo sine væ essent, qui tot væ subiacebant? Apoc.18. *Væ, væ, væ, ciuitas illa magna Babylon*, & nulli pax in terra, sed omnia væ concludebat. Nunc autem cũ prædicanda esset pax hominibus bonæ voluntatis; electa est Virgo stirpis Dauidicæ, ex cuius *Aue*, etiam alij de posteritate Euæ à væ purgarentur. Quæ sicut canalis ad nos fluenta traducit gratiarum, quæ ante per omne tempus defluxerunt. Canalis autem munda esse debet, ne aqua munda turbet, Ezech.36. *Effundam super vos aquam mundam*, &c. De hoc aquæductu Eccl.24. *Sicut aquæductus exiui de Paradiso, dixi: rigabo hortum plan-*

Gene.3.

Apoc.8.

Apo.18.

Eze 36.

Eccl.24

plantationum, & inebriabo partus mei fructum. Sic igitur, vt purus sit per eam ad nos transitus gratiæ sine væ est concupiscentiæ, culpæ, & pœnæ æternæ; quam nemo vnquam meruit. Et ideò sola, vt canalis gratiæ, sic digna fuit, Amos 5. *In omnibus plateis planctus, & in cunctis, quæ foris sunt, dicetur væ, væ.* Amos 5. Planctus enim est tentationis concupiscentiæ, & cunctis, qui foris sunt, extra conclaue; & triclinium gratiæ, dicetur primò, væ culpæ. Et consequenter, væ reatus pœnæ æternæ. Propter quod, & dina egressa ad spectacula vanitatum, *vt videret mulieres regionis illius*: rapitur, & corrumpitur, & tristis, blanditijs amatorum mundi delinitur. Gen. 34. MARIA autem in conclaui sine væ, fit conclaue Verbi, & thalamus sponsi æterni, & vestibulum filij Dei, Regis summi, & triclinium totius Trinitatis, & fabricatoris mundi fabrica. In quam, *ingressus Angelus, dixit: Aue*, conuerso nomine Eua: notans, quòd & Euam reducit ad benedictionem: fuit autem Euę triplex væ, quod hærediario iure misit ad filias. In conceptione, videlicet, & portatione, & parturitione. In Conceptione quidem est væ triplex libidinis, scilicet, in tentatione corruptionis, in sexuum commixtione, & improbæ delectationis in seminis susceptione. In portatione etiã est triplex væ, scilicet, ponderis in onere; præsuræ in oneris portatione; & angustiæ in vteri impletione. Triplex etiam in partu est væ doloris, scilicet, in parturitione; destitutionis virium, in generatione; & effractionis sigillorum in emissione. Et post omnia hæc dubia benedictio, in prolis susceptione. Ab omnibus autem his libera Virgo Regia, Dauitica, puerpera: libidinem enim nunquam habuit; quia in persona sua dicitur Thob. 3. *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.* Thob. 3. Defiorationis corruptionẽ non habuit, quæ dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc est, non cogniturum propono: A delectatione improba aliena fuit. In cuius persona dicitur Thob. 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Dixit enim Phs. in 7. Ethi. quòd lusiuus est incontinens: & Hieron. *Tactus, & iocus risus, & sibili morturæ virginitatis solent esse principia.* Et ideò significatur per fiscellam scirpeam, Exo. 2. *Exod.* 2. In qua vagit noster Moyses verus legislator, & Dux, & liberator populi; qua *bitumine linita fuit* intus præsentia deitatis; extra continentia perpetua castitatis; ne alicubi subintraret aqua, & rumperet, & submergeretur flumine noxiæ, & illecebrosæ carnalitatis. Similiter tria væ, quæ sunt in portatione, non habuit. Onus enim nobile portauit sine sensu ponderis. Quod de se dixit: *Onus meum leue est*, non tantùm in se, sed etiam alleuians portantem. Præsuram etiam nõ sensit ex portatione; quia portauit eum, qui *portat omnia verbo virtutis suæ.* Mat. 11. Heb. 1. Neque coartationis angustiam; quia virtus Altissimi obumbrauit ei, vt ventris sui circulus sine coartatione portaret; quem non continet ambitus cœli, & hoc significatur per vas illud, de quo dicitur Exod. 16. *Sume vas vnum, & mitte in illud manna, quantum potest capere Gomor, & repone coram Domino ad seruandum in generationes.* Hebr. 1. Exo. 16. Vas enim illud, neque pondere cœlestis pãnis est grauatũ, nec oppressum; neque arctitudine aliqua coangustatum; & in miraculũ omnium sæculorum conseruatum. Gomor enim est, mensura trium modiorum; quia nobile illud triclinium continebat corpulentã substantiam Christi. Animam, & deitatem, vetus, & nouum, & æternum: Vetus in materia corporis: nouum in anima, tunc de nouo creata: æternum autem in deitate. In parturitione etiam nullum habuit væ aliarum matrum. Non enim habuit dolorẽ cùm parturiret; quia dicitur Esa. 66. *Antequam parturiret, peperit*; hoc est, antequam dolorem sentiret parturitionis; quem post sensit in passione; cùm sentiret gladiũ, quem promisserat ei Symeon. Nec viribus destituta est in generatione; quia Esai. ibidem: *Antequam veniret tempus partus*; per destitutionem virium, *peperit masculum.* Similiter etiam in emissione filij, nihil clausstri pudoris effractum est: quia Cant. 4. dicitur: *Hortus conclusus, fons signatus*: & ideò merito exclamat Esai. 66. *Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile?* Et hoc significatur Ezec. 44. Per portam templi orientalem, de qua dicitur ibidem: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eã; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Sic ergo meritò dicitur ei, & singulariter, *Aue.* Isti sunt nouem lapides prætiosi, de quibus dicitur Ezec. 28. *Omnis lapis prætiosus operimentum tuum; sardius, topazius, & iaspis, chrysolitus, onyx, & berillus, saphyrus, & carbunculus, & smaragdus.* Decores enim, quos Angelus abiecit, & ab Eua abstulit, Virgo Beata assumpsit. Sic enim Deus, *Posuit in capite eius corona de lapide precioso.* Psal. 10. Sic igitur sine væ existens merito sola sic salutatur, per *Aue.*

GRATIA PLENA.

Sequitur secunda pars salutationis, quæ est in omnis boni imprecatione. Colligit enim hæc salutatio, id quod bonam facit. Virginem in se ipsa: Et omne, quod Beatam facit ad Deum: Et omne quod mirabile facit ad Angelos, & ad homines. *Gratia*, enim bona sa-

facit in se ipsa: secum autem esse Dominum beatam facit ad Deum. Et benedictam esse in mulieribus, mirabilem facit ad Angelos, & homines. Attende autem, quòd hæc bona nullis simul imprecata sunt, & per paucis optata per partem. Vitam autem alicui per
Dan.2. salutationem legimus optatam, Dan.2. *Rex in sempiternum viue.* Quibusdam etiam sa-
2.Re.16 lutem, sicut 2. Reg.16. *Salue Rex, Salue Rex*: & hæc ab hominibus. Ab Angelis autē paucos legimus salutatos, & particulariter ista optata. Ad Gedeonem enim dixit Angelus: *Dominus tecum virorum fortissime*: & hoc quidem est pars horum bonorum; sed à Gedeone excusatur, cùm respondit: *Si Dominus nobiscum est, quare apprehenderunt*
Iud.6. *nos hæc omnia?* Iudic.6. Thobiam autem salutauit Angelus, dicens: *Gaudium tibi sit semper*: & quamuis hoc sit gratiæ eiusdem, tamen nec ab eo receptum est: quia respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris*
Tho. 5. *sedeo, & lumen cœli non video?* Thob.5. Huius autem causa est; quia nisi væ absterso, & purgato, benedictionis perfectæ nullus est locus. Primò ergo tollatur væ per *Aue*, & posteà optentur, & prædicētur dona gratiarū in Virgine. Omittit autē Angelus interponere nomen MARIA; quod tamen Ecclesia nominat; quia ante est nominatum, vel in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ eius fuerunt explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur. Quantum autem significet nomen *MARIA*, in parte superiùs est explanatum: dicatur ergo, vt digna tanto nomine intelligatur *Gratia plena:* Gratia quidem virtutis, & gratia dignitatis. *Gratia* virtutis est in eius sanctitate. *Gratia* dignitatis in admiratione. *Gratia* virtutis, in septem gradibus virtutū consistit. Fidei quidem, & spei, & charitatis: fidem enim habuit in excellentissimo; quæ tam immensæ rei sibi promissæ fidem adhibuit; quæ etiam discipulis dubitantibus non dubitauit; quæ omnia possibilia esse credenti certissima fuit. De primo horum dicitur
Luc. 1. Luc.1. *Beata quæ credidit, quoniam perficiet*
Iob 19. *ea, quæ facta sunt à Domino.* De secundo dicitur Iob 19. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* Consumptis enim carnibus, hoc est, mollibus discipulorum cordibus per dubitationem adhæsit os solidum; cor Virginis glorioſæ, pelli extensæ in Cruce per fidem. De tertio dicitur in figura sua Abrahā in repromissione Dei, non hæsitauit diffidētia, sed confortatus fide plenissimè sciens; quia quæcumque promisit ei Dominus po-
Gen.15. tens est, & facere, Genes.15. Spem etiam in summo habuit, quæ viuam, certam, affligentem cor eius spem tenuit. Viua enim est spes
1.Pe 1. firmata per gratiam, operibus meritorum innitens. De qua 1. Petr.1. *Regenerauit nos*

A *in spem viuam.* Certa autem est spes iam habens arras rei speratæ, & pignus: de qua Hæbr.6. *Tenemus propositam nobis spem,* *Hæb.6.* *quam sicut anchoram habemus tutam, ac firmam; & ingredientem vsque ad interiora velaminis.* Affligens autem spes est, quæ ex desiderio multo rei speratæ ad languorem inducit sperantem, Prouer.13. *Spes, quæ differtur, affligit animam.* Spe autem viua in *Pro.13* rem speratam semper intendit: spe certa cœlestibus continue inhæsit, & spe affligente peregrinationem istam continue finiri cupiuit. Charitas etiam eius in summo fuit. Charitas enim quo ad feruorem, est languens, & vulnerans, & interficiens: languens
B ex desiderio amati: vulnerans ex penetratione amantis in amatum: interficiens ex occisione omnium præter solum amatum, qui in corde viuit amantis; & talis fuit amor Virginis. Ex amore enim amati, in se destituta languet desiderio. Ex penetratione amati vulnerata portat telum. Ex interfectione amati, non sibi, sed tota viuit amato. De primo dicitur Cantic. 2. *Nunciate dilecto, quia amore langueo.* De secundo dicitur: Vulnerata charitate plena sum. De ter- *Cant.2.* tio, Cant. vlt. *Fortis vt mors dilectio, dura* *Can.vl.* *sicut infernus emulatio.* Sic ergo in summo has virtutes habuit. De alijs autem quatuor cardinalibus supra dictum est. Sic igitur fidē
C ad magna habuit indubitatā, & omnia omnipotentiæ possibilia credidit; spem viuam, certam, & affligentem habuit; & charitatem languentem, vulnerantem, & interficiētem. Huic coniuge donum, quod est in adiutoriū virtutum, vt dicit Gregor. Et beatitudinē, quæ est perfectus status operum, & fructuum spiritus, qui est gustus dulcedinis Beatorum; & habebis iterum duodecim. Donum enim adiuuat virtutes, vt attingat præmium. Beatitudo autem perficit statum, vt attingat id quod est perfectum, & fructus dulcorem gustus, vt desideretur finiri exilium. De donis, *Esa.11.* Esai.11. De beatitudinibus Mat.5. De fru- *Mat.5.* ctibus spiritus, Gal.5. De virtutibus Diui-
D nis, 1.Cor.13. Perfecta igitur in gratia est, *Gala.5.* quæ habet virtutem in summo: Donum in *1.Cor.13* adiutorio; beatitudinem in perfectione: & fructum habet in gustu, & licet dona sint septem; vna tamen est ratio adiutorij virtutū, & quamuis beatitudines sint octo, tamen vnum statū perficiunt perfectionis: Et licet fructus, duodecim tamen vnū ingerunt gustū dulcedinis æternæ. Et ideò hæc in duodecim cōputantur; quia virtutes sic in vno nō consistūt, sicut dona, & Beatitudines, & fructus in vnū tendūt; & isti sunt lapides duodecim, qui internitentibus gemmis radiant in vestimento Sacerdotis. Et in plateis cœlestis ciuitatis, Sap.18. Parentum magnalia in quatuor *Sap. 8.* ordinibus lapidum erant sculpta; quatuor

enim ordines lapidum sunt, ordines virtutum Doctorum Beatitudinum, & fructuum,

Apoc.21 Apoc.21. *Fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum sapphirus, tertium calcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx. sextum sardius, septimum chrysolitus, octauum berillus, nonum topazius, decimum chrysopasus, vndecimum hyacinthus, duodecimum amethistus.* Talibus ergo fulta, & repleta est gemmis virtutum. Fidei enim attribuuntur tres primi: magis enim fides viret, vt iaspis indubitata, cœlicum colorem habet, vt sapphirus, & omnipotentia nitens in calce est, quo non potest ampliùs, vt calcedonius. Similiter spes viua est virens intus virtute, & meritis, vt smaragdus. Spes certa solida est, & lucens, vt sardonix. Spes affligens, rutilans, & rubens sanguine Christi, vt sardius. Charitas autem languens, solis speciem habet intus splendore auri, vt chrysolitus, in virore speculum est auris Solis; & charitas vulnerans elicit ignem in oppositione solis posita, vt berillus: quia

Cāt.vl. Cant. vlt. *Lampades eius, vt lampades ignis, atque flammarum.* Et charitas interficiens est, vt typus auri fului perlucidi propter ardorem cordis, & lucem veritatis. Donum autem adiuuans virtutes, est vt chrysopassus; passionem auri primi sustinens, & igniti; quia in ipso micant virtutes, sicut in adiutorio suo. Et Beatitudo sicut hyacintus cœlestis color perfectionis, in aqua huius mortalis, & fluxibilis vitæ. Fructus autem est, sicut amethistus rubor, scilicet, cœlestis in obscu-

2.Co.4. ritate mortalitatis terrenæ, 2.Cor.4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas non sit ex nobis, sed ex virtute Dei.* Hæc igitur Virgo fide fuit solidissima; spe certissima, charitate feruentissima, dono super omnes adiuta. Plus enim omnibus donatum est ei, Beatitudine perfectissima, quàm Beatam dicent omnes generationes; *quæ gustauit, & vidit, quoniam bona est negociatio eius, & non extinguetur*

Pro.vl. *in nocte lucerna eius.* Prouer. vlt. Et ideò datum est ei fidei donum electum. *Et sors*

Sap.3. *in Templo Dei acceptissima.* Sap. 3. Sic igitur gratia virtutis est plena. Si virtus in dono, & donum in Beatitudine, & Beatitudo in fructu perfecta esse intelligatur; sic igitur est gratia plena.

Est etiam gratia dignitatis eius, vt dicit B.Bernard. id est, duodecim. Quatuor micant de cœlo, quatuor in carne, & quatuor in corde ipsius. De cœlo enim micat Virginis huius sanctificatio, Angelica salutatio, Spiritus Sancti superuentio, & veneranda Filij incarnatio. In carne autem pudor Virginalis, & quòd est sine corruptione fœcunda, sine grauitate grauida, & sine dolore puerpera. In corde verò deuotio humilitatis, magnitudo credulitatis, mundicia spiritualis, & martyrium cordis; & de omnibus his iam in præmissis satis est dictum. Hi sunt duodecim lapides, quos sustulit Iosue, *de Iordanis alueo.* Ios.4. Cùm portaretur arca per Iordanem huius labentis vitæ, & remanent in monumentum æternum. Hæc enim duodecim matrem Dei ne concupiscentia defluëret, solidam esse fecerunt: & ecce, qualiter fuit *Gratia* virtutis, & *Gratia* dignitatis plenissima. Est autem in his omnibus tripliciter plena, & signo plenitudinis duplici. Est enim in his plenitudo mentis, plenitudo ventris, plenitudo nostræ assumptionis: plenitudo mentis communis est cum Sanctis, plenitudo vētris specialiter Virginis matris, plenitudo assumptionis est plenitudo Dei ad nos vnionis; de plenitudine mentis, quæ communis est omnibus Sanctis, in persona Stephani, Act.7. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine, &c.* De plenitudine vētris. Iud.6. in plenitudine *conhcæ*, quæ expressa est *de vellere.* De plenitudine nostræ assumptionis, ibidem. In plenitudine, *roris in vellere.* Col.11. *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Prima plenitudine, plena est *gratia* diuina; Secunda plenitudine plena est deitatis pluuia: Tertia plenitudine plena partu diuino: ex prima est idonea; ex secunda delibationis massa; ex tertia delibationis, & delibantis arca, Rom.11. Quod si delibatio sancta est, & massa: ex prima est pura; secunda nitet ea, qua sub Deo nequit similior inueniri puritate; ex tertia candet puritate diuina. Ex prima est concha gratiæ. Ex secunda aqueductus gratiæ. Ex tertia est vena fundens fontem misericordiæ. *De eius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia.* Propter Primā dicitur: *Quòd inuenit gratiam.* Propter Secundam: *Quòd fecit Dominus magna.* Propter Tertiam dicitur ei: *Dominus tecum.* Sic igitur iterum est *gratia plena.* Signa verò plenitudinis duo in ea non deficiunt. Exuberantia videlicet, & quòd aliud nihil capere potest. Exuberantia quidem, quia effluit ex ea gratia in omnes, 4.Reg.4. Omni, qui obtulit vas vacuum mulier in figura, huius infudit gratiæ, & misericordiæ oleum, non ex defectu copiæ, sed ex defectu vasorum offerentium: *Oleum enim effusum est nomen eius.* Cant.1. De hoc autem, quod aliud non recipit, dicitur, Sap.7. *Propter suam munditiam nihil inquinatum in eam incurrit.* Ber. *Non est, quo se ingerat vanitas, vbi totū repleuit charitas:* Sic ergo est, quod dicitur, Pro.vlt. *Multæ filiæ cōgregauerunt* gratiarū diuitias; ipsa autem sola *supergressa est vniuersas.* Sic igitur est gratia plena. Sequitur.

Act. 7. *Iudi.6.* *Col.11.* *Rom.11.* *4.Re.4.* *Cant.1.* *Sap. 7.* *Pro.vl.*

DO-

DOMINVS TECVM.

Et colligit hoc omne, quòd Beatam facit hanc Virginem ad Deum, vnde quinque hic notantur. Primum est, quòd Dominum, & non Deum vocat, qui secum esse dicitur. Secundum, cùm Deus sit vbique, & in omnibus: Qualiter dicatur esse cum ipsa. Tertium, quare ipsa non dicitur esse cum Domino, sed *Dominus* secum. Quartum, quid sui, vel de suo cum Domino in hoc opere incarnationis habuerit. Quintum, & vltimum, si aliqua in hoc matri conferatur principalitas; quòd *Dominus* esse secum perhibetur.

De primo ergo, quare dicitur *Dominus*, & non Deus esse secum? Notandum, quòd *Dominus* dicit tria, maiestatis altitudinem, diuitiarum honorabilium honorem, & virtutem, siue fortitudinem nullo modo aliqua impulsione nutantem: & hæc tria dicit Beatus Dionys. in libr. de diuin. nomi. his verbis. *Dominus, dicit, non inferiorum excessum tantùm, & suppositionem, sed etiam omnium pulchrorũ honorum diuitem possessionem, & veram, & non cadere, vel natare valentem virtutem, siue fortitudinem maiestatis.* Ex his tribus releuat nostrum casum humilitatis, paupertatis, & infirmitatis. Humilitatis, quo ad nostri status vilitatem. Paupertatis, quo ad gratuitorum, & Beatitudinis spoliationem. Infirmitatis, quo ad nostram vulnerationem. Et suam nobis largitur eleuationem, ditationem, & fortitudinem. Altitudinem quidem in dignitate, vt homo honore dignus sit. Diuitias, vt habeat vnde mereri possit. Fortitudinem autem, vt hosti resistere possit: & hæc tria simul non dicit aliud nomen, nisi *Dominus*. Quod enim *Dominus* sit, qui nos de statu, in quem cecidimus, 1. *Reg.* 2 sustollat, pater, 1. Regum 2. *Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens* *Ps.* 112. *pauperem; vt sedeat, &c.* Psalm. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit, &c.* Sic ergo eleuat ad statum pristinæ, & deperditæ dignitatis. Quod autem Dominus ditet nostram paupertatem. Patet Rom. 10. *Idem* *Rom.* 10 *Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.* 1. Cor. 2. *In omnibus diuites* 1. *Co.* 2. *facti estis in illo, &c.* Psalm. 33. *Non est* *Psa.* 33. *inopia timentibus illum, &c.* Luc. 1. *Esurientes implenit bonis, &c.* Magnificatus est enim Dominus, & noster verus Salomon diuitijs, & gloria, *Super omnes Re-* *Luc.* 1. *ges vniuersæ terræ.* 2. Paral. 9. Quomodo ergo aliquem de suis dimitteret pauperem, cùm sit magnificus in sanctitate, & virtu- *Est.* 11. tum, & gratiarum largitione. Esther. 11. *Largitus est munera iuxta magnificentiam*

A *principalem*. Hoc significatum est, 4. Reg. 4. vbi à creditore Diabolo liberat filios viduatæ Ecclesiæ olei sui; hoc est, gratiæ suæ multiplicatione. De fortitudine autem nos protegente, & continente, Num. 24. *Dominus eduxit eum de terra Ægypti, cuius fortitudo est similis rhinocerontis.* Huius ergo Domini altissimi locus, est humilitas Virginis; theca thesaurorum diuinitatis, benignitas Virginis; ligatio fortitudinis, vt ad nos veniat exempla castitatis Beatæ Virginis. Benè igitur dicitur, quo adhęc tria *Dominus tecum.* Hic enim simul in vnum fuit sublimis, & humilis, dives, & pauper, fortis, & imbecillis, sicut & *Dominus*: dicitur autem *Dominus* esse cum ipsa, B plus quàm cum alijs: orauit enim, vt dicunt Patres redemptionem Israel, & ipse *Dominus* exaudiuit orationem eius, faciens redemptionem ipsam per humilitatem susceptæ carnis. Cùm ipsa enim esse Dominum, vocat consentire Dominum votis eius, orationi, & operibus eius. Ita vt verum sit, quòd dicitur, 2. Reg. 7. *Omne quod* 2. *Re.* 7. *est in corde tuo, vade, & fac: quoniam Dominus tecum est.* Similiter dicitur Iosue 1. *Ego* *Iosu.* 1. *ero tecum, & non te deseram, neque derelinquo.* Oportuit enim, vt præ alijs votis eius consentiret Dominus, quæ sic sibi eum attraxit, vt visceribus eius se infunderet. Et C Ammanuelis in ipsa nomen acciperet, quod est nobiscum Deus. *Dominus* enim nobiscum quinque facit. Consensus enim eius in nobis expeditas reddit virtutum operationes, confortat contra retrahentia timoris, omnes antiqui, & callidi hostis dissoluit machinationes, & prosternit, & in figuram conuertit hostium acies, & congregationes. Magnificas confert de victoria, & liberatione præsumptiones: de primo horum, scilicet, quòd expeditas reddit virtutum operationes, iam habitum est ex Propheta Nathan ad Dauid. *Omne, quod est in corde tuo* 2. *Re.* 7. *vade, & fac, &c.* Quasi diceret, expeditus es in omnibus, & nihil habebis impedimenti: quod confortat contra D insurgentium machinationes. Ezech. 2. & 3. *Ne timeas* *Ezech.* 2 *eos, quia ego tecum sum.* Esa. 1. *Dominus* & 3. *Deus auxiliator meus, & ideò non sum con-* *Esai.* 1. *fusus*, Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra* *Rom.* 8. *nos?* Quod dissoluat omnes callidi hostis machinationes, Esai. 8. *Inite consilium, &* *Esai.* 8. *dissipabitur, loquimini verbum, & non fiet; quia nobiscum Deus.* Quòd in fugam conuertat, & prosternat hostium acies. Iudic. 6. *Iudic.* 6 vbi Angelus dixit ad Gedeonem: *Dominus tecum.* Et in virtute sermonis (quod vmbra, & figura est verbi istius) prostrauit, & in fugam conuertit castra Madian. Quòd in conceptu Virginali spiritualiter est impletum, vnde Esai. 9. *Iugum oneris eius, &* *Esai.* 9. *vir-*

virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian. Quod magnificas de victoria, & liberatione conferat præsumptiones, in Psal. 126. dicitur. *Tunc dicent inter gentes; magnificauit Dominus facere cum eis.* Vnde. 1. Reg. 4. territi hostes dicunt: *Væ nobis, venit Deus in castra.* Ex aduentu autem Domini in castra lętificatus est exercitus Israel, & vociferatus clamores deuotionis, & gratiarum actionis. Tertium, quòd superiùs notandum esse diximus, est (qualiter etiam Beata Virgo sit cum Domino, quia, *cùm*, propositio, notat assotiationem: si *Dominus* secum est; ipsa etiam est cum Domino.) Profectus videlicet circa virtutem, consurrectio, contra iniquitatem, & contemplatio, & amor circa veritatem. De primo horum dicitur, Gen. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit; quia tulit illum Deus.* De secundo in Psalm. 93. *Quis consurget aduersus malignantes?* Quasi diceret, rarus, sed tamen charus. De tertio, Ioan. 17. *Volo Pater, vt quos dedisti mihi, vbi ego sum, ipsi sint & mecum, vt videant claritatem meam.* Quartum verò, quòd superiùs notatum est, est, quòd scire desideramus; quid sui, vel de suo in hac operatione cum Domino habuerit: & dicimus, quòd duo: consensum videlicet humilis charitatis, & fidem indubitatam promissæ veritatis. De primo ipsa dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* De secundo dicitur: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Quintum supra notatum est: quid principalitatis detur ei per hoc, quod dicitur: *Dominus tecum.* Dicimus enim in sophisticis, quòd cùm vnus dicitur esse cum alio, principalitas notatur esse in re ablatiui, cui deseruit propositio, *cum*: sicut dicitur miles esse cum Rege, & non è conuerso; Rex cum milite. Duas autem principalitates. Ex dignitate concedit *Dominus* Virgini; honoris videlicet, & subiectionis. Ille enim, qui legem dedit de honorandis parentibus. Exod. 20. *Et natus ex muliere, factus est sub lege.* Gal. 4. Legem non dissoluit, sed obseruauit in matre; maximè, cùm non venit *legem soluere, sed adimplere.* Matth. 5. Thob. 4. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.* Audi ergo nos Virgo Beata; nam te filius nihil negans, honorat. Subiectionis autem principalitatem notat, Luc. 2. *Descendit cum illis, & subditus erat illis.* Quis? quibus? Deus hominibus, filius parentibus, Doctor discipulis, Heb. 9. *Patres quidem habuimus carnis nostræ eruditores, & reuerebamur eos.* Hoc autem fecit, vt exemplo suo subiecti esse non dedignemur; etiam his, qui nobis inferiores esse videntur; sed mirum admodum est, de dictis Angeli. Præuenit ad salutandam Virginem ex Domini sui parte, & innuit præueniſſe Dominum; etiam ipsum celerem aduentum nuncij, quod etiam innuit, Cant. 2. Dum alloquerentur eam sodales sponsi de amore, sponsus ipse aculeis amoris incitans, reuelat aduentum suum oculis sponsæ, & illa facibus, & flammis, & lãpadibus amore spõsi succẽsa, clamauit, dicẽs. *Ecce iste venit saliens in mõtibus trãsiliẽs colles.* Sic, & nunc præuenit nunciũ suum Dominus, inuentus à nuncio circa sponsam, vt fidem habeat sponsa de verbis nuncij; secum in cordis thalamo, iam perhibet esse Dominum. Profectò est hoc, quod dicit, Esai. 9. *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Vt enim dicitur, Sap. 7. *Omnibus mobilibus, mobilior est sapientia.* Et ideò Angelos veloces ipse præuenit. *Exultauit enim, vt gigas ad currendam viam*, vsque non ad nos; sed in nos: *à summo cœlo*, à summo Patris, à regalibus sedibus descendens inuiscerauit se nobis in visceribus Virginis. Gregor. *Nescit enim tarda rerum molimina, Spiritus Sancti gratia.* Amanti enim omnis velocitas tarda est, & ideò reditum nuncij non expectat, qui renunciet de consensu, decore Virginis, & lenocinijs irretitus.

Cant. 2.
Esai. 9.
Sap. 7.
Psal. 18
Gregor.

BENEDICTA TV IN mulieribus.

Sequitur id, quod est ad proximum: *Benedicta tu in mulieribus.* Quatuor enim in hac salutatione dicuntur, *Aue*, videlicet, quòd debetur innocentiæ Virginis. *Gratia plena*, quæ scilicet plenitudo debetur vacuitati humilitatis; quia dicitur Iacob 4. Quòd *humilibus dat gratiam.* Et idem dicitur, 1. Pet. 4. Et benedictio, quæ debetur celibatui castitatis, & in hoc est perfectio salutationis: dicit ergo: *Benedicta tu.* Et ne aliquid videatur vacare à mysteriorum gratia speciali in verbo proposito. Benedictionem notat, & excellentiam. Benedictionem cùm dicit, *Benedicta*, discretionem in pronomine *tu* excellentiam, cùm dicit, *in mulieribus*, vel solam intelligens benedictam, vel benedictam præ omnibus. Benedictio autem munit, & tutat contra malum, multiplicat spirituale, & verum bonum, & conciliat nobis Deum.

Iacob 4.
1. Pet. 4

Quod munit, & tutat contra malum, Gen. 32. *Benedixit eum in eodem loco, & dixit, si contra Deum fortis fuisti; quantò magis contra homines prævalebis?* Adauget etiam omne bonum; sicut dicitur, Iob 1. *Operibus manuum eius tu benedixisti*; & statim sequitur. *Possessio eius creuit in terra.* Quod Deum conciliat. Esai. 66. *Qui benedictus est super terram, benedicetur in Deum*, dicit Prophetа. *Amen*, & Num. 6. *inuocabunt nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Sit igi-

Gen. 32.
Iob 1.
Esa. 65.
Num. 6

igitur benedictio super caput Virginis. Dicit autem *tu*, discretionem notans, & significantiam. Discretionem quidem; quia est benedicta singulariter. Significantia autem; quia benedictionē habet insignē. Discretiuè enim benedicitur, de qua canitur: *Benedicta* *Iud.13.* *filia tu à Domino.* Signanter autem benedicitur, cui principalis, & insignis datur benedi- *Deu.33* ctio, Deu. 33. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazarei inter fratres suos.* Qui enim in rubo apparuit Virginem incombustam, per concupiscentiam designauit despōsatam Ioseph, cuius Iacob Patriarcha figura fuit; & hoc super *verticem Nazarei eius*, hoc est, Sancti Sanctorū Christi descendit, & per ipsum, in matrem. Hæc enim benedictio est omnium gentium. Hoc est, in quo benedicētur omnes gentes, quod fit per Christum, qui solus est semen benedictū, sicut dicitur Gen. *Gen.17.* 17. ad Gal. 3. Sic igitur, discretiuè, & signan- *adGal.3* ter es *benedicta tu.* Subiungit autem *in mulieribus*, hoc est, inter mulieres, vt proposito notet medium, per participationē extremorum medium vocatur. Optimum enim mulierum in honore, est Virginitas, & optimum vtilitate, est fœcunditas: quod vtrūmq; Virgo gloriosa participauit. Gaudium enim matris habet cum Virginitatis pudore. *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Virgo enim, & mater est actiuæ vitæ in prole, & contemplatiuè in specie. Figura Virginali; hoc est enim castellum. in quod veniēs Dominus maiestatis inspecie peregrini, apud nos primum susceptus est. Martha, hoc est, actiua eius vita administrante: & MARIA, hoc est, contemplatione eius assidēte: in qua tamen fœlix, & Beatissima Virgo MARIA, *Luc.10* & Beatissima mater *optimam partem elegit, quæ nunquam auferetur ab ea.* Nobis enim adest per ministerium misericordiæ: filio autem assidet per aspectum gloriæ. Nec nobis deerit affectus misericordiæ, nec ipsa filio subducitur in contemplatione gloriæ, fœcūditatem habēs in plenissimo gaudio matris; pudorem autem in summo honore Virginis, vt de ipsa tantùm verùm sit; *quòd MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hæc igitur est salutatio Beatæ Virginis, *Rom.16* & secundùm præceptum Apostoli ad Rom. 16. *Salutate MARIAM, quæ multum laborauit in vobis.* Sicut enim in sententia, dicit *2.Co.4.* Apostolus. 2. Cor. 4. Siue in contemplatione mēte excedit Deo, siue in actione sobria est; totum pro nobis est, Virginitatis præferens lilium, & fœcunditatis offerens filium, & totum pro nobis impendens virtutis meritum. Salutemus ergo eam frequēter, & sapienter: frequēter, vt nec à corde, nec ab ore recedat. *Esai.23* Sicut suadet Esai. 23. *Benè cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit.* Frequenter

A etiam, vt in deuotione salutemus; ne fortè dicat nobis illud Esa. 29. *Populus hic labijs* *Esai.29* *me honorat cor autem eorum longè est à me, sine causa colunt me.* Sapienter autem, vt salutans salutationi congruat, & salutatio cōcordet intentioni. Qualiter enim, aut luxuriosus Virginem, aut superbus humilem, aut maledictus benedictam salutare præsumitur? cūgruitas enim illa significatur in hoc, quòd cùm salutationis huius elogium primum ipsa in Elisabeth propagaret, exclamauit Elisabeth. *Ecce, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans, &c.* Salutat autem ipsa habentem in vtero Ioannem, hoc est in corde gratiā. Est enim de Sanctis, B communionem Sanctorum seruans, non salutans, neque resalutans eū; qui à Deo excommunicatus est: dicente Ioannē, in 2. can. *Qui* *Ioan.2.* *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; noli te eum recipere in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dixerit ei: Aue, communicat operibus malignis.* Si ergo incongruus eā salutauerit, non resalutat, & tunc fiet, quod dicitur Eccl. 41. *Erubescite a salutantibus* *Eccl.41* *de silentio.* Dicit enim Aristot. Quòd multas amicitias irresalutatio dissoluit. Salutemus ergo nos inuicem in osculo sancto columbino, vt sicut ab ea volumus, ita nos eā salutemus. Tunc enim non compressione labiorum, sed coniunctione spirituum nostra per- C ficietur salutatio.

QVÆ CVM AVDISSET.

Ecce hic describit post inconsuetam salutationem, turbationem verecundam. Tangit autē tria, Virginis verecundæ turbationem, causam turbationis, & quàm discretè se habuit in turbatione. Deturbatione autem dicit duo loquentis Angeli auditum, & occasionatum: exinde turbationis affectū. De primo dicit: *Quæ cùm audisset*, hoc est, peraudisset; hoc est, proposita omnia auditu percepisset, & perfectè co.legisset: & circa hoc secundum, notantur virtutes audientis, & modus audiendi. Virtutes audientis, sunt D tres: Virginis insusceptione verborum mansueta modestia, & patientissima in peraudiēdo sapientia; & in gerendo morem puellarem Angelo mirabilis disciplina. Fecit enim iam de primo, quòd longo tempore post præceptus erat, Iac. 1. *In mansuetudine suscipite* *Iac.1.* *insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Propter enim salutem, quam promittebat Verbū in modestia susceptum est; quia verbum solatij summi fuisset, si fuisset consuetum; sicut dicitur, Heb. 13. *Rogo fratres,* *Heb.13* *vt sufferatis verbum solatij.* Si enim verbum solatij est, verbum Dei ab homine prolatum, quantò magis verbum maximæ consolationis fuit, verbum ab ore Angeli auditum? De pacientissima in peraudiendo sapientia,

Pro. 14 dicit sapiens. *Est patiens, qui multa gubernatur sapiētia.* Et de stulto per oppositu, *qui*
Pro. 18 *respondet priùs, quàm intelligat. stultum se*
Prou. 1 *esse demonstrat.* Prou. 1. *Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula pos-*
Pro. 29 *sidebit.* Prou. 29. *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens verò differt, & reseruat in posterum.* Has enim fœminas, Genadius in lib. de contemplat. (aliàs, conceptione,) vocat ad loquendum catulas, quæ procaces sunt, & proteruæ, pro quolibet vno verbo multa respondentes, & nunquam aliquid ad plenum audiētes. De disciplina verò dicitur,
Eccl. 26 Eccl. 26. *Disciplina mulieris donū Dei.* Inurbanum verò est puellam Virginem promptulam esse ad loquendum; maximè, quę amica est conscientiæ, & solitudinis in contemplatione æmula. Angelorum cupiēs frui colloquijs, & in consolatione Spiritus Sancti delectata: dicit enim lex; quòd in ciuile est, lege non prospecta, respondere de lege. Mos igitur puellarum est, ad omnem sermonem, quietè audire, & cum disciplina rei exitum expectare. Imitata in hoc filium, de quo dicitur Ioan. 19. Cùm de multis interrogaretur à
Ioan. 16. Pilato: *Non respondit vllum verbum; ita vt miraretur præses vehementer.* Vnde potuit
Esai. 42 dicere illud Esai. 42. *Tacui semper silui, patiens fui.* Probat autem se esse puellam sturpis Dauid. Qui dicit Psal. 76. *Turbatus sum*
Psa. 76. *& non fum locutus.* Sic igitur in suscipiendo verbum, est modesta, & mansueta: imperaudiendo sapiens, & pacientissima: in gerendo morem, Angelo disciplinata. Modus autem audiendi est, quòd auditum referat ad intellectum. Hoc autem est, auris corporis, ad aurem cordis. Non enim fuit de illis, de quibus
Esai. 6. dicitur Esai. 6. *Audite audientes, & nolite intelligere.* Sed in schola summæ sapientiæ edocta sapienter, & diligēter aduertit, sciēs, quòd aurem audientem, & oculum videntem, vtrumque fecit Dominus. Hinc est, quòd ornamentum aureum, Cant. 1. promit-
Cant. 1. titur ei, quando dicitur: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Murenulæ enim sensui illabuntur, vermiculi argentei dulcisono tinnitu. Ita Virginis auris illapsam Angeli vocem aure lenis audiuit, & dulcem tinnitum cordis auribus vermiculantem motibus flexuosis per omnes
Eccl. 32 vias cordis induxit, Eccl. 32. *Audi tacens si-*
Psl. 44. *mul, & quærens.* Psalm. 44. *Audi filia*, corpore, *vide* corde: *& inclina aurem tuam*, taciturnitatis, humilitatis. Sequitur.

TVRBATA EST.

Ista turbatio, sicut audiuimus, nihil aliud est, nisi quòd præstricta gloria luminis superioris, & cœlestis visionis: & auditus in se, vt humilis recidit, & mixtionem quandam luminis rationis sensit. Sed aliter quàm Zacharias, & aliter quàm Daniel, Dan. 10. Est enim turbatio, propassio: & est turbatio passio, vt dicit Aug. Turbatio quidē, propassio est, quę tāgit, & rationē nō abducit. Turbatio autēpassio est, quę tāgit, & cordis affectū suis tenebris cingit, & abducit, & attonitū aliquādo prosternit. In Christo igitur fuit turbatio tangens tantùm. Ioan. 12. *Nunc anima mea turbata est.* Turbatio autem tangens, & cingens: ita scilicet quæ de modo impletionis nubilum admirationem inducit, in Beata Virgine fuit: turbatio autem tangens, & cingens, & abducens in incredulitatem, fuit in Zacharia. Turbatio tangens, & cingens, & attonitum prosternens fuit in Daniele. Et ideò Zacharias arguitur de incredulitate. Daniel erigitur à casu, & instruitur de ignoratis. Et Beata Virgo de modo impletionis expeditur. Quatuor autē sunt, quæ huiusmodi turbationē in ipsa ocasionabantur. Subita videlicet Angeli apparitio verecundia, quæ debetur pudori Virginali ex aspectu viri: hoc etiam debetur inauditę omnibus sæculis salutationi. Et tandem etiā debetur magnitudini promissę rei. Quod autem hoc consueuerit facere subita incogniti, & insperati apparitio, patet Luc. vlt. Vbi apparente subitò Domino; dicitur de Apostolis: *Turbati* verò, *& exterriti existimabant se spiritum videre.* Idem cùm appareret ambulans super mare: clamabant conterriti, & turbati; quia *phantasma est*, Iob 4. *Pauor tenuit me, & tremor, &c.* Quod etiā hoc debeatur pudori Virginali: cui in conclaui, in silentio orationis positæ, contraria nimis est species viri. Thob. 3. vbi in figura istius Virginis dicitur. *Tu scis: quia nūquam concupiui virum.* Ambros. Castæ Virginis est ad omnem viri pauere aspectum. Vnde sicut dicitur de B. Iob 31. *Quòd pepegit fœdus cum oculis suis, vt non cogitaret quidem de Virgine.* Quòd non videret, quod illicitè concupiscere t. Ita & ista pepigerat fœdus cum oculis suis, vt de viro nunquam cogitaret. Psal. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Hæc etiam fecit inaudita omnibus sæculis salutatio, quæ continebat omnis mali amotionē, & omnis boni in se ad Deū, & ad proximum adeptionem: qualis nunquā fuit ante audita. Ruth. 2. *Vnde hoc mihi, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse dignareris me peregrinam mulierem.* Hoc etiam fecit promissæ rei magnitudo. Magna enim promisit. In plenitudrne gratiæ, in Domini susceptione. In sui super omnes benedictione. Et ipsa in se non sensit, nisi humilia, & ideò turbata. Ruth. 2. *Domine mi consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius famularum tuarum.* Sequitur.

Dan. 10

Ioan. 12

Luc. vl.

Iob 4.

Thob 3.

Iob 31.

Psl. 118.

Ruth. 2.

Ruth. 2

IN

IN SERMONE EIVS.

Ecce causa turbationis, turbatur enim *in sermone*. Non de sermone; quia ea, quæ sermo dixit: ipsa in oratione petiuit, sed quia *in sermone*, sermonem ad eam tam humilem conuertit. Ideò turbata est: fuit enim sermo terribilis in auditu, profundus in sensu, & admirabilis in dictis. Locutio enim Angeli ad Moysen, terribilis fuit. Quod dicit Apostolus Hæbr. 12. *Ita terribile erat, quod videbatur.* Quod ipse Moyses, qui primus inter homines fuit, dicit: *Exterritus sum, & tremebundus.* Et ideò dicitur in Psal. 76. *Vox tonitrui tui Deus in rota.* Hoc est, sonus terribilis Angeli, in Galilea. Iob 26. *Cùm vix stillam paruam sermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius, quis poterit intueri?* Propter quod etiam dicitur Ioan. 12. Cùm blandè de clarificatione Pater loqueretur ad Filium, turbæ astantes existimabant *tonitruum factum esse.* Et similiter Act. 9. Cùm de cœlo Christus loqueretur Paulo, ipse Paulus corruit, & cæteri, qui comitabantur cum eo, *stabant stupefacti.* Ista autem Virgo omnibus constantior, & fortior non cecidit, nec confusionem passa est, sed in sermone humanum, & puellare aliquid passa, est turbata.

Hæb. 12 · *Psal.* 76 · *Iob* 26. · *Ioan.* 12 · *Act.* 9.

Fuit etiam iste sermo profundus sensu. Quia sicut dicit Salomon Prou. 18. *Aqua profunda ex ore viri.* Quanto magis ex ore Angeli, Hæb. 5. *De quo grandis nobis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles sumus ad audiendum.* Iste sermo in dictis fuit mirabilis: est enim omnibus mirabili bus mirabiliùs (quòd cùm dicat Eccl. cap. 7. Quòd *mulierem bonam ex omnibus nō inuenit*, quin potiùs inuenit amariorem morte mulierem) quòd mulier sit aquæductus gratiæ, vas dulcedinis diuinæ, & propagatio benedictionis in omnes. Et ideò poterat dicere Beata Virgo illud Sap. 18. *Magna sunt iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua.* Sequitur.

Pro. 18. · *Hæb.* 5. · *Eccl.* 7.

ET COGITABAT.

Ecce quã discretè se habuit in turbatione. Verè fœliciss ima. Sapiens enim, dicit, quòd fœliciùs est, decenter ferre fortunas, tangit autè hic tria. Rationis, scilicet, actum, qui est cogitatio, & quid cogitabat, & qualiter. Rationis actus (vt dicit Aug.) *Est cogitatio, quasi coagitatio dicta.* Propter collationẽ, quam in ratione fecit. Et propter hoc patet, quòd diximus, quòd ex turbatione in nullo confusionẽ passa fuit; quia confusi, & attoniti conferre de auditis nō possunt. Hæc collatio dicitur Luc. 2. *MARIA autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Sciebat quòd posteà dicturus erat, Ioan. 1. Cant. 4. *Probate Spiritus si ex Deo sint.* Nõ enim probari possunt nisi per collationẽ. Non enim perijt, propter turbationis imminentes tenebras. Nec operuit faciem rationis in corde eius caligo. Iob 23. Et dicit: *Cogitabat*, quia in ipso momento erat in cogitando. Præteritum enim imperfectum actum continuat in præsens. Qualia autem cogitabat.

Luc. 2. · *1. Io.* 4. · *Iob* 23.

QVALIS ESSET ISTA SALVTATIO.

Vtrum videlicet sibi cõgrua, quæ sibi videbatur humilis, & indigna, vtrũ in futurũ expectanda, aut statim speranda. Paruam autem se sentiendo, se filiam Dauid esse probat, quę dixit: *Viliorsiam, & ero humilis in oculis meis*, 2. Reg. 6. Et ideò dixit illud Gen. 22. *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Et illud, quòd posteà dicturus Regulus Matth. 8. *Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum.* Et qualiter ero digna, vt te immittas visceribus meis: *Cogitabat* etiam, vtrùm in futurũ exhibenda, vel statim speranda. Multæ enim consolationes promissæ fuerunt, quę omnes in futurũ expectabantur. Ita quòd tædio victus populus clamabat illud. Esai. 28. *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicũ ibi, modicũ ibi.* Et alius Psal. 12. dicit: *Vsque quo obliuiscéris me in finẽ?* Quasi diceret, obliuius es mei, & si aliquando consolationem per nunciũ mittis, vacua videtur esse consolatio; quia visio in tẽpus longũ, ita quòd ipsi nuntij ex verecũdia se excusant. Moyses quidẽ; quia impeditioris linguæ fit. Esai. *Quia polluta labia habeat.* Ierem. *Quia nescit loqui*, quia puer sit. Et hoc ideò; quia dicitur omnibus, *Vbi est Verbum Domini? veniat*, & ideò etiam ista, *Cogitabat qualis esset ista salutatio.* Ne videretur consolari sanctos, & posteà consolationem in longum differre futurum. Sapiens enim fuit, & in scripturis per Spiritum Sanctum erudita.

Exod. 3. · *Esai.* 6. · *Iere.* 1. · *Iere.* 17.

ET AIT ANGELVS EI.

Non dicit, respondet; quia nihil loquebatur, sed potiùs tacuit, & contulit, vt sapienter proferret sermonẽ. Angelus autem missus à Domino, videns turbatam, & quasi dubiam confirmans dixit.

NE TIMEAS.

Et ista est pars vbi agit de consolatione turbatæ, & dicit duo, confortationem, & confortationis causam: confortationem, cùm dicit: *Ne timeas*, & circa hoc dicit duo, absterſionem timoris, & cognitionem per nomen, in signum specialis dilectionis. Confortationem quidem per absterſionem timoris cùm dicit: *Ne timeas*, & videtur mirabile,

cùm

cum Propheta in Spiritu Sancto loquens dicat : *Timete Dominum omnes Sancti eius,* *Psal.33*
quòd Angelus præsumit dicere : *Ne timeas,* sed ad hoc ante nos, etiam Sancti responderunt. Est timor seruilis, qui est initium sapientiæ, & donum Spiritus Sancti, sicut seta inducit filum, cùm aliud sit de filo, & hic est initium extra. Et est timor initialis, qui est quando facies iudicis sic timetur, vt tamen præsentia ipsius ametur, qui sic timet pœnam, quòd etiam amat gloriam, & hoc est cum Spiritu Sancto ; & de vtroque istorum
1.*Ioã.*4 dicitur. 1. Ioan. 4 *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Est etiam timor filialis, qui timet offensam, cùm filius patrem nolit offendere : & hic est timor Domini, sanctus permanens in sæcula sæculorum ; & est timor sponsalis, quo sponsa, si non semper se decoram, & speciosam exhibeat, timet differri amplexus sponsi : & hic est timor delicatus, semper parans ea quæ delicata sunt sponso, vt continuè sit in
*Cant.*1. delitijs thori, & hoc allegat sponsa, cùm sponsus amplexus differt. Cant. 1. *Lectus noster floridus* Et ille illectus amore sponsæ, & cap-
*Cant.*4. tus decore eius, dicit Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea*, &c. De nullo autem talium timorum hic est mentio, sed sicut diximus in præcedentibus. Timor est hic, non respectu mali, sed respectu magni, qui timor est admirationis, & reuerentiæ. Et hic facit stare cor in aliqua obnubilatione, propter apparentem subitò maiestatem : & hic est, quem auer-
*Ioan.*14 tere nititur hic Angelus à pudore, & humilitate virginali, Ioan. 14. *Non turbetur cor vestrum neque formidet.* Sed mirum est ; quia supra nulla est mentio de timore, sed de turbatione solummodo. Et Angelus inducit timorem, dicens : *Ne timeas*, sed dicendum est ad hoc, quòd, & turbatio est quidam timor reuerentialis, propter fugam cordis in suam paruitatem, ex consideratione vise magnitu-
*Ps.*138. dinis, sicut dicitur in Psalm. 138. *Mirabilis facta est scientia tua, ex me cõfortata est*, &c. Et ex illo timore, quasi dubiam, non tàm confortat, quàm certificat Angelus dicens:
Esai. 7. *Ne timeas.* Esai. 7. *Videne timeas, & cor tuum ne formidet.*

MARIA.

Hic nominat eam ex nomine, vt sciat gra-
*Ioan.*10. tiam inuenisse. Ioan. 10. *Proprias oues vocat nominatim.* Ibidem : *Cognosco meas, &*
2.*Tim.*2 *cognoscunt me meæ*, 2. Timoth. 2. *Nouit Dominus, quæ eius sunt.* Argumentum autem, quare non timendum sit, subiungit dicens.

INVENISTI ENIM GRATIAM apud Deum.

Ecce tria dicit : Quòd inuenit, quid inue-
A nit, & inuentum, vbi reposuit : *inueniſti* inquit, perditam ab Eua, à te quæsitam. Ab Eua quidem perditam ; quia totius mundi gratiam originalem, ipsa perdidit. 1. Thim. 2. *Vir non est seductus, sed mulier in præuaricatione seducta fuit.* Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi : ecce inuenta est amarior morte mulier.* Eccl. 7. A te autem quæsitam diligenter inuenisti. Luc. 15. *Si perdiderit mulier sapiens drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat ?* Mulier hæc B. Virgo est, quæ in Eua perdidit drachmam decimam, ad imaginem summi Regis insignitam, & accendit lucer-
B nam flamma deitatis, operiens in testa assumptæ humanitatis, infundens liquorem pinguissimum deuotionis, & euertens domum creaturarum Dei, donec inuentam demonstraret drachmam, & in ipsa inuenisse se gaudens eum, *quem diligit* anima sua. Cant. 3. Sic igitur, *inueniſti*, non emisti, non meruisti, & quia non emisti, igitur pro nobis accepisti ? legem tene filij : *Gratis accepistis, gratis date.* Marth. 10. Et quia non meruisti, *Mat.*10
meritum non require, sed omnibus iustis gratiam, peccatoribus veniam tribue, dicens. Gen. 24. *Bibe Domine, nam & camellis tuis potum tribuam*, hoc est. Homines, ra- *Gen.*24.
tionabiliter viuentes saluans, & iumenta,
C quæ iumentaliter viuunt. Animalis enim homo, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. 1. Cor. 2. *Apud Deum.* Ecce vbi reposuit in tuto ; quia qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Psalm. 52. *1.Co.*2. *Psal.*52
Qui enim gratiam non reponit apud Deum fatuus est, sicut dicitur Eccl. 20. *Gratia fatuorum effundentur.* Talis enim gratia. *Eccl.*20
Prou. vlt. Vel fallax est, & vana pulchritudo, virtutis popularis, sed *mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* 2. Tim. 1. *Scio cui credidi,* *Pro.vl.*
& certus sum, &c. Hac igitur, dicta sunt de *2.Tim.*1
salutatione.

ECCE.

D Hic incipit agere de annunciatione, & facit duo. Annunciationem ponit, & præconium annunciati. De annunciatione autem dicit tria. Annunciat enim conceptum partum, & nomen. De conceptu dicit : *Ecce*, per aduerbium demonstrandi, notãs, inuisibilem per naturam, futurum esse visibilem, vt dum *visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.* Conceptum autem virginalem notat per Verbum concipiendi. Per hoc, quòd dicit *in vtero*, notat modum conceptionis. Demonstrans igitur, & in euidenti ponens inuisibilem, dicit. Esai. *Esai.*40
40. *Ecce Deus vester, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Quomodo enim inuisibilia esse persuaderet, vel nobis amorem

rem in illam prouocaret, nisi per visibilia, quæ argumentum de inuisibilibus facerent. Baruch. 3. *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, Luc. 2. *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Iob penult. *Auditu auris audiuit te, nunc autem oculus meus videt te*, &c. Segnius enim irritant animum de missa per aures, quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Sic dicit Oratius. De conceptu autem dicit.

Baru. 3 Lucæ 2. Iob penult.

CONCIPIES.

Est autem hic difficultas; conceptus enim est captio duorum seminum permixtorum ad generationem, quorum vnum est agens, & alterum patiens. Hoc autem non est fas dicere de Virgine, de qua cantatur. Quæ sine virili commixtione genuit filium, qui suo mundum cruore redemit. Si autem ad hoc dicatur, quòd concepit corpulentam substantiam Virginis, & spiritum Sanctum, qui illam substantiam formauit. Incongruum est, & illicitum; quia Spiritus Sanctus, eo quod est immensus, non concipitur, nec includitur alicubi. Vnde dicendum, quòd cùm sua corpulenta substantia concepit virtutem Spiritus Sancti, quæ illam corpulentam substantiam primò decidit à sanguine Virginis, & posteà conuertit eam, & formauit, & figurauit, & in membra distinxit, & animauit. Ex hoc autem arguit Eutices, & Nestorius, quòd Spiritus Sanctus Pater sit Filij secundùm humanam generationem, quòd non sequitur; quia Pater est, qui aliquid suæ substantiæ habet in Filio, quæ in Filium conuertitur. Si autem Spiritus Sanctus aliquid sui haberet in Filio, sequeretur, quòd sua substantia esset diuisibilis, & ita ipse non esset simplex, quod absurdum est. Præterea, si esset conuertibilis substantia eius, iam non esset Deus noster æternus, sed temporalis, & corporeus, quòd esset adhuc maior absurditas. Et ideò hoc non est, dicendum. Et ideò dicit Ambr. Quòd cùm dicitur: Christus est conceptus de Spiritu Sancto illa propositio de notat potestatem, & non materiam: Christus enim conceptus est de potestate Spiritus Sancti, & non de substantia ipsius genitus. Sicut cultellus est de ferro, id est, de substantia ferri fabricatus, & Filius naturalis de Patris substantia; & ideò, cùm Filius non sit de substantia Spiritus Sancti, non est Spiritus Sanctus Pater filij. Si enim Filius esset de substantia Spiritus Sancti, oporteret, quòd esset de Spiritu Sancto substantialiter; & cùm etiam Spiritus sit procedens de Filio, oporteret, quòd vterque secundùm substantiam esset de altero, quod est absurdum. Iam enim sequeretur duos Patres esse in Trinitate, quòd vterque esset Pater secundùm substantiam. Quod est inconueniens, & reprobatum in Nicena Synodo. Quòd licet postea prædicauerit Leporinus Monachus, tamen hoc in Concilio Episcoporum Galliæ reuocauit.

Si autem quæratur. Vnde Virgo concepit? Vtrum verbo Angeli, vel de quo? dicendum: quòd non verbo Angeli; quia verbum Angeli in aëre sonuit, & non permansit, & ideò sanguinem eius, nec distinxit separando, nec conuertit, nec formauit. Id autem de quo concipitur, & separat sanguinem, & format, & figurat. Et ideò condemnatum est, quòd cantatur, concipies per aurem, sed cantetur concipies, & paries Deum simul, & hominem; sed concepit de Spiritu Sancto, sicut dicit Symbolum Apostolorum.

Quæritur. Vtrum in conceptione Beata Virgo aliquid efficientis causæ contulerit? Scitur enim, & supponitur ab omnibus, quòd ipsa contulit corpulentam substantiam, ex qua factum est corpus IESV Christi, & dicunt quidam, quòd in materia generationis, quæ fit ex commixtione sexuum, duplex est forma. Vna quarũ dicitur formatiua, & hęc est de substantia Patris. Alia autem est, informatiua, quæ est de substantia Matris. Et dicunt, quòd formatiua agit, & operatur per se, distinguendo sanguinem, & conuertendo, & formando, & figurando. Informatiua autem subagit, & suboperatur per modum ministrantis. Et ideò non agit nisi excitata, & tunc sub ministrat. Et hęc est sentẽtia Galieni. Non tamen est hæc sententia Aristotelis, & Philosophorum, qui secuti sunt eum in sciẽtia naturali. Sed potiùs, quòd sola virtus informatiua est in gutta Patris. Nec aliqua vis formatiua, vel informatiua est in gutta Matris, nisi sit forma confusa, & indeterminata, & indistincta. Et ideò nihil agit pœnitus, nec subministrat, sed agitur in eam per guttam viri. Gutta enim viri intrat in guttã fœminæ, sicut spiritus in corpus. Quia etiam gutta Patris, conuertitur in spiritum, & intra viscositatẽ guttæ maternæ continetur. Operãs distinguendo, cõuertendo, formando, figurando, & cæteras operationes in ea faciẽdo. Ita in conceptu virginali totam operationem, & actionem damus virtuti Spiritus Sancti, & corpulentam substantiam, de qua operatus est Spiritus Sanctus Beatæ Virgini; & ideò ipsa est verè Mater Dei; quia Deus ipse est de sua substantia factus homo. Nec tamen Spiritus Sanctus est Pater Christi; quia nihil de substantia Spiritus Sancti est conuersum in filium: *Hæc est fides Catholica*, circa conceptum Christi: *Quam nisi, quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* Hinc est etiam, quòd *nescit tarda molimina Spiritus Sancti virtus, & gratia.* Ideò Spiritus Sanctus non est operatus paulatiuè, vt natura, sed simul in vno momento

to corpulentam ſubſtantiam à corpore Beatæ Virginis diuiſit, & formauit, figurauit, animauit, & diuinitati vniuit; & ideò Virgo Beata ſimul in vno momento concepit virum perfectum in figura lineamentorum, & anima, & gratia, & virtute, & ſapientia; quia Chriſtus nunquam profecit in aliquo iſtorum, niſi ſicut dicitur profeciſſe in facie hominum, quando plus vno die oſtendit ſapientiæ, & gratiæ coram hominibus, quàm alio, licet proficeret in vtero, & extra vterum in corporis, & membrorum quantitate. Et quid quid vnquam meruit, nobis ab inſtanti meruit conceptionis. Et hoc eſt, quod dicitur *Hier.31* Hierem. 31. *Nouum faciet Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum.* Numero, & figura lineamentorum, & anima, & deitate, & gratia, virtute, & ſapientia perfectum. Quod præ omnibus nouis nouiùs, & omnibus mirabilibus mirabiliùs. Deficiebat enim ſola quantitas perfecta, propter vteri neceſsitatem, & ſicut primus Adam de manibus Dei extitit perfectus. Ita ſecundus de manibus Dei conſtitutus eſt perfectus, vt demus magnificentiam Deo noſtro; *Deu.32* quia *perfecta Dei ſunt opera.* Deut. 32. Et ſciamus congruum eſſe nomen concepti, *Eſai. 8.* Eſai. 8. *Et dixit Dominus ad me, voca nomen eius accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari; quia ante quam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, aufertur fortitudo Damaſci.* Adhuc enim intra viſcera conceptus detraxit, & abſtulit ſpolia naturæ noſtræ: nò ſolum ad deitatis reconciliationẽ; ſed etiã ad vnionem cũ natura diuina. Magnus prædator Chriſtus, qui totum, quod poſſederat Diabolus, ſimul vno momento traxit ad ſe ipſum. Duo autem notantur per hoc, quod dicit.

CONCIPIES IN VTERO.

Præpoſitio *in*, continentiam notans, vult quòd intra vterum effectiua cauſa fuerit conceptus, & non ab extrinſeco, ſicut in fœminis, quæ lege naturæ concipiunt. In his ab extra immittitur, vnde concipiant, quòd in iſto conceptu impium eſt dicere, ſed Spiritus Sancti virtute. Florens enim virtutum, & honorum aromatibus, hic vterus non defloret, ſed florebit in æternum apud Dominum; & ideò horto florigero comparatur. Sicut enim Virginem cum Angelo contemplati ſumus in cubilibus dilecti ſalutatam, ita nunc contemplemur eam in hortis aromatum in conceptu. Verè enim vterus ille hortus eſt, flos campi de radice Ieſſe, flos in quo tota refloruit ſalus noſtra. In decem autem hic vterus horto comparatur. Eſt enim hortus concluſus ſigillo caſtitatis perpetuæ. Si- *Cant.4.* cut dicitur Cant. 4. ***Hortus concluſus, fons*** A *ſignatus.* Cui nunquam, vt dicit Origen. communicauit alienus. Iſte hortus eſt Paradiſus Domini, eo quòd omnia ſpirat propter aromata virtutum. Cant. 4. *Emiſſiones tuæ Paradyſus malorum punicorum,* &c. *Can. 4.* Secundo eſt hic hortus foſus ſarculo omnis diſciplinæ. Eſai. 28. *Proſcindet, & ſarriet humum ſuam.* *Eſai.28* Diſciplina autem notatur virtutum, & meritorum exercitium. Hebr. 12. *Omnis enim diſciplina in præſenti quidem videtur, non eſſe gaudij, ſed meroris. Poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ.* *Hæb.12* Sic enim intelligimus Virginem *euntem ire, & flere, mittentem ſemina ſua.* *Pſ.125.* Quæ poſteà in gaudio meſſuit in floren B tibus, & benedictis aromatibus, quæ protulit in cœlum, & in mundum. Tertio, iſte vterus eſt hortus poſt exercitium diſciplinæ, adæquatus virtutum omnium æqualitate. Omnis enim virtus in æqualitate quadam conſiſtit. Eſai. 28. *Nonne; cùm adæquauerit faciem eius ſeret gith, & cyminum ſparget.* *Eſai.28* Æqualis eſt enim tota ſuperficies huius agri, quæ nunquam intumuit proſperitate, & aduerſitate non decidit, & in mirabilibus Dei ſibi propoſitis nunquam à mentis excidit æqualitate, eo quod extenſa ſit ad perpendiculum. Quarto eſt, ſicut hortus irriguus, vndique fluente in eam fluminis impetu, quitotam lætificat ciuitatem Dei. Eſai. 58. *Eris* *Eſai.58* C *ſicut hortus irriguus, cuius non deficient aquæ.* Hier. 31. *Anima noſtra erit ſicut hortus irriguus.* *Hier.31* Eccl. 24. *dixi: Rigabo hortum plantationum.* *Eccl.24* Et quod mirum eſt, factus hortus eſt in ea fons vitæ, *irrigans vniuerſam ſuperficiem Paradyſi.* *Gen.2.* Quinto, hortus ille eſt irroratus Angelica ſalutatione, & omnium cœleſtium virtutum familiaritate. Eſai. 26. *Eſai.26* *Quaſi ros lucis, ros tuus* Oſeæ 14. *Ero quaſi* *Oſeæ 14* *ros, & Iſrael germinabit quaſi lilium.* Eſai. *Eſai.45* 45. *Rorate cœli deſuper,* &c. Sexto, compluD tus eſt pluuia Prophetarum. Eſai. 45. *Nubes* *Eſai 45* *pluant iuſtum.* Pſal. 67. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* *Pſal.67* Septimo, euocata eſt terra iſtius calore, & flatu Spiritus Sancti. Pſal. 111. *Audiẽt verba mea,* *Pſ.111.* *quoniã potuerunt.* Hoc eſt, efficaciter valuerunt, ſicut *craſsitudo terræ, erupta eſt ſuper terrã.* Sicut patet in vere, quãdo intima terrę euocantur, & erũpunt ad ſuperficié, ad modũ vermiculorum. Eſai. 45. *Aperiatur terra, &* *Eſai.45* *germinet Saluatorem.* Octauo eſt impinguatus adipe deuotionis. Pſalm. 62. *Sicut adipe,* &c. *Pſal.62* Nono ſeminatus eſt verbi conceptione. Matth. 14. *Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* *Mat.14* Et ibidem *Semen eſt Verbum Dei* Gen. 26. *Seminauit Iſaac in terra illa, & in-* *Gen.26.* *ueniet in illo anno centuplum.* Decimo, terra iſta optima omni perfectione ſanctificationis. Matth. 13. *Semen cecidit in terram bo-* *Mat.13* *nam.* Pſalm. 84. *Dominus dabit benignita-* *Pſal.84*

tem,

tem, & terra nostra dabit fructum suum. A Hic hortus, nunquam fuit à malis stirpibus purgatus; quia nulla pœnitus spina, & plantę adulterinæ intrauerunt in eam; sic ergo. O Virgo gloriosa, concipies in vtero florigero, concipiens florem.

ET PARIES FILIVM.

Qui habet in cœlo Patrem, in terra autem vteri tui habet Matrem. Sicut, & alij omnes flores secundùm Pythagoram, solem habent in cœlo Patrem, & terram Matrem.

ET VOCABIS NOMEN EIVS IESVM.

Ecce annunciatio de nomine, & cum omne nomen habet rei proprietatem hoc nomẽ præ omnibus, à proprietate, & actu, & effectu salutis, est vocatum. Nomen verò mirabile, quòd à Deo Patre per generationem æternam filio datum est, à Patriarchis præsignatum, à Prophetis præmissum, & ab Angelo vocatum, à Matre Virgine impositum, à Ioseph nutricio pueri, promulgatum; ore omnium fidelium vulgatum; ab omnibus sanctis desideratum, & à Beatis in patria in gaudium æternũ glorificatum. A Patre enim per generationẽ ęternã est filio datum, sicut
Esai.61 habes Esai. 61. *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* A Patriarchis præsignatum: duo enim magnifici viri huius nominis præcesserunt, & tertius, qui nominis interpretationem magnificè exhibuit.
Zach.3. Iesus Sacerdos magnus, qui populum à Babylonica seruitute reduxit. Zach. 3. & Iesus filius Naue, qui populum in terram promi-
Ios.1. sionis introduxit. Ios. 1. *Confortare, & esto robustus. Tu enim sorte diuides populo huic terram pro, qua iuraui patribus tuis, vt traderem eam illis.* Tertius fuit Ioseph filius Iacob, qui saluans mundum à periculis famis: *Saluator mũdi lingua Ægyptiaca ap-*
Gen.41. *pellatus est.* Gen. 41. Et hęc omnia veritate impleuit noster IESVS: *Qui saluum facit*
Mat.1. *populum suum à peccatis eorum.* Matth. 1. Tanquam à cõfusionis æternæ populum seruitute liberans, & populum introduxit in
Exo.15. cœlum, tanquam in terram promissionis, sicut dixit Moyses Exod. 15. *Introduces, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quòd operatus es Domine sanctuarium tuum, Domine, quòd firmarunt manus tuæ.* Hic etiam à fame Verbi Dei, gratiæ, & Eucharistię populum suum saluauit, dans panem, & vinum, *qui de cœlo*
Ioan.6. *descendit*, vt det vitam mundo. Ioan. 6. Sap.
Sap.16. 16. *Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem.* Hoc etiam à Prophetis est promissum. Abac. 3. *Abac.3.* *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo.* Ab Angelis etiam vocatum est concinentibus millibus Angelorum. Inferius. 2. cap *Natus est vobis hodie Saluator*, qui interpretatur IESVS, *& subitò facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum.* A Matre Virgine impositum, Luc. 1. *Vocabis nomen eius IESVM.* *Lucæ 2.* *Lucæ 1.* Luc. 2. *Vocatum est nomen eius IESVS Quòd vocatum est ab Angelo, priùs quam in vtero conciperetur.* A Ioseph patre putatiuo promulgatum. Matth. 1. *Pariet quidem filium* (dixit Angelus Ioseph) *Et vocabis nomen eius IESVM.* Ab ore omnium fidelium est
B vulgatum. Quia Cant. 1. *Oleum effusum nomen eius, super fœmur tuum potentissime.* Quòd salubriter omnibus salutarem profudit salutem. Ioel. 2. *Omnis quicumque nomen Domini inuocauerit, saluus erit.* Ab omnibus autem sanctis desideratum. Esai. 26. *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.* Luc 2. *Viderunt oculi mei salutare tuũ.* Hoc est, IESVM. Et quod ille iustus in desiderio vidit. Iacob in desiderio expectauit Gen. 42. *Salutare tuum expectabo Domine.* Hoc est IESVM, qui salutare interpretatur. Et omnis vtriusque sexus in desiderio invocat, IESVS enim mel in ore; melos in aure, & in corde iubilus, vt dicit Bern. Hoc nomen etiam à Beatis in gaudium æternum est
C glorificatum, Phil. 2. *Dedit illi nomen, quòd est super omne nomen, vt in nomine IESV, &c.* *Cant.1.* *Ioel.2.* *Esai.26* *Lucæ 2.* *Gen.42.* *Phil. 2.*

HIC ERIT MAGNVS.

Ecce præconium annunciati, qualiter enim pariet filium, & supra dictum est, qualiter sine media parturitione peperit; & infrà, erit oportunum dicere, quis filius sit. In præconio autem isto tria continentur. Dignitas ex magnitudine maiestatis; hæreditas, diuinæ altitudinis, & Regnum honoris. Dignitas maiestatis describitur, cùm dicitur: *Hic erit Magnus.* Et videtur hoc contrarium esse
D prophetię Esai. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Paruulus enim minor est paruo; paruum enim, & magnum contrarias habent rationes circa quantitatem dictas. Nisi fortè dicatur, quod Propheta loquitur secundùm tẽpus nouitatis, & Euangelista de tempore futuro perfectæ ætatis, quòd nihil est. Dominus enim noster non fuit enormis in quantitate corporis, & ideò dicendum, quòd paruus, & magnus est. Paruus humilitate, & magnus maiestate. Paruus assumpta humanitate, & magnus, siue immẽsus maiestate, siue æternitate, Iob. 3. *Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus, & liber à Domino suo.* Sicut, & Psal 48. Dicit: *Simul in vnum diues, & pauper.* Et in *Esai.9.* *Iob.3.* *Psal.48*

Pro. 22 Prou. 22. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi.* A
2. Cor. 8 2. Cor. 8. *Propter nos egenus factus est, cùm esset diues*, &c. Sic ergo *Magnus erit*, & est *Magnus*. Erit quidē in notitia hominum cū innotescet; est autem nunc in deitate occulta sub assumpta paruitate. *Magnus* ergo erit, & crescet super magnum Ioannē; quia sub magno Deo. Magnus Ioannes paruus erit, & minor minimo, qui futurus est in Regno suo. Nisi enim diminueretur Ioannes, vt ante diximus, non cresceret Christus, & Regnū eius; & hoc maximè in ostensione est maiestatis, in miraculis. In his enim minimus in Regno Christi maior fuit Ioanne. Et hoc conueniebat Præcursori, vt ante diximus. Est autem hæc magnitudo in sex. Quia *Magnus* diuinitatis ambitu, & *Magnus* accepto præ alijs spiritu. *Magnus* sui nominis effectu. *Magnus* omnis virtutis profectu. *Magnus* gloriæ, & diuitiarum spiritualium apparatu. *Magnus* dignitatis excellentiæ factu. Quod enim magnus sit diuinitatis ambitu Psal. 112. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat*, &c. Et idem. *Quoniam Deus magnus Dominus*, &c. Hanc autem magnitudinem omnia ambientem comprehendit Apostolus in
Eph. 4. quatuor. Eph. 4. Vbi dicit. *Vt positis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Scire etiam super eminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* In hac enim magnitudine latitudo est potestatis: *Quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter. Et disponit omnia suauiter.*
Sap. 8. Sap. 8. Longitudo autem est extensio, & immensitas æternitatis, quæ includit, & excellit omne ęuum, & tempus. Sicut enim nunc temporis includit omnē locum, & quidquid est in loco, ita nunc æternitatis includit omne ęuum, & tempus in præteritis, futuris, & in præsentibus. Sublimitas autem est celsitudo gloriæ, & honoris, 1. ad Thim. 1. *Regi sæculorum immortali, inuisibili soli Deo honor, & gloria*, Luc. 2. *Gloria in excelsis Deo.* Profundum autem est abyssus sapientiæ, & iudiciorum Dei: *Iudicia enim Dei abyssus multa,* D
Rom. 11 ad Rom. 11. O *altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* (Altum enim, & profundum idem sunt) *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius*, &c. Est etiam *Magnus* accepto præ
Ioan. 3. alijs spiritu. Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum filio, sed alijs dat ad mensuram diuidens singulis, prout vult.* 1. Cor.
1. Co. 12 12. Vnde etiam Esaias, qui tamen spiritū ad
Eccl. 48 mensuram accepit. Ecc. 48. dicitur: *Spiritu magno vidisse vltima, & consolatus esse lugētes in Sion.* Est etiam *magnus* nominis sui effectu, quòd est IESVS, quòd interpretatur
Mat. 1. Saluator. Quia Matth. 1. *Saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ecc. 46. *Magnus IESVS secundùm nomen suum in salutem electorum Dei.* Exo. 15. secundùm aliam translationem. *Glorioſsè magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare.* Hoc est, in IESVM, quia IESVS, salus, vel Saluator interpretatur. Est etiam *Magnus* virtutis profectu. Cum enim omnis virtus sit, vel humana, vel heroica, vel contemplatiua, hic super omnes virtutem diuinā accepit. Psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus eius*, &c. Et cùm laudabilium bonorum sit virtus, propter excessum suæ virtutis, dicitur *Magnus, & laudabilis nimis.* Et ideò Exod. 15. *Magnificus in sanctitate, terribilis, atq; laudabilis*, &c. Iob. 5. *Qui facit magna, & inscrutabilia*, &c.

Exo. 15
Psal. 146.
Exo. 15.
Iob 5.

B Est adhuc *Magnus* diuitiarum fastu, quo transgreditur omnes. Vnde Prou. 8. *Mecum sunt diuitiæ, & gloriæ, opes superbæ, & iustitia.* Superbum dicitur, quasi super vnum; quia transgreditur omnes diuitias, & hæ diuitiæ sunt in possessione pulchrorum bonorum. 3. Reg. 10. *Magnificatus est Rex Salomon diuitijs, & sapia, & gloria super omnes Reges vniuersæ terræ. Et omnis terra desiderabat videre vultum Salomonis* nostri, veri, pacifici vultum deprecabantur *omnes diuites plebis: Vt de plenitudine eius omnes accipiant gratiam pro gratia.* Ioan. 1. Est tandem *Magnus* magnitudine dignitatis Regiæ. Psal. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus,*
C *& Rex magnus*, &c. Dij enim vocantur Prælati in dignitate super alios exaltati. 1. Cor. 8. *Si quidem sunt dij multi, & Domini nobis, tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex illo, & vnus Dominus IESVS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ideò dicitur Hier. 10. *Magnus tu, & magnum nomen tuum, quis non timebit te, ò Rex gentium?* Sic ergo erit *magnus.*

Pro. 8.
3. Re. 10
Ioan. 1.
Psal. 94
1. Cor. 8
Hier. 10

ET FILIVS ALTISSIMI vocabitur.

Hic commendat ab hæreditate diuinitam, & refert futurum, ad notitiam hominis, sicut ante dictum est. Dat autem Deus dona quædam alta, in quibus, & ipse altus dicitur. Et dat quædam altiora, propter quod altior prædicatur. Et dat altissima, quæ per superabundantiā dicta vni soli cōueniunt. Alta sunt enim ea (quæ vocātur gratis data) quæ tam corporolia, quàm spiritualia cōfert omnibus; quia nullus est, quoad hoc, qui se abscōdat à calore charitatis eius. Sicut enim dicit Ps. 92. *Quòd mirabilis in altis Dominus,* Psal. 92
& sic habitat in altis, & humilia respicit in cœlo, & in terra. Omnē imperfectionē, & humiliationē donis suis releuans. Altiora autē dona sunt gratię gratū facientes, quibus sanctitatem in homine perficit, & altiores. sanctos ipse Dominus altos facit. Eph. 4. *Ascendens in altum Dominus, captiuam duxit captiui-* Eph. 4.

tiuitatem. Ascendens autem in altum, altior efficitur; quos saltu plus exaltatur. Psal. 63. *Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* De altissimo autem sui protulit dona filij, cui dedit gratiam in dextera sua exaltari in potioribus, & potissimis bonis, altissimũ fieri. Vnde Luc. 2. filio nato cantant Angeli: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc enim quod Esai. 14. Per rapinam concupiuit Diabolus, per hæreditatem datum est filio, quòd conscendat in cœlum, & super omnia astra cœli, in æqualitate Patris ponat sedem, & similis sit altissimo. Hic ergo altissimus in se, & in donis gratiæ, non habitualis, sed vnionis est; cuius *Filius* per adoptionem altissimorum IESVS noster vocabitur; *Filius*, in quã æterni Patris imago in diuinis, eo quod secundũ naturam *Filius* est hæres. *Filius* primogenitus, & fratruum Princeps. *Filius* primogenitus omnis creaturæ. *Filius* primogenitus mortuorũ. Solus inter mortuos liber. *Filius* vnigenitus. *Filius* dilectus, in quo Pater sibi complacuit, omni duritia in omnes modos deposita. Æterni enim Patris est imago Dei indifferens; quia Apostolus dicit: quòd est *imago Dei inuisibilis.* Eo quod in Christo prę fulget omnis decor sanctitatis Patris. Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genuite, in splẽdoribus sanctorum.* Hoc est, ex fæcunditate protuli per generationem substantialem ante omnem ortum lucis Angelicæ; cœlestis, & humanæ, & mundanæ, splendentibus in te omnibus radijs sanctitatis diuinæ, Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Sicut enim dicit Psal. 49. *Pulchritudo enim agri mecum est.* Et Boecius. *Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse.* Nec vnquam faceret mundum, intellectualis Deus, nisi mẽtali verbo ab eodem genito priùs apud se mundum gestaret. Et similiter, quantum vnicuique est possibile, imagine formaret, quæ producit in esse. Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonũ.* Sic enim Pater dixit ad eum. *Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Hic est hæres paternæ gloriæ, sicut, & impij Iudæi profitentur Matth. 21. *Hic est hæres: venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Sic enim dicitur ad Col. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in Regnum filij dilectionis suæ.* Nunquam enim possent esse filij adoptionis, nisi esset *Filius* verus, & naturalis. *Filius* enim adoptionis, in ius filij est assumptus. Etsi nullus sit *Filius*, in nullũ ius assumeretur *Filius* adoptiuus. Propter quod etiam secundùm leges humanas adoptare non potest, qui nõ habet filium, vel qui impotens est ad habendũ filium. Adoptione igitur facti sumus filij, & hæredes: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. Est etiam hic *filius* primogenitus, ius habens primogenituræ, Hæb. 3. *Christus fidelis est in omni domo patris tanquã filius, quæ domus sumus nos.* Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,* &c. Est etiã primoginitus omnis creaturæ. Colos. 1. Ecc. 24. *Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* Non enim exiret in esse creatura, nisi ad imaginem, & formã, quam habuit in mente opificis, sicut dictum est. Et ideò verissimè dicitur, quòd si filius non dicatur ab ęterno genitus à patre, sequitur mundum per creationẽ à Deo non exiuisse: quod est absurdum: & hæc est sententia Basilij. Hic etiam est primogenitus fratrum. Vnde Apostolus Rom. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, qui omnes in adoptionem filiorum Dei per filium naturalẽ vocati sunt,* Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,* &c. Vsque *sed ex Deo nati sunt.* Ioan. 20. *Vade, & dic fratribus meis: ascendo ad Patrem meum, & patrem vestrum.* Hæb. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Est etiam iste *Filius* vnigenitus, Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriã,* &c. Basilius, vnigeniti, qui secundo genitum non habet, & ideo, cum altero paternam gloriam non diuisit, sed totũ possedit affectum paternum, simul, & gloriã cum nullo diuidens. Hic est *Filius* dilectus, in quo Pater sibi complacuit: mundum reconciliare sibi omnia, & turbatione deposita. Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sic ergo *Filius altissimi vocabitur.* Et tu merito adoptionis *filius* altissimi vocaberis. Si discordantes ad concordiam vocaueris. Inimicos dilexeris, & pauperum misereberis. De primo horum dicitur Mat. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* De secundo, ibidem: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* De tertio Eccl. 4. *In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi.* Sequitur.

Luc. 2. Esai. 14. Pſ. 109. Ioan. 1. Pſal. 49 Pſal. 44 Mat. 21 Col. 1. Rom. 8. Col. 1. Ecc. 24. Lom. 8. Ioan. 1. Ioã. 20. Ioan. 1. Mat. 17 Mat. 5. Eccl. 4.

Et dabit illi Dominus Deus sedem.

Præconium est annunciati, quantũ ad potestatẽ honoris regalis, & dicit tria collationẽ, scilicet, sedis regalis, actũ regiminis, & durationem æternitatis. De sede dicit quatuor. Quis videlicet conferet; quia Dominus Deus. Qualiter videlicet cõferet; quia gratis dando. Quid conferet; quia *sedẽ*: & quo iure; quia hæreditario ex Dauid patre suo. Dicit igitur, quòd *Dominus*, qui potest, & *Deus*, qui scit idonee conferre, & vult omnibus per eum prouidere. Conferet enim *Dominus*; quia sicut iam ante habitum est, & Præsidentem nominat, & diuitem, & non nutantem.

Et

Et ex hoc, quòd præsidet, ius habet prouidendi. Ex copia autem diuitiarum, habet vnde prouideat. Et ex robore, multitudines regendas continente, suum est vocare eos, qui secum regendo multitudines contineant. Deus autem sicut dicit Damas. Dicitur, vel, quia prouidet, & videt omnia; vel quia curat de omnibus, vel quia circuit omnia. Theos enim Græcè, vel videre; vel ardere sonat. Thea sic, autē sonat circumire. Videt enim omnia, & ideò scit, quis sit idoneus ad regendum. Hebr. 4. *Omnia nuda, & operta oculis eius, ad quem nobis sermo.* Eccl. 23 *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem circunspicientes omnes vias hominum.* Quod autē cura sit sibi de omnibus, & ideò nobis in tali prouidere velit. Sap. 6. *Pusillū, & magnū ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.* Quod autē circumeat, & cōsideret, & diligentiam ponat, vt vtilē inueniat. Eccl. 24. *Girum cœli circumiui sola.* Sic ergo scit, quis sit vtilis, & talem vult, & ostendit, vt vtiliter circumeat cum IESV *Per vicos, & castella, & ciuitates, prædicans Euangelium Regni*, Matth. 4. Cant. 3 *Circumibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea.* Quid autem dabit, subiungit, quia *sedem;* est autem omnis cathedra, sedes. Sed non conuertitur, & omnis thronus cathedra, & & sedes, sed nō cōuertitur. Thronus enim regū, cathedra, sedes. Cathezizātiū, hoc est, docētium, thronus autem sedes regū; & ille tenetur docere ius, & in quiete promulgare. Propter quod præcipitur. Iudicibus, vt sedendo pronuncient sententiam. Quies ergo iudicantis, accipitur per sedem: doctrina autem iustitia per cathedram, & thronus dicit dignitatem Regiam. De sede Apocal. 4. *Sedes posita erat in cœlo.* De cathedra. Ps. 106. *Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum*, de throno. Psal. 9. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Christus autem Dominus, qui de se dicit: *Vos vocatis me magister, & Domine, & benedicitis. Sum etenim.* Habet, & tronū, & cathedram, & cùm dicatur de eo. Esai. 42. *Quòd non contendet, neque clamabit, nec audietur foris vox eius, sed quietus requiescet super humilem, & quietum.* Habet etiam sedem, vel forte omnia tria hæc comprehendens, dicit, *sedem.* Hæc sedes significatur. 3. Reg. 10. Vbi dicitur: quòd *thronum fecit sibi Rex Salomon ex ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus, & sumitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde.* Ebur enim candens innocentiam significat Regis: qui talis est, de quo nullus vnquam conquæstus est. Aurum autem fuluum nimis, est sapientia Dei in Rege nostro ad faciendum iudicia. Sex autem gradus, quibus ascenditur, sunt sex modi iudiciorum, quibus Regnum regitur, & continetur. Quorum vnus gradus est, iustitia directiua operum in communibus. Secundus est, iustitia solutiua, & custoditiua legum in casibus emergentibus. Tertius est, præceptiuus legum in communibus. Quartus est, ordinatiuus potestatum maiorum, & minorum. Quintus, præparatiuus acierum, & tyronum ad contritionem insurgentium. Sextus, & vltimus, est regitiuus præsidentium in regnantibus penes quos summa consistit negociorum, & regiminis. Primus fit per iustitiam duplicem commutatiuam, videlicet, & distributiuam. Secundus, fit per eam, quam Græci vocant epicheiam, hoc est, super iustitiam. Tertius per legislatiuam. Quartus, per potestatiuam. Quintus, per eam, quæ de re militari pertractat. Sextus autem, per eam, quæ est dominatiua vocata iustitia. Nunquam enim Regnum est integrum, nisi sex ista contineat. Et de prima quidem dicitur Esai. 32. *Ecce in iustitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt*, reddendo videlicet in causis vnicuique, quòd suum est distributiuè, vel commutatiuè. De secunda iustitia expresse habetur. 1. Mach. 2. Vbi populus legem tenens, Sabbati occisus est. Mathathias autem soluendam aliquando Sabbati legem, iudicans populum saluauit. De tertia iustitia Esai. 33. dicitur, *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.* De quarta dicitur Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: ergo qui *resistit potestati Dei, ordinationi resistit.* De quinta Hier. 11. dicitur: *Dominus Sabaoth.* Hoc est, exercituum, per quos potestates aereæ debellantur. Psalm. 23. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Hoc est, exercitum in virtute contrarias potestates conterentium. De sexta dicitur. Hier. 23. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et qui hæ sex nō habet, ascendere ad regendum nō debet. Non enim Rex est, qui in se rectus, vt Dominus non est. Nec Rex est, qui virtutem exercitus non habet. Nec item Rex est, qui non habet ordinem potestatum in Ducibus, & Comitibus, & Præsidibus; & alijs huiusmodi potestatibus. Nec iterum, Rex est, qui leges non condit. Rex etiam non est, qui vbi tenenda, & soluenda est lex ignorat. Nec iterum Rex est, qui nec secundùm æquale distributiuum, nec secundùm æquale commutatiuum, iustitiam conquerentibus reddit. In his sex gradibus, duodecim sunt leunculi hinc, & inde; leo enim est animal terribile; & sunt duodecim iniuriæ, quæ cōtrariantur huius-

Hebr. 4. *Sap.* 6. *Eccl.* 24 *Math.* 4 *Cant.* 3. *Apo.* 4. *Ps.* 106. *Ioā.* 13. *Esai.* 32. *Esai.* 33 *Mac.* 2. *Rom.* 13 *Hier.* 11 *Psal.* 23

huiusmodi iustitijs, deterrētes. Primæ iustitiæ, quæ redditur in cōmanibus duæ iniuriæ opponuntur. Magis videlicet accipere, quàm dedit in commutatione, vel magis, quā dignitati congruit in distributione: Et has iniurias deterrent duo leones: hoc est, duæ æqualitates, à quibus inflexibilis est animus iudicis. Contra secundā iustitiam duæ sunt iniuriæ, dum, aut indiscreta lex omnino, iudicatur esse tenenda, aut ex iniuria de obseruantia legis nihil curatur. De prima dicitur: *Noli esse nimis iustus, sed iustitiæ tuæ pone modū.* Oseæ 8. De secunda Oseæ 8. *Scribam multiplices leges meas, quæ velut alienæ reputatæ sunt.* Eccl. 7. Contra tertiā iustitiam duæ sunt iniuriç. Impias videlicet leges, scribere, aut calūniosas. B De quibus dicitur Esai. 10. *Væ, qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei.* Esai. 10 In vtroque gradu sunt duo leones, dum iustus Rex facit teneri legem, & solui pro loco, & tēpore. Et iustas, & æquas absque calumnia cōdit leges. Contra quartam sunt duæ iniuriæ, dum potestates imperant in acceptione personarū: aut in cupiditate munerum. Leones ista vicia deterrentes sunt, ita paruum, vt magnum audire, & sine muneribus velociter exhibere, quòd iustum est. Contra quintam sunt duæ iniuriæ, dum miles, aut violentiam infert, aut remissus miles fugit ab acie. Leones verò C deterrentes sunt strenuitas in hostes, & humanitas in ciues. Contra sextā sunt duæ iniuriæ, vt dum dominatus, aut vilipenditur propter paruitatem (aliàs perditione) authoritatis: aut propter efferationē elationis. Leones autē hæc vicia deterrentes sunt authoritatis firmitas. Et odiū in malos subiectos, & mansuetudo in bonos. Quia, & dominatus non nisi propter inferiores accipitur. Et tamen Dominus per naturā illi cui præsidet similis inuenitur. Et ideò dicit Pet. 1. Can. 5. *Non, vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* 1. Pet. 5 Iste ergo est thronus, in quo sedet: per istos gradus ascēdens; habes adhuc duos leones tenentes brachia, & manus appo D diatas ex latere. Quorū vnus est dignitas Regia. Significata in leones Regali potestate (aliàs proprietate.) Et alter est maiestas terribilis malis, significata in leonis maiestate. Prou. 20. *Rex, qui sedet in solio iudicij dissipat omne malū intuitu suo.* Pro. 20. Manus autē hominis retrocipientes, humanitatē lenitatis, & rationabilitatis in occulto, in corde significant in Rege. Rotūditas verò throni similitudinē significat æterni regni: cui se bonus Rex quā tū potest cōformat. Iste est ergo thronus sibi collatus Hier. 17. *Soliū gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ expectatio Israel.* Hier. 17 Quo iure autē deuoluitur ad ipsum thronus iste, siue sedes subiūgit, dicens,

A *DAVID PATRIS EIVS.*

Et hoc propter quatuor virtutes in Rege Dauid (in quantum ipse Rex est) existentes. Vna quarū est, misericordia pauperū defendendorum. Secunda est, amor iustitiæ regendorum. Tertia est, odium iniquitatis conterēdorum. Et quarta est, clementia inimicorum pro iniuria personali, non publica persequentium. De prima dicitur. 1. Reg. 22. *Conuenerunt ad Dauid omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* 1. Re. 22 Esai. 16. 16. *Præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate: in tabernaculo Dauid, iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quòd iustum est.* Esai. 16 Misericordia enim pauperum defendendorum debet mouere Regem ad suscipiendū Regnū, vt dicat in corde suo illud Ps. 9. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Psal. 9. De secunda dicitur. 1. Reg pen. Cum dicerent viri procedentes ad bellum, quòd viri remanentes ad sarcinas non deberent accipere portionem in spolijs, sed deberet eis sufficere, quod quilibet acciperet sua. Dixit Dauid, quòd æqua deberet esse portio: *Remanentis ad sarcinas, & procedentium ad bella. Et similiter diuident: & factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, quasi lex in Israel, vsque in diem hanc.* 1. Re. 30 Deut. 16. Semper in corde debet dicere Rex iustè: *Quod iustum est exequeris, & nulla erit personarum distantia.* Deu. 16 De tertia habetur 3. Reg. 2. Vbi ex odio iniquitatis fecit interfici Ioab filium amitæ suæ, qui occiderat proditiosè duos viros iustos, & meliores se. Et de his duobus simul dicitur in Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem,* &c. Psal. 44 De quarta habetur. 22. & 24. Primi Reg. Vbi bis traditus est Saul in manus eius. Et semper clementer pepercit eidē. Psal. 119. *Cùm his, qui oderāt pacem eram pacificus,* &c. Iste autem *Dauid* Pater IESV, dicitur eo quòd ab ipso descendit, secundùm corpulentam substantiam; & quia hæres suus erat: secundùm illud Matth. 15. *Miserere mei Domine fili Dauid.* Matth. 21. *Osanna filio Dauid,* &c. Sequitur. 3. Reg. 2. 1. Re. 22 & 24. Ps. 119. Mat. 15 Mat. 21

ET REGNABIT.

Præconium est ab actu regiminis: dicit autem duo, Regnum, & super quos regnat. Regnare autem IESV nihil aliud est, quàm legēs suas, & potestatem indicere his, super quos regnat. Illas autem leges indicit suis tribus modis. In corde videlicet, & in aure; & indocendo, quòd lex impleatur, vbi vacua esse monstratur. In corde scribit per spiritum. In aure per Verbū prolatū: implere autem

tem legem docet per mysteriũ. De scriptura
Hier.31 cordis Hier.31. *Dabo legem meã in visceribus*
Hæb.8. *eorũ, & in corde eorũ scribã eam.* Et ad Hæb.
8. *Dabo leges meas in mentẽ eorum: & in cor-*
Esai.8. *de eorũ superscribam eas.* Esai.8. *Signa legem*
in discipulis meis. Sic enim oramus, vt adue
Mat.6. niat Regnũ Patris, *qui est in cœlis*, Matth.6.
2.Cor.3 2.Cor.3. *Epistola nostra vos estis.* Et subin-
fert, quòd est scripta *Spiritu Dei viui.* Intel
lectus autem, & affectus in quibus leges Reg
ni sui scribit Deus, sunt duæ tabulæ scriptæ
Exo.34 *digito Dei.* Exo.34. In aure autẽ scripsit Luc.
Lucæ 8. 8. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Per au-
rem etiã scribitur. Per auditum autem fidem
Rom.10 accipit de Regno, Rom.10. *Fides ex auditu,*
Auditus autẽ per Verbũ Christi. Implet autẽ
2.Cor.3 legem, spiritualiter docens, intelligi Reg-
Mat.5. nũ, & legem 2.Cor.3. *Littera occidit, spiri-*
tus autẽ viuificat. Matth.5. *Non veni soluere*
legem, sed adimplere. Vacua enim est lex sine
spiritu. Hoc igitur est regnare Christũ in his,
in quibus regnat, dum leges, & mandata in
corde suscipiunt, & audita pertractãt: & quę
vacua sunt carnaliter, intellecta spiritualiter
implent. Hi autem, qui sic legibus suis cõtra-
dicunt, nolunt eum regnare super se, & ideò
inimici reputantur, & occidendi corã ipso.
Luc.19. Luc.19. *Inimicos meos, illos qui noluerũt me*
regnare super se, adducite huc, & interficite
Apoc.19 *ante me.* Et Apocal.19. *Regnabit Dominus*
Deus noster omnipotens, gaudeamus, & exul-
Esai.19 *temus, & demus gloriã ei.* Esai.19. *Super so-*
liũ Dauid, & super Regnum eius, &c. Et
Psal.24 Psal.24. *Virga directionis, virga Regni tui.*
Sic ergo *regnabit.*

IN DOMO IACOB.

Hoc est, in familia *Iacob.* Sed quare potiùs
in familia *Iacob*, quã in familia Abrahã, vel
Isaac. Ad hoc dicendũ, quòd hoc est propter
hoc, quòd domus Abrahã, nunquã in toto be
nedicta fuit. Et ideò Christi Regni, neq; figu
ra, neque veritas fuit. Quia Ismael fuit de re-
probatis, & eijciendis extra domum. Vnde
Gen.21. Gen.21. *Eijce ancillã, & filiũ eius. Non enim*
erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.
Similiter autẽ, & domus Isaac nõ tota ad be-
nedictionẽ pertinebat. Quia Esau cum omni
bus ad se pertinẽtibus de reprobatis fuit. Ma
Malac.1 lac.1. *Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui.* Si
autẽ quæratur, quare nõ dicit: In domo Da-
uid, dicendũ: quòd Dauid nunquã habuit do
mũ vniuersalẽ, sed Regnũ habuit vniuersale,
& domũ particularẽ de *domo Iacob*, de Tri-
bu Iudà, & de familia Iesse. Et ideò cũ Reg-
nũ Christi sit vniuersale, nõ regnat in domo
Dauid, sed regnat in domo vniuersali *Iacob*:
sedes autẽ Dauid vniuersalis fuit, & ideò se-
det super sedem Dauid, & in *domo Iacob.*
Quòd autẽ regnat in *domo Iacob*, decẽ sunt
causæ. Vna quarũ est, propter vocãtis electio
A nẽ. Secunda est, propter Patris supplantatio-
nẽ. Tertia, propter innocentiæ simplicitatẽ.
Quarta est, propter primogenituræ adeptio
nẽ. Quinta, propter benedictionis subreptio-
nẽ. Sexta propter carnalis, & mali fratris per
secutionẽ. Septima, propter cœlestiũ visionũ
reuelationẽ. Octaua, propter eam, quã ad An
gelũ habuit directionẽ. Nona, propter suæ fa
miliæ ad statũ totum Ecclesiæ significationẽ.
Decima, propter benedictionis in totam fa-
miliã suam, & domũ propagationẽ. Sic igitur
Christus totã domum Ecclesiæ, & Regnum
desponsauit, vt primo electos vocaret. Hoc
est, de massa perditionis separet. Secundò, vt
fratrẽ, carnem, scilicet, supplantaret, hoc est,
B subuertere, doceret; quòd nõ carni, & sangui
ni adquiescere, sed cõtraire doceret. Tertiò,
vt simplicitatẽ se, & innocentiã diligere do-
ceret. Quartò, vt iura primogenituræ suos
habere doceret. Hoc est, principalia Patris
bona, & duplicia in hæreditate possiderent.
Principalia autem sunt dona gratiarum. Et
secundaria sunt temporalia. Vnde Matth.6. *Mat.6.*
Primũ quærite Regnum Dei, & iustitiam
eius, &c. Duplicia autẽ sunt dona gratiæ, &
glorię. Quintò, vt benedictionis hæredes
suos demonstraret. Sextò, vt omnes bonos
persecutiones pro Christo passuros demon-
straret. Septimò, vt per visionẽ cœlestem ostẽ
deret quidquid ad sanctitatẽ, & cultum Dei
C pertineret. Octauò, vt qualiter Angelorũ, &
cœlestiũ spirituum promeretur, auxiliũ re-
uelaret. Nonò, vt per familiam domus *Iacob*
ostenderet, quòd in tota Ecclesia per mini-
stros Ecclesiæ gignendo filios Ecclesiæ effice
ret. Sicut enim dicit Aug. in lib. de Baptismo
paruulo. Contra Donatistas. Iacob quatuor
habuit vxores, duas liberas, & duas ancillas, &
per vteros vniuscuiusque earum genuit de
semine suo, & per vterum alienum filios ad
benedictionem pertinẽtes. Duæ liberæ signi-
ficant statũ actiuorum (quem significat Lia)
& statum contemplatiuorum, quem signifi-
cat Rachel; & siue sacra conferat actiuis, siue
contemplatiuis, in forma Ecclesiæ, semper
D Sacramenta tamquam vuluæ (aliàs valuæ)
liberarum generant filios Ecclesiæ ad benedi
ctionem pertinentes. Duę autem ancillę sig-
nificant duo genera ministrorum, qui pecca-
tis seruiunt. Vnum genus est minister, qui
actu malus est, & tamen fidem tenet; secun-
dùm genus est minister hæreticus, qui & actu
malus est, & fide caret. Vterque autem istо-
rum, dummodo formam Ecclesiæ, & inten-
tionem eius, quòd facit Ecclesia teneat, fi-
lios spirituales generat in salutem, tanquam
ex Christi semine. Generans, & paruulas
seruituti, hoc est, peccato subiectas Genes. *Gen.17.*
17. *Super Hismael, quoniam exaudiui te:*
ecce benedicam ei, & augebo, & multi-
plicabo eum valdè. Decima causa est; quia

Chri-

Christus (sicut Iacob) benedictionem, & in omnes Apostolos, & in omnes eos qui credituri erant per doctrinam eius propagauit.

Rom.9. De primo horũ dicitur Rom. 9. Quasi ex vocante dictũ est ei: *Quia Iacob dilexi. Esau autem odio habui.* Gen.25. *Maior minori seruiet.* Malach.1. *Iacob dilexi. Esau odio habui.* *Gen.25.* *Mala.1.* *Gen.27.* De secundo dicitur Gen.27. *Iustè vocatũ est nomen eius Iacob supplãtauit enim me in altera vice.* Osæe 12. *In utero supplantauit fratrem suum.* Hoc est, euertit, & machinationes exclusit. Gen.25. *Protinus alter.* Hoc est Iacob: *Egrediens, plãtam fratris tenebat.* De *Osæe 12* *Gen.25.* tertio dicitur in Psal.24. *Innocentes, & recti adhæserunt mihi,* &c. Psal.83. *Non priuabit* *Psal.24* *Psal.83* *bonis eos, qui ambulant in innocentia.* 1.Par. 29. *Scio Deus meus, quòd probes corda, & sim-* 1.Pa.29 *plicitatem diligas.* Gen.25. *Iacob vir simplex habitans in tabernaculis.* De quanto. Gen. *Gen.49.* *Gen.25.* 25. *Vende mihi primogenita tua.* Et ibidem: *Abijt paruipendẽs, quòd primogenita vendidisset.* Quod autẽ potiora bona habiturus sit *Gen.25.* primogenitus, Gen.49. *Ruben primogenitus* *Gen.29.* *meus prior in donis; maior in imperio.* Et quòd duplicia accepturus sit, dicit Dominus, quòd Pater dabit ei duplicia. Esai.61. *In terra sua duplicia possidebunt,* &c. Esai.40. *Susscepit de manu Domini duplicia.* Prou.31. *Omnes domestici sui vestiti sunt duplicibus.* Quod *Esai.61* *Esai.40* *Pro.31.* etiã beneditionẽ possessuri sunt. Dicitur.1. *1.Pet.3* Pet.3. *In hoc vocati estis, vt benedictionẽ hæ-* *Gen.27* *reditate possideatis.* Gen.27. *Benedixi ei, & erit benedictus.* De persecutione autẽ fratris. *2.Thi.3* 2.Thim.3. *Omnes qui piè volunt,* &c. Matth. *Mat.5.* 5. *Beati, qui persecutionẽ patiuntur.* De septimo autẽ quòd est visionũ cęlestium reuelatio, in quo certa docetur cultura Ecclesiastica. Gen.28. Vbi Iacob vidit *cœlũ apertũ, &* *Gen.28.* *scalam stantem super terram, & Dominum innixum scalæ desuper, & Angelos ascendentes, & descendentes per eam. Dixitque verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Pauensque: *Quam terribilis est locus iste,* inquit: *Non est hìc aliud nisi domus Dei, & porta cœ-* *Exod.3.* *li.* Et Exod.3. *Locus in quo stas terra sancta* *Ios.3.* *est.* Et Ios.3. *Locus in quo stas sanctus est.* Cœlum enim apertũ, significat sanguine Christi cœlũ aperiendũ. Scala descensum Angelorũ ad custodiã, & ascensum ad oblationẽ votorũ nostrorũ, & intellectuũ ad Dominum. Locus sanctus, siue terra sancta, Ecclesia sanguine Christi sanctificanda. Terribilis locus veneratione sacrorum locorum. Dominus autem in loco, significat operationẽ Domini in Sacramentis per gratiam. Domus autem Dei cultura Ecclesiæ vniuersalẽ in laudibus diui- *Sap.10.* nis. Sap.10. Hæc autẽ profugũ ire fratris Iacob, scilicet. *Iustũ, deduxit pervias rectas, & ostendit illi Regnũ Dei.* Hoc est, Ecclesiæ culturã, in qua regnat: *& dedit illi scientiã sanctorũ* neutri generis. Hoc est, scientiã sanctitatis Ecclesiæ: *Honestauit illũ in laboribus.* Et cõpleuit in omni perfectione sanctitatis labores illius. Octaua causa, qua Iacob qualiter fideles in Regno Christi existentes Angelorũ auxiliũ promereantur. Et de hac secundũ Historiã. Gen. 32. Quod *vir luctabatur cum Iacob vsque mane, qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit. Et dixit ad eum, dimitte me, iam enim descendit Aurora.* Respondit Iacob: *Non dimittã te, nisi benedixeris mihi.* Et lucta quidem significat luctam orationis per fletũ, & deuotionẽ. Cui resistere non valuit Angelus, eo quòd deuotos in oratione diligit. Et ab eis recedere non potest. Vnde dicit Hier. Quòd duobus brachijs luctabatur, fletu, & deuotione. Benedictio autem tutat contra hostes Dœmones. Confortatio contra fratrem significat confortationem. Contra mundi tentationem. Et tactus fœmoris significat concupiscentiæ carnalis extinctionem. *Gen.32.*

Nona autẽ est de qua dicitur Esai.vlt. *Nũquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul; quia parturiuit, & peperit Sion filios suos.* Matth. 8. *Multi ab Oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abrahã, Isaac, & Iacob in Regno cœlorũ* Esai.43. *Ab Oriente abducã semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicã Aquiloni da, & austro, noli prohibere.* Oriens enim propter ortũ lucis est minister bonus contemplatiuus. Et Occidens, in quo occidit lux fidei, est minister malus hæreticus; formã tamen Ecclesiæ tenens in Sacramentorũ collatione. Aquilo autem plaga facta, est minister malus fidelis, cuius non occidit lux fidei. Aquilo enim, vt dicit Greg. super Iob. Semper voluitur, & nunquã occidit. Auster autem plaga lucida, & calida (aliàs clara) significat ministrũ bonũ actiuũ. Hæb.3. *Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos.* Decima autẽ: hoc est in totam domũ benedictionis propagatione dicitur Gen. 49. Vbi omnibus duodecim filijs benedixit singulis benedictionibus. Et Deut.33. Vbi Moyses similiter, sicut, & Christus duodecim Apostolis, Mat.10. & Luc.6. Et orauit pro omnibus, qui credituri erant nomini eius per ipsos. Ioã.17. Propter quod etiã vniuersitas saluãdorum significatur per Patriarchas. Apoc.6. Et vniuersitas portarũ, per quas intratur in Regnũ. Apo.22. Hac igitur de causa regnat Christus *in domo Iacob* super soliũ Dauid. Et in throno Salomonis sedet. Regnare enim nihil aliud est, quã multitudines in Regno cõtinere sermone coactiuo, vel promissiuo, vt dicit Aristot. Sermo enim persuasiuus in legibus, & in moribus nõ valet; quia leges nõ dantur sciẽdi gratia, sed vt boni fiamus. Et ideò sermo syllogisticus in talibus non valet, sed coactiuus, per pœna- *Esai.vlt.* *Mat.8.* *Esai.43.* *Gen.49* *Deu.33* *Mat.10.* *Luc.6.* *Ioan.17.* *Apoc.6.* *Apo.22.*

rum comminationes, vel promissiuus per præmiorum spem, & spectationem, sicut dicit
Esai.1. Esaias, Esai.1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Si autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos; quia os Domini locutum est.* Regnauit autem.

IN ÆTERNVM.

Esai.9 *Sedebit super solium Dauid, & super Regnum eius, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo; & vsque in sempiternum.* Quia claritas Regni gratiæ continuatur ad Regnum gloriæ, de quo dici-
Mat.13 tur. Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol, in Regno Patris eorum.*

Obijcitur autem ex hoc, quòd dicitur. 1.
1.Co.15 Cor.15. *Cũ tradiderit regnũ Deo Patri, cùm euacuauerit omnẽ principatũ, & potestatem, & virtutem.* Vbi dicit Glos. Quòd vsque ad diẽ iudicij, & Dæmones Dæmonibus, & Angeli Angelis, & homines hominibus præsunt, & post iudicium omnis cessabit prælatio. Ad quod dicendum, quòd tàm in cœlo, quàm in mũdo, & in inferno cessabit in Angelis, homi nibus, & Dæmonibus prælatio quo ad curã, & actum regiminis; sed in Deo nunquam cessabit, licet quoad curam regiminis, & exercitium cesset in omni creatura rationali, tamẽ quo ad aliquid manebit in *æternum*. In prælatione enim duo sunt honor, & onus. In desirantibus igitur honorem, vt prosint, & non prosint, nec onus portent inferiorum, cessa-
Ezec.21 bit honor, & remanebit onus, quòd præessen do meruerũt. Ezec.21. *Tu autem prophane, impie Dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis, præfinita. Hæc dicit Dominus Deus aufer cidarim, tolle coronam.* Cidaris est ornamentum Sacerdotum, & corona orna
ai.22 mentum dignitatis Regum. Esai.22. *Coronãs coronabit te tribulatione.* In onus, & non in honorem. In his autem qui desiderant prodesse potiùs, quàm præesse, subeuntes onus potiùs, quàm fulgentes honore, sicut dicit Augustinus. Honore coram vobis prælatus sit, nobis timore coram Deo, substractus sit pe-
Hæb.13 dibus vestris, & Hæb.13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis: ipsi enim per vigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* In his inquam remanebit honor, & cessabit prouidentiæ onus. Prou.27. *Diligenter agnosce vultũ pecoris tui, gregesque tuos considera: non enim habebis iugiter potestatẽ, sed corona tribuetur tibi, in generatione, & generationem.* In hoc enim, quòd dicit: Non habebis iugiter potestatẽ, cessationem oneris notat. In hoc enim, quòd dicit: corona tribuetur tibi in generatione, & generationẽ, in Regno (quę est finis generationũ eorum, quę reguntur in gratia) notat permanentiã hono
Eccl.23 ris. Eccl.32. *Rectorẽ te posuerunt, noli extol-*

A *li, sed esto in illis, quasi vnus ex ipsis: curam illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris; propter illos, & ornamentũ gratiæ accipias coronam, & dignationem consequeris corrogationis.*

ET REGNI EIVS.

In quo ostendit istius Regni durationẽ: est autẽ Regnũ, vt dicit Dionys. in lib. de Diu. Nõ. omnis finis, & bonis legis, & ordinis distri butio. Hoc est dicere, distributio cõgruẽs dig nitati personarũ, diuersa. Quæ ab Apostolo. 2.Cor.1. Vocantur personæ multarũ facierũ, distributio in quã finis, quẽ intendit Rex in *2.Co.1.*
personis *Regni* efficere. Finis enim non est
B tantũ vnus, neque omnes *Regni* personæ ad vnũ finẽ duci possunt. Et est distributio boni diuersi, quo frui debẽt personę *Regni* sub regi mine Regis, & distributio legum, quæ etiam diuersæ sunt secundũ diuersitates personarũ, locorũ, & tẽporum, & distributio ordinũ, & graduũ, quę etiã variantur secundũ status per sonarũ: omnis in quã talis secundũ omnẽ diuersitatẽ distributio est, & vocatur Regnũ. Sic enim Christus in nobis regnat, & regnabit, distribuẽs nobis fines gratiæ, in quos ten damus perficiẽdo cursum nostrũ. Act.20. *Ni hil horũ vereor, nec facio animã meã præciosio rẽ quã me, dũmodo consummẽ cursum meũ.* 2. *Act.20.*
ad Thi.4 *Cursũ cõsumaui, fidẽ seruabi.* Matt. *2.Ti.4.*
C 10. *Qui perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit* Hæb.3. *Si fiduciã, & gloriã spei vsque ad finẽ firmã retineamus.* Distribuit etiam *Hæb.3.*
nobis bona. Diuersarũ enim personarũ in Ecclesia, diuersum est bonũ. Aliud enim bonum prælati. Et aliud bonũ subditi. Aliud bonum militis. Aliud bonũ eius, quẽ miles defendit. Aliud bonum religiosi, aliud bonũ sęcularis. Aliud bonũ matronę. Et aliud bonũ viduæ, & aliud virginis. Et sic de alijs Ecclesiæ gradibus; de omnibus pro diuersitate personarũ dicitur Esai.55. *Audite audientes me, & comedite bonũ, & delectabitur in crassitudine* *Esai.55*
anima vestra. Thren.3. *Bonus est Dominus* *Thren.3*
sperantibus in se, animæ quærenti illũ. Psal. *Psal.24*
D 24. *Anima eius in bonis demorabitur, &c.* Eccl.44. *Cũ semine eorũ perseuerat bona hæreditas sancta.* Prou.vlt. *Reddet ei bonũ, &* *Eccl.44*
non malũ omnibus diebus vitæ suæ. Hoc signi *Pro.vl.*
ficatur Matth.25. *Tradidit illis bona sua.* Secundũ propriã virtutẽ, hoc est, dignitatis suæ *Mat.25*
congruitatẽ: est etiã hæc distributio legum; quia non omnes ligat vna lex, sed pro diuersi tate personarũ, & locorum, & temporũ leges diuersificantur. Eccl.24. *Legẽ mandauit no-* *Eccl.24*
bis Moyses in præceptis iustitiarum. Hoc est. quæ distribuuntur pro vniuscuiusque, congrua dignitate. Deut.33. *In dextera eius ignea lex, qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.* Psal.118. *Lex Domini*
immaculata, cõuertens animas. Psal.118. *Le-* *Ps.118.*

gem

gem pone mihi Domine. Est etiã distributio ordinis vnius cuiusque personæ in gradu suo.

Dan.10 Dan. 10. *Sta in gradu tuo.* Sicut enim in ordinibus cœli, nemo est, qui mutat ordinẽ, & gradum, in quo positus est. Ita in terra quilibet in gradu suo, in quo vocat Deus eum permanere debet. Psal. 47. *Distribuite domus eius,*

Psal.47 *1.Co.7.* &c. 1. Cor. 7. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Sic igitur regnat super nos Dominus Deus noster, Rex regum, qui habet in vestimento, & in fœmore suo sceptrum: *Rex regum, & Dominus dominantium.* Apoc. 19. Hoc autem Regnum

Apo.19 corrumpit Tyranus, qui non curatis finibus, & bonis gradum diuersitatis hominum, omnia statuit ad vtilitatem propriam, & oppo- B

Esai.10 sitiones, & calumnias hominum. Esai. 10. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimerẽt in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei.* Oseæ 8. *Ipse regnauerunt,*

Oseæ 8. *& non ex me, Principes steterunt, & non cognoui.* Esai. 19. *Tradam Ægyptum in manu*

Esai.19. *Dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum.* Sed de Regno Regis nostri dicitur, quòd est Regnum omnium sæculorum, Psal. 71. *Dominabitur à mari vsque ad*

Psal.71 *mare.* Hoc est, in tota tribulatorum multitudine: *Et à flumine, vsque ad terminos Orbis terrarum.* Hoc est, ad descensum fluminis Spiritus Sancti, vsque ad extremos Ecclesiæ. C Hoc est, Regnum Catholicum: hoc est, vniuersale, in quo regnabit Christus, *donec ponet inimicos suos scabellum pedum suorũ.* 1.

1.Co.15 *Ps.109* Cor. 15. Et in Psal. 109. Huius autẽ Regni.

NON ERIT FINIS.

Et hoc iam in præcedentibus expositum est. Dan. 7: *Potestas eius, potestas æterna, quæ*

Dan.7. *non auferetur, & Regnum eius quòd non corrumpetur.* Esai. 9 *Multiplicabitur eius Im-*

Esai. 9. *perium, & pacis non erit finis.*

DIXIT AVTEM.

Sciens Beata Virgo, quòd dicitur Esai.

Esai.30 30. *In silentio, & spe erit fortitudo vestra.* Cùm orasset pro liberatione generis humani, spem posuit in exauditione. Audiens autem Angelum de hoc loquentem, diù siluit. Sciens, quòd dixit Moyses Exod. 14. *State,*

Exo.14 *& videte, quid Dominus facturus est hodie.* Et post hoc dicit: *Dominus pugnauit pro nobis, & vos tacebitis.* Nunc autem audiens sapienter Angelum loqui, quem in specie viri apparentem vidit: iuxta consilium sapien-

Eccl.6. *Eccl.6.* tis. Eccl. 6. *Attendit in ipsum parans discretam responsionem.* Ecc. 6. *Si videris sensatum, euigila ad eum.* Audiuit autem diù loquentem, & salutantem, & confortantem, & annuntiantem, tacens, seruans hoc, quòd dicit

Eccl.32 sermo diuinus. Eccl. 32. *Audi tacẽs simul, & quærens, & pro reuerentia accedet tibi bona* A *gratia.* Et ideò verecundiæ vim faciẽs loqui exorditur. Beda: Verecundia soror est continentiæ, & adeò fideles sunt istæ sorores, vt plerumque malet vtralibet damnum propriũ incurrere, quàm sororis suæ incommodum sustinere: semper enim in sapientibus mulieribus verecundia cedit continentiæ; in fatuis autem nonnunquam continentia cedit verecundiæ. Vnde Dina rapta, passa est damnum castitatis, ne verecundiam subiret clamoris.

Gen.34. Sed Susanna ne verecundiam patere tur castitatis, subijt verecundiam clamoris,

Dan.13. Ideò etiam Beata Virgo diù præme ditata audiens se futuram pronunciari matrem, ne damna sustineret pudoris. Contra propositum continentiæ verecundiæ cessit. Et Angelo loquebatur de seruando pudore. Bern. Vt scias, quàm veracunda sit, attende qualiter in loquendo sui sermonis seruauit custodiam. Dixit enim, custodire vias suas, vt non derelinqueret in lingua sua, attendens quod posteà dixit Iaco. 3. *In multis quidem offendimus omnes, si quis autem in verbo non offendit Hic perfectus est vir.* Videbis animi custodiam si attendas, cui, quid, vbi, quantũ, quotiens, quando, & quomodo locuta sit. Cui; quia non, nisi quatuor diuersitatibus personarũ, Angelo videlicet, & filio, Materteræ vetulæ, & ministris nuptiarum. Ioan. 2. Docens puellam Dei, & iuuenem puellarem cum Angelo in contemplatione. Cum Deo in oratione. Non cum qualibet muliere, sed cum cognata vetula, quæ Deo plena sit; vt Elisabeth in consolatione, & congratulatione, & cum his, qui necessariorum temporalium ministri sunt, de necessarijs esse loquendum.

Gen.34. *Dan.13* *Iacob.3.* *Ioan.2.*

Quid autem locuta sit, si scire velet, cum Angelo de secretis, & dubijs: cum filio de expedientibus ad salutẽ propriam, ne perdatur IESVS, hoc est salus. Cum Matertera de cõgratulatione boni, & laude Dei: cùm ministris autẽ de expedientibus proximo ad Dei gloriã patefaciendã, locuta, docens à vaniloquijs esse cessandum; & de vtilibus tantùm esse loquendum. Porrò si aduertas vbi locuta

D sit. Non est locuta garrula in plateis, neque inter puellas patula, sed in conclaui solitudinis: filio autẽ in templo sanctificationis, aut in honestis nuptijs, ne tanquam ad cœlibatũ, quasi ad frugem, quasi melioris vitæ conuolans, nuptias detestari, & condemnare videretur. Aut in domo Sacerdotis summi sancti, & honestate repleti cum Matertera locuta est. Non in angulis platearum, non valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nũc in plateis. Si autẽ attẽdas quotiẽs locuta est. Non inuenitur nisi septies esse locuta. Cum Angelo bis, semel quærens modũ annuntiato rẽ Angeli, & sciens modũ, Secundo adhibens cõsensum. Cũ filio bis, semel quærẽs filiũ. ne perdat desideratũ sibi: Secũdo proximorũ vtilitati-

litatibus reuerenter interpellatis, etiam bis cũ Matertera. Semel salutans in congratulatione boni. Quod Elisabeth annunciauerat Angelus, & semel in gratiarum actione de bonis, quæ de ea prædicauerat Elisabeth, semel autem tantùm de necessarijs cum ministris, inuitans eos ad obediendum filio ad gloriã Dei declarandam. Quantum verò locuta est, delectabile est audire. Parum enim valdè, & vix insonuit in quæstionibus dubiorum; sciens, quòd oportet mulierem in Ecclesia non docere, vel esse clamorosam. Similiter parum per locuta est in salutatione ex necessariorũ postulatione. Multum autem effluxit in Dei laudem, & gratiarum actione, decantans Canticum nouum: *Magnificat anima mea Dominum.* Docens, quòd à laude Dei nunquam esset cessandum.

Libet etiã aduertere quando locuta. Nunquam enim lucuta est, (nisi bis) non præuenta, & tunc etiam quodam modo præuenta fuit, & quasi coacta ad loquendum. Hic enim post longam deliberationem, cùm ageretur, quòd mater futura esset. Quæ castitatem vouerat, & castitatis periculum timeret, locuta est cum Angelo bis. Materteram etiam salutat præuenta sermone Angeli, qui eam concepisse nunciauerat, & gratias agit, præuenta prædicatione Materteræ de bonis in ea perficiendis à Domino. Filium perdere timens, reuerenter inquirens. Et ibi quodam modo præuenta timore perditionis ipsius, & dolens incitatur ad quęrendum, qualiter se subtraxerit filio. Similiter, & ministris loquitur præ angustia, & præuenta necessitatibus proximi, & sic absque causa nihil vnquã legitur fuisse locuta. Eccl. 32. *Adolescens loquere in tua causa vix cùm necesse fuerit.* Quomodo autem locuta sit scire desideras. Quàm modestèr, quàm sapienter, quàm silenter, ita vt videatur verum esse de ipsa, quòd de Anna 1. Reg. 1. Legitur, quòd *tantummodo labia eius mouebantur*, & vox pœnitus non audiebatur. Sic ergo verecundiæ cedens, castitate autem cauens. *Dixit*, os silenter aperiens.

Eccl. 32

1. *Reg.* 1

MARIA AD ANGELVM.

In hoc præbens exemplum Virgini Marthæ. Ioan. 11. Quæ sub silentio vocauit sororem MARIAM dicens: *Magister adest, & vocat te.* Eccl. 32. *Audi tacens simul, & quærens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia* Et castitati timens quærit, dicens.

Ioan. 11

Eccl. 32

QVOMODO FIET ISTVD?

Glossa, liquet, quòd futurum credidit, quæ de modo quæsiuit, & ideò mirandum est de istius Virginis pudore, & sapientia. Modum enim sapienter quæsiuit rei, quàm per certitudinem nuncij, & immutabilem prophętiæ nuntiationem futuram esse cognouit: legerat enim Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Et certitudinaliter sciuit esse uenturum. Qualiter enim futurum erat sapienter dubitauit. Sicut etiam dicitur Eph. 3. Hoc *Mysterium est à sæculis in Deo absconditum.* A Prophetis enim nõ fuerat plene enunciatum, sed Angelo qualiter futurum esset ad explanandum reseruatum. Et ideò à Virgine sapienter ab Angelo de modo est quæsitum, & hæc est sententia cuiusdam Glos. Ambr. Verificatum est in ea, quòd de bona muliere. Prou. vlt. Dicitur: *Fortitudo, & decor indumentum eius* Fortis enim fuit in continentiæ proposito, & omni decore vestita in verecundia virginali. Cui tamen cesit vincens fortitudinem propositi virginalis, cùm audiret mentionem fieri, vt sibi videbatur fœcunditatis, quæ secundùm legem naturæ non erat nisi cum violatione virginitatis. Et ideò tunc erumpens dicit cum reuerentia pudoris: *Quomodo fiet istud?* Vide nostram Euam matrem omnium viuentium per gratiam omnino aliter esse effectum quàm Euam matrem viuentium per culpam, & miseriam. Illa enim audiens promissionem diuinitatis, & elata deiecta est in illecebras concupiscentię carnis, quasi duobus finibus à beatitudine deiecta. Gen. 3. Hæc summas promissiones audiens in humilitate præstitit, & votum viriliter tenens, omnes abhorruit illecebras carnalis concupiscentiæ delectationes; solent homines ad laudes suas in elatione more pauonum efferri. Sicut Herodes Actuum 12. Qui sibi in laudibus fecit acclamari voces Dei, & non hominum, & consumptus à vermibus, spirauit, percussus ab Angelo Domini. Experiens in sua putredine, quòd dicit Anthiochus 2. Mach. 9. *Iustum est, hominem subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Solent etiam promissionibus exhibitis inaniter hilarescere. Sicut Sara *risit* post ostium. Genes. 18. Et redarguta est ab Angelo. Nonnulli etiam si contraria promissionibus diuinis in se viderint, solent promissionibus per infidelitatem diffidere, sicut Zacharias. Hæc autem Virgo Beata, nec elata, nec dissoluta, neque incredibilis effecta est, sed rem futuram credens, modũ quærit, & dicit: *Quomodo fiet istud?* Istius autẽ quęstionis, duę quidẽ possunt esse causæ ex parte Virginis, & quatuor ex parte promissionis. Ex parte quidem Virginis profundum humilitatis, & votum perpetuæ castitatis. Profundum enim humilitatis nihil tam magnum sibi reputauit idoneum, & congruum, dicens in corde suo illud Ruth. 2. *Locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum, sicut vna de famulabus domus tuæ.* Et illud 1. Reg. 25. *Ecce ancilla Domini mei sit in obsequiũ, vt lauet pedes seruo-*

Esai. 7.

Eph. 3.

Pro. vl.

Gen. 3.

Ad Act. 12.

2. *Ma.* 9

Gen. 18.

Ruth. 2

seruorum Domini mei. Paruum enim parua decent. Verus enim humilis, vt dicit Bern. *Vilis vult reputari, & non humilis prædicari.* Hoc sane superbus, quòd laudes contemnit, & magnalia non de se credere potuit. Votum etiam perpetuę obstabat castitatis, quòd qualiter Virgo permanens conciperet, & pareret, videre non potuit, & hoc innuit cum dicit:

Bernar.

QVONIAM VIRVM NON COGNOSCO.

Hoc est, me cognituram non propono. Iob 3. *Tu scis, quòd nunquam concepiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.* Vna autem causarum ex parte promissionis fuit immutabilis Dei æterni tas, quæ eum nouum, & nasci non permittit. Quia nasci mutari est, & de hoc dicitur in Psal. 101. *Tu idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et 1. Thim. 6. *Qui solus habet immortalitatẽ, & lucem habitat inaccessibilem.* Super quem locum Aug. Immortalitas est vera immutabilitas, & vera æternitas; quia in his, quæ immutantur, ipsa mutatio nõnulla mors est. Iac. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio.* Esai. 43. 44. & 45. & Malach. 3. *Ego Dominus non mutor.* Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* Qualiter igitur de me nascetur. *Quomodo fiet istud?* Secunda causa, est existentis in tanta perfectione in cõsueta secundum naturam natiuitas. Quod enim ille, qui est, & perfectus est, iterum nascatur, inconsuetum est. Vnde, & Nicodemus, qui fuit Magister in Israel, hoc impossibile reputans à Christo, cui per omnia credidit, modum istius sermonis inquisiuit. Ioan. 3. Sic dicens: *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci.* Et tamen sicut Christus duas natiuitates habuit, ita oportet quemlibet, qui est Christi, habere duas natiuitates. Tertia causa est, eius, quòd promittebatur in signis dignitas. Quomodo enim crederetur non abhorrere fœminæ vterum: *Qui candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Sap. 6. Esai. 40. *Ecce omnes gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum staterę reputatæ sunt ei.* Quam ergo imaginem infantilem in vtero fœminæ acceptam ponemus ei. Et tamen iste tam dignus, virginis vterum non abhorruit; videns, quòd tam congruè aliter generi humano succurrendum non fuit. Filius enim in æqualitate Patris existens, quodammodo remota occasio fuit casus per fœminam, eo quod ab æterno natus à Patre *luśit in Orbe terrarum, & delitiæ suæ esse cum filijs hominum.* Prou. 8. In ordine igitur Sapientiæ Diuinæ præordinatum est, quòd creatura sessura erat in dextera Patris, & hoc Lucifer, qui *mane oriebatur, plenus sapientia, & decore, in delitijs paradysi* existens, in spiritu vidit, & inuidit. Et ad illam altitudinem ascendere cogitauit. Esai. 14. Deiectus autem ad terram, ne homo illuc ascenderet, vnde ipse deciderat, quantum valuit, impediuit, persecutionibus tentationũ insurgens. Videns autem Filius Dei se esse huiusmodi persecutionum occasionem, maiestatis oblitus, dignanter misericordia motus: *Dolore cordis intrinsecus tactus.* Gen. 6. Dicit Ionæ. 1. *Si propter me est hæc tempestas, mitte me in mare.* Hoc est, in amaritudinem, & miseriam humanæ vitæ. Quarta verò causa potest esse, quòd præsumptionis esset homini mortali cum immortali, Deo vnum, & eundem filium communicare. Esai. 55. *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Iob 4. *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis. Et iterum: *Qui terrenum habent fundamentũ consummentur velut a tinea.* Qualiter ergo ego debilis? ero parens filij paretis Dei? *Quomodo igitur fiet istud.* Esai. 53. *Generationẽ eius quis enarrabit?* Altissimum huiusmodi negocium, & longè à Virginis humilis inuestigatione *Quomodo ergo fiet istud?* Ad Patrem enim loquens secum. Filium dicit, esse principium in die ęternitatis genitum, *in splendoribus sanctorum.* Qualiter ergo, & ego principium principij per quod, & ego, & omnia facta sunt. Hæc est etiam causa, quòd hæretici Nestoriani, & Euticiani Matrem Christi noluerunt vocare Theotocos, sed Christotocos eam vocauerunt; non videntes, qualiter vnius eiusdemque filij parens esset Virgo, & parens æternus Deus: *Quomodo ergo fiet istud?* Et allegat, quòd maximè in voto habuit dicens: *Quoniam virum non cognosco.* Hoc est, non cognituram propono. Non cognoscens enim virum * tamen proponens experiri quomodo concipere potest, & parere. Ecce in veritate Rebecca quæ multum à Deo accipit. Seruo summi Patriarchæ se ostendit, quòd sit *Virgo pulcherrima, & incognita viro,* Gen. 24. Per hoc autem, quòd est Virgo pulcherrima, & incognita viro, quinque habet. Est enim illibata, intacta, subtracta, abscondita, & incombusta. Illibata lenocinijs à peccato. Intacta, ludentium ioco. Subtracta vanitatibus fatuarum puellarum choro. Abscondita concupiscentium oculo. Incombusta libidinis facibus, & foco. Procus enim libat, hoc est, tentat virginem; sed hæc illibata, ab alio amatore præuenta est, ne Procum posset admittere. Canticor. 7. *Ego dile-*

Esai. 14. Gen. 6. Esai. 55. Iob 4. Esai. 53. Ps. 59. * nec Gen. 24. Cant. 7.

dilecto meo, & ad me conuersio eius. Qualiter enim alterius amatoris Procum suscipiet, quæ sui amatoris iam charitatis lampades ignis, atque flammarum in desiderio accensa: æstuans, & anhelans, ita inextinguibiliter sensérat, quòd vulnerata charitate, & destituta amoris desiderio lãguebat Quippe *fortis est vt mors dilectio.* Quæ nihil in corde eius, nisi dilectum viuere permittebat, erat dilectus suus, sicut signaculum profundatum, sigillatus in corde, fulta leua, & amplexata dextera ipsius, inter cuius vbera tanquam fasciculus myrrhæ iugiter commorabatur. Iam habens impressum osculum oris sui, in labijs cordis, vt non alium reciperet Procum, xel amatorem. Illibata est pœnitus,

Cant.7. Et hoc figuratè dictum est. Cant. 7. *Iunctura fœminum * tuorum sicut monilia.* Sicut enim dicit Isidorus: Monile, quasi munile dicitur, eo quod munit sinum, ne Procus inserat manum, & scrutetur castitatis secretum, & violet, vel maculet pudoris sigillum. Intacta est etiam iocis ludentium; dicit enim Arist. Quòd lusiuus est incontinens. Vnde Sara ludos Ismael lasciuos, quos filium suum Isaac docere tentauit, persecutionem reputauit; interpellans Patriarcham, quòd eijceret

Gen 21. ancillam cum filio eius, Gen. 21. Dicit enim Hieron: Quòd risus, & ioci, tactus, & sibili morituræ virginitatis solent esse principia. Vnde in figura Beatæ Virginis dicit Sara

Tob. 3. Virgo: Tobiæ. 3. *Nunquam cum ludentibus me miscui.* Et sic iterum fuit viro incognita. Abscondita fuit à concupiscentiũ pellicien-

Esai. 7. te oculo. Vnde Esai. 7. Vbi nostra habet littera: *Ecce Virgo concipiet.* Hebræus sermo habet *Halma*, quòd interpretatur abscondi-

Esth. 2. ta, quæ tantùm meruit recipere Sacramentum. Esth. 2. *Este hebr erat Virgo pulcherrima, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa, & amabilis videbatur.* E-

Psal.44 sther autem abscondita interpretatur. Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Erat autem choris puellarum in vanitate

Thob.3. ambulantium subtracta, sicut dicitur Tho. 3. *Cum his, qui in leuitate ambulant, nunquam*

Ruth.3. *participem me præbui.* Ruth. 3. *Benedicta filia tu à Domino. Et priorem gratiam*, propositæ, scilicet, castitatis, *posteriore superasti; quia non es secuta iuuenes pauperes*, siue diuites; sicut vagæ, garrulæ, quietis, *impacientes* virginis fatuæ. Est etiam incombusta

Exod.3. facibus libidinis. Vnde Exod. 3. *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare rubus ardeat, & non cõburatur.* Rubum enim quẽ viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem sanctam, Dei genitrix. Ista est in cuius figura

Gen. 24 dicitur Gen. 24 *Egrediebatur virgo pulcherrima, & incognita viris.* Sic igitur *virum non cognosco.*

A *ET RESPONDENS ANGELVS.*

Nota processum Angeli, & Virginis: Primò, ingreditur *Angelus* salutans. Secundò, consolans. Tertiò, annuncians. Quartò, rei annuntiatæ modum explanans. Per salutationem se ostendens Angelum pacis. Per consolationem, spiritum benignitatis. Per annunciationem, fidelitatem suæ ostendens legationes. Per explanationem modi se probans Angelum lucis.

Angelus enim pacis probatur fuisse per hoc, quòd posteà dixit: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce *columba* cum *Lucæ 2.*
ramo virentis oliuæ reuersa *ad arcam* Domini. Gen. 8. Per consolationem Virginis se *Gen. 8.*
B probat esse nuncium eius, qui dixit: *Quomodo, si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*, Esai. 66. Per legationes fidelitatem *Esai.66*
ostendit, quomodo verè de ea scriptum est, Prou. 13. *Legatus fidelis sanitas.* Per mo- *Pro.13.*
dum explanationis ostendit se esse Angelum lucis, sicut scriptum est: *Subitò circumfulsit illos lux de cœlo.* Quæ cum Angelo apparebat; sed non est prætereundum, quòd dicitur hic respondisse *Angelus.* Ante hoc tantùm proposuisse, & dixisse commemorant. Et hoc ideò; quia Virgo ante hoc nunquam aliquam proposuit quæstionem. Non enim est responsio, nisi ad quæstionem tacitam, vel expressam. Omnis enim qui respondet dicit. Sed
C non omnis qui dicit, respondet. Hac igitur de causa; quia quæstioni respõdet, hic respõdisse perhibetur. Turbationem enim puellarem iam ante sedauerat. Nunc autem etiam adhibet rei quæsitæ plenam explanationem. Virgo autem primum quidem turbata; Postea de qualitate, salutationis expedita. Et de annunciatæ rei altitudine, & de propositi sui voto anxia reuerenter quæsiuit. Hic autem per responsionem Angeli certificata consensum humiliter adhibuit. Per turbationem ostendens virgineum pudorem. Per quæstionem suam promens discretionem, & per consensum plenam probans fidem, & humilem obedientiæ deuotionẽ. Quærens enim ostendit, quòd nemo cordi suo in talibus confidere debet. Prou. 12. *Qui confidit in cogitatio-* *Pro.12.*
D *nibus suis impiè agit.* Prou. 25. *Qui confidit* *Pro.25.*
in corde suo stultus est. Hoc igitur sciens, quòd non est in hominis potestate consilium Dei. Tho. 3. Discrete quæsiuit, & votum firmiter tenendum allegauit, ostendens, quòd *Tho. 3.*
fortitudo, & decor indumentum sunt laudabilis mulieris. Fortitudo propositi, & decor quæsiti consilij Bernar. felix propositum in quo firmitas conuenit puritati, & fortitudo propositi non obsistit Inquisitioni Consilij. Nam licet, quantumlibet pura fuerit deliberatio, minus habet si defuerit puritatis fortitudo, & cõsilij firmitas, vbi nõ est puritas, non

virtu-

virtutis obtinet gratiã, sed obstinationis incurrit offensã. Hæc autẽ Virgo Beata vtrũq; habuit. Et propositi puritatem, & firmitatem, & consilij discretionem. Et ideo Angili meretur responsionem. Vnde etiam in Can. 7. de ea dicitur. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Turris enim firmitatem, ebur castitatem, collum autem (quod medium est capitis, & corporis) significat consilij discretionem: caput mentis cum corpore aliarum virium animæ continuans. Hac ergo tam discreta quæstione per modum inquisitionis consilij proposita respondens, *Angelus.*

Cant.7.

DIXIT.

Nec additur, dixit illi: quia iam explanatio né modi non in eam, sed in Deũ reponit, omnipotentiæ Dei nihil impossibile esse demonstrans. Ad auditum ergo Virginis verba protulit: sed totum modum in omnipotentia Dei demonstrauit: dicit autem hic tria. Modum enim tantæ rei, per causas eiusdem rei explicat. Et ideò Secundo effectum mirabilem futurum enunciat. Et tertio, quòd firmus sit sermo ipsius, & velociùs implendus, persuasionem inductam ostendit, quid miraculi factum sit in Elisabeth; Virgini prædicans in gaudiorum accumulatione. Vbi autem modum ex parte causæ efficientis inducit; duo dicit: Primo, quidem ostendens hoc esse virtutem Sancti Spiritus. Secũdo autem vmbram virtutis altissimi horum mirabilium efficere complementum. De Primo, dicit quatuor: dicit enim Primò, hoc operari spiritum. Secundo Sanctitatis suæ dicit non deesse effectum. Tertio tangit operationis modum, quia superueniendo hoc operatur. Quarto dicit: tam sublimis operationis locum: *Dixit* igitur.

SPIRITVS.

Siue Deus Trinitas hic intelligatur, Spiritus; sicut dicitur Ioã. 4. *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in Spiritu, & veritate oportet adorare.* Siue etiam *Spiritus*, intelligatur tertia in Trinitate persona semper proprietates *Spiritus*, in hoc opere manifestantur: sunt autem duodecim *Spiritus* proprietates. Et vna tertia decima est, quam seruat in omnibus alijs: maximè tamen in isto. Prima est, quòd *Spiritus* omne opus diuinum ornat. Secunda est, quod omni operi diuino virtutes advehit, & invehit. Tertia est, quòd omni operi diuino vitam indit. Quarta est, quòd omne opus diuinum innouat, & reducit ad nouitatem. Quinta est, quòd omni operi spirituali, & diuino dat intellectus illuminationem. Sexta, quòd docet omnes tales ad veritatem. Septima, quòd omnibus talibus filiorum confert adoptionem. Octaua, quòd omnes, quos adoptat agit ad opera. Nona, quod omnibus eis est magnificus largitor donorum. Decima est, quòd omnes sic muneratos ducit in via. Vndecima quòd accendit desiderio patriæ. Duodecima autem est, quòd reducit in securitatem patriæ. Miscet autem vnam cum omnibus, quod occultat in omnibus his, à mundanis modum suæ inspirationis: quod autem ornat omne opus diuinum, patet Iob 26. *Spiritus Domini ornauit cœlos, & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Psalm 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Qualiter igitur, qui speciosus est præ filijs hominum, & etiam præ vultis Angelorum: *in quem*, 1. Pet. 1. *Desiderant Angeli prospicere.* Conciperetur sine ornante eum spiritu. Quod item omni operi Dei virtutem inuehit, Luc. vlt. *Sedete in ciuitate, quo ad vsque induamini virtute ex alto.* Et Act. 1. *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus in vos.* Iud. 6. *Spiritus Domini induit Geaconem, vt in virtute conteret castra Madian.* Et eum, *qui Dei virtus est, & Dei sapientia.* 1. Cor. 2. Quomodo Spiritus Domini in conceptu negligeret, vt omnem suæ possibilitatis non ingereret virtutem. Et ideo dicit in operatione virtutum Luc. 8. *Ego cognoui virtutem de me exisse.* Et alibi Luc. 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Adhuc hic Spiritus opus Dei viuificat. Sicut dicitur Ioan. 6. *Spiritus est, qui viuificat.* Et Ezec. 37. *Veni Spiritus, & insufflа super interfectos istos, & reuiuiscant.* Ezech. 1. *Spiritus vitæ erat in rotis*, & hic illum in conceptu formauit, qui omnibus vitam indidit, & reparauit Eccl. 4. *Sapiẽtia vitam filijs inspirauit.* Sapientia autem est filius Dei incarnatus. Ioan. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Hic etiam *Spiritus* omne rectum in opere Dei innouat, Apoc. 21. *Dixit, qui sedebat in throno.* Gloss. interlin. *Spiritus* Sanctus. *Ecce noua facio omnia.* Hic igitur *Spiritus* conuenienter affuit, vbi omnibus nouis nouiùs fuit, Eccl. 36. *Innoua signa, immuta mirabilia.* Hier. 31. *Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Quod autem hic *Spiritus* illuminando dat intelligentiam, Iob. 32. *Vt video Spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Sap. 7. *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ*, Sanctus. Hic autem *Spiritus* in conceptione illius fuit, qui *lux est vera illuminans omnem hominem.* Est etiam hic *Spiritus*, omne opus Dei docens ad veritatem, Ioan. 14. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis* Et ille

Ioan. 4.

Iob 26. *Psa. 32.* *1. Pet. 1.* *Luc. vl. Act. 1.* *Iudic. 6* *1. Co. 2.* *Luc. 8.* *Luc. 6.* *Ioan 6.* *Eze. 37.* *Ezec. 1.* *Eccl. 4.* *Ioan. 10.* *Apo. 21* *Eccl. 36* *Hier. 31* *Iob. 32.* *Sap. 7.* *Ioan. 14*

ille *Spiritus*, illi deesse non potuit, qui dixit.
Ioan.16 *Ego veritatem dico vobis*. De quo dicit
2.Co.1. Apostolus 2.Cor.1. *Dei filius IESVS Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, non fuit in illo. Est, & non, sed est in illo fuit.*
Ioan.8. Ioan.8. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Hic etiam *spiritus* est adoptionis filiorum, sicut dicitur Rom. 8. *Accepistis spiritū adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.* Et qualiter iste *spiritus* fontem suum in conceptione desereret, cùm nullus adoptetur in filium, nisi per filium Dei naturalem? Sicut superius expressum est. Quod autem agit ad operationem, eo quòd primus motor est in eis. Dicitur ad Rom.8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei.* Et hic iterum *spiritus* egit in conceptu Filij Dei. De quo dicitur
Esai.26 Esa.26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Magnificus etiam largitor munerum. Sicut dicitur, 1. Cor. 12. Enumeratis multis donis. Sapientiæ, scientiæ, fidei, operationis virtutum. Interpretationis sermonū, subinfert: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Et ideò hic in omnibus diuitijs donorum, in eo quieuit; qui *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: Dona dedit hominibus.*
Eph.4. Epih.4. Math.25. *Dedit seruis suis bona sua,*
Mat.25 *vnicuique secundùm propriam virtutem.*
Esth.2. Esth. 2. *Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem.* Hic est etiam *spiritus,*
Esai.63 qui conducit in via. Sicut dicitur Esai. 63. *Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic adduxisti populum tuū, vt faceres tibi gloriam.* Psal.
Ps.142. 142. *Spiritus tuus bonus*, &c. Et hic *spiritus* incarnationem illius operatus est, qui dux
Ioan.14 est, & via suorum, qui dixit Ioā. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: qui dirigit pedes nostros*
Luc.1. *in viam pacis.* Luc.1. Qui dicit, Ioan. 14. *Vado parare vobis locum.* Hic etiam inflam-
Luc.24 mat desiderio patriæ. Luc.24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis*, de IESV. *Dum*
Luc.12 *nobis loqueretur in via*, &c. Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat.* Et hic *spiritus* illum concipi fecit, qui totus illo igne excoctus dixit. *Maiorem*
Ioan. *charitatem hac dilectione nemo habuit, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*
Rom.5. Rom. 5. *Commendat Deus suam charitatem in nobis: quoniam cùm adhuc inimici essemus, Deus pro nobis mortuus est*, hic etiam *spiritus.* Est, qui reducit ad patriam, vnde Chri-
Eccl.1. stus mittitur, & vnde venit. Eccl.1. *Lustrans vniuersa per circuitum, pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Hoc est, æternitatem Patris, & Filij; & ibidem: *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Hoc est, flumina gratiarum Spiritus

A Sancti. Et hic cum ipso est, qui egreditur *à summo cœlo, & occurrit vsque ad summum eius, nec est, qui se abscondat à calore eius.*
Psal. 18. *Quia nemo ascendit in cœlum, nisi* *Psal.18*
qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Ioan. 3. Sic igitur nulla operationum spiritus destituitur filius, & ideò *spiritus* fontem illum à quo fluit, non deserit. Sed in *Ioan.3.*
omni diligentia illi corpus in conceptione præparat, à quo ipse habet, quòd Deus, & *spiritus* sit, & ideò ibidem testatur in eo hunc spiritum esse. Ita quod ab ipso fluere demonstretur, & per ipsum omnem spiritum malignum ab obsessis eijcere. Matth.
12. Et Luc.11. *Si in digito Dei eijcio Dæmo* *Mat.12*
B *nia, profectò peruenit in vos Regnum Dei.* *Luc.11.*
Digitus enim Dei, perspicua vocatur Sancti *Spiritus* demonstratio. A quo quasi à tertio signo Magi defecerunt, dicentes, Exod. 8. *Exo.8.*
Digitus Dei hic est. Adhuc autem cùm in omni partu humano, & naturali nihil operetur, distinguendo, formando, figurando, nisi *spiritus* naturalis, qualiter posset stare, quòd in partu diuino non operaretur *spiritus* diuinus. Hoc igitur dictum sit de *spiritu.* Sequitur

SANCTVS.

Sanctus est in quatuor interpretationi-
C bus, quæ omnes competunt incarnationis Sacramento. Sanctum enim idem est, quòd mūdum. Sanctum, idē est quòd firmum, & Sanctum est, scientia eorum, quæ ad Deum iusta sunt, secundùm Aristotelem. Sanctum sanguine tinctum. De sancto, quòd est mundum, dicit Dionysius in lib. de Diui. Nomini. Sanctitas est ab omni inquinamento libera, & perfecta mundicia. Sanctitas, quæ est confirmatio, est de qua dicitur Eccl.24 *In plenitu-* *Eccl.24*
dine Sanctorum detentio mea. Hoc est, in plenitudine firmitatis. Sanctitas est scientia eorum, quæ ad Deum iusta sunt. Quam diffinit Aristot. in libello laudabilium bonorum, dicens: Sanctitas est virtus, scire faciēs
D ea, quæ ad Deum iusta sunt. Sanctitas autem, quæ est sanguinis tinctio, vel tactus, est, quæ dicuntur leges sanctæ; quia sanguine confirmatæ sunt. Romulus enim in sanguine Remi fratris sui leges sanciuit. De prima harum sanctitatum. 1. Cor. 7. *Mulier innupta, &* *1.Cor.7*
Virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore, & spiritu. Hoc est, munda. Et 1. *1.Re.16*
Reg. 16. *Sanctificamini, & venite mecum, vt immolem.* De sanctitate secunda dicitur. Lucæ 1. *In sanctitate, & iustitia coram ipso.* *Lucæ 1.*
Exod. 15. *Sanctuarium tuum, quòd firmauerunt manus tuæ*, &c. De tertia, sciendum, *Exo.15*
quòd scientia duplex est. Contemplatiua, & practica. Vnde, & Priscianus dicit: Quòd verba contemplatiua construuntur cum accusa-

cusatiuo, vt scio Grammaticam, & scio Logicam, & scio Medicinam. Verba autem pro hæretica, hoc est, practica, siue operatiua desiderant infinitiuum : sicut scio vigilare. Scio molere, & talis scientia est, qua sciuntur ad Deũ iusta facere, & talis virtus est sanctitas, sicut Sacerdotum est scire, quę pertinent ad Templi sanctitatem. Et hæc sunt, quę pertinent ad officium Sacerdotum, & ritum sacrificiorum : & ad hanc scientiam sanctificantur Sacerdotes, Esa. 61. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* 2. Mach. 6. *Domine, qui habes sanctam scientiam tu scis, quòd cùm à morte possem liberari secundùm corpus, propter te substineo labores corporis.* Sap. 10. *Dedit illi scientiam Sanctorum.* Prou. 30. *Non didici sapientiam, & noui Sanctorum scientiam.* Hoc est scientia sanctitatis. De quarta autem sanctitate dicitur Apoc. 7. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit mundatio.* Alia translatio habet, *sanctificatio:* Sic igitur *Sanctus* superueniet, quia sanctitatem omnimodè in opere incarnationis facit. Mundauit enim sanguinem; ad ampliorem mundiciam deducendo, sicut dicitur in Psalm. 50. *Asperges me Domine hyssopo, & mũdabor.* Hyssopus enim herbæ, est sanguinẽ purificans. Confirmauit autem cor, vt crederet; & corpus, vt ista contineret. Vnde cantat Ecclesia : confirmatum est cor Virginis, in quo diuina mysteria Angelo nunciante concepit. Psalm. 67. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in terra à Templo Sancto tuo.* Hoc est diuinitatis tuæ excelso habitaculo; quia nisi ipse confirmaret, nec vterus Virginis, nec mundus subsistineret, similiter autem sanctitatem operatus est, in scientia sacramentorum: qualiter enim Virgo simplex congruo ministerio in tanto Sacramento ministraret, nisi scientiam sanctitatis haberet. Vnde significata per Beseleel, quem repleuit Deus sapientia, Exod. 31. *Impleui eum Spiritu Dei, & sapientia, & intelligentia, & scientia, in omni opere ad excogitandum, quidquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, &c.* Et sequitur: *Vt faciant cuncta, quæ præcepi tibi.* Hoc enim maximè necessarium est in hoc incarnationis opere. In quo est aurum deitatis, & argentum eloquij Angelici, & æs resonans in vocibus Prophetarum: Beseleel enim vmbraculum Dei mei interpretatur, & significat virtutem altissimi obumbrantem Beatę Virgini. Quid verò magis sanguine tinctum, vel tactum est, quàm vterus, qui ipso sanguine tingitur, qui de ea assumitur in deitatis vnione, Exod. 4. *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Ipse enim sanguine tinxit vterum, & candidauit, quem de ipso vteri sanguine assumpsit, Leui. 4. *Omnem reliquum sanguinem fudit in vasim altaris holocausti,* Reliquus autem sanguis est relictus, quem non assumpsit. Holocaustorum autem altare est corpus Christi, in quo omnia nostra incendimus, & immolamus. Vasis huius est vterus Beatæ Virginis, qui totus est infusus sanguine glorioso, & consecrato, & sanctificato: sic igitur omnem modum sanctificationis in Virgine, spiritus est operatus: optimè ergo dicit: Spiritus *Sanctus.* Sequitur:

Esai. 61. — 2. Mach. 6 — Sap. 10. — Pro. 30. — Apoc 7. — Hebr. 9. — Psal. 50 — Psal. 67 — Exo, 31. — Exod. 4. — Leuit 4

SVPERVENIET.

Sicut enim in spiritu totum ponit modum sanctitatis, & per hoc, quod dicit *Sanctus*, totum ponit modum sanctitatis in opere : ita in super aduentu totum notat modum operis. Non enim modo de subter venit; vel de iuxta, sed de superius summiens de potioribus suis, vnde operetur. Sumit enim de Patre, & Filio, à quibus ipse procedit, & totum quod sumit in hoc, expendit opere: iste est enim spiritus, qui procedit de Throno maiestatis, Filio Dei corpus adaptans, ad Hebr. 10. *Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et Psal. 39. *Sacrificium, & oblationẽ,* legalia supple, noluisti; *aures autem perfeciſti mihi.* Propter hoc Ioan. 8. *Vos de deorsum estis : ego autem de superius sum* Ioan. 3. *Qui de sursum venit super omnes est.* Ita quod nihil habet, nisi de sublimissimis gratijs Spiritus aptatum Esai. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me Dominus;* vnctione pro certo Spiritus præ omnibus participibus suis, sicut dicitur in Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, &c.* Et ideò etiam dicit: *Superueniet;* quia de sublimissimis Dei vnctionibus veniet, & priori vnctione *superueniet,* quia in mente gratia plena prædita est; aliorumque Sanctorum omnium vnctionibus eminebat. Hoc enim decebat, vt qui alijs vnctionem profluere debuit, præceteris omnibus abundaret in vnctione. Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam; barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Caput enim Ecclesiæ Christus est, barba adhærens ori, Apostoli: vestimentum, Ecclesia, fimbria, siue ora vestimenti quilibet simplex de Ecclesia : Sic igitur *superueniet* Spiritus; prius quidem, in mentem, nunc autem propter Sacramenti perfectionem, etiam in ventrem, implens eum omni pinguedine gratię, & deuotionis; & ideò dicitur, Cant. 7. *Vmbiculus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Tornatilis enim est volubilis, significans spiritus operationem : infusus pinguedine gratiæ, vt nullis indigeat de cæteris po-

Hebr. 10. — Psal. 39 — Ioan. 8. — Ioan. 3. — Esai. 61 — Psa. 44. — Psa. 132. — Cant. 7.

poculis : tanquam arefactus *Spiritus* vnctione. Sequitur:

IN TE.

In quo modo loquendi tangitur locus istius, tam mirabilis operationis. In alijs enim mulieribus, licet in ipsis factus sit conceptus, tamen non ab intrinseco sibi concipiunt, sed ab extrinseco semen recipientes: intus claudùt, sicut dicitur in lege Leuit.
Leu.12. 12. *Mulier, quæ susceptò semine pepererit masculum, &c.* Beata autem Virgo, non nisi in ipsa concepit, quæ semen ab extrinseco non suscepit: & hoc est, quod dicit. *in te.* Hoc enim mirum est, & admirabile Sacramentum, quòd illius Spiritus, qui vbique est, & nusquam deest, operatio in ipsa definitur, & sic operatur, quòd ad ipsam nihil ab extra recipitur. Quia totum, quod extra est, peccato est inquinatum, Gen. 14.
Gen.14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem Cœli, & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt: ne dicas, Ego ditaui Abraham.* Ecce verbum summi Patriarchæ, dimitis & sufficientis sibi, ex his, quæ habet in domo sua ad omne opus suum. Domus enim Dei Patris, vterus est Virginis. Quæ extra sunt, in aliquo posidet Rex Sodomorum concupiscentiæ fomes, & castitatis, & munditiæ inimicus. Nihil horum, quæ sua sunt assumit in opus Spiritus Patris à Filio subtegminis. Quod est minimus motus concupiscentiæ vsque ad corrigiam, qua calceatur in venereis, & peccatis. Apud enim Homerum corrigia, veneris delectatio vocatur, quæ aliquando trahit, & ligat etiam Sapientes in Apostasiam. Vnde Aristotiles dicit: Homerum dicere, quòd corrigia veneris furatur aliquando, & ligat mentem valdè Sapientum.
Nihil enim inquinatum occurrit in illam.
Sap. 7. Sapien. 7. Hoc igitur est, quod dicit: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Sequitur:

ET VIRTVS.

Postquam autem tetigit id, quod operatus est ibi spiritus, tangit id, quòd operata est ibi *virtus* Altissimi, quæ siue sit Deus Trinitas; siue Deus; vt dicit Cassianus, ferè redit in idem quoad expositionem. Sunt autem tria hìc notanda: *virtus*, scilicet, quæ est actiua potentia tendens in hoc, vltra quod non poterit; & quòd dicit, altissimi; quæ de altissimis Dei operationem sumit: & in quid ipsam deducit operationem; quoniam in vmbram quandam diuinæ maiestatis.

De primo horum in præcedentibus nos dixisse meminimus; quia *virtus* est vltimum illud, in quo stat potentia, non valens in ampliùs aliquid: & sic *virtus* est potentia, vel potestas vltimata. Dei autem potentia vltimata infinita est, & omnipotens, & plus quàm omnipotens; vt enim ita dicam: Deus plus quàm omnia potest. Potest enim multa, quæ nunquam fuerunt, & tamen esse poterant, secundùm Dei potentiam infinitam; & hoc ostendit in filio; quia nihil maiùs facere poterat, quàm hominem talem, & tantùm; quatenus est ipse. Vnde loquens ad Moysem de mysterio Incarnationis dicit. *Ego apparui Abrahæ in Deo omnipotente, & nomen meum magnum Adonai non indicaui ei.* Exod. 6. Figuram enim corporis virtutis eius, iudicaui ei, & non effectum, sed filius dicit ad Patrem de effectu totius virtutis Patris in Psalm. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus Sanctorum, &c.* Virtutem enim suam totam ostendet Deus in die, qua filium in carne, in vtero Virginis concipi fecit: & intra carnem omnes Sanctorum splendores continere. Hic enim fuit infinitè virtutis effectus, factura enim mundi respectu huius nihil fuit, sed illud fit infinitè vltimatæ virtutis eius demonstratio. Eccl. 36. *Glorifica manum, & brachium dexterum.* Manus enim, & brachium, virtutem, & virtutis opus significant. Glorificatio enim vtriusque significat eiusdem generis vltimationem. Psalm. 144. *Et virtutem terribilium tuorum dicent, &c.* Terribilia enim sunt ista propter suæ infinitatis admirationem: superualuit enim omnibus operibus suis hæc virtus, in opere Incarnationis. Eccles. 43. *Exaltantes eum, replebimini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis.* Hæc igitur virtus incomprehensibilis est, & infinita. Modum autem operis sumit de altissimis, & hoc est quod dicit.

Exod.6. *Ps.109* *Eccl.36* *Ps.144* *Eccl.43*

ALTISSIMI.

Quæ enim altiora esse possunt his: quæ hic conueniunt. Mater, & Virgo illibata, vniuntur sibi inuicem. Ima, & summa, vltima, & prima, & quòd omnibus altiùs est. Cum corde humano ista mirabilia. Mater, & Virgo per incompossibilitatem distabant: hactenus, ima, & summa, per infinitatem à se inuicem discedebant. Cor humanum ab his per irrationabilitatem. De primis duobus dicit: quidam. Partus, & integritas discordes tempore longo; Virginis in gremio federa pacis habent. De coniunctione secundorum. Apoc. 1. *Ego sum Alpha, & Omega.* Primus, & nouissimus. Esai. 43. *Ante me, non est formatus Deus, & post me non erit.* Ante me quidem non est; quia ego sum Principium. Post me non erit; quia ego

Apoc.1. *Esai.43*

sum

sum finis. De tertijs autem duobus dicitur,
Deu.30 Deu.30.&Rom.10. *Propè est verbum in ore*
Rom.10 *tuo, & in corde tuo.* Et addit Apost. *Hoc est verbũ fidei, quod prædicamus.* Quod enim irrationabile videbatur esse per rationẽ: fide factum est, *propè*: *in corde ipso conceptum* Ecce *altissimi* modus operationis. Neque vnquam ista perficeret, nisi altissimus.
Leu. 2. *Gloria ergo in altissimis Deo.* Gen. 14. *Benedictus Abraham Deo excelso.* Qui in apprehendendo semen Abrahæ, tam excelsa operatus est, & benedictus Deus excelsus; quo protegente nos, sic hostes sunt in manibus Abrahæ. Psalm. 96. *Tu Dominus altissimus super omnem terram.* Hic enim ista faciens, in altissimis habitat, *& Thronus suus in columna nubis*, quæ carnem significat conceptam Saluatoris. Eccles. 24. Sic ergo omnes redempti benedicant, *nomini tuo excelso in omni benedictione, & laude*. Neemiæ 9. Hæc igitur *virtus altissimi.*

Gen.14.
Psal.96
Eccl.24
Neem.9

OBVMBRAVIT TIBI.

Vmbra in se habet quinque, refrigerium, visus temperamentum, lucis immissæ quandam sibi temperationem, opacitatem; & eius, cuius est vmbra, habet imaginem, & simulachrum: & quantum ad hæc, quinque reducuntur expositiones Patrum, quę ante nos exposuerunt locum istum.

Quo ad hoc enim, quod vmbra quoddam ponit refrigerium, sunt duæ glossæ. Vna, quæ dicit, quòd vmbrare est, ab incentiuo viciorum refrigerare. Incentiuum autem viciorum est fomes; & sic virtute altissimi Beata Virgo fuit à fomite purgata. Sed diceres: hoc falsum videtur; quia ipsa fuit sanctificata in vtero ab originali peccato. Ad quod dicendum, quòd in vtero fuit sanctificata à peccato, & ab omni sorde vicij originalis; sed ipse fomes non fuit in ea extinctus, sed ligatus, vt nec in actum venialis, neque mortalis posset moueri: & posteà per exercituim bonorum operum fuit cum ligatione debilitatus; ita quod non sentiebatur. In ipsa autem conceptione verbi fuit penitus extinctus, vt nullus esset omnino, & hoc est, quod dicit glossa. Secunda glossa penes idem sumpta dicit: quòd vmbra dicit, & refrigerium protectionis contra tẽpestatũ (quæ sunt persecutionum) incursum. Quasi diceret; ne tanto thesauro à te concepto; & ex te nato, vel ab Hærode, vel à quouis alio priueris; erit tibi virtus altissimi vmbra protectionis, siue in Ægyptum fugienti, siue denuò inde huc reuertenti. Nos addimus ad has duas expositiones. Tertiam penes refrigerium vmbræ sumptam; quæ est Chrisostomi; quod videlicet refrigerium vmbræ in conceptu Virginali commemoratur, ne

A aliquid de incendio, vel ardore libidinis ibi esse cogitetur. Ideò enim, & verbum esse, & filius ille qui concipitur, dicitur: vt dum verbum, (quod non nisi spiritu concipitur) annunciatur, vt per spiritum sine libidine facta esse conceptio intelligatur. Dum autem filius nominatur, expressa, & indistans, & essentialis Patri similitudo *, & æqualitas concepta esse, fide certa credatur. Prima harum expositionum confirmatur per illud Esai. 51. *In vmbra manus meæ protexi te.* Secunda Esai. 4. *Erit Dominus in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, &* B *in absconsionem à turbine, & à pluuia.* Æstas enim significat feruidam Principum contra matrem, & puerum iram. Turbo autem persecutionis, & inuolutionis astutiam. Pluuia autem tempestuosa, impetuosum tortorum incursum. Tertia probatur Can. 2. *Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* Vnde etiam Cant. vlt. conceptus paruulus hinnulo ceruorum comparatur. Quod exponens Gregorius dicit: quòd hinnulus in meridie vmbram quærit, quia super cœlestis ille Sanctorum verus ceruorum (hoc est Patriarcharum) hinnulus, in vtero ab æstu concupiscentiæ refrigerato, delectabiliter quieuit. Habet etiam vmbra visus temperamentum. In hoc enim, quod lucem temperat: lucem visiuam adunat, & adunando C confortat. Propterea etiam, vt dicit Basilius: Natura oculum sub profundo ciliorum locat, & supercilia nigra desuper ordinat, & disponit, vt vmbra ex hoc resultans visum in se adunet, & sic virtutem visiuam colligẽdo fortiorem reddat. Hinc est etiam, quòd & nos, quando diligenter, & longè videre nitimur, manum latam supercilia ponimus, vt ex obiecto manus; spar sus visiuus colligatur radius, & in seipsum collectus fortior sit, & visum acuat ad diligentiùs, & fortiùs discernendum, quod vidère desideramus. Secundùm autem proprietatem vnam accipitur cuiusdam glossæ expositio. D Quod enim hoc Sacramentum in Virgine fieret, & Virginem lateret mysterium, esset non satis congruum honori Virginis Matris, & nobis esset periculum. Non enim ab Euangelista scriberetur, nec ab Ecclesia prędicaretur, nisi à Virgine doceretur. Neque à Virgine posset manifestari, quòd à Virgine non posset cognosci. Sic igitur, ò Beata *obumbrabit tibi virtus altissimi*, vt visum mentis tuæ adunatum mysterium posset à te cognosci. Et hæc expositio est Beati Bernardi. Confirmatur autem per hoc, quod dicitur Zach. 1. *Ecce vir stabat inter myrteta, quæ erant in profundo*: Ibi enim habet alia translatio, *in medio myrteti vmbrosi.* Myrtus enim temperantia est perpetuæ casti-

* *Aliàs in distãs essentia, vel Patri similitudo.*

Esai.51.
Esai.4.
Cant.2.
Can.vl.
Zach.1.

ſtitatis. Vir autem ingreſſus ad eam Angelus. Vmbroſitas verò *virtus Altiſsimi*. Coadunatio viſus intellectualis, vt tot, & tantos myſteriorum abſconditorum poſſet comprehendere globos lucis, & nobis ſalubriter reuelare. Vmbra etiam dicit circumfuſæ lucis temperamentum, aliqualiter ſibi per reflexionem immiſſum, & ſecundùm hoc vna accipitur Ambroſij expoſitio. Quod vmbra videlicet dicat nubem carnis, contemperantem Virginitatem, diuinitatem, vt ſuſtinere poſsit, quam aliter nulla poſſet ſuſtinere creatura. Eſai. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Deuter. 4. & ad Hebr. 12. *Deus noſter ignis conſumens eſt*, ſic igitur vmbram per modum nubis opponit, vt flamma deitatis portabilis efficiatur. Eſai. 19. *Aſcendet Dominus ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum:* Hoc eſt mundum, & dicitur nubes leuis, quia pondere peccati non eſt aggrauata. Vmbra item dicit quandam opacitatem, quę eſt abſconſiua eorum, quę in vmbra latent. Et ſic adhuc Dei Filij carnis penalitas, & mortalitas vocatur nubes, ſiue vmbra. Hæc enim opacitas fecit latere maieſtatis ſuæ perpetuam lucem, & quodammodo obumbrari. Ezech. 32. *Solem nube tegam.* Et Eſai. 50. *Induam Cœlos tenebris*. Hoc eſt vmbraculum culminis Loth; in quod ad hoſpitandum ingreſſi ſunt Angeli, & cuius oſtium nullus vnquam reperit malignorum, concupiſcentiæ carnali ſubiacentium. Gen. 19. Vmbra habet etiam eius, cuius eſt vmbra figuram, & ſimulachrum. Et ſecundùm hoc imago, quæ reſultat in ſpeculo, dicitur vmbra: ſicut etiam ſumitur vmbra Hebr. 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum: non ipſam imaginem rerum. Vmbra enim vocat configuratam ſimilitudinem: & quantum ad hanc vmbræ proprietatem dicit Origines, quod infinitæ pelagi, diuinæ maieſtatis vmbræ perfectę; aſsimilatum eſt verbum abbreuiatum incarnatum. Sicut ſi infinitæ quantitatis gigantę (qui longitudine pedum excederet abyſſum; & altitudine capitis excederet polum, & extenſione brachiorum in infinitum extenderetur per ortum, & occaſum) imaginari velimus. Opponamus enim ſpeculum paruum in quo: quidquid ipſe eſt, reſultat totum. Vel dicamus eum generare paruiſsimum Filium, qui ad ſimilitudinem eius totam configuraretur. In vmbra enim illa exigua, cognoſceremus quidquid in gigante totū: & ſic maieſtas Dei infinita, in puritate Virginis, tanquam in ſpeculo ſibi obiecto reſulſit, & vmbram, in ea ſuæ ſimilitudinis reliquit: quæ conceptum diuinum perfecit; quod nulla vmbra alterius rei facere potuit. Sic ergo vmbra ſimilis virtute *altiſsimi* in vterum Virginis immiſſa, vocatur vmbra. Sicut enim natura generantis vmbram; ſibi ſimilem relinquit in ſemine, qui partum, & conceptum formatur humanum. Sicſuper mundana, & diuina illa Patris virtus, vmbram ſuam produxit in Virginem, quæ conceptum, & partum formaret diuinum. Et hæc eſt omnibus alijs melior expoſitio ab Origine accepta. Magni enim quantumuis montis vmbra in ſpeculo paruo reſultat. Maximè ſi ſpeculum animatum ſit. Vnde tota vmbra montis reſultat in oculo muris. Et huius cauſam dicunt Geometræ, quòd forma viſibilis in puncto anguli tota recipitur, ſed in quantitate anguli videtur. Sed vtrùm hoc verum (aliàs ideo) ſit, vel nō, nō eſt prę sētis inquiſitionis (aliàs ſpeculationis) ſed hoc tenendum, quòd vmbra eſt ſimulachrum eius, cuius eſt vmbra: & quantumcumque ſit, quod vmbram facit, forma tota illius per vmbram in ſpeculo cognoſcitur paruiſsimo, ſi animatum ſit. Sic igitur *virtus altiſsimi* infinita in puriſsimo ſpeculo Virginalis claritatis effigiata reſulſit, quæ diuinum in ea conceptum formauit. Sap. 7. Eſt enim hoc *ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*. In qua effulſit in imagine parua ille, quæ eſt figura ſubſtantiæ Dei Patris: *Et ſplendor gloriæ*. Hebr. 1. Et huius cauſa eſt, quam dicit Eſai. 10. *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam; quia verbum abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram*. Iſta eſt vmbra, de qua dicit Pſal. 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me*. Alis enim his, quæ ſunt ſpiritus, & *virtus altiſsimi:* nobis aduolans Dominus maieſtatis in tali vmbra, & imagine nobis ſe cōfiguauit, tantus exiſtens, quantus in ſpeculo oculi noſtri figurari poſſet, vt dum ſic viſibiliter Deum paruum cognoſcimus; per hunc in inuiſibilium, & infinitorum amorem rapiamur. Sic igitur, ò Virgo Beata *virtus altiſsimi obumbrabit tibi*: Sequitur.

Eſai. 33 — Deu. 10 — Eſai. 19 — Eze. 32. — Eſai. 50 — Gen. 19 — Heb. 10, — Sap. 7. — Hebr. 1. — Eſai. 10 — Pſal. 16

IDEOQVE, ET QVOD NAſcetur ex te.

Infert ex præhabitis duo, interponens notam cauſalitatis: *Quod* enim *naſcetur* erit Sanctum: & vocabitur Filius Dei? quid, vbi omni ſpiratione ſpirat ſpiritus? Et vbi omnem modum ſuæ perficit ſanctitatis, naſci poteſt, niſi Sanctum? *Ideò*, igitur; quia Spiritus Sanctus ſuperuenit in te, *quod naſcetur ex te* erit Sanctum: quid item vbi totam in vmbra ſe virtus altiſsimi effigiat, natum vocari poterit, niſi Filius Dei? Hac igitur de cauſa, de prædictis duobus duo cauſata eliciens: dicit: *Et quod naſcetur* eſſe Sanctum; & vocandum Filius Dei. Vides vt di-

dicit Beda, qualiter vndique obstruit rimas peccati, & sicut cataractas quasdam cœli, vias aperit gratiarum. Quid enim ex parte eius, quæ gratia est plena. Quæ pro omnibus nobis gratiam apud Deum inuenit. In qua plenitudo deitatis habitauit: quæ fuit Spiritus Sancti Sacrarium. Virtutis altissimi speculum purissimum, peccato daret in-
Can. 7. gressum. Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*. Tritici enim nostri corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: collecta in hoc ventre sunt grana, de purissimis guttis sanguinis eius, tanquam ex granis. Et ideò vallatus vndique sanctitatis est lilijs; quibus diximus, tanquam custodibus perpetuæ castitatis. Per talia enim lilia, non peccati aditus datur, sed occluditur, & Virginitas conseruatur (aliàs consecratur:) *Ideoque, quod nascetur ex ea Sanctum*. Item considera causas operantes in partu Spiritum Sanctum insuper aduentu: Filium in carnis assumptæ opere Patrem in vmbra virtutis altissimi, & videbis nullas rimas peccati; sed potiùs omnis gratiæ fontes vberrimæ manantes, iustis quidem gratiam, & veniam pœnitentibus. *Ideoque, quod nascetur ex te Sanctum* est. Adhuc nihil in concepto est, nisi vel Spiritum Sanctificatum, antequam sit ad opus assumptum, aut à Deo creatum, & creando in vas mundum infusum, vel æternum, in quod nihil potest intrare in mundum, propter suam munditiam, ibi: ergo quidem peccatum omnino
Sap. 7. excluſum est. Sap. 7. *Sum quidem, & ego mortalis, similis hominibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro*. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine:
Sap. 8. & infrà Sap. 8. *Sortius sum animam bonam; & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Ideoque, quòd nascetur ex te* vocabitur, & erit *Sanctum*. Dicit autem, quòd nascetur *ex te*: non enim dicit à te; quia tota causa efficiens Spiritui Sancto, & virtuti altissimi debetur; sed supra dicens in te, & notans locum conceptionis, hic dicit ex te, notans concepti materiam: causa enim efficiens datur Spiritui Sancto, & virtuti altissimi; sicut iam dictum est. Formans autem causa est sapientia diuina; dulcorans autem effectiua est; dulcedo diuinæ bonitatis; & materiam, & locum administrat Beata Virgo MARIA. Hoc autem satis apertè
Gen. 18. significatur Gen. 18. vbi magnus Patriarcha dicit vxori suæ Sarai. *Accelera, tria Sata similæ cõmisce, & fac subcinericios panes*. Sara enim interpretatur Princeps, & significat sapientiam diuinam: Patriarcha autem summus Pater multarum gentium, Abraham est Pater cœlestis: hic ergo dicit vxori suæ. *Accelera tria Sata similæ commisce, & fac*

A *subcinericios panes azymos*. Sata enim similæ sunt purissimi sanguines glorioſæ Virginis MARIÆ. Tria Sata tres mensuræ corporis, & animę, & deitatis; corporis innouati, de antiqua vetustate; animæ de nouo creatæ, & deitatis æternæ. Commixtio autem horum vnio est: quia hoc modo, quo in naturis sumitur mixtio, nullam mixtionem passæ sunt tres naturæ corporis, & animæ, & deitatis: ea enim, quæ in natura miscentur, sic miscentur: quòd vtrumque transit, & cum altero confunditur, & tertium quoddam, quod neutrum istorum est, ex vtriſque consurgit. Sicut aqua cum vino ad æqualitatem mixta neutrum est; & argentum cum
B auro quoddam electrum nominatur. Sic non est commixtionem passus Dei Filius, sed deitate manente, virtus aliorum manifestabatur. Sicut dicitur Matth. 8. *Tetigit le-* *Mat. 8.*
prosum, & sanauit: vbi tactus, in eo quod extrema fuerunt simul, fuit corporis. In eo autem, quod fuit sensus obuiantis, fuit animæ; sed deitatis erat: quo leprosus sanabatur. Sic ista tria Sata similę, cõmixta, hoc est, vnita sunt, & in deitate (aliàs à diuinitate) assumpta. Matth. 13. *Simile est Regnum Cœ-* *Mat. 13*
lorum fermento, quod acceptum, mulier abscondit sub farinæ satis tribus, donec fermentetur totum. Fermentum autem non significat hic corruptionem; sed virtutem al-
C tissimi diuinam, quæ attrahit ad se totum residuum: quia deitatem habet cuius ipsa est virtus. Carnem penetrat, vt tactu carnis; opus manifestetur deitatis animam penetrat, vt claritas deitatis, claritas sit animæ. Deitatis quidem, vt causæ efficientis; animæ autem, vt claritatis formam in profundum sui per totum recipientis. In omnibus autem his Virgo materiam ministrat; & virtus diuina operatur. Hæc est igitur causa, quòd non dicit à te, sed *ex te nascetur*: nascetur autem, quòd tamen iam in ea natum est. Matth. 1. *Quod enim in ea na-* *Mat. 1.*
tum est, de Spiritu Sancto est; quia duas natiuitates singulares habuit Christus. Primam in vtero, in qua conceptus est in virum
D perfectum, secundùm corporeorum lineamentorum figuram, & numerum, & animationem, & ad deitatem vnionem, sicut superius docuimus: & ideò ista natiuitas est singularis. Aliam autem ex vtero, vbi egreditur, non dissoluto, nec confracto, neque remoto repagulo pudoris; sicut radius de stella. Psalm. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum; & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Tabernaculum enim sui *Psa. 18.*
corporis in Sole posuit, quando in vtero Virginis, quæ Sole amicta est, clausus fuit: de thalamo autem vteri tanquam sponsus progressus est, quando ex ea genitus non, vt matrem violauit; sed tanquam sponsam non

ha-

habentem maculam, neque rugam consecrans dilexit. Hoc igitur est, quod dixit. *Quod nascetur ex te*: Sequitur.

SANCTVM.

Non addit: quid *Sanctum*? quia quidquid adderet, minus esset dictum, quàm in Sancto intelligatur. Neutri enim generis est hic, *Sanctum*. Neutrum enim genus informem dicit essentiam, & omni forme formabilem; est autem sanctitatis forma dupliciter informans: est enim *Sanctum*, quod per essentiam sanctitatis *Sanctum* dicitur. Sicut Deus, qui omnibus Sanctis causa est sanctitatis. Apud enim Philosophum principium est, & regula: quòd quidquid est in pluribus per vnam rationem, primò, & principaliter est in vno, quòd omnium aliorum est causa; & sic sanctitas per essentiam dicta in Deo existens causa est omnium eorum, quæ sunt facta Sancta: est etiam *Sanctum*, quod dictum est *Sanctum* per sanctitatis informationem, & hoc est dupliciter. Habet enim aliquid ad sanctitatem perfectionem * ita quòd de non Sancto fit *Sanctum*, & aliquid habet eam, non per motum, sed per donationem sanctitatis eius, quod essentialiter *Sanctum* est. Nos enim non sumus Sancti, nisi de non Sanctis, Sancti efficiamur operatione Dei, propter quod dicitur de nobis Eph. 2. Quòd omnes *nascimur filij iræ*. Et ideò oportet, quod per Sacramenta, & gratiam Dei de non Sanctis Sancti efficiamur. Aliquid autem participat sanctitatem: quod nunquam de non Sancto fit; sed confertur ei cùm esse sanctitatis à Sancto Deo: sicut sola caro Christi, & anima, quæ nunquam non Sancta fuerunt. Et hoc est, quòd habet essentiam puram sanctitatis, sine omni admixtione contrarij. Et hoc est *Sanctum* Sanctorum, quasi in demostratione essentiæ sanctitatis habens sanctitatem. Ita quòd aliorum quodlibet tantùm habet sanctitatis, quantum accedit ad demonstrationem essentiæ sanctitatis illius. In his autem, quæ fiunt Sancta, adhuc duo sunt modi. Quædam enim fiunt Sancta ad puritatem perfectam sanctitatis: sine admixtione contrarij. Quædam verò non puram recipiunt sanctitatem, sed aliquid habent de contrario admixtum: sicut etiam fit in his, quæ de nigro fiunt alba. Et quæ quidem ad purum fiunt Sancta, sunt sanctissima, ad puram accedentia, & primam nominis impositionem: sicut dicitur in sex principijs. Alia autem non accedunt ad nomen purum; sed aliquid intermiscent contrarium: sicut dicitur Esai. 64. *Sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ*. Sanctissima igitur est caro Beatæ Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium. Omnes autem alij Sancti contrarium aliquod admiserunt. Sic igitur, istud, quod nascetur, multas, & differentes habet rationes sanctitatis. Est enim, vt Deus *Sanctum* essentialiter, vt homo, autè *Sanctum* Sanctorum. Et vt sumptum de Virgine sanctissimum, & fortè ideò est, quòd non est determinatum, quid sit illud, quod nascetur *Sanctum*; quia vna determinatione non poterat determinari. Si enim dixisset *Sanctum*, quòd est Deus, non satis esset: & iterum, si dixisset Sanctas homo, minus satis esset: & quidquid aliud dixisset, minus sibi dixisse videretur. Sed dicit indifinitè *Sanctum*, vt multis modis sanctitatis determinetur. De Sancto autem, quod per essentiam est *Sanctum*: dicitur Leuit. 20. *Sancti estote: quoniam ego Sanctus sum, Dominus Deus vester*. Leu. 20. De eo, quod in demonstratione essentiæ *Sanctum* est. Dan. 9. *Et adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum*. Dan. 9. Iterum 12. *Cum venerit Sanctus Sanctorum cessabit vnctio vestra*. Leu. 12. De Sanctissimo, quod ad veram, & ad puram accedit nominis sanctitatis impositionem: dicitur 2. Mach. 14. *Sanctissimum Dei Templum, in quo habitauit diuinitatis plenitudo*, corporaliter: & propter istas tres sanctitates in Christo quiescentes, dicitur ter Sanctus, Esai. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*. Esai. 6. Hoc autem *Sanctum* est causa omnis sanctitatis, vt efficiens causa, vt formalis, & exemplaris, vt vas, non materia, & vt finalis. Facit enim sanctitatem Christus: sic dicitur Ioan. 17. *Ego pro eis sanctifico me ipsum*; sibi attribuès, quod in membris perficit. Formam autem sanctitatis, vt exemplar ostendit, quãdo ibidem dicit ad Patrem. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est*: Quasi diceret; formam sanctitatis eis tribue, quàm verbis ostendi, & operibus comprobaui. Vas autem omnis sanctitatis est Christus, quod significatur in pyxide, cuius odor vnguenti totam domum repleuit. Ioan. 12. Et hanc sanctitatem Sacramentis infudit, vt in illis inueniatur, & quæratur; finalis etiam causa est; quia ad ipsum omnis Sanctitas ordinatur, & consumatur, Eccl. 46. *Viderunt omnes filij Israel, quia bonum est obsequi Sancto Dei*. Eccl. 46. Hoc est Deo Sanctos consumari, de isto Sancto dicitur Dan. 4. *Vigil, & Sanctus descendit de Cœlo*. Dan. 4. Omnibus ergo his modis erit, quod *ex te nascetur Sanctum*: Sequitur.

VOCABITVR FILIVS DEI.

Ideò enim, quòd potentia Dei se in te vltimat, & ad virtutes se contrahit: summam, & de altissimis Dei sumit operationem, & ad similitudinem Dei operationis in-

inducit (aliàs educit) effectũ, sola carne obũbratã: ideò, inquã, quòd nascetur, *vocabitur*, & erit *Filius Dei*. Vide nomẽ, q̃ est super omne nomẽ. Filius enim Dei est, Deus est, & perfectus Deus est, quia Deus nihil generat imperfectũ: *Filius Dei* perfectus Deus est, & quia perfectu in omni natura. Tale alterum est, qualis est ipse, qui genuit; ideò *Filius Dei*, Deus est, & perfectus Deus est, & per omnia æqualis ei, qui genuit: & ideò gignẽdo *dedit ei nomẽ, quod est super omne nomẽ* Phil. 2. In hoc enim nomine, omne nomẽ prophetiç ad effectum suę significationis deducitur: & quidquid in ipso speramus, adimpletur Esai. 9. Octo. nomina signãtur, quæ omnia in isto nomine suæ significationis sortiũtur effectum. Vocabitur enim *admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*. Et ante hoc octo scilicet, vocatus est: *puer velociter spolia detrahe*. Et parum ante hoc: scilicet septimo *Emanuel* est vocatus. Hæc autem omnia nomina in hoc implentur nomine: quia in modo incarnationis vocatur admirabilis: in quo tam ex parte sui, quã ex parte matris, omnia mirabilia cõiunxit. Gẽ. 32. Ios. 5. Iudith. 13. *Cur quæris nomen meum, quòd est mirabile*. Esth. 15. *Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum*. In modo verò redẽptionis est consiliarius, quia hoc consilium æternum fuit, vt hominẽ nõ per potentiam, sed conuenientissimo modo liberaret Dei Filius. Esa. 46. *Consiliũ meũ stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Dicitur enim consiliarius à dãte consiliũ, & nõ à consiliũ querẽte. Est autẽ hoc cõsiliũ immobilis definitio Dei de faciẽdis, vt dicit Gre. Sic etiã dicitur Deꝰ, sicut enim Dei *Filius, Deus* est, sic & hominis filius, homo est. Idem ipse Deus Christus: fortis autẽ est in prostractione hostis. Luc. 11. & Mat. 12. *Cũ fortis armatus custodit atriũ suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: si autẽ fortior illo superueniens vicerit illũ, intrabit Domũ fortis, & alligabit eũ, & omnia vasa eius distribuet, in quibus confidebat*. Pater autẽ futuri sæculi dicitur ab effectu prudẽtissimæ, & benignissimę gubernationis. Esa. 22. *Erit quasi Pater habitantibus Hierusalẽ* Princeps autẽ pacis dicitur ab ea quã suis confert tranquilitatẽ mentis. Ioa. 14. *Pacẽ relinquo vobis: Pacem meam do vobis*. Dicitur autem spolia detrahe, quia virtute deitatis suæ detraxit spolia, quæ hostis antiquus abtulerat. Eph. 4. *Captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus*. Hoc est, quos Diabolus captiuauerat ipse reduxit, & spolia gratiarũ, quæ abstulerat reddidit. Emanuel autem dicitur, in quãtum est hominis, & *Dei Filius*. Nobiscũ habens, quòd homo est, & cũ Deo, quòd Deus est. In hoc etiã nomine omne habemus, quod speramus. voluimus enim habere Mediatorẽ, Redemptorẽ, Reconciliatorẽ, Pręcium, Sacrificium. Mediatorẽ, quę susceptione medius esset: Redẽptorem, quę reducere deberet, & posset: Reconciliatorẽ, qui audacter nos ad Deum introduceret: Precium, quòd damnũ Deo illatũ repẽderet: & Sacrificiũ

A sue hostiam, quę reprobari nõ posset, quòd mediatorem nõ habuimus. Io. 9 Cõquerebatur cũ dixit: *None st, qui vtrumque valeat arguere, & ponere manũ suã in ambobus*. Nunc autẽ hoc est Sanctũ ex Beata Virgine natũ, filius hominis, & ex Deo natus, *Filius Dei*, ponit manũ deitatis in Patre, & manũ humanitatis in nobis, & ideò dicit Apostolus, 1. Tim. 2. *Mediator Dei, & hominũ, homo Christus IESVS*, Gal. 3. *Mediator autem vnus non est; Deus autem vnus est*. Heb. 8. Melioris testamenti mediator est, quòd in melioribus repromissionibus sancitum est. Mediat enim inter nos, & Deum sicut Bonus Põtifex *futurorum bonorũ*. Heb. 9 Redemptor etiã est, quia Deus per iustitiam suam ab eo, qui peccauit, sanctificationem exegit, & quoniam vnde satisfaceret, nõ habuit mortẽ interminauit. Angelus autem pro nobis satisfare nec debuit, quia nõ peccauit: nec potuit, quia totũ, quod erat, & potuit, sicut & omnis alia creatura pro se ipso debuit, & quod pro nobis de suo daret, nihil penitus habuit; & ideo nõ debuit, & nõ potuit, nisi qui Deus, & homo fuit: debuit enim vt homo ex charitate superna pro nobis satisfacere, & potuit, vt Dei Filius: hic enim de suo pro nobis dare potuit, qui nulli quidquã debuit: vnde Psal. 71. *Ab vsuris, & iniquitate redemit animas eorũ*. Iniquitas enim fuit numerus deceptionis, & promissionis, quẽ serpẽs obtulit, & in peccatũ demersit (aliàs detrusit:) vsura autẽ mortis debitũ, quod quotidie accrescit: recõciliator etiã fuit per gratiã, quam obtulit. Ioa. 1 *Gratia, & veritas per IESVM facta est*. Præciũ enim nostrum, damnũ omne superabundanter restituẽs, quòd enim Deus in Adã perdidit originalis iustitia fuit, quã in omnes Adã (si stetisset) posteros trãsmississet, quæ quidẽ potẽtia, & virtute fuit infinita, quia si mũdus in infinitũ stetisset; semper in omnes talẽ propagasset iustitiam; sed quod Filius Dei reddidit iustitiã, est præciũ vniuersorũ, & si in infinitum staret mundus, omnes essent redẽpti, quia ipse præciũ est omniũ. Gen. 31. *Ego damnum omne reddebam, quidquid furti perierat à me exigebas*. Est autẽ, & irreparabile sacrificium. Et hoc probat Aug. in 4. de Trinit. Dei. Per quatuor, quæ sunt in isto Sancto, quod vocatur *Filius Dei*: Est enim vnũ cum eo, cui offertur, & est vnum cum offerente, & est vnũ cũ ipso sanctum, & non eo pro quo offertur: si ergo Pater non reprobat seipsum; non reprobat oblatum, quia hoc est, cũ reprobat offerẽtem; quia hoc est cũ ipso sanctũ, & non reprobat eum pro quo offertur; quia oblatum est vnum cum eo, pro quo offertur sanctũ Iob vlt *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non imputetur vobis stultitia*. Sic ergo quòd nascetur ò Virgo sanctũ exte *vocabitur Filius Dei*. Implens omne nomen prophetatum; & omnem gratiam conferens nostræ redemptionis.

Iob 9. *1. Tim. 1.* *Gala. 3.* *Hebr. 8.* *Hebr. 9.* *Psal. 71.* *Iona. 1.* *Gen. 31.* *Iob vlt.*

ET ECCE ELISABETH COGNATA tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

Mirè diligentiæ est etiã iste Angelus in pera-

genda legatione nostrę salutis. Ecce enim, quod pacificus fuit suus ingressus, ostendit in salutatione: quòd mirabiliũ Sacramẽtorũ fuit nũcius; manifestauit in legationis suæ apertione: quòd secretorũ Dei cõscius, declarauit in hoc, quòd tanti mysterij modũ reserauit. Nunc autẽ etiã addit de Elisabeth conceptione, quod sciuit eo maiore desiderio audire Virginẽ, quo etiã audito nõ sustinuit diutiùs, quin iret ad salutãdũ noui præconis matrẽ: probat se esse legatũ fidelẽ, qui sic vndiq; sanat eius, ad quã missus est, mẽtẽ. Videtur autẽ, quòd ista interpositione vellet astruere, nihil eorũ esse Deo difficile, quę naturæ, & humanæ rationi videtur obuiare: vnde de Elisabeth tria proponit: quòd videlicet *cognata* & ideò Virginem debere ex affectu eius bõis* cõgratulari: de conceptu præter vim ætatis, & inde debere Virginẽ admirari. Deinde quòd cõceptũ iã vsq; ad cõfortationẽ in vtero tenuerit, & inde debere Virginẽ de aborsu cognatæ minimè timere, quæ omni raro conceptui earum, quæ præter legitimam ætatem concipiunt frequentius solent euenire. Innuit autem totum hoc virtuti diuinæ esse attribuendum per hoc, quod subiungit: nihil esse Deo *impossibile*. Hæc autem omnia sequens declaratio manifestabit. Dicit igitur: primo tria. Primò quidem in euidenti ponens miraculum dicens, *Ecce*, quasi in euidẽti est. Cõceptus enim sex mensiũ occultari nõ potest. Esa. 43. *Ecce ego facio noua, & nũc oriẽtur*. Si fortè queritur: quare de conceptu Elisabeth sermonẽ adducit in mediũ. Nõ enim fas est credere; Virginẽ per hoc velle ad fidẽ inducere; quæ nũquã discredidit Dei Sacramẽtũ. Ad hoc quidem Sãcti ante nos plures, & probabiles aduxerũt rationes. Quarũ prima est: vt dũ noua, & desiderata per Angelũ nouis adiũgũtur; gaudiũ gaudio cumuletur. Esa. 61. *Gaudẽs gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo salutari meo*. Secũda est, vt Virgo Sacramentum de natiuitate præcursoris in proximo per homines diuulgandum, non ab homine; sed à reuelatione accipere cognosceretur: hominum enim verba incerta sunt; reuelatio autem diuina certissima. Ex hoc enim & certiùs Euangelistas, & Apostolos docuit, & nos firmiùs credimus, habentes de cœlo testimonium veritatis. 2. Pet. 2. *Non enim indoctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri virtutem; sed speculatores facti illius magnitudinis*. Tertia ratio est: ne Virgo à Deo electa, secreta Dei ignorare, & ab homine discere videretur. Gnes. 18. *Num celare potero Abraam, quæ gesturus sũ? scio enim, quòd præcepturus est filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiãt viam Domini*. Amos. 3. *Nõ faciet Dominus Deus verbũ, nisi prius reuelaueris secretũ suum ad seruos suos Prophetas*. Quomodo ergo faceret verbũ quod nõ prius reuelauerit matri? Quarta ratio est, vt puella iuuenis, & carne cõiũcta, audiẽs vetulã iã põdere partus grauatã, & doloribus vicinã, & ex verecũdia alijs secretũ nõ libẽter aperire. Ad obsequiũ in tã secretõ, & sãcto partu prõperaret, (aliàs præpararet.) Ad Rõ. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere*. Et ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate, &c.* Ex hoc enim imitata est filiũ, qui dicturus erat. *Ego in medio vestrũ sũ, sicut qui minystrat*. Luc. 22 Quinta ratio est, vt oportunũ tẽpus cõceptus Virginalis ex in inistãte natiuitate præcursoris ostẽderetur. Mat. 24 *Vos cùm videritis hæc fieri, scitote, quia prope est regnũ Dei*. Sicut enim astra matutina, lucẽ præcurrẽdo ostẽdũt & ad iubilũ aues, diẽ desiderãtes, excitãt, & præueniũt ita signa ista vicina ortũ lucis gratię præuenerũt, & Sanctos in laudẽ euigilare fecerunt, & gratiarũ actionẽ. Iob 38. *Vbi eras cũ me laudarẽt simul astra matutina, & iubilarẽt omnes filij Dei*. Sexta ratio est, vt tanto gaudio, (quod est in conceptu Virginis, quo Deũ concepit,) Elisabeth, sicut gaudij particeps cõgratulãs inueniretur, & ex hoc pondus vteri sui, & dolores mitigarẽtur, & hoc videtur ipsa innuere Elisabeth, quãdo dixit. *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo*: sicut enim mulier: *Cũ peperit, nõ meminit præssuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mũdũ*. Ioã. 16. Ità pro certo probabile est, quòd ista nõ meminerit præssuræ propter gaudium, quia digna habita, vt præsentẽ sibi sentiret Dominũ Beatæ Virginis, & matris aduẽtũ: vnde in gaudio clamans ait. *Vnde mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me?* Septima causa est, quia dignũ fuit, vt Virgo præsentaret Ioãni suũ conceptũ, & vbique perageret suæ percursionis officiũ: & ideò nunciatur Ioãnis ætas in vtero, qui iã posset præcurrere Saluatoris conceptũ: & hoc dicit Ambr. & idem dicit Hier. in Hymnis dicens. *Ventris obstruso positus cubili. Senseras Regẽ thalamo manentem*. Sensum enim hunc ostẽdit motu occursionis ad ipsum Amos. 4. *Præparare in occursum Dei tui Israel: quia ecce formãs montes, & creans ventũ, annuncians homini eloquiũ suũ, faciẽs matutinã nebulã, & gradiens super excelsa terræ Diminus Deus exercituũ nomen eius*. Format enim montes, in quibus fundantur Ecclesiæ vertices, (aliàs virtutes,) exercituũ Ecclesiasticæ fidei; & potestatis. Iã incepit afflare ventus Sancti Spiritus. Iã per Gabrielẽ enunciauit eloquiũ: Iam excelsa terræ conculcauit exinaniens seipsum; formam serui in seipso accipiens, & formam ancillæ in matre; iste est Dominus exercituũ Angelorum, cui à vero Israel est occurrendum. Octaua ratio est, vt per Elisabeth conceptum: sermo Angeli confirmaretur: nõ quidem, vt dubius, sed sicut verum, & certum aliquando rationibus adiuuatur; & sicut fides de credito diuina iuuatur ratione: & hæc est ratio Bedæ in glossa. Gen. 41. *Quod autem secundo vidisti ad eandem rem pertinẽs, somniũ firmitatis est indicium, eò quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur*. Osee. 12. *Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarũ assimilatus sum*. Talibus igitur, & tantis ra-

Esai. 43 *Esai. 61* *2. Pet. 2* *Gen. 18* *Amos. 3* *Rom. 15* *Gal. 6.* *Luc. 22* *Mat. 24* *Iob. 38.* *Ioan. 16* *Amos. 4* *Gen. 41.* *Osee. 12*

rationibus cõceptus *Elisabeth* adducitur in
A medium: dicit igitur. *Ecce Elisabeth: Elisabeth*
illa, quã nõ libido titillans incitauit: cui cõ-
ceptũ oratio Sanctorũ impetrauit: cui maritus
incensũ ponẽs fecunditatẽ promeruit: cuius
cõceptũ Angelus prænunciauit: cuius partũ
magno præconio Angelus extulit, & gaudiũ
toti mũdo edidit, & effudit: denique si libido
Tob. 6. titillãs cõceptũ extorsisset: inea locũ haberet
quòd dixit Raphael Angelus Tob. 6. In eos,
Psal. 31 qui coniugiũ ita suscipiunt, vt Deũ à se, & à
sua mẽte excludãt, & suæ libidini ita vacent
sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus. Habet potestatẽ Dæmoniũ; & talis nõ
fuit hæc Sancta Dei sui saturitas. Huic etiam
Sanctorũ cõceptum impetrauit oratio: vnde
B supra dictũ est Quòd omnis plebs orans erat
Gen. 25 foris hora incensi cũ conceptus Ioãnis annũciaretur, simile Gen. 25. *Deprecatus est Isaac Dominũ pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudiuit eũ, & dedit conceptũ Rebeccæ.*
1. Re. 1. Zacharias etiã incensum ponẽs huic fecũditatem promeruit; simile ei est, quod 1. Re. 1.
Heli Sacerdos dixit ad Annam. *Vade in pace: Deus Israel det tibi petitionẽ tuã, quã rogasti eũ.* Hæc est, cuius conceptũ Angelus prænun-
Iudi. 13 ciauit; simile fuit ei, quòd fecit Iudith 13.
Sterilis es, & absque liberis. sed concipies, & paries filium Hoc enim dixit ei per maritũ
supra eodem; *Elisabeth vxor tua pariet tibi filium.* Partũ etiã eius magno præconio ex-
Ruth. 4 tulit. Quasi diceret illud Ruth. 4. *Benedictus*
C *Dominus, qui non est passus, vt deficeret successor familiæ tuæ, & vocetur nomen eius in Israel, & habeas, qui cõsoletur animã tuam. & enutriat senectutem tuam.* Hęc est etiam,
quæ gaudiũ toti mũdo edidit, & effudit: vn-
Gen. 30 de illud Gen. 30. dicere potuit. *Hoc pro beatitudine mea, Beatam quippe medicent omnes mulieres.* Hęc igitur est ista *Elisabeth (cognata tua:)* quæ non tam propinquitate sanguinis, quã affinitate gratiæ, & virtutis se probat esse generosam. *Qui fecerit*, inquam, *voluntatẽ Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus*
Mat. 12 *frater, soror, & mater est.* Matth. 12. Beata
consanguinitas, vbi formatus in corde Chri-
stus matrem, ex vno Patre generatio diuina D
fraternitatẽ; & ordo charitatis totã perficit,
secundùm diuersos gradus generis propin-
Gal. 4. quitatẽ. De primò enim horũ Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* In quo autẽ Christus for-
matur mater est, & mater vocatur. De secũ-
Ioan. 20. do Ioan. 20. *Vade ad fratres meos, & dic eis: ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrũ.*
Cant. 2. De tertio Can. 2. *Ordinauit in me charitatẽ.* Hęc igitur est, *Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit.* Ecce cõceptũ proponit, honorabilẽ amabilem, & mirabilem. Honorabilem quidem, quia Spiritu Sancto, & virtute plenum: supra, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Amabilẽ quidem, quia in gaudium mũdi nesciturum: supra, *in natiuitate eius multa gaudebunt.* Admirabilem, quia ex vtero matris suæ consecratus est Propheta.
Eccl. 49. *A vẽtre matris consecratus est Propheta (filium.)* Quod mirabile est; quia etiã
fecunde, cùm ex antiquitate; virtus cõcipiẽdi deficere incipit. Primò à filijs, deficit in filias, & a filiabus in aborsum: & deindè deficit in totum secundùm naturam. Hæc autem
concepit filium, qui totum possideret parẽtũ effectum, & hæres esset sanctitatis. Tob. 7.
Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri filius es. Ecc. 47. *Surrexit post eũ filius sensatus, & propter illum dereliquit potẽtiã omnium inimicorũ, in senectute sua.* Hoc enim
admiratione dignum est. senectus enim secũdùm naturam corruptio est, in qua membra
sunt intus sicca destituta, & extra madida, humiditate corrupta, & viscosa. In qua ætate etiam si quid concepitur, corrumpitur, &
nunquam tamen aliquid concipi consuenit, maximè ex semine senis, & iam corruptione
præparati, (aliàs prępediti:) hoc igitur facit
ad commendationem miraculi; hoc enim illi non erat difficile, qui sicut dicitur Eze. 37.
Spiritus insufflat super interfectos & reuiuiscunt. Maxime vbi senectus non est tantũ à
canicie corporis, sed à canicie virtutis. Sicut
dicitur Sa 4. *Senectus venerabilis est, nõ diuturna, neq; annorũ numero computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis,*
vita immaculata. Hic filius senectutis est ille
de quo dici. Tob 5. *Filiũ nostrũ baculũ senectutis nostræ.* Rut. 3 *Natus est; qui te diligat, & enutriat senectutem tuam:* Sequitur.

Eccl. 49
Tob. 7.
Eccl. 47
Eze. 37
Sap. 4.
Tob. 5.
Ruth. 3

ET HIC MENSIS EST SEXTVS illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Miraculum commendat, quia si vetula aliquãdo cõcipiat propter distẽsionẽ (aliàs destitutionẽ) vteri à calido, & humido subtili,
vincentibus in ipsa frigido, & sicco; qualitatibus mortificatiuis ab orsum patitur. Nunc
autẽ iste filius ad finẽ sexti mensis coaluit. Iã
enim de Martio, qui erat sextus mensis nõ restabãt, nisi dies octo. Hæc enim octau. kal.
Aprilis peracta sunt. Et ideò intelligit, quòd
eiusdẽ virtute infans in vẽtre coaluit, cuius
virtute, & miraculo (aliàs oraculo) cõceptus
fuit: virtus enim vetulæ infantẽ non nutrit;
sed destitutum deijcit. Vnde & de Sara Gen.
18. dicitur: *Quòd defierant Saræ fieri muliebria.* Et Rom. 4. dicitur: *Quòd emortua fuit vulua Saræ.* Et hæc dicuntur in figura huius
& addit. *Illi quæ vocatur sterilis.* Vt & impotentiam naturæ supra defectum accumulet ætatis. Nõ enim vocatur sterilis, nisi à lõgo tẽpore: fetu fuisset priuata, fęcũda enim
est, quæ absque impedimento concipit. Concluſa autẽ in Scriptura vocatur quæ quidem
impedita est ad susceptionẽ cõceptus: sicut, 1.

Gen. 18
Rom. 4.

1. *Re.* 1. Reg 1. de Anna legitur, quòd *cõcluſerat Dominus vnluã eius.* Et Gen. 20. Quod *cõcluſit Dominus omnẽ vuluã domus Abimelech.* Sterilis autem eſt, quæ (aliàs quia) naturale in obſtrictione venarũ, & pororum matricis habet impedimẽtum ad ſeminis ſuſceptionẽ; & hęc vocatur nõ verè ſterilitas, niſi quãdo hoc poſt vſum viri efficitur cognitũ, & medicorũ arte remoueri non poterit impedimentũ. Et ideò maledictioni ſubiacebat in lege: Et ideò ſuprà dixit: *Quia ſic fecit mihi Dominus in die, quam reſpexit auferre opprobriũ meum inter homines.* Sequitur hoc, quòd ex probatis intendit. *Quia non erit impoſſibile apud, &c.* Attende, quòd de his, quæ fiunt: quædã dicuntur eſſe in natura: quædam eſſe *Apud Deum:* & quædam in Deo abſcondita. In natura ſunt, quorum cauſas ſeminales, vt

Gen. 1. fiant, Deus naturæ indidit: ſicut dicitur Gẽ. 1. *Germinet terra herbam virentem.* Dicit Aug. Hoc eſt, virtutem germinandi in cauſis ſeminalibus accipiat. Et hæc ſola potentia ſunt in elementis; quia generale principium Philoſophi eſt: quòd nihil eſt in potentia aliquando, niſi quòd in vno motore, & in vnius ſpeciei motore educitur de illo. Vnde idolũ non eſt potentia in cera, ſed in arte: & cuprũ potẽtia in terra: quia cuprorum vno motore educitur de terra, quę eſt calor Solis, & nõ eodẽ; ſed intellectu artificis educitur idolũ de cupro. *Apud Deũ* autẽ ſunt, quę in natura nõ habent, niſi cauſam obedientiæ, & perfectionem habent ſuæ generationis apud Deũ. Et illa non ſunt in natura vt fiant; ſed vt de ipſis naturalibus fiant, adminiſtrante virtute diuina; ſicut eſt conceptus vetulę, & generatio ſenis: & quòd in tali vtero, & ex tali ſemine

Gen. 18 infans coaleſcat. Ge 18. *Nunquid Deo quidquam eſt difficile?*

In Deo autem abſconditum eſt, quòd omnino ſuper naturã, & cuius potentiæ in natura contrariũ eſt: ſicut eſt cõceptus Virginis,

Eph. 3. quæ manet Virgo. Eph. 3. *Eſt Sacrametnũ à ſeculis in Deo abſconditum.* Et hoc facere in Deo eſt, & nõ cõceditur huius operatio alicui creatæ naturę, & hoc eſt, quod dicit: *quia*

Hc. 32. *non erit impoſſibile apud Deũ.* Et ideò Hier. 32. *Nunquid mihi erit difficile omne verbũ?* Dicit autem: *omne verbum*, & non omne factum; quia in omnibus, quæ procedunt ab intellectu operatiuo, primũ faciẽs, verbũ mẽtis eſt: ſicut in eo, qui facit arcã; primum faciens arcã; forma concepta in mẽte eſt: quia dicit arcã eſſe faciẽdã: ſic etiã omnis operatio intellectus diuini, eſt *verbũ* à quo procedũt facta omnia, & cuius formã induũt: omnia enim per *verbũ* facta ſunt, *& ſine ipſo factũ eſt nihil.* Ioan. 1. Vnde minus diceret, ſi

Ioan. 1. dixiſſet omne factum; ſed totum dicit, quando dicit: *omne verbum. Verbo enim Domini*

Pſa. 32 *cœli firmati ſunt*, quia ſic dixit, & facta ſunt:

Gen. 1. & ſic dixit Deus, *fiat.* Gen. 1. Hoc eſt, *ver-*

A *bum* genuit, in quo erat, vt fieret.

DIXIT AVTEM MARIA: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, & diſceſſit Angelus ab illa.

Illud eſt, ad quod laboratum eſt. Primò enim audiens turbata eſt ad ſpeciem viri, & in conſuetum modum ſalutationis. Deinde quaſi confortata, modum quęſiuit annunciationis. Modo autem certa de oraculo, nec dubitans de nuncio: iam quaſi ſe totam dat, vt votum adipiſcatur: & hoc eſt, quod in ordine notatur verborum. *Dixit autem MARIA:* Illa enim illuminata; illuminatrix quid diceret, niſi, quòd mundo lu-

B cem pareret. Proceſsit in dicto, quaſi aurora conſurgens; Solem conceptura ſupernum. Quid verò, ſtella orta ex Iacob dicto ſuo panderet, niſi Solem de ſtella naſciturum, vel lucis æternæ radium, ſine omni ſui correptione mundum illuminaturum? Quid item amarum pro ſalute generis humani more; niſi conſolationem toti mundo profuturam? Quid tandem Domina mundi, quæ omnibus gubernationis ex ſua benignitate exhibet effectum (aliàs officiũ) & ſubſidium defenſionis reſponderet, niſi quod ad ſuorum pertinet defenſionis præſidium, & prudentiam gubernationis? lu-

C men enim mundi eſt; ſicut ſcriptum eſt. *Sicut Sol oriens mundo in altiſsimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ.* Eccl. 26. O Beata Virgo, oſtende igitur *Eccl.* 26 te illuminatricem, & per conſenſum tuum illumina eos, qui in vmbra mortis *Sedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Infrà eodẽ: ſtellã te proba poli; ducens nos ad portum tutum, & quietum, poſt tot tentationum iactationes. Nobis enim in te lux noua oriri viſa eſt, & Sol nouus in conſpectu (aliàs conceptu,) *& fons paruus*, humilis gratiæ tuæ: *creuit in fluuium maximum*, & humiles exaltati ſunt, & deuorauerunt inclytos; qui hactenus de ſua gloriabantur deiectione.

D Eſther. 10. Cùm enim omnes in amaritu- *Eſth.* 10 dine eſſemus; tu quaſi mare amarum amaritudinem omnium tuam feciſti, & pro nobis dolẽs: & pro te Ionã illũ in figura filij tui ad hoc induxiſti, vt diceret. *Si propter me eſt hæc tempeſtas, mittite me in mare.* Ionam 1. Rurſumque tu Domina om- *Iona.* 1. nium es; & Virgo Virginum. Niſi ad tuum florem declinet ille rhinoceros, ſeruiens tibi ad redemptionem. (Filius vnicornius ſi es Pſalm.) *Quis liberabitur de cornu poteſtatis eius?* Iob 39. *Numquid vo-* *Iob* 39. *let rhinoceros ſeruire tibi.* Dic ergo Beata, & dic ad Angelũ. *Ecce ancilla Domini.* Tria autẽ dicit: prõptitudinẽ excluendi conſenſum Sacramẽti, & conſonantiam verborũ: Angeli prõptitudinẽ exequẽdi tangit; cũ dicit *ecce*

an-

ancilla Domini. Ancilla enim dicitur ab *an*, quòd est circum, & *cilleo, est re*, quod es, moueor moueris; quia vbique mobilis: prõpta est ad obsequendum; humilis ad seruiendum; & deuota ad obediendum; & prudens in omni commissõ; simul & fidelis. Quod enim prompta sit, ex nomine probat; quia circum mobilis est in omne, quod iubetur. Vnde

Pro.vl. Prou. vlt. *Considerauit semitas domus suæ, & panẽ ociosam non comedit*. De humilitate; infrà eodẽ. *Respexit humilitatẽ ancillæ suæ.*

*Ps.*122 De deuotione ad obediendũ dicitur in Psal. 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; ita oculi nostri ad Dominum Deũ nostrũ.* Oculi enim ancillæ aspiciunt ad nutum manus, vt semper obediãt, & deuotè subseruiãt:

Pro.vl. prudens est etiam ista ancilla. Prouer. vlt. *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius*. Sapienter enim sibi, & nobis clementer in hoc responso temperauit sermonem; quod in voto fuit per sermonem Angeli futurum expectabatur, in oratione ponens, & dicẽs: *fiat mihi*; præsumptionis enim videretur, si diceret fiet *mihi*; quia hoc à gratia Domini, quàm nemo promeruit speratur. Hoc ab Adam, & à tota posteritate sua mirabiliter efflagitatur; hoc ab Angelo expectatur; hoc ab omnibus fidelibus desideratur, & oratur. Quòd enim à gratia Dei speretur,

Hiere. dicit Hieremias Thren. 3. *Misericordiæ Dei*

*Tore.*3. *quod non sumus consumpti*. Quod autem ab Adam, & posteritate sua afflagitetur: dicitur in

*Psal.*12 Psal. 12. *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me?* Vsquequo? id est, cur? quòd ab Angelo expectetur patet; quia nuncium hoc egit, & omnia fecit; quæ ad consensum Virginis pertinent inclinandum. Nunc autem, expectat salutare hoc responsum. Ac si dice-

*Gen.*49. ret, illud Gen. 49. *Salutare tuum expectabo Domine*. Omnes fideles hoc desiderauerunt,

*Esai.*33 dicentes illud Esai. 33. *Domine miserere nostri: te enim expectauimus*. Et illud ibidem. *Anima mea desiderauit te in nocte; sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te*. Hæc etiam attendens, & consensum præbens, orando cum alijs dixit *fiat*. Non enim præsumpsit dicere, fiet; sed totam se diuinæ dispositioni committens orauit: vt cunctis fieret salus, quam Angelus nunciauit: sciuit enim illud Iacob 4. *Iacob* 4. *Quòd Deus resistit superbis, & humilibus dat gratiam.*

Dicit autem *mihi*, non ad me: multifariè enim, multisque modis factum est verbum Domini ad Prophetas: Abdiæ quidem ad

*Abd.*1. aures, quando dixit Abdiæ 1. *Auditum audiui à Domino*. Esaiæ ad visum, quando di-

*Esai.*1. xit Esai. 1. *Visio Esaiæ, &c.* & quidem. *Beati*

*Luc.*10. *oculi, & beatæ aures, quæ viderunt, & audierunt, quæ vos videtis, & auditis*. Luc. 10.

A Alicui autem ad manus, sicut Aggęo, qui dixit, Quòd *verbum Domini factum est in manu Aggæ*. 1. Et sic diuersimodè, diuersisque modis, & pro diuersis factum est; sed non sibi, Beatæ Virgini MARIÆ: fit ad aurem quidem in oraculo annunciationis, & eulogio salutationis. Ad visum autem, quia viderunt oculi sui salutare Dei sui: ad manum etiam fit contrectationis, & ad Brachium oblationis, & ad gremium sustentationis, & ad vbera lactationis; & ad viscera Incarnationis, & alijs modis infinitis sibi soli notis; nato Verbo de se incarnato. Lucæ 11. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: sic ergo: *fiat mihi secundùm verbum tuum: Secundùm*, Prępositio B vel aduerbium, vel nomen ordinale. Primò quidem modò sensus est, *Secundùm verbum tuum*. Hoc est. iuxta verbum tuum, & hoc est; sicut dixisti, & hunc puto esse sensum litteræ. Matth. 5. *Cœlum & terram transibunt: verba autem mea non transibunt*. Qui nimo, *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit*. Esaiæ 34. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit*. Esaiæ 5. *Quid vltra debui facere tibi, & non feci.*

*Aggæ.*1.

*Luc.*11.

*Mat.*5.

*Esa.*34.

*Esai.*5.

Potest etiam ly *secundùm* nomen esse ordinale, vt sit sensus: *secundum verbum tuum*, quod in salutatione positum est inter ea, quę C sunt de adipiscẽdis bonis. Hoc enim est, *Dominus tecum*. Primum autem *gratia plena*. Gratia autem plena fuit ad sui sanctitatem. *Dominus* autem *tecum*, ad nostram redemptionem. Sic enim *dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis, si quidem magnificauit Dominus facere nobiscum; facti sumus lætantes*. Psa. 125. Hoc enim est illud magnũ nomẽ Emanuel, & vtile nobis, quod est nobiscum Deus, in quo omnes euacuantur insidiæ inimici. Per hoc enim cõtinet in gremio Cœlum, terramque regentem, quem habemus hostiũ terrorem, pignus nostrę redẽptionis, & contra omnia, quæ passi sumus Saluatorem, *fiat*, hoc *secundum verbum* D *tuum*, mihi sicut in aure auditum, in corde creditum, & ore confessum, ita in viscera bus incarnatum, vt possim læta nunciare fidelibus: dicens, habete fiduciam. *Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis*: & in proximo videbitis gloriam eius; *gloriam, quasi vnigeniti à Patre plenũ gratiæ, & veritatis.* Ioan. 1. Hæc igitur vox ab ore Virginis exultationis, & salutis audita est in tabernaculis iustorum. Sequitur: *Et discessit ab illa Angelus*. Officio peracto: tempus enim erat, vt reuerteretur ad eum, qui eum misit. Nos autem benedicamus Deum, & enarremus omnia mirabilia eius. Discessus autem Angeli, nihil aliud fuit, nisi quòd visui humano se subtraxit (aliàs subduxit.) Nun-

*Psa.*125.

*Ioan.*1.

quam enim, ita ad obsequendum habuit Angelos, sicut ex quo Filium Dei Dominũ Angelorum concepit; extunc enim accesserunt
Mat.4. ad eam *Angeli, & ministrabant ei.* Matth.4.

EXVRGENS AVTEM MARIA in diebus illis, abijt in montana, cũ festinatione in Ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.

Hic autem tria circà Beatam Virginẽ determinat Euãgelista. Quorũ primũ est, qualis fuit pietatis officio. Secundũ, quãtæ gratitudinis in præceptoDei dono. Tertiũ, quòd continuè perseuerans fuit in obsequio: quia permansit obsequens debili cognatæ tribus mensibus, donec cognata releuata fuit in vtero. De primo dicit tria, qualiter videlicet ad obsequẽdum separauit, & qualiter festinauit, & quàm benignè se exhibuit. Præparatio autem commendatum in duobus, à modo, & à tempore. A modo autem, quia *exurgens*: de compositum est, quia notat, quòd extra sursum fuit se agens, sicut corpore: ita & mente. Per mirabilia enim dona munerata fuit, & super statum priorem eleuata, accedens ad cor altum, & sciens: cui plus donatur; ab eo plus exigitur; volens exaltari in se Deum: hoc est, altũ ostendere, & priori statu, altiùs, sursum se proficiendo egit; audiens vocem
Cant.2. dilecti clamantis. Cant. 2. *Surge, propera amica mea, & veni.* Nihil enim vacat à sanctificatione in tãta Virgine, & Dei matre. Si autem ipsa de alto in altiùs se egit: pudeat nos à sorde viciorum non exurgere; sicut
Eph.5.1 etiam monet Apostus Eph. 5. *Surge: qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Christus.* Hęc enim Virgo, vt quieta non vaga, non garrula, quieris impatiens, resederat in solitudinis, & conscientiæ quiete, sicut
Esai.52 Esai. 52. *Surge sede Hierusalem.* Nunc anima exurgit in actionis vtilitate, & necessitate. Sedere autem eam fecit charitas veritatis, & recepit eulogium salutationis, & partum, & conceptum diuinæ annunciationis. Nunc autem facit exurgere eam veritas charitatis, quæ aliquãdo delicijs quietis præpo-
Ps.126 nere cogitur necessitatem actionis. Psa. 126. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Quandiù enim pane isto arto doloris sustentamur, necessitates proximi cogunt exurgere in actionem obsequij: exurge ergo, & tu. Primò quidé à stercore viciorum. Secundò, de virtute in virtutem, ad statum altiorem. Et tertiò de contemplationis quiete ad actionem. Duobus autem modis MARIA exurrexit. De tertio autem non indiguit, secũdùm vt tu exurgere possis effecit MARIA cum conceptu Virginali, quia qui portabatur, Matrem portabat: & contra
A consuetudinem prægnãtium fecit leuiorem.

Duobus enim temporibus grauidatis, motus interdicitur à Physicis in principio, videlicet cõceptionis; cũ conceptus molis est, facilè à matrice solubilis, & in fine post quintũ mẽsem, vel sextũ quãdo grauis est, & põdere suo per mõtũ matris seipsũ sua abrũpit grauitate. Ista autẽ, vt diuinũ ostendat partum, statim primò exurgit, & *cũ festinatione montana* cõscẽdit; quę fieri nõ possent sine aborsu, si partus humanus, & nõ diuinus esset cõceptus: *Beatus* ergo *venter*, qui te Christus *portauit*: quia nõ humana, sed diuina virtute te tenuit, & corroborauit. Luc. 11. Ista enim *Luc.11*
Domina *vas admirabile* fuit in *opus excelsi.*
B Eccl.43. & 50. *Quasi vas auri solidum: ornatũ omni lapide præcioso.* Ornatũ quidẽ omni *Eccl.13 & 50.*
lapide precioso virtutum solidum, quod humana virtute moueri nõ posset in diuini cõceptus (aliàs partus) præiudicium: & fortè sic virtus altissimi obumbrauit ei, ne cõceptus moueretur impulsu obsequij. Tangit autem præparationem temporis, cùm addit (*in illis diebus*. Illustrationes clarissimas hæc Virgo habuit, vt dicit Ambr. Dũ non incredula fuit oraculo; nõ incerta de nũcio, non dubitãs de exẽplo; sed læta proposito, voto religiosa, proprietatis officio *exurgẽs*, & festina pro gaudio, vadit visitare Elisabeth.
Probans illud Prou. 4. *Semita iusti quasi lux* *Prou.4*
C *splendens, & continuis incrementis crescens vsque ad perfectum diem.* Hoc enim illi dies significant. *Hæc enim est dies*, (quia isti incipiunt) *quam fecit Dominus*, oriri super terram, *exultemus, & lætemur in ea.* Dies, in- *Psa.117*
quam, qui non sicut vmbra declinauerunt; sed potiùs de quibus dicit Abacuch 3. *Sol, & luna steterunt in habitaculo suo.* Et de ipso habitaculo veteri: *Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Vt verè probent matrem esse Lunam, & natum Solem; quæ, inquam Luna, concepit lumen Solis, vt verè illuminatrix dici possit: deinde tangit modum itineris: dicit enim, quòd abijt, & per quid, & qualiter.

D Modus quidem eundi est, quòd *abijt*, hoc est, à se recessit: recessit enim à secreto orationis. A quierẽ contẽplationis à delicijs delectationis spiritualis, à secreto quidem orationis; procedens in publicum actionis, à quiete contemplationis, exiens in laborem necessitatis; à delitijs delectationis spiritualis emergens, (aliàs *exurgens*): In amaritudine humanæ turbationis, *abijt*: ergo cum Sara, filia Raguelis de secreto orationis. *Thob 3.*
Thob 3. In publicum actionis, cum Iudith 10 *Iudi.10*
Exiuit de quiete contemplationis in labo- *Cant.8.*
rem necessitatis. Cum sponsa autem, Cant. 8. processit de delitijs delectationis spiritualis in amaritudinem humanæ turbatio- *Cant.8.*
nis: dicitur enim Cantic. 8. *Quæ est ista*

quæ

quæ ascendit de deserto delitijs affluēs, innixa super dilectum suum. Sic ergo abijt: Per quid autem abierit subiungit, *in montana.* Vide, quòd asperitas itineris non retardat in ea obsequium pietatis. Non enim dicit cum Loth
Gen.19 Gen.19 *Non possum in montem ascendere: ne fortè apprehendat me malum.* Sed omnia potens in eo, quia eam confortat, audacter conscēdit montium culmina. Facta sunt enim ex amore obsequendi. *Prauа indirecta, & aspe-*
Esai.30 *ras in vias planas.* Esa.40. Iam enim culmina virtutum mente conscenderat, & ideò iuga montium transcendere leue reputabat. Culmina autē montium, tria conscenderat, spiritus, virtutum, & intellectus: spiritus quidē in affectus altitudine: virtutum in honestatis sublimitate: intellectus verò incontēplationis summa arce. De primo dicitur Psal.
Psal.86 86. *Fūdamēta eius in montibus Sanctis.* Hoc est spiritus eleuationibus, quia in illa est spiritualis vitæ fundamentum. Si enim spiritus inclinatur, totum ruit spiritualis vitæ ædificium. De secundo Hiere. 31. *Benedicat tibi*
Hier.31 *Dominus pulchritudo iustitiæ, mōs sanctus.*
Psal.62 De tertio dicitur Psal. 67. *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Etenim
Gen.19 Dominus habitabit in finem. Gen. 19. *Non stes in omni circa regione, sed in monte saluum*
Iosue 2. *te fac.* De secundo Iosue 2. *Ad montana conscendite, ne fortè occurrant vobis reuertētes,*
Eze. 40 De tertio Ezech. 40. *Adduxit me in terram Israel, & dimisit me super montem excelsum nimis, superquem erat quasi ædificium ciuitatis* Qualiter autem abijt, dicit: *cum festinatione.* Festinauit autem propter tria, vt videlicet citò publicum Virgo verecunda euaderet; vt obsequendi desiderio satisfaceret, vt citò dilectā videret. De primo Prou.
Prou. 4 4. *Currens non habebis offendiculum.* Quod
Gen.34 vaga sæpè inuenit euagando. Sicut dina Gene. 34. De secundo Esai. 40. *Current, & non*
Esai.40 *laborabunt, ambulabunt, & nō deficient præ*
Hier.51 *desiderio perueniendi.* De tertio Hier. 51. *Venite, & nolite stare; recordamini procul Domini, & Hierusalem ascendat super cor ve-*
Eccl.36 *strum.* Eccl. 36. *Festina tempus, & memento finis.* Quasi dicat, si finis memor fueris, citius festinabis: dicit enim August. Quòd qui plus dilexit, velociùs cucurrit, & citiùs peruenit: *In ciuitatem Iuda.* Ecce quo abijt ad locum tēpli, vbi cultus erat Dei. *Ciuitas* enim *Iuda* hic vocatur Hierusalē. Eo quod principalior
Ps.121 erat inter ciuitates. Psal. 121. *Hierusalē quæ ædificatur, vt Ciuitas.* *Iuda* autē dicitur, nō quòd fuit de sorte Iuda, sed potiùs in sorte Beniamin. Sed quia Beniamin eam capere nō potuit: ideò occupanti iure belli concessa fuit; quia igitur Dauid eam de manu Iebusæorum accepit, sibi data fuit, & sorti Iuda adiuncta. In hanc igitur Ciuitatē intrauit, Tēplum honorans auctore Templi, quem in

A vtero habuit. Malac. 3. *Statim veniet ad Tē plum Sanctum suum dominator, quem vos quæritis, &c.* Psal. 5. *Adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo.* Et confitebor nomini tuo: nos etiam, cùm concepimus Deum; deceret ad ciuitatem pacis pergere, & non in mundo partum extinguere. Eccl. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere, vbi sunt muniti.* Ciuitas enim Iuda Vrbs est confessionis, & glorificationis. De qua Esa. 26. *Vrbs fortitudinis*
Esa.26. *nostræ Sion Saluator ponetur in ea murus, &*
ante murale, & intrauit in domum Zachariæ. Sacerdotis senis, & Sancti non secuta
Mala 3 lasciuias iuuenum. Ruth. 3. *Benedicta filia*
Ruth.3 B *tu à Domino, & priorem gratiam posteriore superasti, quia non es secuta iuuenes pauperes, siue diuites.* Eccl. 17. *In partes vadę sæculi Sācti, cū viris, & dātibus confessionē Deo.*
Eccl.17

Quā etiā benigne se obsequio exhibuit subiugit dicēs, & *salutauit Elisabeth* Quā enim Dominus in *benedictionibus dulcedinis præ-*
Psa.20 *uenit.* Ipsa etiā omnes prçuenit in salutis officijs, & ideò quanuis maior fuerit omni homine, & maior à minore secundū illius terræ consuetudinē, consueuerit salutari: tamen vt perfectè humilis inferiori se humiliat & primo salutat columbina simplicitate, cognatam præueniens in obsequijs charitatis.

Trium autē est signum salutatio, & tribus
C modis peragitur verbo, scilicet pacis, vt pacificus signetur ingressus. Occursu corporis, vt concors in omne bonum notetur affectus. Et osculo oris, vt mixtio, & vnio spiritus in charitate designetur. De primò horū dicitur
Mat.10 Mat. 10 *Inquacūq; domū intraueritis: primū dicite. Pax huic domui, & si ibi fit filius pacis, requiescet super eū pax vestra.* De secundo dicitur: Rom. 12. Id ipsū inuicē sentiētes.
Rom.12 De tertio Cā. 1. *osculetur me osculo oris sui.*
Cant.1. Rom. vl. & 2. Cor. 3. *Salutate inuicē in osculo*
Rō vlt. *Sancto.* Sed quare non salutauit Zachariam?
2.Co.3. respondeo, quia adhuc erat propter incredulitatem mutus, & surdus: nec decebat pudorem Virgineum cum viro nutibus signorum
D occupari: talia enim lasciuiam prætendunt.

ET FACTVM EST, VT AVdiuit salutationem MARIÆ Elisabeth; exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, & exclamauit voce magna, & dixit. Benedicta tu inter mulieres: & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me: ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: exultauit in gaudio infans in vtero meo. & beata, quæ credidisti: quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Ex positio, quàm benignam se exhibuit ad obsequēdum; deinceps ostendit, quàm grata

fuit ad gratias egendũ. In hoc autẽ dicit tria. Primò, enim narrat Euangelista, qualiter Elisabeth, dona gratiarum Matris Dei referat. Et secundò, qualiter eadem in congratulatione proposuit. Et tertiò, quàm magnificas Virgo Beata gratias egit. Adhuc circa primum innuit duo: dicit enim, quod auditu salutationis Elisabeth præuenit infantem. Et secundo dicit, quòd sensu potentiæ Dei, & Matris eius, infans preuenit Matrem, & hæc sunt Dei mirabilia, quibus magnificauit, & mirificauit Ioannem: de primo igitur dicit: *Et factum est*: non quidem casu, sed diuina virtute. Iob. 5. *Nihil in terra sine causa fit*: Sicut & Ezechiel exorsus est, dicens: *& factum est, vt audiuit*. Hoc est statim, postquàm auditum sensit salutationem, hoc est, salutationis eulogium à Saluatore concepto vim trahens, *MARIÆ Elisabeth*. Iam enim intra viscera clausum habuit IESVM salutis auctorem, cuius Spiritus corporeus, cum suo spiritu mixtus, vehiculum fuit verbi, & materia vocis; & sic vox illa melliflua influebat auribus. *Elisabeth*. Can. 2. *fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis*. Mixtus enim spiritus Filij cum spiritu Matris, pro certo gratiam diffudit in labijs. Et mel, & lac faciebat sub lingua: gratiam quidem ad cor mouendum, mel in dulcedine auditus. Et lac in desiderio refectionis verbi, quod proferebatur. Salutet igitur, & loquatur, quia fauus distillans sunt labia sua. Salutetur frequenter, vt resalutet; quia à se salutantibus erubescet de silentio. Eccl. 41. Sic ergo, vt *audiuit salutationem Elisabeth*, miro modo ex virtute Christi in Verbo Matris factum est, quod in gaudio, & sensu potentiæ Dei, *infans*, non fari potens, nec liberas vitæ capiens auras: *exultauit*, quod motum corporis sonat ex gaudio cordis præcedentem, *in vtero eius*; adhuc pendens à radicibus vteri anilis, & sterilis. Attende quàm lætus fuit aure in auditu iste infans, qui præsentiam Dei sensit in voce Virginis per aurem suæ matris, & præuenit eam, quę vocem ipsam ante eum susceperat. Iob 4. *Vocem eius quasi auræ lenis audiui, & quasi furtiuæ suscepit auris mea venas susurrij eius*, Ioã. 3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis*. Et Ioannes: *Quidem scit, vnde veniat, aut quo vadat*. Licet hi, qui sunt magistri in Israel hoc ignorent: ex motu igitur exultationis infantis ad gestum præcursoris, probauit quàm verum sit, quod dixit Angelus. *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*. Et ex hoc etiam vterus sensit, qui præsẽs erat in vtero, contra quem infans gestiuit pręcursoris officio. Ecce sic pręsentẽ Deum in vtero Virginis cognouit *Elisabeth*. Non enim Virgo verecunda de se tanta dixisset, nisi ipsa Elisabeth hoc à Deo didicisset. Hierem. 31. *Non docebit vnusquisque fratrem suũ, dicens: cognosce Deũ, quia omnes scient me à minore vsque ad maiorẽ eorũ*. Esa. 52. *Propter hoc sciet populus meus nomẽ meũ in die illa: quia ego ipse qui loquebar ecce adsum*. Sequitur, *& repleta est*, ecce qualiter proponit, & quid? qualiter quidem, quia repleta Spiritus Sancto, & clamans. De primo horũ, dicit, *& repleta est*: modus iste repletionis est, sicut quando aliquid habetur in habitu, & cum gaudio subitò prorumpit in actum: tunc enim gaudium spiritus diffunditur in corde simul, & corpore, & replet pectus, & coarctat, vt & ordinatè propalari non possit. Et hoc quidem aliquando facit anxietas, & (aliàs, sed) impetuosius facit hoc gaudium. Anxietas quidem facit sicut Baru. 3. *Et nunc Domine Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te*. Gaudium autem facit hoc impetuosius; ita quod ad modum iubili prorumpit in vocem, Esai. 54. *decãta laudẽ, & hymni, quæ nõ paries bas*. Hoc est ergo, quod dicere intendit: *& repleta est*, repletione præmente, *Spiritu Sancto Elisabeth*, Psal. 89. *Repleti sumus mane misericordia tua: exultauimus, & delectati sumus in omnibus diebus nostris*, Eccl. 36. *Reple Sion in enarrabilibus virtutibus tuis, & gloria tua populum tuum*. Psal. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem*: & ideò *exclamauit* exclamare. Hoc est, comceptum spiritũ clamore valido excutiendo prodere, sicut Iob 32. *Coartat me spiritus vteri mei, loquar ergo, & respirabo paululum*. Sic etiã est, quando proditur angustia in clamore. Sicut Dani. 13. dicitur, quòd *exclamauit Susanna*. Intensio enim maximæ deuotionis. Sicut Matth. 27. *IESVS clamans voce magna tradidit Spiritum*. Et de clamore in delitijs amoris, Can. 8. *Dilectus meus clamat ad me: pone me sicut signaculum in corde tuo, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est, vt mors dilectio. Voce*. Vox dicitur, quia cum imaginatione, & intentione prolata. 1. Cor. 14. *Si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus*: *Magna*, quia de magnis, Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis*. Mirabilis est virtus vocis, cui spiritus IESV immixtus est, vt perueniat ad infantem, vt interius formet sermonem, vt extrà proferat vocis virtutem, vt in auditu suam ostẽdat auctoritatẽ. Perueniet ad infantẽ hic, & Hie. 1. *Ante quã exires de vẽtre sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te*. Prophetæ autẽ de Spiritu Sancto Dei loquũtur: Quod intus fromet sermonẽ. Psal. 84. *Audiã quid loquatur in me Dominus Deus, &c.* Et extra etiam profert vocis virtutẽ, &c. 1. Cor. 13. *An experimentũ queritis eius, qui in me loquitur Chri-*

Iob 3. *Can.* 2. *Eccl.* 41 *Iob* 4. *Ioan.* 3. *Hier.* 31 *Esa.* 51. *Baru.* 3 *Esai.* 54 *Psal.* 89 *Eccl.* 36 *Psal.* 15 *Iob* 32. *Dan* 13 *Mat.* 27 *Cant.* 8. 1. *Co.* 14 *Psa.* 67. *Hier.* 1. *Psal.* 84 1. *Co.* 13

Christus: quod in auditu suã ostẽdat auctoritatẽ. Luc.10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit,* & ideò dicit ad Moysẽ, Exo.3. *Ego ero in ore tuo.* Videamus autẽ quid clamat. Clamat Matris Dei benedictionem, honorem, admirationem, & beatitudinem. Benedictionem quidem duplicem in se, & in fructu. Benedictionem in se, dicens: *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc quidem dixerat Angelus, dicit, & *Elisabeth.* Angelus in persona Ecclesiæ triumphantis, quàm Virgo reparauit; *Elisabeth* in persona Ecclesiæ militantis, quam mortuam, sua benedictione Virgo resucitauit: dicit ergo: *Benedicta tu inter mulieres.* Hoc est, bonis mulieribus, præ omnibus ad dicta est, & consecrata. Mulier autem dicitur à mollicie molliente hærum, & quia mollis est, rectore indiget, sub quo sit. Et ideò virtus mulieris propria secundùm comparationem ad virum, est humilitas, qua subdita fit. In se ipsa; quia mollis est, virtus conseruans (aliàs tuens) mollitiem est continentia, vt casta sit. In comparatione autem ad domum est operositas, vt nunquam ociosa sit. Vnde Aristot. dicit in Rhetor. quòd bonum mulieris est operositas. Hæc tria dona (aliàs bona) præ cunctis habuit Virgo Beata. Et ideò in mulieribus benedicta. De humilitate quidem habes: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et filius, in Matth.11. *Discite à me; quia mitis sum, & humilis corde.* De castitate. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Omnes enim aliæ spinæ sunt cruentatæ, sed ipsa sola spina nescia. De operositate, Prou. vlt. *Panem ociosa non comedit.* Matth. 20. Dicitur de alijs: *Quid hìc statis tota die ociosi.* Multa enim mala docuit ociositas. Et *Benedictus fructus ventris tui* Et ideò venter benedictus. Hæb. 6. *Terra superse venientem sæpè bibens imbrem, & germinans herbam oportunam, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo.* Hoc est enim germen Domini, quòd est *in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*, Esai.4. *Fructus.* In quo solo fruendum est, hoc est, amore inhærendum propter se ipsum. Fructus speciosus in visu. Fragrans in olfatu, purissimus in contactu, dulcissimus in gustu, suauissimus in sumptu, præciosissimus in valore, nobilissimus in munere. De speciositate. Psal.44. *Speciosus forma præ filijs hominum.* Vnde lignum vitæ, contra lignum Euæ, quod erat *Pulchrum visu, & aspectu delectabile.* Hic enim fructus, *Lignum vitæ est his, qui apprehenderunt eum.* Prou. 3. Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Cant. 5. *Dilectus candidus, & rubicundus.* Fragrans est olfatu. Gen.27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ibidem, statim, *Vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedixit*

*Luc.*10 *Exo.* 3. *Mat.*11 *Cant.*2. *Pro.vl.* *Mat.*20 *Hæb.*6. *Esai.*4, *Psal.*44 *Gen.* 3. *Pro.* 3. *Cant.*1. *Cant.*5. *Gen.*27.

ei. De puritate tactus eius, & virtute. Luc.4. *Quotquot tangebant eum curabantur; quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Nihil impuritatis est in ipso, sed totum sanum, totum sanans, & ad puritatem reducens de suauitate in gustu. Cant.2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* 1.Pet.2. *Si tamen gustatis; quia dulcis est Dominus.* Psal.23 *Gustate, & videte,* &c. De precio valoris; quia datur omnibus in precium. Psal.126. *Cùm dederit dilectis suis somnum. Ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris.* Hæreditas nostra est merces filij intranitiuè. Hæc merces quæ est filius, qui est fruct⁹ vẽtris nobilis est; quia, Cant.5. *Electus est ex milibus.* Gen.43. *Sumite de optimis terræ fructibus*, vel frugibus *in vasis vestris, & deferte viro munera, & erit vobis placabilis.* Terra enim vteri virginalis hunc fructum portauit, & ideò Beatus vterus; sic ergo in medium protulit, quòd est benedictionis; & subiungit, quòd est honoris, dicens: *Et vnde hoc mihi?* Hoc quo pacto, vel debito, vel merito, vel dignitate; Prorsus, nulla: & non glorietur omnis caro coram illa, sed quod non tibi, ò Elisabeth, hoc sibi debetis, quæ quantò maior est, humiliat se in omnibus, sequens odorem, & sentiens fructum sui ventris Qui dixit Luc.22. *Nã quis maior est, qui ministrat, aut qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Ioan. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis sum etenim: si ergo ego laui vestros pedes, Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Sic exhibens se ad obsequium. Iam dicit mater, ac si dicat illud 1. Reg.25. *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Inde ergo tibi, ò Elisabeth, vt veniat obsecutura, Mater Domini mei ad te, cuius tu es ancilla, dicente Rege Dauid. Psal.25. *O Domine quia, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Et idem dicit magnificus Salomon. Sap.9. Si autem sumus serui filij tui, sumus, & serui Matris Domini nostri, & quod venit ad nos, suæ humilitatis est, clementiæ, & dignationis. Hoc igitur est præconium honoris, qui est præmium virtutum eius apud nos. Honor enim est exhibitio reuerentiæ insignum virtutis, hæc est enim illa Mater, de qua dicitur. Eccles.15. *Obuiabis illi, quasi Mater honorificata.* Et de qua dicitur Ruth. 3. *Scit omnis Israel mulierem te virtutis esse.* Honorem igitur habebimus. Dominæ, & matri nostræ omnibus diebus vitæ nostræ. Tob. 4. Memores vberum, quibus vberibus fudit lac conceptæ dulcedinis, veniens ad nos in spiritu dulcedinis; veniens ad nos in spiritu humilitatis; & in obsequijs pietatis; inebrians nos lacte puritatis, & dulcissimę suæ consolationis, & subiungitur, id quod est præconium admira-

Lucæ 4. *Cant.*2. 1.*Pet.*2 *Psal.*23 *Pf.* 126 *Can.* 5. *Gen.*43. *Ioan.*13 1.*Re.*25 *Psal.*25 *Sap.*9. *Eccl.*15. *Ruth.*3. *Tob.*4.

tio-

tionis, dicens: *Ecce enim vt facta est vox.* Mixta cum spiritu Verbi tui incarnati, & inuiscerati: *Salutationis tuæ.* Hæc enim est
Cant.2. *vox turturis audita in terra nostra.* Cant.2.
Cant.4. Cant.4. *Fac me audire vocem tuam, in auribus meis.* Quæ est melos aurium mearum. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Admiratione dignum est, quòd infans applaudit in vtero voci, quàm Adam timuit in paradyso. Sicut dicitur. Gen.3 *Audiui Domine vocem tuam, & abscondi me.* Ille de publico in absconditum fugit, & latebras quærit; infans de abscondito in lucem gestit, & omnibus indicare gestit agnum, qui tollit peccata mundi. Ille enim reus formidat iudicem, cuius præsentiam ferre non potuit. Iste
B autem conscius sibi de Spiritu Sancto, quo plenus fuit, & agnoscens, quòd Pater *non misit filium, vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum.* Ioan.3. Omnes inuitat ad eũ, vt vitam habeant in ipso. Quasi di-
Cani.2. ceret illud Can.2. *En ipse stat post parietẽ nostrum respiciens per fenestras, propiciens per cancellos.* Paries enim est compago corporis, fenestra lucis, mundicia virginis, cancelli rimæ, gratiæ, per quas se manifestauit: *Et Beata, quæ credidisti.* Ecce adiungit, quòd est Beatitudinis. Si beatitudo est actus secundùm perfectam animi virtutem. Ista maximè Beata fuit, quæ virtutum, & gratia fuit plena, quæ tàm prudens, quæ tantę fidei, vt fide
C mereretur concipere, & fide totius Ecclesiæ fit fundamentum, & columna. Credere autẽ, vt dicit Augustinus, est cum assensu cogitare, & tota deuotione inniti credito. Assentiendo enim dixit: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum.* Cogitando autem quæsiuit modum; deuotione autem quæsiuit creditum, quando in oratione ad se traxit Verbum, di-
Cant.2. cẽs in spiritu illud Can.2. *Dilectus meus mi-*
Cant.8. *hi, & ego illi.* Can. 8. *Innixa super dilectum suum.* Fides autem est, vt dicit Beatus Dionysius, lumen, quòd locat in credentibus veritatem, & veritas in ipsis locata. Ergo tota in prima veritate innitebatur sapientiæ Dei,
1.Cor.1 quæ filius eius est, sicut. dicitur 1.Co.1. *Christum Dei virtutẽ, & Dei sapiẽtiã.* Sic igitur:
D *Beata*, quæ credidit, quoniam de veritate contemplando cum admiratione cogitauit: plena fide, & veritati assensit, & hac charitate veritatis, in oratione deuotissimè quæsiuit, & per conceptum inuenit, per cognitionem in ipsa locata fuit, & per assumptionem
Gen.28. carnis veritas fuit locata in ipsa. Gen. 28. *Verè Dominus est in loco isto.* Quia locus iste à Deo factus est inestimabile Sacramentum. Cùm enim in corde omnium fidelium locetur veritas, in Beata Virgine etiam in ven-
Ps.132. tre locata est. Non demus ergo somnum oculis nostris: *Neque palpebris nostris dormitationem, donec inueniamus locum Domino, ta-*

A *bernaculum Deo Iacob.* Ecce *Beata*, quæ credidit (*Quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei a Domino.*) Video, quòd fides est fundamentum *rerum sperandarum.* Hæb.
11 *Fundamentum* enim in corde MARIÆ *Hæb.11*
Nemo potest ponere præter id, quod positũ est quod est Christus IESVS. Ambr. Hæc est fides Christi IESV. 1.Cor.3. Fũdamẽta æterna supra petram stabilem immobilis veritatis, *1.Cor.3*
Eccl.26. *Quidquid desuper ædificatur, stabit in æternum, perficientur*, igitur, quæcumque *dicta* sunt ei *à Domino.* Quænam autem sunt illa? Quænam inquam, quæ non sunt iam verè impleta: ecce gratia plena est, Dominus secum est; & in mente, & in ventre, Benedicta tu in mulieribus. Benedictum fructum ventris, baiulat. Quid igitur adhuc restat, certè omnia restant Sacramenta nostræ redemptionis, quæ quamuis dicta non sunt ab Angelo, tamen à Prophetis sunt prædicta, & ab Angelorum illuminatione comperta (aliàs comparata) Num. 23. *Non enim Deus est, vt homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur, dixit ergo: & non faciet, locutus est, & non implebit?* omnia ergo *perficientur, quæ dicta sunt* ei *à Domino.* Perfectum autem est, cui nihil deest, vt dicitur 3. Phys. Nihil autem est, quòd locutus est, quòd non factum sit. Esai 34. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex omnibus non*
C *defuit, alter alterum non quæsiuit.* Matth. 5. *Iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant*, & Mich. 6. *Populeus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi?* Et Esai. 5. *Habitatores Hierusalem, & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meã, quid vltra debui facere vineæ, & non feci ei?* Perfecta igitur sunt omnia, quæ dicta sunt ei *à Domino.* De se, & de nobis, & de ipso. Et ideò Matth. 27. In cruce pendens dixit: *Consummatum est.* Demus ergo magnificentiam Deo nostro; quia perfecta Dei sunt opera Redemptionis, sicut perfecta sunt opera creationis. Et speramus, quòd ita perficientur opera glorificationis: *Vt occurramus omnes in virum perfectum, in mensura ætatis plenitudinis Christi.* Eph. 4. Et cum ea cui dicta sunt
D perficienda gratias agamus, dicentes: *Eph. 4.*

ET AIT MARIA, MAGNIFICAT anima mea ad Dominum.

Tandem iam per multa victus est pudor virginalis; iam effluit tota in gratiarũ actione. Cùm enim iam in publicum propositum sit à cognata: de benedictione præ omnibus mulieribus recomendata: de benedictione fructus ventris omnibus gentibus danda. De dignitate Matris Domini omnium creaturarum. De effectu vocis mixtæ cum spiritu filij, cum qui ferè nondum fuit, excitante ad

gau-

gaudium, & præcursum de magnitudine fidei, & Beatitudine ipsius iam vlterius non ferens se ipsam, ne ingrata reputetur ad Dei dona. *Et*, vt exẽplo suo excitet alios ad gratias agendum, quasi diceret: *Magnificate Dominum meum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Ait MARIA.* Eccl. 47. *Dedit enim in hoc cantico in celebrationibus decus, & ornauit tempora vsque ad consumationem vitæ.* Vsque hodie enim, & in æternum cantatur hoc canticum, in honorem ipsius, in laudibus vespertinis. Concinuit enim MARIA Exo. 15. Canticũ, quãdo trãsierunt filij Israel de manu Pharaonis liberati. Concinuit Delbora, quando liberati sunt de manu Sysaræ. Iudi. 5. Hęc igitur non * cantabit liberatorẽ enixa, qui per mare rubrũ eduxit in baptismo de Pharaone, hoc est, de Diabolo liberabit. Cãtauit certè, & digniùs alijs, qui figurã huius Sacramenti tantũ decantauerunt. Cantauit item Moyses legem donans, & per canticum populum ad seruandam legem contestans. Cantauit, & Anna Propheram fidelem generans: digniùs autem, & cantat MARIA, quæ & legislatorem protulit, & Dominum Prophetarum. Iudic. 5. *Ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.* Cogitauit enim quòd dicitur. Eccl. 32. *Quod est verecundia adducens gloriam* Et hanc hactenus in taciturnitate tenuit: *Et quòd est verecundia adducens ignominiam.* Quæ claudit os à cõfessione laudis, & hanc vlterius tenere noluit. *Et* ideò aperiẽs os suũ, *ait MARIA:* Sap. 10. *Sapientia aperuit os muti.* Dum in corde conciperetur: *Et linguas infantium fecit disertas.* Quantò magis sapientia Verbum in carne factum, referabit os Matris in laudem Dei decantantis. Quæ, inquam, fuerunt nuptiæ tam solemnes, in quibus non cantaretur Epithalamium? Nubere enim non potuit caro glorioſiùs, maritari noluit Verbum Patris altiùs: Mater ergo sponsi, quæ simul etiam thalamus est, dignè cantabit. Ait ergo MARIA cantando: *Magnificat anima mea Dominum.* Duo autem facit in hoc cantico; dicit enim modum laudis diuinæ, & materiam: modum autem exprimet in duobus, in laude, & exultatione; in laude quidem tangit tria, modum laudis, quid in ea potissimũ laudetur, & quid laudatur: modus autẽ laudis exprimitur, cùm dicitur: *Magnificat anima mea.* Hoc est, laude extollit. *Magnificat,* Eccl. 43. *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude.* Magnificatur autem Dominus quinque modis, laude scilicet, opere, profectu virtutis in nobis, & membrorum augmentatione, & miraculis. De magnificatione laudis est in extollentia (aliàs excellentia) suæ bobonitatis. Psal. 68. Laudabo nomen eius cum cantico, & magnificabo eum in laude de opeA ribus Eccl. 18. *Quis inuestigauit magnitudinem eius: non est minuere, neque adaere, neque inuestigare magnalia eius.* De profectu virtutis in nobis, Phil. 1. *Sicut semper, & nunc magnificabitur Dominus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum.* Et hoc est, quòd dicit Ambrosius, magnificatur, non quòd humana vox ei aliquid adiungat, sed quia magnificatur in nobis: de magnificatione, quæ est in membrorum augmentatione dicit Esai. 33. *Magnificatus est Dominus, qui habitauit in excelso, repleuit Sion iudicio, & iustitia.* Hæc autem augmentatio fit, quando fideles, & populus Deo seruiens numero augetur, & merito. Psal. 33. *Magnificate Dominum mecum.* De magnificatione in miraculis est, quando mirabilia eius prædicantur. Maximè mirabilia, quę in incarnatione. Dan. 3 *Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædica re signa eius; quia magna sunt, & mirabilia, quorum non est numerus; quia fortia.* Iob. 5. *Qui facit magna, & inscrutabilia, quorum non est numerus.* Igitur his quinque modis *magnificat anima.* Anima autem est pars animæ, quæ animat corpus vegetando, & sensificando. A quo etiam dicitur animalitas. Hæc enim in glorioſa Virgine, & Beata principaliter *magnificat*; quia in animalitate illa, in visceribus eius fouetur, & nutritur, & crescit, secundùm quantitatem corporalem. Et ideò etiam licet spiritus pars animæ dignior sit; tamen in hoc conceptionis Sacramento, *anima* est coniunctior Verbo incarnato. Et ideò plus inducitur laudans. Psal. 102. *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Sanguis, viscera, & totum, quid intrinsecus latet: *anima* enim est actus corporis operans, vt foueatur, & nutriatur, & coalescat, & crescat. Sanctus iste conceptus, Esai. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te.* Hæc est enim anima, principium vitæ, & causa, sicut dicit Aristot. 2. de anima, quæ iam vitam, & fontem vitæ fouet, & nutrit. Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua.* O Virgo Beata, vt totum ad conceptum in te Deum referas vitam tuam, sic ergo magnificat anima mea &; quem? *Dominum.* Præter alias Domini proprietates, duas tangit Dionysius, quòd videlicet dominationis incessanter appetitiuus, & quòd nunquam dominatio legitur missa ad exterius mysterium aliquod, neque est ambitionis, quòd dominationem verè Dominus existens; appetit. Quia dominatio sibi naturalis est, & caderet à natura, si scabellari appropinquaret subiectioni, vel seruili conditioni se subijceret. Adhuc autem si exterioribus mysterijs occu-

Psal. 33 *Eccl.* 47 *Exo.* 15 *Iud.* 5. *Exo.* 15 *1. Reg.* 2 *Iud.* 5. *Eccl.* 32 *Sap.* 10. *Eccl.* 43 *Psal.* 68 *Eccl.* 18 *Phil.* 1. *Esai.* 33 *Psal.* 33 *Dan.* 3. *Iob* 6. *Ps.* 102. *Esai.* 26 *Deu.* 6.

occuparet se, altero quodam superiore ad exteriora ministrando mitteretur. Et sic Dominus non supponeretur. Si ergo hæc in Angelicis dominationibus, & hominum, ita se habent, pensandum, est quantę dignationis sit quòd Dominus maiestatis, quasi dominationis oblitus, formam serui induit, & in extremis, & humillimis seruitijs, seruis suis ministrauit, omni laude profecto dignus est: *Qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus est, vt homo.* Phil. 2. Vltra quam lingua exprimere potest magnificandus, qui cùm maior esset, & vt Dominus recumbere deberet, erat *in medio no-* Luc. 22. *strum, sicut qui ministrat.* Luc. 22. Et fortè magnalia huiusmodi humilitatis notans, dicit: *Magnificat anima mea.* Plus enim potest anima cogitatu, quàm lingua effatu: lingua autem dignam laudem his magnalibus referre non potest, neque etiam anima, sed efferentes anima nihil habemus in nobis, quòd aliquid ampliùs possit. Quis etiam digna laude efferat Dominum maiestatis, carnis sacco indutum. Obsequio humili humiliatum, morte mactatum, & corpore turpatum. Eccl. 44. *Multa dicimus, & deficimus in ver-* Eccl. 44 *bis, consumatio sermonum ipse est.* Sic igitur: *Magnificat anima mea Dominum.*

ET EXVLTAVIT SPIRITVS meus in Deo salutari meo.

Tangit hic modum laudis, & cantici. In iucunditate enim hoc canticum editum est. Et cum exultatione spiritus prolatum. Sicut dicit Apostolus: *Cantantes, & psallentes* Eph. 5. *in cordibus vestris Domino.* Eph. 5. Dicit autem, & hic tria, modum videlicet laudis, ex parte laudantis, & quid in ea laudat, & quid potissimum in Domino laudatur: laudis quidem modus, est exultationis, vt exultatio sit quædam exaltatio in iubilo, cùm cordis gaudium, saltat in corporis iucunditatę. Tunc patet, quòd exultare spiritum, est iucundari Zach. 9. spiritum, etiã in tripudio corporis. Zachar. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Ps. 149. Psal. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum.* Et quid exultabit? *spiritus*, inquit, *meus. Spiritus*, vt dicit Ambrosius, est pars mentis nostræ superior, quæ ad imaginem Dei, est insignita: hæc ergo pars merito exultat, suscipiens eum, qui est imago Dei Colo. 1. inuisibilis. Colos. 1. Per quem cùm imaginę nostram assumpserit, & ipsa spiritus imago erit reformãda. Sicut dicitur Iob 33. *Si fue-* Iob 33. *rit pro eo Angelus loquēs vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet: liberabo eum, ne descendat in corruptionem.* Et hanc authoritatem iam su- Esai. 61 perius ex posui mus. Et ideò transimus. Esai. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit spiritus meus in Deo salutari meo.* In Deo, inquit, *salutari meo.* Ac si diceret, in Deo IESV meo; quia IESVS Saluator, vel salutaris interpretatur. Ipse enim est, qui imaginem reformat. Reformando à peccatis saluat. Abach. 3. *Ego autem, in Domino* Abac. 3. *gaudebo, & exultabo in Deo IESV meo.* Sequitur.

QVIA RESPEXIT HVMILITATEM ancillæ suæ: ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.

Hic beneficia commemorat, quæ extollendo laudat. Et primò, quædam specialia. Secundò, generalia ponit. Et tertiò, ponit ea quæ pertinent ad veritatem promissam de incarnatione. De se autem spiritualiter dicit duo. Vnum quidem, quòd est in ipsam per humilitatis meritum: secũdum autem, quod est in Domino per potentiæ diuinæ effectum. Id autem, quòd est in ipsa per humilitatis meritum, est prædicatio suæ beatitudinis. Secundùm autem, quòd est in ea per potentiæ effectum, est operatio magnitudinis per nomen sanctitatis. Circa primum dicit duo, respectum videlicet meriti, & per congruitatem adaptationem præmij. De respectu meriti dicit: *Quia respexit humilitatē.* Et dicit tria, respectum diuini beneplaciti, & acceptationem meriti, & talis meriti deuotissimã exhibitionem. Sic continua: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo.* Quia omnem sic canentem Deo excitat aliquid bonum diuinum. Ideò, & ego cano: *quia* Dominus Deus salutaris meus: *Respexit.* Oculo beneplaciti sui approbando, sicut Gen. 4. *Respexit ad Abel, & ad mu-* Gen. 4. *nera eius. Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit.* Sed potiùs eum, & munera eius despexit. Attende, quòd respicere est visum in id, quòd posteriùs relictum est reducere. Humana enim natura post tergum Dei relicta fuit, post eiectionem Adæ de Paradyso, vbi in præsentia Dei relicta fuit, & oculos suos ibi super eam posuit. Nunc autem per Beatæ Virginis humilitatem visum super eam reduxit. Misericordiæ primo, & gratiæ consequenter. Et beneplaciti tertio, & deinde oculos quasi fixos super eam firmauit. Misericordia enim primo ad nos faciem Dei conuertit. Gratia, quæ gratos fecit, intueri nos fecit. Beneplacitum autem, quòd est placens voluntas, oculos in nobis, ne iterum auerterentur, tenuit. Suffragium verò Virginis in nobis eos fecit, & firmauit; de primo dicit Dauid Psal. 24. *Respice in me, & mise-* Psal. 24 *rere mei.* De secundo item in Psal. 83. *Prote-* Psal. 85 *ctor noster aspice Deus, & respice in faciem Chri-*

Christi tui. Hoc est, vncti chrismate gratiæ
Psal.68 De tertio item in Psal.68. *Ne auertas faciem*
Esai.64 *tuam à puero tuo.* Et Esai. 64. *Ecce Domine respice, populus tuus omnes nos.* De quarto
Psal.31 adhuc in Psal. 31. *In via hac, qua gradieris firmabo super te oculos meos.* Aliter enim Dominus respecit: communiter homines: aliter obstinatos: aliter pœnitentes, & aliter perfectos, siue electos. Communiter enim omnes respicit, gressus eorum discutiendo.
Cant.2. Can.2. *En ipse stat post parietem nostrũ, prospiciens per cancellos, respiciens per fenestras.* Paries enim corpus est, post quem solus in rectitudine stetit. Cancelli sunt rimæ luminis, quibus conscientias illustrat. Fenestra, illustrationes apertę, quibus opera ponderat, & manifestat. Obstinatos autem respicit condemnando, iratum vultum ad eos con-
Exo.14 uertendo. Exod. 14. *Factum est in vigilia matutina, respexit Dominus super castra Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum, fereban turque in profundum.* Et de hoc respectu, di-
Abac.1. cit Abachuh. 1. *Quare non respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se.* Pœnitẽtes autem respicit respectu misericordiæ, dissoluendo glaciem cordis eorum.
Luc.22 Luc. 22. *Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus Petrus foras fleuit amarè.* Nec mirũ; quia oculi Domini sunt sicut flam
Apoc.1. ma ignis. Apoc. 1. *Et à facie ignis dissoluitur*
Psal.67 *glacies*, Psal. 67. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

Electos autem, & perfectos respicit oculo
Sap.4. beneplaciti sui. Sap. 4. *Respectus eius in electos eius.* 2. Reg. 19. *Mecum veniat Chamaã*
2.Re.19 (aliàs Chanaan) hoc est, transmutatus: *Et ponam oculos meos super eum.* Sic ergo: *Respexit humilitatem.* Non dicit castitatem; quia sicut dicit August. in lib. de Sancta Virginitate: plus humilitas Virginis, quàm castitas placuit. Aliquando cum humilitate ea, quæ
Luc.7. non casta fuit, placuit. Sicut mulier: *Quæ erat in ciuitate peccatrix.* Luc. 7. Nunquam autem placuit castitas sine humilitate. Vnde
Mat.25 Virgines fatuæ vanitate superbiæ euanescentes displicuerunt. Matth. 25. Humilitas autem ab humo dicitur, eo quòd se in humum in infimo prosternit: spernit enim mundum, spernit nullum, spernit sese, spernit se sperni. Vnde Beatus Malachias V.

Spernere mundum, spernere nullum, spernere se se.

Spernere se sperni, quatuor hæc bona sunt.

Et ideò dicit B. Bernardus. Verus humilis, vilis, vult reputari, & non humilis prædicari: hoc solo sanè superabit, quòd laudes con-
Esai.37 temnit. De contemptu mundi. Esai. 37. *Despexit te Virgo filia Sion, post te mouebit caput filia Hierusalem.* De hoc, quòd nullus
Esai.58 spernatur. Esai. 58. *Carnem tuam ne despexeris.* Rom. 14. *Tu quare contemnis fratrem tuum.* De contemptu sui ipsius. Phil 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* *Rom.14* *Phil.2.* Quòd autem, & contemnat se contemni. 1. Cor. 4. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Psal. 52. *Confusi sunt, qui hominibus placent.* Hoc est, placere intendunt, quoniam Deus spreuit eos. Gal. 1. *Gala.1.* *Si adhuc hominibus placerem.* Hoc est, placere quærerem: *Christi seruus non essem.* Hæc fuit gloriosæ Virginis humilitas, *Quæ* mundum spreuit. Et ideò cultum *mulierem non quæsiuit.* Esther. 2. Quæ nullum spreuit; *Esth. 2.* quia omnibus matrem pietatis se exhibuit. Psal. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio* *Psal.86* *est in te.* Quæ se spreuit, & ideò se inferiori seruituram exhibuit. 1. Reg. 25. *Ecce famu-* *1.Re.25* *la Domini sit in obsequium, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Spreuit se sperni, & ideò castitatem vouit, quæ in lege improperio, & maledicto subiacebat. Vnde Elisabeth dixit: *Quia sic fecit mihi Dominus in die, quando respexit auferre opprobrium meum inter* *1.Reg.* *homines.* Sic ergo *respexit humilitatem.* Modus autem, quo humilitatis meritum exhibuit, subiungitur, quãdo dicit: *Ancillæ.* Quæ ad omnem nutum parebat, & circummouebatur. Ad omne obsequium Domini parata; & hoc est, quòd dicitur. Cant. 5. *Manus eius* *Can. 5.* *tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Aurum enim in manibus, splendorem diuinæ sapientiæ significat in operibus. Tornalitas obedientiam volubilem, ad omne signum voluptatis: Hyacinthi qui cęlestis coloris sunt, in omnibus his cœlestem intentionem. Ecce verè ancilla Domini, sapiens in ordine obsequij, volubilis in celeritate ministerij, & omnino cœlestis intentione: *Respexit*, ergo humilitatem *ancillæ suæ.* Pro certo, in qua nihil iuris inuenit alienus. Vnde confidenter dicit illud. Gen. 31. Ad Diabolum, & ad mun- *Gen.31.* dum: *Quid inueneristi in me de cuncta substantia domus tuæ.* Et illud Ioan. 14. *Venit enim* *Ioan.14* *Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* Et ideò congruum huius meriti sequitur præmium: *Ecce enim ex hoc beatam.* Tangit autem circa hoc quatuor, euidentiã, causam, præmium, & à quibus, euidentiam tangit, cùm dicit: *Ecce*; quia iam pignus, & arram in vtero clausit. Cant. 3. *Egredimini* *Can. 3.* *filiæ Hierusalem, & videte Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Hoc est in carne coronata cum lapide præcioso virtutis: *In die desponsationis eius*; quando sibi nostram naturam desponsauit. *Et in die lætitiæ cordis illius.* Quo in vtero tam florigero, tam delectabiliter quieuit: *Ex hoc.* Hoc est, ex nunc, vel; *Ex hoc* hoc est, ex isto humilitatis meæ (aliàs mirè) merito. Cant. 1. *Cùm esset Rex in accubitu suo, nar-* *Can.1.* *dus mea dedit odorem suum.* Nardus enim humi-

humilis est, frutex, optimi odoris, & redolentiam significat humilitatis: odorem enim secutus Rex cœlestis in accubitu vteri delectatus est, ita vt se ipsum exinaniret. *Beatam me dicent*: Hoc est, nominabunt. Et ideò sicut secundùm Poetas tonans nominatur Iupiter, & Paulus, secundùm sanctos intelligitur, cùm dicitur Apostolus. Ita cùm dicitur: *Beata* Virgo, intelligitur Mater Dei. Nec aliter est nominãda, quàm *Beata* Virgo, ex quo ipsa sibi hoc nomen dicit ab omnibus deberi; *Beata* igitur dicetur, quia quatuor sunt Beati diffinitiones, quas omnes sibi *Beata* Virgo singulariter vendicauit. Dicit enim Tullius, vt dicit Augustinus. Quòd Beatus est, cui omnia optata succedunt. Augustinus autem dicit, quòd Beatus est, qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Arist. autem dicit, quòd Beatus est habens actus secundùm perfectam animi virtutem. Boecius autem in de consolatione, Phisica dicit, quòd Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Beata igitur hæc sola fuit, cui omne, quod voluit, in vno solo volito, & leto ad votum successit. Psal. 67. *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram.* Quasi diceret, nihil: hæc etiam fuit, quæ nihil vnquam mali voluit. Et ideò nunquam peccauit; quia voluntas mala causa est peccati, sicut dicit Augustinus. Et ideò Cant. 5. Dicitur: *Immaculata, columba, & tota formosa.* Habens ergo omne quod vult, & nihil mali volens, *Beata* est Virgo: hæc sola est etiam, quæ secundùm perfectam animi virtutem semper operata est; quia aliter in vacuum plenitudinem gratiæ accepisset. Contra quod dicitur. 2. Cor. 6. *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et ideò dicta est *gratia plena.* Quia gratiam in omni virtute animi ad perfectum eduxit. Et ideò dictũ est ei: *Quod perfecta sunt, quæ dicta sunt ei à Domino.* Hæc etiam sola fuit, quæ omnium bonorum congregatione statum habuit perfectum. Quia præter bona, quæ clausit in vtero Virgo fuit, & Mater. Virgo, & matrona sancto matrimonio iuncta, quòd sanctissimũ fuit pari voto continẽtium, & vidua. Postea tamen commissa fuit Ioanni Apostolo. Ioan. 19. Prou. vlt. *Tu supergressa es vniuersas.* Psal. 44. *Astitit Regina in vestimento deaurato.* Fulgoris diuinitatis circumamicta. Beatificatur Virgo ab omnibus hominibus, varietate omnium bonorum congregatione perfecta. Merito igitur eam simpliciter, & vniuersaliter dicent *Beatam*: *Omnes generationes.* Cùm enim *Dominus salutem* nostram operatus sit in ipsa tanquam *in medio terræ* operatus est eam. Ipsa, enim, medium terræ dicitur, proprietate illa medij, qua ad ipsam omnia extrema, sicut ad reparatricem respiciunt. Cœlestium quidem generatio; quia per eam, quæ in cœlo corruerant sunt restaurata. Terrestrium verò; quia omnes, qui veniunt: *Ab Oriente, & Occidente, & ab Aquilone, & meridie, & recumbẽt cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno cœlorum.* Matth. 8. Sunt reconciliati. Internorum autem; quia tàm in his, qui in Lymbo Patrũ Christum expectabant, quàm in illis, qui in Purgatorio continuò purgantur. Per ipsam sunt à captiuitate reducti. Vnde ipsa mulier, quæ in cœlo amicta sole apparuit in splendore diuino. Et coronam duodecim stellarũ. Hoc est claritatis sanctorum restauratæ ruinæ habuit in capite: ipsa est item, quę in mundo gratia plena effulsit. De qua dicitur Ruth. 3. *Scit omnis Israel mulierem te virtutis esse.* Ipsa est, de qua eiulantes clamant apud inferos Dæmones. *Vna mulier Hebreæa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor Regis.* Qui Diabolum significat Iudith. 14. Vel adhuc: *Omnes generationes.* Virorum, mulierum, cõiugatorum, Virginum, & viduarum, viuentium, morientium, & mortuorum. Virorum enim generatio dicit *Beatam*; quia ad viros per eam propagata benedictio, sicut per primam matrem maledictio, vt sicut dixit vir: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno vetito, & comedi.* Genes. 3. ita nunc dicat mulier, quam dedisti mihi dominam, dedit mihi lignum vitæ, & maledictum primum ademit. Sic enim dicitur, Ecc 26. *Mulieris bonæ beatus est vir.* 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis nimium incredulus, verbis coniugis per mulierem fidelem.* In qua perfecta sunt, quæcumque dicta sunt ei à Domino. Mulierum autem generatio *Beatam* dicit; quia per eam liberata est à maledictionis opprobrio. Genes. 30. *Hoc pro beatitudine mea: ex hoc enim Beatam me dicent omnes mulieres.* Virginum generatio dicit *Beatam*; quia Virgo virginum est, & flos florum; florem seruans pudicitiæ, quæ nunquam emarcuit. Cant. 4. Secundùm antiquam translationem. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt.* Viduæ autem prædicant *Beatam* in Annæ persona. Luc. 2. Anna *confitebatur Domino, & loquebatur de illo.* Coniugatæ autẽ in persona Elisabeth clamãt: *Beata quæ credidit, quoniam perficientur à Domino quæcumque dicta sunt.* Omnes enim fuerunt filiæ suæ per gratiam, quas visceribus charitatis progenuit, & visceribus carnis redemptorem edidit: *Beatam* dicent. Prou. vlt. *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt.* Ecce generatio morientium; generatio enim viuentium est, de qua dicitur in Psal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Hæc ergo *Beatam* dicit; Quia Deus cœleste, & similitudinem immortalis vitæ in terram moriens cœlibatum ostendit. Matth. 22. *In resurrectione, neque nubent, neque*

Psal. 67 — Cant. 5. — 2. Cor. 6 — Ioan. 19 — Pro. vl. — Psal. 44 — Psal. 73 — Ruth. 3. — Iudit. 14 — Gen. 3. — Ecc. 26. — 1. Co. 7. — Gen. 30. — Cant. 4. — Luc. 2. — Pro. vl. — Psal. 26 — Mat. 22.

neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. Generatio autem mortuorum beatam dicit, quæ suæ beatitudinis fructum, & gustum etiam in inferno gustauit, cùm Christus in plenitudine diuinitatis descenderet ad inferos. Esa. 9. *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Vnde hęc est mulier de qua dicitur. Prou. vlt. *Gustauit, & vidit; quia bona est negociatio eius: non extinguetur in nocte lucerna eius.* Vnde Iudith. 15. Dicitur: *Tu gloria Hierusalem.* Et hoc dicunt hi, qui sunt in patria: *Tu lætitia Israel.* Et hoc dicunt, qui adhuc sunt in via *Tu honorificentia populi nostri.* Et hoc dicit generatio mulierum. *Quæ fecisti viriliter:* Et hoc dicunt, qui redempti sunt ab inferis, quos à captiuitate absoluit: *Eo quòd castitatem amaueris.* Et hoc dicunt Virgines: *Et post virum tuum alterum nescieris.* Et hoc dicũt viduę. Vel sic dixit Dominus ad Abraham, quòd seruiturũ sit genus suum quadragintis annis in terra non sua: *Generatione autem quarta reuertetur huc.* Genes. 15. Reductores de seruitute Ægyptiaca fuerunt de Tribu Leui. Moyses, & Aaron. Et ideò quatuor generationes secundùm Tribum Leui computate, significant omnes generationes de seruitutæ Diaboli liberatas. Leui ergo genuit Chaat, Chaat genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aarõ autem genuit Eleazar. Intrauit autem in Ægyptum Chaat cum patre suo Leui. Et Aaron cum filio suo Eleazar exiuit de Ægypto. Erant ergo generationes quatuor, Chaat, Amram, Aaron, Eleazar. Chaat verò delens interpretatur, qui significat Pœnitentes. Amram pater excelsus, qui significat innocentes. Aaron mõtanus, qui figura est Prælatorum. Eleazar separatio Domini, qui significat iam Beatos, à miseria separatos. Et hę omnes generationes *Beatam* dicunt. Ipsa enim est spes veniæ dolentium (aliàs delentium) & expiantium peccata in mundo. Et in inferno ponent exemplum, miraculum Theophili, quem per veniæ gratiam (aliàs veniam gratiæ) reformauit. Excelsi autem in gratia innocentes habent eam canalem gratiæ, qua à peccato custoditi sunt. Eccl. 24. *Sicut aquæ ductus exiui de Paradyso.* Prælati venerantur, vt Dominam, cui nihil negatur à summo pastore Filio. 3. Reg. 2. *Pete à me mater mea non enim est fas, quicquam negare tibi.* Beati refundunt in eam, sicut in causam suæ beatitudinis gloriam. Psal. 8. *Eleuata est magnificentia tua, hoc est, magnificata* (aliàs magnifica) *mater tua super cœlos Deus.* Sic ergo: *Beatam me dicent omnes generationes.* Dicit Virgo *Beata.*

Esai. 9. Pro. vl. Iud. 15. Gen. 15. 3. Re. 2. Psal. 8. Eccl. 24

QVIA FECIT MIHI MAGNA, *qui potens est, & sanctum nomen eius.*

Hic tangit, quòd est in ipsa. Per diuinæ potentiæ effectum. Dicit autem tria. Primò, tãgit effectum. Secundò, potentiæ facientis modum. Tertiò, laudem secundùm nomen Dei Sanctum. Sic ergo cõtinua: Magnificat ideò anima mea Dominum: *Quia fecit mihi magna.* Vel ideo Beatam me dicent omnes generationes: *Quia fecit mihi magna* 2. Macha. 1. *De magnis periculis a Deo liberati, magnificè gratias agimus,* & hoc quantum ad continuationem primam. Quantùm autem ad secundam. Psal. 95 *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri.* Quæ tota, matrem veniæ, gratiæ, & gloriæ beatam dicit: hic ergo *qui potens est* fecit mihi *Magna.* Et quænam *magna* fecit in humili ancilla: *Magna* quidem quantitate gratiæ; maiora vero per administrationem virtutis Angelicæ. Maxima autem per mirabilia virtutis diuinæ. *Magna* autem in quantitate gratiæ perfecit quatuor. Perfecit in vtero sanctificationem. In virtute perfecit vitæ puritatem. In voto primam virginitatis oblationem. Et quod omnibus maius est, in tot bonis humilitatis profunditatem.

2. Ma. 1. Psal. 95

Secundùm primum est ipsa *arca de lignis Sethim,* perfecta. Exod. 26. Quæ sunt ligna spinæ albæ imputribilia, & incombustibilia. Sicut dicunt sancti. Spina enim alba est compungens pœna sine culpa. Nigra enim spina, est pœna cum culpa (aliàs est pœnarum culpa) Quamuis enim culpam traxerit, tamen ante ortum eius ex vtero, spina per sanctificationem dealbata fuit imputribilis: per libidinem contractam, incombustibilis per concupiscentiam alienam. Quantum autem ad vitæ puritatem. Cant. 4. Quod odor vestimentorum eius est *sicut odor thuris,* quo thurificatur Deo; quia tota conuersatio eius in odore Domini fragrabit cultus, & deuotionis. De voto autem virginitatis intelligitur hoc quod dicitur in Psalm. 44. *Adducentur Regi virgines post eam.* Quia ipsa præuia (aliàs prima) fuit, & exemplo eius post eam secutæ sunt aliæ, quæ se offerunt in templum Regi Domino. De profundo humilitatis in tot bonis, intelligitur hoc quòd dicitur Cant. 2. *Sicut lilium conuallium.* Valles enim humiles sunt, conualles autem profundæ, & humiles. Psal. 64. *Valles abundabunt frumento.* Quia in vallibus multiplicauit humilitatem ipsius; seminatum est granum illud frumenti, quòd de cœlo descendit, & sicut germen Domini in omnem iustitiæ frugem abundauit. Ita quòd omnes Ecclesiæ iam albæ sunt ad messem. Per Angelicam etiam administrationem fecit quatuor *Magna:* Magnum videlicet salutationis, Magnum confortationis, Magnum annunciationis, & Magnum expeditionis suæ quæstionis. Salutationis quidem quando ingressus Angelus salutauit eam in signum pacis. Confortationis

Exo. 26. Cant. 4. Psal. 44. Cant. 2. Psal. 64

quan-

quando trepidantem confortauit in signum specialis amoris. Magnum, annuntiatiquis in signum sublimis honoris. Magnum, expeditio quæstionis in signum altissimæ admirationis. Primum significatur per *oliuam* speciosam *in campis*. Eccl. 24. Sic enim fundit pinguedinem pacis in omnes in tota latitudine campi habitantes. Quoad secundùm, exaltata est: *Quasi palma in cades*. Cades autem sancta interpretatur. Palma autem victoriæ est signũ; quia confortata, & vicit, & sanctitatẽ perpetuæ gratiæ inuenit. Quòd signũ fuit specialis amoris. Quoad tertium exaltata est: *Quasi plantatio rosæ in Hiericho*. Quia per illud iam rosa fulgoris æterni rubens sanguine, plantari iam incipit in defectibus nostris. Hierico enim interpretatur defectus. Quoad quartum exaltata enim: *Quasi platanus iuxta aquam in plateis*. Platanus procera, & celsa est arbor, & significat; quia omnes transeuntes plateas scripturarum latas, iuxta aquas intelligentiæ Spiritus Sancti, altitudinem mirantur huius mysterij (quòd auditum, & cognitum est) in exemplo quæstionis Virginis. Vnde, August. in lib. Confessionum. 10. Nec satiebatur illis diebus dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilij diuini super salutem humani generis. *Magna* igitur, & alta. Et ideò maiora fecit ei Dominus. Maxima autem fecit sibi per seipsum. In spiritus diuini superuentione, in virtutis altissimi obumbratione, in filij incarnatione, in sui, in omnibus his, in integritate conseruatione. Magnum enim est, quòd spiritus, quoad dona gratiarum in aliquẽ venit. Maius, quòd per se ipsum. Maximũ autem, quòd de supernis mirabilibus, venit ad istius Sacramenti effectum. Quantùm ergo ad primum, quòd est in spiritus superuentione, dicitur, Eccl. 24. *Sicut balsamum non mixtum odor meus*. Per balsomum enim, quòd in toto redolet significatur Sancti Spiritus vnctio, quæ in toto redolentiam ponit vnctionis spiritualis, Esai. 61. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me Dominus*. Quantùm autem ad vmbrationem virtutis altissimi dicitur ibidem: *Sicut libanus non incisus euaporaui habitationem meam*. Habitatio enim illa fuit vterus ipsius, nunquam incisus, sed integer, & intemeratus libanus, qui candidatio interpretatur. Vmbra enim illa in candore custodiuit, & virtus euaporãs suauitatem in fragrantia. Quantùm ad tertium dicitur ibidem: *ego quasi vitis fructificaui, suauitatem odoris*. Ipsa enim est terra in qua vitis illa plantata est, quæ dicit: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est*. Et flores sui sunt: *Fructus honoris, & honestatis*. Quia omnes boni, & honesti sunt palmites, & flores, & fructus vitis huius. Palmites in spiritu: flores in virtutibus. Et fructus in operibus. Quantùm ad quartum verò comparatur myrrhæ electæ, quæ dedit odoris suauitatẽ. Myrrha enim conseruatiua est corporis à putredine. Et hęc est gratia diuina. Quæ in maternitate conseruauit virginitatem. In grauidatione leuitatem conseruauit. In puerperio conseruauit sine omni dolore maximam iucunditatem. Sic ergo *fecit mihi magna*. Et hoc nemo facere potuit, nisi *qui potens est*. Sunt autẽ quatuor modi potentiæ imperfectæ. Priuata videlicet potẽtia, obligata, determinata, & limitata. Quas potentias sequitur. Quinta, quæ sola est perfecta, quæ plena est, & absoluta. Priuata est materialis, obligata est ad dicta materiæ, & extra congruentiam illius nihil agens pœnitus. Determinata est, quæ extra terminos suos nihil agit, vel poterit. Limitata verò est illa, cui superior potentia modum præfigit, & limitem. Priuata quidem, & materialis est, quæ nihil expeditè poterit. Sicut claudicantis potentia ad gressum. Et talis potentia eius, quòd peccato vulneratum est. Sicut in libro de libero arbitrio dicit Augustinus De qua dicitur Matth. 7. *Non potest arbor mala fructus bonos facere*. Luc. 10. *Plagis impositis abierunt semiuiuo relicto*. Hier. 13. *Si potest Æthyops mutare pellem suam, & pardus varietatem suam, potestis, & vos benefacere cum didiceritis malum*. Obligata est, quæ quidem non saucia, vel priuata, sed tamen non potest aliquid vltra proportionem naturæ suæ. Sicut visus potentia in oculo non potest aliquid, nisi ad quòd complexionatus est oculus. Has enim ad vnum obligatas potentias multas, Deus posuit in corpore, vt pro inuicem solicita sint membra. 1. Cor. 12. Si dixerit pes; quia non sum oculus, non sum de corpore; non ideò non est de corpore, & sic sunt potentiæ gratiarum in mẽbris corporis mystici, vbi quòd potest Doctor, nõ potest Procurator, vel Præpositus, & sic de alijs: & quòd potest sapiens non potest alle, qui accepit gratias curationum, & de omnibus subditur: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult*. 1. Cor. 7. *Vnusquisque prout donum habet à Deo*. Vnus quidem sic, alius autem aliter, & hoc potest ad quod accepit donum, vt possit.

Sunt autem potentiæ determinatæ, quæ licet in multa possint, & vniuersaliter possint in illa, ad quæ acceperunt: potentiam tamen determinatas habent potentias, sicut in naturis. Intellectus, qui potest in omnia intelligibilia, sed tamen in alia nõ potest, quæ, si sunt intellectualia, & his potentibus similia; sunt autem gratuita, quæ sunt sicut capita, quæ potestatem in multa alia membra acceperunt. Psal. 17. *Eripies me de contradictionibus populorum, constitues me in caput gentium*. Potentia autem limitata est potentia pote-

Eccl. 24 — Eccl. 24 — Esai. 61 — Ioan. 15 — Mat. 7. — Luc. 10. — Hie. 13. — 1. Co. 12 — 1. Cor. 7 — Psal. 17

potestatum, ordinatarũ à Deo, quæ limitatæ sunt: nec possunt vltra quàm sibi concessum est. Rom. 13. *Rom.13* *Non est potestas nisi à Deo.* Quæ sunt à Deo ordinata, & secundùm hoc dicit Apostolus. 2. Cor. 13. *2.Co.13* *Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed omnia pro veritate.* Potẽtia autem absoluta est, quæ nec priuatione, nec obligatione, nec termino, nec limite à quoquam posito, vel ponendo potest coartari. Et ista est potentia Dei, & ideò simpliciter dicitur sine determinatione adiuncta: *Qui potens est.* Num. 23. & 24. *Nu.23. & 24.* *Cuius potentia est, sicut Rhinocerotis.* In vno cornu potestatis omnia quæcunque vult facientis. Psal. 134. *Psal.134.* *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Luc. 24. *Luc.24.* *Potens in opere, & in sermone coram Deo, & omni populo.* Hic est ergo qui potens est: *Et sanctum nomen eius.* Meminimus nos in expositione Euãgelij secundùm Matthæum dixisse, quòd nomẽ quoddã imponit natura. Quoddam autẽ est ab impositione, natura quidẽ imponit nomen cuius formam donat. Sicut hoc nomen, homo, à natura imponitur, quantùm ad causam impositionis. Sic etiam nomen diuinum, imponitur ei, cui Deus suam largitur deitatem, secundùm quòd de quibusdam in Psal. 81. Dicitur: *Psal.81* *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Ioan. 10. *Ioã. 10.* *Illos dixit Deos, ad quos sermo diuinus factus est.* Hoc est, nomen, quòd nomen à Deo imponitur, clarificatur, & sanctificatur. Imponitur autem, vt dictum est in prima participatione, clarificatur in depuratione, sanctificatur in consamatione. De primò, dicitur, Hier. 17. *Hie.17.* *Tu in nobis Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos.* Per hoc enim inuocatur, quòd in nos vocatur, & participatur à nobis. Esai. 62. *Esai.62* *Vocabitur tibi nomen nouum, quòd os Domini nominauit.* De clarificatione nominis. Ioan. 17. *Ioã. 17.* *Pater clarifica nomen tuum.* Hoc enim intelligitur non in se, sed in membris, in quibus depuratur, vt in eis auferatur; quia quid contrarium est nomini, & sanctificatur quando mundum, & sine omni terrenitate confirmatur. Et consumatur, vt sit Deus in nobis, omnia in omnibus, sicut dicitur. 1. Cor. 15. *1.Co.15* *Erit Deus omnia in omnibus.* Matth. 6. *Mat.6.* *Sanctificetur nomen tuum.* Et sic fuit in Beata Virgine, in qua nihil fulsit, nisi diuinum. Anselmus: Decebat, vt ea puritate Virgo illa niteret, quam Deus Pater Filio suo (quem de corde suo genitum, tanquam se ipsum diligebat) Matrem præparauerat. Et quam Spiritus Sanctus ei de quo ipse secundùm diuinitatem (aliàs dignitatem) procedebat, in Matrem sanctificauit. Et quam filius (qui est speculum sine macula, Dei maiestatis, & imago bonitatis illius) sibi in Matrem elegit. Hoc ergo nomine in ipsa sanctificato, effectum est, quòd *magna* cum ipsa fecit, *qui potens est.*

A

ET MISERICORDIA EIVS A progenie in progenies timentibus eum.

Hic tangit Beneficia communia sanctorũ, & duo tangit. Primò, quidem beneficia misericordiæ. Secundò autem beneficia potentię, beneficia quidem misericordiæ dicit continua esse, & timentibus eũ debita. Dicit igitur: *Et misericordia.* Quasi diceret, sic fecit mihi qui potens est. Et hoc fecit maximè nomen sanctum eius, cui debetur omne quòd Deus facit nobis. Ezech. 36. *Nõ propter vos ego faciam domus Israel, notum sit vobis, sed propter nomen sanctum meum* Propter idem autem nomen: *Misericordia eius,* &c. Atten de secundùm Ioan. Chrysost. duplex est misericordia, liberans, videlicet, & relaxans: liberans est, quæ in toto dimittit. Relaxãs est, autẽ, quę absoluit in parte; relaxans igitur est in omnibus operibus Dei. Sicut dicitur: *Misericordia eius super omnia opera eius,* Quia secundũ illam punit, quos punit citra condignum, & illa est de qua dicit, Iaco. 2. *Superexaltat autem misericordia iudicium.* Misericordia autem liberans illa est absoluens in totum. Psal. 58 *Misericordia eius præueniet me omnibus diebus vitæ meæ.* Prima, igitur misericordia est: *A progenie in progeniem, omnibus timentibus.* Et non timentibus Deũ, Exod. 20. *Ego sum Deus zelotes vindicãs peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Tamen cum dulzore misericordię relaxantis partem pœnę: *Et faciens misericordiam in millia, in his, qui timent nomen meũ.* Hæc igitur *misericordia* Dei magna est, continua, & multa, & suauis, & discreta. Magna; quia magna remittit. Sicut dicitur in Psal. 50. *Miserere mei Deus secundũ magnã misericordiã tuam.* Et iterũ Psal. 85. *Misericordia tua, Domine, magna est super me: & eruisti animã meã ex inferno inferiori.* Cõtinua autẽ est; quia nunquã defecit, propriũ enim nõ derelinquit subiectũ suũ. Dicit autẽ Greg. Quòd natura Dei dulcedo est, propriũ autẽ misereri, & parcere. Vnde Thren. 3. *Misericordia Dei, quod nõ sumus consumpti; quia nõ defecerũt miserationes eius.* Multa verò est; quia multis, & multa remittit. Et ideò dicitur suauis, & mitis, & copiosus in misericordia omnibus inuocãtibus. Psal. 50. *Secundũ multitudinẽ miserationũ tuarũ dele iniquitatẽ meã* Esai. 55. *Multus est Dominus ad ignoscendũ.* Suauis autem est misericordia sua; quia dulciter ignoscit sine improperatione. Ps. 108. *Tu Domine fac mecũ propter nomẽ tuũ; quia suauis est misericordia tua.* Sap. 8. *Disponit omnia suauiter.* Psa. 33. *Gustate, & vidite, quã suauis est Dominus.* Discreta autẽ est misericordia paterna, quę per flagella cor-

B

C

D

Eze.36. *Psal.144.* *Iac. 2.* *Psal.58* *Exo.20.* *Psal.50.* *Psal.85* *Thre.3.* *Psal.50* *Esai.55* *Psal.108.* *Sap 8.* *Psal.33.*

ripit, & corrigit, ne gladio extremi iudicij in terficiendo sæuire cogatur. Esa. 54. *Ad punctū in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis cōgregabo te, in indignatione mea parumper abscondi faciem meam à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.* Esai. 54

Hoc est, ad tempus, tribulationibus te exposui, vt in æternum misericordia sempiterna te colligerē. 2. Mach. 6. *Nō multò tempore sinere peccatoribus ex sentētia agere; sed statim vltionem adhibere extremi beneficij est.* 2. Ma. 6

Sap. 12. *O quàm suauis, & bonus, est Domine spiritus tuus in nobis, id circo eos quidem, qui te derelinquunt partibus corrigis, & admones, vt relicta malitia credant in te Domine.*

Dicitur autem hic, spiritus, ira; quia irati sufflant spiritum per nares. Et ille bonus est in nobis; quia partibus. Hoc est, particulariter corrigit, & admonet, vt relicta malitia credamus in Deum, fide operante per dilectionem. Sic igitur, misericordia Domini est proprium. Proprium autē misericordis est, expectabilem esse, pacientem, longanimem, præstabilem, & benignum: expectabilem in non statim irascendo: pacientem, in non statim irascendo: longanimē, in diù cum æquanimitate dissimulando: præstabilem, in facile condonando: benignum in dulciter suscipiendo. De expectatione habes, Esa. 30. *Expectat vos Dominus, vt misereatur vestri.* Esai. 30

Hoc est, vt misericordia locum habeat in vobis. De pacientia. Esa. 42. *Tacui semper silui, patiens fui.* Esai. 42

Ad Rom. 9. *Sustinuit in multa pacientia vasa iræ, apta in interitū* vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam.* Rom. 9. * Desūt verba.

De longanimitate. Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & pacientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* Rom. 2.

De præstabilitate. Ioe. 2. *Benignus, & misericors est & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Ioe. 2.

De Benignitate. Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2.

Exemplum de filio Prodigo, quem pater, cum adhuc longe esset, cum amplexibus, & osculo suscepit, prolato anulo, & stola prima, & calceamentis in ornatum. Luc. 15. Luc. 15.

Est autem misericordia differens à miseratione; quia misericordia dicit habitum, & miseratio dicit actum. Misericordia autem habitus non est sine passione, & ideò nō cadit in Deo nisi metaphoricè, & non propriè, & cùm dicitur Deus misericors, intelligitur per humanam similitudinem, hoc est, quòd habet se sicut homo in opere misericordiæ, in hoc; quòd afflicto condescendit, & subuenit. Osee. 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quam holocaustum.* Oseæ 6.

Et hac similitudine dicitur in Psal 111. *Misericors, & miserator, & iustus Dominus.* Pſ. 111.

Et iterum Psal. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Pſ. 129.

Hæc igitur copia diuitiarū, misericordiæ apud Deū est: *De progenie in progenies. A progenie*, videlicet, cœlesti *in progenies* terrestres: & *à progenie* Iudæorum *in progenies* nationum, siue gentium: & *à progenie* patrum *in progenies* filiorum: & *à progenie* sanctorum *in progenies* peccatorum. De *progenie* cœlestium, & terrestrium dicitur, Eph. 3. *Flecto genua mea ad Deum Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Eph. 3.

Est enim prima *progenies*. Hoc est, generis, siue naturæ propagatio ex Patre in filium per æternam generationem, & à Patre, & Filio in Spiritum Sanctum per æternā charitatis spirationē. Et est secunda *progenies* in cœlo à Trinitate beata, & luminis, & beatitudinis in Angelicam naturam propagatio. Et tertia, cœlestis *progenies* ab Angelo in Angelū luminis à Deo accepti per assimilationē illuminationis, & trāsfusionē informatio, & in Deū reductio. Sic enim vt dicit Dionys. fiunt Dij, & Deorū Patres, & Deorum Filij Dij quidem per acceptam illuminationem à Deo. Deorum autem Patres per illuminationis transfusionē. Deorum autem filij per similem vnius ex altero ad lumen informationem. 1. Cor. 8 *Et si sint qui dicantur Dij siue in cœlo, siue in terra, si quidē sunt Dij multi, & Domini multi.* 1. Cor. 8

Ibi Glos. Quod sunt, qui participatiuè Dij sunt, & dicuntur, & hæc participatio est, per dictum modum; quia igitur, hæc participatio à Deo, & Angelis etiam in homines, ad similem, vt cumque luminis informationem descendit, & hoc ex Dei misericordia nobis in hoc subueniēte, est misericordia Dei *à progenie* cœlestiū, *in progenies* terrestriū. Iob. 38. *Nunquid nosti ordinem cœli, & rationē eius ponis in terra?* Iob 38.

Apoc. 31. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam descendentem de cœlo.* Apo. 32

Et vt de alijs taceam, in hoc Sacramento sic per misericordiam Dei factum est; quia à Deo in Gabrielem, & à Gabriele in Beatam Virginem, & à Beata Virgine in omnem mūdum sic est propagatum. Psal. 67. *Terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel: sic rorant cœli desuper, & nubes pluunt iustū, aperitur terra, & germinat Saluatorem.* Psal. 67

Sic efficiamur, & nos Dei *progenies*. Act. 17. *Ipsius, & genus sumus.* Act. 17.

Genus ergo cū simus Dei, non debemus auro, vel argento, aut lapidi sculpturæ artis, aut cogitationis hominis diuinū esse similē. Est etiam *à progenie* Iudæorum, *in progenies* nationum, siue gentium. Esai. 2. *De Sion exiuit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Esai. 2.

Et præcedit ibi: *Quòd ex hoc fluent ad montem Domini omnes gentes.* Roman. 15. *Dico Christum IESVM minister fuisse circumcisionis ad conferendas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est. Lætamini gentes* Rom. 15

Act. 11. tes cum plebe eius. Act. 11. Ergo, & gentibus potentiam dedit Deus ad vitam. Est etiam
Psal. 25 de *progenie* patrum *in progenies* filiorũ. Psal. 25. *Annunciabitur Domino generatio ventura.* Et adiungit de *progenie* cœlestium, dicés: *Et annunciabunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus.* Per huius
Deu. 32 gratiæ informationem. Deut. 32. *Interroga, Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores*
Psal. 77 *tuos, & dicent tibi.* Psal. 77. *Filii qui nascentur exurgent, & narrabunt filijs suis, vt ponant in Deo spem suam: & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* Sic etiam reputantur filij legitimi, qui in timore, & fide Dei suscipiuntur, & in timore Dei nutriuntur: est etiã *à progenie* iustorũ *in progenies* peccatorum; Quia nec peccatores efficiuntur iusti, & iustorum filij. Gal. 4. *Filioli*
Gal. 4. *mei, quos iterum parturio, donec formetur*
Esai. 65 *Christus in nobis.* Esai. 65. *Populus tuus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus* (hoc est humilis) *in gentem robu-*
Eccl. 1. *stissimam.* Vnde subdit, *timentibus eum.* Eccles. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et ideò non valet ei hæc propagatio.

Timentes autem Deum, multis modis timent: qui omnes modi boni sunt, & misericordia Dei, sunt timentes magnitudinem eius; & sunt timentes eius iustitiam. Magnitudo eius timetur timore admirationis: & timore reuerentiæ. Admirans enim Deum timet, stupens in se ipso, eò quòd fugit in impotentiã suam, eo quòd non valet in id, quòd non videt, cognoscendo causam, vel operan
Iob 25. do aliquid simile. Et de hoc dicitur Iob. 25. *Potestas, & terror apud eum est, qui facit*
Exo. 20 *concordiam in sublimibus suis.* Exo. 20. *Perterriti, ac pauore concussi steterunt procul.* Non enim aliquid mali, sed multum de magnitudine viderant sic pauore concussi. Facit enim magna, & inscrutabilia, & mirabilia, quorum non est numerus. Et ideò paruum cor humanum credens hoc stupet, & pauet in se ipso; & suspenditur cogitando magnitudinem eius. De timore autem reuerentiæ dici-
Mala. 1 tur Malach. 1. *Si ego Dominus, vbi timor meus?* Reuerentia enim Domino debetur maiestatis. Timor autem mali est seruilis recedens ab actu peccati ex concussione creditæ pœnæ. Et timor initialis simul ex timore pœnæ, & amore iustitiæ; & timor filialis, qui timet iram, non occidentis, sed corrigentis patris. Et timor sponsalis, quo sponsa timet differri sponsi amplexus. De primo horum dicit Beda. Cùm iudex sic timetur, quòd facies iudicis non amatur: timor ex timore est, & non
1. Io. 4. ex charitate, & de hoc habes. 1. Ioan. 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* De hoc dicitur, quòd introducit sapientiam, sicut fera introducit

A filum, de filo nihil existens. Sic enim iste timor nihil est de sapientia. Gen. 21. *Eijce ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Filius enim manet in domo Patris: seruus autem non manet
Ioã. 15. in domo in æternum. Ioan. 15. *Seruus nescit quid faciat Dominus eius.* De initiali autem dicitur, Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatũ.* Iste enim timor, non actum solùm peccati, sed cum actu formidat peccandi affectum. De tertiò dicitur in Psal. 18. *Timor*
Psal. 18 *Domini sanctus permanens in sæculum, sæculi.* Item Psal. 33. *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam nihil deest timentibus eum*
Psal. 33 De quarto dicitur. Prou. vlt. *Fallax gratia,*
Pro. vl. B *& vana est pulchritudo. Mulier timens Deũ ipsa laudabitur.* Omnibus igitur sic timentibus Deum concessa est ista misericordia. Sicut dicitur Malach. 4. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in*
Mal. 4. *pennis eius.*

FECIT POTENTIAM IN brachio suo.

Hìc tangit effectus potentiæ, & tangit: Primò, quidẽ *Potentiam* efficientem. Secundò, autem, quinque effectus, tàm in bonis, quàm in malis. Primò, quidẽ tangit dispositionem potentiæ efficientis, per metaphorã, cùm dicit: *Fecit*, dicitur autem Deus facere cùm se
C fecisse demõstrat. Potentia sicut supra dictũ est. Est potentia absoluta, de qua iam ante dictum est: Hanc autẽ *potentiã fecit in brachio suo.* Brachiũ enim filius incarnatus est; quia sicut brachiũ de corpore, & de brachio manus, sic filius de Patre, & de Patre, & Filio est Spiritus Sanctus. Vnde cùm adiutoriũ bonorum fecit in filio, tunc *potentiã fecit in brachio.* Propter quod etiam superior pars brachij, quæ est inter cubitũ, & humerũ, apud naturales vocatur adiutorium; quia in illo est fortitudo adiutorij. Esa 51. *Consurge, consurge*
Esai. 51 *induere fortitudinẽ brachiũ Domini. Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus sæculorũ, in metu percussisti superbum, vulnerasti draconem, nunquid non tu siccasti mare aquam abyssi vehementis, posuisti profundũ maris viam, vt transirent liberati?* Bis dicit consurge. Et tertiò, quòd induat fortitudinem. Et quartò, quinque ponit effectus fortitudinis eius. Consurgit enim hoc brachiũ aduersus Diabolum fortem, & aduersus mundum. Contra carnem enim Christus in se nõ pugnauit. Contra Diabolum. Mat. 4. & Luc. 4. Vbi in tentatione vicit Diabolum. Contra
Mat. 4. Luc. 4. mundum. Ioan. 16. *Confidite; quia ego vici*
Ioã. 16. *mundum.* Fortitudinẽ autem exercuit in reducendo captiuitatem. Luc. 11. Et Matth
Luc. 11 12. Vbi intrauit in domum fortis fortior, &
Mat. 12 *omnia vasa eius distribuit, in quibus confidebat.* Quinque autem effectus eius sunt. Primus quidem, quòd percussit superbum in fa

stu, & pompa sæculi, per humilitatem sui, & A
*Mat.*11 suorum. Matth 11. *Discite à me; quia mitis*
Abac. 3 *sum, & humilis corde.* Abach. 3. *Percussisti caput de domo impij.* Hoc est, superbiam. Secundus est, quòd vulnerauit, nõ extinxit draconem. Hoc est, pectore, & ventre reptentem concupiscentiam per abstinentiam, & carnis austeritatem. Vnde non legitur delicatis vsus, sed pane hordeaceo, & piscibus, qui minores sunt, quam parui pisces, & paucis. 1.
1. *Cor.* 9 Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo, ne fortè cum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Tertiò, siccauit mare fluctibus ambitionis huius sæculi per cõtemptum mundi; quia cùm quæreretur ad Regnum,
Ioan. 6. *Ioan.*18. abscondit se. Ioan. 6. Et coram Pilato dixit: B *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ioã. 18. Quartò, siccauit aquã abyssi vehemẽtis: quę est aqua auaritiæ huius sæculi: quæ sunt aquę de fontibus Tantali: quo plus sunt potæ, plus
Mat. 5. sitiuntur aquæ, sicut dicit Poeta. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est*
Mat. 8. *Regnum cœlorum.* Matth. 8. & Luc. 9. *Vulpes*
Lucæ 1. *foueas habẽt, & volucres cœli nidos. Filius autẽ hominis non habet vbi caput suũ reclinet.* Quintus est, quòd in mari: hoc est, in mundo dedit viam omnibus suis, vt transeant liberati, & hoc per viam studij spiritualis, cui nihil
*Ps.*135. adhęret de cogitationibus sæculi. Psal. 135.
*Abac.*3. *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones.* Abac. 3. *Viam parasti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Æquis enim, quibus insidet Dominus, vt prælietur in fortitudine brachij sui, sunt viri spiritualis vitæ studium habentes.

Est autem hoc brachiũ formans nos in forma Dei. Aduersarios expugnans, suos liberans, liberatos protegẽs. Protectos congregans, & portans: portatos autem gubernans, & regens, & quos rexerit amplexans. De for
Eccl. 38 matione. Eccl. 38. *Figulus sedens ad opus suũ in brachio suo formabit lutum, & ante pedes eius curuabit virtutem.* De brachio expug-
*Esai.*63 nationis. Esai. 63. *Saluabit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata est mihi.*
*Psal.*97 De brachio liberationis. Psal. 97. *Saluauit* D *sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.*
*Psal.*97 De brachio protectionis. Psal. 97. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem* De
*Esai.*40 brachio cõgregationis, & portationis. Esai. 40. *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* De bra-
*Ps.*135. chio gubernationis, & regiminis in Ps. 135. *Eduxit Israel de medio eorum in manu potenti, & brachio excelso.* In quo rexit eos, quos eduxit, & deduxit. Psal. 88. *Manus enim mea*
*Psal.*88 *auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* Duobus autem brachijs amplexa
Can.vl. tur dilectos. Cant. vlt. *Leua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Quoniam hæc fecit Dominus postquam fecit *potentia in brachio suo.* Hoc est, in filio suo incarnato. Cui Pater vitæ, & mortis, & omniũ dedit potestatem. De potestate vitæ, & mortis. Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem.* Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm resumendi eam.* Quòd autem omnium habeat potestatem. Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: euntes ergo in mundũ vniuersum prædicate Euãgelium omni creaturæ.* Sic ergo *Fecit potentiam in brachio suo.* Et hoc præsciens Prophet, orauit dicens. Psalm. 14 *Emitte manum meam* * *de alto eripe me, & libera me.*

Sap 16. *Ioã.* 10. *Mat.*28 *Ps.* 14. * *tuam.*

DISPERSIT SVPERBOS mente cordis sui.

Quinque tangit effectus potentiæ brachij: quorum primi duo sunt contra *superbos.* Duo autẽ in humilibus, & vnus in diuitibus huius sæculi. Primus est. Quod *dispersit.* Hoc est, in diuersa sparsit; quia nõ sunt vnius voluntatis, ambitiosi, sicut nec luxuriosi, & sicut nec auari. De ambitiosis quidem dicitur. Gen. 11. *Inde dispersit eos in omnem regionem de campo,* Scilicet, *Semaar,* qui ædificauerunt turrim Babel, & illi fuerũt superbi. Sic dispersi sunt luxuriosi; quia non vnum diligunt. Sicut dicitur in Psal. 82. *Dispersierunt in Endor. facti sunt, vt stercus terræ. Endor* enim inter
C prętatur fons generationis: sapiens autem: Eccl. 9 Dicit, quòd *mulier fornicaria est sicut stercus in via ab omnibus conculcabitur.* Auari etiam dispersi sunt in diuersa volita. Sicut habetur. Exo. 5. *Dispersus est populus ad colligendas paleas.* Hoc est temporalia. Si ergo: *Dispersit superbos.* Hoc est, *super vios.* Hoc est super alios in omnibus viam excellentiæ habere quærentes. Superbia autem triplex est, specialis, generalis, & generalissima, specialis verò, vt dicit Aug. est improba voluntas excellendi alios in dignitatis honore, & potestate. Generalis est, improba voluntas excellendi in laude cuiusque rei. Generalissima est voluntas, siue fastus efferens se extra præceptum, & præcipientem. Cui tamen
D sub esse tenetur. Prima est Luciferi, & suorum, cui dicit. Esai. 14. *In cœlum conscendam super astra cœli exaltabo solium meum. sedebo in monte testamẽti in lateribus Aquilonis, similis ero altissimo.* Hoc enim adhuc dicũt hi, qui præter vocationem, & merita cathedras, & gradus dignitatũ concupiscũt. In cœlum enim cõscendere quærit, qui ad domum Dei quærit ascendere: super astra soliũ locare, est super bonos quęrere dominari. In monte testamẽti sedere, est in eminente dignitate quiescere. In lateribus aquilonis (quę plaga est frigida, & tenebrosa) exaltari, est admodum Dæmonis (cũ sit zelo animarũ, & charitatis destitutione frigidus) quęrere dignitate excellere. Hos *dispersit* Dominus de loco

*Exo.*5. *Eccl.* 9.

*Esai.*14

digni-

dignitatis eijciens in infimum sempiterni opprobrij proijciens, Ezec. 28 *In terram proieci te, ante faciem regum dedi.* Hoc est, in exc̃plum superborum. Esai. 14. *In infernum detraheris in profundum laci.* Generalis est, quæ vocatur excellẽtia siue in nobilitate, siue in victorijs, siue in scientijs, siue in quibus cumque alijs. Et hi sunt, qui volunt sibi acclamari vocibus Dei, & non hominum, in omni laudabili facto. Et ideò significatur per Herodem. Act 12. Et hos dispersit Deus. Vnde ibidem. Populo acclamẽte voces Dei, & non hominum. *Angelus Domini percussit Herode n, & consumptus vermibus spirauit.* Psal. 35 *Non veniet mihi pes superbiæ, & manus peccatorũ nõ moueat me. Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Generalissima superbia propriè vocatur tumor, vel inflammatio cordis. Iob. 15. Iob. 15. *Quid tum, & contra Deum spiritus meus?* Greg. tumor mentis obstaculum est veritatis. Isti significantur. Exo. 9. Vbi dicitur: *Quòd erãt in hominibus, & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes.* Et ibidem dicitur: *Quod stiterunt turgentes in conspectu Pharaonis.* Hæc superbia est initium omnis peccati. Eccl. 10. *Initium omnis peccati superbia.* Quia statim, vt homo peccare proponit, voluntatem præcepto Dei, & Deo non subijcit. Tob 4. *Superbiã in toto corde tuo nũquã dominare permitte; quia in ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Hos dispergit Deus, sicut Beato Iob 40. Loquitur dicens: *Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia: respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.* Hos igitur omnimodo superbos *dispersit mente cordis sui.* Mens autem, vt Ioan. Dam. dicit, à metiendo dicitur; quia mente ea, quæ corde tractamus mensurantur. Mens igitur superborum mensura est eorum, qualiter factum, & altitudinem, quam corde tractant, ad effectum perducant. A mente autem cordis dispersi sunt, quando iniquè conceptum, & tractatũ perficere non possunt. Iob 5. *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quòd cœperãt.* Esai. 8. *Inite consilium, & dissipabitur. Loquimini verbum, & non fiet.* 2. Reg. 15. *Dissipa Domine consilium Achitofel.*

Ezec. 28 — Esa. 14. — Act. 12. — Psal. 35 — Iob. 15. — Exo. 9. — Eccl. 10 — Tob 4. — Iob 40. — Iob 5. — Esai. 8. — 2. Re. 15

DEPOSVIT POTENTES DE sede, & exaltauit humiles.

Hic tangit secundùm effectum brachij Domini in superbis, & continuatur sic: dispersit enim superbos, & modus quidem dispergendi est; quia *Deposuit potentes de sede.* Tria autem notantur in hoc effectu. Primum est, quòd deijciuntur inuiti. Secundum autẽ est, quòd licet exhibitantur, tamen nihil proficiunt per potentiã seculi. Tertium est, confusio Prioris honoris indignè accepti, A dicitur igitur. *Deposuit.* Quòd sonat deiectionem inuoluntariam. Non enim per se cedunt, sed contra voluntatem deponuntur. Esai. 22. *Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te.* Hi significantur per Saul, qui contra voluntatem depositus est. 1. Reg. 15. *Scidit Dominus Regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo, meliori te.* 1. Mach. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria stercus, & vermis est; hodie extollitur, & cras non inuenietur; quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit. Potentes:* hoc est, in potestate gloriantes, & potestate abvtentes, de quibus dicitur. Sap. 6. *Cùm essetis ministri Regni eius, non rectè iudicastis, neque custodistis* B *legem iustitiæ, nec secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his quæ præsunt fiet.* Sunt autem huiusmodi potentes, qui non nisi potentia vtuntur ad pauperum oppressionem. De quibus dicitur. Sap. 2. *Sit fortitudo nostra lex iniustitiæ*, quòd enim infirmũ est, inutile inuenitur, & isti sũt, qui propriè vocãtur Tyrãni; quia protestas est quæ stat circum terminata limitibus iustitiæ, & æqui. Sicut dicitur Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Hi ergo potentes, sunt in tyrannide potentiam exercentes, qui nomine vsuali, C *potentes* vocantur, & potentia ad voluntatem, non ad rationem vtuntur. Potentia autem tali etiam vtuntur; quia peruersa potestate contra Deum in peccatis abvtuntur. Esai. 57. *Viam manus tuæ inuenisti.* Hoc est, peruersæ potestatis ad peccandum. Esai. 5. *Væ qui potentes estis ad bibendum, ad ebrietatem sectandam, vsque ad vesperam vt vino æstuetis.* Hoc est, sæculari gaudio. Hos igitur *potentes*, deponit Dominus, Iob 12. *Effundit oppressionem super Principes, & eos qui oppressi sunt liberat. De sede*, honoris, vt vltimum genus miseriæ eorum in fœlicitatis sit, recordari de pristino statu suæ gloriæ. Eccl. 10. *Omnis potentatus vita breuis*, & in D frà ibidem: *Radices gentium superbarum arefecit Dominus*, & ibidem: *Sedes Ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis*, ibidem: *Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas, vsque ad fundamentum. Arefecit ex ipsis, & dispersit eos, & cessare fecit memoriam eorum, à terra perdidit memoriam superborum. Et exaltauit humiles.* Humiles sunt ab humo, cui prostrati sunt: dicti, eo quòd nihil inferiùs se reputant, nisi humum. Et se conculcandos omnibus exhibent, & isti exaltari propter hoc merentur. Esai. 40. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Placet enim Deo, vt quælibet creatura sibi congruentia cogitet. Et ideò, qui factus est de humo, humiliari debet, &

Esai. 22 — 1. Reg. 15 — 1. Ma. 2 — Sap 7. — Sap. 2. — Rom. 13 — Esa. 57. — Esai. 5. — Iob 12. — Eccl. 10 — Esai. 40

exaltatio sibi non debetur, nisi per humilitatis meritum. 1. Pet. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Debentur autem humili quatuor præmia, per quatuor, quæ sunt in ipso. Est enim in eo sui depræsio, sensus suæ vacuitatis, exiguitas, & abiectio. Per depræsionem debetur exaltatio. Per vacuitatem impletio. Per exiguitatem gratia. Per abiectionem autem sui, gloria. De primò, dicitur Luc. 14. *Omnis qui se humiliat exaltabitur.* De secundò, dicitur 4. Reg. 4. Quòd mulier offerentibus sibi filijs: *Impleuit vasa vacua, non pauca.* De tertiò, Iac. 4. & 1. Pet. 4. *Humilibus dat gratiam.* De Quarto. Pro. 29 *Humilem spiritum suscipiet gloria.* Sic ergo: *Exaltauit humiles.* Phil. 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Et sequitur: *Propter quod, & Deus exaltauit illum.*

1. Pe. 5. Luc. 14. 4. Re. 4. Iac. 4. 1. Pet. 4. Pro. 29. Phil. 2.

ESVRIENTES IMPLEVIT bonis, & diuites dimisit inanes.

Ecce secundus effectus brachij in bonis; quia (*Esurientes*) est autem esuries, vt dicit Arist. in 2. de Anima. Appetitus desiderij naturalis. Et est appetitus refectionis secundũ naturã, quòd est calidũ, & siccum, quòd reficit, & restaurat substantiã. Vnde *esurientes* sunt, qui appetunt cibum, *qui non perit.* Ioa. 6. Quẽ Pater cœlestis dat petentibus se. Est autem hæc esuries, Gratiæ, Eucharistiæ, Sapientiæ, & consolationis Spiritus Sancti. De esurie gratiæ. Matth 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* 1. Reg. 2. *Famelici saturati sunt.* Et 1. Cor. 4. *Vsque in hanc horam, esurimus, & sitimus.* De esurie Eucharistiæ, dicitur Hiere. 31. *Implebo animas sacerdotum pinguedine, & populus meus replebitur bonis.* Anima enim ibi dicitur desiderium animale, quòd desiderat refectionẽ. Psal. 62. *Sitiuit in te anima mea, quã multipliciter tibi caro mea.* Suple, desiderat, esurit, & sitit. Sap. 16. *Paratũ panẽ de cœlo præstitisti illis sine labore, habentẽ in se omne delectamentũ, & omnẽ saporis suauitatẽ.* Et sequitur *Voluntati, vniuscuiusque deseruiens. Ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Voluntas enim hic dicitur esuries. De esurie sapientiæ dicitur in Psal. 80. *Aperi os tuũ.* Hoc est, desiderium tuũ. *Et implebo illud.* Eccl. 15. *Cibauit eum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illũ.* Esai. 21. *Occurrentes sitienti ferte aquam cum panibus, occurrite fugienti.* Cũ panibus inquã gratiæ, Eucharistiæ, & sapiẽtiæ. Luc. 11. *Accomoda mihi tres panes; quia amicus meus venit de via, & non habeo, quid ponam ante illũ* Qui de via venit, propter viæ laborẽ, refectionẽ esurit. De esurie consolationis Spiritus Sancti. Eccl. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient.* Dulcedo enim illius consolationis, semper exitat desideriũ, vt iterũ accipiatur, & ampliùs infundatur, & etiã, vt habita continuetur. Sic igitur *esurientes* implet Deus, & hoc est, quòd dicit, *impleuit*, hoc est intus plenos fecit. Vt in hoc notet, quoniã mentem reficit, non ventrẽ, neque esurientẽ auari cruciat. Psal. 89 *Repleti sumus mane misericordia tua*, &c. Act 2. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* Hoc enim implet, quòd desiderium satiat, & quietat. Psal. 77. *Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati à desiderio suo.* Aliter etiam *esurientes impleuit bonis.* Bonum quidem in tria diuiditur. Quorum tamen primum est in secundo, sed non conuertitur; & secundum, & primum sunt in tertio, sed non conuertitur.

Psal. 86. Act. 2. Psal. 77.

Hæc autem tria sunt. Vtile, delectabile, & honestum: omne igitur verè delectabile, est vtile, sed non conuertitur, & omne verè honestum est delectabile, & vtile, sed non conuertitur. Primum horum est adminiculans ad meritum. Secundum trahens desiderium, Tertium autem perficiẽs ad virtutis actum. Primum est, sicut instrumẽtum quo vtimur. Secundum autem, sicut dulcedo qua prouocamur. Et tertium sicut quoddam præmium ad quod vocamur. Primũ est, quòd ad aliud referimus. Vt quòd appetendum est obtineamus. Sicut necessaria ad vitæ sustẽtationem. Vel ad morum emendationem, vel ad peccati per pœnam emundationem, siue expiationem. Sicut Esai. 48. *Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via, qua ambulas.* Heb. 12. *Patres quidem carnis nostræ habuimus, eruditores, & venerabamur eos Nonne magis obediemus patri spirituum? & illi quidem in tempore paucorum dierum erudiebant nos secundùm suam voluntatem. Hic autem ad id, quòd vtile est, in recipiendo sanctificationem eius.* Sap. 8 *Sobrietatem, & prudentiam docet, & virtutem, & iustitiam. Quibus in vita nihil est vtilius hominibus.* De bono delectabili dicitur in Psal. 15. *Delectationes in dextera tua, vsque in finem.* Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* De bono honesto (quòd optimum est) Eccl. 24. *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Fructus enim est, quo fruimur, dicit autem Augustinus. Quòd fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Eccl. 24. *Rami mei honoris, & gratiæ.* Hæc bona duplicem habent saporem animæ, secundùm naturam delectabilem, dulcem videlicet, & pinguem. Quia soli sapores sunt secundùm naturam delectabiles. Dulce solùm nutrit, & pingue facilè resoluitur in spiritum. De dulci. Sap. 16. *Substantiam tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes ostendebas.* Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulcis, hæreditas mea*

Mat. 5. 1. Reg. 2. 1. Cor. 4. Hie. 31. Psal. 62 Sap. 16. Psal. 80 Eccl. 15 Esai. 21 Luc. 11. Eclc. 24

Esai. 48. Heb. 12. Sap. 8. Psal. 15. Psal. 35. Eccl. 24. Eccl. 24. Sap. 16. Eccl. 24.

mea super mel, & fauum. De pinguedine dicitur in Psal.62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Esai.55. *Audite audiẽtes me, & comedite bonũ, & delectabitur in crassitudine anima vestra.* Hos *esuriẽtes.* Vt sic esuriant, esurit Deus, & comedens, & bibens incorporat eos sibi. Matth.25. *Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere.* Matth.27. Ioan.19. Cũ penderet in cruce, dixit *Sitio*, & statim posteà *consumatum est.* Sunt autem alij esurientes, quos nunquã replet Deus, & isti sunt Triplices. Esurientes videlicet pompam sæculi. Res huius mundi, & laceratione famæ proximi. Prima est, esuries vana. Secunda, auara. Tertia, detractoria. Vana est, ambitiosorum: auara, cupidorum. Detractoria est, canum. De prima dicitur. Esai. 29. *Sicut somniat esuriens, & comedit, & sitiens bibit, & euigilans lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est. sic facti sumus.* De secunda. Esai. 65. *Serui mei comedent, & vos esurietis, & serui mei bibent, & vos sitietis.* Et causa reddit. Eccl.5. *Aluarus non implebitur pecunia.* De tertia dicitur. Esai.56. *Canes impudẽtissimi, nescientes saturitatem.* Quia detractor non ponit finẽ detractionibus. Hi ergo nunquã saturabuntur, sed alij boni implentur bonis Domini, sicut dictum est: *Et diuites dimisit inanes.* Tertius effectus brachij diuini in malis; dicit autẽ tria. Primum est, circa quo est iste effectus. Secundum, afficiendi modus. Et tertiũ est, ipse effectus. Qui tamen potiùs deffectus est appellandus. Hi autẽ circa quos est istę brachij potentis effectus, sunt *diuites. Diuites* in quã, qui huius sęculi sunt *diuites*, & *diuites*: hypocritæ, qui se *diuites* ostentant (aliàs ostendunt) in spiritualibus. De diuitibus sæculi. 1. Thim.6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ, & in laqueũ Diaboli, & in desideria multa, & nociua, quæ mergunt hominẽ in interitũ, & perditionẽ.* De diuitibus, qui sola ostẽtatione *diuites* sunt, sicut Iudęi, & hypocritæ, dicitur Apoc.3. *Dices; quia diues sum, & nullius egeo, & nescis; quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper.* 1. Cor.4. *Iam diuites facti estis, sine nobis regnatis.* Hos diuites extollit diuitiarũ iactantia. Sap.5. *Diuitiarũ iactantia quid contulit nobis.* Vnde. Luc.16. Legitur de diuite, qui epulabatur: *Quotidie splẽdidè, & induebatur purpura, & bysso.* Byssо quidẽ propter resolutã molitiem, & purpura propter diuitiarũ iactãtiã, & ostentationem; de his dicit Quòd brachiũ Domini *dimisit.* Non dicit, fecit, sed *dimisit*; quia etiam ante *inanes* fuerunt. Quando enim bona intus implentia non contulit, tunc *inanes* reliquit, sed apparentẽ ad tempus plenitudinẽ in eis, diuitiarũ iactantia prætendit. Sicut Sol tenebrosum reliquit, quòd suo non implet lumine. Psal.80 *Non audiuit populus meus vocem meã, & Israel nõ intendit mihi, & dimisit eos secundũ desideria cordis eorũ in adinuentionibus suis.* Sic dimissus est à Deo derelictus, & à sanctorũ bonis satiantibus derelinquẽdus. Ose.4. *Particeps idolorũ Effraim, dimittẽ eũ separatum est conuiuium eorum.* Diues enim idolatra. Sicut dicitur Eph 5. *Auaritia, quòd est idolorũ seruitus.* Iste àveri boni possessoribus præcipitur dimitti; quia separatũ ab eis habet conuiuium, sicut Luc.16. Diues purpuratus à Lazaro paupere, & ideò, sicut boni veri possessor primum ab eo dimissus est: ita posteà in inferno diues à Lazaro absque consolatione dimissus est vacuus; cũ Lazarus iam sederet in mensa conuiuij regalis. De quo dicitur. Luc.22. *Vt edatis, & bibatis supra mensam meã in Regno meo.* Vnde sequitur, ille qui est, ex tali missione defectus, *inanes*, siue vacuos. Iob. 27. *Diues cũ dormierit nihil secũ afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Psa.75. *Dormierũt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.* Diuites enim huius sæculi nihil habent in futuro sæculo; quia hi receperunt boua in vita sua. Et ideò, si diuitijs suis non mercantur cœlestia à pauperibus, quorum est Regnũ nihil inueniẽt in futuro sęculo. Vnde dicitur Lu.16. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Simul enim taliter diuites, defraudantur incerto diuitiarũ, & spe, quã habent in ipsis, quæ est spes sufficientiæ, ex diuitijs. Et ideò dicitur. Psal.61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et causa reddi tur. Sap.5 *Spes impij quasi lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquã spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquã fumus, quia vento diffusus.* Tria enim sunt in diuitijs, & tria in diuite, & tria in iudicio diuitis. Tria in diuitijs, flos sæculi, qui arescit, vt lanugo. Fastus instãtiæ, qui in ampullas surgit, vt spuma. Amaritudo solicitudinis, quę est sicut fumus excæcans oculos. In diuitibus autẽ sunt aculei spinarũ, in difficultate adquirendi, & timore perdendi, quæ significantur per cardũ ferentẽ florem, qui arescit in lanuginem. Instabilitas, quæ significatur per aquã; quia diues vndique persequitur fugientes diuitias, & ignem in æstu cupiditatis, qui eleuat fumũ quemdã in stabilem, & amarũ tetrarum diuitiarũ. Tria iudicia diuitis, sũt vẽtus irę Dei. Procella, impetus in eũ insilientis pœnæ. Vẽtus autẽ diffundẽs fumũ est vapor debilis vitę separatus ab omni cõsolatione. Iac.4. *Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Sic igitur *diuites dimisit inanes.* Ge.1. *Terra erat inanis, & vacua.* Hoc est, terrenorũ cupidus effectus.

Hier.4. Hier.4. *Aspexi terram, & ecce erat inanis, & nihil.* Quia etiam se ipsum diues euisce-
Eccl.10 rat, Eccl.10. *Nihil est sceleſtius, quàm amare pecuniam. Hic enim in vita sua proiecit inti-*
Tob.20. *ma sua.* Iob 20. *Diuitias, quas deuorauit, euomet, de ventre suo extrahit eas Deus.* Et ergo dimittitur inanis talis diues.

SVSCEPIT ISRAEL PVERum suum.

Tertia pars est huius Cantici, propter quã totum introductum est Canticum, & dicuntur in ea tria. Primum est, humanæ naturæ in diuinam personam susceptio. Secundum est, Dei ab antiquo irascentis nunc ad misericordiam conuersio. Tertium est, promissorum omnium in hoc verificatio (aliàs certificatio) sed attende primò, ad litteræ constructionem; quia sicut iacet, non habet congruã Grammaticam: ordina ergo sic: *Deus ipse suscepit Israel puerũ suũ, sicut locutus est ad patres nostros.* Et hoc fecit: *Recordatus misericordiæ suæ Abraham.* Hoc est, Abrahæ exhibendam: *Et semini eius vsque in sæculum.* Reuertamur ergo nunc ad primum dicentes: *Suscepit Israel.* Tria dicit, vnionis videlicet, modum, & assumptum, & assumpti actum. In vnionis modo duo sunt, vnum quidẽ ex verbi supposito sub intellecto, quòd est, assumens: & secundùm, ex verbi significatione, quòd est, assumptionis modus: suppositum verbi est, quòd primo in cantico in ductũ est, cùm dixit: *Magnificat anima mea Dominum.* Quia Dominus est assumens, vel brachium Domini, in quo Dominus fecit hanc potentiam: dicamus igitur, ipse Dominus in brachio suo potente, *Suscepit*, &c. Non enim hoc facere poterat nisi Dominus, nec conueniens erat facere, nisi in brachio, quòd est filius. Non enim Pater ab alio est, & ideò neque æternaliter, neque temporaliter nasci bilis est. Spiritus autem Sanctus, quamuis ab alio sit, tamen nascibilis non est. Et ideò filius inconuenienter esset; in brachio ergo, quòd est filius, qui, & ab alio, est, & nascibilis, vt dicit Hilarius. Hanc perficit potentiã
Esai.4. operationis. Esai.40. *In brachio suo congrega*
Ioan.1. *bit agnos.* Ioan.1. *Verbum caro factum est, &*
Hæb.2. *habitauit in nobis.* Hæbr.2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & similiter ipse participauit eisdem.* Frater enim nõ esset, qui per natiuitatem non processisset ex eodem Patre, nec participauit naturam secum (aliàs Fratrum.) Et ideò Pater in se non susc ipere debuit, nec Spiritus Sanctus, sed Filius, vt frater esset, & fratres reconciliaret in Regnum Patris, introduceret susceptos.
Psal.29 Psal 29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.* Hic ergo est assumẽs, siue susc ipiens: susceptionis autem modus est in compositione querendus. Quòd Verbum componitur à sursum, & cœpit; quia assumendo nos sursum erexit: *Suscipit* enim, in naturam, in gratiam, in defensionem, in gubernationem, & in beatitudinem.

Per assumptionem quidem in naturam erexit nos extra mortem, & Dei Patris iram. Per assumptionem autem in gratiam extraxit nos extra culpam. Per assumptionem in defensionem nos erexit extra hostis victoriosam impugnationem. Per assumptionem in gubernationem nos eduxit extra viæ periculosam dubitationem. Per assumptionem in beatitudinẽ nos extraxit extra miseriam. De assumptione autem in naturam. Ad Hæbr. 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Hier.13 *Sicut aggluti nari solet lumbare ad lumbos viri, sic aggluti naui mihi omnem domum Israel.* Hier.31. *In charitate perpetua dilexi te; ideò attraxi te miserans.* De susceptione in gratiam dicitur in Psal. 106. *Suscipit eos de via iniquitatis eorum, propter iniustitias enim suas humiliati sunt.* Et ipsa humana natura, dicit: *Nõ discedimus à te, viuificabis nos Domine, & nomen tuum inuocabimus.* De susceptione autẽ in defensione contra hostes, impugnationem dicit Psal. 118. *Suscipe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.* Psal.29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec dilatasti inimicos meos super me.* Iob 17. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*

Hæb.2. Psal.79. Psal.118. Psal.29 Iob 17.

De susceptione in gubernationem. Gen. 43. *Ego suscipio puerum, require illum de manu mea, nisi reduxero, & reddidero tibi.* Psal. 118. *Suscipe me secundùm eloquium tuum & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.* De susceptione in beatitudinem dicit Psal.64. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti habitauit in atrijs tuis.* Per primam assumptionem homo est vnctione deitatis invnctus. Per secundam autem, est per gratiam sanctificatus. Per tertiam, per virtutem deitatis defensus. Per quartam, per lucem diuinam securè deductus: & per quintam omni beatitudine glorificatus. Primam fecit Deus per se ipsum. Secũdam, in quãtum gratia plenus. Tertiam, in quantum est virtus Patris. Quartam, in quantum veritate plenus, & sapientia Patris. Quintam, in quantum est solus Beatus, qui solus habet immortalitatem: *Et habitat lucem inaccessibilem.* Thim.6. Sic igitur: *Suscepit Israel.* Quidã voluerunt *Israel*, hic esse nominatiui casus, vt sit sensus *Israel* plebs Iudæorum susc epit *puerum suum*, sibi promissum in lege. Esai. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Sed ista expositio non videtur esse conueniens, sed dicamus, quòd *Israel*, accusatiui

Gen.43. Psal.111. Psal.64 Thim.6 Esai. 9.

casus

casus est, & est sensus. *Suscepit Israel*, hoc est Israelem: *Israel* enim *suscepit* quando semen *Israel suscepit*. Roman. 15. *Suscipite inuicem, sicut, & Christus suscepit vos in honorem Dei.* Philippens. 3. *Sequor, si quomodo apprehendam, in quo, & apprehensus sum.* Et hoc est assumptum, *puerum suum.* Ecce tangit assumpti actum: & secundùm consuetudinem Hæbraici sermonis, *puerum* ponit pro seruo. Phil. 2. *Humiliauit semetipsum formam serui accipiens.* Matth. 20. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Esai. 52. *Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur, eleuabitur, & sublimis erit valdè.* Iste autem puer à puritate dictus est, quia purus puro corde, & purè impleuit omne genus seruitutis ad salutem nostram pertinens. Vnde Acto. 4. dicunt Discipuli in oratione ad Deum: *Conuenerunt in hac Ciuitate aduersus puerum Sanctum tuum IESVM, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, & fecerunt quæcumque manus tuæ decreuerunt fieri*: Sequitur.

Rom. 15. Phil. 3. Phil. 2. Mat. 20. Esa. 52. Act. 4.

RECORDATVS MISERIcordiæ suæ.

Videbatur enim Dominus diù oblitus generis humani, ex ira primi peccati; sed tandem pietate victus, *recordatus est*, hoc est, admodum recordationis se habuit, *misericordiæ suæ.* Abacuch. 3. *Dum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Est etiam prima promissio redemptionis, facta ex misericordia; sed impletio promissionis est ex veritate. Infrà eodem: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et subiungit de veritate dicens:

Abac. 3.

SICVT LOCVTVS EST AD Patres nostros Abraham, & semini eius.

Hæbr. 1. *Multifariam, multisque modis Deus olim loquens Patribus in Prophetis, locutus est enim per seipsum.* Genes. 12. 15. 15. 17. & 17. Locutus est per Angelos, Gen. 18. Locutus est per Moysem. Exod. 5. Locutus est per ora omnium Prophetarum. Act. 3. Locutus est nobis tandem *in filio.* Hæbr. 1. Ose. 12. Ego *visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum* Psalm. 88. *Tunc locutus es in visione Sanctis tuis: & dixisti: posui adiutorium meum in potente, & exaltaui electum de plebe mea.* Locutus est etiam in corde per Spiritum Sanctum. Psalm. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus meus; quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Ecce sic: *Locutus est ad patres nostros.* Quorum nos sumus

Hæbr. 1. Gen. 12. 15. 15. 17. Gen. 18. Exod. 5. Act. 3. Hæbr. 1. Ose. 12. Psa. 88. Psal. 84.

A hæredes: nec tantùm locutus est; sed sicut dicitur Hebr. 6. *Interposuit consilij sui iusiurandum, vt per duas immobiles res, quibus impossibile est mentiri, Deum firmissimum habeamus solatium.* Infrà eodem: *Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis*: Sequitur. *Abraham.* Hoc contiuatur, ad hoc quod dixit; *Recordatus misericordiæ suæ;* exhibendę Abraham; hoc est Abrahæ. Hunc igitur specialiter nominat, quia illi primò misericordia ista promissa est: & quia ipse Pater est promissionis filiorum: sicut dicitur Gala. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Vnde dictus est: *Pater multarum gentium.* Data est autem promissio Abrahę; primò quidem in pręputio, Gen. 12. Deinde etiã in circumcisione. Ge. 17. Et dicit Apostolus. Rom. 4. Sed hoc factum est, vt sit Pater omnium credentium *in præputio*: & sit Pater credentium *in circumcisione*, & *reputetur eius fides ad iustitiam.* Sic enim Pater est multarum gentium, vnde sequitur, & *semini eius* Apostolus, Rom. 4. *Non qui filij sunt carnis; sed qui sunt filij promissionis æstimantur in semine.* Semen enim hoc est, de quo dicitur, Gala. 3. *Semini tuo, quod est Christus.* Hoc enim est semen, in quo *benedicendæ sunt omnes gentes.* Esai. 65 *Semen benedictorum Domini est: filij & nepotes eorum coram eis.* Eccl. 44. *Semen eorum in testamento stetit.* Esai. 60. *Opus manus meæ germen plantationis meæ ad glorificandum, vsque in sæculum.* Hoc est, vsque in ęternum; quia hoc est sæculum, finis horum temporalium sæculorum. Exod. 20. *Faciens misericordiam in multa millia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea.* Non enim in finis misericordiæ quandiù durat nostra miseria. In seculo, autem futuro finitur miseria, & ideò vsque in illud sæculum fit misericordia.

B C D

Hebr. 6. Gen. 12. Gen. 17. Rom. 4. Rom. 4. Gala. 3. Eccl 44 Esa. 60. Exo. 20

MANSIT AVTEM MARIA, cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Hìc significatur, quare ad montana conscendit, vt videlicet vetulæ prægnanti obsequeretur. Cùm enim tres quartæ, anni sint tempus imprægnationis mulieris secundùm naturam. In primis duabus quartis, mulier prægnans non multùm est grauis: & ideò in illis ferè per totum occultauit Elisabeth. In vltima verò grauidatur de die in diem plus, & plus; & ideò tunc renelatus est partus eius ab Angelo iuuenculæ Matri Domini, vt veniat ad obsequendum, & ideò per totam illam quartam mansit cum ea Mater Dei, vsque ad partum; & huius sunt quatuor causæ. Prima quidem, vt non curiositatis, (aliàs

ocio-

ociositatis,) causa discurrisse videatur. Secunda autem, vt quandiù durat necessitas proximi; ab ipsa exemplum obsequendi præbeatur. Tertia autem, vt virtus Matris Ioannis, & nati augeatur ex mansione sua. Quarta tandem, vt hæc quæ ab Angelo dicta sunt de præcursore oculis fidelibus ab ipsa conspiciã tur: ociosè enim discurrentes, non diù valent
Prou.7 in vno loco pedibus suis consistere. Prou. 7.
The. 4. The. 4. *Operam detis, vt quieti sitis, & vestrũ negociũ agatis.* Inquietudo enim tã in viris,
2 Tim.3 quàm in mulieribus vituperatur. 2. Tim. 3. *Habentes quidem speciem pietatis: virtutem autem eius penitus abnegantes, & os deuita, ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis.* Talis enim discursus non est; nisi vt
Sap.2. hauriantur vndique libidinis fomenta. Sap. 2. *Vbique reliquimus signa lætitiæ nostræ; non sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Mansio autem talis significatur,
Gen.18 Gen. 18. Vbi etiam in aduentu Angelorum Sancta femina Sara inuenta est in tabernaculo. Dat etiam exemplum, non parumper; sed tamdiù obsequendi, donec finiatur indigentia proximi: sic enim probat verum esse, quòd dixit. *Ecce ancilla Domini*: sunt enim oculi ancillę semper in manu Dominæ: talibus enim obsequijs non indiget in se; sed in
Pro.vl. membris, & necessitatibus suorum. Prouer. vlt. *Considerauit semitas domus suæ.* Non platearum. *Et panem ociosam non comedit.* Domus enim congregatio coniunctorum ibi vocatur: vnde de domo sua fuit cognata eius
1.Tim.5 Elisabeth. 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem*
Esai.58 *negauit, & est infideli deterior.* Esai. 58. *Carnem tuam ne despexeris.* Ex hoc etiam profecit virtus tam Elisabeth, quàm Ioannis. Vnde Beda in glossa; nec sola causa familiaritatis tandiù mansit; sed vt toto tempore Helisabeth, & Ioannis cresceret profectus. Nam si in primo aduentu MARIÆ Spiritu Sancto sunt repleti; multum est illis superad-
Gen. 30 ditum tanta mora mansionis. Gen. 30. *Inueniam gratiam in conspectu tuo; exprimento enim didici, quod benedixerit mihi Deus. Propter te*, quarta causa etiam in glossa est vbi dicit. Tandiù *mansit*, vt videret præcursoris natiuitatem, propter quàm maximè
Iob vlt. venerat. Iob vlt. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Simile Genesi. 45. *Sufficit mihi, vadam, & videbo illum.* His ergo de causis. *Mansit MARIA (cum illa quasi mensibus tribus.* Quasi diceret: temperando locutionem propter paruas dieculas, quibus fortè plus, vel minus mansit. *In mensibus autem tribus*: tres sunt lunæ renouationes ex mutuato lumine Solis: quę significant tres ex illuminatrice (quòd lonat MARIA) mutuatas illuminationes, quas Gloss. attribuit fidei, spei, & charitati. Fides enim, vt dicit Aug. Ad lumen oculos aperit, spes erigit, charitas figit. Eccl. 43. *Tripliciter Sol exurit montes, radios igneos exuflans suos.* Inde dicitur Prouer. vlt. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Omnes enim irradiat, eò quod ipsa est *amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Apoc. 12. Omnes irradiat pietatis officio: sanctitatis merito, & exemplo, & plenè illuminationis verbo; nihil in tenebris permanet, vbi illuminatrix intrauit. Esa. 58. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt, vt meridies. Et reuersa est in domum suam.* Gen. 30. *Iustum est, vt aliquando domui meæ prouideã. Mansit* igitur, quietam se demonstrando: *tribus mensibus.* Mansit obsequium pietatis, vsque in finem perficiendo, *reuersa est*, non semper circa alia; sed aliquando circa propria intendendo, exiuit in pietatis actionem, *& reuersa est* ad familiam, (aliàs ad familiaria) in veritatis contemplatione. Eccl. 1. *Animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Cant. 3. *Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Sunamitis, quæ captiua interprætatur, est anima capta iam amore, & dulcedine contemplandæ veritatis, inter quas Regina fuit anima Beatæ Virginis. Huic sodales sponsi clamant, *reuertere* ab occupatione curæ familiaris; *reuertere* ab obsequio pietatis: *reuertere* ab actione exercendæ virtutis; *reuertere* ad lympidam speculationem veritatis, vt in lumine diuino radiantem *intueamur te*: sic ergo *reuersa est in domum suam.* Sap. 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio eius neque tedium conuictus eius.* Istud tamen dictum est per anticipationem; quia non redijt, nisi Ioanne iam nato; sed Euangelista anticipat, vt continua fit Historia de Natiuitate Præcursoris.

Gen.45
Eccl.45
Pro.vl.
Apo.12
Esai.58
Gen.30
Ezec.1.
Can.3.
Sap. 8.

EIVSDEM ALBERTI MAGNI DE B. VIRGINE MARIA SERMONES.

IN PVRIFICATIONE B. MARIÆ Virginis Sermo X.

Luc. 2. TVlerunt IESVM in Ierusalem, vt sisterent eum Domino. Luc. 2. Quatuor hic prima facie notae potes, I. Qui tulerint? II. Quem tulerint? III. Quo tulerint? IIII. Propter quid tulerint? Qui? Ioseph, & MARIA, quem? Puerum IESVM quo in Ierusalem, propter quid, vt sisterent eum Domino. Gloss. Idem offerent, & con-

se-

secrarent;& nota quòd sicut Ioseph,& MARIA tulerunt puerum IESVM in Ierusalem, vt offerrent eum Domino; sic & nos moraliter facere debemus. Primò debemus spiritualiter esse Ioseph, & MARIA; vt videlicet corpore quasi Ioseph, anima verò MARIA simus: sicut enim Ioseph MARIAM coniugem suam non polluit; sed quasi fidelis custos,ei seruiuit:ita etiam corpus non debet animam,quę coniuncta est ei, polluere, sed potiùs ipsi fideli custodia deseruire. Hinc est, quòd Dominus loquitur
Leu. 11 Leuitici 11. *Nolite contaminare animas vestras;ego enim sum Dominus Deus vester: Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum, ne polluatis animas vestras.* Et nota,quòd non incongruè per *Ioseph*, qui interpretatur *appositio*, corpus intelligitur, quod de die in diem tendit ad hunc finem, vt in sepulchro mortuorum ossibus opponatur. Hinc est
Gen. 34 quòd legitur Genes. 34. *Completi sunt dies Isaac centum octuaginta annorum,consumptusque ætate mortuus est, & appositus populo suo.*
Gen. 49 Legitur etiam Genes 49. *Finitis Iacob mandatis,quibus filius instruebat,collegit pedes suos super lectum, & obijt, appositusque est ad populum suum.* Conuenienter etiam per *MARIAM*, quæ *illuminans* interprætatur, Pura anima figuratur. Per animam siquidem corpus illuminatur; nam post abscessum animæ à corpore, corpus cinerum iacet, & pallidum;vnde absentia eius probat, quid præsentia conferebat.

Secundò debemus ferre puerum IESVM.
1.Cor.6 Ad hoc monet nos Apostolus 1. ad Cor. 6. *Empti estis prætio magno: glorificate ergo, & portate Deum in corpore vestro.* Ille in anima portat Dominum,qui ei seruit ex toto intellectu, & ex tota voluntate,omnique memoria. Anima enim ad hoc sedare debet, vt bonum intelligat;bonum verò, quòd intelligit,velle debet; id etiam bonum, quòd vult, semper debet habere in memoria. Ille etiam in corpore suo portat Christum, qui omnia membra corporis sui, videlicet,oculos,aures,os, linguam, dorsum,ventrem,& vtrumque latus,manus,& pedes exhibet, &
Rom.6. ostendit in obsequio IESV Christi. Vnde dicit Apostolus ad Rom.6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Et nota, quòd dignum est, vt portemus Christum propter sex causas. Prima causa
Esa.53. est; quia ipse pro nobis tulit dolores verberum, & flagellorum, vnde dicit Esai. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Secunda causa est, quia ipse portauit pro nobis spineam coronam, qua acriter pungebatur; vnde dicitur

A Ioa.19. *Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius: exijt ergo IESVS portans coronam spineam.* *Ioan.19* Tertia causa est, quia ipse pro nobis tulit Crucis patibulum; vnde dicitur Ioan. 19. *Baiulans sibi Crucem IESVS exiuit in eum, qui dicitur caluariæ locus,vbi eum crucifixerunt.* *Ioan.19* Quarta causa est,quia ipse peccata nostra, id est, pœnam peccatorum pertulit in ligno Crucis; vnde dicit Petrus 1. Cant. 2. *Qui peccata* *1.Pet.2* *nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Pertulit,id est, perseueranter tulit. Quinta causa est, quia nos ab vtero matris vsque ad canos portat in peccatis nostris, vnde dicit
B in Esai.46. *Audite me,qui portamini à meo vtero vsque ad senectam: ego ipse, & vsque* *Esa.46.* *ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo.* Vterus Domini est misericordia eius, in qua peccatores, vsque ad senectam,& senium longanimiter portat, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Sexta causa est,quia si eum portauerimus,modò facit nos tandem portari ab Angelis in sinum Abrahæ; vnde dicitur Luc.16. *Factum est,vt moreretur mendicus,* *Luc.16* *& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Septima causa est, quia non solùm in sinum ad requiem, sed ad vbera portabimur ad refectionem; vnde dicit Esai. 46. *Ad vbera* *Esai.46*
C *portabimini, & super genua blandietur vobis.* Quoniam sicut cùm Mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.

Tertiò,non debemus IESVM ad tempus portare, & posteà à nobis eum reijcere, sicut multi faciunt, qui forsitan per susceptionem pœnitentiæ ipsum in Quadragesima portare incipiunt, sed statim ipso Sancto die Paschæ, vel in crastino eum à se reijciunt, comessationibus, ebrietatibus, ludis prohibitis & lasciuis, nec non, & luxurijs vacantes, sicut priùs facere consueuerunt. Portandus itaquè est IESVS perseueranter, donec perueniatur in Ierusalem, per
D quam superna patria figuratur. Ierusalem quippè visio pacis interprætatur: & verè in illa cœlesti superna patria vera pax videtur,& est,vnde dicitur in Psalm.147. *Lauda* *Ps.147.* *Ierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem.* Hinc etiam Tobias 13. *Ierusalem* *Tob.13.* *Ciuitas Dei: Beati sunt omnes, qui diligunt te,& qui gaudent super pacem tuam.*

Quartò, debemus puerum IESVM in Ierusalem offerre Deo Patri. Illam enim supernam Ierusalem, & si nondum adhuc corpore possumus,quotidie tamen mente,& corde ingredi debemus, vt Deo Patri puerum IESVM offeramus: tunc autem puerum IESVM Deo Patri offerimus,cum simpliciter petimus, vt misereatur nostri,propter

ter omnia, quæ pro nobis sustinuit puer IESVS, videlicet propter natiuitatem eius, & circumcisionem, propter paupertatem, vigilias, lacrymas, & labores eius; propter colaphos, alapas, & irrisiones, quæ pro nobis sustinuit; propter sputa, quæ in faciem susceptit; propter flagella, quæ pertulit; propter spineam coronã, quam in capite portauit; propter sæua vulnera, quę pro nobis in Cruce passus fuit; & propter multa alia, quæ pro nobis fecit, vel sustinuit dulcissimus IESVS. Vnde Ecclesia omnes orationes suas sic concludit. *Per Dominum nostrum IESVM Christum Filium tuum.* Hinc est etiam quod ait Apostolus ad Hębr. 13. *Per ipsum offeramus ostiam laudis semper Deo,* id est, *fructum labiorum confitentium nomini eius.* Hostia laudis, est hostia laudabilis. Hæc autem hostia non tantùm debet esse oratio, sed & fructus eorum, qui Domino labijs confitentur.

Hæb. 13

Et nota, quòd Beata MARIA Virgo non solùm obtulit puerum suum IESVM; sed & obtulit cum eo talem oblationem, quàm paupercula puerpera secundùm legem Moisi consueuit offerre; cuius videlicet manus præ paupertate agnum non poterat inuenire. Hæc autem oblatio erat, vel duo turtures, vel duo pulli columbæ, sicut legitur Leuiti 12. Ponamus ergo pro mysterio, quòd obtulerit vnum pullum columbæ, & vnum turturem. In his duabus auibus, vt de multis earum proprietatibus taceamus, quatuor notantur, quæ optimè conueniunt Beatæ Dei genitrici MARIÆ. In columba quippè notatur prudens simplicitas, & prolis fœcunditas. In turtere verò notatur perpetua continentia, & lenis patientia.

Leu. 12

Primò, in columba igitur notatur prudens simplicitas. Prudentia eius in hoc perpenditur, quòd vitat insidias accipitris, vnde libenter nidificat in talibus locis, ad quæ accipiter accesum habere non potest: simplicitas eius in hoc attenditur, quòd non curat de immundis cadaueribus, tantùm puro grano vescitur, illoque contenta est. Sic etiam Beata Virgo prudens columba fuit, quæ cauens insidias infernalis accipitris in Nazareth habitauit: Nazareth enim flos, vel sanctitas interpretatur; & certè in flore sanctitatis commorantem Diabolus nulla persuasione poterat attingere. Simplicitatem etiam suam commendabilem in hoc ostendit, quòd omni transitoria delectatione comptempta, solùm illud cœleste granum elegit, quod erat in sinu Dei Patris, per quòd ipsa etiam impleta fuit omni bono. Vnde & Angelus dixit ad illam: *Aue gratia plena.*

Luc. 1.

Secundò, in columba etiam notatur prolis fœcunditas. Vnde dicit Aristot. in libr. de Animal. Columbæ ouant omni tempore, & faciunt pullos, cùm fuerit locus suæ mansionis calidus, & fuerit cibus earum paratus. Item dicitur in sexto de animalibus, columbæ ouant decies in anno, & aliquando cubant vndecies, & aliquando duodecies, vt in Ægypto. Igitur à fecunditate prolis commendatur Virgo Beata; quia illum nobis genuit, qui melior est omnibus his, qui vnquam nati fuerunt, vel adhuc nascentur in terris. Vnde benè potest ei adaptare verbum illud, quòd dicunt mulieres de Noemi in libro Ruth. *Natus est tibi de nuru tua, quæ te diligit: & multò meliùs tibi, quàm si septem haberes filios.* In veritate natus est Beatæ Virgini, non de nuru sua, sed & de se ipsa talis filius, de quo multò meliùs est ei, quàm si mille filios genuisset, & illi omnes essent Imperatores.

Ruth. 4

Tertiò in turture etiam notatur perpetua continentia. Vnde dicit Aristoteles in octauo libro de Animalibus: Fœmina turtur non associatur alicui mari, nisi vni solùm & nullo modo accipiunt alium masculum post: sic etiam Beata Virgo non solùm post mortem Sancti Ioseph; sed etiam ante mortem suam, semper casta permansit: licet enim viro fuerit desponsata, nunquam tamen in contumeliam Virginitatis ab eo fuit attacta.

Quartò, in turture etiam notatur lenis patientia. Vnde dicit Aristoteles in 14. libro de animalibus. In turture non inuenitur fel: felle igitur, quòd amarum est, & iracundiæ excitatiuum, prorsus caruit Beata Virgo. Omnes enim tribulationes suas, & aduersitates huius mundi in multa patientia sustinuit, & lenitate. Nos etiam ad imitationem Beatæ MARIÆ cum puero IESV columbam offerre debemus, & turturem. I. Columbam offerimus, si prudenter simplices sumus, & prole fœcundi. Ad prudentiam columbinam inuitat nos Dominus, Hiere. 48. *Estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Quasi diceret, nidificate sicut prudentes columbæ in foramine lateris mei. Item ait Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ.* Gloss. dicit: quòd petra est Christus. Foramina verò petræ sunt illa quatuor vulnera manuum eius, ac pedum. Cauerna verò maceriæ, est vulnus lateris eius, in quibus ab insidijs accipitris nidificare oportet columbam Christi: simplicitatem etiam columbæ imitari debemus, vt sicut illam in cibum elegit purum granum, sic & nos Deum eligamus, qui est illud granum frumenti, quòd *cadens in terram,* id est, Beatam Virginem in annunciatione, *mortuum fuit* in Passione, & *multum fructum attulit* in Resurrectione, & in Ascensione. Hoc granum elegerat ille, qui dicit in Psal. *Quid enim mihi est in cœlo? & à te quid volui su-*

Hier. 48

Cant. 2.

Ioan. 12

Psa. 12

super terram? II. Sicut columba fœcunda est in prole, sic & nos debemus esse imitatores generosæ columbæ, vt singulis annis duodecim pullos bonorum operum Domino proferamus. Hi autem duodecim pulli sunt, duodecim opera misericordiæ. De
Mat.25 primis sex pullis, dicit Dominus, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Ecce primus pullus. *Sitiui, & dedistis mihi bibere.* Ecce secundus: *Hospes eram, & collegistis me.* Ecce tertius *Nudus, & cooperuistis me.* Ecce quartus. *Infirmus, & visitastis me.* Ecce quintus. *In carcere eram, & venistis ad me.* Ecce sextus.
Tob.12. Septimus est, vt mortuos sepeliamus, vnde dicitur Tobiæ 12. *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Octauus est vt sine
Matt.5 spe lucri mutuum demus: vnde dicit Do-
Luc. 6. minus Matth. 5. *Volenti mutuari, à te ne auertaris.* Item Lucæ 6. *Mutuum date nihil*
Iac. 5. *inde sperantes.* Nonus est, vt errantes conuertamus; de hoc dicitur Iacob 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Decimus est, vt
Iob 19. desolatis solatium præbeamus: de hoc dicit Iob 19. *Cumque sederem, quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator: & cor viduæ consolatus sum.* Multi sunt hodie oppressores pauperum, & vi-
Eccl. 6. duarum, propter quod bene indigerent bono consolatore, vnde dicitur Eccl. 4. *Vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & consolatorem neminem.* Nec posse resistere illorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Vndecimus pul-
Luc. 6. lus est, vt peccantibus in nos ignoscamus, de
Mat. 5. hoc dicit Dominus Lucæ 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Item Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.*
Mat.12 Duodecimus est, vt pro peccatoribus orationes effundamus; vnde dicit Dominus Matth. 12. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est.* III. Debemus etiam turturem offerre domino, vt videlicet ad similitudinem turturis, quamdiù ablatus est à nobis sponsus noster IESVS Christus, lugeamus, nec cor nostrum alicui rei mundanæ delectabili apponamus, donec ad consolabilem eius præsentiam veniamus, & præterea, vt in tempore luctus nostri sine omni felle amaritudinis exeuntes, quidquid nobis aduersitatis acciderit, leni pacientia toleremus: Quod nobis, &c.

ITEM IN PVRIFICATIONE Beatæ MARIÆ. Sermo XI.

Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus, & timoratus exp ctans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo; & venit in Spiritu in Templum, & ipse accepit IESVM in vlnas suas. Luc. 2. Nota quod sicut Sanctus Simeon, quem demonstratiuum aduerbium, *Ecce*, à multis comendabilem esse demonstrat, hodie Christum accepit in vlnas suas: Ita & nos hunc laudabilem Simeon imitari debemus, vt digni simus Christum recipere in vlnas animæ nostræ, modò per gratiam, & in futurum per
B gloriam: ad hoc autem octo requiruntur, quæ in verbis supra positis notari possunt.

Primò, ergo debemus esse homines per mortalitatis nostræ recognitionem. Vnde dicit, *Ecce homo*: Homo enim secundùm diffinitionem est animal rationale mortale. Et verè, quòd homo mortalis sit, & brebis sit vita eius. Per hoc probatur, quòd comparatur tribus valdè citò transeuntibus, videlicet aquæ in terram dilabenti, & fumo fugienti, & vapori modicum apparenti De primò, dicit mulier Thecuites ad Dauid, 2. Reg. 14 *Omnes morimur, & quasi aquæ in terram dilabimur, quæ non reuertuntur.* De
2.Re.14 secundò, dicit Iob 13 *Homo natus de muliere*
Iob 13. C *breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem, &c.* De tertiò dicit Iacob 4. *Quæ est vita nostra? vapor est, & ad modicum parens,*
Iacob 4. *& deinceps exterminabitur.* Cùm igitur mortalis sit homo, mirabile est, & miserabile quòd audet se erigere contra altissimum, sicut fecit Antiochus, de quo legitur, 2. Machab. 9. quòd ita erat repletus superbia, vt
2.Ma.9 videretur *Sibi fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere: arbitrabatur etiam se sydera cœli attingere.* Sed tamen ad agnitionem sui venire compulsus est, diuina plaga percussus. *Nam de*
D *curru regali cadens in terram, ingestatorio portabatur, & de corpore impij vermes scaturiebant, ac viuentes in doloribus carnis eius effluebant, odore etiam ipsius, & fœtore exercitus grauabatur, & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Cùm ergo mortales simus, consultum est nobis, ne Deum peccatis nostris impugnemus, sed potiùs cum ipso pacem habeamus.

Secundò, morari debemus in Ierusalem, per internæ pacis conseruationem: vnde dicitur: *Ecce homo erat in Ierusalem.* Ierusalem interpretatur pacifica: tunc autem sumus in Ierusalem, cùm pacem habeamus ad

Deum

Deum, nec eum criminibus nostris impugnamus: vnde dicit Apost. ad Rom 5. *Iustificati* *Rom. 5.* *ex fide pacem habeamus ad Deum* Quam autem pacem nos oporteat habere ad Deum; declarat 6. capitulo, vbi ait *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* Et verè expedit nobis, vt non peccatum; sed potiùs Spiritus Sanctus regnet in nobis, vt videlicet eius operatione nostra misera mortalitas gloriosam induat immortalitatem, vnde dicit *Rom. 6.* Apostolus ad Rom. 8. *Si spiritus eius, qui* *Rom. 8.* *suscitauit IESVM Christum à mortuis, habitat in nobis, viuificabit, & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Dicit etiam 1. ad Corinth. 15. *1. Cor. 15* *Oportet hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem* Verùm quoniam *illi in* quorum *cordibus pax Christi exultat*: vt dicitur Colos. *Colo. 3.* 3. *Debent compati miserijs miserorum.*

Propterea tertio debemus habere nomen *Simeon* per visceroſam compassionem: vnde sequitur: *Cui nomen Simeon. Simeon* interpretatur *audiens mœrorem*, & signat illos qui visceroſa compassione audiunt pauperes mœrentes, & clamantes; talis est ipse IESVS *Heb. 4.* Christus: vnde dicit Apostolus ad Hæbr. 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Talis etiam erat *Iob 30.* Iob, qui dicit 30. capitulo. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Tales quoque nos esse debemus: vnde ait Apostolus 1. ad *1. Co. 12* Corinth. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatientur omnia membra.* Sed qui vero corde compatitur, etiam extrinsecus eleemosynas manu largitur.

Propter hoc quarto, iusti esse debemus per eleemosynarum largitionem: vnde sequitur: *Et homo iste iustus erat* Quòd autem iustũ sit, quæ diues pauperi eleemosynas suas *Ps. 111.* largiatur, testatur Psalmista qui ait in Psal. *Dispersit dedit pauperibus iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Ex isto loco sufficienter potest haberi quomodo eleemosyna debet dari: dicit etiam dispersit, id est, diuersimodè sparsit, non totum in vnum locum proiecit; dedit pauperibus non diuitibus, & non vni tantùm, sed pluribus. Melius est enim plures patronos habere, quàm vnum, vel paucos; & sæpè plurium orationes efficaciores sunt apud Deum, quàm vnius. Item, quòd iustus teneatur eleemosynas ero *Pro. 21.* gare, probatur Prouer. 21. Vbi dicitur: *Qui iustus est, tribuet, & non cessabit* Item dici- *Psal. 36* tur in Psa 36. *Iustus miseretur, & retribuet.* Id est, res tribuet: & post pauca: *Iustus tota die miseretur, & commodat, & semen illius in benedictione erit.* Iustus ergo dupliciter misereturr, videlicet, res suas dando pauperibus, & commodando, sed quia nullus de iustitia sua nimis debet confidere, sed potiùs se seruum inutilem reputare?

Propterea quinto debemus esse timorati per trepidantem humilitatem: vnde sequitur, *& timoratus*, talis erat Iob, qui ait. 9. capitulo: *Verebar omnia opera mea sciens, quòd non parceres delinquenti, si lotus fuero quasi aquis niuis, & fulserint quasi munissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges intingues me.* De his autem qui timorati sunt, id est, per humilitatem in timore fundati, dicit Dominus in Esai 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones meos?* Verùm, quia non debemus solùm Domino seruire in timore; sed etiam oportet, vt exultemus ei cum tremore, id est, vt tremori exultationis solatium adiungamus.

Ob hoc sexto debemus esse expectantes consolationem Israel per certæ spei illaritatem: vnde sequitur: *Expectabat consolationem Israel.* Igitur, quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis; debemus per ilaritatem spei consolationem filiorum Dei expectare, propter quod dicit Apostolus, ad Hæbr. 6. *Spem sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Item ad Hæbr. 10. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem: fidelis est enim qui repromisit.* Sed quoniam ille, qui sperat æternam consolationem, talem se exhibere debet, vt dignus sit illius rei, quàm expectat.

Propterea septimo, Spiritus Sanctus esse debet in nobis per omnimodam vitæ puritatem. Vnde sequitur: *Et Spiritus Sanctus erat in eo.* Hospitari itaque debemus Spiritum Sanctum per omnimodam vitæ munditiam. Mundus enim est Spiritus Sanctus, *Nec habitauit in corpore subdito peccatoris.* Sicut dicitur Sapient. 1. Hinc est, quòd le- *Sap. 1.* gitur, Lucæ 3. *Quòd* I E S V baptizato, *Luc. 3.* *descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum.* Per quod datur intelligi, quòd in neminem descendit Spiritus Sãctus mansurus cum eo, nisi purus sit, & mũdus; purus corpore, & mundus corde. Vnde *1. Cor. 6* Paulus ait 1. ad Cor. 6. *Corpus nõ fornicationi debetur, sed Domino; & Dominus corpori, an nescitis, quia membra vestra Templum est Spiritus Sancti? qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri.* Verùm quoniam ille in quo habitat Spiritus Sanctus per castitatem concupiscit in atria Domini.

Propter hoc octauo, debemus venire in Templum, non manufactum; sed per assiduitatem feruentis desiderij: vnde sequitur. *Et Spiritu venit in Templum.* Sic etiam legitur *Luc. 2.* Lucæ 2. De illa Beata Anna vidua, & Prophetissa: quòd *non recedebat de Templo ieunijs,*

nijs, & obsecrationibus seruiens Deo die, & nocte: ille igitur *in Spiritu venit in Templum*. Qui quotidie per feruens desiderium, rapitur *vsque in tertium Cœlum*: sicut loquitur Apostolus de se, 2. ad Cor. 12. Primum Cœlum est dulcis societas omnium electorum. Secundum Cœlum est speciosa claritas omnium Angelorum. Tertium Cœlum est ipsa gloriosa Trinitas; à qua fluit omni societas Beatorum. Qui ergo in hoc Cœlum fuerit Spiritu raptus, talis potest accipere IESVM in vlnas suas, ac dicere. *Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*: potest etiam lœtus cantare. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui*. Rogate ergo, charissimi, Dominum, vt sic Beatum Simeonem bonis operibus imitemur, vt tandem cum ipso Beatæ MARIÆ Virginis Filium in vlnas nostras lęti suscipere mereamur: Quod nobis pręstare, &c.

2. Co. 12

TERTIVM IN PVRIFICATIONE Beatæ MARIÆ. Sermo XII.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Lucæ 2. Nota, quòd Beatus Simeon Sacerdos, tenens IESVM in manibus, & vlnis suis multas gratias egit Deo, super hoc quòd merebatur videre Filium suum, qui quasi lumen erat in terris missum *ad reuelationem*, id est, ad illuminationem *gentium*, non credentium, *& ad gloriam plebis Israel*, Deum per fidem intuentium: vnde legitur Luc. 2. Quòd statim nato hoc lumine. *Claritas Dei circumfulsit pastores vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum*. Cùm igitur Beata Virgo istud glorioſum lumen hodie portauerit in Ierusalem, & obtulerit in Templum; nos etiam ad imitationem ipsius, istum præclarum cereum in manibus bonorum operum continuè portare debemus. Verùm cùm non solùm paruulo babtizato, sed etiam hominiam morituro, secundùm quorumdam hominum consuetudinem lumen detur in manum; cùm etiam hodie cerei benedicti portentur ab hominibus, & prætereà circa feretrum defuncti quatuor ardentes candelæ ponantur: Videndum est.

Lucæ 2.

Quid omnia ista lumina significent? vnde nota, quòd lumen, quòd datur paruulo baptizato, & homini morituro, est lumen Baptismalis innocentiæ; lumen verò, quod hodie portatur, est lumen filialis eminentiæ. Quatuor lumina circa feretrum hæc sunt. Primum est vera sapientia. Secundum est iustitiæ beneuolentia. Tertium est, mandatorum conseruatio. Quartum, virtutum congregatio. Primum igitur lumen, quod datur paruulo baptizato in manum, est lumen baptismalis innocentiæ, de isto lumine dicitur in Psalm. 35. *Domine apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*: Quasi diceret, ò Domine fons vitę est apud te in lumine tuo, ideſt, in innocentia, quam per gratiam tuam consecuti sumus in baptismo, videbimus lumen, id est, claritatem tuam. Hoc autem lumen consistit in triplici reuolutione: debet enim innocentia esse in corde, ore, & opere, vt videlicet homo nec malùm corde meditetur, nec lingua loquatur, nec manibus operetur: qui autem hoc lumen apportauerit ante Dominum, benignè suscipietur à Domino; vnde dicitur in Psal. 40. *Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum*. Verumtamen si lumen istud extinctum fuerit illis tribus modis, quibus contingit extingui lumina (videlicet per fortem ventum superbiæ, vel per aqueum humorem luxuriæ, siue etiam per violentam oppressionem auaritiæ; omnis enim violentia surgit ex auaritia) rursus debet accendi per ignem ardentis pœnitentię, & sic homo cũ ardenti cereo suo fiducialiter vadit ante faciẽ Dei sui: propter quod, & homini morituro, secundùm aliquorum consuetudinem, accensus cereus datur in manum: quasi dicatur, cum eadem inocentia qua exijt de baptismo, egreditur etiam de hoc mundo, vt suscipiatur à Domino. Secundùm lumen, quod hodie portatur per vniuersam Sanctam Ecclesiam, est lumen filialis eminentiæ, id est, IESVS Christus altissimi Patris Filius. Quod autem ipse sit lumen, testatur per semetipsum, Ioan. 8. dicens. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Ioan. 1. Etiam Euang. asserit eum esse lumen in principio Euang. sui ita scribens. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hic etiam dicitur in Iob 25. *Super quem non fulget lumen illius?* Et nota, quod Filius Dei non solùm est lumen huius mundi per militantium illuminationem; verùm etiam est lumen Cœli per triumphantium glorificationem: vnde ait Tob. 5. *Quale gaudium mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* dicitur etiam Apo. 21. *Ciuitas illa nõ eget Sole, neque Luna, vt luceat in illa: nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius Agnus est*. Hoc igitur lumen consistit ex tribus, videlicet lichmo, vel lichmine, cera & flamma. Per lichmum notatur caro Christi mundissima. Per ceram verò intelligitur anima ipsius clarissima. Per flammam autem figuratur diuinitas eius glorioſissima: istud ergo benedictum lumen iugiter mundis manibus bonorum operum portare debemus, vt per illud purificatis mentibus Deo Patri prẹsentari mereamur. Nota etiam

Psa. 35

Psal. 40

Ioan. 8.

Ioan. 1.

Iob 25.

Tob 5.

Apo. 21.

quòd

quòd si alicui nocte transeundum esset per aliquem locum periculosum, vbi sæuientes inimici iacerent in insidijs circum circa se, videlicet antè & retrò, à dextris, & à sinistris; talis benè indigeret forti, & lucido comitatu, qui eum ibi ab hostibus tueretur, vt videlicet fortes haberet armigeros præcedentes, & subsequentes, & ab vtroque latere gradientes: sic igitur oportet, vt quatuor lumina fidelem Christianum in hoc sæculo transmigrantem ex omni parte ambiant, eumque in omnibus vijs suis custodiant ab insidijs Dæmonum, qui sunt Principes infernalium tenebrarum; & hæc quatuor lumina signantur per illos quatuor cereos, qui circa feretrum defuncti ponuntur. Primum, lumen quòd ponitur ad pedes defuncti, vt videlicet eum præcedat, est lumen

Sap.7. veræ sapientiæ, de hoc dicitur Sap. 7. *Super salutem, & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius: venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia.* Et nota, quòd lumen veræ sapientię constitit ex duabus magnis, & prætiosis, videlicet ex timore Domini, & amore Dei: nullus verè sapiens est, nisi timeat, & amet Deum. Vtrumque probat Ec-

Eccl. 1. clesi. 1. *Plenitudo*, inquit, *sapientiæ est timor Domini*. Item dilectio Dei honorabilis sapientia. Hæc autem duo posteà coniugit, &

Eccl. 2. facit inde cereum vnum, dicens 2. cap. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra*. Secundùm lumen quod ponitur ad caput mortui, vt videlicet sequatur eum, est beneuolentia iustitiæ: de

Esai. 58 isto lumine dicit Dominus in Esa. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tũc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam in iustitia tua, & gloria Domini colliget te.* Iustitia igitur operum misericordiæ, quæ modò pauperibus impenduntur, statim cùm facta sunt ipsa opera, præcedit faciem hominis, vt obtineat ei in præsenti diuinam propitiationem: cùm verò mortuus fuerit homo, sequitur eum, vt protegat ipsum ab insidijs inimicorum, & repræsentet eum gloriæ sempiternæ, quòd autem opera miserantis iustitiæ sequantur hominem: probatur

Apoc.14 per Apoc. 14. Vbi dicit Ioa. *Audiui vocem de cœlo dicentem; scribe beati mortui, qui in Domino moriuntur: opera enim illorum sequuntur illos*. Et nota, quòd lumen istud benefacientis iustitiæ constitit ad minus in illis septem operibus misericordiæ, de quibus supra habes in illo sermone: *Tulerunt IESV Min*

Ierusalem. Igitur, quantò plura opera misericordiæ fecerit homo, tantò clariùs lucebit cereus iste. Tertium lumen, quòd ponitur ad lęuam defuncti, est mandatorum Dei conseruatio: hoc autem lumen tuetur eum, ne aliquid aduersitatis attingat eũ à sinistris suis: de isto lumine dicit Ps. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* *Ps. 118.* Item in Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat*. Quòd autem mandata Dei benè custodita custodiant hominem ex hoc sæculo transeuntem, ostendit Eccles. 15. Vbi *Eccl. 15* ait: *si volueris mandata conseruare conseruabunt te*. Lumen autem mandatorum Domini consistit ad minus in illis decem præceptis, quæ dedit Dominus Moysi in monte Synai; sicut legitur Exod. 20. Sunt autem hæc præ- *Exo. 20* cepta: *Primò, non habebis Deos alienos coram me. Secundò, non assumes nomen Dei tui in vanum. Tertiò, memento, vt diẽ Sabbati sanctifices. Quartò, honora Patrem tuum, & matrem tuam. Quintò, non occides. Sextò, non mœchaueris. Septimò, nõ furtum facies. Octauò, non loqueris contra proximum tuum falsum testimoninm. Nonum, non concupisces domum proximi tui, nec omnia, quæ illius sunt. Decimum, nec desiderabis vxorem eius*. Cùm autem darentur hęc præcepta, cunctus populus audiebat voces, & videbat lampades, vt per hoc innueretur, quòd mandata Dei essent lumina æternæ vitæ. Quartum lumen, quòd ponitur ad dexterum latus defuncti, est sanctarum virtutum congregatio, vt non solùm per custodiam mandatorum Domini: *Cadant à sinistro latere eius mille*: Sed etiam per comitatum virtutum: *Cadant à dextris* *Psa. 90* *eius decem millia* inimicorum: fortes enim sunt virtutes, & ad vella doctissimæ. Sunt autẽ hæ; Fides, Spes, Castitas, Sobrietas, Humilitas, Simplicitas, Veritas, Obediẽtia, Patientia, Perseuerantia, cæteræque virtutes, quæ omnes sunt quasi clarissima lumina, vtpote à Patre luminum desursum descendentia; vnde dicit Iac. 1. *Omne datum optimum,* *Iacob 1.* *& omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum:* Id est, sanctarum virtutum, per quas irradiantur electi. Hinc etiam ait, 1. Pet. 2. *Vos estis genus electum,* *1. Pet. 2* *regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suũ*. Quasi diceret, ò Christiani, vos estis, id est, esse debetis electũ genus, mũdum videlicet cõtemnendo. *Omne enim, quod natum est* *1. Ioan. 5* *ex Deo vincit mundum*. Estis etiam regale Sacerdotium: id est, debetis esse Reges, & Sacerdotes; vos metipsos videlicet regendo & Deo iugiter offerendo. debetis nihilominus esse gens Sancta, carnis immunditias respuendo, & populus acquisitionis, proximos vestros post vos bonis exemplis pertrahẽdo,

&

& præterea debetis annunciare omnes virtuosas bonitates eius, qui vocauit vos de tenebris vitiorum in admirabile lumen virtutum. Quia igitur illi, qui cum prædictis luminibus non aduenerint, proijcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. Rogate, chariſsimi, Dominum, vt ſic cùm hoc glorioſo luminum comitatu ex huius exilij tenebris tranſeamus, vt in patriam claritatis æternæ, vbi lux perpetua lucet electis, fœliciter veniamus: Quod nobis, &c.

IN ANNVNCIATIONE B. MARIÆ. Sermo XV.

Aue MARIA gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Luc. 1. Hęc
Lucæ 1. ſunt verba Gabrielis Archangeli ad Virginẽ MARIAM: Eliſabeth autẽ addidit, *& benedictus fructus ventris tui.* Igitur quinque ſunt hic notanda. I. Quare Virgini hæc ſalutatio, *Aue* proferatur? II. Cur eſſe *gratia plena* dicatur? III. Quomodo cum ea *Dominus* eſſe dicatur? IIII. Quare ſuper *omnes mulieres* merito benedicatur? V. Cur etiam *fructus ventris* ſui benedicti ab omnibus mereatur benedici. De primo nota: Beata Virgo propter quatuor hoc verbo: *Aue* ſalutatur: *Aue* enim ſonat quaſi ſine væ: Eua nãq; quadruplici vę ſubiacuit; ipſa enim per virũ violenter fuit defloratа: ipſa per cõceptus multiplices fuit onerata; ipſa in partu filiorum fuit anguſtiata: ipſa etiam tandẽ fuit in puluerem reſoluta. Vnde propter prædicta di-
Gen. 3. xit ei Dominus Gen. 3 *Sub viri poteſtate eris & ipſe dominabitur tui*, quantum ad violẽtiam defloration is: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, quantum ad onera conceptionis: *In dolore paries filios tuos*; ecce dolor in partus effuſione. Sequũtur verba, quę Dominus dixit ad virũ, quæ etiã intelligũtur dixiſſe ad mulierẽ: *Puluis es, & puluerẽ reuerteris.* Ecce teſtimoniũ de incineratione. B. igitur Virgo hoc vę quadruplici immunis fuit: ipſa enim per Dei conceptionem virginitate non fuit ſpoliata; ipſa per eum quẽ conceperat, non fuit aliquo modo grauata; ipſa in natiuitate filij nõ fuit anguſtiata; ipſa etiam poſt mortem ſecundùm fidem laudabilem non fuit incinerata: ſicut enim Eua quæ fuit ex oſsibus Adæ, & caro de carne eius, cum coniuge ſuo participauit maledictionem corruptionis & incinerationis: ita è conuerſo dignum fuit, vt Beata Virgo cum Filio, (de qua ex eius carne, & ſanguine carnem aſſumpſerat, & ſanguinem) participaret benedictionem in corruptionis: ſicut enim caro filij non vidit corruptionem, ſic nec caro matris.

De ſecundo nota: Beata Virgo propter quatuor dicitur eſſe gratia plena: Fuit enim A mundiſsima, vacuiſsima, ſolidiſsima, & quietiſsima; ſicut enim quatuor ad minus ad hoc requiruntur, quòd materiale vas vel dignum ſit, vel poſsit impleri; videlicet vt ſit mundum, ſit capax, ſeu vacuum; ſit ſolidum, id eſt, non ruptum, ſit quietum, id eſt, non moueatur, dum liquor infunditur. I. Ita & Beata Virgo fuit mundiſsima ab omni labe vitiorum. Nunquam enim mortaliter, vel etiam venialiter peccauit, ſed ſemper in omni cogitatu ſuo, & verbo, & opere merebatur. Et certè ſecundùm hoc quaſi pluſquam homo hìc: non eſt enim homo, qui non peccet. Vnde 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam* 1. Ioan. 1
peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & vita in nobis non eſt. II. Fuit etiam vacuiſsima ab omni deſiderio terrenorum: Non enim cor ſuum, & animum habuit circa iſta terrena & inferiora, ſed ſemper deſiderio circa ſupercœleſtia verſabatur: Ipſa ſiquidẽ temporalia, quæ auari ſummo ſtudio colunt, contemptibilia, & quaſi ſtercora, reputabat. III. Fuit etiam ſolidiſsima, & integerrima per omnium virtutum ordinatam, & indiuiduam cuſtodiam: omnes enim virtutes circa ipſam aggregatæ ita ſolidam, & integram eam conſeruauerunt, vt non poſſet lędi aliquo tentationis impulſu. IV. Fuit etiam quietiſsima per pacem cordis, & omnium affectum tranquillitatem: Pacem enim quam filius ſuus dedit diſcipulis, ipſa præcipuè conſeruauit. Ipſa etiam nunquam indebitè, vel concupiuit, aut timuit, nec doluit, aut gauiſa fuit indebitè.

De tertio nota: Dominus cum ea eſſe dicitur, tanquam ſponſus in ſecreto cubiculo; Dei enim Filius in Camera Virginalis vteri humanam naturam aſſumpſit, eamque ſibi tanquam ſponſam gratiſsimam inſeparabiliter vniuit. Secundò cum ea fuit tanquam miles, arma induens in tabernaculo. Dominus enim congreſſurus cum diabolo, tunicam carnis noſtræ in ſanctiſsimo tabernaculo Virginei corporis induit, quæ cùm in paſsione per flagella, & ſpinas, & clauos, ac lanceam laceraretur, & perforaretur, virtus Diuinitatis, quæ ſub ea occulta fuerat, ſtrauit diabolum. Tertiò Dominus cum ea fuit, tanquam Rex in throni ſui conſiſtorio; Dei enim filius, vtpote verus Salomon, id eſt, Rex pacificus ſedit in ipſa tanquam in reali ſolio, iudicans omnes fines terræ. Medio fiquidem tempore, quo in Virginis vtero geſtabatur, non minùs ea, quæ ſurſum erant in cœlo, & quæ in terra deorſum, prudentiſsimè gubernauit. Quarto cum ea fuit tanquam hoſpes prandens in trielinio: ſedens enim infantulus in Virginis vtero, & Patre pleniſsimè fruebatur, & mundis affectibus matris, ac ſanctis operibus delectabiliter paſcebatur.

De quarto nota: Propter quatuor in mulieribus dicitur benedicta. Primò, quia serpenti non obaudiuit. Cùm enim & ipse Dei Filius tentatus fuerit, verisimile est, quòd Beata Virgo quandoq; etiam tentata fuit, sed ipsa nũquam diabolicę tentationi assensit. Secundò quia opprobrium fœminarum diluit, & abstersit: Sicut enim Eua causa extitit perditionis humanę: ita & MARIA causa fuit nostrę redẽptionis. Vnde mulieres deinceps verecundari non debent, tanquam per fœminam genus humanũ sit amissum, cùm & per fœminam fuerit recuperatum. Tertiò dicitur benedicta, quia per fructum vitæ, quem edidit suspendendum in ligno crucis, vitam restituit: Eua namque per pomum vetitum, quod decerpsit ab arbore, & sibi, & vniuersæ parentelę suę mortem propinauit: MARIA verò pretiosum fructum ventris sui mundo edidit, qui pro salute generis humani in crucis patibulo suspensus fuit, & sic mortem fugauit, ac vitam restituit. Quartò dicitur benedicta, quia claue Dauid, hoc est, per filium suum paradisum aperuit. Sicut enim propter Euam paradisi portæ clausæ fuerunt; ita & per MARIAM Virginem sunt reseratę, extincta ignea romphæa per sanguinem IESV Christi.

De quinto nota: *Fructus ventris* intemeratæ Virginis propter quatuor dicitur *benedictus*. Primò propter charitatiuã sui sanguinis effusionem: Et certè ipse non fuit parcus in suo sanguine, quo nos redemit, sed largissimus, vnde sit ipse per sęcula benedictus. Secundò propter exultantium animarum è limbo reuectionem. Quomodo enim creditis, quòd ab illis animabus fuerit benedictus, quas ipse de regione mortis eripiẽs in patriã lucis æternæ transuexit: quarum quædã etiã quinque millibus annorum passæ fuerãt exilium. Tertiò propter beatorum quotidianã refectionem. Quandiù enim in hoc sæculo sumus, peregrinamur à Domino. Prima, & summa refectio animarum nostrarum est corpus, & sanguinis Domini nostri IESV Christi, quo quotidie pascimur & potamur. Quartò dicitur *benedictus*, propter regnantium in patria delectabilem remunerationem: Ibi enim merces omnium filiorum Dei est glorioſus fructus ventris immaculatæ Virginis MARIÆ. Rogate ergo Dominum, vt à vitijs emundati meritis Beatę Virginis, sic in hac vita Dei gratia repleamur, vt post hanc vitam glorioſum fructum ventris sui in præmium assequamur: Quod nobis. &c.

ITEM DE EODEM FESTO ANnuntiationis Beatæ Virginis MARIÆ. Sermo XVI.

Lucæ 1. *Aue gratia plena*, Luc. 1. Nota, quòd hæc sunt verba, quibus Angelus alloquitur Virginem MARIAM. Et nota, quod sicut munda pixis nobili electuario repletur; ita etiam Beata Virgo tanquam aurea pixis gratia repleta fuit. Dicit ergo Angelus ad eam, *Aue gratia*, quasi diceret, *Aue* Virgo sanctissima quia tu es pixis aurea, quæ nobili electuario gratiæ vsque quam à summo pigmentario es impleta: Quòd autem Beata Virgo sit vas gratiæ, testatur sequentia, in qua hc cantatur: *Salue Mater Saluatoris, vas electum, vas honorabile, vas cœlestis gratiæ.*

Duo igitur principaliter sunt hic notanda. I. Quæ virtus huic electuario, quo gratia vocatur, inesse credatur? II. Ex quibus speciebus prędictũ electuarium conficiatur? De primo nota: Hoc electuarium, quod gratia vocatur, quatuor egregias virtutes habere probatur. Prima virtus est, quòd homo per gratiam ab omni peccati ægritudine liberatur. Secũda, quòd homo ad virtutũ exercitia per gratiam mirificè roboratur. Tertia quòd homo per gratiam bonis supercœlestibus locupletatur. Quarta, quòd homo per gratiam in Regno Dei honorificè sublimatur.

Prima igitur virtus huius electuari; quod gratia vocatur, in hoc consistit, quòd homo per illud ab omni peccati languore curatur. Beata igitur Virgo MARIA tantam abundantiã gratię consecuta est à Domino, quòd etiam in matris vtero ab originali peccato extitit emundata, & quòd omnis ægritudo fomitis in ea penitus est extincta. Vnde scribit B. Bernardus ad Canonicos Lugdunẽses: Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatũ, vt videlicet sancti exirent ex vtero, fas non est suspicari tãtæ Virgini esse negatũ per quam omnis mortalitas emersit ad vitã: ego puto, quòd & copiosior sanctificationis benedictio in ea descenderit, quæ ipsius non solũ sanctificaret ortum, sed & vitam deinceps ab omni peccato custodiret, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Nos etiam charissimi, cùm simus peccatores, necessariũ nobis est electuarium gratiæ, vt per illud à peccatorum infirmitatibus liberemur Vnde gratiã nobis optat Apostolus ad Rom 1. *Gratia, inquit, vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino IESV Christo.* Gloss. Per gratiã liberamur à peccatis: per pacem autem reconciliamur Deo: hinc etiã scribit Apost. ad Eph. 2. *Deus qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo, cuius gratia saluati estis.* Per gratiam itaque Christi saluamur à peccatis, quæ animam faciunt grauiter infirmari, propter quod necesse est, vt electuarium gratiæ mundificatum iugiter à Deo postulemus.

Rom. 1.

Eph. 2.

Se-

Secunda virtus huius electuarij. Hæc est, vt videlicet per illud deperdita restaurentur, & totus homo per hoc ad virtutum exercitia roboretur. Beata igitur MARIA, quidquid Eua per culpam amiserat, recuperauit per gratiam toti mundo. Ipsa etiam tanquam mulier fortis manus mittens ad fortia viriliter in virtutum exercitijs desudauit: vnde dicitur Luc. 1. Quòd post salutationem Angelicam: *Exurgens MARIA abijt in montana cum festinatione, & intrauit domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth; apud quam etiam mansit, quasi mensibus tribus* ministrans ei in natiuitate Ioannis præcursoris Domini. Super prædictum locum dicit Gloss. quòd Beata Virgo ita fortis, & robusta fuerit per gratiam, vt eam asperitas itineris non retardarit. Nos etiam, vt fortes in bonis operibus existamus, indigemus electuario gratiæ restauratiuo, atque confortatiuo: vnde dicit Apostolus ad Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*. Ipse etiam Beatus Paulus fortis fuit, & strenuus per gratiam: vnde dicit de semetipso 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum, id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius omnibus illis laboraui.* Monet etiã nos 2. Cor. 6. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*. Ille in vacuum gratiã Dei recipit, qui secundùm gratiam à Deo acceptam in bonis operibus non desudat.

Luc. 1. Hæb. 13 1. Cor. 15 2. Cor. 6

Tertia virtus est huius electuarij. Quòd hominem bonis supercœlestibus locupletat, quia igitur Beata Virgo per gratiam fuit emundata, propterea summo, & vero bono spiritualiter, & corporaliter fuit adimpleta: erat enim nobile triclinium totius Trinitatis, fuit nihilominus Camera, siue Hospitale sanctæ humanitatis. Ipsa enim Dei Filium secundùm carnem concepit, & in vtero suo mundissimo nouẽ mensibus baiulauit: vnde cantatur de ipsa. *Salue Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium: Verbi tamen incarnati spirituale Maiestati preparãs hospitium.* Quòd autem vero, & summo bono fuerit adimpletat, estatur in cantico suo vbi ait. *Magnificat anima mea Dominum, &c.* Et infrà: *Esurientes impleuit bonis.* Ipsa quippè summum, & vernm bonum esurijt, propter quod, & eo vsque ad summum repleta fuit. Non est dubium quin in cœlis in latere Filij residens bonis omnibus repleatur. Consentaneum quippè rationi est, quòd Filius Matrem suam filiali affectu honorans plenam ei super omnia bona sua dederit potestatem. Nos etiam electuarium gratiæ deuotissimis precibus postulare debemus, vt ipsius beneficio bonorum supercœlestium participes effici mereamur. Eis enim, qui in gratia fuerint constituti, bona supercœlestia conferuntur: vnde dicitur Eccl. 40. *Gratia sicut Paradisus in benedictionibus.* Hinc etiam est, quòd Dominus latroni pœnitenti, quem in gratiam suam receperat, omnia bona Paradisi communicauit dicens Lucæ 23. *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 1. Eccl. 40 Luc. 23

Quarta virtus huius electuarij: Quòd hominem glorificat, & sublimat. Beata igitur Virgo MARIA, quia plena fuit gratia: propterea super omnes choros Angelorum est exaltata, & digna est vocari cœlorum Regina. De exaltatione verò MARIÆ Matris misericordiæ: sic legitur Esther. 2. *Erat Esther formosa valde, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa, & amabilis videbatur* Ducta est itaque ad cubiculum Regis Assueri, *& amauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema Regni in capite eius*. Esther interpretatur præparata in tempore, & signat Beatam Virginem, quam Deus Pater ad hoc præparauit, vt Filius suus vnigenitus ex ea conciperetur, & nasceretur; quoniam aduenit tempus miserendi eius. Assuerus interpretatur beatitudo, & signat Filium Dei, à quo tamquam à fonte beatitudinis lucidissimo profluit omne bonum. Esther itaque, id est, Beata Virgo formosa erat per immaculatam virginitatem, erat etiam incredibilis pulchritudinis per virtutum omnium venustatem: Omnes siquidem virtutes in ea aggregatæ mirabiliter venustauerant eam; omniũ quoque & Angelorum, & hominum oculis gratiosa, & amabilis videbatur per visceroſam charitatem. Hæc itaque Virgo in assumptione Angelorum comitatu, ad cubiculũ Regis æterni solemniter est adducta: & quoniam gratiam apud Deum inuenerat super omnes mulieres, id est, super omnes fideles animas, est amata, & diademate Regni cœlestis honorificè coronata. Necessariũ etiã nobis est electuariũ gratię in terris, vt per illud gloriã mereamur adipisci in cœlis: vnde dicitur in Psa. 83. *Gratiã, & gloriã dabit Dominus*. Hic manifestè inuenitur, quòd per gratiã peruenitur ad gloriã. Primò enim Dominus dat gratiam, & postea his, qui perseuerauerint in gratia, superaddit & gloriam.

Esth. 2. Psal. 83

De secundo nota: Nobilissimum gratiæ electuarium ex sex speciebus conficitur. Hæ autem sex species sunt virtutes, propter quas gratia spiritualiter obtinetur. Prima est castitas: secunda bonitas: tertia pietas: quarta veritas: quinta humilitas: sexta patientia, siue æquanimitas. Has sex virtutes habuit dulcis Virgo MARIA, quas etiam nos ad imitationem sui debemus habere.

Prima igitur ſpecies, ex qua conficitur electuarium gratiæ, eſt caſtitas: vnde dicitur Eccl. 26 Eccl. 26. *Gratia ſuper gratiam mulier Sancta, & pudorata*. Beata Virgo Sancta fuit mente, & pudorata corpore, propter quod gratiam habuit in omni abundantia. Debet etiam quilibet Chriſtianus ſanctus eſſe mente, & pudoratus corpore, ſi deſiderat Dei gratiam poſsidere. Gratia enim Spiritus Sap. 1. *Sancti non habitabit in corpore ſubdito peccatis* luxuriæ, & impudicitiæ.

Secunda ſpecies eſt bonitas: vnde dicitur Pro. 12 Proure. 12. *Qui bonus eſt, hauriet ſibi à Domino gratiam*. Nota, quòd bonitas in hoc conſiſtit, quòd homo omnibus prodeſſe appetat; neminem autem lædat, aut offendat. Bona igitur, & valdè bona fuit Virgo MARIA: omnibus enim prodeſſe appetijt; nullum verò, vel Verbo, vel facto læſit, aut offendit. Vnde & ipſa eum, qui eſſentialiter bonus eſt, concipere meruit, & huic mundo proferre. Nos etiam ad imitationem Beatæ Virginis boni eſſe debemus, vt videlicet omnibus prodeſſe appetamus, nullique malum, vel verbo, vel opere faciamus. Ille quippe, qui malum non facit proximo ſuo, in monte Sancto Dei ſub vmbra diuinæ gratiæ requieſcet.

Tertia ſpecies eſt miſericordia, ſiue pietas: Eccl. 44 vnde dicitur Eccl. 44. *Conſeruauit homines miſericordiæ inuenientes gratiã in oculis omnis carnis*. Nota, quòd Dominus cõſeruabat homines miſericordię, quorum pietatis non defuerunt: Inueniunt enim gratiam in oculis omnis carnis, id eſt oculis illius, qui carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum fidelibus adminiſtrat. Quia igitur Beata Virgo eximiæ pietatis erat, ac miſericordiæ, propterea gratiam excellentiſsimam apud Deum inueniẽs, mater meruit effici pietatis: quod autẽ magnę pietatis, ſiue miſericordię fuerit Beata MARIA, probari poteſt in Ioa. Ioan. 2. 2. Vbi deficiente vino in nuptijs, dicit *Mater IESV ad eum: vinum nõ habent*. Super hunc locum dicit Bern. Compaſſa eſt eorum verecũdiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſsima. Quid de fonte pietatis procedet, niſi pietas? Quid, inquam, mirum, ſi pietatem exhibẽt, viicera pietatis? Nonne qui pomum in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorẽ? Quãtum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? nam & ante mentem repleuit, quàm ventrem, & cùm proceſsit ex vtero, non receſsit ab animo. Nos etiam ad exemplum piæ Virginis pij, & miſericordes eſſe debemus, quatenus gratiam apud Dei miſericordiam in extremæ neceſsitatis tempore conſequamur. Dicitur enim Iacob. 2. Iacob. 1. *Quòd iudicium illi erit ſine miſericordia, qui non facit miſericordiam.*

Quarta ſpecies eſt veritas: Vnde dicitur Pro. 3. *Miſericordia, & veritas non te deſerãt, & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus*. Quia igitur Beata Virgo verax fuit, & veritatem in omni verbo, & facto ſeruauit, propter hoc digna facta eſt, vt mater fieret veritatis. Ipſe enim IESVS Virginis veracis Filius dicit de ſemetipſo Ioan. 14. *Ego ſum veritas*. Verùm quia in multiloquio ſæpè declinatur à via veritatis, & incurritur periculum falſitatis, propterea non multiloqua, ſed tardiloqua fuit Beata Virgo MARIA, quod probari poteſt Luc. 2. Vbi legitur, quòd in natiuitate IESV cùm veniſſent paſtores, *& inueniſſent MARIAM, & Ioſeph, & infantem poſitũ in præſepio: videntes cognouerunt de Verbo, quod dictum erat illis ab Angelo de puero hoc: & omnes, qui audierant, mirati ſunt, & de his, quæ dicta ſunt paſtoribus ad ipſos*. Et ſtatim ſubditur. *MARIA autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*: Legitur etiam Luc. 2. *Quòd IESVS cùm eſſet annorum duodecim, & remanſiſſet in Ieruſalem*. Et cùm dixiſſet ei Mater ſua: *Fili quid feciſti nobis ſic? ecce ego, & pater tuus dolebamus quærentes te*. Cui etiam cum reſponderet: *Quid eſt quod quærebatis me? Neſcitis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Subditur, *quòd Mater eius conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Quia igitur Beata Virgo tam ſolicitè verba, quæ audiuit conſeruabat in corde, nec ad ea reſpondit: Patet euidenter eam non multiloquam; ſed tardiloquam fuiſſe, & per hoc omne mendacium declinaſſe. Prætereà cùm Angelus eam, vt hodie legitur, tam magnificè ſalutaſſet, non ſtatim reſpõdit, *ſed turbata eſt in ſermone, & cogitabat, quæ eſſet iſta ſalutatio*. Nos etiam, vt per veritatem gratiam Dei obtinere poſsimus non ſolùm mendacium, ſed & multiloquium, quod ſeminarium eſt mendacij, fugiamus: dicitur enim Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*. Dicit etiam Philoſophus tardiloquum te eſſe iubeo, & propè erit tibi Deus.

Pro. 3. Ioan. 14 Lucæ 2. Pro. 10

Quinta ſpecies eſt humilitas: vnde dicitur Eccleſi 3. *Quantò maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*. Dicit etiam Iacob 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Ait etiam 1. Petr. 5. *Omnes inuicem humilitatem inſinuate; quia Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Magnæ humilitatis fuit Virgo MARIA. Cùm enim Angelus eam gratia plenam, & Dominum cum ea, & ipſam inter mulieres benedicẽdam aſſereret: cumque eam etiam concepturam, & filium parituram, qui magnus eſſet futurus, & in domo Ia-

Eccl. 3. Iacob 4. 1. Pet. 5

Iacob in æternum regnaturus, respondit humiliter: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Per humilitatem etiam ad Elisabeth, quam iam grauidam esse cognouerat, pedibus suis ambulauit, eamque prior salutauit, ipsi quoque fideliter ministrauit. Nos etiam exemplo Beatæ Virginis, & Beati Petri admonitione humilitatem nobis insinuare, id est, intra sinum animæ collocare debemus, ne Deum nobis in iudicio resistentem inueniamus; sed potiùs tunc de ipsius gratia gaudeamus.

Luc. 2.

Sexta species, in qua conficitur electuarium gratiæ, est patientiæ tranquillitas. Vnde dicitur 1. Petr. 2. *Quæ est gratia, si peccantes colaphizati suffertis? Sed si benè facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Beata Virgo per gratiam, & protectionem altissimi ab omni peccato fuerat custodita, & tamen per multas tribulationes, & angustias colaphizata fuit in hoc mũdo, quas omnes tribulationes tãquam columna immobilis in multa pacientia sustinuit lenitate. Non ne per hoc multum tribulata fuit, quòd cum paruulo IESV vix adhuc anniculo fugit in Ægyptum, ibi septena passa fuit exilium. Nonne etiam, vt multa alia transeamus per hoc supra modum passa fuit, & angustiata, quòd intellexit filium suum innocentissimum capi, ligari, conspui, alapari, colaphizari, denudari, flagellari, spinis coronari, arundine verberari, patibulo Crucis onerari, & demum eundem in Crucem leuari, & pedes eius, ac manus clauis lacerari, vbi etiam vidit eum aceto potari, & à transeuntibus blasfemari, & postremò latus lancea perforari. Hæc omnia tormenta cordis sui mira pacientia tolerauit. Licet enim Passionem Filij amarissimam, cùm inenarrabili dolore cordis aspiceret, non tamen doloribus excitata in maledictiones, aut comminationes prorrupit, nec etiam contra crucifixores Filij aliquem rancorem corde suscepit; sed potiùs pro ipsis imitatione filij, vt ad pœnitentiam conuerterentur, orauit. Nos etiam exemplo istius pacientissimæ Virginis omnes aduersitates, quæ nobis aduenium in hoc mundo cùm pacientia toleremus. Oremus etiam pro persequentibus, & calumniantibus nos, sicut monet nos ipse Dominus, Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis Filij Patris vestri, qui in Cœlis est.* Rogate ergo charissimi istam gloriosam Virginem omni gratia plenam, vt pijs eius intercessionibus nobis aliquam portiunculam gratiæ, & gloriæ à Filio impetrare dignetur: Quòd nobis, &c.

1. *Pet.* 2.

Mat. 5.

A DE ASSVMPTIONE BEATÆ MARIÆ Virginis. Sermo XXXI.

Intrauit IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine MARIA. Luc. 20. In præsenti Euangelio, quòd consueuit legi de Assumptione gloriosæ Virginis MARIÆ, tria principaliter hic notanda. I. Quid per castellum, quòd Christus intrauit ex primatur? II. Quid per Martham, & MARIAM sororem eius intelligatur? III. Quam recompensationem Dominus Marthæ negotio, & MARIÆ otio largiatur.

Luc. 20

De primò nota, per castellum intelligitur mundus iste, de isto castello dicit Mat. 21. *Misit IESVS duos Discipulos dicens eis: ite in castellum, quod cõtra vos est, & statim inuenietis asinum alligatum, & pullum cum eo, soluite, & adducite mihi.* Per asinum intelliguntur peccatores, qui ad praua exemplas cenum recenter in peccata deciderunt. Vtrosque Dominus per duos Discipulos, videlicet timorem, & amorem vocat, quia Dominus opera eorum, id est, pœnitentiam desiderat, vt dicit Lu. 9. Et nota, quòd in tribus locis; videlicet in Matth. 21. Et in Marc. 11. & Luc. 9. Hoc castellum dicitur contra nos esse. Triplici enim hoste impugnat nos mundus iste, videlicet carnis petulantia: oculorum concupiscentia, & vitæ superbia; sicut testatur Ioan. 1. Cant. 1. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Et benè mundus iste dicitur *castellum* diminutiuo vocabulo: fragilis enim est, & caducus. Vnde Ioan. 1. Cant. 1. mundus transiuit, & concupiscentia eius: notabile etiam est, quòd Matth. Marc. & Luc. dicunt pullum adductum: solus Matth. scribit etiam asinam adductam. Per hoc innuitur, quòd rarius, & dificiliùs senes conuerti possunt, quàm iuuenes. In hoc *castellum* Dei Filius venire voluit, vt homines huius castelli Deo Patri per suum sanguinem reconciliaret: vnde ad Colosens. 1. *Deo Patri complacuit per Christum IESVM reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in Cœlis sunt.* Item ad Roman. 5. *Si cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius.*

Mat. 21.

Luc. 9.

Mat. 21.

Mar. 11.

Ioan. 1.

Cant. 1.

Colo. 1.

Rom. 5.

De secundò, nota Per has duas sorores Martham, & MARIAM exprimuntur caro, & anima intemeratę Virginis MARIÆ: caro enim eius gerit figuram Marthæ: legitur

namque de Martha, quòd IESVS cùm quoddam *castellum* intraret, accepit *illum in domum suam*. Sic & caro Beatę Virginis, cùm IESVS per Incarnationem mundum intrare voluit, excepit illum in domum vteri mũdi, & fęcundi; quòd autem vterus Beatę Virginis fuerit fœcũdus, & mũdus, testatur ipse Filius Dei, ita dicens Can. 7. *Filia Principis venter tuus sicut acerbus tritici vallatus liliȝs. Acerbus tritici* Ecce copiosa fœcunditas, *vallatus liliȝs*. Ecce munda Virginitas. *Excepit* autem hęc Martha, ideſt, caro Beatę Virginis IESVM: *excepit*, inquam, id est, ex omnibus alijs cœpit; vnde Beata Virgo dicit Can. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Nolebat enim concipere alium nisi solum Dei Filium. Item *excepit*, ideſt, ex se sola cœpit; non enim ex seminibus, sed ex solo sanguine Virginis conceptus est Dei Filius. Hęc etiam *Martha*, ideſt, caro Beatę Virginis, *satagebat circa frequẽs ministerium*. Vnde & Luc. 1. Cũ annuntiasset Angelus MARIÆ, quòd conceptura esset IESVM, respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum, &c*. Et verè ista Beata ancilla *satagebat* secundùm carnem, *circà frequens ministerium*. Ipsa enim sicut Luc. ait, 1. Intellecta conceptione præcursoris Domini: *Exurgens cum festinatione, abiit in Montana, & intrauit domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth, & mansit cum illa, quasi mensibus tribus, & ministrauit ei*: Ita vt etiam fortè obstetricis officium gereret. Nam ipsa sicut legitur in libro Iustorum, præcursorem Domini natum, primò leuauit à terra. Posteà hæc benedicta ancilla, *Cùm impleti essent dies eius, vt pareret, peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio, quia non erat ei alius locus in diuersorio*. Lactauit etiam eum vbere de cælo pleno. Post hæc die quadragesimo, vt dicit Luc. 2. *Cùm impleti essent dies purgationis eius, secundùm legem Moysi, tulit filium suum in Ierusalem cum hostiȝs, vt sisteret eum Domino*. Deinde, vt dicit Mat. 2. Ad admonitionem Angeli fugit in Ægyptum cum filio suo, ibique Dominum septem annis in multa paupertate educauit. Demum reuersa est Nazareth; ibique multa solicitudine puerulum enutriuit. Maritum quippè suum, ideſt, Beatum Ioseph, qui quasi erat maritus Beatæ MARIÆ, *misit ad fortia opera*. Ipse etiam erat faber lignarius, *& digiti eius apprehenderunt fussum*, vt se, & filium enutriret, vt dicitur Prouerb. 31. *Ecce Martha satagens circà frequens ministerium IESV Christi*. Per Martham verò anima Beatæ Virginis figuratur, quæ corã se in contemplatione diuinitatis suspenderat. Vnde dicitur sedisse secus pedes Domini, & audisse verbum illius. In sessione notatur quietæ contemplationis suauitas. Per pedes verò Domini, intelliguntur misericordia, & veritas diuina: per has enim, diuinitas inducta, humanitatem assumpsit. Et certè secus hos *pedes Domini sedens* anima Beatæ Virginis *audiebat verbum illius*, id est, auscultabat suauissimam armoniam verbi illius, *quod erat in principio apud Deum*. De prædictis pedibus Domini dicitur in Psal. 88. *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus, qui scit iubilationem*. Igitur anima Beatæ Virginis tam auida inseparabilitate Christi diuinitatem contemplante, poterat dicere caro eiusdem Virginis: *Domine non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam, ministrare; dic ergo illi, vt me adiuuet*. Id est, vt mecum circa tuæ humanitatis ministeria solicitetur; cui respondit Dominus. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*. Quasi diceret, ò caro matris meæ, solicita es naturalibus affectibus circa meam educationem, & sustentationem, & turbaris erga plurima, quæ patior, & patiar propter Iudaicam persecucionem. *Turbaris* enim propter multas calumnias, & contumelias, & opprobria, quæ patior, & patiar à scribis, & Pharisæis, & Principibus Sacerdotum. *Turbaris* etiam, quòd capiar, & colaphis, & alapis feriar, & sputis inquinabor. *Turbaris* etiam, quia flagellabor, & spinis coronabor, & Cruci clauis affixus felle, & aceto potabor, & ab irridentibus subsanabor, & post modum lancea perforabor. Propter hæc, inquam, & multa alia *turbaberis*. *Porrò vnum est necessarium*, Glossa, Deo, iugiter inhærere: vnde *MARIA*, id est, soror tua anima *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Quasi diceret, ò caro materna bona, & valdè bona est pars tua. Me etenim verum Deum, & hominem concepisti, & in vtero tuo nouem mensibus vaiulasti, & demum terris edidisti, & in sinu tuo fouisti: *Sed soror tua anima optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*. Ipsa quippè mea diuinitate semper fruebatur in terris, per gratiam, semper etiam fruetur in Cœlis per gloriam.

Cant. 7. Cant. 5. Luc. 1. Luca 2. Mat. 2. Pro. 31 Psa. 88

De tertiò, nota hodie Dominus noster IESVS Christus, vt matris ministeria recompensaret, *excepit eam*, & ipse *in domum suam*, quam sibi præparauerat ab æterno. Creditur enim à pluribus Sanctis, quòd Dominus Matrem suam, & corpore & anima assumpserit super omnes ordines Angelorum. *Excepit* ergo eam, ideſt, excellentiùs omnibus Angelis, & alijs Sanctis suscepit. Et verè dignum fuit, quòd ille, qui præceperat

Exod.

Exo. 20 Exod. 20. *Honorà Patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, scilicet viuentium.* Vt & ipse corpus matris suę speciali prærogatiua honoraret: igitur dedomo illa, in qua corpore, & anima assumptâ est B. 2. Pa. 8. Virgo MARIA, legitur in 2. Para. 8. *Transtulit Rex Salomon filiam Pharaonis de ciuitate Dauid, in domum, quam ædificauerat ei.* Salomon interprætatur Pacificus, vel Retributor, & signat Filium Dei, qui est summè dulcis, & pacificus cum electis suis in gloria, qui etiã æterna supplicia retribuit peccatoribus pro suis criminibus & delictis. Pharao interprętatur dissipãs virum, & signat Deum excelsum, qui viros, id est, eos qui confidunt in virtute sua, quàm citò voluerit: dissipat, & tamquam vas figuli confrigent eos: huius filia fuit, & est Beata Virgo MARIA. Per ciuitatem verò Dauid, intelligitur militans Cant. 4. Ecclesia, de qua dicitur Can. 4. *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Sicut enim collum vnitur capiti, sic etiã sancta militans Ecclesia vnitur Christo capiti per fidem, & charitatem. *Et certè in hac Ecclesia pendent mille clypei, & omnis armatura fortiũ.* Videlicet exẽpla Sanctorũ, Patriarcharũ, Prophetarũ, Apostolorum, Martyrum, Cõfessorum, Virginum, omnium electorum, quibus quisque fidelis existens in Ecclesia contra insultus dęmonum protegitur, & armatur. Igitur verus Salomon videlicet Dei Filius transtulit hodie Beatam MARIAM fororem suam, matrem, & sponsam: de ciuitate Dauid, hoc est, de Ecclesia militante in domum speciosissimam, opulentissimam, quietissimam, ac eminentissimam; vt pote super omnes Angelorũ ordines fabricatam. Et verè decebat, vt illa, quæ erat virtutum decore speciosissima, & bonis operibus opulentissima, & pace cordis quietissima, nec non, & diuina cõtemplatione eminentissima, talem domum inueniret: Nota de prędicta domo, in qua Rex Reginam dicitur transtulisse, quòd erat sicut Magister dicit in historijs, marmore, cedro, argento, & auro, opulentissimè decorata. Per aurum intelligitur inæstimabilis charitas, per argentum mundissima virginitas, per cedrum ancillaris humilitas, per marmorem martyrij asperitas; per quæ Beata Virgo licet, quã plurimis alijs virtutibus suffulta fuisset, spiritualiter transferri meruit in domum sibi à Deo mirificè præparatam. Per aurum igitur, quòd omni metallo est nobilius, intelligitur inæstimabilis charitas Beatæ Virginis; creditur enim etiam charitate Seraphin transcendisse. Per argentum, quòd clarum est, & tinnulum, figuratur mundissima Virginitas Beatæ MARIÆ, per quam meruit esse præcentrix illius cantici noui, quod à Virginibus cantatur ante sedẽ Dei; & Agni per cedrum, quę altior est alijs omnibus arboribus. Intelligitur ancillaris humilitas Beatę Virginis, per quam super omnem creaturam Dei cœlestem, ac terrestrem meruit exaltari. Per marmor, quòd serram patitur, & quandoque rubeis maculis est respersum, notatur martyrij asperitas; quę erat inviscęribus, & cordi Beatæ MARIÆ: vnde dixerat ei Simeon, Luc. 2. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Hieron. Constat, quòd Luc. 2. alij Sancti, & si passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima; quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata verò Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quę impassibilis habetur: ideò, vt ita fatear, quia spiritualiter, & atrociùs passa est gladio passionis Christi plus quàm Martyr fuit. Rogate ergo Dominum, vt sic glorioſæ matri eius in hac vita seruiamus, vt claritatem eius in patria videamus: quod, &c.

EODEM FESTO ASSVMPTIONIS Beatæ MARIÆ. Sermo XXXII.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens; pulchra, vt Luna, electa, vt Cant. 6 *Sol; terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Cant. 6. Nota, quòd hæc verba per admirationem dicuntur de admirabili matre mirabilis Dei nostri: vnde quinque principaliter sunt hic notanda. I. Quare Beata Virgo progrediatur? II. Quæ sit causa, quod Aurora vocatur? III. Quæ sit ratio, quòd Pulchra, vt Luna nuncupatur. IIII. Propter quid Electa, vt Sol asseratur? V. Cur etiam Terribilis, vt castrorum acies astruatur? Igitur sciendum est, quòd hæc quinque quasi ex ipso nomine glorioſę Virginis innuuntur. Ipsa enim MARIA vocatur. Hoc nomen consistit ex quinque litteris, videlicet M, A, R, I, A, ponamus ergo pro M. *Mediatrix:* pro A, *Alleuiatrix:* pro R, *Reparatrix:* pro I, *Illuminatrix:* pro A, *Auxiliatrix.* Et inuenimus quare de Beata Virgine dicatur, quòd *progreditur, & quasi aurora consurgit;* & quod *Pulchra est, vt Luna, & Electa, vt Sol; ac Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Et nota, quòd vniuersum genus humanum, propter peccata primorum parentum, videlicet Adæ, & Euæ, & etiam propter proprios excessus, quinque mala inciderat, scilicet, Dei Patris offensionem, interni languoris vexationem, spiritualium virium defectionem, mentis, ac cordis obtenebrationem, & crudelium hostium infestationem; sed propter hæc quinque mala tollenda facta est Dei genitrix, Mediatrix, Aleuiatrix, Reparatrix, Illuminatrix, & Auxiliatrix.

De primò nota. Gloſſa. Dei genetrice inter dulces amplexus ſereniſsimi Filij ad cœlos aſcendente; omnes Angelici ſpiritus, ac vniuerſæ animæ electorum in laudem Beatæ MARIÆ prorumpentes, dicunt, *quæ eſt iſta?* id eſt, quàm bona, quàm pia, quàm laudabilis & quàm admirabilis: piè *progreditur*, id eſt, pro reis graditur, velut mediatrix: recognouerunt enim, quòd ipſa IESVM genuerat, qui mundum Deo Patri per proprium cruorem reconciliauerat; vnde dicit Paulus, 2. ad Corint. 5. *Deus erat in Chriſto mundum, reconciliãs ſibi.* Vnde, & quotidie cantamus in Miſſa: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, &c.* Recognouerunt etiam omnes Angelici ciues, quòd propterea Beata Virgo ſuper omnes Angelorum choros eleuabatur, vt pro peccatoribus quaſi pia mediatrix iugiter intercedat: vnde, & dicit ſecreta oratio: *Munera noſtra apud clementiam tuam Deus genitricis commendet oratio, quàm id circò de præſenti ſæculo tranſtuliſti, vt pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat.* Hinc etiam verus Salomon, id eſt, Dei Filius dicit ad matrem ſuam, 3. Reg. 2. *Pete mater mea, nec enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Vt autem Filius apud Patrem, & mater apud Filium pro nobis efficaciùs intercedat: bonum eſt ne aliquis noſtrum, vel Filium, vel Matrem offendat. Ille Filium & Matrem offendit, qui in diebus Dominicis Reſurrectioni Filij conſecratis, & in ſolemnitatibus Beatæ Virginis choreas frequentat, ac tabernas, & qui tunc ludis, in quibus multa iuramenta proferuntur, vacat, & luxurijs. Certè Beata Virgo nunquam luſit: vnde & ipſa dicit Tob. 3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his, qui in leuitate ambulabant, participem me præbui.*

2. Cor. 5

Tob. 3.

Sequitur de ſecundo: quaſi *aurora conſurgens.* Hìc recognoſcunt Angeli, & Sanctæ animæ, quòd Beata Virgo eſt ægrotantium alleuiatrix. In ortu ſiquidem auroræ ægrotantes leniùs conſueuerunt habere. Legitur etiam in Gen. 32. Quòd *Angelus* Iacob in ortu auroræ *benedixit*, & nota quòd aurora dicitur quaſi aurea hora. Tèpus enim auròræ præ alijs horis ægrotis eſt chariſsimum, & verè Beata Virgo præ omnibus alijs Sanctis, infirmis peccatoribus chariſsima eſt, atque gratiſsima. Ipſa quippe Dei Filium, qui eſt medicina omnium infirmitatum, protulit toti mundo: vnde Eccl. 38. *Altiſsimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.* Itaque Beata Virgo eſt illa benedicta terra, de qua altiſsimus, id eſt, Deus Pater medicinam, fidelium id eſt, IESVM Chriſtum, ſecundùm corpus creauit, & animam: ſecundùm diuinitatem quippè ſemper extitit increatus: & verè prudens, qui fuerit, non aborrebit hanc medicinam. Hæc autem medicina quotidie nobis exhibetur in venerabili Sacramento corporis, & ſanguinis Domini noſtri IESV Chriſti: vnde, & in quadam complenda, oramus. *Sit nobis, quæſumus Domine, medicina mentis, & corporis, quòd de Sancti altaris tui benedictione accipimus, &c.* Multi mulierem fornicariam, vel pecuniam, vel aliam rem malè acquiſitam huic medicinæ præponunt. Malunt enim carere Chriſti corpore, quàm amaſsiam dimittere, vel pecuniam, ſeu aliam rem iniuſtè conquiſitam reſtituere.

Gen. 32

Eccl. 38

Sequitur de tertio: pulchra *vt luna*; hìc teſtatur omnis familia Regis æterni, quòd Beata Virgo eſt debilium reparatrix. Sicut enim Luna in ſuo incremento corporibus humores recuperat, ſic & Beata MARIA Deum Iſrael concepit, & peperit, qui dat virtutem, & fortitudinem plebis ſuæ, vt dicitur in Pſa. 67. de hac *Luna* dicitur Eccl. 43. *Luna creſcens admirabiliter in conſummatione.* Beata nempè MARIA creuit, vt *Luna*, non autem decreuit: ibat enim de virtute in virtutem; donec fieret *Luna* perfecta in æternũ. Ita, & nos, chariſsimi, in virtutibus, & bonis operibus de die in diem creſcere debemus: Hinc eſt, quòd Dominus dixit in Gen. 9 Noe & filijs eius. *Creſcite, & multiplicamini, & repletε terram.* Per Noe intelliguntur diuites, & prælati; per filios eius notantur pauperes, & ſubditi. His omnibus dicit Dominus, *creſcite* in virtute, *& multiplisamini* in bonis operibus; ſic enim replebitis terram viuentium. Quidam enim è conuerſo quotidie deficiunt, & peiores efficiuntur.

Pſal. 67

Eccl. 43

Gen. 9.

Sequitur de quarto, *electa vt Sol*. Hìc proclamat cœleſtis exercitus, quòd Beata Virgo cœli, & terræ eſt illuminatrix: ſicut enim Sol illuſtrat tenebras huius mundi; ita, & ipſa æterno Soli præparauit tabernaculum ſuum, qui ortus eſt ex ea: illuminauit his, qui in tenebris ſunt, & vmbra mortis: ortum huius ſolis prædixerat Malach. 4 *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Chriſtus igitur eſt, Sol iuſtitiæ, qui mundum iſtum vita præclariſsima, & doctrina illuſtriſsima illuſtrauit: qui etiam in iudicio exceſſus impiorum declarabit; & verè *ſanitas in pennis eius*; ad quemcumque enim Sol iſte tunc ſolauerit, id eſt, cuius corpus, & animam tunc glorificauerit, ſanitatem ei largietur æternam. Dicitur etiam Eccl. 42. De Filio Dei & Matre eius. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.* Hæc verba ſic intellige, quòd duplex eſt Sol cœli, videlicet: Dei Filius, & mater eius: hi ergo Soles per omnia reſpiciunt, id eſt, cuilibet de omni ſeruitio, quòd ipſis impẽſum fuerit, ſpe-

Mal. 4.

Eccl. 42

speciales scutellas, æternæ retributionis trãs-
mittũt, sicut Principes facere consueuerunt.

Sequitur de quinto: *terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Hinc innuitur, quod B. Virgo fidelium contra Dæmones, & septiformem turmam vitiorum dimicantium est fortis auxiliatrix; vnde, & de ipsa dicitur,
Cant.4. Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Nota, quòd per collũ intelligitur B. Virgo: per ipsam enim quasi excellentissimam totũ corpus Ecclesiæ vnitur capiti Christo. Hæc est: *Sicut turris Dauid*, id est, manu fortis; quia fideles in ea forte refugium inueniunt: *Et hæc est ædificata cum propugnaculis*, id est, adiutorium à Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, *mille etiam clypei*, id est, omnium Angelorum præsidia pendent ex ea ad defensionem ipsorum, qui confugerunt ad ipsam: *Omnis etiam armatura fortium pendent ex ipsa.* Quia omnes electi eum, quem ipsa adiuuare voluerit, adiuuabunt. Bonum est ergo charissimi, quòd per veram pœnitentiam, sic modò ad istam fortem auxiliatricem confugiamus, vt per ipsam protectionem in die iudicij contra omnes nostros aduersarios habeamus. Quod, &c.

ITEM IN ASSVMPTIONE Beatæ MARIÆ. Sermo XXXIII.

Veni in hortum meum Soror mea Sponsa.
Cant.5. Cant. 5. Hæ sunt verba Regis æterni vocantis glorioſam Matrem suam in sempiternam requiem. Vnde tria sunt hic notanda. Primò, quare Mater Dei à Filio Soror, & Sponsa appellatur? Secundò, quæ sit causa, quòd in hortum suum vocetur. Tertiò, quis sit hortus, in quem mater à Filio dulciter inuitatur.

De primò, nota Beata Virgo Soror Dei appellatur, & Sponsa, propter vitæ conformitatem, & hæreditatis identitatem, ac inæstimabilem charitatem; ipsa denique Filio suo conformis erat in vita. Sicut enim Filius Virgo fuit, ita, & Mater semper Virgo permansit: præterea idem Regnum, & eandem hæreditatem tanquam cohæres participat cũ Filio, & propter has duas causas Soror appellatur. Dicitur etiam Sponsa, propter inæstimabilem charitatem, qua reciprocè se diligunt, Mater, & Filius. Filius enim ex omnibus millibus Angelorum, & hominum à Matre electus est, & præelectus. Ipse verò è conuersó ex omni numero fœminarum elegit eam, & præelegit, vt incarnaretur ex ea.

De secundò, nota Filius Dei propter hoc Matrem suam inuitat in *hortum* suum; quia & ipsa olim eum dum incarnari voluit, receperat in *hortum* suum, id est, in virginalem mentem, & ventrem. Vnde, & ipsa dixerat Cant. 5. Angelo sibi nunciante, quòd esset Dei Filium suscepturа: *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.* Non dicit mei, sed suum; quia se, & omnia sua obtulerat voluntati Diuinę. Et vere Beata Virgo fuit hortus delitiosus, propter septem, quæ commendabilem faciũt hortum, quorum primum est, clausuræ firmitas. Secundum, arborum condensitas. Tertium, florum speciositas. Quartum, graminis viriditas. Quintum, fontis tribuitas. Sextum, cantus suauitas. Septimum, aromatum nobilitas. Primò igitur fuit Beata Virgo hortus firmæ sepis clausura munitus. Vnde, & Dei Filius dicit de ea Cant. 4. *Hortus conclusus Soror mea Sponsa, hortus conclusus.* Bis dicit hortus: circumsepta quippe fuit firma corporis munditia, & fortis cordis patientia. Munditia corporis obtulit oblectationibus mundi. Cordis verò patientia, resistit aduersitatibus sæculi, ne videlicet per delectationes, & aduersitates mundi huius fructus Virginis à Dæmonibus auferetur. Debemus, & nos charissimi, quasi hortus fructiferus circumsepiri custodia decem præceptorum Domini: vbi enim sepes ista non fuerit, diripitur à Dæmonibus omnis possessio bonorum operum. Vnde Eccl. 36. *Vbi non est sepes, diripietur possessio.* Secundo, fuit arboribus consita. Arbores autem istæ fuerũt aduersæ virtutes, videlicet, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, atque Iustitia; de quarũ pomis, & fructibus Dei Filius vescebatur. Vnde, & ipsa dicit ad Filium, Can. 7. *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* *Poma vetera*, erant exempla Patrum veteris testamenti. *Poma noua* erant exempla Patruum noui testamenti; quæ omnia B. Virgo Dei Filio in se obtulit ad edẽdum. Debemus, & nos charissimi, prædictas arbores in nobis plantare, vt per prudentiam inter bonum, & malum discernamus; per fortitudinẽ malo resistamus; per temperantiam verò nunquam modum debitum excedamus. Tertiò, B. Virgo fuit floribus ornata, videlicet lilio virginitatis, rosa charitatis, ac viola humilitatis; vnde, & quidam sanctus in laude ipsius ait: Trium florum in te miramur excellentiam, quorum odore suauissimo totam domum Domini reples. O MARIA, Viola humilitatis, Liliũ castitatis, Rosa charitatis. Accipiamus, & nos charissimi, mutuò de floribus istis, eosque in cordis nostri viridario transplantemus, vt propter odorem ipsarum, & venustatem Dei Filius nobiscum habitare dignetur. Quartò, delectabilis fuit propter viriditatẽ graminis; per viride gramen signatur virẽs fides Virginis intemeratæ Christo quippè moriente omnibus in fide vacillantibus, ipsa sola quasi columna immobilis persistit in fide: debemus, & nos viridi fide,

id est, fide quæ per dilectionem Dei bona operatur, quasi quodam viridarium facere in corde nostro, in quo Deus delectabiliter requiescat. Quidam in arido gramine confidunt, qui credunt se posse saluari, si tantùm fidem habeant, & non opera. Contra quos dicit Iacob. 2. *Iac. 2.* *Quid proderit, fratres mei, si fidē quis dicat se habere, opera autem nō habeat? Nunquid potest fides saluare ipsum?* Quasi diceret, non. Quintò, commendabilis est propter fontem, qui ex ipsa scaturiens totā Ecclesiam irrigat abundanter; hic autem fons est compassio, & misericordia B. MARIÆ, per quā fluit ad omnes quantumlibet etiam peccatores: de hoc fonte dicitur, Cant. 4. *Cant. 3.* *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* In Libano itaque, id est, in eminentia diuinæ contemplationis B. Virgo hausit aquas compassionis, ac misericordiæ, *Psal. 45* quibus, ex se diffusis tanquam *Fluminis impetu lætificat ciuitatem Dei.* Debemus, & nos imitari B. Virginem, vt habeamus aquas compassionis in cordibus nostris, quibus per pias eleemosynas ariditates, & paupertates egentium irrigemus. Sextò, laudabilis est propter cantus suauitatem, quæ in ea fuit, & semper erit. Deuotæ siquidem gratiarum actiones, & sanctæ meditationes, necnon, & pię cogitationes ipsius quasi quædam ancillæ alis alacris spei in altum subleuatæ, suauè faciebant armoniā in auribus Domini. Nonne cantabat Domino, quando in gratiarum actiones prorrumpens ait, Luc. 1. *Magnificat* *Lucæ 1.* *anima mea Dominum*, &c. Et certè ipsa adhuc quasi canticum nouum, quòd ante sedem Dei, & agni cantatur. Debemus, & nos cantare Domino, hoc est, gratias agere ipsi super omnibus beneficijs suis. Vnde Apost. ad Col. *Colo. 3.* 3 *Estote in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.* Septimò, commendatur propter aromatum nobilitatem, quæ fuerunt in ipsa. *Eccl. 24* Vnde, & de ipsa dicitur in Eccl. 24. *Sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatē odoris. Per cinamomum.* Quòd tantò est charius, quantò graciliùs, notatur virginalis humilitas. Non enim mirabile iudicatur, si aliqua est humilis, quæ olim multis peccatis subiacuit, sed si Virgo immaculata humilis fuit, hæc est laude digna. Per *balsamum*, quòd valdè calidum est, ita quòd gustantes palatum vehementer accendit, notatur materna charitas, per quam feruens MARIA super omnem æstimationem hominum dilexit Filium Dei: Per *myrrham electam*, quæ multæ amaritudinis esse dignoscitur, intelligitur vidualis aduersitas: omnē enim myrrham, id est, omnes amaritudines passionis, quas Filius Dei bibit: bibit, & ipsa, & quodammodo plus ipsa. Lancea quippe, quæ perforauit latus Saluatoris, dolorem non fecit

A Filio, sed Matri. Quòd etiam post mortem, seductor appellatur, dolorem Filij nō aggrauat, sed genitricis ipsius. Igitur propter tria prædicta summè odorifera est Virgo benedicta. Debemus, & nos per bona opera, & famam ipsorum bonorum odorem spargere ad ędificationem proximorum nostrorum. Vnde dicit Paul. 2. ad Corinth. 2. *Bonus odor* *2. Co. 2.* *sumus Deo in his, qui salui fiunt, & in his, qui pereunt.* Item Eccl. 7 *Melius est nomen* *Eccl. 7.* *bonum, quàm vnguenta prætiosa.* Item Eccl. *Eccl. 41* 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & precioſi.*

De tertiò nota, quia venerabilis Virgo olim Dei Filium receperat in hortum mentis, & corporis, & ipse eam vice reciproca inuitat in hortum suum super cœlestem, ita dicens ad ipsam: *Veni in hortum meum Soror mea Sponsa.* Et nota, quòd cœlū, in cuius requiem Beata MARIA innixa super dilectum suum hodie introiuit, benè horto comparatur, propter septem supra dicta. Primò, propter pacis firmitatem. Vnde dicitur in *Ps. 147.* Psal. *Lauda Hierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.* De hac pace dicitur, 2. Paralip. 20. *2. Pa. 20* *Quieuit Regnum Iosaphat, & præbuit ei Dominus pacem per circuitum.* Iosaphat interpretatur ipse iudicans, & signat Dei Filium, cui Pater commisit iudicium, & certè in huius Regno pax est per circuitum. Secundò, Regnū Dei vocatur hortus, propter arborum condensitatem, inter quas vna est altissima, & speciosissima, videlicet trinus, & vnus Deus. De hac arbore dicitur in Gen. 1. *Gen. 1.* *Quòd lignum vitæ erat in medio Paradysi.* Cuius vmbra electorum animæ proteguntur, & fructu reficiuntur. Sub hac arbore sedet Beata Virgo in regali solio sublimata, ac deauratis vestibus circum ornata, necnon, & Imperiali diademate coronata. Vnde, & ipsa dicit in Can. 2. *Sicut malus inter ligna syl-* *Cant. 2.* *uarum, sic dilectus meus inter filios: sub vmbra illius quem desideraui sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Tertiò, Regnū Dei floridum est floribus ameniſsimis, videlicet rosis, violis, ac lilijs, per quos flores intelliguntur Martyres, Confessores, ac Virgines, & continentes. Quartò, est ibi viriditas graminis, id est, dulcis respectus, & intuitus diuinæ humanitatis, quæ mirabiliter reficit oculos electorum. Quintò, Regnum Dei commendatur à fonte, & à fluuio, qui egredi tur de sede Dei, & agni; vnde dicitur Apoc. *Apo. 22.* 22. *Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum tanquam christallum procedentem de sede Dei, & agni.* Iste fluuius est inenarrabilis suauitas, quæ fluit à tota Trinitate. De hoc fluuio bibunt *amici*, & inebriabuntur *Cant. 5.* *charissimi*, sicut dicitur, Cant. 5. Per amicos intel-

intelliguntur, qui tantùm præcepta custodiunt. Per charissimos verò notatur illi qui præceptis etiam consilia superaddunt, vtpote Virgines, & omnia pro Christo relinquẽtes. Sextò, commendatur à cantu suauissimo. Ibi enim est suauissimus concentus Angelorum, & animarum sanctarum. *Misericordias enim Domini in æternum cantabunt.* Psal. 88 Quo canticu, vt dicit August. in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi ciuitati iucundiùs. Septimò, commendabile est Regnum Dei ab aromatibus. Ibi quippe, vt taceam de animabus electorum, & odor suauissimus, ac nobilissimus emanabit à corporibus Beatorum. Vnde dicitur, Cant. 4, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Cant. 4. Vestimenta quippè sanctorum sunt corpora eorum, quorũ odor erit sicut nobilissimi thuris, qui redolet in diebus æstatis. Rogate ergo Dominum, vt sic nunc Beatam Virginem imitemur, vt coram ipsa in hortu Regis æterni cum lætitia congregemur. Quòd nobis, &c.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ Virginis. Sermo XXXVI.

Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Eccl. 24. Eccl. 24 Quòd inenarrabiliter de Natiuitate B. Virginis gaudere debeamus, optimè insinuat nobis Spiritus Sanctus, qui hodie per Ecclesiasticum in persona eiusdem Beatæ MARIÆ Virginis loquitur, ita dicens: *Ego Mater pulchræ dilectionis*, &c. Et notat, quòd vniuersum genus humanum ante hortum Beatę MARIÆ ab hæreditate Paradysi expulsum fuit, & propter peccata primorum parentum in deuio iacebat, & languidum erat, & infirmum: Vnde, & tribus indiguit. Primò, vt haberet vecturam in qua veheretur. Secundò, vt vera via ei ostenderetur. Tertiò, vt hæreditati perpetuæ restitueretur. Primò itaque, quia languidi, & infirmi sumus, currum nobis exhibet B. MARIA, in quo deportemur. De quatuor autem rotis huius currus ipsa dicit: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & spei* Igitur pulchra dilectio, & timor Domini, & agnitio, id est, fides, & sancta, id est, firma spes, sunt quatuor rotæ in curru, siue quadriga B. MARIÆ, qui in hoc curru deportatus non fuerit, nunquã lætè faciem Dei videbit: de hoc curru dicitur in Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus* Psal. 67 *multiplex millia lætantium Dominus in eis.* Hæc verba sic intellige, quòd currus Dei, & Beatæ MARIÆ Matris eius decem millibus electorum est multiplex. Et verè non solùm *decẽ*. immò innumerabilia *millia lætantium* animarum sunt in eo ad Regnum perpetuum deportata. Et certè Dominus est *in eis*, id est, in medio omnium electorum suorum. Niti ergo debemus, charissimi, vt habeamus pulchram dilectionem, siue charitatem, & timorem Domini, & agnitionem, id est, veram fidem, & sanctam spem; sine his enim quatuor virtutibus saluari non possumus. Vnde bonum est scire difinitiones harum virtutum. Charitas est mentis affectus ad Deum, & proximum, feruenter, & ordinate porrectus. Timor Domini est fide, & moribus diuinorum præceptorum vigilans custodia. Fides est studio sancto ad inuisibilia mente tendere. Spes est, certa spectatio futuræ beatitudinis, ex meritis, & gratia proueniens. Nota, quòd Diabolus habet currum, in quo ad æternam damnationẽ ducit peccatores. Currus autem iste habet quatuor rotas, prædictis contrarias. Prima rota est, fœda dilectio. Secũda est, vana dissolutio. Tertia est, mentis obtenebratio. Quarta est, stulta spes, aut desperatio. Primo, contra fœdam dilectionem, id est, luxuriam, dicitur Pro. 5. *Fili mi, ne intenderis* Prou. 5. *fallatiæ mulieris*, id est, luxuriæ. *Fauus enim distillans labia meretricis*, id est, immundę dilectionis, *& nitidius oleo gutur eius. Nouissimæ autem illius amara quasi absyntium, & acutũ quasi gladius biceps.* Luxuria enim corpus, & animam mittet in gehennam. Secundò, contra vanam dissolutionem dicit, Eccl. 2. *Væ dissolutis corde, qui non credunt* Eccl. 2 *Deo.* Videlicet quòd de omni tempore, per dissolutionem inutiliter amissio, redituri sunt rationem coram ipso, & ideò non protegentur ab eo. Tertiò, contra mentis cœcitatem dicit, Esai. 44. *Obtexerunt ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo, non recogitãt in mente sua, neque recognoscunt, neque sentiunt.* Esai. 44 Nota, quòd quidam sunt ita excæcati, quòd neque videant oculis animæ passionem Domini amarissimam, nec intelligunt in corde suo paeientiam eius clementissimam, nec recogitant in mente sua districtionem iudicij eius seueriſsimam, neque cognoscunt afflictionem gehennæ acerbissimam, neque sentiunt iucunditatem Regni Dei suauissimã. Hæc autem spocialiter præ ceteris essent videnda. Primò, contra falsam spem dicitur, Eccl. 5. *Non adijcias peccatum* Eccl. 5 *super peccatum, & dicas: miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. In peccatores enim respicit ira illius.* Secundò, contra desperationem dicitur, Prou. 18. *Impius cùm in profundum venerit* Pro. 18 *peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* De prædicto curru Diaboli dicitur, Exod. 15. *Currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.* Exo. 15 Pharao interpretatur dissipans virum, & signat Diabolum, qui nititur viros Religiosos dissipare, cuius currum, & exercitum eius æquitantem

tantem in eo Dominus proijciet in mare, id est, amaritudinem sempiternam. Consultum ergo nobis est, vt tempestiuè exiliamus ab hoc curru.

De secundo nota; quia sumus errabundi necesse habemus, vt verè nobis via demõstretur, & certè hoc facit nobis pia Virgo MARIA, ex ea quippè natus est, qui dicit Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Vnde, & ipsa optimè concordans cum verbis Filij, dicit in Eccl. 24. *In me omnis gratiæ, viæ, & veritatis: in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Quasi diceret, ego in meo vtero illum portaui, à quo habetur gratia viæ, & veritatis, & à quo habetur spes vitæ æternæ. Et nota, quòd via maximè à quinque commendabilis existit, videlicet, quòd sit facilis, siue plana, quòd sit recta, quòd sit lucida, quòd sit munda, quòd sit pacifica, & certè via quam demonstrat MARIA Paradysi Rosa, facilis est siue plana. Vnde ipsa dicit, Prou. 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis, quam cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Dicitur etiam, Esai. 40. *Erunt aspera in vias planas.* Viæ enim Dei licet carnalibus hominibus multũ videãtur esse difficiles; viris tamen Religiosis, qui vncti sunt gratia Spiritus Sancti, valdè leues esse videntur. Vnde dicit Bernar. Primũ tibi, importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas, iudicabis non adeò graue, paulò post, nec senties, paulò post, & delectaberis. E contra viæ Diaboli verè sunt difficiles. Vnde dicit Dominus in Baruch. 4. *Delicati mei ambulauerunt vias asperas: ducti sunt enim, vt grex direptus ab inimicis.* Licet itaque ad tempus videatur facilè seruire Diabolo, posteà seruitus eius amarissima sentietur. Secundò, ostendit nobis Beata Virgo viam rectam, vt dicitur de ea, Sap. 10 *Sapientia*, id est, MARIA: *Iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi Regnum Dei.* Dicit enim Filius MARIÆ, Ierem. 31. *Adducam eos in via recta, & non impingent in ea; quia factus sum Israeli pater.* Multũ declinant à via Dei, & Matris eius Chorisatores, & lusores, & aliarum vanitatum, & iniquitatum sectatores. *In circuitu enim impij ambulant.* Vt dicitur in Psalm. 11. Tertiò, ostendit nobis MARIA lampas recti viam lucidam. Vnde dicitur, Prou. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Vnde, & Beata Virgo signata est per illam columnam ignis, quę præcesit filios Israel, illuminans viam eorũ. Econtra via impiorum, qui non secuntur vestigia Beatæ Virginis, est tenebrosa. Vnde dicitur, Prou. 4. *Via impiorum tenebrosa, & nesciunt vbi corruunt.* O quàm fęlices sunt, qui in tali via ambulant, vt mox cùm clauserint oculos carnis, in morte videant oculis

Ioã. 14.

Eccl. 24

Pro. 4.

Esai. 40

Baru. 4

Sap. 10.

Ier. 31.

Psal. 11

Prou. 4.

Pro. 4.

A

B

C

D

animæ claritatem Dei. Væ autem illis qui tunc ruent in tenebras sempiternas. Quartò, & quintò, ostendit nobis Mater Dei: *Viam pulchram, & pacificam.* Vnde ipsa dicitur, Prou. 3. *Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.* E contrario viæ peccatorum est inquinata, & immunda, vnde dicitur in Psal. 9. *Exacerbauit Dominum peccator, non est Deus, in cõspectu eius inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Nonne viæ illorum sunt inquinatæ, qui quotidie per luxuriam animas, & corpora sua defœdant. Via etiam peccatorum latronibus est plena. Vnde dicit, Iob. In persona cuiuslibet peccatoris. 19. *Simul venerunt latrones, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Per latrones intelliguntur Dæmones, qui iacent in vijs impiorum, diuitũ, & vsurariorum, qui sunt latrones pauperum, vt statim, quando de tabernaculo corporis emigrauerunt, animas eorum rapiant ad infernum. Dignum est enim, vt latrones à latronibus rapiantur. Vnde dicitur: *Væ qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis?*

Prou.

Iob 19.

Esai. 33

De tertiò, nota qui adhuc exules sumus, necesse nobis est, vt per Reginam cœli in hęreditatem fœlicis patriæ restituamur. Vnde, & ipsa inuitat nos hodie, vt ad hanc hæreditatem ab huius mundi concupiscentia transeamus, dicit enim: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Id est, bonis illis, quæ vobis dabit IESVS à me genitus, implemini. Fortè posset aliquis dicere: O Virgo nolumus ad te transire; quia tu est animo turbulenta, & hæreditas, quàm tu promittis non est suauis, & amabilis, sed amara; propterea tu ipsa est moribunda, & citò moritura, & ideò nullam nobis poteris præstare de prædicta hæreditate vuarandiam. Ad hoc ipsa, ita respondit, & dicit ad primũ: *Spiritus meus super mel dulcis.* Quasi diceret: non sum iracunda, neque animo turbulenta, sed multum lenis, ac dulcis mente, & corde. Respondit etiam ad secundùm: *Et hæreditas mea super mel, & fauum.* Quasi diceret: hæreditas, quam promitto non est felle alicuius amaritudinis seu incõmoditatis infecta, sed summè amabilis est, suauis: *Ad tertium* etiam dicit: *Memoria mea in generatione sæculorum.* Quasi diceret non sum aliquatenus mutabilis, nec sum moritura, sed sum cum filio meo IESV Christo in perpetuũ regnatura; propterea plus adhuc exequitur quàm: delectabile, & iucundum sit cum ea morari, & dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient, & qui operantur in me, non peccabunt.* Quasi diceret, ita sum dulcis, & pulchra, quòd animæ beatorum vultum meum, quem nunquam fastidiunt, quasi mensam reputant delicatissimam, & opulentissimam.

mam. Seruitus etiã, qui mihi exhibetur, decentissimus est, & honestus. Rogate ergo Dominum, vt sic nunc in curru virtutum, quarum Virgo MARIA Mater est, vehamur, sicque per illam in rectam viam perducamur, vt etiam ipsa duce hæreditati perpetuæ restituamur. Quod, &c.

ITEM DE EODEM FESTO Natiuitatis Beatæ MARIÆ. Sermo XXXVII.

Fons egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phison. Nomen secundi Geon. Nomen tertij Tigris. Nomen
Gen. 2. *quarti Euphrates* Gen. 2. Quatuor sunt hic notanda. Primò, quis sit locus voluptatis, vnde fons egreditur? Secundò, quis sit fons, qui de loco voluptatis progreditur? Tertiò, quæ sit Paradisus, quam fons iste irrigare dicitur? Quartò, quæ sint quatuor capita, in quæ fons exinde diuiditur?

De primo nota: Locus voluptatis est ipsa Trinitas, de qua per prædestinationem ab initio, & ante sæcula egressa est Virgo MARIA. Deus enim Pater ab æterno præuiderat, & præordinauerat ipsam cooperatione Spiritus Sancti paracliti futuram Matrem Filij sui vnigeniti, & coæterni. Vnde ipsa
Eccl. 24 dicit in Eccl. 24. *Ab initio, & ante sæcula*
Prou. 8 *creata sum.* Dicit etiam in Prou. 8. *Dominus possedit me ab initio suarum viarum, ante quam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum: necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Verissimè Sancta Trinitas est locus voluptatis. Omnis enim beatitudo, & gaudium electorum emanat, &
Psal. 35 effluit à Sãcta, ac sereniss. Trinitate. Propter hoc dicitur in Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

De secundò nota: Per fontem intelligitur Virgo MARIA, & hoc propter quinque fontes proprietates. Per fontem quippè sordes lauantur: æstuantes refrigerantur: sitiẽtes refocillantur: horti irrigantur: & vultus repręsentantur. Primò igitur Beata Virgo tanquam fons sordida lauat. Ipsa quippè per efficacissimam intercessionem suam peccatoribus compunctionem infundit, & contritionem, per quam à peccatorum suorum sor-
Zac. 13. dibus emundantur. De hoc fonte dicitur Zachar. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Per domum Dauid intelligitur Sancta Ecclesia; per habitantes autem in Ierusalem, figurantur omnes fideles, qui sunt de Regno Ecclesiæ. B. Virgo MARIA patet per misericordiam, & compassionem, vt quicunque Christianus ex intimo corde ipsam imploraverit, eius meritis, ac intercessione suorum peccatorum veniam consequetur. Secundò, Beata Virgo sicut fons refrigerat pijs consolationibus omnes tribulationum, & aduersitatum æstum patientes: si tamen ex omni corde ipsius imploraverint subsidium. Vnde & ipsa figurata est per illam columnam nubis, quæ sicut in Exo. 13. legimus, *præcedẽs filios Israel contra solis ardorem obumbrauit castra eorum.* Necessarium ergo nobis est, vt *quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita, & anima nostra desideret ad* Virginem benedictam. Tertiò, pia Virgo deuotionis aquas administrat, quibus anima Deum sitiens refocilletur. Quicumque ergo vult habere deuotas lachrymas, acceleret ad Beatam Virginem, & percutiat eam virga oris sui, id est, virga attentissimæ supplicationis, & vere ipsa dabit aquas in abundantia. Ipsam quippè præfigurat illa *petra*, quam Moyses *percussit, & fluxerunt aquæ largissimæ*, sicut legitur in Exod. & in Numeris. Quartò, B. Virgo tanquam fons irrigat vniuersum hortum Ecclesiæ fluentis virtutum. Vnde & ipsa dicit in Eccl. 24. *Ego quasi fluuius Dorix, & sicut aquæductus exiui à Paradiso: dixi, rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.* Dorix interpretatur medicamẽtum generis humani, id est, Dei Filius allatus est in medicamentum. Ipsa est ille aquæductus, qui diuersimodè rigat hortum plantationum Domini, id est, vniuersos fideles in Ecclesia commorãtes. Huic enim obtinet charitatem, alteri castitatem: tertiò, humilitatem: quartò, mansuetudinis lenitatem: quintò, sobrietatem: sextò, largitatem: septimò, pacientiã: octauò, obedientiam: nono, fidei constantiam: decimò, in omni bono perseuerantiam; & sic de cæteris virtutibus. Quicumq; ergo indiget aliqua virtute, postulet instanter à Beata Virgine, & dabitur ei. Ipsa nempè est thesauraria IESV Christi. Quintò, per fontem vultus intuentium repræsentatur. Ita & Beata Virgo est speculum Imperialis Palatij, quod omnes electorum animæ summo desiderio contemplantur, & in quo vniuersorum beatorum facies resultant, & elucent. Vnde de ea dicitur Sap. 7. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Maiestatis, & imago bonitatis illius.*

Exo. 13 & Sap. 9. Psal. 44 Exo. 17 Nu. 20. Eccl. 24 Sap. 7.

De tertio nota: Paradisus, quam irrigat Virgo MARIA, est Angelica natura, & vniuersa super cœlestis curia. Angelica quippè natura, quæ est Paradisus delitiarum, per Beatam Virginem irrigatur; mirabiliter enim diligunt, & amplectuntur, quoniam per ipsam ipsorum ruina reparatur. Ecce quidam eminentiores Angeli, qui erãt consciij secretissimorum consiliorum Domi

ni,

ni, ab ipsa mundi constitutione per ipsam irrigabantur; quia de futura eius natiuitate inenarrabiliter gratulabantur. Nihilhominus etiam vniuersa beatorum curia per gloriosam Dei Matrem irrigatur; quia spirituali exultatione, & lætitia ex ipsius amabili præsentia continuè iucundatur.

De quarto nota: Quatuor capita, in quæ iste fons diuiditur, significant quadruplicem doctrinam, siue admonitionem, qua Beata Virgo quatuor genera hominum circuit, salutem eorum desiderans, & procurans. Primi sunt pauperes, & inopes. Secundi sunt peccatores. Tertij sunt iusti, & innocentes. Quarti sunt diuites, & abundantes. Primus, igitur fluuius ex prædicto fonte fluens appellatur *Phison*, quod interpretatur os papillæ, vel oris mutatio. Iste autem fluuius circuit terram Euilath per quam India intelligitur quæ est in extremitate terræ. Phison itaque significat compassiuam doctrinam B. MARIÆ, qua circuit pauperes, & inopes, qui sunt quasi in India, id est, in extremitate terræ constituti; quia parum, vel nihil habet de bonis huius mũdi. Docet enim eos, & verbo, & exemplo, vt sint continentes, fideles, & patientes, videlicet, vt luxuriam fugiant, vt furta non faciant, & vt aduersa huius mundi patienter sustineant. Præbet autem se ipsam in exemplum huius triplicis doctrinæ. Ipsa enim fuit paupercula, sed tamen castissima, fidelissima, & patientissima. Secundus, fluuius emanans ex hoc fonte dicitur *Geon*, & interpretatur Hiatus terræ, vel pectus. Iste circuit Æthiopiam, vbi nigri Æthiopes commorantur. Signat autem iste fluuius admonitionem B. Virginis, quæ hiat, & desiderat conuersionem peccatorum. Circuit ergo Æthiopiam nigros peccatores, inuitans eos ad tria. Primum est, vt à malo recedant per contritionem, & confessionem. Secundum est, vt disciplinam apprehendant per solicitam satisfactionem. Tertium est, vt satisfactioni iunctæ etiam bona alia superaddant per bonorum operum supererogationem. Non solùm enim à peccatoribus requiritur, vt per ieiunia, & orationes, & eleemosynas, ac alios labores excessus suos emendent: necesse etiam habent, vt postquam omnem debitam satisfactionem expleuerint, nouis etiam laboribus, ac bonis operibus Regnum Dei mercari studeant, & adipisci. Tertius fluuius ex hoc fonte procedens vocatur *Tigris*, qui interpretatur velocitas; iste circuit Assyrios, qui interpretãtur: Facturæ vigilantes, vel diligentes. Significat autem fluuius iste cõgratulationem, & exhortationem Beatæ Virginis, qua circuit bonos, & iustos, qui sunt in sui custodia vigilantes, ac Deũ in toto corde diligentes. Tria verò persuadet eis. Primũ est, vt de perceptis gratijs semper Deo gratias agant. Secundum est, vt peccatores non despiciant, sed potiùs ipsis per compassionem assistant. Tertium est, vt in virtutum, ac bonorum operum profectu vsque in finem perseuerantes existant. Quartus fluuius appellatur *Euphrates*, & interpretatur Frugifer, & iste circuit Chaldæos, sicut dicitur in historijs. Chaldæi verò interpretãtur mamillæ, vel feræ, vel Dæmones. Significat igitur fluuius iste institutionem B. MARIÆ, quæ frugem æternæ vitæ, id est, IESVM Christum attulit huic mundo. Circuit autem fluuius iste diuites, & abundantes in hoc sæculo, qui deberent esse mamillæ pauperum, id est consolatores, & nutritores eorum; licèt hodie per impietatem cõuersi sint in crudeles feras, & Dæmones infernales. Circuit, inquam, Beata Virgo diuites in tribus eos erudiens. Primum est, vt in omni fœlicitate huius sæculi semper Deum timeant, & præ oculis habeant. Secundum est, vt nihil per iniustitiam conquirant, vel possideant. Tertium est, vt semper pietatem, & misericordiam pauperibus exhibeant. Hæc enim tria à diuitibus maximè requiruntur. Rogate ergo B. Mariam, vt per eam sic nunc in huius mundi exilio reficiamur, vt tandem in patria claritatem vultus eius aspicere mereamur. Quod nobis, &c.

TERTIVM IN NATIVITATE *Beatæ* MARIÆ *Sermo.* XXXVIII.

Orietur stella ex Iacob. Num. 24. Notandum est quod stella illa, cuius ortum ille gentilis vir Balaam prænuntiauit, est B. Virgo MARIA, propter quod duo principaliter sunt hic notanda. Primò, quare Beata Virgo stellæ comparetur? Secundo, cui stellæ conueniẽtiùs adaptetur? De primo nota: B. MARIA stellæ comparatur proprer sex stellarũ proprietates, quę concurrunt in ipsa. Primò, igitur, sicut per stellas nox illuminatur, ita etiam per Beatam Virginem tota Ecclesia est illustrata. Vnde quilibet Christianus debet dicere de B. Virgine hoc quod dicitur, Sap. 7. *Super salutem, & speciem dilexi eam*, id est, MARIAM, *& proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* Multùm diligenda est B. Virgo à quolibet Christiano propter hoc quod est inextinguibile lumen eius. Nunquam enim aliquis in tantum peccat, si vult per veram pœnitentiam recurrere ad ipsam, quin ipsa sit statim quasi lucerna pedibus suis, & reducat eum in viam salutis æternæ. Secundò, in stellarum natura magnæ esse Virgo munditiæ indicatur. Etenim B. Virgo mundissimæ naturæ fuit. Vnde dicitur de ea, Sap. 7. *Attingit vbique propter suam munditiam, &* est

Nu. 24.

Sap. 7.

Sap. 7.

est emanatio quædam claritatis diuinæ sincera. Ideò nihil coinquinatum in illam incurrit. Vnde dicitur, quòd munditia B. Virginis attingit vbique: attigit enim Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Patrem attigit ex sinu suo accipiens Filium suum vnigenitum: Filium attingit, eundem recipiens in vterum suum; attigit & Spiritum Sanctum, quem habuit in diuinæ conceptionis adiutorium, & verè B. Virgo MARIA munda fuit.

Eccl.24 Fuit enim claritatis: *Omnipotētis Dei sincera emanatio.* Ipsa *ab initio, & ante sæcula* emanauit à Deo; quia ad hoc, vt fieret Mater Filij Dei prædestinata fuit ab æterno: & ideò nihil coinquinatum potuit intrare in illam. Decuit enim, vt illa, quæ futura erat Mater Dei, sancta esset, & immaculata. Quòd autē B. Virgo ab æterno præordinata fuerit in

Prou.8. Matrem Dei, ipsa protestatur, Prou. 8. Vbi dicitur: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, ante quam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum.* Tertiò quælibet stella maior est, quàm esse videatur, ita etiam Beata Virgo, licet magni meriti esset apud Deum per humilitatem, tamen parua erat apud semetipsam. Vnde legitur,

Lucæ 1. Luc. 1. Quòd cùm Angelus dixisset: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Ipsa hæc audiens suadente humilitate *turbata est*, quasi diceret: ego non sum digna, quòd sim, vel dicar *gratia plena*, & quòd Dominus sit mecum, & quia appeller inter mulieres *benedicta.* Hinc cùm Angelus postmodum insinuaret ei, quòd conceptura, & paritura esset Dei Filium, ipsa tamen ab humilitate sua non recessit, sed cùm Angelus omnem legationem suam adimpleſſet, respondit ei: *Ecce ancilla Domini* dicit. Non dicit: ecce sponsa Patris: ecce Mater Filij: ecce sacrarium Spiritus Sancti Quod si dixisset, mentita non fuisset. Debemus etiam & nos imitari humilitatem Beatæ MARIÆ, vt videlicet per humilitatem parui simus in oculis nostris, &

1. Re. 15 sic magni erimus in oculis Dei. Vnde dixit Samuel ad Saulem. 1. Reg. 15. *Nonne cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es, vnxitque te Deus Regem super Israel?* Quasi diceret, olim cùm paruulus eras in oculis tuis, magnus fuisti in oculis Domini. Nunc autem cùm magnus es in oculis tuis, paruus es in oculis Domini, propter quod etiam subiungit, *abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quartò ex ordinato motu stellarum dulcis armonia suscitatur, licèt à nobis non audiatur. Ita etiam B. Virgo dulcem harmoniam deuotæ laudis effudit in aures Domini, quando gratias egit ei super beneficijs ab eo susceptis. Ait enim: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus, &c.* Quæ sequuntur. Similiter, & nos pro singulis beneficijs à Deo susceptis debemus ei referre magnificas laudes, & deuotas gratiarum actiones, & sic dulcem harmoniam suscitabimus auribus suæ benignitatis. Sic enim prouocabitur, quòd plura nobis misericordiarum suarum munera largietur. Vnde monet nos Eccl. 43. *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis: maior est enim omni laude, exaltate eum, & replemini virtute.* Quasi diceret: si exaltaueritis eum, gratias ei referendo, ampliori- *Eccl.43* bus virtutum donis vos adimplebit. Hinc etiam Bern. Disce in agendo gratias non esse tardus, aut segnis: ingratitudo enim est ventus vrens, exsiccans fontem misericordiæ, & rorem pietatis.

Quintò stella in effusione radiorum suorum non corrumpitur, aut violatur: sic & B. Virgo in Natiuitate Dei Filij non est corrupta, sed quem Virgo concepit, & quem Virgo in vtero portauit, hunc etiam Virgo peperit, & post partum inuiolata, ac semper Virgo permansit. Vnde cantatur in sequentia lætabundus: *Sicut sidus radium profert Virgo filium* pari forma, neque sidus radio, neque Mater filio sit corrupta. Nos etiam cauere debemus, ne Diabolus fidem nostram corrumpat Vnde dicit Apost. 2. Ad Corin. 11. *Timeo, ne sicut serpens* 2. Co. 11 *seduxit Euam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, scilicet fidei, quæ est in Christo IESV.* Multorum hodie fides corrupta est, & maximè mulierum, in quibus per incantationes, & sortilegia, & præstigia, ac medicamina multifaria, in quibus confidunt simplicitas, & puritas Christianæ fidei plus etiam, quàm dici potest, est corrupta. Ipsæ enim cum sint filiæ Euæ matrem suam imitantes, fidem suam per multa etiam incredibilia corrumpi permittunt. Ne etiam Diabolus animas nostras per peccata corrumpat, mandata Domini custodire debemus. Vnde dicitur, Sap. 6. *Custoditio legū consummatio est incorruptionis. Incorruptio autem facit esse proximum Deo.* *Sap. 6.* Sextò stella cœlo inseparabiliter est infixa, nec ab eo separatur. Sic etiam Beata Virgo in omnibus persecutionibus, & tribulationibus, quæ aduenerunt filio, non separauit se ab ipso. Ipsa quippè magnam paupertatem passa est cum filio apud Bethlehē in diuersorio. Vnde dicit Luc. 2. Quod cum esset in Bethlehem censum capitis sui solutura: *Impleti sunt dies eius, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio; quia nō erat ei alius locus in diuersorio* Ipsa etiam cum *Lucæ 2.* filio passa fuit exilium septē annis in Ægypto: vnde dicitur Matth. 2. Quòd Ioseph nocte *consurgens accepit puerum, & matrem* *Mat. 2.* *eius, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad mortem Herodis.* Nihilhominus B.

Vir-

Virgo dolorem incomparabilem sustinuit cum filio stans sub crucis patibulo. Vnde
Ioã. 19. Ioan. Qui hoc vidit, dicit 19. cap. *Cùm vidisset IESVS Matrem, dicit Matri suæ: mulier, ecce filius tuus.* Quasi diceret, vide, attende, & considera, quanta tormenta patitur filius tuus, & per hæc verba quodammodo dolores Matris augmentauit. Nos etiam Redemptorem nostrum diligere debemus,
Rom. 8. ipsique inseparabiliter adhærere. Vnde dicit Apost. ad Rom. 8. *Quis separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an persecutio? an periculum? an gladius?*

De secundo nota, B. Virgo duabus stellis conuenientibus assimilatur, videlicet stellæ matutinæ, & stellæ marinæ. Primò itaque
Eccl. 50 comparatur stellæ matutinæ. Vnde dicitur Eccl. 50. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, sic ipsa effulsit in templo Dei.* Dissipauit enim B. Virgo in ortu suo nebulam tristitiæ quæ obtexerat omnes fideles aduentum Christi cum magno desiderio præstolantes. Omnes enim illi, quibus reuelatum fuit in spiritu, quòd illa, quæ erat Mater Dei futura, iam esset nata, mirabiliter nimirum poterant exultare. Vnde etiam Ecclesia filios suos hodie inuitat ad gaudium, ita canens: *Cum iucunditate Natiuitatem B. MARIÆ celebremus, vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum IESVM Christum.* Et nota quòd B. Virgo stellæ matutinæ, quæ alio nomine Venus, vel Lucifer appellatur, propter quinque comparatur. Primò enim sicut Lucifer diem, & ortum solis immediatè præcedit, ita & Beata Virgo MARIA Dei Filium, qui verus est dies, & Sol æternus, corporali introitu præcessit in mundum; immò & ipsa verum diem, & Solem æternum, ideſt, Dei Filium profugatis tenebris perduxit in hunc mundum, propter quod cantamus de ea. *Felix namque es sacra Virgo MARIA, & omni laude dignissima; quia ex te ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster.* De die etiam, quem hæc stella produxit in Orbem dicitur in Psal. *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* In atrijs quippè militantis Ecclesiæ solus Christus melior est, quàm sint multa millia aliorum iustorum. Vnde &
Cant. 5. Sponsa Cant. 5. dicit, quòd *Ex millibus est electus.* Secundò sicut stella matutina, ideſt, Venus calida est, & humida. Sic & B. Virgo
Eccl. 24 fideliter innocata confert calorem pulchræ dilectionis. De primo dicitur, Eccl 24. *Ego*, inquit, *Mater pulchræ dilectionis.* De secundo dicit ibidem: *Ego, sicut aquæductus exiui à Paradiso: dixi, rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus meifructum.* Hortus plantationum est S. Ecclesia, in qua plantæ fidelium hominum sunt plantatæ. Has autem plantas, vt eò melius proficiant, irrigat aquis gratiarum, quas excipiens à Christo, transmittit omnibus fideliter ipsam innocantibus. Et etiam quandoque tàm copiosè transmittit aquam deuotionis in corde suorum amicorum, quòd inebrientur, ideſt, quòd omnium miseriarum suarum ad tempus pœnitus obliuiscuntur. Vtinam illa pia Virgo sic nos aliquando inebriare dignetur. Tertiò sicut Lucifer solem semper commitatur, & tunc quando solem sequitur, vesperus appellatur: ita & Beata Virgo vestigia filij degentis in carne continuè sequebatur, ipsum quoque nõ reliquit, cùm ascendisset in cœlum. Vnde dicit Hieron. in quodam tractatu de Assumptione B. MARIÆ: Si Christus ab omnibus est amandus, & ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute quærendus, maximè tamen ab ea ardentiùs, cuius & Dominus erat, & filius: fortasse ergo præ nimio amore in loco, quo sepultus dicitur, interdum eam habitasse credimus, quatenus amor pijs patesceretur obtutibus. Sic namque locus habitationis eius medius est hinc inde constitutus, vt adire possit Ascensionis eius vestigia, & locum sepulturæ, ac resurrectionis, seu omnia in quibus passus est, loca inuisere, non quòd iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus. Hoc quippè agit impatiens amor, vt quem desiderat, semper inuenire se credat. Quartò sicut Lucifer, ideſt, stella matutina plus fulget inter omnia sidera, sic etiam Beata MARIA plus rutilat in gloria, quàm aliquis Angelus, vel etiam aliquis sanctus. Vnde dicitur de ea, Sap. 7. *Sap. 7.* *Hæc est speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem luci comparata inuenitur prior.* Solis igitur, & omnium astrorum subcœlestium splendorem excedit claritas Virginis intemeratæ, immò dicit Bern. Quòd ipsa cœlestis patria clariùs rutilat, Virgineæ lampadis irradiata fulgore. Ipse etiam Lucifer in suo splendore colorem habet gaudentem; ita etiam B. MARIA omnes exhilarat, qui eam intueri merentur. Quintò sicut in circulo Veneris, teste Martiano, omnes dicuntur consistere voluptates. Ita etiam B. MARIA in circulo intemerati vteri sui illum, qui est voluptas, & gaudium omnium beatorum, nouẽ mensibus continuit, & hospitata fuit. Vnde cantatur in Reg. *Continet in gremio cœlum, terramque regentem Virgo Dei genitrix.* In circulo etiam illo, in quem trãslata est B. Virgo, cõsistit ille, qui est fons omnium voluptatum, & qui torrente voluptatis suæ potat electos: est enim B. Virgo super omnes Angelorũ ordines exaltata, sicut de ea confidenter canit Ecclesia: positusque est tronus eius iuxta tronum sereniſsimi filij sui IESV Christi. Vnde dicit Hieron. Et si in domo patris mansiones multæ sunt,

credi-

credimus splendidiorem mansionem Matri Filium præstitisse.

De secundo nota, dicitur etiam B. MARIA stella marina, hoc testatur vniuersa Ecclesia, quæ sic canit in quadam sequentia: *Aue præclara maris stella* in luce, &c. Canit etiam in hymno: *Aue maris stella*, &c. Comparatur autem stellæ maris ad minus propter duo. Primò, quia per eam omnis nauta dirigitur. Secũdò, quia acui in tempestatibus mirabiliter inuenitur similis. Primò enim sicut versus stellam illam, quæ stella maris vocatur semper nautæ portũ, & viã considerant nauigandi: sic etiam B. Virgo nobis in mari huius mundi constitutis, ostendit viam nauigandi, & portum cœli. Vnde & ipsa dicit in

Eccl. 43 Eccl. 34. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationib' meis adimplemini.* Hæc stella inuitat nos ad bonum hospitium, promittit enim nobis, quòd nos per generationem suam, ideſt, per dilectum filiũ IESVM Christum omni gaudio nos implebit. Ostendit nobis etiam hæc stella viam, quæ ducit ad portam Paradisi, ita dicens in

Psal. 33 Psal. 33. *Venite Filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Quasi diceret: Hæc est via ad portam Paradisi, timor Domini. Vnde di-

Eccles. 1 cit, Eccl. 1. *Timor delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudine dierum, timenti Dominum benè erit in extremis.* Secundò nota, quòd legitur de stella maris, quòd videlicet in tempestate, quando cœlum nubibus est obuolutum, & non potest videri stella maris, tunc nautæ acum accipientes proijciunt in peluim, in qua est aqua, accipiunt etiam magnetem, per quem acus iacens in pelui circumducitur, & circumagitatur, acu verò sic circumducta; subtrahunt magnetem, & tunc acus acumine suo dirigit se contra stellam maris, & sic nautæ propendunt quorsum sita sit stella maris, & sequuntur eam. Hæc optimè possunt exponi de Virgine MARIA. Nota igitur, quòd tunc verisimè tempestas est in anima, & tunc cœlũ nubibus obducitur, cum per peccata, & Dei & B. Virginis gratia à miseris peccatoribus amittitur, quid autem faciendum est peccatoribus, vt recuperent gratiam Matris misericordiæ? certe necesse est, vt accipiant acum, per quam pœnitentia figuratur; quia per penitentiam, sicut per acũ vestis innocentiæ, quæ per peccatum dirupta est, refuitur, & reparatur. Hæc autẽ acus videlicet contritio, vel pœnitentia, debet in corde per magnetem circumduci. Per magnetem verò timor æternæ damnationis, & diuinæ seueritatis intelligitur. Iste enim timor trahit ad se ferrum, ideſt, ferreos peccatores: subducto verò hoc lapide, ideſt, alleuiato timore per spem veniæ, conuertit se acus, ideſt, pœnitentia ad Matrem misericordiæ, ideſt, peccator fiducialiter incipit pœnitentiam agere pro eo quòd credit, & sperat, MARIAM Matrem misericordiæ pœnitentem non abijcere, immò paratam esse pro reis semper intercedere. Pœnitentiam igitur agentes ductu huius stellæ, ideſt, ducatu Virginis propitiæ perueniunt ad portas salutis æternæ. Rogemus ergo, Charissimi, hanc glorioſam stellam, vt nobis in præsentis exilij peregrinatione constitutis, sic radios suæ pietatis transmittat, vt radiorum ipsius ducatu quilibet nostrum in patriam perpetuæ fœlicitatis perueniat. Quòd nobis, &c.

F. ALBERTVS PATAVINVS.

NOTA.

HIC Præclarus Doctor, celebrisque Verbi Dei Declamator, ex Seraphica S. Patris nostri Francisci familia Alumnus extitit, si Marco Antonio Coccio Sabellico credendum est, cuius hæc sunt verba tom. 2. Rapsod. Enead. 9. lib. 8. fol. mihi 415. ad finem. Claruit cum his Augustinus Anconitanus Eremiticæ obseruationis, qui & ipse scitè, & vtiliter multa scripsit. Bonauentura, & Albertus, vterque Patauinus, & ex Francisci Assisiatis familia; hic Euãgelica prædicatione, ille martyrio Clarus. Hæc Coccius. Quæ autem de præsenti Alberto Patauino loquatur Coccius,

fatetur R. P. Thomas de Herrera in suo Alphabeto Augustiniano. Tamen secundùm alios sacram Eremitarum sancti Patris Augustini Religionem professus est. Sed hi fortè ipsum nõ distinguũt ab, Alberto Patauino Nouello cognomine, antea Hebræo, deinde Christiano, qui aduersùs eosdẽ de Messiæ aduentu multa doctè scripsit; ac floruit ad annum M.CCCCXCIV. & instituti Eremitarum fuit. Noster verò Patauinatus est anno salutis M.CCLXXXVII. Is à iuuentute diuinarum litterarum studiosus sub Ægidio Romano sic profecit, vt R. P. Augustinus Maria Perachinus de ipso cecinerit.

Ille, ille altiloquus, grauisque preco
Albertus Patauinus, vrbis Alpha
Scriptorumque decus suæ piorum, &c.

A Senatu Patauino ob nominis æternam celebritatem marmorea statua, quæ ad hunc vsque diem extat, condecoratus fuit, hoc eximio elogio aureis litteris insculpto Alberto Eremitarum patri singularissimo, vitæ continentissimæ, patria Patauino, studiorum columnæ, & Reipublicæ Christianæ summo splendori. Et infrà. Albertus liberalium artium, ac vrbis nostræ splendor, in Ordine Eremitarum Regulam professus, continentissimæ vitæ fuit. Is claruit ingenio sub celeberrimo Ægidio Romano eiusdem Ordinis sacris litteris apprime imbutus, sumpta Parisijs infula magistrali tam clarus euasit, vt Paulum Apostolum, Moysen, Euangelia, ac librum sententiarum expositione splendidissima reserauerit, idemque ante omnes suæ ætatis viros facundissimus prædicator immortali memoriæ hìc optimo iure datur. Excessit è vita anno Domini M.CCCXXXIII. Huc vsque Epitaphium. Quamuis Albertus Miræus ipsum obijsse Lugduni in Gallia anno M.CCCXXVIII. vita, & moribus, sed nõ ætate matutum autumet. Præter relata scripsit sermones, qui extant Parisijs impressi anno M.D.XLIIII. & Venetijs anno M.DLXXXIIII. Sed in his nihil de B. Virgine; in cussis verò Taurini, in ædibus Antonij Ranoti anno à Virgineo partu M.D.XXIX. in 4 recognitis à Reuerendo Domino Fratre Nicolao Romagnano, Prouinciæ Lombardiæ Vicario, sequentes tres de Dominæ nostræ Deiparæ festiuitatibus Purificationis, Assumptionis, & Natiuitatis inueni. Euangelicum textũ, annotationesque Græcolatinas, quæ in originali erant, consultò prætermisimus; nam eas nõ esse nostri Patauini cõstat ex præfatione R. P. Augustini Mariæ Perachini Taurinatis. Ad calcem verò nota pro nostri huius Alberti Patauini singulari gloria, laudeque eximia retentũ morẽ in Ecclesia Catholica Concionatorum omnium salutandi Virginem Dei Matrem MARIAM Salutatione Angelica ante publici sermonis, seu concionis exordium, quem alij sancto Vincentio Ferrer, qui floruit ab anno 1349 vsque ad annum 1419. & alij aliis tribuunt, salua omnium pace, nostro Alberto Patauino tribuendum. atque ab eo, qui floruit ab anno 1287. vsque ad annum 1328. exordiũ sumpsisse dicendum, eò vel maximè, quòd morem hunc apud nullum Authorem ipso antiquiorem hucusque notauerim; quamuis fere omnes antiquorum patrum Sermonarios typis mandatos vel in nostra habeam, vel in insignioribus totius Hispaniæ Bibliothecis viderim, & legerim. De eo agunt Molanus in Bibliotheca sacra M. S. Tritemius, Posseuinus, Thomas, Gratianus, Iosephus Pamphilius, Coriolanus, Angelus Portonarius. Eius meminit, Gregorius de Arimino, & nouissimè Herrera in suo Alphabeto Augustiniano ad annum M.CCC.XXXII. Conradus Dusgesnerus, & alij.

SER-

SERMO IN FESTO PVRIFICATIONIS SEMPER VIRGINIS MARIÆ, ET IN ORDINE XXIV.

Lucæ 2. *POstquàm impleti sunt dies Purificationis MARIÆ secundùm legem Moysi, &c.* Luc. 2. Videmus, quòd si aliquis indignus loquatur de aliqua excellenti, & nobili persona, illi dicitur, quòd deberet os suum lauare, vt dignè loqueretur. Locuturus sum autē, Charissimi fratres, de Purificatione Virginis immaculatæ. Vnde necessariū est, me loquentē purificari mente, & labijs mundari. Esai. 6. *Vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi pollutalabia habentis ego habito.* Precibus igitur immaculatæ Virginis mittat Dominus Seraphin de cœlis, qui tangat labia, iniquitatem auferat, & nostra peccata emundet; quatenus de Purificatione purissimæ Virginis aliquid sibi placitum possim dicere. Quod vt nobis ipsa virgo impetret, salutatione eam Angelica veneremur, dicentes. *Aue MARIA.*

Esai. 6.

PRIMA PARS.

Postquàm impleti sunt dies. Festum Purificationis Virginis antiquitus non fiebat. Tempore autem Iustiniani Augusti apud Constantinopolim facta est mortalitas magna hominum. Cumque plaga inualesceret, nec vllum remedium posset reperiri, reuelatum est cuidam sancto viro, vt quarto Nonas Februarij Purificatio Beatæ Virginis, & Ipopanti Domini celebraretur, & sic cessaret pestilentia hominibus. Quam solemnitatem dum fideles celebrarent, omnis mortalitas cessauit. Dicitur autem Ipopanti Græcè, obuiatio Latinè. Quia puero IESV hodie præsentato in templo obuiauerunt exultantes Simeon iustus, & Anna Prophetissa, & de ista Purificatione Virginis, & Christi obuiatione agitur in præsenti Euangelio, in quo primo agitur de humili obseruatione legis. Secundò de longa expectatione senioris, ibi: *Et ecce homo erat, &c.* Tertiò de deuota consolatione amatoris, ibi: *Et venit in spiritu. &c.* Propter primum est sciendum, quòd præceptum erat in lege, Leu. 12. *Quòd mulier, quæ susceptosemine pareret masculum, esset immunda septem diebus.* Die autē octauo circuncidebatur puer; ipsa verò manebat triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ, à die circūcisionis infantis. Infrà quod tempus nō erat immunda, nec tamen licebat ei ingredi domū. Completis verò triginta tribus diebus, qui cū septem precedentibus fiunt quadraginta, ipsa mulier veniebat ad templum, præsentans puerum natum Domino, & offerens pro se, & puero sacrificium. Si autem fœminam peperisset, omnes dies supradicti duplicabantur. Dies enim immunditiæ erant quatuordecim, & dies purificationis sexaginta sex, qui simul iuncti fiunt octoginta. Tria igitur fiebant quadrage-

Leui. 12

A simo die à natiuitate infantis; quia ascendebat puerpera ad templum, & offerebat pro peccato suo turturem, aut pullum columbæ. Secundò natum puerum offerebat, & præsentabat Domino. Tertiò si erat dives, offerebat pro puero agnum anniculum. Si autē erat pauper, offerebat pullum columbæ, vel turturem. Hoc generaliter fiebat de quocumq; qui nascebatur, siue esset primogenitus, siue nō. Si autē infans fuerat primogenitus, tunc fiebat aliquid aliud speciale præter ea quæ dicta sunt. Nam Dominus, cū percussit omnia primogenita Ægypti propter filios Israel; voluit, quòd ex tunc omne primogenitum Iudæorum esset iuris sui. Si autem erat primogenitus alterius tribus, quàm Leuiti

B eæ, redimebatur à iure templi quinque siclis argenti. Primogenitum enim de Tribu Leui nō redimebatur, sed deputabatur seruitio templi. De tribus istis, scilicet, de Purificatione Virginis, de præsentatione pueri, & oblatione, fit mētio in prima parte Euangelij, quorum quodlibet lege Moysi confirmatum. Dicit ergo: *Postquàm impleti sunt dies purgationis MARIÆ* dies, scilicet, quadraginta à natiuitate Christi, istis quadraginta diebus mulieres purificabantur ab immūditia sanguinis, vnde Græcus post purgationis MARIÆ habet, in sanguine mūdo, *secundū legem Moysi* Leui. 12. ideſt, secūdū numerum dierum, quos lex Moysi præcipit obseruari in purgatione parientis. Quæritur

Leu. 12.

C hic quare Beata Virgo purificari voluit, cum ipsa non susceptosemine pepererit, sicut dicit lex Domini, sed virtute Spiritus Sancti? Ideò enim Moyses dixit: *Mulier si susceptosemine, &c.* Ne blasphemiam committeret in Virginem. Vt dicit Bern. Et dicendum, quòd in rei veritate Beata Virgo non indigebat purificari: ipsa enim est, de qua dicitur Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Pariendo enim Christum nullam contraxit maculam, sed omnē decorē, & sanctificationē; quia *sanctificauit tabernaculū suū altissimus.* Vnde

Cant. 4.

Psal. 45

D illi præcepto legis Moysi, nō erat obligata hāc tamē legē obseruauit. Primò propter suā humilitatē; quia humiliauit se etiā in his, ad quæ non tenebatur. Secundò, vt ostenderet se matrē illius, qui factus in similitudinē carnis peccati, dānauit peccatū. Ideò ipsa quasi peccatrix legi purificationis se suppossuit. Tertiò propter scandalū vitandū, & murmurationē. Non enim erat notū adhuc ipsam cōcepisse de Spiritu Sancto, vnde si non accessisset ad templum, fuisset occasio Iudæis scandali, & murmuris. Quartò, vt partus virgineus lateret Diabolū, qui videbat eam sine semine peperisse, & tamē accedere vidit ad templum sicut reliquas mulieres.

Secundò ponitur Christi præsentatio ad templum, *tulerunt*, ideſt, portauerunt MARIA, &

Ioseph, *eum*, ideſt, IESVM, *in Hieraſalem*, in brachijs. Nota, quòd Bethlehem, vbi natus eſt Dominus, non diſtat à Hieruſalem, niſi per quatuor milliaria. Nota, quòd non erat licitum Iudæis ſacrificare Domino in quocumque loco, ſed in vno tantùm. In eo videlicet, quē elegiſ-
Deu. 12 ſet Dominus in terra eorũ, vt dicitur Deut. 12. Locus autem iſte, quē elegit, fuit Hieruſalem.
3. *Re.* 8. Vt dicitur, 3. Reg. 8. Fuit autē illa ciuitas congrua ad hæc; quia, vt dicitur, ipſa eſt in medio totius terræ habitabilis. Nūc verò, quia cultus Dei ampliatus eſt, vbique poteſt Domino ſacri
Mala. 1. ficari, vnde hoc prædixit Dominus Malach. 1. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnũ eſt nomẽ meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Deinde ponitur quid detulerint eũ in Hieruſalē? quia vt ſiſterent, ideſt, offerrent, & conſecrarẽt, aut præſentarent, *eum Domino*, præſentauit MARIA puerum, gratias agens Deo Patri de tanto munere; quia ipſa Virgo conceperat, & pepererat, & quia in hac prole digniſsima Deo Patri cõmunicabat. Conſidera quid fortè Virgo orauerit, cum Deo Patri præſentauit infantē? Exultauit certè in ſpiritu, & gratias agẽdo, illa, vel ſimilia verba dicebat: Ecce Pater cœleſtis, ecce noua progenies cœlo alto demiſſa, ecce tibi præſento Filium tuum æternaliter, & meũ temporaliter. Præſento tibi eum, qui tibi ſemper eſt præſens. Gratias ago tibi; quia in hac prole digniſsima, quã concepi mirabiliter, peperiq; ſingulariter, tibi communico. Ex tempore enim illius ſum Mater, cuius tu es Pater Æternus. Oblationem tibi offero nouam, Verbum tuum caro factum, quod ſemetipſum offert tibi pro mundi ſalute. Inter hæc obtulit puerum. *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.* Adducit legis teſtimoniũ. Vbi præcipitur talis præſentatio infantũ: *Quia omne maſculinũ adaperiens vuluam.* Ideſt, quòd aperta matrice prodit in mundũ, *ſanctum Domino vocabitur*, ideſt, ſanctificabitur, & præſentabitur Domino. Hæc lex habe-
Exo. 13. tur, Exo. 13. Vbi dixit Dominus ad Moyſen: *Sanctifica mihi omne primogenitũ, quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tàm de hominibus quàm de iumẽtis, meа ſunt omnia.* Itẽ eodẽ lib. c. 34.
Exo. 34 *Omne quod aperit vuluã generis maſculini, meũ eſt.* Hunc autẽ legi Chriſtus nõ erat obligatus; quia clauſo Virginis vtero exiuit, ſicut radius ſolis vitrũ penetrat clauſum, & infractũ. Vnde nõ includitur inter eos, de quibus loquitur lex. Nota, quòd iſta repræſentatio infantis ad templũ propter quatuor facta eſt. Primò, vt ex hoc oſtenderetur, quòd ipſe erat Dei; ideò tanquam res Dei, erat et præſentandus. Vnde Beata Virgo Chriſtũ infantẽ repreſentare debuit; quia nihil eſt ita Dei Patris, ſicut vnigenitus Filius eius, de quo Angelus ad Virginẽ prædixerat:
Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Secundo, vt oſtẽderet ex hoc, quòd non ſolũ erat Dei, ſed etiã de Deo, qui operatur formationẽ corporis, creat animã, & eam corpori infundit; quia verò diuina virtus ſingula operata eſt in conceptu Saluatoris; quia abſq; vllo adiutorio, verè facta eſt illa cõceptio, & formatio corporis in inſtãti; ideò inter omnes infantes ipſe debuit præſentari. Tertiò repræſentabatur infans, vt ex hoc eſſet Domino cõſecratus: propter hoc autẽ Chriſtus præſentatus nõ eſt, quia ab inſtãti ſuæ cõceptionis ſanctus ſanctorũ fuit. Quartò ideò præſentabatur infans, vt ex tunc Deus cuſtodiret natã creaturam; ſed nec propter hoc fuit Chriſtꝰ præſentatus; quia ſemper illi erat diuinitas vnita, cuſtodiẽs hominem. Tertiò tangitur hoſtiæ oblatio, *& vt darent hoſtiam*, dabatur hoſtia pro nato infante. Primò quidem in laudẽ Dei. Secundò quaſi in recõpenſationẽ, vt ex quo Deus creaturã dederat, ei fieret hoſtiæ retributio. Tertiò, vt ex hac obligatione hoſtiæ, daretur intelligi, quòd omnia tẽporalia ſunt à Deo. Deinde adducit legis concordantiã: *Secundũ quod dictũ eſt in lege Domini.* Leuit. 12. *Par turturum, aut duos* Leu. 12.
pullos columbarũ. Quia Beata Virgo nõ obtulit hoſtiã diuitum, ſed pauperũ. Ideò Beatus Lucas nõ facit aliquã mentionẽ de oblatione diuitũ. Obtulit ergo Beata Virgo par turturũ, aut duos pullos colũbæ. Vnum in holocauſtum pro filio, alterũ pro peccato, licèt abſq; omni fuerit peccato. Et nota, quòd licet Beata Virgo alterũ iſtorum obtulerit, ſcilicet, vel par turturum, vel pullos columbæ, & non vtrũque: Euangeliſta tamẽ nõ dicit, quid illorũ obtulerit. Et hoc propter myſteriũ; quia turtur eſt caſtũ animal; columba verò fœcundũ. In Virgine fuit caſtitas, & fœcunditas; ideò vtrunq; poſuit Euãgeliſta. Et nota, quòd cũ dicitur, quòd mulier pariens offerebat turturẽ, vel pullum columbæ pro peccato ſuo, non ſic intelligendũ eſt, quòd peccauerit in actu cõceptus, vel partus ex libidine. Nõ enim actus matrimonij carnalis peccatũ eſt, ſed excuſatur actus ille per matrimonium, ne ſit peccatum. Ideò Domino, qui matrimonium inſtituit, offerebãt ſacrificium pro peccato, cui remedium adhibuit, carnis excuſans libidinem, ſcilicet, matrimonium, ſecundùm Auguſt. ſuper Geneſ. ad litteram cap. 9.

SECVNDA PARS.

Secundò, cùm dicitur: *Et ecce homo*; Tangitur longa expectatio iuſti ſenioris: *Et expectabat* ille Simeon natiuitatem Chriſti, & partum Virginis, & promiſſum ſibi fuit à Spiritu Sãcto, quòd ante mortẽ, Chriſtũ videret. Dũo autem in iſta parte tanguntur. Primò enim cõmendatur à ſanctificatione loci, in quo habitabat, *& ecce*, quaſi nouum prodigium res admirabilis, & inaudita; quia *homo erat in Hieruſalem*, quæ eſt locus habitationis ſanctorũ, ciuitas ſancta, & venerabilis. Iam priùs Magi ab oriente in ipſa ciuitate Chriſtum natum prædicauerant, quod forte homo iſte audierat. Vnde ab ipſa ciuitate non recedebat, *cui nomen erat Simeon*, quod interpretatur ſignũ.

Et

Et ipse nobis signum, & exemplum est sanctæ vitæ, & casti desiderij. Secundò commendatur à prima parte perfectionis, quæ est bonioperatio, & homo iste iustus per operationē boni. Talibus se Christus manifestat. Sap. 10. *Iustū deduxit Dominus*, &c. Tertiò à secunda perfectione, quæ est declinare à malo, Prou. 1. *& timoratus*, casto timore. Prou. 1. *In Domini timore declinat omnis à malo.* Quartò à pio desiderio, *expectans consolationē Israel.* Ideſt, Christum, qui est cōsolatio credentiū. Iudit. 8. Iudit. 8. *Expectemus humiles consolationem.* Quintò à sanctificatione mentis, *& Spiritus Sanctus erat in eo*, neque enim potuisset esse ita iustus, & timoratus, nisi fuisset in eo Spiritus Sanctus eū sanctificans, docēs, custodiēs, & dirigēs. Secūdò tangitur diuina reuelatio: *Et responsum acceperat à Spiritu Sancto*, qui in ipso erat, *non visurum se*, ideſt, experturum, *mortem, nisi videret Christū Domini*, Iob. 29. in lege promissum. Iob 29. *In carne mea videbo Deū Saluatorem meum.* Nota, quòd responsum non datur nisi petenti, & interrogāti. Vnde cū dicitur, quòd iste homo iustus accepit responsum à Spiritu Sancto, datur intelligi, quòd frequenter cū suspirijs, lachrymis, & gemitibus orando clamauerat ad altissimū, vt mitteret redēptionem, & consolationē Israel, & fortè verba plangentis, & orantis hæc erant. Nunc Domine quare tardas? quare facié tuā auertis? obliuiscēris inopiæ nostrę, & tribulationis? tu verò distulisti Christū tuū vsq; adhuc, sed instat tēp⁹ opportunū, nunc est expediēs. Mitte ergo Saluatorē perditis, captiuis Redēptorē, & consolatorē mœstis. Veni Domine, libera nos, scio quia in proximo es venturus. Beati oculi, qui te videbūt: putasne videbo illū? putasne moriar antequā venias? sum ne dignus intueri cōsolationem Israel? nolo certe mori, nisi illū videā, per quē mors inimica vincetur. Volo viuere quādiù fontem vitæ amplectar. Nolo ex hoc sæculo recedere, nisi ille veniat, per quē conditū est sæculū. His dictis rursus ad lachrymas, & gemitus conuertebatur. Verè iste homo alter Daniel, id est, vir desideriorum fuit, sed hoc desiderium ipsius pia Dei auris audiuit, & Dan. 10. responsum est sibi à Spiritu Sancto illud Daniel. 10. *Noli timere vir desideriorū, pax tibi.* Cōfortare, & esto robustus, cōfide senior, iuuentutis vigorē sumas, non te frangat ętas grauior, non te concutiat mors vicinior. Nō morieris nisi videas, nisi etiā tangas, nisi vlteriùs amplexeris Christum. In hoc responso senior confortatus, quasi iuuenis est effectus, nihil pertulit grauitatis.

TERTIA PARS.

Tertiò, cùm dicitur: *Et venit in Spiritu.* Tangitur deuota cōsolatio amatoris, & duo facit. Primò, ponitur Christi portatio, *& venit in spiritu in templū*, ideſt, motus, & instigatus à Spiritu Sancto, ea die veniēs ad templū, qua Beata Virgo puerum illuc portauit. Fortè enim erat sibi reuelatū, quòd ipsa die accederet, & quē videret gestari in vlnis cuiusdā virginis, oblationē pauperū deferentis, ipse esset Christus. Nota, quòd ad templū quilibet debet venire in spiritu, non quidē in spiritu superbiæ, sicut ambitiosi, qui sibi vsurpant dignitates, & honores Ecclesiasticos. Non in spiritu auaritiæ, sicut simoniaci. Non in spiritu inanis gloriæ, quemadmodū illi qui se ornant vestimentis, coronis, & coloribus, vt appareant hominibus. Non in spiritu simulationis, sicut hypocritæ. Nō in spiritu luxuriæ, sicut qui ideò ad Ecclesiam veniunt, vt mulieres videant, & concupiscant, & concupiscantur. Non in spiritu vanitatis, sicut qui veniunt causa solatij, vel vt vana loquātur. Non in spiritu accidiæ, sicut qui sunt in Ecclesia, & dormiunt in prædicationibus, & in officio non orant. Tali spiritu venientes ad templū, non vident Christum, nec illū amplexātur spiritualibus animæ brachijs. In spiritu igitur sancto veniamus ad templū, vt dicamus cū Psal. Suscepimus Deus misericordiā tuam in medio tēpli tui. Deinde ponitur Christi aduentus, *& cū inducerent*, MARIA verè parens, Ioseph opinione *Vt facerent secundùm consuetudinē legis pro eo.* Tria fecerunt pro Christo. Præsentauerunt eum Domino, obtulerunt pro eo sacrificiū, turturem aut pullū columbæ; & quia erat primogenitus, redemerunt eū quinque siclis argēti. Nota, quòd Simeon ille venerandæ antiquitatis expectabat, si videret inter turbam deferri paruulum natum ex Virgine. Offerebantur in templo filij principum, nobilium, & diuitum, sed non attendebat ille; sed cùm induceretur Christus in templū, statim cognouit Simeō infantē, & currens pius senex, dimissis alijs infantibus, venit ad Virginē, & non sufficiebat sibi adorare, videre, & tangere paruulū, nisi etiā ipsum acciperet in brachijs de sinu Virginis. Vnde sequitur: *Et ipse accepit eum in vinas suas.* Et mirum est, si Beata Virgo non prohibuit senioré hominē Christū amplecti. Ipsa cognouit ipsius deuotū desiderium, & intellexit Deo placere, quòd ille homo cōsolaretur in amplexu pueri. Attende, quòd fortè nonnulli risissent fatui, videntes antiquū hominem gestare infantē in vlnis, & exultantē. Sed non erat Simeoni de hoc curæ, portabat ipse infantē. Factus est in puero puer, gaudebat, & exultabat. Fœlix nimiùm fuit iste Simeon, qui tantam consolationem meruit, quam desiderauerunt Patriarchæ, & Propheræ, nec acceperunt. Secundò ponitur deuota Simeonis oratio: *Et benedixit Deum gratias agens.* Quia quod ab antiquo fuerat promissum, nūc cernebat im-

pletũ,& dixit: *Nunc dimittis*, ideſt, dimittas ſeruum tuum Domine: bonus ſeruus deſiderabat tranſire de hoc mundo, *ſecundùm Verbum tuum*, quo mihi dixiſti, non videbis mortem, niſi priùs videas Chriſtum, *in pace*, & tranquillitate moriar ex quo eum vidi: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Id eſt IESVM, qui ſalutare interpretatur. Oculi carnis viderunt hominem, ſed oculi mentis cognouerunt eum eſſe Deum: *Quod* ſcilicet ſalutare, *paraſti*, viſibile, & palpabile, *ante faciem omnium populorum*, quia pro ſalute omniũ gentium tale Dei ſalutare paratũ eſt. *Ante faciem*, quia in promptu eſt hoc ſalutare, omnibus ſe præſentans. Sed differenter; quia paratum eſt ad illuſtrationem gentium, & ad gloriam populi Iſraelitici. Vnde ſubdit, paratum eſt: certè, *umen*, ideſt, vt ſit verum lumen, *ad*, ideſt, propter, *reuelationem gentium*: ipſe enim reuelatus eſt, Eſaiæ. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, & etiam eſt ad, *gloriam plebis tuæ Iſrael*: poteſt gloriari populus Iudaicus, quòd ex ipſo natus eſt Chriſtus, & quòd ſalus gentium ex ipſo proceſsit, ſed quia melior eſt gentium reuelatio, quàm gloriatio Iſrael; ideò illa huic præmittitur. Rogemus ergo, & reliqua.

Eſai. 9.

SERMO IN DIVÆ VIRGINIS Aſſumptione, & in ordine. LVIII.

Intrauit IESVS in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domũ ſuam, &c. Luc. 10. &c. Hier. in ſermone. Si Deum in ſanctis ſuis laudare iubemur, multò magis in hac celebritate glorioſam Virginem Matrẽ Dei oportet hymnis, & canticis extollere, & dignis Deo iubilare præconijs, ac myſticis honorare muneribus. Sed ad hæc quo pacto idoneus cenſear, cùm nec ſanctitas, nec facundia ſuppetat, vt dignè glorioſam virginem laudare queam? Quomodo enim à laude ipſius non deficeret mea lingua, cùm deficiat lingua Patriarcharum pariter, & Prophetarũ? deficiant Apoſtoli & Euangeliſtæ? deficiant, & ipſi Angeli? Et ſolus ipſe Chriſtus commendat eam in Cãticis cãticorum: *quàm pulchra*, inquiẽs, *facta es*, &c. Quid faciam ergo ego peccator maximus, prædicatorum minimus, vt laudes Virginis aſſumam? Interceſsionem certè ipſius vnà vobiſcum implorabimus, dicentes. Aue MARIA.

Luc. 10

Cant. 5.

PRIMA PARS.

Intrauit IESVS in quoddam caſtellum, &c. Secundùm quod dicit Hieron. cæteris per partes, in MARIA verò tota ſe infudit plenitudo gratiarum. Gratiarũ autem quędam pertinent ad actiuam vitam, quædam ad contemplatiuam, quædam ad meritum vitæ, quædam ad præmium. Ideò hodierna die Euangelium legitur de gratijs actiuæ vitæ, quæ apparuerunt in Martha, & gratijs contemplatiuæ, quæ refulſerũt in MARIA; quia Martha fuit merito actiuæ vitæ, & MARIA fuit premio contemplationis. In hoc igitur Euangelio tria tanguntur. Primũ, quàm deuotè Chriſtus fuit ſuſceptus hoſpitio. Secundum eſt; quia Martha eum interpellauit de ſororis ocio, *quæ ſtetit* Tertiũ eſt ibi; quomodo Chriſtus pro defenſione MARIÆ quietem eius prætulerit Marthæ exercitio? ibi: *Et reſpondens*, circa primum tria facit. Præmittitur enim ſuſceptio Saluatoris: *Intrauit IESVS in quoddam caſtellum*. Orige. Nomen caſtelli hic tacet Lucas, ſed Ioãnes exprimit, vocans ipſum Bethaniam, quæ interpretatur domus obedientiæ. Nota, quia hoc caſtellum ſignificat virginitatem Beatæ Virginis, eius humilitatem, eius obedientiam, & ipſius excellentiam. *Caſtellum* namque nomen habet à caſtitate, & dicitur quaſi caſtum lilium. Tale caſtellum eſt Beata Virgo. Ipſa enim eſt caſtitatis lilium, cui dicitur Cant. 7. *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs*. Sola enim caſtitas virginalis lilio comparatur; quia lilium non producit fructum. Caſtitas verò cõiugalis, & vidualis alijs floribus producentibus fructum comparantur. Item *caſtellum* diminutiuè dicitur, quaſi paruum caſtrum, & ſignificat Beatæ Virginis humilitatem, quæ de ſe parua ſentiebat, iuxta illud: *Cùm eſſem paruula, placui altiſſimo*. Item *caſtellum* iſtud dicitur fuiſſe Bethania, quæ dicitur domus obedientiæ, & verè Beata Virgo fuit domus obedientiæ. Obtulit enim ſe obedientem diuinæ incarnationi, dicens: Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm Verbum tuum. Item *caſtellum*, quaſi alta caſa. Verè quidem Beata Virgo alta domus fuit, alta ſitu; quia ſtatus eius eſt ſuper omnem ſtatum creaturæ, ſicut arca Noe, quam aquæ eleuauerunt in ſublime. Alta etiam ędificatione virtutum, alta vlteriùs dignitate fabricationis; quia ipſe fundauit eam altiſsimus, qui eam inhabitat. Pſal. 12. *Quis ſicut Dominus Deus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?* Et iterùm *ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſsimus*. Inde rurſus ad nos venit. Luc. 1. *Viſitauit nos Oriens ex alto*. Tale igitur *caſtellum* caſtitate decoratum, humilitate munitum, ditatum obedientia, & excellentia eleuatum intrauit IESVS Saluator noſter, quando carnem aſſumpſit ex Virgine. Et benè *caſtellum* intrauit; quia expugnaturus venit humani generis inimicum, & præbiturus amicis recurſum. Iuxta illud, quod legitur. 1. Reg. 4. *Cognouerunt Philiſtei*, id eſt, Dæmones: *Quod arca Domini*, id eſt, Chriſtus, *venit in caſtra, & timuerunt dicentes: venit Deus in caſtra. Ve*

Pſal. 12

Pſal. 45

Luc. 1.

1. Reg. 4

Ve nobis, & ingemuerunt. Quot inimici expugnati sunt propter istud castrum? quotiens verò, & quot amici præsidium habuerunt? ante tempus deficiet, quàm enarrari possint.

Sequitur, quis Christũ susceperit: *Et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.* Aug. quia Dominus in propria venit, & sui eum nõ receperunt, tanquã hospes susceptus est in domũ Marthæ, sicut solent suscipi peregrini, sed tamen suscepit famula Dominũ, ægra Saluatorem, creatura creatorẽ. Beata fuit hæc mulier, quę in domũ suã excipere meruit Saluatorẽ. Beati nihilominus sunt qui Christi ministros suscipiunt, quia eos suscipiẽdo, Christũ ipsum recipiũt. Mat. 10. *Qui vos recipit, me recipit.* & Mat. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Nota, quia Beata Virgo MARIA rectè per Marthã intelligitur, quæ Christũ suscepit hospitio. *Martha* enim Hæbraicè dicitur prouocans, Syriacè dominans. Latinè verò nomẽ habet à Marte, quasi Martem tenens. Ipsa quidẽ virgo prouocauit Dominũ præcibus importunis, & desiderijs orationũ ardentium, vt Dei Filius carnẽ assumeret pro liberatione generis humani. Nec vllæ preces Patriarcharũ, aut Prophetarum orationes, vel desideria Sanctorũ Patrum tantæ fuerunt efficaciæ apud Dominũ, sicut preces Beatæ Virginis. 1. Reg. 1. *Ego sum mulier illa, quæ steti coram te hìc, orans Dominũ pro puero isto. Orauì, & dedit mihi Dominus petitionem meam quam postulaui eũ.* Itẽ Beata Virgo est *Martha*, ideſt, dominans; quia maledictio mulierum, qua subijciebantur potestati, & dominationi virorum, conuersa est in benedictionem eius; quia ipsa dominatur omniũ. 2. Esdr. 3. *Oportet vos scire, quia mulieres viris dominantur.* Item Beata Virgo est *Martha* quasi Martem tenẽs, inimicum scilicet humani generis conculcatũ. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum*, Et Iudic. 3. *In manu mulieris tradetur Sisara.* Itẽ ista mulier dicitur quædã, singularitate, scilicet; quia nulla ei similis est. Vnde Beda. *Nec primam simile visa est, nec habere sequentẽ. Sola sine exẽplo placuisti fœmina Christo.* Iudit. c. 11. *Nõ est inuenta talis mulier super terrã, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.* Itẽ hæc talis mulier Christum suscepit in domum veteri sui, & in domum mentis suæ. Eccles. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Suscepit eum in domum*, veteri virginalis, *in domum* pudicitiæ, & honestatis; *in domum* mundiciæ, & sanctitatis. Fuit igitur Beata Virgo, vt dicit Chrysost. animatum Dei templum, Christum corpore, & mente suscipiens, de qua susceptione dicit Petrus Rauen. pauet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris thalamo recipit, oblectat hospitio, vt pacem conferat terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis, & cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium.

Secundò ponitur quale obsequium fuerit Christo præstatum in domum recepto, & primò tangitur MARIÆ obsequium: *Et huic*, scilicet, Marthæ: *erat soror nomine MARIA, quæ etiam sedens secus pedes Domini.* Ideſt, ad pedes Domini, vbi secundùm Chrysostomum attenditur diligentia, assiduitas, & solertia erga auditionem, & multa reuerentia, quam habebat ad Dominum: *Audiebat verbum illius.* Deut. 34. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Vbi vt dicit Cyrillus, datur nobis documentum, vt in domibus eorum, qui nos suscipiunt, non iaceamus pigri, sed eos repleamus diuinis doctrinis. Illi verò, qui nos recipiunt exeant domum, obuiantes nobis hilariter, propter duas causas. Primò, quia ędificabuntur in doctrina. Secundò, quia mercedem charitatis recipient. Nota, quia in verbis istis vitæ contemplatiuæ operatio declaratur. Primò quidem nomine MARIÆ. MARIA enim stella maris interpretatur. Vita namque actiua in mari præsentis sæculi nauigat actibus, fluctuat occupationibus, laborat in aduersitatibus, periclitatur tentationibus, sed semper recurrendum est ad contemplatiuam vitam, quæ velut sydus cœleste, dirigit actiones nostras, vt ad portum deducantur æternæ salutis. Rursus MARIA Domina interpretatur. Vita verò cõtemplatiua actiuæ dominatur, sicut superior inferioribus. Adhuc MARIA amarum mare interpretatur; quia gustantibus per contemplationem quàm suauis est Dominus, omne, quod est in mari præsentis sæculi, videtur amarũ. Item MARIA fuit soror Marthæ. Sic contemplatiua, & actiua vita ex eodem Sancto Spiritu producuntur, & ad eandẽ tendunt fortẽ æternæ gloriæ, & cœlestis hæreditatis; vnde Rachel contemplatiua soror fuit Lyæ actiuæ. Item MARIA sedebat; quia contemplatio est in quiete, & silentio mẽtis. Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut colũbæ, & volabo, & requiescam?* Sedebat autem ad pedes Domini, quia actiua laborabat circa Domini discipulos. Contemplatiua verò iam tenet deitatis vestigia in præsenti, quousque in futura amplexetur Christum. Item contemplatiua audit verba Christi. Hugo de Sancto Victore, contemplatiua vita orando interrogat, legendo audit, meditando veritatem comprehendit. Nota, quia Beata Virgo ratione vitæ contemplatiuæ, quam excellentissimè habuit, meritò MARIA appellatur, secus pedes Christi sedens, & audiens verba eius. MARIA quidẽ dicitur, ideſt, stella maris. Vnde Bernar. Ipsa est præclara, eximia, &

stella, super hoc maremagnum necessariò sublenata, inficiens meritis, illustrans exemplis. Ne auertas ergo oculos à fulgore huius syderis, vt non obruaris procellis. Beata etiã Virgo dicitur Domina; quia contemplatio diuinitatis omnia transgreditur. Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato.* Dicitur amarum mare contemplando amaritudinem Passionis Filij. Tren. 3. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.* Rursus ipsa fuit amarum mare cõtemplatione deitatis. Sic enim desiderabat esse cum filio, vt omnia præsentis sæculi illi amara essent, prout dicitur in legenda. Psal. 73. *Renuit consolari anima mea. Memor fui Dei, & delectatus sum.* Item Beata Virgo in contemplatione sedebat ad pedes Christi. Sedebat quidem in quiete fruitionis, sed ad pedes eius per humilitatem, quæ humilitas maxima est in contemplatione. Cùm enim creatura eum contemplatur, in comparatione tantæ celsitudinis videt, quia ad pedes est Christi, vt Beata Virgo in contemplatione, diuina verba audiuit. Luc. 2. *MARIA conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Postquam visum est de quiete vitæ contemplatiuæ, nunc legitur labor actiuæ vitæ: *Martha autem satagebat*, idest, satis agebat; quia festinabat; quia percurrebat. Satis verò agit, quia facit quantum potest, & ideò *satagebat* Martha; quia toto suo posse operabatur, vnde laborabat, & fatigabatur: *Circa frequens ministerium*, idest, circa ministerium, quod est multũ, crebrum, & assiduum. Eccl. 24. *In habitatione sancta coram ipso ministraui.* Ecce igitur distinctio actus istarum duarum sororum. Augustin. de verbis Domini. Laborabat illa, vacabat ista. Illa erogabat, hæc implebatur. Erat enim MARIA intenta dulcedini Verbi Dei, intenta erat Martha quomodo pasceret Dominum. Intenta erat MARIA quomodo pasceretur à Domino: à Martha conuiuium parabatur in cuius conuiuio iam MARIA iucundabatur. Nota, quia actiua vita nomine Marthæ intelligitur. Dicitur enim Martha quasi Martem tenens. Mars autem Deus est belli, & impugnationis, vita verò actiua tenet continuum bellum. Vexatur à carne, occupatur sæcularibus negotijs, quomodo regat sibi cõmissos, vnde prouideat eis necessaria, quo magisterio discordes reducat ad concordiam, & mille bellorum impugnationibus fatigatur. 2. Cor. 7. *Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi, foris pugnæ intus timores*, &c. Item Martha dicitur prouocans, siue irritans; quia actiua vita prouocat mentem ad turbationem ex suis multis occupationibus, & aliorum aduersitatibus. 2. Cor. 9. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non ardeo?*

A Item Martha dicitur dominãs, quia vita actiua premitur curis, & anxietatibus, quod tamen nõ succumbit, sed dominatur. 2 Cor. 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed nõ angustiamur; aporiamur, sed nõ destituimur; persecutionem patimur, sed nõ relinquimur; deijcimur, sed non perimus.* Sic igitur pugnauit, quòd vicit. Nota quòd Beata Virgo fuit Martha secundũ actiuam vitam. Laborauit enim circa frequens Christi ministerium. Primò namque ipsum suscepit in domum vteri virginalis, nouem mensibus enim gestauit in vtero in impręgnatione, peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio, lacte purissimo cibauit, & fouit honestissimo gremio, timore Herodis cum eo fugit in Ægyptum, eum perditum tribus diebus requisiuit, & tandem in medio Doctorum reperit sedentem in Templo. Triginta tribus annis eum secuta est, quocumque ierat ministrans ei. Morienti in Cruce astitit, & corpus ipsius cum multis lachrymis sepeliuit. Omnia namque misericordiæ opera, quæ ad vitam actiuam pertinent, ipsa circa Christum expleuit, quarum aliqua enumerat Bernardus in sermone Assumptionis, dicens. Vt breuiter sex misericordiæ opera percurramus. Beata Virgo non quemlibet ex nostris, sed summum Dei Filiũ suscepit in vtero; nudum carne operuit pannis, esurientem pauit, sitientem lacte potauit, infirmum per infantiam non solũ visitauit, sed etiã fouẽdo, leniendo, gestando frequenter, & omnia exhibuit humanitatis opera. Hæc est Abisach Sunamitis quæsita in omnibus finibus Israel, vt staret coram rege, & ministraret ei, vt dicitur. 3. Reg. 1. &c. 2. Cor. 4. 3. Reg. 1.

SECVNDA PARS.

Secundò cùm dicitur, *Quæ stetit* ponitur interpellatio Marthæ de MARIÆ otio, & tria facit. Primò ponitur Marthæ occupatio, *quæ* Martha ministrans *stetit*. Multis enim curis occupata, nec valens incœpta perficere, stetit nescius quid ageret. Quod etiam frequenter actiuis euenit, quia tantis superuenientibus vexantur occupationibus, vt occurrat in mentem cœpta relinquere, cedere officio prælationis, secreta petere monasterij; & quòd oportet, mundi sollicitudinem postponere. Vnde legitur Num. 11. quòd Moysi cura populi Israel intoleranda res visa est, dixitque ad Dominum. *Quare afflixisti seruum tuum? quare non inueni gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam? vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iurasti patribus eorum?* Et infrà. *Non possum solus sustinere omnem hunc popu-* Num. 11.

populum, quia grauis est mihi. Sin autem aliter tibi videtur, obsecro vt, interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

Secundò ponitur Marthæ lamentatio. *Et ait, Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare?* Tot enim negocijs occupantur actiui, & anxiantur, quod quasi videatur Deus ipsorum curam non habere, 1. Cor. 9. *Nunquid cura est illi de bobus?* Boues suo opere actiuos significant, non tamen reliquit eos sine cura, quia dixit Lucæ 10. *Curam illius habe, & quodcumque supererogaueris, ego cum venero reddam tibi.* Nam vita contemplatiua licet non ministret exteriùs, non tamen relinquit actiuam, sed parat ei interiùs contemplationis, & quietis lectum, vbi post labores quiescat. Sap. 8. *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium cõuictus illius, sed lætitiam, & gaudium. Tertiò ponitur imploratio auxilij. *Dic ergo illi, vt me adiuuet.* Augustinus de verbis Domini quærdo, inquit, putamus MARIAM timuisse, ne diceret ei Dominus, surge adiuua sororem tuam. Mira enim suauitate tenebatur, quia profectò maior est refectio mentis, quàm ventris. Nota, quia dum sumus in præsenti vita, oportet MARIAM adiuuare Martham, & Martham adiuuare MARIAM. *Sicut enim frater, qui adiuuatur à fratre sunt quasi ciuitas firma,* Pro. 13 vt dicitur Prouerb. 13. Ita istæ duæ sorores mutuò se adiuuantes, firmum mentis faciũt ædificium. Si enim actiua vita non ministraret necessaria, contemplationi vacare non possemus; & rursus si contemplatio non reduceret actiuam ad quietem intrinsecam mentis, fatigata actiua deficeret. Prouerbialiter dicitur, quòd vna manus alteram lauat. In vitis Patrum legitur, quòd frater quidam venit ad Abbatem Siluanum, & videns fratres operantes manibus, ait illis. Nolite operari cibum, qui perit, quoniam MARIA optimam partem elegit. Et precepit senex cuidam fratri, vt mitteret eum in cellam, vbi nihil esset ad manducandum. Et cùm esset hora cibandi, expectabat frater ille hospes, si fortè vocaretur ad prandium. Et cùm nemo eum vocasset, surgens venit ad fratres, dicens illis. Comedistis hodie? & respondit senex, etiam. Quare, dixit ille, non me vocastis, & ait senex. Tu, qui spiritualis es, cibo isto non indiges, quo nos carnales indigemus, propter quod & operamur. Tu namque cum MARIA optimam partem elegisti, tota die legens. Quibus ille auditis prostratus petijt veniam. Ad quem Abbas, MARIA indiget Martha, & oportet alteram alteri subuenire. Hinc est etiam, quòd in Ecclesia prædicatores susciptunt ab auditoribus necessaria, quibus ipsi ministrant spiritualia, &c.

TERTIA PARS.

Tertiò cùm dicitur, *Et respondens*, tangitur sententia Christi, qua MARIÆ quietem prætulit Marthæ exercitio, vbi tria tanguntur. Primò enim ostendit Dominus, quòd opus Marthæ attendebat: Vnde dicit. *Et respondens dixit illi Dominus.* Noluit MARIA aliquid respondere verbis sororis. Sic enim erat intenta sermonibus Christi, quòd, vt dicit Augustinus, causam potiùs voluit committere iudici, ne laboraret in respondendo. Si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem, *Martha Martha* Augustinus: Repetitio nominis indicium est dilectionis, aut fortè monendæ intentionis, vt audiat attentiùs. Contemplatiui enim semel vocati statim attendunt verbis Christi, sed actiui, quia ad exteriora distracti sunt, bis indigent vocari à Domino. Vel fortè repetitio nominis multiplicitates curarum insinuat. Quia tot curis corroduntur qui familijs, & dignitatibus præsunt, quòd dqui experti sunt meliùs nouerunt, propter quod, vt inquit Æsopus dixit mus siluestris ad domesticum: Rodere malo fabam, quàm rodi perpete cura. Deinde laudat sollicitudinem eius, quia ex charitate erat, *sollicita es*, id est, anxia, vel commota. Non est mirum, si erat sollicita, quia non cuicunque, sed Deo vero ministrabat, Roman. 12. *Sollicitudinem non pigri spiritum feruentes, Domino seruientes.* Deinde compatitur, & miseretur eius occupationibus, *& turbaris erga plurima:* Ideò namque turbatur, quia circa multa erat occupata. Qui enim vult multa facere, difficil est, quin in aliquo eorum deficiat, aut ex impotentia, aut ex ignorantia, aut quia dum circa vnum intẽdit, alterius obliuiscitur, vnde oritur perturbatio mentis. Propter quod dicitur Eccle. 11. *Fili ne in multis sint actus tui.* Secundo datur salubre cõsilium, *porro*, pro sed, *vnum est necessariũ*, quasi dicat: ideò turbaris, quia circa plurima occuparis. Sed si turbari non vis, relinque plurima, & apprehende vnum tantùm, quod est necessarium. Istud autem vnum necessarium duobus modis potest intelligi. Primò secundùm Cyrillum, quia Christus non indigebat magna conuiuij præparatione, sed vnum tantùm eorum, quæ præparabat Martha erat sufficiens. Quòd si Martha circa illud vnum fuisset intenta, turbationem non habuisset, vel secundùm Augustinum. Istud vnum Deus ipse est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt vnus Deus, cuius contemplationi si

Rom. 12

Eccl. 11

Mar-

Martha fuisset intenta, non habuisset turbationem, dicente Psalm. 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Sed hic dicet aliquis, si melius est contemplationi intendere, relinquant homines misericordiæ opera, alere esurientem, vestire nudum, discordes concordare, peregrinos recipere, visitare infirmos, & pacificè regere subditos. Et dicendum, quòd Dominus non reprehendit opus Marthæ, sed dicit, quòd sine turbatione esse non poterat; quæ turbatio actiuæ vitæ secundùm Gre. non est peccatum, sed est magnæ virtutis, & patientiæ. Bonum est igitur occupari circa plurima, sed melius est circa vnum intendere, quod est necessarium. Insistere autem actiuæ vitæ quibusdam incumbit ex officio, sicut Prælatis Ecclesiæ, & mundi Principibus, atque habentibus familiam: quibusdam verò competit ex conditione sua vt fortè, quia non sunt dispositi ad contemplationem, aut quia habent temporalia, quæ largiri oportet indigentibus. Tertiò commendat contemplationem MARIÆ, *MARIA optimam partem elegit*, non tu malam, immò bonam, sed tamen illa meliorem, immò optimam. Quia nihil contemplatione diuina est melius. Et rursus, quia actiua vita est circa temporalia, quæ transitoria sunt, sed contemplatio est æternorum. Vnde subdit, *Quæ non auferetur ab ea*. Auferuntur enim actus actiuæ vitæ, quia in alia vita nullus erit esuriens, qui alatur, nullus sitiens, & sic de alijs. Sed contemplatio hìc incœpta in gloria perficitur. Nota, quòd Beata Virgo MARIA quatuor optimas partes elegit. Prima pars est virginitas. De tribus enim statibus continentium, coniugatorum, & virginum, virginitas est optima. Vnde Cyprianus. Virginitas est flos Ecclesiastici germinis, atque ornamentum gratiæ spiritualis, illustrior portio gregis Christi. Hanc elegit Beata Virgo prima omnium fœminarum: vnde super illud Luc. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* dicit Beda. Angelo propositum suæ mentis Virgo reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse. Secunda optima pars est fœcunditatis honor. Non quemcumque Regem aut Principem generauit, aut alium purum hominem, sed ipsum Deum, & hominem Regem Regum, & Dominum Dominantium, quem Virgo elegit dicens: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum*. Tertiò ex triplici vita, scilicet, pœnitentiæ, quæ bona est, actiua, quę est melior, & contemplatiua, quę optima est, Beata Virgo ipsam contemplatiuam vitam elegit: Vnde Hierony. Totam Virginem repleuerat Spiritus Sancti gratia, totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset humanum, quod violaret affectum. Quartò elegit optimam partem gloriæ. Etenim ex consortio hominum iustorum, quod est bonum, ex consortio Angelorum, quod est melius; elegit hodierna die consortium Christi, quod est optimum, collocari super omnem iustorum ordinem, super choros Angelorum ad dexteram filij sui Domini nostri IESV Christi: Vnde Hieronymus. Vbique confidenter sancta Dei canit Ecclesia quod de nullo alio sanctorum fas est credere, quòd Beata Virgo vltra Angelorum, & Archangelorum transcenderit merita, 3. Reg. 2. *Positus est thronus matri Regis, quæ sedet ad dexteram eius.* 3. Re. 2.

Psal. 72

Luc. 1.

SERMO IN DIVÆ VIRGINIS Natiuitate, & in ordine, LXIII. Introductio.

Liber Generationis IESV Christi Filij Dauid filij Abraham, Matth. 1. Hoc idem sed alio ordine legitur Lucæ 3. Chrysosto. Non æstimes, inquit, te parua audire, cùm audis hanc generationem: Valde enim est ineffabile, quòd Deus ex muliere nasci dignatus est, & homines progenitores habere. Ineffabile quidem est, quia præter naturæ ordinem, vt Virgo generet, est supra humanam inuestigationem, vt Deus sit, & homo qui generatur, & est supra nostræ originis conditionem, vt Sanctus Sanctorum generetur, quia omnes in peccatis concepti sumus: propter quod dicitur Esai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Ad Matris Virginis ergo confugiamus auxilium, quia illius generationis secretum ipsa nouit, vt nobis dignè aliquid loqui tribuat de sua, & sui filij generatione. Quod vt mereamur impetrare, salutationis sibi munus Angelicæ humiliter offeramus, dicentes: Aue MARIA gratia plena Dominus tecum, &c.

Mat. 1. Lucæ 3. Esai. 53

Liber Generationis IESV Christi, &c. Frequenter videmus aliquem totum suum genus nobilitare propter suam prudentiam, & industriam. Genus verò Christi licèt fuerit magnæ nobilitatis, quia ex Patriarchis, & Regibus, atq; quod maximę nobilitatis est, fuerit ex Virgine, totum tamen suum genus Christus decorauit, & nobilitauit. Non igitur genus Beatæ Virginis tantæ fuit nobilitatis, ex eo quòd traxit originem ex Patriarchis, & Regibus, quantę fuit claritatis, ex eo quòd ipsa genuit Deum verum, & hominem Regem Regum, & Dominum Dominantium. Istius verò generationis nobilitas Beatæ Virginis, & quantùm ad progenitores, & quantùm ad Christum genitum, tangitur in præsenti Euangelio, quod diuiditur in duas partes. *Præmittitur enim proœmium narrationis.* Deindè exequitur ibi, *Abraham autem, &c.* In proœmio quatuor continentur. Primum est, quæ sit forma operis, *liber*. Non enim

enim quodcumque opus nomen libri meretur, sed illud solum, cuius notitia decet liberos: quædam enim notitia seruilis est, quæ acquiritur spe lucri, & honoris. Ista verò talis non est, quia sui gratia. Item liber dicitur, eò quòd mentem liberat notitia vera eorum quæ in eo traduntur. Item dicitur liber quasi vrbs litterarum, quod huic operi conuenit, quia multa mysteria litterarum hìc
Eph. 2. continentur, vt simus ipsius notitia, *ciues sanctorum, & domestici Dei.* Secundò tangit materiam generationis. Cum multa alia scribantur in libro, quęritur quare à sola generatione eum denominet? & dicendū, quòd huius est duplex causa: vna secundùm Rabànum, quia à generatione incœpit. Altera secundùm Chrysost. quia radix omnium bonorum est Christi generatio. Tertiò explicat personam quo ad nomen, & dignitatem. Quo ad nomen quidem, *IESV*. IESVS Hębreum nomen est, Grękè sotir, Latinè verò Saluator dicitur. Quantum verò ad dignitatem, *Christi*: Christus Græcum nomen est, quòd Hæbraicè dicitur Messias Latinè, verò vnctus. Saluator quidem fuit ipse, cuius
Mat. 1. hæc generatio texitur, Matth. 1. *Ipse saluum faciet populum suum à peccatis.* Fuit vnctus, quia Rex, Sacerdos, Propheta, & pugil. Hæ enim quatuor personæ inungebantur, vt per vnctionem Regi daretur potestas, Sacerdoti sanctitas, Prophetæ scientia, pugili victoria,
Psal. 44. Psal. 44. *Vnxit te Deus oleo lætitiæ.* Quartò quia duplex est Christi generatio, scilicet ex Deo, & homine; ostendit quam istarum intędat, *fili Dauid*, qui Dauid est, qui fuit filius Abrahæ: vnde subdit, *filij Abraham*, vel vtraque filiatio ad Christum potest referri, qui amborum fuit filius. Quæritur quare cæteris prætermissis horum duorum Christum filium nominauit. Et dicendum, quòd huius quadruplex est causa. Vna, quia ipsi fuerūt maiores patribus, Abraham inter patres, Dauid inter Reges: vnde ponūtur in principio duarum thesseredecadum. Altera, vt ostendat Christum esse ex semine Regum, & Patriarcharum. Tertia, vt dignitas ostendatur, quæ fuit in progenitoribus. Abraham enim habuit sacerdotalem dignitatem, quando fecit Deo sacrificium. Habuit etiam patriarchalem: vnde dicitur Pater multarum gentium. Dauid verò habuit regalem dignitatem, & Prophetæ officium, & quia Christus Rex, Propheta, Patriarcha, & Sacerdos fuit: ideò isti duo maximè nominantur. Sed quæritur, cùm Dauid posterior fuerit Abrahę, quare ei prępmittitur? Et dicendum, quòd ea ratione Dauid Abrahæ præmittitur, qua Christus omnibus alijs est præmissus. Hæc enim est differentia inter procœmium, & tractatum, quia procœmium præmittit ea, quæ primò sunt in intentione, & aduertit quę intentioni sunt propinquiora; tractatus verò cùm exequatur intentum, præmittit intento principali ea, quæ illi deseruiunt, & primò exequitur ea, quæ remotiora sunt, donec vltimò declaret intentum. Quia verò quod hìc dicitur pertinet ad procœmium, ideò dixit hunc librum esse de generatione Christi, quod est principale propositū filij Dauid & Abrahæ, quòd est annexum, sed Dauid propinquior fuit intento: in parte verò executiua incœpit à magis remotis, donec vltimò deueniat ad generationem Christi.

PRIMA PARS EXPOSITIONIS Euangelij.

Abraham autem genuit Isaac. Finito procœmio, exequitur quod se dicturum promiserat, scilicet de generatione Christi, eius genealogiam distinguens in tres partes, quarum quælibet quatuordecim continet generationes; vnde fiunt tres thesseredecades, id est, tres quatuordenę; prima cōtinet Iudices, secunda Reges, ibi, *Dauid autem genuit. &c.* Tertia Pontifices, ibi, *& post transmigrationem, &c.* Sub quibus diuersis tęmporibus fuit populus Israeliticus. In quibus omnibus Patribus, vt dicit Glos. Non solùm debet historia nominari, sed etiam allegoria, quomodo vnusquisque eorum nomine, & virtute Christum præfigurauit. In prima igitur quatuordena numerātur quatuordecim Patres: & subticetur generatio ipsius Abrahæ, *Abraham autem*, interpretatur Pater multarum gentium, & Christum significat, ex quo omnes processerunt Christiani. Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes, &c.* Item Abraham commendatur à virtute fidei. Genes. 40. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Christus verò nostram fidem fundauit, cuius ipse principium, & fundamentum est, vt dicitur in 1. Corint. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS.* Quia verò ea, quę sunt in principiatis, excellentiùs insunt principio; ideò Christus fidem non habuit, sed excellentiùs aliquid, scilicet apertam visionem. Hæc autem duo Beatæ Virgini conueniunt. Sicut enim Christus est Pater multarum gentium, ita ipsa est Mater omnium credentium. Item ipsa fuit, quæ primò credidit in Ecclesia, & post omnes in morte filij, & supra omnes: vnde virtus fidei eam beatificauit, Lucæ 1. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt à Domino.* Sequitur secunda generatio: *genuit Isaac*, qui interpretatur risus, vel gaudium, in quo virtus obedientiæ commendatur; quia ad mandatum Patris non renuit immolari: vt dicitur Gen. 22. Vnde patet, quòd ex fide

Pſal. 2. *Gen.* 40 1. *Cor.* 3 *Luc.* 1. *Gen.* 22

fit

fit gaudium in corde credentium, cuius operatio est obedire Deo, & submittere omnem intellectum, & virtutem in obsequium Christi. Hæc autem patent in Christo, Esai. 42. *Non erit tristis, nec turbulentus.* Vnde Lucæ 10. dicitur. *Quòd exultauit, IESVS in Spiritu Sancto*, qui etiam obediens fuit atri *vsque ad mortem*. Philip. 2. Rursus spirituale gaudium fuit in Beata Virgine. Lucæ 1. *Exultauit spiritus meus in Deo, &c.* Fuit etiam in ea obedientia maxima, Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, &c.* Sequitur tertia generatio: *Isaac autem genuit Iacob.* Iste supplantator dicitur, eò quòd natus est tenens plantam Esau fratris sui. Ipse commendatur à virtute patientiæ, quam habuit in aduersitatibus. Ex quo patet, quòd ex gaudio fidei nascitur prudentia supplantandi diabolum, carnem, & mundum. Si quid tamen aduersi patimur ab istis inimicis, oportet prudentiæ addere patientiam. Hæc autem Christo conueniunt. Supplantauit enim diabolum ipsum eijciens Crucis mysterio, mirabili prudentia de potestate mundi, cuius patientiam ostendit 1. Petr. 2. dicens: *Qui cum malediceretur nō maledicebat, &c.* Has virtutes Beata Virgo habuit. De prima dictum est, Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum*. De secunda verò patet, quia in omnibus aduersitatibus, quæ pro filio sustinuit, patiens ipsa fuit. Sequitur quarta generatio, *Iacob autem genuit Iudam*, qui interpretatur confessor, in quo virtus cōfidentiæ, & securitatis commendatur; quia confidenter accessit pro liberatione Beniamin. Gen. 43. Et quia cæteris timentibus ipsum diuisum mare rubrum primus ingressus est. Vnde intelligimus, quia ex prudentia supplantandi inimicum generatur confessio laudis ad Deum, & securitas, quòd Deus erit nobis in auxilium. In ipso autem fuit confessio beneficiorum. Luc. 10. *Confiteor tibi Domine Pater, Rex cœli, & terræ.* Item fuit in eo confidentia, Ioan. 8. *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum.* Rursum laudis confessionem attendimus in Beata Virgine. Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum*. Securitatem verò, quia non timuit quicquid aduersitatis habuit, *& fratres eius*, qui fuerunt vndecim. Sed cùm ipse Iudas non fuerit primogenitus duodecim fratrū, quæritur quare cæteris præponatur? Et dicendum, quòd huius duæ sunt causæ, vna, quia tribus eius nobilior fuit cæteris, quia regalis. Altera, quia ex hac tribu natus est Christus. Item quæritur, cùm Isaac habuerit fratrem Ismaelem, Iacob verò fratrem Esau, quare nominat hìc fratres Iudæ, tacitis supra Ismaele, & Esau? Eius ratio duplex est, vna secundùm Gloss. quia fratres Iudæ manserunt in cultu vnius Dei, & pertinent ad repromissionem factam Abrahę, sed Ismael, & Esau non manserunt in Dei cultura, nec pertinēt ad promissionem. Alia ratio Chryso. quatenus auferat elationem nobilitatis, quia plures fratrum Iudæ fuerunt ex ancillis nati, & tamen omnes Patriarchæ. Sequitur quinta generatio, *Iudas autem genuit Phares, & Zaram*, licet alios filios habuerit Iudas ante istos, non tamen nominantur, quia ad generationem Domini non pertinent. Istos verò duos simul nominat, quia solus Phares pertinet ad Christi genealogiā, quia eandem habuerunt originis maculam nati, scilicet, de incestu: *de Thamar*, quæ fuit nurus Iudæ, nec tamen, vt dicit Ambrosius recusauit Christus habuisse tales progenitores. Primò quidem, quia venit in mundum, vt subderetur contumelijs. Vnde maculatæ originis non recusauit iniuriam. Secundò, ne pudeat Ecclesiam de peccatoribus congregari. Tertiò, vt ostenderet etiam suis maioribus fuisse necessarium redemptionis beneficium. Quartò, ne quis putaret originis maculam impedimentum esse virtutis. Quintò ne insolens se iactaret de generis nobilitate. Nota, quia Phares interpretatur diuisio, Zara verò oriens. In diuisione autem notatur perfectio vitæ, qua iusti à peccatoribus segregantur. In oriente verò attenditur claritas diuinæ cognitionis, quorum vtrumque generat Dei laus, & confessio. Fuit autem Christus diuisus ab alijs, Hæbr. 7. *Talis decebat, vt esset nobis Pontifex sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus.* De eo rursus scriptum est Zachariæ 6. *Ecce vir oriens nomen eius*. Fuit nihilominus Beata Virgo segregata inter omnes mulieres, merito & beneficijs: vnde Bed. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Fuit etiam oriens aurora, ex qua processit Sol iustitiæ. Vel oriens in natiuitate sua segregata ab omni peccato, quia vt dicit Bernardus, ante sancta fuit, quàm nata. Sequitur sexta generatio, *Phares autem genuit Esrom*, qui sagitta interpretatur. Oritur enim sagitta Verbi Dei, qua accenduntur credentes, & necantur increduli ex perfectione vitæ: Christus verò talis est sagitta. Esai. 49. *Posuit me quasi sagittam electam.* Talis etiā sagitta fuit Beata Virgo, quæ corda credentium penetrauit, vt ad Dei accēdantur amorem, & cunctas hæreses interemit in vniuerso mundo. Sequitur septima generatio, *Esrom autem genuit Aram*, qui interpretatur electus. Qui enim habuerit sagittam verbi, eligitur ad illud enunciandum: vnde de Paulo dicitur, vas electionis est mihi. Christus autem electus est præ omnibus alijs, Matth. 9. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Fuit etiam Beata Virgo electa inter omnes mulieres, vt Christum pareret. Nec enim fortuitò, sed diuina electione sic factū est

Esai. 42. Luc. 10. Phil. 2. Luc. 1. 1. Pet. 2 Gen. 3. Gen. 43. Luc. 10 Ioan. 8. Luc. 1. Hæb. 7. Zach. 6 Esai. 49 Mat. 9.

est, vt dicit Bernardus. Sequitur octaua generatio, *Aram autem genuit Aminadab*, qui spontaneus interpretatur. Ex electione enim Dei procedit, vt aliquis sponte ad operandum se offerat. Spontè autem se Christus obtulit ad liberationem humani generis, Ioan. 10. *Ioan. 10* *Potestatem habeo ponendi animam, &c.* Spontanea etiam fuit Beata Virgo, quia liberè se obtulit Deo ad virginitatem seruandam, ad Incarnationem Dei, & ad obsequium eius. Sequitur nona generatio, *Aminadab autem genuit Naason*, qui serpentinus interpretatur, sub quo Principe tribus Iudæ, filij Israel egressi sunt de terra Ægypti, quos ipse primus per mare rubrum perduxit: de promptitudine namque mentis oritur virtus serpentis, quę est se totum exponere, ne caput nostræ fidei in aliquo vulneretur. Serpentinus est Christus, quia velut serpens in ligno fuit suspensus, vt quicumque eum intueatur, sanetur. Ipse rursus transiuit mare rubrum passionis, & liberauit fideles à seruitute diaboli. Serpentina etiam est Beata Virgo à deuicto serpente, cuius caput ipsa contriuit, qua, velut stella duce mare præsentis sæculi transimus, vt dicit Bernardus, &c. Sequitur decima generatio, *Naason autem genuit Salmõ*, qui interpretatur sensibilis. Iste patre in deserto mortuo, successit in principatu suæ tribus, sub quo filij Israel terram repromissionis ingressi sunt. Ex quo verò aliquis velut serpens obtulerit se pro Domino, tunc sentit quãta oporteat eũ pati pro nomine eius. Sensibilis autem fuit Christus, quia passiones humanas vsque ad mortem expertus est, cuius ducatu promissam adipiscimur beatitudinem, Mich. 2. *Mich. 2* *Ascendit enim, iter pandens ante eos.* Beata etiam Virgo sensibilis fuit, quando gladius Passionis filij sui, animam eius pertransiuit.

Ipsa verò tanquam scala, & porta Cœli atque Ostiaria introducit ad Regnum vitæ perpetuę. Sequitur vndecima generatio, *Salmon autem genuit Booz*, qui fortis interpretatur. De isto dicitur Ruth. 2. Quòd erat *Ruth. 2* *vir potens, magnarumque opum.* Nam ex perceptione eorum, quæ pro Deo tolerari oportet, animatur mens ad fortiter tolerãdum. Christus autem est Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio; cuius opes, vt dixit Agnes Virgo, nunquam decrescunt. Hanc fortitudinem habuit Beata Virgo. Prouer. 31. *Pro. 31* *Mulierem fortem quis inueniet?* quæ plena est omnibus diuitijs gratiarum, *Iosue 2.* *de Raab*, Raab meritrix fuit, quæ abscõdit exploratores Iudæorum, qui venerant Hiericò; propter quod beneficium cunctis habitatoribus vrbis occisis, ipsa cũ suis mortem euasit. Sequitur duodecima generatio, *Booz autem genuit Obeth*, qui seruiens interpretatur, de quo dicitur Ruth. 4. *Natus est,* *Ruth. 4*

A *qui te diliget, & consolabitur.* Ex dono namque fortitudinis processit seruitus Dei, quæ est in dilectione Dei, & consolatione proximi. Fuit autem Christus seruiens, quia exinaniuit semetipsum, formam serui accipiẽs; cuius tanta fuit dilectio ad Patrem, & ad hominem, vt mortẽ susciperet. *Ipse consolatus est lugentes in Syon*, vt dicitur Esai. 61. *Esai. 61* Beata Virgo MARIA fuit seruiens Deo, vnde illud: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuum.* Fuit diligens Deum, cõsolata est Elisabeth, & cunctos in aduersitatibus consolatur, *ex Ruth*. Hæc Moabitis *Deut. 25* fuit vxor Maalon, quam Booz accepit vxorẽ præcepto legis, dicentis, quòd vxor defuncti sine liberis esset propinquioris vxor. Lex B tamen præcipiebat Moabitidas non duci in vxores, & ideò quęstio est, an Booz peccauerit eam accipiens? Videtur enim fuisse perplexus, nisi fortè dicatur, quòd perplexus nõ fuerit; quia cum matrimonium ipsius Ruth primò fuerit contractum cum Maalon contra legem; nõ obligabatur Booz ad eam recipiendam, etiam mortuo marito; quia matrimonium cum alienigenis non tenet, vnde separauit Esdras tales coniuges. Potest tamen dici secundùm Ambros. quod merita Ruth excesserunt legis diffinitionem, ita vt digna fuerit coniugio Booz mentis dignitate, licèt non cognatione corporis, vnde fuit diuina C dispensatio. Sequitur tertiadecima generatio, *Obeth autem genuit Iesse* Iste alio nomine dicitur Isai; fuit enim binomius, Iesse verò incendium, siue incesum interpretatur. Nam ex seruitio Dei generatur deuotionis incensum; Christus verò est incensum igne charitatis ardens. Fuit etiam Beata Virgo magnitudine deuotionis quasi incensum ardens, Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit per desert, ũsicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris?* *Cant. 8* Sequitur quartadecima generatio: *Iesse autem genuit Dauid*, qui manu fortis interpretatur. Fortitudo namque operationis est ex magnitudine deuotionis. Interpretatur etiam desiderabilis, & pulcher D aspectu. Desiderabilis enim est sic operans, horum morum pulchritudine. Fuit autem Christus fortis in opere sine defectu; fuit desideratus cunctis gentibus, fuit speciosus forma præ filijs hominum. Virtus Dauid fuit mansuetudo. De Christo verò dicitur Hieremiæ 11. *Ego quasi agnus mansuetus,* *Hier. 11* *qui portatur ad victimam* Beata Virgo fuit fortis in opere, Prouerb. 32. *Manum suam* *Pro. 32* *misit ad fortia.* Fuit desiderabilis Patriarchis, & Prophetis; fuit decora, Cant. 4. *Tota* *Cant. 4.* *pulchra es, &c.* Fuit mansueta, velut columba, quæ obiurgare non nouit. Vnde Bernardus, Quære diligenter, nihil in ea durum inuenies. Benè ergo Dauid filia, *Regem.* Hæc est causa, quare alij filij Iesse nõ nominantur,

quia

quia non communicauerunt ipsi Dauid in Regno, quòd autem supradictas omnes virtutes habuerit, meritò ad hoc deuenit, vt
Apoc. 5. Rex debeat nominari, Apoc. 5. *Fecisti nos Deo nostro Regnum.*

SECVNDA PARS.

Secundò cùm dicitur, *Dauid autem.* Ponuntur generationes secundæ thesseredecadis, quæ continet Reges. Quarum prima est: *Dauid autem genuit Salomonem*, qui pacificus interpretatur. De Christo verò dicitur, quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. In Salomone donum sapientiæ
Eph. 1. commendatur, & de Christo dicitur Ephes. 1. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, (ex ea quæ fuit,)* supple vxor, *Vriæ.* Nota, quia nominatę sunt supra quatuor mulieres, quarum concubitũ Scriptura reprehendit, scilicet, Thamar, Raab, & Ruth. Vxor verò Vriæ quarta est, cum qua Dauid commisit adulterium, cuius tamen nomen hìc tacetur, quia aliæ mulieres aliquam habuerunt bonitatem; hæc verò nullam; quia etiam mortis mariti conscia fuit, vt dicit Remigius. Quæritur vtrum Dauid potuerit contrahere cum Bersabee? Et videtur, quòd non, quia non stat matrimonium cum polluta per adulterium, si cum effectu adulter machinetur in mortem coniugis. Et fortè dici potest, quòd Dauid operatus fuit in mortem Vriæ, non vt adulteram duceret, sed magis, vt cœlaretur adulteriũ, quod cœlari volebat, eam vxorem ducendo. Quod, quia cœlari non poterat, nisi eam ducendo, ex quo maritus nolebat cubare cum ea, ideò eam duxit. Sequitur secunda generatio: *Salomon autem genuit Roboam*, qui populi latitudo interpretatur: Christus autem dilatauit populum Dei à Iudæis vsque ad gentes, quod conuenit ei, quod legitur de
2 Par. 11 Roboam, 2. Paralyp. 11. Quòd *omnes eos susceperit, qui relictis idolis voluerunt colere Dominum.* Sequitur tertia generatio, *Roboam autem genuit Abiam*, qui interpretatur Dominus Pater. Est autem Christus Pater, & Dominus noster. De isto Abia dicitur
2 Pa. 13 2. Paral. 13. Quòd *prædicauit populo Israel, vt conuerteretur ad Dominum*, & Christus
Mat. 4 prædicare incœpit dicés: *pœnitentiam agite; appropinquauit enim Regnum cœlorum.* Sequitur quarta generatio, *Abias autẽ genuit Assa*, qui interpretatur attollens, cui conuenit illud, quod de eo dicitur, quòd cultum idolatriæ abstulerit. De Christo autem dici-
Ioan. 1. tur, *Ecce Agnus Dei, &c.* Ioan. 1. Sequitur quinta generatio, *Assa autẽ genuit Iosaphat*, qui interpretatur iudicium, de quo dicitur,
2 Pa. 17 2. Paralypomenon 17. *Quia misit Doctores per totam Iudæam, habentes librum legis, vt docerent populum.* Christus verò est Dei iudicium, Ioan. 6. *Pater omne iudicium dedit filio.* Ipse misit Doctores per totum orbẽ dicens, Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes.* Sequitur sexta generatio, *Iosaphat autẽ genuit Ioram*, qui excelsus interpretatur, & ipse habuit victoriam de Idumæis. Christus verò excelsus est super omnes gẽtes, qui percussit Diabolum, Esai. 11. *Spiritu oris sui interficiet impium.* Sequitur septima generatio, *Ioram autem genuit Oziam*, qui robustus Domini interpretatur, Iob 9. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* De isto Ozia dicitur, 2. Paral. 26. Quod *longè diuulgatum est nomen eius*, sic & nomen Christi, Luc. 4. *Diuulgabatur fama de illo in omnẽ locũ regionis.* Itẽ dicitur de eo, quòd erat vir agriculturæ deditus, quemadmodum Christus agrum Ecclesiæ colit, vt germinet, vireat, floreat, & fructificet, Zach. 13. *Agricola homo ego sum.* Sed hic est dubium, quia iuxta veritatẽ historiæ tres Reges sunt hic omissi, qui non numerantur. Ioram enim non genuit Oziam, sed genuit Ochoziam. Ochozias autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Amasiam, qui Amasias genuit eum, qui hìc nominatur Ozias. Huius causam assignat Ambrosius, dicens, omnes illos tres non nominatos, scilicet Ochoziam, Iosiam, & Amasiam, pertinere ad eãdem generationẽ cum Ozia. Euangelista enim non intendit nominare genitos, sed generationes. Generatio verò extenditur secundũ communem mensuram vitæ vnius hominis, in qua aliqui plures generare possunt. Aliam causam assignat Hieronymus, quia Ioram se immiscuit generationi Achab idolatræ, & impudicissimæ Iezabelis, & ideò filij eius vsque in quartam generationem tolluntur, ne in sancta generatione numerentur. Aliam causam Augustinus adducit, quia malitia eorum ita continua fuit, vt nemo eorum bonus fuerit. Vnde tempore eorum non erat spes, quòd stirps eorum vltra regnaret. Alia ratio est, quia omnes tres, Dei iudicio, pro culpa parentum, & propria damnati fuerunt ad mortem. Ochoziam enim occidit Iehu, Ioham serui sui, Amasiã verò ciues Ierusalem: vnde peccatum parentum vsque in tertiam generationem fuit punitum. Sequitur octaua generatio, *Ozias autem genuit Ioathan*, qui cõsummatus interpretatur, & Christus est consummatio legis. De isto dicitur, quòd ædificauit portam domus Domini excelsam. Porta domus cœlestis sunt præcepta, quæ Christus dedit, excelsa, addẽdo charitatem. Apostolus: adhuc excellentiorem viam demonstro vobis. Sequitur nona generatio, *Ioathan autem genuit Achaz*, qui conuertens interpretatur. Tren. vlt. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Sequitur decima generatio, *Achaz autem*

Ioan. 6. Mat. 28 Esai. 11 Iob 9. 2 Pa. 26 Luc. 4. Tre. vl.

tem genuit Ezechiam, qui confortatio Domini interpretatur, & Christus dixit Ioannis 6. *Confidite, quia ego vici mundum.* *Ioan. 6.* De isto legitur, quòd fecit generale Phase cuncto populo Israel, & Iuda. Christus verò fecit generale Pascha corporis, & sanguinis sui cunctis fidelibus. Sequitur vndecima generatio, *Ezechias autem genuit Manassen*, qui obliuiosus interpretatur, & Christus pœnitẽtium peccati obliuiscitur. De isto dicitur, quòd orauit restitui in Regnũ suum, & exaudi- *Ioan. 12* tus est. Christus dixit. *Pater clarifica me apud temetipsum, claritate, quã habui, priùs quàm mundus fieret.* Et respodit vox de cœlo, *& clarificaui, & iterum clarificabo.* Sequitur duodecima generatio, *Manasses autem genuit Amon*, qui fidelis interpretatur. Christus autem fidelis est in omnibus verbis suis. Mortem istius vindicauit populus, sicut & fideles mortem Christi, Iudæos condemnando. Sequitur tertiadecima generatio, *Amon autem genuit Iosiam*, qui incensum Domini interpretatur, quod significat orationis deuotionem. De Christo verò dicitur *Luc. 22* quòd *factus in agonia prolixiùs orabat*. De isto Iosia dicitur, quòdadhuc puer cœpit quærere; Christus Dominus verò cũ duodecim esset annorum, repertus est in tẽplo, & dixit. *Luc. 2.* *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Propter mortem eius Hieremias fecit lamẽtationes, quæ maximè de Christo intelligũtur, vt patet in fine. Sequitur quarta decima generatio, *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius*, In paralipomenis scriptum est, Iosiam habuisse quatuor filios, scilicet, Ioathã, Ioachim, Sedechiam, & IESVM, post cuius mortem Ioatham regnauit, quem post tres menses Pharao admouit de Regno, & fratrem eius Ioachim fecit Regem, ex quo natus est Iechonias. Non igitur Iosias genuit Iechoniam sed Ioachim, vnde natus est Iechonias. Ad quod respondet Chrysostomus, quòd Ioachim sublatus est de numero Regũ quòd populus eum non constituerit. Aliter soluit Hieronymus, cui concordat Ambrosius, dicens duos fuisse Iechonias, vnum filiũ Iosiæ, qui & Ioachin dicitur, alter Iechonias fuit filius istius, & dictus est & ipse Ioachin, & differentia vtriusque nominis est, quia primus debet scribi teste Hieronymo, per k, & m, secundus per ch, & n: vnde primus dictus est Ioakim, alter vero Ioachin. *Ioan. 11* Iste primus Ioakim Domini resurrectio interpretatur, & Christus dixit. *Ego sum resurrectio, & vita. In trãsmigratione Babylonis*, hoc ideò, quia ad hoc nati erant, vt culpis suis, & aliorum exigentibus ducerentur captiui. Vel quia tunc agebatur de eorum transmigratione prępositaChaldeorũ. Et attende quòd hìc intermittitur, quem genuerit iste Ioakim, siue Iechonias. Genuit enim alium Ioachin, qui & ipse dictus est Iechonias, & successit fratri in Regnum, & ipse est, qui ponitur in principio quatuordenæ, quod fortè ideò prætermissum est, quia in angustia, & seruitute genitus est, &c.

TERTIA PARS.

Tertiò cum dicitur, *Et post transmigrationem*, ponuntur generationes Pontificum tertię quatuordenę. Prima est, *& post transmigrationem Babylonis:* duplex autem fuit transmigratio, vna tempore secundi Iechoniæ, tertio mense Regni sui, cum esset decem, & octo annorum, pro quo translato regnauit patruus eius Sedechias, cuius Regni vndecimo anno, vltima transmigratio facta est; post primam itaque transmigrationem tacitam ponitur generatio tertiæ, scilicet, secundi Iechoniæ. Ponitur secunda generatio tertiæ tesseredecadis. Istius secundi Iechoniæ generatio pertinet ad tertiam quatuordenam, & est principium eius, *Iechonias*, secundus, genitus à primo. Iste Iechonias intrepretatur præparans, & Christus dicit, *vado parare vobis locum. Genuit Salathiel,* *Ioan. 14* qui interpretatur petitio mea Deus, & Christus dicit Ioa. 17. *Pater sancte serua eos, quos* *Ioan. 17* *dedisti mihi.* Sequitur tertia generatio, *Salathiel autem genuit Zorobabel*, qui magister cõfusionis interpretatur, & de Christo dicit, *Magister vester cum publicanis, & peccatoribus mãducat.* *Mat. 9.* De isto Zorobabele quatuor leguntur. Primò, quod in eo cœpit misceri regale, & sacerdotale genus, Christus autem fuit Rex, & Sacerdos. Item ipse prætulit veritatem coram Dario cunctis rebus, & Christus dixit Pilato Ioan. 18. *Ego in hoc veni, &* *Ioan. 18* *ad hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati.* Item sub ipso redijt captiuitas de Babylone. Christus autẽ dicit in Isa. 61. *Prædicare captiuis indulgentiam misit me.* *Isai. 61.* Item ipse cœpit reædificare templum Domini, & Christus reædificauit Ecclesiam. Sed dubium est, quia 1. Paralyp. 3. Iste Zorobabel *1 Par. 3* non dicitur fuisse filius Salathiel, sed dicitur quòd eum genuit Phadaia filius Iechoniæ, & soluit Glos. dupliciter, quia fortè Phadaia ipse est, qui & Salathiel. Aut si non est idem fortè habuerunt filios eiusdem nominis. Sequitur quarta generatio, *Zorobabel autem genuit Abiud*, Ab isto Abiud deinceps nulla inuenitur generationis historia, sed Euangelista hæc dicit, vel reuelante Spiritu Sancto, vel Ioseph sponso intemeratæ Virginis MARIÆ tradente libros suæ generationis: Et si instatur, quia in Paralypomenon exequitur generationem Zorobabel. Dicendum quòd non est ille Zorobabel filius Salathiel, sed est Zorobabel filius Phadaia fratris ipsius Salathiel, vt dictum est, Abiud, interpre-

ta-

tatur Pater meus, & Christus dicit, *ego, &*
Ioan 10 *Pater vnum sumus*. Sequitur quinta generatio, *Abiud autem Eliachim*, qui Deus re-
Ioan.6. suscitans interpretatur, & Christus dicit, *ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Sequitur sexta generatio, *Eliachim autem genuit Azor*, qui adiutus interpretatur, & Christus
Ioan. 8. dicit, *qui me misit, mecum est*. Sequitur septima generatio, *Azor autem genuit Sadoch*, qui iustus interpretatur. Christus autem iustus traditus est pro iniustis. Octaua generatio, *Sadoch autem genuit Achim*, qui frater meus interpretatur, & de Christo dicitur,
Gen. 37 *Caro enim, & frater noster est*. Sequitur nona generatio, *Achim autem genuit Eliud*, qui Deus meus interpretatur, & de Christo dicit
Ioan.20 Thomas, *Dominus meus, & Deus meus*. Sequitur decima generatio, *Eliud autem genuit Eleazar*, qui interpretatur Deus meus
Psal.17 adiutor, & de Christo dicit Psalm. 17. *Deus meus, adiutor meus*. Sequitur vndecima generatio, *Eleazar autem genuit Mathan*, qui donatus, vel donans interpretatur. Christus
Eph. 4. autem *dedit dona hominibus*, & ipse datus est nobis. Sequitur duodecima generatio, *Mathan autem genuit Iacob*, qui interpretatur
Luc. 10 supplantator, & Christus dicit, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi serpentes* Sequitur tertiadecima generatio, *Iacob autem genuit Ioseph*, qui apponens interpretatur, quod
Luc. 10 Christo conuenit dicēti, *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*. Videtur autem Lucas repugnare ei, quod hic dicitur. Dicit enim Ioseph fuisse filium Hely: Hely verò filium Mathat, & tandem hanc genealogiam deducit, non in Salomonem, sed in Nathan alterum filium Dauid. Et dicendum
Luc. 3. quòd vtrúque verum est. Nam Ioseph duos habuit Patres, vnum carnalem, scilicet, Iacob: alterum legalem, de quo dicit Lucas, scilicet Hely. Et primo modo genealogia ipsius deducitur in Salomonem. Alio modo deducitur in Mathan. Nam, vt tradit historia Ecclesiastica, Mathan carnalis auus Ioseph fuit, qui à Salomone descendit, habuit vxorem nomine Estam, ex qua genuit filium Iacob; mortuo verò Mathan, Mathat qui descendit à Nathan, Estam viduam vxorem Mathan accepit, ex qua genuit filium Hely. Fuerunt igitur Iacob, & Hely fratres vterini; Hely verò accepit vxorem, quo sine liberis mortuo, frater eius Iacob volens suscitare nomen defuncti fratris, vxorem eius accepit, ex qua genuit Ioseph, qui ex lege erat filius Hely defuncti, sed secundùm carnem erat filius Iacob. Primam generationem Lucas prosequitur, alteram verò Matthæus, *virum MARIÆ*. Hæc est quinta mulier nominata in præsenti Euangelio. Ex hoc quòd Virgo fuit vxor Ioseph, datur intelligi, quod de tribu Iuda, & de domo Dauid fuerit, quia ex lege fiebat coniugium eiusdem tribus, & familiæ, *de qua*, scilicet Virgine, non dicit, de quo, *natus est IESVS*: Hæc est quartadecima generatio ab omnibus alijs differens, quia omnes aliæ ex viro fuerunt, & muliere. Hæc sola ex muliere sola, virtute Spiritus Sancti, *qui vocatur Christus*, meritò Christus est, qui à talibus venit progenitoribus. Vnctionem prophetalem primæ quatuordenæ habuit; habuit & regalem secundæ; habuit & pontificalem tertiæ. Vnde meritò Christus est, propter quod & quartam vnctionem habuit, quæ vnctiones non visibiles fuerunt, sed inuisibiles, *quia vnxit eum Deus Spiritu Sancto*. Actuum 10. vt daretur sibi plenitudo prophetiæ, Lucæ 17. Propheta *Magnus surrexit in nobis*. Item plenitudo regiæ potestatis. Luc. 1. *Regni eius non erit finis*. Item plenitudo pontificalis dignitatis. Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*. Quæ vnctiones, si plenitudinem habuerunt, non est mirùm; quia *datus est ei spiritus non ad mensuram*. Ioan. 1.

Apo. 10
Luc. 17
Luc. 1.
Psa. 109
Ioan. 1.

B. ALBINVS FLACCVS.

NOTA.

ALbinus, siue Alcuinus Cognomento Flaccus, Natione Anglus, Patria Eboracensis, Monachus primùm S. Petri Londini, & Bedæ venerabilis discipulus, Ordinis Sancti Benedicti, Congregationis Giribennæ, Fuldensis; deinde ab Imperatore Carolo Magno in Galliam fuit euocatus, vbi clarissimus, & doctissimus enutriuit discipulos, Haymonem scilicet, & Rabanum Monachos, & Episcopos, ac

Vsuar-

Vsuardum itidem Monachũ; mox prouisione ipsius Caroli Abbas Monasterij S. Martini in ciuitate Turonensi effectus, doctrina quidẽ, & sanctitate Ordini Monastico gloriam, sibique nomen æternum peperit. Cùm autem esset omnium scientiarum genere, suo tempore celebratissimus, Carolique Magni Præceptor, qui eum magistrũ suum deliciosum vocabat, ad sacrosanctæ Ecclesiæ laudem, reique litterariæ commodum, studium Parisiense, seu Academiam primus instituit. Non Sacerdos, sed Diaconus tantùm Turoni in Domino obdormiuit die decima quarta Kalendas Iunij, ad annum DCCLX. Plura, eaque doctissima scripsit, quæ impressa sunt Parisijs, Coloniæ, & Basileæ, & nouissimè correcta, & emendata per Andreã Quercetanum Turonensem Lutetiæ Parisiorũ ex Officina Niueliana, sumptibus Sebastiani Cramoisi, anno à Virgineo partu MDCXVII. In quibus Homiliam habet de Natiuitate Virginis MARIÆ satis eruditam. Iussu Caroli Magni collegit etiam, & in ordinem redegit præstantissimorum Ecclesiæ Doctorum Homilias in Euangelia, quæ per anni circulum publicè in templis leguntur. Quod opus diuersis in locis excussum est. Primò quidem cura, & diligentia Ioannis Volrici Surganth Artium, & Decretorum Doctoris Ecclesiæ Parochialis S. Theodoreti Martyris, minoris Curati Basileæ Constantiensis per Bibliopolam Nicolaum Rester in eadẽ vrbe Basileensi, anno MCCCCXCIII. in folio: Deinde Lugduni per Ioannem Clein Alemanum, anno MDXXIX. Tum Coloniæ apud Maternum Cholinum, MDLVII. Ibidemque anno MDXXXIX. & iterum anno MDLXXVI. Parisijs & alibi recognitum à R. P. Laurẽtio Surio Cartusiano, & ab innumeris mendis vindicatũ. In hoc ergo Homiliario alterã adducit Albinus noster Homiliam, siue sermonem absque auctoris nomine pro hac etiam Virginis MARIÆ festiuitate à Laurentio Cundi, & Lamberto Campester in sua homiliarum Bibliotheca adductum. Quia ergo fetum esse Alcuini constat, in hoc mari magno, & hìc collocandum duxi. De Albino Alcuino agunt Arnoldus de Vvion latissimè in ligno vitæ libr. 5. cap. 112. Quercetanus, Æginardus in uita Caroli Magni, Paulinus Aquileiensis, Sangalensis Monachus, Anonimus, qui vitam S. Alderici scripsit, & alter Anonymus in vita S. Ludgeri, Amalarius Fortunatus Episcopus Treuerensis, Lupus Abbas S. Fuerardus Comes, Rabanus, Maurus, Anastasius Bibliothecarius, Flodoardus Historicus Micrologus, Radulphus Decanus, Hermanus Contractus, Odoranus Monachus, Odilo Abbas Cluniacensis, Rogerius de Houeden, Vvillelmus Malmesburiensis, Ademarus, Honorius Augustodunensis, Sigebertus Gemblacensis, Chronicon Turonense, Hellinandus apud Vincentium Beluacensem, Canonicus Senonensis, Guillelmus Nangius, Guillermus Durandus, Magnum Chronicon Belgicum, Chronicon Augustanum, Franciscus Petrarcha, Ioannes Trithemius, Ioannes Auentinus, Auctor Chronici Chronicorum, Ioannes Maior, Hector Boetius, Polidorus Virgilius, Albertus Crantzius, Henricus Pantaleo, Georgius Lilius, Georgius Buchananus, Ioannes Baleus, Conradus Licosthenes in Gesneriana Bibliotheca, Antonius Possevinus, Aubertus Myræus, & alij.

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

HOMILIA II.

Liber generationis IESV Christi filij Dauid, filij Abraham, &c.

BEatus Matthęus Euangelista, dilectissimi non immeritò inter cætera cœlestium secretorum animalia, facie hominis describitur: quia longè ab antiquis Patribus exordium Euangelij sumens, lucidiùs cæteris genealogiam Dominicæ humanitatis prænotauit. Sed sciendum est, quia horum omnium nomina allegorici, & moralis sensus pleniter in se cõtinẽat intellectus. Abraham Pater multarum gentium, Isaac gaudium, Iacob supplantator, Iudas confessio interpretatur. Phares diuisio, Zara oriens, Esrom sagittam videns, Thamar palma dicitur. Aram electus, Aminadab populus spontaneus, Naason augur fortis, Salmon sensibilis accipitur. Booz in ipso fortitudo, Rahab lata, Obeth seruiens, Ruth festinans subauditur. Iesse incendium, Dauid manu fortis, vel desiderabilis, Salomon pacificus, Vrias lux mea Deus, Bethsabee filia iuramenti subintelligitur. Roboam latitudo populi, Abia Pater Dominus, Asa tollens, Iosaphat Dominus iudicauit exprimitur. Iorã excelsus, Ozias robustus Domini, Ioathan perfectus, Achaz apprehendens dicitur. Ezechias fortitudo Domini, Manasses obliuiosus, Amon fidelis, Iosias salus Domini interpretatur. Iechonias præparatio Domini, Salathiel petitio mea Deus, Zorobabel iste magister, Abiud Pater meus iste subauditur. Eliachim Dei resurrectio, Azor adiutus, Sadoch iustus, Achim frater meus subintelligitur. Eliud Deus meus, Eleazar Deus adiutor, Mathan donum, Iacob supplãtator exprimitur. Ioseph appositus, siue auctus, MARIA illuminatrix, siue stella maris, IESVS Saluator, Christus vnctus interpretatur.

Ezech.1

Igitur per hos Patriarchas Christus Dominus Deus noster veniens in mundum, horum omnium in se ipso allegoricè gessit officium, & in eorum interpretatione nominum nostram salutem designauit. In Abraham Pater est cunctorum credentium, *in quo*, iuxta Apostolum, *clamemus, Abba Pater*. In Isaac gaudium est omnium fidelium, de quo Angelus dixit: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*. In Iacob supplantator est, quia ipse subneruauit, & contriuit diabolum vastatorem humani generis, & vasa eius diripuit. In Iuda confessio, quia ipse dixit: *Confitebor tibi Pater, Domine cœli, & terræ*. In Phares diuisio, quia segregat oues ab hœdis, id est, bonos à malis, electos à reprobis. In Zara oriens, sicut scriptum est, *Visitauit nos Oriens ex alto*. In Thamar palma victoriæ, sicut ipse dixit: *Confidite, ego vici mundum*. In Aram electus, de quo Pater loquitur: *Ecce puer meus, quem elegi electus meus: dedi super eum spiritum meum*. In Aminadab populus spontaneus, qui sponte posuit animam suam, vt nos efficeret populum sibi spontaneum, Deoque acceptabilem. In Naason augur, id est, Propheta fortis, cùm dicit: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit, vt iudicet orbem terræm æquitate*. In Salmone sensibilis, id est, intellectualis, de quo scriptum est: *Ipse autem vt vidit cogitationes eorum*: & iterùm: *Dominus nouit cogitationes hominum: & scrutans corda & renes Deus*. In Booz fortitudo in ipso est, quia à nemine fortitudinem accepit, de quo dictum est: *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prœlio*. Et ipse in Euangelio: *Omnia traham ad me ipsum*. In Rahab latitudo potentiæ eius exprimitur, quem totus non capit orbis, & cuius regni non erit finis. In Obeth seruiens, quia non venit ministrari, sed ministrare, formam serui accipiens. In Ruth, festinans ad salutem nostram, qui festinanter vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dicens in Euangelio: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum*. In Iesse incendium agnoscitur, vt ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat*? Et sicut Ioannes dixit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*. In Dauid desiderabilis, quia speciosus erat forma præ filijs hominum. In eodem manu fortis, quando flagellum de funiculis in manu tenens, immensam vendentium, & ementium multitudinem eiecit de Templo: vel quando diabolum vicit, & calumniatorem nostrum contriuit. In Salomone pacificus, sicut ipse dixit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Et Apostolus: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*. In Bethsabee filius iuramenti, de quo dictum est: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum*. In Roboam latitudo populi est, cùm dicit Matthæi 8. *Multi ab Oriente, & Occidente venient & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno cœlorum*. In Abia Pater Dominus, qui ait Mat. 23. *Nolite vobis Patrẽ vocare in terra: vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est*. In Asa tollẽs, de quo Ioãnes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. In Iosaphat iudex, quia ipse est iudex viuorũ, & mor-

Rom.8.
Luc. 2.
Mat.11
Mat.25
Luc.1.
Ioan. 16
Isai. 42
Mat.25
Luc. 12
Psal.93
Psal.23
Ioan.12
Luc.1.
Mat.4.
Luc.12
Mat.5.
Ioan.2.
Ioan.14
Eph.2.
Ps.109
Mat.8.
Mat.23
Ioan.1.

Ioan. 5. mortuorum, sicut ipse ait: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* In Ioram excelsus, quia ipse ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia: & sicut *Ps.* 122. Psalmista dicit: *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius.* In Ozia robustus Domini, quia ipse captiuitatem humani generis in manu robusta liberauit, & in alta cœlorum deduxit. In Ioathan perfectus, sicut in Euangelio ait Matth. 3. *Nos enim decet implere omnem iustitiam.* In Achaz apprehendens, qui cœlum palmo ponderauit, & terram pugillo concluſit. In Ezechia fortitudo Domini, quia iuxta Apo- 1. *Cor.* 1 stolum. *Christus est Dei virtus, & Dei sapientia.* In Manasse obliuiosus iniquitatis, sicut scriptum est Ezechielis 18. *In quacunque die conuersus peccator fuerit ab iniquitate sua, omnium iniquitatum eius non recordabor.* In Amon fidelis, iuxta Paulum Hæbreorum 2. vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum: & iuxta Ioannem, *Qui est testis fidelis.* *Apoc.* 1. In Iosia salus Domini, quia omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. In Iechonia præparatio Domini, qui ait: *Si abiero, & præparauero vobis locum.* *Ioan.* 14 In Salathiel petitio mea Deus, qui ait Ioan. *Ioan.* 17 17. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* In Zorobabel magister peccatorum, & publicanorum, vt eos ab errore viæ suę reuocaret, & sicut ipse ait: *Nec* *Mat.* 23 *vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* In Abiud Pater meus, quia ipse est Pater, & caput omnium credentium. In Eliachim Domini resurrectio, vt ait Ioan- *Ioan.* 11 nis 11. *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me non morietur in æternum; sed ego resuscitabo eum in nouissimo die.* In Azor adiutus, vt ait Ioannis 8. *Qui me misit, mecum* *Ioan.* 8. *est, & non reliquit me solum.* Et iterum Ioan- *Ioan.* 14 nis 14. *Opera, quæ ego facio, à me ipso non facio, sed Pater, qui mecum est, ipse facit opera.* *Rom.* 3. In Sadoch iustus, sicut scriptum est Rom. 3. *Vt sit ipse iustus, iustificans eos, qui ex fide Abrahæ sunt.* In Achim frater meus, vt ait *Mat.* 12 Matth. 12. *Si quis fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est.* In Eliud Deus meus, quia ipse est Deus ex substantia Patris ante secula genitus, qui in *Mat.* 27 patibulo Crucis dixit: *Eli, Eli, hoc est, Deus meus, Deus meus.* In Eleazar Deus adiutor, *Psal.* 9. quia ipse *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & protector omnium sperantium* *Psal.* 17 *in se.* In Mathan donum, quia ipse *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*: & quia per ipsum Pater Deus omnia dona perdonauit. In Iacob, vt supra diximus supplãtator est hostis antiqui, *Psal.* 2. qui fidelibus dedit potestatem calcãdi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutẽ inimici. In Ioseph auctus, cui dedit Pater gentes inhæreditatem suam, & in possessionem suam terminos terræ. Vel augmentũ vitæ æternæ est, sicut ipse dixit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* In sancta, & perpetua Virgine MARIA, stella maris ipse est, ideſt, lux mundi, sicut ipse ait: *Ego sum lux mundi*, & Ioannes, *Erat*, inquit, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In proprio nomine IESV salutaris, vel Saluator est, Angelo exponẽte, qui ait Matth. 1. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Idem verò Christus, id est, vnctus appellatus est, quem vnxit Deus in humanitate oleo lætitiæ, id est, vnctione sancti Spiritus in Sacerdotem, & Regem sempiternum: quatenus Christianos ex suo nomine vocatos, per id quod Saluator est, à peccatis saluaret: per id quod Sacerdos est, Deo Patri reconciliater: per id quod Rex est, in Regnum sempiternum collocaret.

Ioan. 10. *Psal.* 44.

Moraliter hæ quoque interpretationes nominum ad nostram ædificationem multimodis pertinere noscuntur. Sicut Christus vbique nostræ salutis gerebat causam, ita & Patriarcharum nomina nostrum profectum designant. In Abraham, vt Patres simus multarum virtutum, & hæreditatis iure multiplicationem bonorum possideamus. In Isaac, vt gaudium habeamus in Domino, & non in hoc mundo, iuxta hoc quod ipse dixit: *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Et iuxta *Luc.* 10 Apostolum, *Gaudete in Domino semper.* In *Phil.* 4 Iacob, vt supplantatores simus vitiorum nostrorum, & carnale desiderium viuaci pede à diaboli potestate calcemus. In Iuda, vt secundùm Psalmistam, præueniamus faciem Domini in confessione, & confiteamur nomini sancto eius. In Phares, vt diuidamus nos ab impijs, & abstrahamus ab omni fratre ambulante inquietè, & non communicemus operibus eius malis. In Zara, vt Lucifer verus oriatur *Matt.* 5 in cordibus nostris, & Sol iustitiæ splendeat in nobis vbique, & vt luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est. In Efrom, vt sagittæ simus salutis Domini, vt de nobis dici possit: *Sagittæ potentis acutæ.* In Thamar, vt cum palma victoriæ pompas diaboli, & concupiscentias mundi superemus propter eum, qui dilexit nos. In Aram, vt simus genus electum, regale Sacerdotium, 1. *Pet.* 2 gens sancta, populus acquisitionis, & annuntiemus virtutes eius, qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum. In Aminadab, vt spontaneus Domini populus simus, in ædificationem corporis Christi. In Naason, vt augurijs gentium derelictis,

Ps. 119.

diuinis promiſsis fidem adhibeamus. In Salmon, vt ſenſibiles, id eſt, intellectuales veritatis Dei, & factores inueniamur: quia
Iacob.1 non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. In Booz, vt iuxta Apoſtolum,
Eph. 6. confortemur in Domino, & in potentia virtutis eius, ſuccincti lumbos noſtros in veritate, induti lorica iuſtitiæ, ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis, & gladium Spiritus, quod eſt Verbum Dei. In Rahab, vt latum mundatum Domini nimis diligenter obſeruantes, Dominum Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute diligamus, & proximum ſicut noſmetipſos amplectamur.

In Obeth, vt ſeruiamus Domino per Spititum timoris, & dilectione ſancta,
Rom.12 quatenus rationabile ſit obſequium noſtrum, & acceptabile fiat ſacrificium noſtrum. In Ruth, vt feſtinantes ingredi in illam requiem, id eſt, in cœleſtem Ieruſalem, dum tempus habemus, operemur bo-
Gal 6. *Heb.13.* num ad omnes: quia non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. In Ieſſe, vt incenſum orationum noſtrarum in ara cordis noſtri, in ſpiritu contribulato, & humiliato Domino offeramus, cum
Pſ.140 Pſalmiſta dicentes: *Dirigatur, Domine, oratio mea; ſicut incenſum in conſpectu tuo.* In Dauid, vt manu fortes contra Goliam ſpiritualem pugnantes, & exhibentes corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,
Rom.12 Deo placentem, deſiderabile templum efficiamur Spiritui Sancto. In Salomone, vt quantum ex nobis eſt; cum omnibus hominibus pacem habeamus, illud Dominicum
Mat.5. intendentes: *Beati pacifici; quoniam Filij Dei vocabuntur.*

In Bethſabee, vt iuramentum omnimodis cuſtodiamus, ne periurio incidamus in laqueum diaboli. In Vria, vt lux noſtra Deus ſit, videlicet, vt eum ſequentes, non ambulemus in tenebris mortis, ſed habeamus lumen vitæ. In Roboam, vt longè, latèque per orbem terrarum populus diſperſus, vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, & charitatis habeamus, vnum Do-
Ephe.4. minum, vnam fidem, vnum baptiſma profiteamur, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

2 Tim.1 In Abia, vt charitate fraterna inuicem diligentes, vnum Patrem habeamus, Domi-
Iacob.1 num in Cœlis, qui nos voluntariè genuit Verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, & benedictionem hæreditate poſsideamus, & gloriemur in ſpe gloriæ Filiorum Dei. In Aſa, vt tollamus membra noſtra de luto, & ſterquilinio vitio-
Rom.6. rum, ne ſeruiant immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ſed iuſtitiæ in ſanctificationem: quia non vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. In Ioſaphat, vt rectè iudicemus omni perſonæ, ſicut ſcriptum eſt: *Rectè iudicate filij hominum:* & quodcumque volumus, vt faciant nobis homines, faciamus & illis ſimiliter, ſcientes quia menſura, qua menſi fuerimus, remetietur nobis. In Ioram, vt excelſi, vel ſublimes effecti, quæ ſurſum ſunt quæramus, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper terram: quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. In Ozia, vt robuſti in Domino effecti, in omnibus perſecutionibus noſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinemus, exemplum accipiamus laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti
Iacob.5. ſunt in nomine Domini IESV. In Ioathan,
Mat.5. vt perfecti ſimus, ſicut & Pater noſter cœleſtis perfectus eſt, in omnibus nos ipſos exemplum præbentes, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum, In Achaz vt apprehendamus diſciplinam, nequando
Pſal.2. iraſcatur Dominus, & pereamus de via iuſta, quæ Chriſtus eſt, qui dixit: *Ego ſum*
Ioan.14 *via, veritas, & vita.* In Ezechia, vt fortes Domini, reſiſtamus aduerſario noſtro diabolo, qui tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret: non in noſtra virtute confidentes, ſed Domini fortitudinem cum Pſalmiſta collaudantes: *Fortitu-*
Pſ.117 *do mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* In Manaſſe, vt obliuioſi ſimus iniuriarum noſtrarum, & eis, qui contra nos agunt propter nomen Domini ignoſcamus, ne illud maledictũ incurramus, *Di-*
Mat.6. *mitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* In Ammon, vt fideles in fide radicati, & fundati, in omnibus
Ephe.6. ſumamus ſcutum fidei, in quo poſsimus omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. In Ioſia, vt ſalutem Domini, & animarum ſemper depoſcamus, ne obcæcemur in infidelitate, ne claudicemus in vijs mandatorum eius, ne ſurdi ad audiendum Verbum Dei efficiamur, ne moriamur in peccatis: ſed vt ſemper ſaluemur ab eo, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. In Iechonia, vt præparati ſimus in aduentu Domini ſecundo, vigilantes, & orantes, ne intremus in tentationem, ſed cum illis intrare ad nuptias mereamur, de quibus ipſe dicit:
Luc.12 *Beati ſunt ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* In Salathiel, quatenus petitio noſtra ad Deum ſemper dirigatur, vt gaudium noſtrum ſit plenum: non huius ſeculi mœrore permixtum, ſed infinita beatitudine ſempiternum: & hoc in nomine Saluatoris, vt impetrare poſsimus quod petimus. In Zorobabel, vt magiſtri

ſimus

simus veritatis, prohibentes magisteria, & confusiones Hæreticorum, & quæ verbis docemus, exemplis commendemus, ne de nobis dicat Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? Tu verò odisti disciplinã, & proiecisti sermones meos retrorsum.* In Abiud, vt sit nobis Deus in Patrẽ, & nos illi in filios, *habẽtes spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater. Si autẽ filij, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi.* In Eliachim, vt resurgamus à tumulis vitiorũ ad cellitudinẽ virtutũ, de terrenis ad cœlestia; de morte ad vitã, de Gaza ad Galilæam, ideſt, de infernо ad æternam transmigrationẽ: vbi Sancti *ibunt de virtute in virtutẽ, donec videbitur Deus Deorum in Syon.* In Azor, vt adiuti diuina gratia, cuncta nobis aduersantia patienter supportemus, & Dominũ adiutorẽ nostrũ cum Psalmista collaudemus dicẽtes; *Dominus adiutor, & protector meus, & in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.* In Sadoch, vt iusti appareamus ante Deũ, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela, vt cum iustis mereamur audire vocẽ dicẽtis: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnũ, quod vobis paratũ est à constitutione mũdi.* In Ioachim, vt fratres IESV Christi mereamur appellari, nõ per cognationẽ carnis, sed per vnctionem Spiritus Sancti, quẽ effudit in nos abundẽ: vt facientes voluntatẽ ipsius, sobriè, & iustè, & piè viuendo in hoc seculo, ad Patrem suũ, & Patrem nostrum, & Deum suum, & Deũ nostrũ ascendere possimus in futuro. In Eliud, vt nullũ habeamus Deũ, nisi Dominũ IESVM Christũ, cui omne genu flectitur, & omnis lingua cõfitetur, & vt ipsi soli sacrificiũ laudis immolemus, & vota nostra reddamus, ipsũque solum adoremus, quẽ oportet adorari in spiritu & veritate. In Eleazar, vt nullũ quæramus adiutorẽ, nisi Dominũ IESVM Christum, qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, & intelligimus: & vt quodcũque facimus in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini faciamus, dicentes cum Propheta: *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.* In Mathan, vt donum supernæ gratiæ, spiritum, scilicet sapientiæ, & intellectus, spiritũ consilij, & fortitudinis, spiritum scientiæ, & pietatis, spiritũque timoris Domini retinentes, discretionem habeamus inter bonum, & malum, quæ est mater omnium virtutum. In Iacob, vt supplantemus à nobis zizania vitiorum, & plantemus in nobis aromata virtutum: vt sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans, & quasi myrrha electa odorem demus, & plantati in domo Domini, floreamus in æternam ante Dominum. In Ioseph, vt de die in diem virtuti virtutem, sanctificationi sanctificationem apponentes, merito & numero augeamur, & in eo crescamus in salutem: & vt per scalam in cœlum erectam quotidie de gradu in gradum ascendamus, donec spiritaliter formetur Christus in nobis.

Psa. 49

Rom. 1.

Psal. 83

Psal. 27

Mat. 25

Phil. 2.

Ioan. 4.

Eph. 3.

Colos. 3.

Ps. 123.

Isa. 11.

In sancta, & perpetua Virgine MARIA, quæ stella maris, vel illuminatrix interpretatur, vt illuminatores mundi, id est Doctores sanctæ Ecclesiæ, simul & in cordibus credentium lumen fidei, & amorem Christi per doctrinam veritatis, & exempla sanctitatis oriri faciamus, & Deo habitaculum præparemus In IESV Domino nostro, vt Saluatores animarum nostrarum esse valeamus, manifestè declaratur Quisquis enim in fide, spe & charitate, vigilijs, ieiunijs, & orationibus, castitate, sobrietate, eleemosynarum largitione, dilectioneque Dei, & proximi vsque in finem perseuerauerit, & conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum. In Christo autem, vt ita Christiani simus, quatenus sicut ille ambulauit, & nos ambulemus: & sicut ille pro nobis animam suam posuit, ita & nos pro fratribus nostris animas ponamus: & sicut ipse horum nominum interpretationes in se naturaliter gerebat, ita & nos in omni actiua, & contemplatiua vita, vt dictum est, spiritualiter recolamus. Ad hoc enim Christus passus est, nobis exemplum relinquens, vt sequamur vestigia eius, & abnegemus nosmetipsos, & tollamus Crucem nostram, & sequamur eum, perducentem nos ad gloriam sempiternam, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Deus diligentibus se. Ipsi honor, laus, & imperium per infinita secula seculorum, Amen.

1. Pet. 2

1. Cor. 2

IN NATIVITATE B. MARIÆ Virginis Sermo.

Creatoris Matrem omnis creatura magnificet, eius glorioſæ maiestati se inclinent Cœlum, & terra, & omnis plenitudo eorum. Exaltent matrem in Ecclesia filij, dicantque ei qui redempti sunt à Domino: Mentem, & oculos pariter cum manibus ad te Regina mundi attollimus, & coram tuæ celsitudinis gloria genu flectimus, ceruicem inclinamus, ac plenas suspirijs ad te preces in Cœlum transmittimus.

Tu de Altitudine cœli beatos oculos tuos, quibus inconprehensibilẽ illã gloriam lucis æternæ cum desiderio semper intueris, ad tuos supplices in hãc mũdi sentinam de alto proiectos, inclinare non dẽspicias. Ecce corã tremẽdo Iudice peccatores asistimus, cuius manus terribilis gladiũ iræ suæ vibrat super nos. Et quis auertere audeat? Nemo Domina tã

idoneus, vt gladio Domini manũ pro nobis A
obijciat, vt tu Dei amãtissima, per quã primùm in terris suscepimus misericordiam de manu Domini Dei nostri. Aperi itaq; tu mater clementiæ benignissimi cordis tui ianuã suspiriosis precatibus filiorum Adam, qui ex omnibus finibus terræ ad tuæ protectionis vmbraculum confugimus à facie formidinis Domini. Ad te Domina stillant oculi nostri, teque cum deuotionis clamore valido obsecramus, vt filij tui iram, quã grauiter peccando succendimus, erga nos mitiges, eiusque
Isai. 51. gratiam à qua ingrati excidimus, nobis tua
Psal. 37 prece cõcilies. Eius liuore sanati sumus, eius iterum medelã deposcimus, quia putruerũt & corruptę sunt cicatrices nostræ, & non est B
in nobis sanitas. Attende Domina, & vide dolores vulnerũ animæ nostræ, quia tibi reuelauimus causam nostram cum fiducia. Te enim inæstimabilis benignitatis fœminã, & reuerà matrem misericordiæ esse cognouimus, ex eo quòd tu, quæ mundum hunc immundũ & lubricum impolluto calle transisti, & adhuc inter peccatores degẽs, tãta ante Deum sanctitate claruisti, vt sola solio æterni Regis approximare merueris: tamen peccatorem quantũlibet fœtidum non horres, non despicis, si ad te suspirauerit, tuumque interuentũ pœnitenti corde flagitauerit. Tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen aspiras, ac toti mundo despectũ C
materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum recõcilies. Famosum huius tuæ benignitatis testimonium est per te restauratus gratiæ Theophilus. Nec mirum, ò Domina, si tam copioso misericordiæ oleo tui cordis perfusum est sanctuariũ, cùm illud inestimabile opus misericordiæ, quod prædestinauit Deus ante secula in redemptionem nostram, primùm in te à mundi artifice fabricatum sit. Quando enim complacuit gratiæ supernæ, vt habitaret in nobis à quibus dissolongata fuerat: tu sola digna inuenta es, vt in tua virginali aula Rex Regum, & Dominus dominantium à
regalibus sedibus veniens, primã sibi mansio D
nem inter filios hominum eligeret. Verè beneplacitum erat Deo habitare in te, quando
Pro. 9. ex ipsa illibatę carnis tuæ substãtia, quasi de lignis Libani ineffabili architectura domum sibi ædificauit Dei sapientia. Suffulsit eã septem columnis argẽteis, reclinatorium aureũ
Eccl. 24 in ea collocauit. Hi sunt septẽ spiritus Dei, & hæc est vnica illa, in qua sola quæsitam in omnibus requiẽ inuenit, atque in eius sinũ omnes thesauros suos absque mensura trãsfudit. Benè in te Spiritui Sancto complacuit, ò
Heb. 12 MARIA, cùm ad tam diuina mysteria vterũ tuum consecrare dignatus est. Ipse est enim ignis cõsumens, qui sanctissimam animã tuã in seipso inflammauit, ac splendore diuinæ maiestatis implẽuit, tuãque vterũ ineffabili

modo impręgnauit, fecitque, vt Deum, & hominẽ clausa cõciperes, clausa pareres, & post partũ Virgo permaneres. Iã ergo vterũ tuũ Domina velut sacratissimum Dei viui templũ totus mundus veneratur, quia in eo salus mũdi initiata est. Ibi decorẽ indutus est Dei *Psal.* 92
filius, ac præelectæ sponsę suæ Ecclesiæ formosus in stola candida exultanter occurrit, desideratum diũ osculum porrexit, ac præordinatas à seculo nuptias Virgo cum Virgine in Virgine prælibauit. Ibi primùm ruptus est paries inimicitiarum, quem inter cœlum, & terram protoplastorum inobedientia con- *Psal.* 84
struxerat. Ibi confœderata sunt terrenis cœlestia, & obuiauerũt sibi in osculo pacis misericordia, & veritas, quando in vnam eandemque personam concurrerunt diuinitas, & humanitas, factumque est nouum illud super terram, vt esset Deus homo, & homo Deus. Ibi magnus Eliseus in mensuram
4 Re. 4. suscitãdi pueruli sese cõtraxit. Ibi antiquus
Gen. 37 dierum Patriarcha præelecto filio suo tunicã induit polymitam. Ibi Rebecca futurorum pręscia, magnificandi filij manibus pelliculas hœdorum circundedit, & colli nuda protexit. Ibi enim cooperãte gratia Spiritus Sãcti, Filius à Deo Patre hæreditandus in om- *Gen.* 27
nibus gentibus, diuinæ maiestatis potentiam *Psal.* 81
similitudine carnis peccati cooperuit, qua absconditus est vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Ibi alti consilij prouidentia ine- *Isai.* 53.
scatus est hamus, qui ad extrahendum serpentem antiquum in hoc mare magnum de cœlo *Iob* 40.
traiectus est. Inde egressa est armilla aurea, vnde perforaretur maxilla Leuiathã, vt euo- *Ibidem.*
meret mortuos nõ suos, quos ab origine mũdi securè deglutiuerat. Hortus deliciarum nobis est tuus sacratissimus vterus, ò MARIA, quia ex eo multiplices gaudij flores colligimus, quoties mente recolimus, quàm magna multitudo dulcedinis vniuerso orbi inde profluxerit. Hortus conclusus tu es sanc- *Cant.* 4.
ta Dei genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introiuit. Tu sanctorum areola aromatum à cœlesti cõsita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernans: inter quorum pulcherrimos trium in te miramur excellentiam. Hi sunt, quorum odore suauissimo totam domum Dei reples, ò MARIA, viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Meritò de tali areola flos ille speciosus forma præ floribus paradisi egressus est, super quẽ requieuit spiritus Domini. Et cui te assimilabimus, ò Mater pulchritudinis? *Isai.* 11.
Verè paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ *Ioan.* 6.
mundo protulisti, de quo qui manducauerit, viuet in æternum. Fons vitæ, qui ex ore altissimi prodijt, de medio ventris tui exiliuit, atq; inde in quatuor capita sese dispertiens, ad irrigandã faciẽ terrentis mundi emanauit, lætificans ciuitatẽ Dei. Omnis enim

qui

qui biberit ex eo, non sitiet in æternum. Ecce
Ioan.4. plusquã paradisus hic. De illius enim aqua si quis biberet, sitiet iterum. O quantũ mundo cõtulisti, quæ tam salubris aquæ, aquæductus esse meruisti! O lãpas luculentissima, quãtos lętificasti, quando splendore glorię Dei illustrata, desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma decima, sedentibus in tenebris, & vmbra mortis protulisti! Te nimirùm ille diuini epithalamij pręcẽtor à longè intuitus est, cùm in admirationis vocem ita prorupit
Cant.6. dicens: Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora cõsurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Sicut aurora valdè rutilãs in mũdũ progressa es, ò MARIA, quando veri Solis splendorẽ, tantę sanctitatis iubar pręcurristi, vt verè diem salutis, diem propiciationis, diem, quã fecit Dominus, à tua claritate initiari dignũ fuerit. Felix aurora, felicis diei nũcia extitisti. Talẽ auroram talis dies, & talẽ diẽ talis aurora decuit. Et rectè quidẽ auroręimplesti officiũ. Ipse enim Sol iustitię de te processurus ortũ suum quadã matutina irradiatione pręueniẽs, in te lucis suę radios copiosè trãsfudit, quibus potestates tenebrarũ, quas Eua induxerat, in fugam cõuertisti, atque ita desideratũ cũctis gẽtibus solẽ mũdo inuexisti. Tu pulchra vt Luna diceris, eique nõ immeritò cõpararis. Illa enim astrorũ omniũ sola Soli simillima, & candore venusta argenteo, cæteris in cœlo præmicat sideribus. Tu veri solis imago expressissima, inter millia astrorũ Deo assistentiũ, virginali puritate in cœlis glorioſa pręfulges. Illa transfuso in se solari lumine noctem illuminat: tu virtutũ à Deo tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationẽ tui nos prouocas, sicque nostram noctẽ illuminas. Qui enim vias tuas insectatus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed lumen
Cant.4. vitæ inueniet. Tu ergo pulchra es vt Luna, immò & pulchrior Luna: quia tota pulchra es, & macula non est in te, neque vicissitudinis obũbratio. Tu electa vt Sol, ille, inquam Sol Solis cõditor. Ille enim electus ex millibus virorũ, tu electa ex millibus fœminarũ.
Cant.5. Ille electus ex omnibus, quæ per illũ sunt: tu terribilis vt castrorum acies ordinata. Quid enim? An nõ horruerũt principes tenebrarũ quãdo viderunt præter morẽ instructã omni armatura fortiũ contra se procedere fœminã? Fœminã fortem, & ad bella doctissimã, cuius ensis super femur suum propter timores nocturnos: & in circuitu eius acies valida spiritualium virtutum, suo se inuicẽ ordine
Ps. 118 tuentium: siquidem ordinatione perseuerat dies. Sed & innumerabilẽ beatorũ spirituũ militiã, ad ministeriũtãti principis delegatã nullatenus ambigimus, vtpotè qui custodirẽt lectulũ Salomonis gratissimũ, ac prouiderẽt, ne præparatũ æterno Regi hospitiũ, A alienus hospes inuaderet. Nimirũ timor, & tremor venerunt super eos, ita vt dicerent: Ecce plusquàm Eua hic. Castra Dei sunt hęc. *Gen.* 32
Fugiamus Israelem. Tu ergo bellatrix egregia, primò eũ, qui primus Euam supplãtauit expugnare viriliter agressa es. Tu enim spiritũ elationis ea virtute humilitatis * cõplosisti, quã in te respexit Dominus, vt ipsius merito supra omnes choros Angelorũ te sublimari dignã ęstimauerit. Nunquã enim supra omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi priùs infrà omnes homines humiliata descẽdisses. Tu & ardorẽ vetitæ cõcupiscẽtiæ virtute castitatis in tua virginea carne eatenùs extinxisti, vt is, in cuius cõspectu & astra im- *Iob* 25.
B mũda sunt, tãtæ mũdiciæ carnẽ tuã iudicauerit, vt etiã diuinę puritati eã agglutinare nõ despexerit. His ergo primarijs ducibus tenebrarũ à te fortiter expugnatis, omnis ante faciẽ tuã militia spiritualiũ nequitiarũ in fugã conuersa est. Glorioſa dicta sunt de te genitrix Dei, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim sunt loquelæ, neque sermones in omni natione, quę sub cœlo est, quibus amplitudo gloriętuæ ad plenũ valeat explicari. O magna, ò pia, ò multũ amabilis MARIA! Tu ne nominari quidẽ potes, quin accẽdas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentiũ te. Tu nunquã sine dulcedine diuinitùs tibi
C insita pię memorię portas ingrederis. Et nũc sequimur te, ò Domina, ex totis præcordijs vociferantes ad te: Adiuua imbecillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Euæ parentis nostræ hæc est, quã olim ad nos trãsmisit, ac superuestiuit carnẽ filiorũ suorum, sicut diploide, cõfusione sua. De manu quippe illius duplicis mali seminium terra nostra susceptit, & concepit, & peperit nobis spinas, & tribulos iniquitatis in anima, calamitates in corpore, & per hanc mortem vtrobique. O infelix hæreditas, ò dira humanæ carnis infirmitas, vsquequò patiemur te? Multum dorsa nostra incuruasti, quia grauis es valdè, & diù te portauimus:
D multũ nos minuisti ab Angelis, quos iumẽtis *Psa.* 48
insipiẽtibus cõparasti. Nimis inualuisti, quæ nõ nisi morte Filij Dei sanari potuisti. Nimis supra nos te extulisti, quãdo & vsque ad eum qui super omnia est, incautè ascẽdisti. Et quis nos liberabit à corruptela miserrimæ huius pelliculæ? Gratia Saluatoris nostri Filij tui, ò MARIA: qui vt infirma nostra tolleret, spontè infirmatus est, & vt mors *Ose.* 13.
mortis nostræ ipse fieret, innocens pro peccatoribus mortuus est. Et quis tam idoneus, vt pro nobis loquatur ad cor Domini nostri IESV Christi, sicut tu felix MARIA, quæ in secretissimis amplexibus amantissimi Filij tui suauiter cubas in mẽ-

ridie sẽpiterno, eiusq; familiarissimo colloquio cũ plena cordis lętitia perfrueris? Loquere Domina, quia audit filius tuus. Inuoca bonũ nomen eius super nos, vt curemur à lepra carnis, & spiritus. Exuge virus hoc mortiferum, quod de pomi sui reliquijs Eua nobis propinauit. Vtinam poculũ suum ebria illa aut totum ebibisset, aut totũ effudisset. *Isai. 10* Te exorante omne iugum nostrum comput*Psa. 102* trescat à facie olei misericordię Dei. Renouetur, vt aquilæ iuuentus nostra, vt noui, noua voce, nouũ canticũ, nouis ciuibus aggregati A illic, vbi noua sunt omnia, iubilęum sempiternum celebrantes, in cimbalis iubilationis concinamus. Tollatur crassa hæc nebula ab oculis nostris, vt reuelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus diuini luminis absorbeamur à Domini spiritu, ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti, vnus cum ipso spiritus efficiamur. Præstet hoc nobis, ò MARIA, Filius tuus Dominus noster IESVS Christus, cui laus, & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula, Amen.

D. D. ALPHONSVS TOSTATVS.

NOTA.

INter illa magna, ingentia, admiratione digna, pœnè infinita, & prorsus diuina, scripta, opera, & volumina, quæ litterarum Atlas, mũdi stupor, sæculorum miraculum, Alphonsus Tostatus, Natione Hispanus, Patria Madrigalensis, Salmanticensis Doctor, & tandem Episcopus Abulensis (cuius panegyricas laudes ipsum super sidera extollentes superuacaneum esset recensere,) elaborauit, ac typis excussa extant, vnum Ænigmatum, siue Paradoxorum opusculum, quod Deiparæ Virginis MARIÆ, ac Christi Seruatoris nostri mysteria, & laudes pia curiositate redundantia, & arcana elogia continet, iussu Serenissimæ Castellæ Reginæ Mariæ scripsit, quæ ab ipso tanquã ab illius seculi, Regnique sui Oraculo, hæc voluit Ænigmata declarari, atque vt reuelata diuinitus tunc ipsi pijssimæ Reginæ fuerunt præsentata. Sunt autem prædicta Paradoxa quinque; quorum primum, quod solum ad Sacratissimam MARIAM, Deiparam pertinet, tale est, Fuit vas clausum, & non clausum; paruum, & non paruum; luminosum, & non luminosum; vacuum, & non vacuum; insuper mundum, & non mundum. *Quatuor autem sequentes ad Christum Dominum, cœli, terræque Dominum spectant: meritò ergo à nostro Tostato Paradoxa vocata sunt, id est, inopinatæ, mirabilesque sententiæ; quia, cùm verissimæ sint, cum falsitate maximam habere videntur affinitatem, & apertas in cortice verborum contradictiones ostendunt; cùm tamẽ in sensu ipso omnium antithesum, & oppositionum sit inconcussa, & vnisona consonantia. Hæc ergo Paradoxa, seu parabolas sacras Abulensis noster latissimè quidem enucleauit, sed diuagante in ipsas calamo, & rapidissima sui ingenij affluentia id effecit, vt styli prolixitate, quæstionum diuersitate, ac materiarum difficultate tam implicatum, circumactum, atque inextricabile sit principale assumptum, vt iam difficilius sit verba ad scopi sensum pertinentia eruere, quàm Sibyllæ folia colligere, prorsusque inexcusti, & infiniti sit negotij problemata illa euoluere, quid legere? quid studere? Qua propter R. P. Fr. Leander à Sancto Mar-*

Martino Benedictinus Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor Regius linguæ sanctæ Duaci, & Congregationis Anglicanæ Præses vndequaque Doctissimus (vt vltima testatur ab ipso emendata, & correcta Glossa ordinaria, opus quidē a N. F. Frāciſco Fauuerdentio Franciſcano inceptum, ſed ab ipſo ad vltimum perductum apicem.) prædicta quinque Toſtati paradoxa, mirabili fœlicitate in compendium redegit, contraxitque ea in breuiorem epitomen, ſenſum tamen (verba ſunt Leandri in præfatione) verbaque Authoris (quantumcunque compendij natura pateretur) ſequutus; & Typis mandauit Duaci in Typographia Baltaſſaris Beleri, anno M. DC. XXI. in 8. ſub hoc titulo: Ocium Theologicum tripartitum. Quas ideò in epitomen contraximus, proſequitur idem Leander, quia nec quiuis lector poteſt vaſta Authoris volumina, inter quæ hoc opuſculum cōtinetur, emere nec cuiuis vacat, ea, quæ ab ipſo ſcripta ſūt, amplitudine ipſa euoluere. Ego verò his addo, quòd ideò in hac noſtra Virginali Bibliotheca, & Mari Magno Mariano prædictum Deiparæ Matris colloco ænigma, vt in hoc vaſe mirabili vno ore totum bibas Toſtati ingenium, Leandri laborem, & Deiparæ MARIÆ dulcedinem, & prærogatiuas.

PARADOXON PRIMVM

MARIA VAS MIRABILE.

FVIT VAS CLAVSVM, ET NON CLAVSVM; PARVVM, ET non paruum; luminoſum, & non luminoſum; vacuum, & non vacuum; inſuper mundum, & non mundum.

CAPVT PRIMVM.

Quomodo B. Virgo fuit vas clauſum, reſpectu Chriſti, quem in ſe continuit.

METaphoricæ loquutiones omnes illis debent perſonis, & rebus accomodarj, quibus per omnia adamuſsim reſpondent, ſecundùm rationem ſimilitudinis, aut proportionis, ex qua tranſumptio, ſeu metaphora ducitur: Vnde quamuis aliquæ partes huius ænigmatis poſsint alijs rebus, aut perſonis adaptari; quia tamen omnes ſimul ſoli Virgini Dominæ noſtræ conueniunt, de ea duntaxat debet à nobis exponi. Recipit autem in eo Domina noſtra Vaſis appellationem, per metaphoricam, quam habet cum vaſe ſimilitudinem. Hæc eſt enim virtus metaphoræ, vt de re aliqua ſermonem inſtituentes, non eam ſuo nomine, aut natiuis proprietatibus vocemus; ſed extraneæ rei nomen proprietateſque ei affigamus; non prout indifferenter libuerit, nec cuiuſcunque rei nomen, quaſcunque proprietates vſurpantes; ſed illius tantùm rei nomen aſſumentes, quæ aliquam conditionem valde conformem rei, quam nominare cupimus, ſortita eſt. Propterea dixit Ariſtoteles in libris Phyſicorum. Omnes transferentes ſecundùm aliquam ſimilitudinem transferunt: quaſi ſi hominem, leonem appellemus, aut porcum; aſsignare oportet

A aliquam conuenientiam proprietatum inter hominem, & leonem, ſeu porcum.

Cùm ergo Dominam noſtram vaſis nomine hic appellamus, oportet ei conformem vaſi conditionem aliquam aſsignare, propter quam vas appelletur. Vas autem eſt ens artefactum (non natura ſubſiſtens, aut productionis ſuæ primordia habens naturalia) ad aliquid continēdum fabricatum; hic eſt enim finis, ad quem fit ab artifice, & hoc eſt opus eius, nempè, continere. Siquidem igitur me-

B taphorica tranſumptione Dominam noſtrā Vas appellauimus; propter conditionem aliquid continendi, hoc illi nomen attribuimus. Qua in re, ſicut in ſeipſa, multa continebat excellentia naturæ dona, & gratiæ chariſmata: ita multis de titulis Vas appellari potuit; Vas Virginitatis, Vas omnis puritatis, Vas omnium virtutum contentiuum: quippè in qua tam Theologicæ,

C quàm morales virtutes abundantiùs floruere, quàm in cæteris creaturis, vt de ea meritò dicat S. Hieronymus: *Cæteris per partes, in MARIA autem tota plenitudo gratiæ ſe diffudit.* Sed quod ad noſtri ænigmatis attinet allegoriam, maximè propriè Vas dicitur; quia in ſe noſtrum continuit Redemptorem: ſic enim omnes aliæ particulæ mirabili conſonantia huic Vaſi poſſunt coaptari.

§. 1. *Quo-*

§. 1. *Quomodo MARIA Virgo continuit in se Redemptorem realiter, & quantumfuerit Christi corpusculum in vtero virginali?*

Duobus autem modis est MARIA *Vas mirabile*, continens Redemptorem, quia nempe *realiter* eum gestauit in ventre, & *conceptibiliter* eum continuit in mente.

Continuit eum in benedicto vtero suo *realiter*; quia mox vt illa Gabrielis Archangeli dictis assensum præbuit, secunda indiuiduæ, sempiternæque Trinitatis persona, Filius Dei Patris (qui tunc in vtero Virginis eius; & ab æterno cum Patre, & Spiritu Sancto in omni loco erat, sicut & adhuc est) nouiter carnem assumpsit de purissimis Virginis sanguinibus, non commixtis alieno alicui sanguini facto ex virili semine, sicut in alijs conceptionibus fieri necessariò consueuit; & organizauit carnem illam cõuenienti harmoniã, & proportione corporis viuentis, vt posset animam recipere; quæ omnia in instanti temporis fuere peracta, non in mensura temporis, aut parte aliqua temporis: quoniam ad actiones, quæ procedunt ab infinita Dei potentia, non est necessaria temporis successio, vel commensurario, quæ agentibus limitatam, finitamque virtutem habentibus conuenit. Et in hoc ipso organizationis instanti noua quædam fuit anima creata, quæ nullum priùs esse præhabuerat, & sine mora illi corpori, secundęque personæ Trinitatis hypostaticè fuit vnita, siue ad vnitatem suppositi coniuncta, præbuitque esse, vegetationem, & motum omnem, actumque vitalem, quẽ omnes aliæ animæ corporibus, quibus vniuntur naturaliter, solent præstare.

Fuit autem Dominicum corpus sub valde parua quantitate formatum in hac organizatione, quæ fuit in ipso instanti incarnationis perfecta, ita vt nullum vnquã corpus humanum fuerit in aliqua regione tam paruæ quãtitatis, quando primò fuit perfectè organizatum. Et tamen in ipso exitu in lucem de benedicto Virginis vtero egrediens post expletos nouem menses, tantæ fuit quantitatis, quantæ alia hominum corpora, qui tunc in commensurata parentibus quantitate nascebantur.

Primum patet. Quia non fuit corpus Domini organizatũ eo tempore, & modo, quo reliqua hominum corpora. Corpus enim humanum non recipit organicam figuram illico vt virile semen in vtero recipitur, & in matrice cum muliebri menstruo commiscetur (fœmina enim in generatione menstruum sanguinem administrat, sicut vir semen propinat;) Sed priùs per aliquot dies facta hac commixtione seminũ, & sanguinum, sub colore, & figura seminum manent, donec factis paulisper multis transformationibus per virtutem formatiuam decisam in semine virili, & adiutam cœlestibus influentijs, massa illa condensatur, & in sanguinis substantiam, coloremque vertitur. Sub hac substantia, & colore pauculos dies manens, continuatis iden tidem alterationibus naturalibus, in carnis tenerrimæ substantiam prouehitur; postea verò in neruos etiam, & musculos solidiores dispescitur, & deinde in cartilagines, quæ sunt mediæ naturæ inter carnẽ, & ossa: & tãdem de durioribus massæ partibus ossa procreantur; & sic non nisi per multorum dierum curricula, succedentibus sibi inuicem varijs transmutationibus naturalibus, corpus organicè figuratur.

Cæterum durantibus istis alterationum pugnis, seminalis illa massa, quæ est harum transmutationum substantia, continuè augmentatur per intus susceptionem, (more aliarum augmentationum) donec tantæ quantitatis existat, sub quãta de vtero materno prodit in mundũ; ita vt sicut infantiũ recens natorum corpora per alimentum continuatum introceptum augentur, donec integram atti gerint corpulentiam, aptam practicis vitæ actionibus: sic in vtero matrum tenella illa corpuscula augentur, & dilatant augentia materna viscera, donec illam nacta fuerint amplitudinem, sub qua debeant nasci. Neque enim mulier mox, vt cõceperit, habet aluum vltra solitum tumescentem; quia semen susceptum in matrice nõ est tantæ quantitatis, vt notabilem tumorem eleuet apparenter: ideòque nec tantùm in tumorem fœmineus surgit vterus prima die, qua suscepto semine concipit, atque ea die, qua paritura est, exurgit; sed paulatim succedentibus diebus erigitur aluus in tumorem, donec tandem celari non possit; quod minimè eueniret, nisi corpusculum illud, & ante organizationem, & post ipsam, continua dietim susciperet incrementa; Quare necessariò tempore ipso præciso conceptionis modica valde massa est ex virili semine, fœmineoque commixta: multò scilicet minor, quàm posteà iam organis instructa, cum semen dese fluidum, & liquidum ad solidationem membrorum condensari debeat; ac proinde necessario priùs per augmentationum vices augeri; aliàs esset minùs corpus organizatum, quàm massa omnibus illis mutationibus subsans; quòd experientia tumescentis alui falsum esse conuincitur.

At in sacratissimo corpore Saluatoris formando, non sunt factæ istæ transmutationes organizationi pręuiæ: Sed in eo ipso instanti, quo Virgo benedicta Archangeli legationi consensit, assumpta fuit de purissimis eius sanguinibus quædam portio sancta, de qua formatum fuit in instanti corpus nostri Redemp-

dẽptoris: quæ sanguinis Virginei portio tanta creditur fuisse, quantã aliæ fœminæ solent administrare, quando in conceptione sanguis menstruus ipsarum virili semini permiscetur. Cùm igitur de illo dũtaxat sanguine formaretur corpus Redemptoris, non poterat in instanti formationis esse tantæ corpulentiæ, quantæ sunt reliqua corpora humana, cùm secundùm modum consuetum perfectam attingunt organizationem: Ad hoc enim multò plus sanguinis de benedicta Virgine debuit assumi, quàm fuerit ipsa corporis Christi perfectè organizati quantitas; quandoquidem sanguis raræ substantiæ est, & porosæ, pauxillum habens densitatis: ac proinde, vt ex sanguine densum, solidumque corpus compingeretur, necesse fuit multum sanguinis ad paruum corpus pangendum assumi. Ad tantæ igitur corpulentiæ corpus, quantæ sunt corpora hominum statim antequam pariantur, non sufficeret totus sanguis in venis Virginalibus Matris Dei, fuissetque propterea corpus Virginis in ipsa conceptione sanguine priuatum, omnique vegetatione, & animali motu, ac operatione destitutum: impossibile est enim, vitam sine sanguine remanere, cum *anima omnis carnis in sanguine sit*. Leuit. 17. Deuteron. 12. Et adhuc illa euacuatio venarum frustra fieret, cùm totus sanguis in vnum conueniens locum, ad prædictæ quantitatis corpus formandum nullatenus sufficeret.

Leu. 17 *Deu.* 12

Neque verò Deus, ad formandum tantæ magnitudinis corpus, quantæ erat Saluatoris corpus tunc, cum, ipsum Virgo peperit, miraculo potentiæ suæ multiplicauit illam sanguinis assumpti portiunculam, ad tantam mensuram, in qua prædictæ corpulentiæ par esset; Sicut in primaria rerum origine, cùm fœminam de dormientis viri latere ædificasset, costam cum carne de viro desumptam multiplicauit, vt inde tam iustæ magnitudinis corpus fieret, quantæ fuit Eua mater generis nostri; aut sicut Redemptor de quinque panibus, & duobus piscibus mirabiliter multiplicatis ita satiauit quinque millia hominum, absque mulieribus, & paruulis, vt superfuerint etiam duodecim cophini fragmẽtorum: Non inquam huiusmodi aliquid hìc interuenire opus fuit; Nunquam enim operatur aliquid Deus miraculosè, si illud idem æquè benè, ac decenter sine miraculo, sola naturali actione confici poterit; neque enim potestatem suam frustrà ostentat Deus: & peccatum est (ait Phil. 8. Topic.) per plura facere, quòd potest fieri per pauciora.

Quapropter dicimus, corpus nostri Redemptoris fuisse in instanti formatum ex alia qua parte sanguinis menstrualis existentis in loco matricis, vbi solet conceptio celebrari: & sicut sanguis ille fuit paruæ quantitatis, & minor longè, quàm materia conceptus in alijs fœminis (quoniam hìc virile semen nullum inter uenit) ita corpus inde ortum, & in instanti ortus perfectè organizatum, fuit etiam paruæ quantitatis, & minus quolibet alio corpore humano, statum perfectæ organizationis attingente; Quia nimirum alia corpora naturali ordine organizata non hoc statim ac conceptio facta est, cõsequuntur, sed multis, per multorum dierum circuitus factis transmutationibus circa materiam seminalem. Quare & paulatim dilatant aluum maternam, ucut ipsa paulatim augmẽtis minutis crescunt; quod etiam passa est B. Virgo; vt nempe corpus illud paruulum in ipso conceptionis instanti perfectè organicum, tamen paulatim corpulentiæ accedentibus mora naturali ex alimento incrementis, Virgineum etiam in tumorem erigeret vterum, sine fastidijs tamen, quæ reliquæ vterum gestantes fœminæ experiuntur.

Quando autem de materni vteri hospitio inundissimo exiuit Redẽptor in lucem, iam tantæ erat quantitatis, quantæ aliorum infantium communiter nascentium corpora, pro parentum mensura, & statura, solebant esse. Fuit quidem tunc corporis humani statura proceritatis maioris, quàm nunc cõmuniter videntur: cùm à tempore nati Redemptoris tot iam sæcula effluxerint, & continuè varietur quantitas staturæ corporum humanorum à maiori ad minorem mensurã, secundùm causarum naturalium confluxum. Corpus autem benedictum nostri Redemptoris fuit quantitatis nostræ mole commensuratissimum; nec ad gigantæam eleuatum immanitatem; nec ad tantillam perpusillorum hominùm breuitatem depressum, sed decenti erat proceritate, commensurationi, & symmetriæ optimæ, hoc est, mediocri illius temporis, quo natus est, conueniente. Et quia infantilium corpusculorũ quantitas correspondet iuxta analogiam staturæ virilis, perfectæque magnitudinis: & corpora virorum tũc temporis (vt diximus) erant proceriora, quã nunc existunt: etiam infantium recens nascentium corpora erant tunc, quàm nunc, maiora. Et quia Christus non assumpsit deformem, & indebitam in magnitudine, aut paruitate corpulentiam, ne monstrum esset; sed commensuratam communi illius ætatis cursui: fit, vt sanctum corpus nostri IESV paulò maius fuerit corporibus nunc nascentium paruulorum.

Hinc aptissimè B. Virgo *Vas* appellatur, quia in sacratissimo vtero suo nouem mensibus nostrum continuit Redemptorem, à die, qua de purissimis eius sanguinibus corpus illud extitit formatum, vsque ad diem, qua de eodem in lucem hanc communem mirabiliter ipsum enixa est.

§. 2. *Quo-*

§. 2. *Quomodo B. Virgo Christum spiritualiter continuerit.*

Alter modus, quo Virgo sanctissima Christum Redemptorem nostrum in se continuit, fuit *mentalis* per fidem, & consensum, quem præbuit verbis altissimæ legationis, quam Archangelus Gabriel à diuina maiestate missus, proposuit; firmiter sibi persuadens, hoc, Deo operante, sine vlla difficultate perfici posse: licèt virginem concipere, naturalis potentiæ terminos, operationemque transcendere liquidò cognouerit. Consensit itaque summa fide, plenaque obedientia, vt manens Virgo, fieret Mater Dei, omni propterea laude dignissima; captiuare enim intellectum in obsequium Christi, credendo verbis à Deo, & interprete eius propositis, plurimùm apud Deum meretur, vt latè deducit Apostolus cap. 11. epistolæ ad Hebræos, vbi merita fidei describit.

Continuit autem fide Christum perfectissimè, explicitè omnia, quæ ad fidem Saluatoris pertinēt, assequuta: perfectiùs enim, & explicatiùs cognouit omnia, quæ ex fide obligamur de Christo credere, firmiùsque eis assensit, quàm cæteri mortales omnes. Ideò instante passionis Dominicæ tempore, & passo Domino IESV, vsque quo resurrectio Beata ipsius omnibus innotuit; cùm fides de ipsa resurrectione Redemptoris, cæterisque, quæ in posterum facturus erat, in omnium etiam Apostolorum cordibus, vel penitus, vel magna ex parte fuisset abolita: in Domina nostra firmiter, sine vlla scrupulosa hæsitatione permansit. Vnde quamuis Domina nostra præclarissimis fulserit priuilegijs, dotibusque maternitatis gratia dignis (oportuit enim, magnæ esset excellentiæ, quæ Mater esset Redemptoris:) tamen gratior, acceptiorque Deo fuit, fidem eius sanctè suscipiendo, constanterque conseruando; vnde Bernardus in Speculo Virginum, testem laudans Augustinum, inquit: *Nam (vt ait B. Augustinus) Beatior fuit MARIA, accipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Ex hac ergo proprietate, etiam aptissimè *Vasis* nomen Deiparæ Virgini adaptatur.

August.

§. 3. *MARIA vas clausum sine vlla apertura Virginalis integritatis.*

Sed quomodo *Vas clausum* MARIA? Clausum communi sermone prædicatur, quod nullam patitur, aut exhibet aperturā. Hic autem *aperturam* accipimus vteri; quā, cùm cæteræ mulieres in conceptu, partuque patiantur omnes: sola Virgo Deipara nullam, concipiens, aut pariens, Virginalis vteri experta est apertionem. Possunt autem, & solent in alijs esse *duæ apertiones*: *prima est ruptio virgineorum claustrorum*, quæ in primo carnali accessu viri ad fœminam perficitur, & tollit prorsus Virginalem integritatem. *Secunda est in effusione infantis per partum*, in quo naturali ordine claustra vteri totaliter panduntur, & aperiuntur; & hæc apertio frequenter in sacra Scriptura commemoratur, vt illud legis: *Omne primogenitum masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Neutram autem aperturam nouit vnquam Virgo Deipara: ideoque meritò *Vas clausum* appellatur.

Hoc Virginis priuilegium prædixit Ezechiel 44. capite suæ Prophetiæ. *Et conuerti me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa. Et dixit Dominus ad me: porta hæc erit clausa, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel transiuit per eam.* Hic enim Ezechiel altissimis immersus speculationibus, sub metaphoris ædificiorum magni templi, multa secreta rerum futurarum, reuelatione Prophetica, didicit ab Angelo, quem, phrasi assueta veteris testamenti, Dominum vocat; quia Domini personam gerebat, vt legatus, eiusq; iussu Prophetam de futuris instruebat. In metaphora igitur *portæ clausæ Orientalis*, immaculatæ Matris incorruptam perpetuamque didicit ab Angelo Virginitatem. Non potest enim locus hic de materialis ædificij porta intelligi: cùm Deus in essentia sua infinitus, ideoque portæ ingressu, aut egressu minimè opus habens, dicatur tamen per hanc portam transire. Fuit ergo Beata Virgo *porta*; quia sicut ad introeundum, & exeundum porta seruit habitatoribus: ita Domina Virgo fuit *felix porta*, per quam Deus *intrauit* ad nos, cùm de ea Redemptor noster veram carnem humanam assumpsit; & per quam *exiuit*, quando post nouem menses de ipsa natus est verus homo. Hanc portam dicit Prophetæ Angelus *clausam esse, & fore* in æternum; quia Domina nostra licèt conceperit, & pepererit, Virginitatis tamen integritatē non amisit. Dicit Angelus, *Vir non intrabit per eam*; Quia Domina nunquam fuit ab vllo viro carnaliter cognita; causam horum omniū subdidit idem Prophetæ conductor in illa visione Angelus; *quia Dominus ingressus fuerit per eam.* Erat enim prorsus rationi consentaneum, vt templum tantæ venerationis, in quo tanto tempore Dominus ipse habitauerat, nullo vnquam virili contactu pollueretur.

Eze. 44.

Confirmat idem Salomon, in amoris diuini Cantico, cùm ait de Virgine: *Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Vocatur *hortus*, ob delicias, & delectationes, quas ex hortorum amænitatibus

bus mens capit humana: & Dominus Deus in Virgineo vtero, tanquam in horto suauissimo conquiescens, nouem mensibus eius integerrima sanctitate deliciabatur, Eccl. 25. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*: nempè *Deus in vtero Virginis* carnem assumens. *Hortus* autem *conclusus* vocatur, *quia* solus Christus, & nullus vnquam alius, in ipsum introiuit. *Fons* etiam dicitur Domina, quia sicut à fonte eunt emanationes aquarum, quæ rigant terram: ita à Virgine Saluator effluxit, qui primordialis est scaturigo, & principium omnis boni nostri; Et *fons* iste *signatus* perhibetur; quia ad eum, & ab eo solus Saluator noster influxit, & effluxit.

Eccl. 25

§. 4. *MARIA Virgo non est passa primam Virginalis vteri aperturam, contra Heluidium.*

Prima vteri *apertura* est, quæ fit per primum accessum virilem, quæ aliàs dicitur *violatio*, seu *defloratio*; in qua infligitur violenta corruptio integritatis virginalis, non manentibus continuatis vteri partibus, sicut ab origine natiuitatis fuerunt; & propterea *virgineorum claustrorum diruptio* vocari solet. Ab hac autem apertura immunem fuisse Beatissimam Virginem, Catholica fides est: sic enim vndequaque Virgo est; cùm *virginitas sit integritas carnis, & mentis cum omni priuatione experientiæ actus venereæ.* Et hæc perfectiùs esse debuit, sicut & fuit, in Virgine Deipara, quàm in alijs omnibus virginibus; quippè, cùm Mater esset vnigeniti Filij, adhuc ante partum, in partu, & post partum, Virgo in æuum permanserit, ideoque Virginitatis lauream immarcessibilem nunquam amisit.

Quidam tamen iniquitatis Filius, inter Christianos natus, in Antichristum degenerans, impius Heluidius, asseruit B. Virginē, postquam concepit, & peperit Redemptorem, à Ioseph viro suo carnaliter cognitam, alios post Christum Filios peperisse. Occasionem suæ impietatis accepit ex 1. capite Matthæi, vbi dicit Euangelista, & *accepit* (Ioseph MARIAM) *coniugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius IESVM.* Hinc enim *primū* suæ blasphemiæ firmamentum accepit, ex eo quòd dicitur, *non cognoscebat eam, donec peperit*; quasi posteà cognouerit, & *secūdum* ex eo, quòd dicitur, *filium suum primogenitum*, vnde infert alios secundò, & tertiò genitos peperisse: *Primogenitus* enim, nomen est relatiuum, sicut Pater; & non absolutum, sicut homo: quomodo ergo Pater nullus prædicatur sine filio, ita nemo primogenitus sine post nato. Idem inferri videtur ex alio eiusdem capitis loco,

Math. 1

A quo dicitur: *Antequam conuenissent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*; innuitur ergo eos posteà conuenisse: aliàs dici debuit: nunquam conuenerunt MARIA & Ioseph; illa tamen inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto.

Sed straminea sunt ista argumenta. Nam *primum* peccat ex Logicæ ignorantia, quæ docet, consequentiam esse nullam, quando contradictorium consequentis stat cum antecedente; Quamuis igitur iuxta consuetudinem vulgò loquentium qui dicit, se non cœnauisse vsque ad primam noctis horam, innuat se post primam horam cœnauisse: non tamen hoc infertur secundùm vim consequentiæ dialecticæ; stat enim contradictoriū consequentis cum antecedente, scilicet non cœnauisse etiam post primam noctis horam, quantumuis vsque ad illam horam, vel donec auditum fuerit horæ illius signum non cœnatus fuerit. Immò & cōsuetudo etiā vulgò loquentium sæpe ita habet; vt siquis probare velit, seruum pernoctantem domum nō rediuisse, rectè dixerit, non rediuisti, donec audita fuerit hora nocturnæ quietis, innuens hac phrasi, nec posteà etiam rediuisse. Eodem ergo modo ad ineptam Eluidij consequentiam dici debet, cum antecedente, quod posuit Scriptura, *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*: bene stare contradictorium consequentis, nempè, nec etiam post partum ipsam cognouisse.

Et ita etiam habet vsus ipse loquendi sanctæ Scripturæ, quē iste, aut imperitè ignorauit, aut impudenter dissimulauit. Nam Gen. 8. dicitur, de Coruo, quem Noe emisit ex arca ad explorandum diluuij decrementum, *qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ.* Et tamen (vt ex Hebræo textu conuincitur) non est vnquam posteà reuersus coruus in arcam, etiam post desiccatas aquas diluuij. Cùm enim coruus animal sit valdè auidum carnium, & multa hominum brutorumque cadauera diluuij vorticibus deleta in aquis fluitantia inueniret; non recederet ab eis, nisi aliquod accideret impedimentum, abigens eum à depastione cadauerum, & cogens in arcam reuerti; At non erat tale aliquod impedimentum, cùm nullum esset aliud viuens, quòd ab esca illa posset eum deterrere: Non ergo redijt tempore inundantium aquarum, sicut redijt columba; de illa enim dicitur, ideò redijsse; quia non *inuenerat, vbi pes eius requiesceret*; coruus autem in cadaueribus, quæ depascebat, conuenienter suæ naturæ etiam requiescere poterat. At post desiccatas aquas diluuij, ne columba quidē reuersa est ad arcam, multò minus coruus, ales non ita domesticus. Hinc ergo patet, hoc aduerbium, *donec*, non semper inducere aliquem actum consequentem.

Gen. 8.

Rursus

Gen.18. *Rursus* eiusdem libri Genes. cap. 18. promittens Deus Iacob Patriarchæ bonorum omnium abundantiam, in fine addidit: *Ego ero custos tuus quòcunque perrexeris, & reducam ad terram hanc, nec dimittã, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.* Quæ eadem loquutio est, ac si dixisset (prout etiam in aliquibus libris habetur) *donec compleuero.* Et tamen non rectè hic inferret Heluidius, Deũ dimisisse Iacob à prouidentia, & protectione sua speciali, postquam vniuersa, quæ pollicitus fuerat, compleuisset. Non ergo hoc aduerbium in scripturis semper inducit actum post se consequentem.

Ps.109. Et in Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, quæ de
Mat.22 seipso dicta docuit Christus, Matth. 22. Nec verò hinc Heluidius propter suum illud aduerbium, inferre debet, non sessurum Redemptorem nostrum IESVM à dextris virtutis Dei, postquam Deus Pater posuerit hostes eius sub pedibus ipsius. Cùm enim Christus Dominus Patri consubstantialis sit, eiusdem que naturæ; inseparabilis ab ipso est, & necesse est eum semper sedere à dextris Patris. Errauit ergo Heluidius; quia nec vim rectæ rationis nouerat in disputando; nec morem loquendi Spiritus Sancti in scripturis.

Et nihilo validius est *secundum* eius argumentum in voce *primogeniti* fundatum, sed fundamento prorsus instabili. Nam licèt nomen *Primogeniti* aliquando significet relationem; interdum tamen pro absoluto accipi solet, pro filio, nullo cum respectu prioritatis, aut posterioritatis inter ipsum, & alios filios. Sicut & vox filij, licèt plerumque sermone Latino significet cum relatione; ex vsu tamen aliarum linguarum, maximè Hebreę, solet significare absolutè adolescentulum ho
Cant.2. minem, vt in illo Cantic. 2. *Sicut lilium inter spinas, ita amica mea inter filias*, Id est, adolescẽtulas; & rursus, *sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios*, id est, adolescentes. Quod imitatur Gallorum idioma, quo pulchræ filiæ, & boni filij dicuntur, qui Latinis pulchræ puellæ, vel boni pueri dicerentur: Qua loquutione non vsurpatur nomẽ hoc relatiuè; quia tũc poni debuit in textu sermonis correlatiuũ patris, aut matris, cuius essent filij, quòd tamen in ea phrasi ne subintelligitur quidem. Relatiuum autem, nec significat, nec intelligitur sine suo correlatiuo, quando relatiuè sumitur.

Quòd autem nomen *Primogeniti* absolutè sumatur crebrò in sacris eloquijs, nempè
Exo.11 *de prima prole*, quæ ex materno erumpit vtero, siue alia post eam proles sequatur, siue non, liquet ex cap. 11. Exod. *Hæc dicit Dominus: media nocte ingrediar in terram Ægypti, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ sedet ad molam, & omne primogenitum iumentorum.* Deinde cap. 12. cum huius plagæ exequutio ponitur, dicitur Deus media nocte ingressus in terram Ægypti, & occidisse omnia primogenita Ægyptiorum, & sequitur in textu: *Non erat domus in tota Ægypto, in qua non esset mortuus*; Et omnes isti erãt, & vocantur primogeniti: vltima enim fuit plaga, strages primogenitorum. Non est autem credibile, quòd quilibet Pater familias in Ægypto, habens Oeconomiam, haberet plures filios, inter quos vnus diceretur primogenitus: multi enim absque dubio tunc amiserunt vnigenitos suos; ergo sequitur, primogenitum hìc dici eum, qui primò exit ex vtero matris, siue alius post ipsum nascatur, siue nullus.

Exo.13. 34. Rursus 13. & 34. Exodi, & plerisque alijs in locis mandat Deus: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filijs Israel, tàm in hominibus, quàm in iumentis.* In quibus manifestissimè eum vocat primogenitum, qui primò de matris vulua erumpit, ante quem nullus natus sit: siue alij posteriores nascantur, siue nõ; Alioquin, siquis vnum solum filium genuisset, non teneretur ex vi legis huius separare illum in partem Domini, aut sanctificare illum, & quinque siclis redimere. Et si qua fœmina primum filium peperisset, nõ deberet offerri, aut sisti coram Domino, nec dicto quinque siclorum pretio redimi, donec sciret mater, an alium post ipsum esset paritura, vt sic primus esset, & vocaretur primogenitus: atque ita ad minimũ nouem menses, aut annum integrum deberet differri hæc oblatio, donec grauidata iterum pareret. At hoc falsum est; quàm primũ enim fœmina masculum peperisset, die quadragesimo eum debebat coram Domino in templo sacerdotibus præsentare: & tũc soluebatur pretium quinque siclorum in redemptionem filij, oblatis etiam quibusdam alijs sacrificijs, iuxta legis dispositiones, sicut de Christo Domino Sanctus Lucas ma- Lucæ 2.
nifestè narrat, cap. 2. *Postquam completi sunt dies purificationis eius* (scilicet MARIÆ) *secundùm legem Moysi, tulerunt illum* (IESVM) *in Ierusalem, vt sisterent illum coram Domino.* Dispositio autem legis hoc totum oblationis, & redemptionis primogeniti quadraginta dierum termino definiuit. Le- Leu.12.
ui. 12. *Mulier si suscepto semine masculum pepererit, immunda erit septẽ diebus, iuxta immunditiam mulieris menstruatæ: octauo autem die circuncidetur puer; postea autem triginta diebus purificari debebit mulier in sanguine suo, quibus expletis ibit ad templum, ferens secum agnum anniculum in holocaustum: quod si* non poterat inuenire manus

eius

eius præ paupertate, ferebat *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Tandem aliàs etiam sequeretur, si capra, ouis, aut bos peperisset, non deberet primò natum masculum Domino immolari, donec videret, si alium sequentem mater enixa esset; & sic nunquam fieret purificatio, oblatio, primogenitorum redemptio in tempore à lege præfixo; contra dictam legem iam citatam, quæ etiam po-
Exo.22. nitur. Exod. 22. *Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, de bobus quoque, & ouibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, octauo autem die reddes illum mihi.* Solidissimè ergo ex locis his probauimus, in more scripturæ positum esse, vt primogeniti dicantur, quos primò pariunt matres, siue alios posteà pariant, siue omnino nullos.

Præterea idē manifestant regulæ expositionū dialecticarū, per quas hęvoces *primus, & vltimus*, & omnes superlatiuorū graduū voces exponuntur duobus modis, absolutè, scilicet, & comparatè: *Absolutè* quidem *Primus* dicitur, quo nullus est prior, seu, ante quem nullus est: siue posterior aliquis sit eo, siue neutiquam; Et *vltimus* erit, quo nullus est vlterior, aut posterior, siue alij illum præcesserint, siue non. *Comparatè* autem exponentes dicimus, quia *Primus* est, ante quem nullus est, post eum autem alij sunt; & *vltimus* est, quo nullus est vlterior, & posterior, sed ante eum tamen aliqui sunt. Sic & legum humanarum stylus habet aliqua vocabula, quorum licèt primaria significatio sit relatiua: plerumque tamen absolutè in eis significare reperiūtur, vt nomen *proximus*, ac *supremus*: *proximus* enim *relatiuè*, est, quo nullus est propinquior, & post quem alij sunt minus propinqui: *absolutè* verò proximus, est, quo nullus est propinquior, siue post eum sint alij propinqui, siue non. Hinc in *d. tit. de verbo. ū signif. l. proxim°*, dicitur, *Proximus est, quem nemo antecedit*: expositum ergo vocem negauitè, & absolutè. Et *eodem tit. l. proximè, habes*: *Proximi appellatione etiam ille continetur, qui solus est*, vtique absoluta significatione, non relatiua; nam in vno solo nunquam est relatiuum; quia relatiuum semper est ad alterum, quòd est ipsius correlatiuum. Consimili igitur modo, vox *Primogeniti*, interdum accipi debet in significatione absoluta, cum ita prudentia regula, & materiæ postulat exigentia, pro eo solo, quem primum parit mater, etsi nullum alium posteà sit paritura. Et ita Heluidiana ruit argumentatio.

Tertia etiam eius ratio non habet vires concludēdi; quia contradictoriū consequentis stat cum antecedente, nimirum, posteà non conuenisse, etiamsi inuenta fuerit à Spiritu Sancto grauida, antequam conuenirent: Non ergo ex eo, quòd dicitur *antequam conuenissent*, sequitur, quòd posteà conuenerint; sed Scriptura quid factum sit ostēdit, quid autem non sit factum, siluit, vt ei narrationi minimè necessarium. Neque enim debet historia narrare omnia, quæ cuiuis curioso in mentem veniret interrogare.

Sic ergo elisi sunt *Heluidiani Paralogismi*: manetque solida fidei petra, MARIAM solius Domini Redemptoris genitricem, neminem alium peperisse, nec vlli viro cognitam vnquam fuisse. *Sola igitur* (inquit de ipsa Ecclesia) *sine exemplo placuisti fœmina Christo*; quia nempe in alijs mulieribus Virginitatis perpetuæ exemplum non reperit, quod imitaretur, sed prima præbuit, quod aliæ post ipsam sequerentur. In statu enim veteris testamenti apud Hebræos, licèt vsque ad nuptias manere studerent virgines puellæ: nulla tamen virginitatis perpetuæ voto se obstringebat; quin potius infœlix habebatur, quæ virginitate integra ex hac luce discessisset, vt Iudi. 11. filia Iephte Galaaditis, ex voto patris immolanda, *Dimitte me*, inquit, *vt plangam duobus mensibus virginitatem meam super montes Israel cum sodalibus meis* Fuit ergo B. Virgo *vas clausum*; quia nullus eam carnaliter cognouit: & ideò fuit miraculosa conceptio, & prorsus supernaturalis; quia sine virili semine celebrata. *Iud.11.*

§. 5. *In quo consistat miraculum conceptionis Saluatoris.*

Plerique autem vulgarium, aut ignorant, aut rudi sententia definiunt, in quo situm sit virgineæ conceptionis miraculum. *Quidam* enim in eo putant consistere hoc miraculum, quòd, cùm fœtus in vtero materno de solo virili semine formetur, hic nullum interuenerit prorsus viri semen.

Sed horum fundamentum nulla veritate fulcitur; quia si de virili tantùm semine fœtus compingerentur, nunquā maternas imagines exprimerent, sed tantùm paternas repræsentarent. Quòd tamen experimur secus fieri: Similitudo enim in fœtu intra vterum maternum inducitur secundùm virtutem gignentium; ideoque cùm accidit in semine, virtutem vnius generantis fortiorem esse virtute alterius, fœtus sortitur imaginē fortioris. Vnde Isidorus. 11. Etymolog. cap. 1. docet, aliquando filios non matris, aut patris, sed aui, vel auiæ effigiem repræsentare; quia nempè virtus seminis auiti in patre, aut matre fortior extitit, quàm virtus patris, aut matris in semine proprio. Quia igitur aliquando filij maternam faciem præferunt, æquè, ac paternam: necesse est vt de materno quoque semine oriantur, sicut de paterno eos gigni nemo dubitat.

Præterea, nisi hoc concedatur, fœminæ ne-

nequaquam dici deberent matres eorum, A quos pepererint: quippè quibus nihil de sua substantia largirentur, vt patres faciunt, sed essent tantùm loca cõseruatiua seminis masculini; Et ita vas vitreum posset vocari mater. Arnaldus enim de Villanoua dicitur suscepto semine masculino in vase affabrè facto, conseruasse illud per dies aliquot, adiunctis quibusdam speciebus transmutatiuis, ad virtutem formatiuam in semine decisam, confortandam; & factis subinde successu plurium dierũ varijs transformationibus, corpus humanum ita formatum apparuisse; non tamen perfectè organicum; non est enim ausus diutius euentum rei præstolari, sed fracto vase abiecit corpusculum, ne videretur Deũ B tentare; considerans nimirum, vtrum Deus corpori sic formato animam infunderet rationalem?

Quin & Dæmones incubi, & succubi, possent vocari matres, si verum est, quod de illis dicitur; immò quia verum est, Augustino illud citrà dubitationem illam asseuerante, quòd Dæmon factus viro succubus intercipit semẽ, & foto calore naturali eiusdem seminis, ipsum improbè fœminæ factus incubus infundit. Quod de famigerato Merlino factum est in fabulis, qui verè fuerit filius viri, & fœminæ, sic tamen vt eius pater in generatione illa fœminam non cognouerit, nec mater virum; sed vterque ab eodem succubo C & incubo Dæmone delusus fuit. Neque enim imaginandum est, alterum esse incubum Dæmonem, & alium succubum: sed idem, & incubus est, & succubus. Quare non magis propriè dicerentur mulieres matres, quàm succubi Dæmones, si nihil substantiæ suæ proli conceptæ subministrarent.

Neque rursus ad prolem perfectiore ingenio, & corpore procreandam quicquam prodesset, optimæ complexionis, & indolis fœminas eligere, florentisque ætatis, & virium: si tantùm vt contentiua vasa seminis masculini se haberent; Et tamen Aristoteles 7. Politicorum, multum ait facere ad corpus, & intellectum prolis generandæ, quòd matres D tales sint ætatis, conditionis, aut indolis; quod & manifesta constat experientia. Aliquid ergo de suo ad formandas proles impartiũtur fœminæ. Qua propter mulieres phlegmaticæ constitutionis maioris corpulentiæ sobolem edunt, quàm quæ sunt sanguineæ; & illæ rursus, quàm in quibus dominatur cholera. Primæ enim propter humiditatem indigestam abundant materia menstruali, deficiente calore digerente, & desiccante: ideoque earum fœtus carnes habent teneriores, mollitie muliebri laxas, corruptionique, & ægritudini facilè obnoxias. Cholerici autem humoris abundantia consumit materiam menstrualem ad paruam quantitatem, benè tamen digestam redigens: vnde fœtus habent, cæteris paribus, minoris quidem corpulentiæ, sed agilioris tamen naturæ, magisque neruosæ, & musculosæ: propterea, & saniores, & ingenij acutioris; quia intellectus sortitur operationes magis, minùsue perfectas, pro meliori, aut deteriori organorum phantasticorum dispositione; i lis etenim organis omnino perturbatis, aut læsis, nihil prorsus valet animus intelligere, vt patet in ebrijs, in quibus fumi à stomacho ascendentes, cellam phantasiæ sua fuligine offuscant, speciesque deordinant, quarum ordinata coniunctione fiunt intellectiones.

Alij etiam alio errore decepti, in eo ponunt Virginalis conceptionis miraculum; quòd solum humorem menstrualem matris, sine virili semine admixto, nimis paruæ quantitatis existiment, quàm vt ad corpusculum fœtus sufficiat compingendum.

Sed nimirum paruæ, aut magnæ quantitatis semen non facit ad hoc, vt possit fieri, vel nõ possit fieri generatio: sed tantùm ad hoc, vt maioris, vel minoris corpulentiæ sit illud, quòd gignatur; cùm enim inueniri possint fœminæ tam fœcundæ, vt menstrualem humorem vna earum sola tanta in copia possit subministrare, quanta esset moles seminis masculini simul, & fœminini in aliquo fœtu, generando: tunc, si nihil aliud obstaret, præter magnam, aut paruam materiæ seminalis quantitatem, etiam mulier sola talis posset incognita viro concipere; esset que tantùm differentia, quòd proles ab ea nascens, minoris esset roboris, ac animi mollioris, quàm quæ à viro simul, & fœmina gigneretur. Plus ergo aliquid interuenire debet ad miraculum hoc, quàm minor quantitas menstrualis, seu seminalis massæ, ex qua corpus infantis sit formandum.

Sed nec in eo consistit hoc miraculum diuinæ conceptionis, quòd salua integritate corporis conceperit. *Nam* clausti orum apértio nihil per se facit ad conceptionem; cùm etiã sine virginitatis violatione possit illa fieri, vt si à medico fieret incisio sanitatis causa. Immò & posset fortè (vt ait D. Thomas quodlibet. 6. art. 18.) absque vllo miraculo mulier salua omnimoda virginitate concipere: sicut dicitur accidisse de quadam puella pubescente, quam propter pudoris custodiam in lecto suo Pater habebat; qui dum somno pollueretur, semen ad matricem puellæ descendit, vnde & concepit. Cæterùm talis nunquam sine miraculo pareret, nisi violata corporis integritate, cuius aperturam necesse est naturaliter fieri in effusione infantis, idque cum summo dolore; qui etiam esset longè maior in virgine prædicto modo concipiẽte, quã in ea, quæ virum fuerit experta.

In eo igitur dicimus fuisse virgineæ conceptio-

ceptionis miraculum, quia menstruali humori virgineo non fuit aliquod masculinum semen adiunctum; non solùm, vt concurreret tãquam materiæ pars corpori nascituro communicandæ, sed præsertim, quia non erat ibi semen virile, quod concurreret ad contemperandum, digerendum, formandum, atque organizandum sanguinem Virginis benedictæ, conceptioni subministratum ad corporis Dominici plasmationem, virtute nimirum Spiritus Sancti supernaturaliter omnem illam corpusculi diuini formationem patrante, quam in alijs conceptibus vis digestiua feminis masculini operatur.

Nam semen virile duplicem sortitur habitudinem ad corpus prolis inde genitæ, materialem scilicet, & efficientem. Et *primam* quidem habitudinem plurimi Medicorum negant, opinãtes, corpusculum infantis nullatenus ex seminis masculini particula vlla formari, sed totum de muliebri sanguine formari, nullo virili spermate in eo permanente. Semen etenim illud digestioni, & organizationi solùm inseruire; eaque facta, ipsum, propter magnum calorem suum dissolui in exhalationes fumosas, nulla pœnitus de substantia eius manente atomo in corpore procreato: sicut in oleo lucernæ ardentis, humidum illud vnctuosum ab igne consumitur tota eius substantia in vapores aëreos abeunte; lychnum verò, licèt comburatur, quia tamen vnctuosæ substantiæ non fuit, aliquid saltem sui relinquit, quod ignis non vastat, sed tantùm in cineres vltimò redigit.

Quæ Medicorum opinio, licèt aliquam habeat apparentiam; non est tamen vera, nec Aristoteli probata; ideòque dicendum, est nullam partem esse corpusculi in vtero formati, in quo non sit aliquid de semine masculino, & fœminino; cùm alterum alteri perfectè commixtum sit, sicut cum aqua vino perfectè admiscetur; vtrumque ergo semen sunt materia corporis organizati, non vnum quidem materia alterius, sed vtrumq; concausę, & partiales materiæ corporis ex illis cõpacti.

Præter hunc materialis causæ concursum: etiam *efficienter* operatur semen masculinũ, virtutem in se habens *formatiuam*, per quam semen fœmininũ organizationi futuræ contemperatur, & digeritur; quæ vis formatiua, & alteratiua in muliebri sanguine non est insita; ita vt sicut lignum sine igne ardere est impossibile naturæ; sic & semen fœmineum sine masculino semine digeri, & formari. Quamuis enim semen fœmineum sit partialis materia corporis organizandi; nullam tamen in se continet virtutem alteratiuam, secundùm quam in alteram dispositionem massa seminalis mutetur; vnde non admixto ei semine virili, remaneret ei pristinæ dispositionis status, atque ita nulla fieret generatio. Semen ergo virile superueniens fœmineo, mutat illud à dispositione, quã primò habuit, digeritque, vt quod fuit humidum nimis, rarumque, & frigidum (ideoque tale manens, ineptum erat generationi) fiat maioris caloris, & condensetur, exiccatoque parum humore solidetur, vt inde duriores partes corporis compingantur, nempè carnes, & ossa, & cartilagines, & nerui; deinde diuersas partes configurando, singulis organicis membris sua tribuit lineamenta, prout vsui, & decori corporis humani conuenire dignoscitur.

Quòd ergo Virginale semen, in quo nõ erat aliqua vis digestiua, aut formatiua; sine admixtione seminis virilis, in quo solo est illa organizatiua potestas, ad cõceptionẽ fœtũque sufficerit, magnum fuit diuinæ virtutis miraculum; multòq; maius, quàm si solũ defuisset semen virile tanquã causa materialis partialis fœtus formandi. Nam si in sanguine Virginis fuisset illa vis formatiua, tũc quamuis ibi non fuisset admixtũ semen virile, non fuisset tantũ miraculũ in Christi conceptione. In eo ergo fuit miraculũ, quòd vim formatiuam naturæ suppleuit operatio Spiritus Sãcti: ita vt semẽ passiuum sine seminis actiui applicatione, corpus genuerit infantis: nõ minùs mirabili modo, quã si lignũ, aut stuppa, aut res quæpiam combustibilis, in qua nulla est virtus combustiua, sine applicatione vllius combustiui, vratur, & ardeat.

§. 6. *An ex solo virili semine possit fieri generatio?*

Sed nunquid saltem ex solo virili semine posset aliquod humanum corpus viribus naturæ compingi? videtur enim ex prædictis sequi, id esse possibile; cùm enim illud semen sit causa materialis corporis organizandi, & præterea in se contineat virtutem formatiuam, nihil illi videtur deesse ad hoc, vt ex eo solo, sine alterius seminis admixtione corpus perfectè humanũ possit oriri, & cõcipi, fœmina nihil prorsus ad hoc agẽte.

Neque enim impedit hanc consequentiã, dicere, quòd semẽ viri modicæ sit quantitatis, & ad molem corpusculi vitalis nõ sufficere; *quia* multum, & paucum in semine non facit aliquid ad hoc, quod est reuera posse, aut nõ posse gignere; sed ad hoc tantũ, quòd est paruam, aut magnam sobolem progenerare; atque ita essent quidem minoris staturæ, si qui ex solo virili semine gignerentur, quàm qui ex vtroque viri, & mulieris semine cõcipiuntur; essent tamẽ, si hoc solũ impediret, eiusdem naturæ. *Prætereà*, quia (vt iam in simili dictum est) quamuis communiter masculus, & fœmina simul plus conferant ad massam seminalem, quã quilibet seorsum; fieri tamen potest, vt vnus aliquis vir possit

esse tantæ abundantiæ in seminali materia, quantæ vir, & fœmina debilioris complexionis; atque ita si solùm moles minor seminis impediret, hic talis vir solus sine fœmina generaret, æquè validè, ac vir, & fœmina debiles solent.

Neque etiam illud obstat, quod dicũt alij, masculum solum ideò non posse generare; quia in ipso non est vas aliquod, seu locus aptè receptiuus, in quo fieret conceptio, & corpus organizatum debitam caperet quantitatem. Verùm quidem est, talia vasa, locaque requiri; videmus siquidem massam seminalem, de qua corpus humanum formatum est, paruæ quantitatis esse ante organizationem, magnæ autem molis esse, quando de vtero materno exit in lucem; quia in vtero per moras temporum suscepit molis incrementum; ad quæ omnia locus est in vtero fœminino, vas quoddam pilosum, in multas quasi cellas, ad multos simul fœtus suscipiendos, formandosque, distinctum: quod vas apud nos pellis secundina, aut fœcundina, aut matrix vocatur; quæ, quando aliquis intra eam fœtus formatur, quotidianis extenditur incrementis; aliàs colligitur, & quasi complicatur in formam panni, notabilem aliquam non occupans quantitatem, sicut vter, cum non est liquore plenus, aut aere, habet latera applicita, & modicam occupat loci intercapedinem; quando autem incipit repleri, continuè maioris fit quantitatis, maiusque spatium occupat. Et tale aliquod receptaculum in viris non esse, certum est.

At hoc solùm probat, intrà virum nõ posse celebrari opus conceptionis; non autem tollit, quin de solius viri semine possit conceptio alibi fieri; Neque verò si locus esset intrà virum, in quo fieri posset cõceptio, adhuc solum eius semen sufficeret, vt statim dicemus. Si enim præter ipsum viri semen, sola vasa congrua celebrandæ conceptioni requirerentur, ex omni accessu ad fœminam fieret conceptio, & nulla esset sterilis mulier, sed in qualibet posset fieri conceptio, etiam in parua ætate; (cum tamen experiẽtia probet, eas, quæ in parua ætate corrumpuntur à viro, posteà nunquam ferè concipere) etiam in ætate quantumcunque decrepita; cum vasa in illis ad hoc naturæ opus congrua sint. Ratio autem, cur mulieres valdè paruæ ætatis, aut valde prouectæ nequeant concipere, etsi à viris fœcundis cognoscantur, illa est, quia puellulis nondum fluit sanguis menstruus, ex quo fœtus formatur in vtero; in vetulis autem iam tempora desierunt. Vnde aliquam mulierem concipere, cui sanguis menstruus non veniat, miraculum est, vt apparet Genes. 18. Vbi cùm scriptura referret, Saram iam nonagenariam ex Abrahamo centenario concepisse, risumque Saræ conceptũ

Gen. 18.

A mirantis: affertur causa: *Et erant ambo senes, & prouectæ ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*, idest, sanguis menstruus, qui nunquam viris euenit, in quo innuit, miraculum fuisse, quòd Sara conciperet, cùm iam ei desijssent fieri muliebria.

Dicendum ergo est ex solo virili semine conceptionem fieri non posse, siue illud paruæ, siue magnæ sit quantitatis; siue intra viscera virilia sint vasa conceptioni idonea, siue non sint; (vt reuera non esse constat) sed quia necessarium est ad quamlibet conceptionẽ fieri seminis masculini simul, & fœminini commixtionem. Nempè in omni actione naturali duo principia sunt necessaria, actiuum

B & passiuum; & actiuum solum non sufficit, cùm nihil agat in se ipsum, sed in alterum: passiuum autem solum agere non potest in se, nec in alterum; quia non habet in se principium actionis. Cùm ergo semen virile sit actiuũ, habens in se (vt diximus) vim formatiuam: non poterit in se ipsum agere, sed in alterum; semen autem fœmininum purè passiuum, non potest agere, aut pati solitarium; sequitur ergo neutrũ solum ad generationẽ proficere, sed vtrũq; simul à natura requiri.

Dicet forsitan aliquis, semen masculinum solum sufficere, ex eo quòd inter res naturales hæc sit differentia, quòd quædam habeãt in se motus sui principium, ideoque seipsas

C mouent, nec ab extrinseco opus habent moueri; quędam verò alię seipsas mouere nequeunt, sed ab alijs totaliter mouentur, atq; eodem modo in agendo quędam res actiuæ sunt per seipsas, aliæ autem minimè. Mouere enim quędã actio est. Prætereà cũ manifestũ sit, ipsum semẽ virile non minùs alterationes varias subire, quàm muliebre (cùm in eadem dispositione, in qua à viro deciditur, non sit congruũ organicæ varietati) aut ipsum seipsũ organizat, aut à semine fœminino transmutatur; non est enim ibi aliquod tertium: & semen fœminæ non organizat, vt iam diximus; sicut ergo semen virile commixtum menstruo seipsum digerit, format, & transmutat: ita etiam cùm solitarium fuerit, ea-

D dem præstabit; & sic in solo masculino semine fieri poterit conceptio.

Ad hæc respondentes dicimus, etsi semen seipsum posset organizare, multas tamẽ alias dispositiones prætereà ad generationẽ necessarias esse, quæ soli virili semini non insunt, debẽt tamẽ in ipso præcedere, vt fiat conueniens ad corporis organici formationẽ; quæ dispositiones accipiuntur à semine muliebri: istud quippe tantæ est humiditatis, & frigiditatis, vt sub ipsis manens non esset aptum corporis humani generationi; & semẽ virile tantæ rursus caliditatis, vt sub eadẽ dispositione perseuerans esset etiã conceptioni ineptũ: vnde si solũ existeret, calore suo totum desic-

desiccaretur, & in exhalationes resolueretur; vnum ergo semen debuit ab altero temperari, excellenter calidum ab excellenter frigido, & siccitas illius ab istius humiditate; vt ita mutuis actionibus, & passionibus reduce rentur ad conuenientem harmoniam; & nec istud solum in seipsum agendo deficeret, nec illud solum defectu vigoris euacuaretur.

Quæret aliquis, cur nõ possit dari aliquod semen masculinum, quod vtriusque seminis haberet temperaturam, qualem nempè per vtriusq; commixtionẽ vtrumq; nanciscitur? *Respondemus*, hoc esse contra naturam. Nõ enim potest dari semen vnum tale, quod in se solo habeat eas dispositiones, quas habent semen masculinum, & fœmininum, quando in se agunt; quia tunc eadem res esset calida, & frigida; humida, & sicca, idque in gradibus excessiuis, in quibus posset, & deberet *talis* denominari; & ita per consequens esset vnũ, & idem semen duarum complexionum contrariarum, quod est impossibile; Et is, in quo esset tale semen, nec vir esset, nec fœmina, cum quilibet horum sexuum sit determinatæ complexionis. Nec potest dari semẽ, quod vnum haberet eam complexionem, quam habet semen masculinum, & fœmininum, quando digesta sunt, & formata: tale enim semen non esset in aliqua extremitate notabilis cõtrarietatis, puta magnæ caliditatis, aut magnæ frigiditatis, sed mediæ complexionis, quod non reperitur; & qui tale semen haberet, nec esse vir, nec fœmina, vt iam dictum est; quia vnusquisque sexus determinat sibi complexionem propriam, *& tandem* tale semen nunquam posset organizari; cùm omnis actio, motusque naturalis sit de contrario in contrarium: contraria autem non agunt in se inuicem in gradibus valde remissis, vt patet in tepido, in quo iam cessat operatio cõtrarietatis. Semen ergo illud in medio contrarietatis positum, non posset vllam habere actionem, atque ita nec organizationem.

Sic ergo apparet prolixa hac deductione, Dominam nostrã *vas clausum* iure dici posse; quia non est vllatenus passa primam virgineorum clausorum apertionem, quæ fit in accessu virili ad conceptionem.

§. 7. *MARIA Virgo non est passa secundam vteri aperturam, quæ fieri solet in partu. Et cur eam pati non debuit?*

Sed quia superiùs ostendimus, fieri posse conceptionem etiam sine virginalium clausorum apertura, aut defloratione per accessum virilem facta; ostendendum est B. Virginem non solùm illa ratione fuisse vas clausum, quod negabat Heluidius; sed etiam quia nullam omnino in partu quidem ipso passa sit vteri aperturam; quam si passa fuisset, integritatem carnis, in qua sita est virginitas, nõ retinuisset. Et enim in partu, qui fit secundùm communem naturæ cursum, lõgè maior est apertio muliebris claustri, quàm in primo accessu viri; Vnde est, quòd cum tãto dolore pariant fœminæ, vt plerumque in partu periclitentur, maximè si in tenera ætate nubentes parere ipsas contingat.

Qua propter sapienter Aristoteles 7. Politicorum disputat, non debere in benè morata republica coniungi matrimonio puellulas teneræ ætatis propter quinque damna, quæ inde soleant prouenire; *Primum* est iam dictum, quòd ferè semper tales in prima effusione infantis ab vtero periclitentur, propter angustiam vasuum muliebrium, præsertim si corpulentiorem esse fœtum contingat. *Alterum* est incontinentiæ; quia tenerior cõplexio impressionum vehementiorum varietati obnoxia, & calidior sanguis facit, vt indomitæ, insatiatæque sint ferè libidinis. *Tertium* damnum bono matrimonij directè contrarium, quòd ex præmatura commixtione corrumpatur harmonia eis ad conceptum prolis conueniens, fiantque ita ex eo steriles. *Quartum*, quia tales propter paucitatem menstrui sanguinis fœtus pariant exiguæ corpulentiæ, minimarumque virium; Vnde existit. *Quintum*, incõmodum, quòd plerumq; etiam sint hebetioris intellectus, & imperfectioris imaginationis; quia nimirum ex indigestione seminis puellaris sortitur fœtus incongruam harmoniam, & proportionem in phantasticis organis, quæ intellectui ad omnem operationem ipsius deseruiunt.

Iam cum Ecclesia inter Virginis priuilegiata præconia reponat eam, sicut ante partum fuerit Virgo, & post partum Virgo permanserit, ita etiam in partu ipso Virginẽ extitisse: nõ potest hoc exponi, quòd sic fuerit in partu Virgo, quia inexperientiam venereæ voluptatis in partu habuerit; sic enim omnes puerperæ in partu virgines essent, cùm nulla earum tunc experiatur voluptatem, sed potiùs dolorem, & pressuram; neque enim dum pariunt, possunt à viris suis carnaliter cognosci. At nulla vnquam mulier dicitur virgo in partu. Sed siquam contingeret vsque ad partum virginem extitisse (quod supra fieri posse diximus) adhuc si naturali modo per aperturã vteri pariat, iam Virginẽ manere, aut in partu Virginem esse nemo dixerit, cùm tum saltem integritatem carnis amiserit. Infans enim in vtero formatus per solidarum partium discontinuationem, & claustrorum ruptionem egreditur, vt manifestat quotidiana parientium experientia: quarum tãtò maiores sunt in partu dolores, quantò maior fit corporis ad infantis exitum præbendũ ruptura, & apertio: cũ secun-

dum statas naturæ leges solidorum corporum mutua non detur penetratio. At Domina Mater Dei, cum in partu Virgo prædicetur fuisse, integritatem carnis Virginalis in ipso partu retinuisse, ac proinde nullam veteri sancti aperturam passa fuisse conuincitur.

Speculari autem delectat, quare benedicta Virgo hanc cum cæteris puerperis sortem non fuerit perpessa? *Dicet* aliquis, fortè hoc ideò cõtigisse; quia pœna propter peccatum in homines reducta est: & quia in Virgine nulla culpa fuit, nec pœna debuit ipsi infligi. Et siquis diceret contra hanc congruentiam, etiam paruulos sine baptismo decedentes, peccatum nullum commisisse, & tamen æternaliter inferno carceri mancipatos diuina visione priuari; ac potuisse proinde & D. Virginem pœnam experiri, licèt non habuerit culpam; facilè potest hoc amoueri telũ; quia licèt paruuli illi sine lauacro salutari defuncti nec mortalem vllam, nec venialem culpam habuerint; originalem tamen labem contraxerant, quæ satis fuit, vt meritò æternaliter damnarentur. Deus autem, quia omnimodè iustus est, & ipsa iustitia pœnas culpis adæquat; & culpa sic morientium paruulorum fuit in sola priuatione originalis iustitiæ, siue innocentiæ, nullo ipsorum actu positiuo interueniente; ideò & pœnam ipsis in sola priuatione constituit, vt scilicet in æternum clara Dei visione priuentur, nullum tamen ignis, aut frigoris, alteriusue generis cruciatum patiantur. Pœnam hãc *damni*, & *non sensus* appellant Theologi; quia damnũ dicitur rerum, fortunarumque, aut possessionum diminutio; & paruuli illa visionis gloria priuantur, quam alioqui fuissent habituri, ideoque damnum pati dicuntur, nullum tamen in sensatione afflictiuum dolorem experiuntur. *Alij autem*, qui mortalium peccatorum nexibus implicati de hoc sæculo decedunt, vtrumque pœnarum genus tolerare coguntur; priuantur enim diuina visione, & beatificorum perceptione gaudiorum; & insuper doloribus, atque ærumnis ignis, & frigoris in sedibus inferni puniũtur. At quãuis pœnam damni paruuli patiantur propter originalem iniustitiam; non tamen hoc de Domina nostra concedere debemus, quòd propter illam culpam hanc pœnam apertionis, aut aliam pati debuerit. *Tum* quoniam secundùm positionem firmiorem, securioremque Domina Virgo sine originali macula concepta est, & ab omni culpa actuali mortali, aut veniali fuit semper immunis, sicut de ipsa Orthodoxorum cantat Ecclesia: ideoque non erat in ea causa talis, propter quam deberet pœnam subire, qualis in paruulis illis reperiebatur. *Tum* præterea quia licèt aliam positionem sequi vellemus eorum, qui eam contraxisse originale peccatum asseuerant; non erat tamen vlla eius ad paruulos illos consonantia; quia licèt dicant eam in originali fuisse conceptam, non tamen in ea diutius mansisse fatentur, sed mox ab ea liberatam macula; atque ita nulla in ipsa post manente culpa, propter nullam non debuit pœnam doloris in partu tolerare.

Sed non satis est culpa omni caruisse Virginem, vt dicamus ideò eam non passam dolores, aut aperturam partus; neque enim semper pœna hominibus infligitur pro criminibus. Christus enim *peccatum non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus*; & tamen multiplices dolores, omnigenosque cruciatus sustinuit, sicut declarat Isaias cap. 53. Verum est quidem, Christum non ideò pœnalitates istas assumpsisse, & tolerauisse, quasi iustum esset, aut necessarium eum prædicta tormenta subire: sed quia ipse ad humani generis salutem dignatus est illis seipsum subijcere, sic enim habet sermo propheticus, *oblatus est quia ipse voluit*. Quare ille quidem pœnalitates, quas habuit, voluntate subiuit, non necessitate; at Domina Virgo, si aliquam pœnalitatem habuit, necessariò eam tolerauit; quia ipsa naturæ Domina non erat, sicut filius eius, qui omnibus dominabatur. Et ille quidem nec habuit, nec habere potuit peccatum, aut labem vllam; Domina nostra, licèt quia creatura pura, potuit peccatum habere, de facto tamen specialis gratiæ prærogatiua nullam maculam mortalem, aut venialem habuit, nec originalem contraxit; aut si cõtraxit, protinus tamen ab illa fuit emundata; ita vt nihil restaret in ea, cur pœnas deberet sustinere; & tamen certum est multas magnasque sustinuisse, vt fuerat acerbissimus dolor de passione vnigeniti, vnde & sanctus Simeon Lucæ 2. *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*; Sustinuit etiam, & alios cruciatus, quemadmodum & ipsa fatebatur ibidem, dum dicit puero IESV, *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce ego, & pater tuus dolentes quærebamus te*. Habuit igitur sine culpa dolores: vt hinc non satis probetur, eam partus doloribus caruisse.

1. Pet. 2.
Isai. 53.
Ibidem.
Lucæ 2.
Ibidem.

Potest ergo duobus modis ostendi, quomodo non debuerit benedicta Virgo hanc partus aperturam subire. *Primò* quidẽ propter specialis prærogatiuæ priuilegiũ, quod decuit habere Matrẽ Dei; quia enim certũ est nullam aliam fœminarum Christum concepisse, aut peperisse; debuit illa, quæ ab alijs omnibus in hac differebat prærogatiua, etiã in modo pariendi differre; vt quia cæteræ quidem mulieres homines pariant in peccato conceptos, & in peccato natos; quia nihil aliud quàm homines sunt; ideò eosdem quos ardore libidinis conceperunt, in dolore, & cum integritatis virginalis damno pariant.

riant. Hæc autem quia concepit ex Spiritu Sancto sine virili consortio Deum pariter, & hominem, debuit singulari etiam modo eum parere sine Virginalis integritatis detrimento, aut dolore, qui ex discontinuatione claustrorum naturaliter oriretur. Quam ob causam etiam sine omni immundicia corporali partus ille beatificus fuit, quia munditiæ fontem ipsum mundo edidit: cùm aliæ tamen mulieres in partu sint immundæ, partes quasdam humoris menstrualis concreti, atque densati cum fœtu ex vtero complicatas emittentes; quale nihil benedicto Saluatoris nostri corpori adhæsit, sed eam nascendo habuit corporis puritatem, quam semper posteà viuendo voluit seruare.

Nec tamen ex hoc vno priuilegio, quo Virgo Mater donata est, ne dolorem, & apertura in puerperio subiret, licebit inferre, quòd etiam alios dolores nullatenus debuit sustinere. Neque enim cui vnum priuilegiũ Reges, aut Magnates concedunt, eidem in omnibus priuilegia concessisse putantur. Est autem sciendum, causam non improbabilem assignari, cur in aliquibus priuilegiari debuit Mater Dei, in alijs autem legibus communis mortalitatis subijci. Quædam enim pœnalia sunt, quæ ipsam solam attingebant, in quibus Dominus nihil patiebatur, nec quicquam dignitati ipsius personæ derogabant: & in ijs Virgo immunis non fuit, qualia fuerunt, frigus, calorem, tristitias, dolores perferre, famem, sitim, lassitudinem sentire, similiaque humanæ vitæ incommoda; Quia ad Redemptorem nostrum nihil horum, quæ Virgo sic pateretur, directè attinebant. Quædam alia sunt, quæ ipsi Virgini, & personæ Domini communia forent, & illis eam pœnalitatibus subiacere, nimis repugnabat dignitati Christi; ideòque in illis voluit eam plenariè priuilegiare, inter quæ cũ primis illud erat, magnæ in Christo dignitatis proprium, à Matre Virgine sine virili accessu nasci, ne scilicet ipse eodem modo de stirpe Adę deriuaretur, quo alij nascebantur, per quem scilicet modum cæteri originalis peccati labem incurrebant. Nam si illo modo genitus fuisset, vt originis maculam non contraheret, debuisset ab ea præseruari speciali miraculo: sed quia maior erat nascentis Christi dignitas nullo horum indigere; voluit à matre nasci, quæ sine viro eum conciperet, & pareret; Eodemque modo magna fuit dignitas corporis ipsius benedicti potuisse de matre sine virginalium claustrorum apertura nasci, quod in aliorum hominum corporibus, cùm nascuntur, fieri non solet, nec per naturam potest.

Et matrem quidem viro incognitam esse, & tamen concipere sine libidinis æstu, aut opere, magna quidem dignitas est corporis innascentis, magis tamen ad dignitatem virginis sic concipientis dignoscitur attinere? nulla autem facta claustrorum ruptura nasci, licèt dignitatẽ etiam matris attestetur; quia doloris ideò expers fuit, quem in ruptura claustrorum pati cogeretur, maiorem tamen corporis nascentis dignitatem indicat; quia speciale circa ipsum fit miraculum, vnũ corpus solidum per alterum solidum corpus sic transijsse, ac si per parietem, aut tabulam nullo facto foramine transijsset: Sic enim magnus fuit honor corporis Redemptoris, per cutem, & viscera benedicti vteri Virginalis nulla pœnitus facta apertura potuisse pertransire, quod ne mundissimis quidem radijs solaribus est possibile, qui nequeunt per cutem, aut solidum, corpus transłucere, nisi prius aliqua ibi fiat apertura. Prętereà, quòd peccati originalis labes non contrahatur, nõ solùm per hoc accidit, quòd incognita viro concipiat, & pariat; sed etiam alijs modis potest hoc contingere, vt fuit in ipsa Virgine benedicta, siue eam ponamus nulla pœnitus originalis tabis lue pollutam fuisse, siue saltem sine eius contagione natam: At dignitas, & subtilitas corporis Saluatoris, quæ in hoc apparuit, quòd de vtero Virgineo saluis pudicitiæ signaculis natum fuerit, nullo alio modo manifestari potuit, Sequitur ergo maioris dignitatis in Christo fuisse indicium ita salua corporeæ Virginitatis integritate nasci, quàm de solo femine fœmineo sine virilis seminis admixtione concipi; vt propterea meritò filij dignitas postulauerit priuilegium hoc matri suæ concedi debuisse; quæ in alijs tamen à quibus ipsa voluit esse immunis, non debuit etiam filio dissimilis esse.

Alia ratio reddi potest, cur B. Virgo aperturã hãc pati nõ debuit, quæ ad priuilegij prærogatiuam nõ recurrit. Pœnalitates omnes, quas homines in hac vita perpetiuntur, ex merito primæ prænaricationis in illos à protoplastis deriuantur: ipsis enim non peccantibus, nulla in naturam nostram pœnalitas prædominata fuisset. Et propterea fatetur S. Augustinus, & cæteri Doctores, quòd peccato non existente protoplastorum, in illa benedicta Paradisi cœlestis fœlicitate mansissent, donec inde ad cœlestis Paradisi beatitudinem transferrentur; & sicut in illo statu nullas in rebus afflictiones, nullas in corpore molestias erant passuri: ita nec in conceptione, nec in partu fœminæ grauitatem, fastidia, doloresue percepissent; hæc siquidem omnia primæ illius prænaricationis merito euenerunt: & omnes ab Adam progeniti afflictiones etiam ab eodem hæreditaria successione sortiuntur.

Quia autem dupliciter homines ab Adamo trahunt originem, ita etiam duobus mo-

dis pœnalitates, & afflictiones in ipsius progeniem traducuntur. *Primus* modus est, quo consideramus nos ab ipso substantiam totam corporis nostri accepisse, & in ipso præextitisse, & hic communis est omnibus hominibus; quia omnes de semine Adam descenderunt, & omnes in lumbis eius præextiterunt quantùm ad substantiam corpulentam, etiam ipse Christus Dominus, vt ostendit Lucas cap. 3. vbi recensens generationem Christi à Ioseph viro MARIÆ vsque ad Adamum regreditur, quod nullatenus fecisset, nisi substantiam corporis sui Christus ab Adamo saltem hoc modo deriuasset. *Alter* modus descendendi ab Adamo est, qui fit per propagationem ex coniunctione maris, & fœminæ, sicut in alijs fit animalium perfectorum speciebus; & hic non est omnibus omnino hominibus communis; neque enim Christo conuenit, qui licèt fuerit de semine Abrahæ, atque ita etiam de semine Adæ, non tamen ex carnali commixtione procreatus.

Sicut autem omnes homines vno duorum modorum à protoplasto Adamo suam trahunt originem: ita primæ præuaricationis merito duplici etiam titulo pœnalitates propter præuaricationem inflictas subeunt. *Primò* enim, quia habent naturam, & corpulentam substantiam ab ipso, propterea etiam singuli in corporibus suis naturales afflictiones tolerare coguntur; etiam ipse Christus, sicut eandem nobiscum naturam suscepit, etiam consequentes naturam pœnalitates, & languores, & amaritudines, non recusauit. *Modus* autem *ordinarius* propagationis, qua ab Adamo per commixtionem carnalem descendimus, habuit etiam proprias, & peculiares pœnalitates ipsi coniunctas, vbicunque inueniebatur; vtpote, in ipsa commixtione veri dolores; in conceptione, & gestatione vteri, fastidia, tædia, multiplicesque timores, in ipsa verò effusione fœtus per partum acutissimi cruciatus ex discontinuatione partium vteri, in qua plerumque periclitari solent puerperæ.

Quoniam igitur Christus per deriuationem seminalem ex copula ortam, ab Adamo non descendit: propterea nec ipse, nec mater eius benedicta debuere pati ea, quæ diximus modum illum propagationis carnalis comitari. Ideò quia nullus ad hanc conceptionem fuit accessus virilis, non sensit Virgo læsionem integritatis, nec fastidia, & onera prægnantium, nec in partu Virginitatis corporeæ violationem, aut aperturæ cruciatus, sed ab omnibus illis debuit esse immunis: non quasi ex priuilegio, quo eximeretur à lege omnibus mulieribus parituris imposita, sed ex debito; quia legi illi nullatenus fuit subiecta; neque enim iustum erat ipsam in conceptu, aut partu similes aliarum mulierum doloribus perferre cruciatus, cum nec eò modo, quo cæteræ mulieres solent, aut concepit, aut pepererit.

§. 8. *Quomodo potuerit Christus ex vtero Virginis prodire saluo claustro Virginitatis?*

Si ergo non debuit Virgo vteri aperturam in partu Redemptoris pati, speculandum restat, quomodo ex vtero suo potuit sine claustrorum violatione prolem effundere? quomodo ex clauso vtero, ipsum non recludendo, potuit Saluator prorumpere?

Posset aliquis non satis magnificè secum reputans Creatoris Dei in operando potentiam, imaginari, corpus Christi modo indiuisibili exiuisse per virginei pudoris claustra; in quibus licèt non fuerit apertura talis, qualem patiuntur cæteræ puerperæ, & nuptæ; fuit tamen, vt in omnibus Virginibus, etiam illæsa Virginitate illa naturalis apertio, & meatus, per quem fit vrinarum euacuatio: Atque ita potuisse Christum exire sine vlla ruptionis offensione. Si enim corpus Domini in hostia sacra indiuisibiliter esse potest (ita namque ibi est, vt licèt sint ibi organa omnia corporea, etiam capilli capitis, nullo deficiente, omniaque accidentia, sic vt nulla ei pars, vel resecula desit; non tamen per modum quantitatis, sed indiuisibiliter) multò facilius modo iam dicto potuit prodire ex vtero Virginis; quia id quod in indiuisibili contineri potest, meliùs in diuisibili continebitur.

Et quidem modus ille possibilis Deo fuit, sed non est conformis modo loquendi sanctorum doctorum, aut miraculosæ operationi à Christo sæpiùs vsurpatæ. *Dicendum* est igitur, Christum de vtero virgineo erupisse nō modo indiuisibili, sed per modum satis magnæ, diuisibilisque quantitatis, ita tamen vt per solidas virginei corporis partes, cutem, carnem, & benedicta viscera penetrauerit, & vbi erāt solidæ partes ventris materni, ibidē pariter erant, & partes solidæ corporis Christi de vtero exeuntis. Tales siquidē fuerunt & alij modi operationum mirabilium nostri Saluatoris, & cum de sepulchro clauso firmiterque signato resurrexit, lapidem, qui aduolutus erat ad ostium monumenti ad ipsum concludendum, penetrans: non ita, vt partes lapidis cederent corpori Christi transeunti, aut condensarentur, aut discontinuarentur, vt sic ei locum darēt; sed totus Christus tam latus, longusq; & profundus; atq; ipso passionis tempore fuit, tantum de lapide occupauit, & partes Christi ibi tunc simul erant, vbi erant partes lapidis, nec quantitas Christi, & quantitas lapidis, aut partes Christi, & partes lapidis se inuicem aut impediebāt, aut excludebant ab eodem loco, sed lapis erat in loco

Chri-

Christi, & Christus in loco lapidis; quod Aristoteles (vt patet 5. Phys.) vocaret esse simul, vel esse vnum in loco primo, & proprio alterius. Simile item miraculum fecit IESVS, cum intrauit per clausas portas domus illius, in qua Apostoli post Dominicam resurrectionem erant congregati propter metum Iudæorum: non enim tunc intrauit IESVS per ianuas clausas modo indiuisibili, sed per modum magnitudinis extensæ secundùm totam suam quantitatem, vt quanta erat longitudo, & latitudo corporis Christi, tantum de longitudine, & latitudine portarum clausarum ingrediens occuparet, & vbi erat quantitas ianuarum, ibi erat, & tanta quantitas Christi, ipsam ianuarum clausarum quantitatem penetrans. Et erat hæc vna de dotibus corporis glorioſi: quam Christus semper habuit post resurrectionem suam; ante resurrectionem verò habuit, quando ei collibitum fuit.

Sed cur potiùs dicemus Christum hoc modo penetratiuo, quàm illo modo indiuisibili de Virginis vtero prodijsse? Respondeo, quia sicut peccatum est ponere miraculum in eo, quod sine miraculo potest compleri: ita etiã inconueniẽs est aliquid per plura fieri, quod fieri posset per pauciora, vt docet Philosophus 8. Topicorum. Maius autem est miraculum, corpus aliquod indiuisibile esse, quàm vnum corpus aliud penetrare: nam hoc posterius cuilibet corpori glorioso est concessum; quodlibet enim corpus gloriosum post generalem resurrectionem poterit per solidum lapidem, aut parietem, aut massam ferri sine vlla resistentia pertransire. Illud autem prius, nempè esse aliquod corpus indiuisibile, soli Dominico Saluatoris nostri corpori datum est, quod est totum in hostia, & in qualibet eius parte, & siviginti mille hostiæ consecrarentur, in omnibus illis esset, & simul nihilominus alibi in cœlo empyreo. Cùm ergo quolibet horum duorum modorum posset Christus de matre prodire: dicendum est, eum elegisse modum illum, qui minus habebat de miraculo, qui erat transire diuisibiliter per corpus matris suæ, sicut transire possunt corpora glorioſa.

Diceret aliquis, si hoc solida veritate fulciatur, etiam esse Christum hoc modo diuisibiliter in hostia consecrata, & ita non opus esset modum indiuisibiliter ibi existendi asserere. At respondeo, non posse id concedi: nullo enim alio modo potest Christus in hostia existere, quàm quo existit, scilicet indiuisibiliter; quia cum alia corpora in alijs esse debent modo diuisibili, vt cum glorioſa corpora se inuicem pertrãseunt, necessariò debent esse quantitates eorum sibi inuicem commensuratæ: atque ita si deberet Christus esse in hostia more corporum glorioſorum, non posset in ea esse maior pars corporis Christi, quàm quæ commensuraretur quãtitati ipsius hostiæ, puta modica pars manus, vel pedis intra hostiam penetratiuè maneret, & reliquum corporis Christi extra ipsam subsisteret. Et hic modus non conueniebat Sacramento; quia tunc necesse erat tantam massam hostiæ conficere, quæ commensuraretur corpori Christi: & sic nullus posset communicare, cùm tantã magnitudinem nullus valeret intra sua viscera suscipere. Neque enim possemus partem solũ Christi, & non totum corpus eius suscipere: *tum* quia hoc non esset communicare; *tum* quia sic Christus laniaretur à communicantibus, & quotidie moreretur, & resurgeret, quotidieque esset homo, & non homo; nam ad diuisionem, & discontinuationem partium debebat sequi mors; & concedunt omnes Christum in triduo mortis suæ (computando per synedochen) non fuisse hominem; sic ergo & in hoc casu, quotidie moriendo deineret esse homo, & quotidie de morte resurgeret, iterum moriturus: Cùm resurrectio sit reunio diuisorum, & mors vnitorum separatio, animæ scilicet, & corporis; cum dicat Apostolus: *Christus resurgens, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur; quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Sic ergo nec conueniebat Christum Dominum in hostia esse modo diuisibili; nec ex vtero matris prodire modo indiuisibili: sed quanta fuit corpusculi sacri in vtero virgineo moles, tantam occupauit quantitatem vteri virginei, dum exiret penetrando per ilia, carnem, & cutem, absque ruptione, aut discontinuatione, vt non magis natus per matricem, sicut aliæ proles fœminarum, quàm per vmbilicum virginei dici debeat; quia nempè quanta erat magnitudo corporis nascentis, tantum de vtero matris nascendo sine clausurorum violatione penetrauit. Patet ergo ex longiori hac deductione, Dominam nostram aptissimè *vas clausum* dici; quia nec in conceptione, nec in partu vllam passa fuit virginei corporis aperturam.

CAPVT II.

Quomodo B. Virgo fuit vas non clausum.

Sequitur in proposito nobis ænigmate, *Vas non clausum*: quæ particula licèt in voce videatur priori parti iam expositæ contradicere, reipsa tamen non est illi contradictoria. Est ergo consideratione dignum, quòd illis ipsis modis, quibus Domina nostra vas clausum appellabatur, etiam & vas non clausum vocari possit. Diximus enim iam anteà Dominam dupliciter conti-

nuisse Saluatorem nostrum IESVM, scilicet in animo *conceptualiter*, & in benedicto vtero suo *realiter*.

Quantùm ad *primum* modum, necessariò debuit Domina Virgo esse *vas non clausum*, siue apertum; quia per fidem, & electionem diuinis verbis ab Archangelo propositis consentiens, Saluatorem in se conceptualiter recepit; ac proinde dicendum, est cor illius, quod anteà clausum erat, nullamque fidem talem, aut electionem continebat, nouo huic assensui, fideique, & receptioni conceptuali Christi Domini apertum fuisse. Et de hac sancta mentis ipsius apertione loquebatur Isaias, cùm capite 45. desiderium aduentus Messiæ expromeret, & diceret, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* In quibus verbis expressit Propheta duo, sine quibus aduentus Messiæ nequaquam fieret: *Primum* est voluntas diuina, mittens Saluatorem, secundam nempè in benedicta Trinitate personam, ad generis nostri redemptionem. *Secundum* erat voluntas virginis consentiens, vt fieret Mater Dei: neque enim inuita vnquam fuisset Mater Saluatoris, neque facta est eiusdem genitrix, quòusque auditis, & intellectis legationis diuinæ verbis respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Primum horum expressit Isaias in prioribus desiderij sui verbis. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum:* Vbi affingendo personam rebus, quæ personam non habent, cœlis, & nubibus loquens; quia Deus, quem pro Redemptoris missione rogabat, in cœlis erat, & sicut ros, & pluuia de cœlo, aut aere, & nubibus descendunt, ita & Redemptor noster de cœlis ad terram vsque peruenit. Secundum verò expressit Propheta in posterioribus verbis illis: *aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; per *terram* enim nihil aliud hic, quàm vterus Virginis intelligitur; quia sicut terra omnes de se fructus generat, ita Beata Virgo de se protulit Saluatorem, quod Dauid in Psalmis indicauit, cùm dixit: *& terra nostra dabit fructum suum*, ideſt, vterus gloriosæ Virginis Saluatorem nobis germinabit. Hanc autem rationalem, intelligentemque terram multùm exorat Propheta, vt aperiatur ad recipiendum in se per consensum mentis Saluatorem mundi: Si enim ipsa ad eum recipiendum per consensum aperta non fuisset, nunquam Christi genitrix extitisset.

Sed quia B. Virgo non solùm Christum Dominum mentaliter continuit per fidem in spiritu, verùm etiam realiter, & corporaliter in vtero suo; & non continuit eum sic ab æterno, neque postquam eum suscepit, semper eum clausum in vtero tenuit; sed aliquando in lucem enixa protulit: ideò necessarium est assignare in ea duas alias aperturas, vnam, qua recepit eum, cum in ipsa nondum erat; aliam, qua emisit ipsum in lucem, postquam in ea esse dignatus est. Quanquam autem in cæteris fœminis ad ista debent esse *duæ reales* aperturæ: in Domina tamen secundùm dicta tantummodo *metaphoricæ* apertuiæ sunt dicendæ. Aliæ ergo fœminæ, cum concipiunt, suscepto per realem vteri aperturam semine, id faciunt; at in virgine loco illius metaphoricâ quandam assignamus apertionem; quia non ex virili semine, sed mystico spiramine fuit grauidata. Quia Dominus, & Saluator noster IESVS carnem ab æterno de matre sua non assumpsit, sed in alio quo tempore determinato: tunc per metaphoram Domina aperiri dicebatur, cum in se recipiebat nostrum Redemptorem, secundam a Trinitate personam. Et non debuit hæc apertio fieri per realem virginei corporis discontinuationem; quia Deus spiritus est, nullam habens corporeitatem loci occupatiuam, ideoque nec locus erat ei necessarius, nec indiguit, vt vlla fieret apertura realis, per quam in vterum virginalem introiret. Si enim corporibus glorioſis omnia corpora quantumcunque solida sunt peruia, & penetrabilia, absque eo quòd per aperturas aliquas in solido factas pertranseant; & si id faciut animæ nostræ, sine diuisione solidi ipsum penetrantes: quantò magis Deus, qui purissimè spiritus est? Præterea cum secunda Benedictæ Trinitatis persona de virgine carnem assumeret, non erat ei quasi aliunde in vterum Virgineum intrandum; quia intra illum semper fuerat, cùm sit in omni loco, & extra omnem locum, & in omnibus rebus: vt propterea necessarium fuerit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum intra vterum virginis fuisse eo tempore, seu instanti, quo beatifica illa incarnatio fuit celebrata; siquidem aliàs Deus infinitate sua omnia non impleret, nec illa conseruaret in quibus non esset, quæ ideò statim deperirent, vt pote carentia rectore, & gubernatore in ipsa continuè influente.

Sed *diceret fortè aliquis*, Christū non fuisse in vtero virginis, antequam ex ea carnem sumeret; quia dicitur in Symbolis fidei, quòd descendit de cœlis, & incarnatus est; ac proinde paulò ante hoc in vtero Virginis nō fuit, *Respondemus* Christum fuisse in vtero Virginis, cum in ea carnem erat assumpturus, nec tamen de cœlis eo sensu descendisse intelligendus est, quasi anteà in cœlis fuerit, & non in terra; posteà verò in vtero Virginis, & non in cœlo; quia hæc repugnant infinitati, & perfectioni diuinæ; sed metaphorica loquutio est nostro modo intelligendi attemperata. Etenim, quia omnis Sacra Scriptura ad erudiendum nos in via vitæ

æternæ

æternæ in fide, & operibus data fuit; ad quod vtique non valeret, si intelligi non posset: oportuit eam in tali forma tradi, in qua ab intellectu nostro posset percipi: Et quoniã intellectus organo corporis sui alligatus modum intelligendi corporeum consequitur: ideò necesse fuit, vt quæ ad fidem pertinent sub proprietatibus corporum nobis intelligenda proponerentur. Nam si quæ de Deo credenda proponuntur, secundùm proprietatem suam proponi nobis deberent, prorsus essent ineffabilia, & imperceptibilia; cùm ad ea sic exprimenda verba nobis deficerent; & siqua vel paululum expressiua forent, difficillimè tamen intelligerentur, præsertim à rudiori, & simplici populo. Fuit ergo necessarius metaphoricorum vsus: & ita conformiter ad rudiorum captũ introducit nobis Scriptura Deum, tanquam Regẽ magnũ, & excellentem, cuius thronus in cœlo est, *Psal.10* (vt Propheta loquitur in Psalmo, *Dominus in cœlo sedes eius*) & cum quippiam in his inferioribus facere, aut fieri voluerit Deus, huc ad illud faciendum descendere dicitur; *Gen.18.* quemadmodum Genes. 18 habetur, *Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint*. Hunc ergo modum sequuta in symbolis Ecclesia dixit, Christum, seu Filium Dei æternum de cœlis in Virginis aluum descendisse, vt carnem indueret: quia assumptio in cœlis fieri non debuit, vbi tunc Virgo nondum erat, sed in terris versabatur.

Sic ergo tota Trinitas gloriosa in vtero Virginis extitit, antequam Filius Dei inde carnem assumeret: non tamen eundem existendi modum ille tunc habebat, quem posteà habuit. Pater quidem æternus, & Spiritus Sanctus eundem modum essendi, quem ante incarnationem habuerunt in Virgine, etiam posteà semper retinuerunt: eum scilicet modum, secundùm quem in omnibus alijs rebus, & locis sancta Trinitas necessariò debet esse præsens: At Filius Dei ab instanti incarnationis, non habuit ibi eundem prorsus essendi modum, quẽ anteà habebat, cum antea solùm in ea fuisset generaliter, sicut & cæteris in rebus, ipsam custodiendo, & in suo esse conseruando, aut spiritualiter mentem eius afficiendo, sicut & iustos reliquos; posteà autem in ipsa fuit per assumptam ex eius sanguinibus carnem sanctam, faciendo eam carnem partem humanæ naturæ à se mirabiliter assumptæ. Erat ergo Filius Dei post conceptionem in Virgine, sicut in matre, donec ea ipsum peperit: quomodo in nullo viro, aut fœmina, nec vlla alia in re fuit. Quando autem de ea natus fuit, iam non amplius in ea mansit, sicut in matre: sed tota tamen Trinitas eodem modo, quo antea quoque in alijs rebus permansit. Solus itaque filius habuit specialem modum essendi in Virgine: non autem Pater, aut Spiritus Sanctus, qui non fuere in illa, sicut in matre; neque enim de ea carnem assumptam sibi vniuerunt, sed soli filio hoc proprium fuit; ad quod aperturam quandam in Virgine assignamus, metaphoricam tamen (vt diximus) & non realem.

Similiter & aliam metaphoricam aperturam assignare debemus in exitu Saluatoris; neque enim semper in vtero Virginis mansit Christus secundùm carnem, sed aliquando, nempè debito natiuitatis tempore, ex aluo matris exiuit in mundum; ad quem quidem exitum in alijs puerperis sequitur apertura maxima claustrorum muliebrium; Non tamen in Virgine fuit, sed illa semper permansit in ea corporis integritate, quam in primo suæ natiuitatis die accepit. Quia tamen Dominus in vtero Virginis fuit, & posteà extra eum processit, sicut exitus fuit mirabilis, ita & apertura quædam metaphorica illi correspondet. Et quantùm ad hos modos metaphoricos Virgo Beata *vas non clausum* dicitur: nam si per omnem modum vas conclusum fuisset, nunquam in se aliquid recepisset, nec vnquam de se aliquid protulisset.

CAPVT III.

Quomodo Beata Virgo fuit vas paruum, & non paruum.

Hæc est secunda anthithesis paradoxa ænigmatis nostri, cuius expositioni insistimus, in qua comparatione Christi, MARIA *vas paruum, & non paruum* dicitur, sicut comparatione ad eundem facta vas clausum & non clausum eam dici posse ostendimus. *Paruum* autem relatiuum nomen est, & non nisi referendo ad aliud, nempè suum correlatiuum dicitur, est verò correlatiuum, *Parui, Magnum*: quare cum Aristoteles dicat, eum, qui vnum relatiuorum definitè, & distinctè cognouerit, etiam & alterum eius correlatiuum distinctè cognoscere, videamus, quid sit magnum, cuius respectu dicitur Paruum? Habet igitur magnum significationem duplicem, absolutam, & relatiuam: Iuxta prius significatum ponitur in prædicamento quantitatis; secundùm posterius in prædicamento relationis. Omnis enim quãtitas continua dicitur magna, siue modicum habeat de lõgitudine, & latitudine, siue multum: atque isto modo non recipit comparationem, neque enim vna quantitas hoc modo altera quantitate maior dicitur, cũ in illo prędicamento non sit magis, aut minus; Omnis proinde quantitas continua, quantumcũque minima, hoc sensu magna appellatur;

&

& omnis quantitas discreta, vt sunt numeri multa dicitur; & in hoc sensu non reperitur aliquod paruum, quia magnum sic non dicitur relatiuè; Tunc verò dicitur relatiuè, quando consideratur, vt habens multum de longitudine, aut latitudine, seu alia commensuratione quantitatis continuæ: & huic opponitur res illa, quæ consideratur habere modicum de dicta commensuratione.

Cùm ergo (, vt iam initio diximus) omnes huius parabolæ antitheses de Domina nostra prædicentur, referendo ipsam ad nostrum Redemptorem, vocabitur vas paruum aut non paruum respectu ipsius. Erat ergo MARIA *vas paruum* comparata ad Christum, quem in suo continebat vtero: cùm venter Virginalis modicæ fuerit quantitatis, (sicut in cæteris mulieribus,) Filius autem Dei, qui in eo gestandus erat, infinitus sit in essentia, & virtute, & ne toto quidem mundo capiatur, in omnibus rebus, & extra res omnes existens. Sic declarat Ieremias capit. 23. *Cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus*, Psalmista 138. explicans magnitudinem Dei: *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Cùm igitur quælibet res corporalis ad infinitam hanc rem continendam parua sit: rationabiliter Domina Virgo vas paruum nuncupatur, de quo admirabunda Ecclesia, quomodo tam parua tantam maiestatem in se clauserit, eam laudans dicit.

Iere. 23.
Ps. 138.

Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis,
In tua se clausit viscera factus homo.

Arguet fortasse quispiam, non potuisse Redemptorem nostrum intrà materna claudi viscera: quia loci, & locati conditio talis est, vt inter se commensurentur, & sint æqualia, nec res locata maior suo loco, aut re locante, seu continente possit esse; Deus autem infinitus magnitudine, infinities maior est mundo vniuerso, quantò magis aluo Virginis.

Nec satisfacit huic difficultati dicere, illam loci, & locati conditionem naturæ legibus esse stabilitam, sed posse miraculosa actione aliter fieri, vt magnum locetur intra paruum, atque ea ratione Deus intra vterum matris. Nam primò licèt Deus posset miraculosè intra rem paruam, locare rem magnam, reducendo istam ad paruam quantitatem; rem tamen magnæ quantitatis in magna quantitate manentem, sub parua quãtitate locari impossibile est. Itaque potest Deus totam aquam maris, reducendo eam ad modicam quantitatem, intra paruam amphoram collocare, neque enim hoc contradictionem vllam inuoluit, aut inconuenientiam: totam tamen aquam maris sub sua quantitate manentem intra amphoram collocari etiam à Deo, impossibile est, & cõtradictionem includit; Dicere enim magnum posse sub paruo concludi, est dicere magnum sub forma magni includi in paruo sub forma parui; quod nec naturaliter, nec miraculosè fieri potest, nec sub vllã cadit potentiã. Si quis igitur diceret, Deũ magnũ in Virgine clausũ fuisse eo modo, quo potest Deus claudere magnum sub paruo, reducendo magnum ad paruam quantitatem: deberet concedere Deum magnitudinem suam minuisse, vt intrà Virginis vterum caperetur, quod & omni Philosophorum positioni, & omni recto intellectui, fideique repugnat, cùm de se ipso testetur Deus apud Malachiã, *Ego Dominus, & non mutor*: & propterea Iacobus in sua Canonica doceat apud eum non esse *mutationem, neque vicissitudinis obumbrationem*. Deinde non est miraculum, quò d diuinitas Christi capiatur intra Virginis vterũ, cùm & intra nos, & intra singulas res capiatur absque vllo miraculo; cùm non possit Deus ipse facere rem aliquam, intra quam ipse non sit. Rursus, sicut non est miraculum, animam humanam intra corpus humanum posse consistere quantumcunque paruum sit, aut magnum, cùm sit Spiritus indiuisibilis nullum occupans locum: ita nec erit miraculum, Deum intra singula corpora, & corpuscula capi, cùm Spiritus sit, vt dicitur, Ioannis capitul. 4. & multò simplicior anima humana, rebusque alijs quibuscunque, cùm infinitæ sit perfectionis.

Mala. 3
Iacob. 1.
Ioan. 4.

Ad illam ergo ratiunculam, qua sic arguebatur, res quantitatis maioris contineri non potest intra rem quantitatis minoris: sed Deus est infinitus magnitudine, vterus autem Virginis exiguæ molis; ergo intra eum capi non potest Deus: Dicendum est, vtramque propositionem esse distinguendam, de quantitate, seu magnitudine molis, & virtutis. Sic enim maior falsa est, nam quia licèt res magnæ quantitatis corporeæ intra rem mole corporea exiguam capi non possit: res tamen magnæ quantitatis virtutis, aut spiritualis intra rem paruæ quantitatis corporeæ potest contineri. Et tunc etiam *minor*, si dicat Deum vtero Virginis esse maiorem, falsa est: quia comparatio semper fieri debet vniuocis, & vbi æquiuocatio reperitur, nulla potest esse comparatio: cùm ergo Deus sit magnus magnitudine spiritualis virtutis; res autem materiales magnæ sint magnitudine longè alia, nempè corporeæ molis, non potest verè dici Deus maior vlla re corporea; sed nec aliqua res corporea est

Deo

Deo minor; quia nempè non communicant vniuocè in quantitate, sed tantùm æquiuocè. Immò si impropriè aliqualiter loqui velimus, congruentiùs dicere videmur, si dicamus, Virginis vterum Deo maiorem esse, quàm è conuerso: quia vterus Virginis alicuius quantitatis est (nam quantitas propriè molem magnam significat) Deus autem nullius est quantitatis, licèt sit infinitæ virtutis. Sic ergo apparet, quomodo Dominus IESVS intra Virginis vterum se clauserit, & quomodo comparata ad ipsum Domina nostra *vas paruum* rectè dicatur.

Adquem ergo comparata poterit dici *vas non paruum*, id est, vas magnum? Nam potest quidem aliquid dici magnum, & paruum respectu diuersorum, vt si relatum ad vnum dicatur magnum, & relatum ad aliud, paruum dicatur; sed ad idem relatũ, magnũ, & paruũ appellari nõ poterit: sicut nõ potest idẽ esse duobus palmis maior, & ijsdẽ minor nec idem eiusdẽ simul & pater, & filius. Quomodo ergo Domina nostra comparatione Christi potest dici *vas paruum*, & magnum, seu *non paruum*? Dicendum benè posse ita nuncupari, ob diuersos tamen respectus. Dicetur enim *vas paruum* respectu continentiæ, quia non erat illa tantæ excellentiæ, & virtutis, in qua Deus infinitæ virtutis, & excellentiæ carnem deberet assumere, & ipsa creatura Deum creatorem contineret; dicetur verò *vas non paruum*, seu vas magnum, quia in se actualiter nostrum continuit Redemptorem, qui cùm esset valde magnus, nempè infinitus, non nisi à magno vase potuit contineri. Et hoc est, quod de ea canit Ecclesia: *Sancta* & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio; quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Quæret aliquis, quomodo hoc verum esse potuit? quomodo enim in Virginis vtero capi poterat, quem cœlum non capiebat; præcipuè cum tanta sit proportio excessus magnitudinis corporis cœlestis ad paruitatem vteri Virginalis? Nam qui in qualibet re, quantumcunque parua capitur, quare non capitur toto orbe? Necesse enim est Deum totum in qualibet re esse: alioqui res, illæ in quibus Deus non esset, à Deo non conseruarentur, & tamen permanerent in esse; esset quoque imperfectio in Deo, cùm sic non esset simplicissima substantia, nempè quæ in quibusdam capi posset, in alijs non posset; immò darentur aliqua, quæ Deum à se possent excludere. Quę omnia sunt absurda.

Ex duplici quantitatis consideratione hoc solui potest. Deus enim nullam habet corpoream quantitatem, sed est omnino simplex, & indiuisibilis: est tamen infinitus, & immensus quantitate virtutis, qua dicimus ipsum esse vbiquè secundùm essentiam, potentiam, & præsentiam. Hinc concedimus duo genera propositionum de Deo, quæ repugnare videntur, cùm non repugnent vllo modo. Nos enim loca rebus attribuimus secundùm quantitatem molis corporeæ: ideòque corporibus magnæ quantitatis magnum etiam locum assignamus, paruæ autem quantitatis corpuscula intra angusta loca conijcimus; res ergo quę nullius est corporeæ quantitatis, in quolibet loco potest contineri, cùm non indigeat mole corporea vt alicubi collocetur.

Cùm ergo Deus indiuisibilis, & simplicissima sit substantia, corporeę molis dimensionibus nullatenus subiecta, potest in qualibet re quantumcunque paruæ dimensionis, seu molis capi, nec solùm continetur intra res quantitate præditas, sed etiam intra eas quę nullam prorsus habent quantitatem, sed simplices prorsus sunt, & indiuisibiles: sic enim dicimus Deum intra animarum nostrarum essentias esse, & intra essentias Angelorum. Vnde sicut nullum est miraculum, rem quampiam duorum palmorum contineri intra rem quatuor palmorum; ita nec vllum est miraculum, Deum, qui prorsus est indiuisibilis, intra quantamcunque paruam quantitatem posse consistere. At quia aliunde infinitæ est essentiæ, virtutis, atque potentiæ, non solùm hìc, sed ibi, & alibi, & vbique existit; nam si locum aliquem, aut rem quampiã daremus, in qua Deus non existeret, non esset ibi potentia, virtus & essentia Dei, atque ita haberet terminum, limitem, & finem; quod fides Catholica diffitetur. Sequitur ergo Deum in quolibet loco esse, & in omnibus locis simul sumptis; in qualibet etiam creatura, & in omnibus simul creaturis. Nec solùm est intra omnes res, verùm etiam extra omnes, aliàs si solùm intra res omnes esset, cùm locus, & locatum æquentur, aut saltem locus materialiter sit maior locato, sequeretur omnes res simul sumptas Deo æquales fore, aut maiores; cùm essentia, & potentia sua sic non extenderentur vlteriùs quàm omnes res simul sumptæ. Non tamen ex occasione huius doctrinæ imaginandum est, aliquem locum vacuum esse extra mundum, in quo Deus sit, & nulla alia res sit: quia hoc contradictionem includit, vt latiùs super 3. cap. Exod. disputatum est. *Exod. 3*

Ad hoc autem apertiùs elucidandum animæ rationalis exemplum inseruit, quæ tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte: si ergo non est aliqua pars corporis quantumcunque paruula, in qua tota anima rationalis non capiatur, & tamen nec sit aliqua pars eiusdem corporis quantumcunque magna, quam etiam totam tota non informet, quia aliàs partibus illis, in quibus non

esset,

eſſet, vitam non tribueret; multò meliùs hoc A
in Deo credi debet, quòd in re qualibet, &
quantulacunque capiatur, & tamen non clau
datur ſic intra illam, quin etiam ſimul ſit ex-
tra illam in alijs omnibus, & extra alias om-
nes in ſemetipſo. Quia ergo Deus molem
non habet, in qualibet re poteſt capi: & quia
infinitam habet virtutem, & eſſentiam, in
omnibus rebus exiſtit.

Quamuis ergo Eccleſia admirabunda,
maieſtatemque Dei incarnati conſi erans,
per moduni miraculi ponat hoc, quod eſt,
Deum in vtero Virginis claudi, qui non ca-
piebatur toto cœlo: non eſt tamen miracu-
lum. Quamuis enim in vtero Virginis incar-
nato Verbo tota ibi Trinitas ita veraciter B
fuerit, vt nihil eius ibi defuerit, tamen non
non ſic ibi fuit, vt alibi nuſquam fuerit:
ſed quando Filius Dei carnem ibi aſſumpſit,
& nouem menſibus in vtero Virginis manſit,
etiam tunc erat in omnibus rebus, & in toto
vniuerſo; atque ita ſicut cœlum totaliter in-
cludere Deum non poterat, quia etiam extra
cœlum erat in ſeipſo: ita nec vterus Virginis
eum aliter capere potuit, quantùm ad diuini
tatis maieſtatem; quare cœlum, & Virgo
eodem modo capere, & non capere poterant
Filium Dei.

Quomodo ergo, inquiet aliquis, Chri-
ſtum Dominum potuit Virgo veraciter con
cipere, ſi intra eius vterum totaliter non cō- C
tinebatur? *Dicendum*, Virginem totum Fi-
lium Dei concepiſſe; neque enim aliquid Fi-
lij Dei erat extra Virginis vterum, ſicut
quando homo totus in ſacco poneretur, ſola
manu exteriùs manente; nam in indiuiſibili-
bus hæc eſt regula, quòd vbicunque ſit ali-
quid alicuius indiuiſibilis, ibi etiã tota illa
res indiuiſibilis eſſe debeat, cũ nullas habeat
partes, quarũ vna eſſet extrà aliã. Et hoc ſuf-
ficiebat vt Deũ, ſeu Filiũ Dei totũ verè cõci-
peret, quia totus, nullo ipſius deficiente, erat
intra vterum matris, licet non ſic, quin eſſet
præterea vbique in alijs omnibus rebus.

Eccleſiæ autem prœconium ad hoc fer-
tur, quòd licèt vbique, & in omnibus rebus D
eſſentialiter Deus fuerit præſens æquè, ac in
aluo Virginis: ex illa tamen naturam no-
ſtram dignatus eſt aſſumere, & non ex alia vl
la creatura; quod & notauit tanquam huma-
ni generis prærogatiuam excellentem Apo-
Hæbr. 2 ſtolus ad Hæbreos 2. dicens: *Nuſquam An-
gelos apprehendit, ſemen autem Abrahæ ap-
prehendit*, hoc eſt, non aſſumpſit Filius Dei
Angelum aliquem ad vnionem hypoſtati-
cam, ſiue ſuppoſitalem (cùm quælibet ſub-
ſtantialis natura eſſet à Verbo diuino ſic aſ-
ſumptibilis) ſed aſſumpſit ad hanc vnitatem
ſemen dumtaxat Abrahæ, nempè carnem
Beatæ Virginis ortæ de ſemine Abrahæ Pa-
triarchæ.

Quòd autem non concepiſſet perfectio-
ri modo Virgo Filium Dei, ſi per impoſsi-
bile tempore incarnationis ſic intra illam
ſolam extitiſſet, quòd alibi nuſquam fuiſſet,
quàm nunc concepit ipſum, quatenus ſic erat
in illa toto tempore geſtationis in vtero, vt
etiam extra illam vbique fuerit; patet exem
plo hoſtiæ in altari. Quotieſcunque enim
Sacerdos rite promotus verba conſecratio-
nis cum intentione requiſita ſuper debitam
profert materiam, toties ibi per conuerſio-
nem panis in corpus Chriſti, Chri-
ſtus ibi de nouo ſub ſpeciebus incipit exiſte-
re; & ſi decem mille Sacerdotes eodem mo-
do tunc temporis conſecrarent, in decem
millibus hoſtijs etiam Chriſtus exiſteret;
nec tamen perfectiùs exiſteret in vna hoſtia,
ſi ſola in toto vniuerſo conſecretur, quàm
nunc exiſtat in decem millibus altarium. Sic
conformiter non fuiſſet Chriſtus perfectiori
modo in Virgine, ſi in illa ſola tunc extitiſ-
ſet, & non alibi: quàm quando in vtero illo
benedicto exiſtens, in omnibus ſimul mundi
partibus extitit.

Quòd autem diximus, Beatam Virgi-
nem *non fuiſſe dignam*, vt fieret Mater Dei
non ex eo quis nos exiſtimet hoſtes eſſe Vir-
ginis, ſub cuius patrocinio gubernamur: ne-
que enim vllam iniuriam facimus Virgini,
ſi eam non æquamus Filio Dei. Et quidem ſi
digna fuiſſet fieri Mater Dei, nullum in in-
carnatione ex ipſius viſceribus celebranda
fuiſſet miraculum: ſi autem ad hoc non fuit
digna, mirabilis erit dignatio Domini ex
ipſa carnem aſſumere volentis. Fuit quidem
Domina perfectior omnibus alijs creaturis,
etiam ipſius Angelicis mentibus, non excel-
lentia naturæ, ſed ſuperabundantia gratiæ, &
virtutum, & ſpecialium priuilegiorum, quæ
contulit Deus Virgini ſuper omnes creatu-
ras, vnde canit Eccleſia, *Exaltata es ſancta
Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cœ-
leſtia regna*. Et tamen nec ob omnia iſta, nec
ſi concedamus, Deum in centies millecupla
proportione quotidie vſque ad finem mun-
di plura dona virtutũ, & priuilegia in Vir-
ginem cumulauiſſe, vltra ea, quæ de facto
contulit, peruenire potuit Virgo ad tantam
excellentiam, vt fieret *digna mater filij Dei*.
Dignitas enim dicit æqualitatem, & dignã
eſſe matrem Dei, eſt eſſe æqualem filio Dei:
ſicut in naturalibus pater, & mater, & filius
vnius ſunt ſpecificæ perfectionis, eiuſdem,
& æqualis gradus ſubſtantialis: concedentes
ergo Virginem fuiſſe dignam Dei Matrem,
faceremus eam ipſi Deo æqualem. Fuit ergo
miraculum, eam, quæ non erat digna, fieri
Matrem Dei. Admirabilis enim dignationis
bonitatiſque ſine termino fuit in Deo, tan-
tùm velle humanam exaltare naturam, vt
carnem de vna fœminarum vellet ſibi in vni

tate

tate personæ assumere; quantæcunque illa fœmina perfectionis foret, quantacunque bonitate polleret: quia ne sic quidem digna haberetur ad Deum videndum, quantò magis ad eum veraciter concipiendum pariendumque, atque ideò meritò sic *vas paruum* dicebatur.

Si tamen hoc ita est, quid faciemus Ecclesiæ; quę de Domina canit intrepidè, *Tu sola fuisti digna portare Regẽ cœlorũ, & Dominũ?* hoc enim est esse Matrem dignam Dei, dignam esse quæ conciperet, & pareret Deũ. Sed nimirum duplex est modus dignitatis. Est enim quædam dignitas naturaliter competens, quæ vocatur *dignitas æquiualentiæ*; & alia est dignitas dignationis, quæ vocari potest *dignitas congruentiæ, siue complacentiæ. Prima* est, cum res aliqua in se absolutè accepta, & non relata ad aliquid aliud attribuens ei extrinsecè dignitatem, habet in seipsa dignitatem; sicut homo naturaliter est equo dignior propter specificam perfectionem; & panis quolibet alio cibo dignior, quia ad vitæ conseruationem magis aptus, magisque necessarius. *Secunda* dignitas competit rei non ex intrinseca sui perfectione, sed ex alicuius extrinseci beneplacito; vt si nummus ex corio, vel solea calceamenti, consideretur in sua physica entitate, non valet modium triticeæ farinæ; si tamen Rex in sua Pronincia consentiente populo ediceret, vt solea, vel nummus coriaceus tres aureos valeret, digna tunc esset solea, vt pro illa modius tritici redderetur. Hæc enim dignitas esset vel congruentiæ, quia fortè deficiente alia pecunia sic tunc fieri congruebat, vt in bello Granatensi contra Maurum Ferdinandus Catholicus feciſſe legitur; vel esset solius complacentiæ, quia sic Regi, Regnoque placebat fieri, si nulla alia subesset causa. Ita dicimus de Virgine, non fuisse dignam, vt fieret Mater Dei secundùm *dignitatem æquiualentiæ*: illa enim est dignitas naturalis, quam si Virgo habuisset, potuisset etiam naturaliter effici Mater Dei; quod falsum est; nisi enim magna fuisset Dei bonitas, & infinita dignatio, vt ad nos redimendum homo fieri dignaretur, nunquam de Virgine carnem assumpsisset, nec eam in matrem suam elegisset. Sic enim nos docet Paulus Apo-

Ephe. 2. stolus, *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus,* (quasi diceret, & non propter naturalem dignitatem, aut aptitudinem) *misit filium suum vnigenitum* propitiationem pro peccatis nostris. At verò secundùm *dignitatem complacentiæ, & congruentiæ* necessariò concedendum est, Dominam dignam fuisse, quæ fieret Mater Dei; cũ enim Deus statuisset ad redimendũ genus humanum homo fieri, congruum fuit, ipsum de illa fœmina carnem sumere, & corpus sibi aptare, quam in virtutum priuilegiorumque excellentia cæteris præposuerat creaturis. Quare licèt secundùm naturam Virgo prærogatiua maternitatis non erat digna: placuit tamen Deo dignam illam efficere. Dignitatem ergo congruentiæ, & complacentiæ diuinæ innuit Ecclesia, non naturalis æquiualentiæ.

Fuit ergo Beata MARIA *vas paruum* respectu dignitatis, quia non erat digna secundùm æquiualentiam, vt de eius vtero Filius Dei carnem salutarem assumeret: Fuit autem *vas non paruum*, seu vas magnum, referendo ad naturam, quia quantùm ad realitatem naturæ, Filius Dei, atque adeò tota gloriosa Trinitas in Virginis vtero capiebatur: indiuisibilis enim est Deus, atque ita Domina, ad tam paruæ, immò nullius quantitatis rem collata, *vas non paruum* nuncupari poterat; sicut & quantùm ad dignitatem congruentiæ, secundùm quam nulla alia fœmina, nec Angelica mens erat ita magnum vas, Deoque continendo accommodatum.

CAPVT IV.

MARIA Virgo quo sensu vas luminosum, & rursus vas non luminosum.

Sequitur tertia contradictio paradoxa, *vas luminosum, & non luminosum.* Pro qua aduerte apud Philosophos, & perspectiuos duo esse nomina substantiua, lux, & lumen, vnde duo adiectiua deriuantur, lucidum, & luminosum, quæ vulgari Castellana lingua, *lucio*, & *lumbroso* vocamus; sed *lumbroso*, quod latinis est lucidum; & *lucio*, quod latinis est luminosum. *Lux* enim significat claritatem, aut splẽdorem ab aliquo corpore deriuatum, in ipso autẽ corpore luminoso non manentem; vt solares radij ab ipso in terram demissi, lux, & non lumen appellantur, idemque de cæteris corporibus incidentias radiosas à se causantibus. *Lumen* autem dicitur claritas manens in corpore, in quo originem habet, vt sunt radij solares, dum in ipsa solaris corporis superficie splendent. Propriè ergo corpora *lucida* vocamus à se radios lucis emittentia; *luminosa* verò, quæ in seipsis splendorem ostentãt; licèt vsus impropriè loquentium hæc confuderit.

Quare Castellani vice versa, *Lucio* vocant, quod in superficie claritatem aliquam habet, licèt ex se radios non emittat: *lumbroso* verò, quod radios eiaculatur, vt faciũt sidera; vnde gladium politum *lucio* vocant, non item *lumbroso*. Appellantes ergo Dominam *vas luminosum*, si vulgaris vocabuli intellectum sequamur, diceretur, Dominam à se radios lucis emittere: si Latini vocabuli con-

conditione vti velimus, dicetur luminosum, quia in se radios, & splendorem continebat, licèt à se non emitteret.

Posset ergo fortasis vocari Domina *vas luminosum* ob vultus sui splendorem: sicut enim ex Iudæorum annalibus recitat Seraphicus Doctor Bonauentura, Virgo deifera fuit præ omnibus sui temporis fœminis pulcherrima, licèt à nullo fuerit carnaliter concupita; alias ergo omnes mulieres vincens pulchritudine, rectissimè *luminosum vultum* habere diceretur.

Sed quanquam fuit rationi consentaneum, Dominam nostram corporali etiam pulchritudine non caruisse (de quo tamen plenè non constat) adhuc non potest nostro proposito inseruire: Hìc enim cum dicatur *vas luminosum*, non potest hoc exponi secundùm vultus fulgorem, sed secundùm id, in quo vasis conditionè habebat, nempè secundùm quod Dominum Redemptorem continebat. Sicut ergo iuxta Latini vocabuli proprietatè *luminosum* id vocamus, quod lumen in se continet, licèt radios nullos emittat: sic Virgo sacratissima in se continebat Saluatorem, licèt hoc cuilibet intuenti non erat manifestum; Saluator autem noster *Lumen* dicitur, vt eum appellat Simeon iustus Lucæ 2. *Lumen ad reuelationem gentium*; Et Zacharias ante ipsum, Lucæ 1. *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viã pacis*. Immò lumen est super omne lumen, quia Sol est, vt canit Ecclesia: *Ex te enim ortus est Sol iustitiæ Christus Deus noster*. Hic ergo Redemptor noster, qui verè lumen erat, Iudæis intuentibus non patebat: nam eum Messiam esse non credebant, sed vnum de reliquis arbitrabantur.

Luc. 2. Luc. 1.

Sic fuit Virgo *vas luminosum*, quia continebat Saluatorem, qui est verum lumen; Et ad illud ipsum lumen collata, ipsa etiam *vas non luminosum* nuncupabitur. Si enim ipsam virginem continentem in se illud deificum lumen spectemus, potuit dici *vas non luminosum*, quia non erat manifestum alijs ipsam fore genitricem Saluatoris, quia natiuitas eius, & conuersatio, maximè verò conceptio, fuere valdè occultæ. Sic enim Redemptor noster Deus *absconditus* dicitur iuxta Propheræ testimonium, *verè* (inquit) *tu es Deus absconditus*. Nec enim eum Iudæi pro Deo agnouerunt, dicente Apostolo 1. Cor. 2. *Si enim cognouissent, vtique Regem gloriæ non crucifixissent*; vnde consequitur nec eos Virginem agnouisse, vt Dei genitricem.

Isai. 45. 1. Cor. 2.

Immò & in oculis viri sui Ioseph vas istud apparuit non *luminosum*; qui certissimè sciens Virginem à se carnaliter cognitam non fuisse, videns autem vterum eius quotidianis incrementis grauidum, & ne coniectura quidem assequens conceptum de Spiritu Sancto fœtum, quod à sæculis fuerat inauditum; intrà se de re hac contristatus, & conturbatus, cum nesciret mysterium, & nollet Virgini sanctæ adulterij crimen intendere; cogitauit eam occultè dimittere, donec ab Angelo edoctus fuisset supernaturaliter factæ conceptionis miraculum. Et in toto hoc tempore in oculis Ioseph Beata Virgo fuit *vas non luminosum*, sed potiùs tenebrosum.

Præterea in oculis vulgarium, qui non erant à Deo illustrati per huius mysterij cognitionem, MARIA fuit vas *non luminosum* toto tempore conceptionis, & educationis Filij sui Domini nostri IESV: cùm enim illi videant matres Regum, & Principum in magna rerum affluentia versari, subditorum, & famulatuum numero, & priuilegiorum, ac prærogatiuarum excellentijs gloriosas, multò magis imaginarentur Deum glorioſum, qui maior est cunctis Regibus terræ (vt Apocalypsis 1. habetur) voluisse matrem suam (siquam habere dignaretur) similibus, & maioribus excellentijs potiri. Videntes ergo nulla horum in Beatissima Virgine toto tempore educationis filij sui, immò euidenter contraria, vt diuersorium illud humile in descriptione Cyrini, & Christi in stabulo natiuitatem, & fugam in Ægyptum, simplicem, & pauperem vitam, victum ex arte fabrili, & tela, atque acu, & cætera huiusmodi; non existimarunt eam matrem Dei, sed alicuius meri hominis de populo, & cuiuis de populo similis.

Apoc. 1.

Deinde & ipse Christus, qui *lumen erat verum*, in oculis tamen Iudæorum ipsi aduersantium, non lumen, sed ingens tenebra videbatur: quia cùm omnes eius actus ipsorum actionibus, & desiderijs essent oppositi, summopere ei inuidebant, quæcunque ab eo fiebant calumniantes, opprobrijs eum impetentes, vt quòd esset *vorax, & peccatorum, ac publicanorum socius, & potator vini, Samaritanus, & Dæmonium habens*. *Et tandem* in passione tota Iudæorum cohors à Sacerdotibus in ipsum concitata, malefactorem eum proclamat, dicens Matth. 27. *Si non esset hic malefactor, non adduxissemus eũ ad te*. Cùm ergo ex huiusmodi opprobrijs constet, Christum in oculis perfidorum Iudæorum, non lucem, sed tenebras magnas apparuisse: etiam Domina mater ipsius vas *non luminosum* in eorundem oculis videbatur.

Mat. 27.

CAPVT V.

MARIA Virgo vas vacuum, & non vacuum.

Iam sæpiùs diximus, Beatissimam Virginem vas totius puritatis fuisse: ideòque, & totius

totius impuritatis, aut inquinationis *vacuũ vas* debet appellari; nulla enim labes in ipsa fuit; Et cùm vas plenum fuerit omni virtute, vacuum vas omni vitio debuit appellari, mortali, veniali, actuali, & originali: Sed quia iam etiam diximus istas antitheses magis propriè de Virgine dici per comparationem ad ipsum Saluatorem, quem vt vas continuit, videamus, quomodo eius respectu *vacuum*, & non *vacuum vas* dici debeat?

Priùs tamen *sciendum* est Latini idiomatis vsu *vacuum* duobus modis dici posse. Nam & *vacuum* dicimus, cui aliquid deficit, vt cum hominem insensatum, & stultum, *vacuum sensu*, aut prudentia asserimus. Ita enim res singulas *vacuas* esse iudicamus, cum B aliquid ipsis deest, quod inesse debebat, siue illud, quo carent, sit incorporeum, siue corpore præditum; quamuis vacuitas magis ratione corporum dicatur, quàm incorporalium. Dicitur etiam *vacuum corpus*, quod vltimò susceptiuum est alicuius corporalis, nondum tamen susceptit; de quo disputat Aristoteles in physicis suis; quod aliqui putabant esse spatium contentum inter latera corporis cõtinentis, & contenti; vulgo autem vsu loquendi receptum est, vt *vacuum* dicatur corpus aliquod, quod alterius corporis capax est & non continet vllum corpus solidum, vt arca vacua pecunijs, quibus tamen potest repleri; & sic Poetę solent totam aëris, & ignis C sphęram, *vacuum*, & *inane* appellare; non quia nullum ibi corpus est, est enim aër, & ignis: sed quia solido, densoque corpore totum illud vtriusque elementi spatium non repletur. Et sic in hac antitesi de vacuo loquimur.

Non potuit autem Domina dici *vas vacuum*, secundùm quod mente sua continebat Saluatorem, quia nunquam ab illa mente gratia, & fides, virtutumque omnium chorus abiuerunt, vt sic *vacuum vas* diceretur. Restat ergo, vt respectu modi, quo realiter Christum in vtero continebat, hæc de illa antitesis verificetur. Et quidem quando Christum veraciter intra se continebat, tunc D non potuit *vas vacuum* appellari, quia corpore Christi replebatur; sed fuit tunc quodammodo *vas vacuum* priore significatione, quia in se non continebat id, quod secundùm naturæ cursum continere debuerat, nempe semen virile ad fœtum naturaliter requisitum, in ipsa autem per Spiritus Sancti operationem suppletum.

Rursus quia Virgo fuit integerrima: virginitas autem sterilis est, nihilque concipiens, aut pariens natura sua, inde etiam *vas vacuum* nuncupari potuit; Hinc signum illud Zodiaci, quod Sol in vltima Augusti, & prima Septembris medietate pertransit, ab Astrologis *Virgo* appellatur: quòd eo tempore terra nihil gignat, aut proferat, sed tota marcida est, & sterilis, sicut virginitas est ab omni prole infœcunda. A

Fuit è contra *vas non vacuum*, in quantum continuit Christum spiritualiter ob fidei abundantiam, cum integrè crediderit, licèt conceptus virginalis naturæ esset impossibilis, nec vnquam in tota consequentium sæculorum serie contigisset, potestati tamen, bonitatique immensæ Dei nec hoc, nec aliquid aliud impossibile fore. Et sicut in ea fuit abundantia fidei, sic etiam fuit plenitudo resignatissimæ obedientiæ, qua consensit humiliter fieri Dei genitrix, vt sic aliquem ipsi impenderet famulatum; atque ita *vas non vacuum*, sed fide, & obedientia plenum fuit. B

Respectu etiam modi, quo realiter continuit Christum, *vas non vacuum* fuit: quamuis enim ipsius considerantes Virginitatem, arbitrari possemus, eam vacuam fuisse, id est, non concipere, aut parere, quia hoc vulgo virginitatem consequitur in alijs; reuera tamen vacua non fuit; quia quod virile semen, virginitati inimicum non fecit, quia huc nullatenus accessit; fecit superueniens virtus Spiritus Sancti, sicut Gabriel Archangelus prædixerat. Cùm ergo benedicta Virgo Filium Dei, verum Deum, & hominem conceperit, & nulla alia mulier tantæ excellentiæ natum habuerit, quæ tamen grauidæ, plenæque dicuntur, cum sunt prægnantes, meritò *vas non vacuum*, sed superplenum nuncupanda est. C

CAPVT VI.

MARIA Virgo vas mundum, & non mundum.

Hæc est vltima figurati nostri paradoxi antitesis, in qua dicendũ est, quòd cùm Domina nostra omnibus creaturis excellentior fuerit, omnes modi puritatis, atque perfectionis, qui in omnibus creaturis sunt, in Virgine Domina nostra excellentiùs reperiantur; vt sic suo modo, non quidem *secundùm æqualitatem*, sed *secundùm quandam proportionalitatem*, regulam sancti Dionysij Beatissimæ Virgini possimus applicare, quam ille in diuinis perfectionibus inquirendis seruandã esse docet in libro de diuinis nominibus. Vult enim, vt quælibet perfectio reperta in aliquo genere, aut specie creaturæ attribuatur Deo perfectiùs, quàm in illo genere, aut specie creaturæ reperiatur, quia Deus nimirum infinitæ perfectionis est, nullum suæ bonitatis habens terminum. Si autem omnis perfectio cuiuslibet generis Deo non attribueretur, daretur aliqua perfectio, quæ in Deo no esset, & ita tolleretur diuinę

per-

pefectionis infinitas; cùm infinitum sit, quod omnia comprehendit, in se nullum habens finem. Deus autem ex parte illa finitus esset, qua illi alicuius generis perfectio deesset. Quare si esse hominem aliqua perfectio est, necessariò ista erit in Deo; licèt non eodem modo sit in ipso, quo est in homine; atque ita de quolibet genere, & specie creaturæ. Proportionali modo, quia Domina nostra perfectior est omnibus alijs creaturis, non perfectione naturæ, sed specialium gratiarum, & priuilegiorum, conueniens est profectò omnem gratiæ, & bonitatis spiritualis perfectionem, quæ in creaturis reperitur, eidem etiam Beatissimæ Virgini attribui, atque ita omnes puritatis modos in illa reperiri.

Et primùm doceamus omnem puritatem, & munditiam corporalem in illa fuisse immunem ab omni prorsus macula. Dicimus autem *maculam corporalem*, cùm aliquod corpus monstrosum est, vt puta plura membra, membrotumue particulas habens, quàm communiter alia corpora habere consueuerunt; vt multos digitos, vel manus, vel alios artus; aut si pauciora membra habeat membrorumue partes, quæ in materno vtero formatæ non fuerint; aut si insolitæ magnitudinis fuerint, vel paruitatis; aut si absque mutua membrorum consonantia, & symmetria nascantur corpora. Has enim, similesque maculas nullatenus in Virgine fuisse, ex duplici patet fundamento.

Primum fundamentum est, quia (sicut testatur Aristoteles in libello de Physiognomicis,) *monstrosum corpus monstrosam animam* repræsentat; quasi corpus insolitum modum ab omnibus alijs corporibus habens signum sit, animam in tali domicilio habitantem peruersis obnoxiam esse inclinationibus. Verum est quidē, Deum posse huiusmodi inclinationes corrigere, auferendo peruersitatē malorum desideriorum, & operum, ipsamque animam rectè in se, & affectibus suis ordinando; idque nulla interposita difficultate, non solùm facere potuit, sed etiam sæpè facit Deus in multis viris, & mulieribus. Cæterùm hoc in Beata Virgine Domina nostra fieri nullatenus condecebat. *Primò*, quia quod optimè, fieri potest, illud malè ordinari, peccatum est: Deus autem poterat genitricem suam talem facere, vt & animo esset sanctissimo, & corpore pulcherrimo, & bellissimè disposito; cur ergo non condecebat, vt talem eam faceret? *Deinde*, cùm aliquid possit conuenienter fieri sine difficultate, & labore, id ipsum facere cum labore, & difficultate, absurdum esse videtur; peccatū est enim facere per plura, quod fieri potest per pauciora, ait in octauo Topico Aristoteles. Sic autem se habet res in nostro casu, quòd absque dubio Deus sine vllo labore potuisset genitricem suam efficere, & animo, & corpore ornatissimam. Si ergo eam *priùs* effecisset corpore monstrosam (cui dispositioni correspondet plerumque peruersa animæ inclinatio) & *posteriùs* eam bonæ inclinationis reddidisset, fuisset hoc dupliciter ad idem laborare; quod nullatenus conuenit Deo, cum rectissimè dicat Aristoteles primo Politicorum: *Deum, & naturam nihil frustra facere*. Nam si Deus Beatam Virginem integram sine monstrositate primò fecisset, iam vnica ibi fuisset actio; si verò fortassis monstrosam effecisset, & deinde peruersas inclinationes monstrosam corporis habitudinem consequentes, abstulisset, iam ibi duæ actiones interuenissēt: quibus tamen nō ita perfecta Virgo facta fuisset, sicut illa vnica actione fieret; quia si hæc secunda actio auferebat animæ malas dispositiones, corporis tamen imperfectionem relinquebat. Non est ergo rationi consentaneum, dicere Beatam Virginem vllatenus corpore deformem fuisse.

Secundum fundamentum est, quia admissa in Virgine benedicti corporis sui deformitate, quamuis simul diceremus ablatas fuisse ab anima eius procliuitates peruersas, quæ ad malam corporis dispositionem consequūtur; alij tamen Virginis intuentes monstrositatem, animæ verò deformitatem ab ea diuinitus ablatam nescientes, semper opinarentur ipsam peruersis operibus, & desiderijs obnoxiam, & tanquam nullius probitatis, aut infamem prorsus mulierculam iudicarent; & inde procliue etiam esset eadem de Christo ex ea nato cogitare; quod non est concedendum, cùm Christus omnem ocasionem probra, & conuicia cum aliquo fundamento in se nequiter conijciendi abstulerit. *Rursus* non est concedendum, quòd taliter formauerit Deus Virginem matrem suam, vt omnibus haberetur despectui; quod solet accidere monstrosis, & deformibus, qui intus angustias patiuntur, & animo vruntur, propterea quod ob corporis odiositatem, vel contemptibilitatem non audeant se aliorum consortijs adiungere. *Iterum* Christus nullam in se pœnalitatem, aut pœnam suscepit, quæ non esset vtilis ob finem redemptionis nostræ: suscipere autem aliquod opprobrium ex opprobrio matris suæ in seipsum redundans, non apparet vllius vtilitatis esse; est autem magnum opprobrium sobolis, quòd ex parentibus nascatur vitiatis notabili aliquo animi, vel corporis defectu, aut monstrositate; sicut versa vice glorioſum est filijs nasci ab aliquo parente, in quo apparet excellentia dotum corporis, & animi. De hominibus autem monstrosis, aut notabiles habentibus corporis defectus; clarum est inter alios omnes deprimi solere, non solùm

quan-

quantùm ad singulares priuatarum personarum actus, sed etiam quantùm ad honores publicos, & munia reipublicæ, quorum sunt per legum dispositionem incapaces; quos enim corpore monstruoso conuincunt, alijs hominibus ingenio, & mente pares esse iura non præsumunt; sic iure ciuili ab officio iudicis arcetur deformis corpore; & iura canonica tales etiam ab Ecclesiasticis honoribus excludunt. At certè non modicùm derogaret dignitati Redemptoris, matrem habuisse talem, quæ à publicis honoribus expellenda esset bonarum legum dispositione. Nullatenus ergo concedi debet eam deformem corpore fuisse.

Addamus aliunde, quòd pulchritudo corporis magnæ etiam bonitatis, & præclaræ indolis est indicium; pulchritudo enim oritur ex bona complexione; bona autem complexio signum est, & efficax causa boni intellectus: quando enim organa phantastica benè sunt dispositæ, intellectus, cui illa subseruiũt, rectè apprehendit, rectèque iudicat; at si illa phantasiæ instrumenta malè sint disposita, intellectus in suo opere aut parum, aut perturbatè, aut omnino nihil potest. At bonus intellectus, & rectæ rationis excellentia facit habentem aliorum Dominum, & rectorem, (vt disputat in politicis Philosophus) ex pulchro igitur sequitur dignitas dominij, sicut de Priamo Troiano vulgatum illud iactatur, *Species* (seu pulchritudo) *Priami digna imperio*; Hæc ergo pulchritudinis perfectio, ad dominij dignitatem prævia, meritò est Dominæ nostræ concedenda.

Tandem si Deus in sacrificijs suis nullum animal mancum, aut scabrosum, cæcum, aut aliàs quomodocumque maculatum offerri volebat, vt patet Leuitici 22. & Deuteronomij 12. quantò magis dicendus est noluisse aliqua similium macularum labe contaminatam matrem habere? quælibet enim earum ipsam minoris existimationis apud omnes effecisset, & mysterio tantæ dignationis, & dignitatis, quæ tæ fuit incarnatio filij Dei, inepta. Patet ergo quomodo Domina Virgo Deipara potuit dici *vas mũdũ* ab omni prorsus macula corporali.

At non ideò præcipuè conuenit illi hæc appellatio, sed maximè propter munditiam, & puritatem spiritualem, qua præcipuè fulgebat. Munda enim fuit ab omni iniqua cogitatione; syncera ab omni peruersa loquutione, pura ab omni inquinata operatione. Item munda ab omni labe originali, syncera ab omni peccato mortali, pura ab omni culpa etiam veniali. Fuit autem hæc puritas, & mundities animi perfectiori modo in B. Virgine, quàm in alijs omnibus creaturis: sic enim sacri testantur Doctores, *decuisse mirum, vt Beatissima Dei Mater tanta puritate polleret, qua maior sub Deo non posset reperiri*: Siue accipiatur puritas propriè pro priuatione, aut abstersione omnis culpæ, aut maculæ, nam sic ab omni prorsus vel minima labecula pura fuit; siue accipiatur puritas pro augmento virtutum, aut secundùm numerum, aut secundùm gradualem intensionem: nulla enim totius vniuersi creatura ita perfectas, seu gradualiter intensas habuit virtutes, sicut habuisse Virginem gloriosam credimus.

Fortè contradicet aliquis huic assertioni, & arbitrabitur, alias creaturas Deipara Virgine fuisse virtutum laude perfectiores: testantur enim Euangelistæ à Christo dictum fuisse: *Inter natos mulierum non surrexisse maiorem Ioanne Baptista.* Et tamen Domina fuit de natis mulierum; quare videri potest minor Ioanne.

Sed huic leuissimæ obiectioni multifariam obuiam ire possumus, inspecto ipso modo loquendi Saluatoris nostri: quia si consideretur ad quid ista protulerit verba, minùs significant, quàm videntur. Nunc solùm dixisse sufficiat, quòd Saluatoris verba de solis masculis sint prolata, & nequaquam de fœminis, cùm loquatur in genere masculino, *inter natos mulierum. Et siquis dicat*, secundùm regulas Grammaticorum, imo & secundùm regulas iuris, fœmininum sæpe venire in masculino intelligendum: *Respondebimus*, hìc non posse locum habere illam conceptionem fœminini generis ex masculino: si enim communiter de vtrouis sexu loqui voluisset Saluator, non fuisset scriptum, *natos mulierum*, sed *natos de mulieribus*. *natus* enim *mulieris*, in genitiuo, & sine præpositione, filium significat, & non innuitur in eo vlla generum conceptio: quando autem ponitur præpositio, *natus ex muliere*, nõ filium; sed id, quod nascitur, significat, & tàm masculum quàm fœminam repræsentat. Constat ergo Virginem Beatissimam omnibus creaturis virtutum laude fuisse perfectiorem. Et sic *vas mundum* rectissimè nuncupabitur.

Nec illã tamẽ ob causam solũ, sed multò aptiùs intentioni ænigmatis propositi dicetur Domina: *vas mundum*, quia Dominum, & Redemptorem nostrum continuit: *Primum quidem conceptualiter* per fidem, & resignationem, & consensum ex intentione Deo famulandi impensum, & sic *metaphoricè vas mundum* appellari potest: omnes enim consensus, cogitationes, & proloquutiones, si secundùm genus malæ non sunt, & ad iniquum finem non referuntur, castæ & mundæ dici possunt, vt in Psalmo 18. *Eloquia Domini eloquia casta* vocantur. *Secundò*, continuit Saluatorem *realiter*, & secundùm hũc modum maximè propriè *vas mundum* dici debet, nullã scilicet, prorsus suscipiens immunditiam ad ipsum Saluatorẽ concipiendũ; cùm tamen secus in omnibus alijs fœminis accidat, quæ ad prolem cõcipiendam necessariò semen virile

suscipiunt; quod licet ex se res immunda non sit, quia Dei creatura est: quia tamen in originalis culpæ pœnã factum est, vt seminalis decisio ex maris, & fœminæ commixtione sine concupiscentiæ de ordinatæ passione nullatenus fiat; quam passionẽ scriptura vocare solet immunditiam, & iniquitatem (vnde Psalmista: *Ecce enim in iniquitatibus cõcepius sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quòd licet de originali culpa dici possit, aptius tamen de quibusdam pœnalitatibus consequentibus carnalem commixtionem dici poterit, quæ reliquiæ peccati originalis nominantur) propterea seminis susceptio sine immunditia fieri naturaliter non potest. Ab omni hac immunditia immunis fuit B. Virgo, quia in cõceptione prolis suæ non fuit carnalis commixtio, aut seminalis decisio, sed mundissima Spiritus Sancti operatio; vt propterea hæc rectissimè, *vas mundum* dici mereatur.

Et tamen *vas hoc mundissimum* potest duplici respectu *vas non mundum* appellari. *Primò* quidem, si conferatur ad Redemptorem, quem in vtero suo gestabat: cõparatione enim habita ad infinitam Domini puritatem, non erat ipsa sufficienter pura, vt digna haberetur, quæ genitrix Dei fieret, vt iam antea declarauimus; atque ita munditia ipsius, licet suprà omnes creaturas maxima, collata tamẽ puritati Redemptoris, quẽ in vtero habebat suo, vocari non poterat puritas, sed potius nõ munditia. Et modus hic loquendi fundamentum habet in sacra pagina, vt patet in libro Iob, vbi de perfectione diuina loquẽs, ait: *Coram eo cœli quoque immundi sunt, & in Angelis suis reperit malitiam.* Et tamẽ cœli simpliciter mundi sunt; & Angeli, qui cum Deo sunt, malitiam nullam habent: vocatur tamẽ *immunditia*, & prauitas, parua puritas cœlorum comparata ad infinitam Dei puritatem; & Angelorum bonitas vocatur *malitia*, ad diuinam collata bonitatem. Imò & in Philosophicis ita loqui solemus: quoniã priuatio vno modo dici solet forma minoris perfectionis, respectu formæ magis perfectæ; sic nigredo dicitur priuatio albedinis: & maior albedo tanquã forma, cuius respectu minor albedo priuatio nuncupari solet. Atque ita infinita Dei puritas verè puritas dicetur: & minor puritas respectu illius, non puritas, sed priuatio vocabitur puritatis; atque ita hoc sensu sine iniuria, aut indecentia Beatissima Virgo *vas non mundum* dicetur, ad suum comparata, quem gerebat filium.

Alio modo potest etiã dici *vas non mundũ*, non quidẽ secundũ veritatẽ, sed secundũ opinionẽ, & apparentiã: licet enim verè vas fuerit mundissimũ, aliquibus tamen visa est *non mundũ*. Nam increduli Iudæi vidẽtes eam iuuenculã cum Ioseph grandæuo contraxisse, & posteà grauidã: vidẽtur ex probrasse, quasi ex alio per adulteriũ cõcepisset, quã ex Iosepho sene cõcipere nõ potuisse iudicabant; sic enim videtur sonare illa Christo facta ab illis improperatio: *Nos ex fornicatione nati non sumus.* Ac si obliquè vellent blasphemantes innuere, ipsum ex fornicatione natũ fuesse. Licet ergo verè Domina vas fuerit mundissimũ, tamen cæcorũ Iudæorum oculis non fuit vas mundum. *Preterea*, & in eorũ oculis, qui Dominum ex Ioseph natũ fuisse arbitrabanturs vnde Lucas dicit, cum genealogiã Saluatoris retexit, *vt putabatur filius Ioseph*, & alibi dicunt Iudæi, *hic est filius fabri, & mater eius atque sorores apud nos sunt.* Nam Christũ ex virili semine natũ carnalẽque cõmixtionem in eius cõceptione interuenisse, aut ardorem cõcupiscentiæ, immunditiæ sunt, & nõ puritates. Et quia nullus Hebræorũ istorũ Christũ de Spiritu Sancto conceptũ arbitrabatur, sed de virili semine: ideo omnes eam *vas nõ mundum* reputabant; quæ tamen fuit *vas mundissimum*, quòd ipsum fontem totius munditiæ intrà sua benedicta viscera realiter continebat. Et ita explicata est litteralis series primi huius paradoxi figurati.

F. AMADEVS FRANCISCANVS.

NOTA.

Regio sanguine clarus venerabilis F. Amadeus, vel Amadeum, vel Amodeus, siue Amator in sæculo Petrus Ioannes Menesius dictus: Primi Comitis villæ Regiæ ex matre nepos, ac primi itidem Comitis Portalegrensis, nec non B. Beatricis à Sylua Ordinis Cõceptionis illustris fundatricis vterinus frater, mirabili modo

do à mundo aufugit, & mirabiliori Assisij nostram Seraphicam Minorum Religionem ingressus, Mediolani Amadeorum Congregationis institutor, & Romæ Sixti IV. Pont. Max. Confessor extitit, qui viginti duobus annis à sua conuersione expletis an. à Christi Incarnatione M.CDLXXXII. cœlis fuit redditus. De eius mira pœnitentia, abstinentia rara, Religione summa, eximiaquè sanctitate, moribus, virtutibus, & miraculis multa à multis prædicantur. Hæc de vita breuissimè indigitata sufficiant, nam alia me expectant. Cætera latè referunt Hist. Seraph. part. 1. & par. 2. in Conu. 2. & 35. Pro. Rom. & multis alijs in locis Arturus à Monaster. in Martyrol. Francisc. ad diem 10. Augusti. Marcus Vlissipon. 3. part. Chronic. Minor. lib. 6. cap. 30. Tossinian. lib. 2. & 3. Hist. Seraph. Rapinæus 4. Decad. Histor. general part. 1. §. 3. Volater. lib. 21. Antropol. tit. de Eremitis, Firmamentum trium Ordinum tract. 1 Memorial. Ordin. Minor. sub 35. Generali Vvadingus tom. 1. Annal. Minor. ad ann. 1215. §. 3. & tom. 4. ad ann. 1399. §. 52. Antonius Vasconcelius Iesuita in descript. Regni Lusitaniæ, fol. 525. sub num. 11. Gaspar Varrerus in Chorographia Lusitan. fol. 245 Hieron. Roman. in Repub. lib. 6. cap. 14. fol. 301. Ioan. Ludou. Gotofredus in Archontolog. Paulus Morisius lib. 1. Orig. Relig. cap. 51. D. Ioseph Michel in thes. Relig. fol. 109. & alij infra citandi.

De doctrina verò sciendum, Amadeum (inter alia, quæ temporis iniuria perierunt) scripsisse Nouam Apocalypsim, seu diuinas Reuelationes in Raptus octo, & sermones decem partitas, in quibus ea quæ adhuc in cor hominis nõ ascenderunt, scilicet, de creatione, prælio, & casu Angelorum; de Mundi, & hominis productione; de Christi Domini, & Virginis Matris MARIÆ vita, & actis, de futuro statu Ecclesiæ, de eius Summo Pontifice, Pastore què futuro, de Regnorũ euentu, Imperiorumquè translationibus mira narrat, & prædicit, & incipit: Ego Amadeus fui raptus ex spelunca mea in monticulum quendam, & in Rota vbi Deo astabant astra matutina, id est, Angeli, & animæ Beatorum quos colimus, & veneramur, & dum ibi essem pauor, & tremor me obruit, nec sciebã verbum proferre, sed eram quasi homo sine sensu, & cognitione; tunc astitit mihi vir aspectu decorus, facie, & veste rutilans, & verbis me alloquitur; dicẽdo, agnoscis me seruc Dei? Ad quem ego, Domine mi numquam amplius in loco isto fui: nunquam talem cætum vidi: nunquam talem splẽdorem sensi, quomodo te agnoscere possum? At ille, ego sum Gabriel ille, qui semper ad reuelandum mysteria verbi Dei sum missus, cui tu oratione quotidiana te commendas: ille sum qui MARIAM verbi Dei Matrem salutaui, conturbaui, & confortaui, &c. *Huius egregij operis plura in orbe circunferuntur transumpta Autographa, seu exemplaria manuscripta v. g. in Bibliotheca Vaticana, Altempsiana Sfortiana, Sirletina, Dominicana Lugdunensi, Franciscana Barchinonensi, & Olmedensi, &c. Præter hæc ego vidi, & legi transcripta quinque. Primum, in Bibliotheca Regia S. Laurentij Escurialis Pluteo 3. littera. D. Numero 4. in folio, & hoc extat diminutum. Secundum, ibi completum, & omnibus numeris absolutum littera F. Arca. V. nu. 15. in 4. Regali Tertium in Bibliotheca Dominæ Nostræ de la Salceda. Pluteo G. num. 16. Quartum, ab isto trãsumptum habet R. P. F. Basilius Galindus Matritensis Conuentus Religiosissimus Nouitiorum Magister, & noster amicus.*

Quintum habeo in nostra Bibliotheca ex illa Eminentissimi D. D. Gasparis de Borja S.R.E. Cardin. & Archiepiscopi Toletani acquisitum.

Doctrinam contentam in hac Noua Amadei Apocalypsi multi probati, & excellentissimi Doctores, vel in parte, vel in toto laudant, & prædicant. R.P. Agidius à Præsentatione Augustinianus lib. 2. de Concept. quæst. 4. art. 7. §. 4. num. margin. 62. Postremò pro hac opinione ego addo nonnulla Apostolorum testimonia S. Andreæ, Thomæ, Matthæi, & Matthię quæ ex reuelatione S. Gabrielis scribūtur à S.F. Amadeo in libro, qui intitulatur Apocalypsis Noua, & habetur in Bibliotheca Regia S. Laurentij. *Deinde transcriptis Apostolorum dictis, concludit:* Nec de sanctitate B. Amadei dubito, nec quòd illi hæc facta fuerit reuelatio. *Vide quæ habet ibi lib. 3. quæst. 6. art. 4. §. 2. num.* 16. *Vuadingus in legati de Concept. tract.* 11 *sec.* 3. *fol.* 343. Aliæ alijs factæ sunt postea reuelationes de hac eadem mundissima Conceptione, quarum illæ non sunt obscurę, quas ibi factas refert Raptu 8 B. Amadeus pręclarissimus Congregationis Amadeorum fundator, cuius corpus magna cum veneratione colitur Mediolani. *Gotofredus.* Erat ille admodum contemplatiuus, multasquè habuit visiones propheticas, & res futuras prædixit. *Sanct. Peregrinus in Bibliot. Hispanica, lib.* 3 *fol.* 477. Nonnulla etiam edidit opuscula; erat enim eloquio pius, simplex, breuis, & sale conditus, collectissimo animo diuinis, & cœlestibus contemplationibus ex integro cùm se consecrasset, miris reuelationibus illustrari meruit, quas cùm scripto redigisset, talia de futuro statu Ecclesiæ, & Imperiorum translatione prædixit, vt idem quod Danieli Hieronymus Epistola ad Paulinum tribuit Epitheton, illi congruere totiusquè mundi Philohistor appellari possit. *Quæ verba ad vnguem ante ipsum scripsit Henric. Vulotus, & post ipsum transcripsit Artur. à Monasterio. Lege Franciscum Binarium Cistercienscm, in Chron. Flauij Dex. ad annum* 36. *Petrum Canisium, Antonium Posseuinum, Ludouicum Turrianum, Petrum Gala. Matthæum, Frechum, Hugonem Magnesium Dormitium Thadæum Ludouicum, Manganellum, Ioannem Serranum Episc. Acerrensem lib. de Concept. fol.* 181. *Antonium Dazam, & alios. Tandem R. P. Paulus Morisius Ordin. Iesuatorum in sua Histor. de orig. omnium Religi. post multa de B. Amadei admiranda vita, & sanctitate, de eius scriptis, & libro. fol.* 314. *sic patrio sermone concludit.* Piaceua molto à questo Beato ildarse a la contemplatione, como cosa atta non solo di congiongersi à Dio, ma anco efficacissima di farci gustare la sua suauissima dolcezza: scostauasi souente dagli altri in luogo solitario, attendeua ad assaggiare le inenarrabili allegrezze de le cose celesti, & in tal maniera s' vnì à Dio per santa contemplatione, che meritò dal signore di hauere molte belle, & celesti visioni, le quali sono tutte piene di profetia: parlando elleno di molte cose e' anno à venire. E intitulato il libro delle Reuelationi del B. Amadeo, & assai gran volume: Io mi recordo (gia dodici anni sono) che la Reuerenda Matre Sor Paula Maria conata, nata non solo nobilissima di sangue, ma molto piu riguarde

vole

vole di virtù,& buoni costumi,la quale già fino ad hora per le sue rare qualità è stata Madre ouero Priora due volte del tanto honorato Monasterio di Santa MARIA di Milano) macommodò d' vno di questi libri,del quale,leggendolo pigliaua multo gusto,& consolatione spirituale. *Deinde cum hanc nostram Bibliothecam, vt Censor assignatus litteratissimus,ac Reuer. P. Fr. Didacus Nissenus,in nomine, alter Nissenus in re, alter Basilius,& si hic Græciæ,ipse Hispaniæ Phœnix inuisisset,eũque enixiùs deprecatus essem,vt hosce tres Raptus,& Reuelationes in ipsis contentas toto animo,studio,& attentione legeret, & perlegisset, nihil in eis inuenit, quod non sapientiam, & Spiritus Sancti gratiam redoleret, hoc ipsum affirmat D. Antonius de Leon in sua Bibliotheca Mariana.*

Tandem in Bibliotheca Franciscana Barchinonensi extat transumptum Nonæ Apocalypsis Amadei suffultæ attestatione, & subscriptione Illuminatissimi P. F. Antonij Ortiz semel, & iterum Prouinciæ S. Gabrielis emeriti Prouincialis, & Sanctissimi viri B. P. F. Petri de Alcantara inter Beatos iam à Sede Apostolica relati; attestatio enim contenta ad finem Amadeanæ Apocalypsis (adducta authenticè à R. P. D. Ildephonso Brizeño fol. 266.) Hispano sermone conscripta talis est: Y siendo Prouincial (*id est prædictus P. F. Antonius Ortiz*) le oì alabar mucho este libro del B. Amadeo,y le oì dezir,que à todo lo que el alcançaua era Catolico,y que no tenia cosa que repugnasse à nuestra santa Fè Catolica,y sè que siendo Prouincial, embiò este libro con dos Frayles al Reuerendissimo señor Cardenal Arçobispo de Seuilla Don Alonso Manrique Inquisidor mayor de España, y el dicho señor Arçobispo le escriuiò dende algunos dias al dicho Fray Antonia Ortiz vna carta,en que dezia,que el auia mandado leer aquel libro del B. Amadeo,y ver con cuidado à algunos Teologos,y que no estauan escandalizados en lo en el contenido, &c. Y yo porque es verdad lo arriba contenido,lo firmè de mi nombre. Hecha en Asciton à 25. de Febrero de 1543. Fr. Petrus de Alcantara.

Lim de Transcribentibus,& suos libros dictis B. Amadæi exornantibus libet aliqua dicere R. P. Hippolytus Marraccius Lucensis è Congregacione Clericorum Regularium Matris Dei MARIÆ, in suo inscripto libro: Apostoli Mariani, seu de singulari Sanctorum Apostolorum in MARIAM Deiparam Virginem pietate impressum,& approbatum Romæ anno 1643. de verbo ad verbum transcripsit Apostoli dicta, seu sermones prædicatos ab ipsis in B. Virginis Dei Matris morte ex Raptu 8. N. Amadei de ipso autem hæc habet. Amadæi reuelationes in hoc opere productas,cùm peculiaris sint personæ, nec ab Ecclesia receptæ, atque eiusdem calculo approbatæ existant,neminem ad credendum coarctare affirmo,nec easdem proprie dictas reuelationes, Deique oracula,sed pias potiùs meditationes esse pronũtio. Qui autem fuerit Amadæus,aliàs Amator,&c. *Doctissima, atque sanctissima Hispalensis Ecclesia cùm ad ann. 1615. pro Immaculatæ Virginis MARIÆ tuenda purissima Conceptione rescriptum, seu vt communiter dicitur* informe *ad Apostolicam Sedem destinatum fecerit, ex dictis de peccato originali, & Conceptione Virginis in hoc*

libro B. Amadei multa, immo ferè omnia summa veneratione allegata deprompſit. R. P. Euſebius Societ. Ieſu in libro de Orig. ſacr. ſcripturæ lib. 2. cap. 14. Hymnos ſeu Pſalmos à B. Amadeo adductos de Adamo in productione Euæ, & alterum Protoparentum culparum remiſsionem implorantium, & obtinentium ad vnguem adducit, & libro 11. cap. 9. ex Raptu 8 plura. Doct. Hieronymus de Hormachea Guerrero in lib. Cant. Cantic Prolegom. 2. ſub num. marg. 199. ex hoc tranſcripſit dicta Apoſtolorum Andreæ, Thomæ, Matthæi, & Lucæ

His tamen, & alijs elogijs Amadæanæ doctrinæ non obſtantibus, Thomas de Vio Caietanus in ſuis ad D. Thomam commentarijs in 2. 2. q. 174. art. 6. in Reſpon. ad 3. eam carpit, dicens: Singulis temporibus non defuerunt aliqui prophetiæ ſpiritum habentes, non quidem ad nouam doctrinam fidei depromundam, ſed ad humanorum actum directionem. Nota benè contra nouos Prophetas (& ſpecialiter quendam Amadæum, qui, vt aiunt, librum edidit nouam doctrinam, eorum quæ ad fidei Chriſtianæ myſteria ſpectant) introducere conantes. *Illud aduerte*, vt aiunt librum edidit, *ex quibus patet Caietanũ ex rumore vulgi locutum, vt minùs rectè de Amadeo ſentiret. Cornelius verò à Lapide in explanatione Apocalypſis in prol. pag. 10. & cap. 1. vol. 4. fol. 17. ſic de Amadeo, & eius doctrina.* Porro nomina ſeptem Angelorum iam recenſita diuinitus fuiſſe reuelata B. Amadeo viro ſanctitate, miraculis, & prophetijs illuſtri, legi in Chronicis Eccleſiæ S. MARIÆ Angelorum paulò ante citatis, idquè contigiſſe ſub annum Domini M. CCCCLX. Idem teſtatur Petrus Galatinus lib. 2. in Apoc. c. 8. Fuit hic Amadæus illuſtris familiæ Luſitaniæ, qui Dei amore incẽſus, ſpretis omnibus opibus, & ſtatibus, monitu S. Frãciſci eius Ordinem amplexus eſt, illiuſquè reformationem, quæ Amadæorum vocatur, inſtituit. Vnde à Luſitanis B. Amator ab Italis B. Amadeus vocatus eſt. Hinc à Sixto IV. Pontifice in confeſſarium electus, & aſcitus ab eo obtinuit montem Aureum vulgo dictum Montoriũ, vbi crucifixus dicitur S. Petrus, ibique Monaſterium ſui Ordinis extruxit, de cuius ſanctitate, & reuelationibus multa habent Chronica Ordinis S. Franciſci par. 3. lib. 6. cap. 30. vbi tamen addunt, monentquè, eas non extare puras, ſed ijs varia à varijs eſſe addita. Ego eas Romæ diligenter quæſiui, inueni, perlegi, itàque eſſe comperi. Reperi nomina ſeptem Angelorum eadem, quæ paulò ante recitaui, ſed ibidem legi nonnulla paradoxa, & de falſitate plenè ſuſpecta, vt Angelos cũ cœlo Empireo diu ante cœlũ, & terrã creatos eſſe, terram initio mundi creatam fuiſſe: terram initio mundi creatam fuiſſe materiam primam: lucem initio mundi creatam fuiſſe ſolem, ac proinde ſolem non quarto, vt ait ſcriptura Geneſ. 1. ſed primo mundi die creatum eſſe; initio creatum eſſe primum mobile, & cœlos Planetarum, ac proinde ingens fuiſſe vacuum intermedium, quod ſecundo die quo creatum eſt cœlum chriſtallinum, impletum ſit: corpus Adæ formatum eſſe à tribus Angelis, &c. Adde opiniones Scoti (qui fuit Minorita, vti & Amadæus) in ijs paſsim inſeri, quaſi oracula, vt non ſine cauſa-

causa vir grauis dixerit: Angelus B. Amadæi fuit Scotista. *Censor Cornelius, sed pium, doctum, & modestum pariter se ostendit.*

Aliter R. P. Abrahamus Bzouius vbique ipse. Nam tom. 18 suæ Hist. Eccles. à fol. 27. vsque ad 30. B. Amadæi vitam, & doctrinam in superioribus à tot, & tantis laudatam viris taxat, inculcat, modisque omnibus cauillari conatur, & oppugnare, & calamo, animo, & fide, quibus alia scripsit, sic suâ crimination̄e exorsus est. De Apocalypsis volumine Lectores, qui stylj æqualitatē, argumenti thema, tractationis ordinem, & modum, narrationem, non interrumptam, neque hiantem seriem obseruarunt, & exempla recentiora cum antiquissimis, & ferè ipsis authographis in Bibliothecis Vaticana, Altempsana, Sfortiana, Augustiniana, Escurialēsi, & alijs contulerunt, ouum ouo similius non repererunt præ identitate exemplarium Apocalypsis Amadianæ, ex qua hęc digna nota exceperunt, & in tres classes distributa orbi repræsentare voluerunt, vt ostenderent Authorem quidem, seu temeratorem libri fuisse insignem Hæreticum, Pseudoprophetam, atque impostorem, librum verò dignissimum vt flāmis cremetur. *Deinde præcurrit omnem Amadæi doctrinam transcribitquè omnes propositiones nota, & censura dignas, primæ, secundæ, & tertiæ classis nihilque intactum relinquens, & omnia vastans concludit.* Hæc Pseudouidens. Omitto alias nugas, fabulas, figmenta, deliria, blasphemias, hæreses, errores hominis malè feriati somnia, & impostoras non solùm ridendas, verùm etiam execrandas, quas ibi Amadæus finxit, & scripsit. Iudicium sit penes omnes, an Sixtus Quartus tali impostore, falsario Hæretico, Pseudopropheta vsus fuerit ad suas confessiones, & ad munera Hierarchiæ Ecclesiasticæ, præsertim verò ad res fidei definiendas, vt aliqui volunt. *Quid de hac Bzouiana audaci temeritate dicendum sit comodo vindicanda si modestia non obstaret religiosa; alij iudicent.*

R. P. D. Ildefonsus Brizeño Episc. Nicar. & meæ Prouinciæ Limensis decus in suo Appara. Histor. & præfixo ad primum senten. Scoti, à fol. 147. Vsque ad 185. latè, doctè, & eruditè satis vitam, doctrinam, virtutes, & propositiones Amadei aduersus Caietanum, Cornelium, & Bzouium defensat, ab omni labe purgat, & suo cādori restituit. Attamen licèt ibi dicta sufficerent, vt ea quæ hic de Virgine Dei Matre MARIA ex nostro Amadæo desumpta damus ab omni censura, & nota essent immunia; verùm quia prædictus Doctor (vt ex ipsius verbis constat) nec reuelationes Amadæi viderit, nec eius Raptus legerit, & ad suam pro Amadeo defensionem compagmandam speculatiuè tantùm siue metaphisicè, & ex principijs solùm vniuersalibus Theologiæ vsus sit ego, alia via vindicē calamū stringens, scilicet, practicè, & vt dicitur Mathematicè, ex eisdem Bzouij, & Amadæi verbis ad oculum demonstranstratiuè ostendam, Bzouium pene in omnibus deceptum; dico pene in omnibus, quia non omnia eius dicta percurram; esset enim processus in infinitum, sed primæ classis propositiones quas ipse Hæreticales vocat, eo ordine, & methodo qua ipse refert, in medium proferam, deinde Amadei verba ex quibus inter se colatis Amadeana Apocalypsis euidenter manebit in fide, & veritate vindicata, & Bzouiana Historia etiam in hac parte de mendacio, & falsitate euidenter conuicta.

Num. 1. *Sic incipit* BZOVIVS. Hæreticũ in primis renuntiãt, quòd nouam Apocalypsim mentitus, sacrumque titulũ ex libro canonico suffuratus omnia quæ in eam congerit, falsa, apocripha, atque ridicula, multa Hæretica, atque erronea, alia incerta, & ex proprio cerebro deprompta, omnia ea, inquam de fide Catholica proponit sæpe sepius asseuerans sibi ea à Gabriele Archangelo cœlitus esse tradita ad scribendum, vt à futuro Summo Pontifice (quem somniat) in Canonẽ referantur. Vnde prima Hæresis est, librũ falsũ, & hæretica continentẽ, canonicum siue canonizandum asserere. Hoc ex raptu primo monstrarunt. *In Raptu* 1. *Hæc AMADEVS.* Hæc omnia diligenter aduerte, & in armariolo cordis tui conscribe, conscriptaque conserua, & custodi, nullique patefacias, quousque Deus miserit virum illum, qui librum à te conscriptum aperiet in tempore suo quando Deo placuerit; nam tibi præparaui virum illum, qui omnia prout ex te audierit, conscribet, cuius tempore hæc implebuntur, & Pastor ipse quem Deus ipse nouit, cuncta promulgabit, &c. Sed caue ne tu alicui dixeris, vel reuelaueris, quia voluntas Dei est, vt tempore suo per illum quem ipse vult, hæc hominibus nota fiant, audi igitur, & aduerte ad verba mea, &c. *Vbi sunt illa quæ* tanquam de fide Catholica *Amadeus proponit? Vbi illa cœlitus tradita ad scribendum*, vt à futuro Summo Pontifice in Canonem referantur? *Vbi asserit Amadeus librum suum* Canonicum, siue canonizandum? *patet igitur quòd hæc falsa impostura à proprio Bzouiano cerebro fuerit deprompta.*

2 BZOVIVS. Quòd reuelata sibi ea omnia à Deo affirmet, vel potiùs blasphemet, adiuncta causali, quia inquit voluntas Dei est, vt multa vana, & superflua de fide sua resecentur. AMADEVS. Et quia voluntas Dei est, vt multa vana, & superflua de fide resecentur vestra, & ea quæ sunt credenda, purè, & simpliciter credantur. *Ita Borgianum Originale. Hæc propositio omni censura caret, & nota, primò, quia Grammaticaliter constructa facit hunc Catholicum sensum,* & quia voluntas Dei est, vt multa vana, & superflua, *id est, quæ in Scholis circunferuntur*, de fide resecentur vestra, vt ea quæ sunt credenda purè, & simpliciter credantur, 2. *Etiam est Catholica sic constructa.* Et quia voluntas Dei est, vt multa vana, & superflua vestra, *id est, à vobis excogitata, vel disputationis, vel curiositatis, & vanitatis gratia,* à fide resecentur, & quæ sunt credenda, purè, & simpliciter credãtur, 3. *Etiã sic intellecta. Quia cũ multa sint in Theologia, de quibus cõtrouertitur, an sint de fide nec nè, vt demõstrãt Cẽturiæ, & Censuræ Theologicæ Ludouici Turriani à fol.* 146. *vsque ad fol.* 194. *de his, & similibus, inquit, Amadeus.* Et quia volũtas Dei, &c. 4. *Quia loquitur nõ de fide absolutè, sed de materia fidei à Theologis in 3 sent. disputata, vbi à multis multæ excitãtur quæstiones vanæ, & superfluæ, & de talibus, inquit:* Et quia volũtas Dei, &c. 5. *Quia authographũ Salcedæ sic legit:* Et quia voluntas Dei est, vt multa vana, & superflua de fide sua referentur, ea quæ sunt credenda purè, & simpliciter credantur. *Quæ etiam lectio est Catholica, sic enim construitur:* Et quia voluntas Dei

est

est vt multa vana,& superflua,*id est quæ à Theologis tractantur* de fide sua, *id est Dei*, referentur,*& patefiant Summo Pontifici,& Pastori futuro, vt sic explosis per eum vanis,& superfluis opinionibus, atque separata luce à tenebris*, ea quæ sunt credenda, purè,& simpliciter credantur, *hæc omni nota carent, hæc meo videri voluntas Dei est,& fuit, eritque cura Spiritus Sancti in Ecclesia sua. Igitur Bzouius mutauit verbum, & pronomen; retorsit sensum propositionis, adulterauit finem,& obiectum illius, veritatem vocauit blasphemiam. O bone Deus, quot,& quanta malignatus est inimicus in sancto!*

3 BZOVIVS. Quòd cum Apollinari Hæresiarcha animã Christi Deitatem fuisse subdubitet, & futuro Pastori decidendum relinquat. Cùm tamen illud commentum iam à multis sæculis fuerit explosum. Raptu 2. AMADEVS. Tunc ego quid de anima Christi? Respondit (*id est, Angelus Gabriel*) de anima illius nihil dicimus hìc, quia an Christus habuerit animam aliam à Deitate, videbimus loco suo contra multos errantes. *Et infra Raptu 5. Mouet quæstionem de anima Christi, dicens*: Tunc ego; Domine mi quid opus fuit anima homini illi, qui erat Deus, nonne sufficiebat diuinitas ad viuificandum illud corpus? nam Deus est vita. Ergo non oportebat, vt caro illa aliã vitã haberet, nec cõueniẽs erat vnã carnẽ habere duas vitas,& à duabus viuificari. *Et argumentis examinatis pro vna, & altera parte concludit.* Si Christus non habuisset animam creatam, Concilia Sanctorũ Patrum falsa determinarent. Determinarunt Christum habuisse animam rationalem creatam,& duos intellectus,& duas volũtates, & anathematis vinculo innodarunt omnes oppositum credentes, ac docentes, &c. Item Athanasius in Symbolo suo dicit: ex anima rationali, id est, creata,& humana carne subsistens, & dicunt etiam vestri Doctores, quòd anima Christi descendit ad inferos, quia nõ caro, quæ iacuit in sepulchro, nec Diuinitas, quia illa est vbique; ergo Christus habet animam creatam. *Et hanc Catholicam consequentiam probat semel, & iterum, ac tandem alibi dicit.* Illico totum corpus plasmatum, illico anima creata, illico infusa, illico Diuinitas vnita,& coniuncta simul animæ,& corpori fuit; illico intellectus illius animæ omnibus habitibus tam practicis, quàm speculatiuis informatus. *Et alibi*: Illico igitur, vt anima illa nobilissima fuit creata, illius fuit corpori vnita, siue infusa, & in eodem instanti fuit Diuinitati vnita; Deus enim illã creando infudit,& corpori vniuit,& vniendo infudit, atque infundẽdo creauit, illico anima illa Deum vidit in se sicuti est, & cum amore summo dilexit, &c. *Et Raptu 5.* Quomodo fuisset homo verus sine anima? homo enim non requirit ad suum esse corpus solum,& Deitatẽ, sed corpus, & animam, nam sine anima verus homo Christus non fuisset? *Bzoui, vbi B. Amadeus dubitat de anima Christi cum Apollinari Hæresiarcha? vel vbi futuro Pastori decidendum relinquit hũc iam ab Ecclesia prædefinitum articulũ? nam meum exemplar nihil tale habet. Igitur vel tuum authographum corruptum extabat, vel ex tuo cerebro hæc finxisti.*

4 BZOVIVS. Quòd multa plura annorum milliaria, quàm Sacræ Geneſis Scriptor ab orbe condito ad diluuium vſque, & deinceps numeret, fingens Geneſis ſcriptorem hominum generationes enumerantem frequentiùs ab atauis in pronepotes tranſilijſſe, adeoq; multas annorum centurias prætermiſiſſe. Raptu 3. & 5. AMADEVS. Tunc ego, quot ſunt ergo millia annorum à creatione ſolis (non dico cœli empyrei) vſque ad Chriſtum? Hebræi enim minus temporis tranſijſſe ponunt, quàm Chriſtiani, & tu videris ponere longè plus temporis: Reſpondit Angelus: Multò plures anni fluxerunt, quàm vos dicitis, ſed quot millia ego ſcio. Sed Dominus non vult palam facere ante aduentum illius Paſtoris electi. Sicut enim de die illo quando veniet Dominus, nemo nouit; ita nec de prima die mũdi nemo ſcit; nam dies ſæculi quis numerabit? Deus namque noſter magnus, & magnificus nimis ſolùm ea reuelat ſeruis ſuis quæ illis vtilia ſunt, & quæ expediunt: cognitio ergo talis nihil prodeſt Eccleſiæ Dei, nec facit niſi ad curioſitatem. *Adeo vera ſunt, quæ Amadeus dicit de incertitudine temporis elapſi à creatione mundi ad Chriſti Domini Natiuitatem, & quòd Dominus non velit illud palam facere; vt Hebræi in ſua Chronica vulgata apud Sixtum Senenſem dicãt fluxiſſe annos* 1160. *Picus Mirandulanus* 3501. *Talmudiſtæ* 3508. *Baalſeroholam* 3516. *Rabbi Abraham* 3654. *Rabini apud Matute de Peñafiel* 3667. *Rabbi Naaſon citatus à Sixto Senenſi* 3707. *& ſic diſcurrendo (poſſem in medium adducere centum quinquaginta nouem opiniones diuerſas, quas adnotatas habeo, vt in Bibliotheca Sancti P. N. Franciſci Deo dante prodeant) ſcilicet vſque ad annum* 6310. *quæ eſt Onuphrij Panuini, & 7496. quæ eſt Calixti Placentini. Igitur & verum dixit Amadeus, & Bzouius quid cenſurabat ignorauit.*

5 BZOVIVS. Affirmat per peccatum Adæ nullum malum filijs illatũ, ſed repoſitos dũtaxat in terminis naturalibus. AMADEVS. Quid ergo eſt peccatum originale? Dico, quòd in quantum peccatum eſt, nõ eſt priuatio illa donorum ad hominem pertinentium, nec eſt priuatio ſolùm gratiæ illius, qua homo vniebatur Deo, ſed eſt priuatio vtriuſque, &c. *Et infra.* Peccatum igitur originis eſt priuatio hæreditatis æternæ primo patri, non tantùm pro ſe, ſed etiam pro filijs omnibus, à Deo promiſſa, ſi eius mandatum ipſe ſeruaſſet, & ex conſequenti etiam priuatio omnium donorum. Et in quantum illud peccatum reſpicit priuationem omnium donorum à gratia, & beatitudine, totum genus humanum eſt ſubiectum. *Et Raptu* 4. Sed occaſione talis præuaricationis Adam reatum incurrit, quia ad æternum ſupplicium obligatus fuit, & hæreditate, ſiue beatitudine priuatus etiam fuit immortalitate, & impaſsibilitate illius tẽporis. Priuatus & tranquillitate quam habebat in imperando viribus inferioribus, & creaturarum obedientia, erroribus multis ſubiectus, ad malum pronus, & procliuior factus, ſed nullum iſtorum fuit culpa, ſed potiùs reatus, vel pœna. Vltra tales reatus, & tales pœnas Adam ipſe propter eſum illum fuit priuatus duplici qualitate in anima exiſtẽte, illa, videlicet,

qua

qua Deo vniebatur,& coniungebatur, & alia, qua tranquillè imperabat viribus, &c. *Infra loquendo de eadem culpa originali*, quæ nihil aliud est,quàm priuatio gratiæ Dei, siue qualitatis Deo coniungentis, Deoque gratum habentem facientis,& illa est macula, illa fœtor spiritualis,illa cõtaminatio,illa animi morbus, & languor. *Lege totum Raptum tertium & quartum, vbi de peccato originali Amadeus egit, & nullibi reperies dictum Bzouij, nec eius verba, nec sententiã, scilicet, quòd per peccatũ Adæ nullum fuerit malum illatum filijs, sed repositos dumtaxat in terminis naturalibus.*

6 BZOVIVS. Ibidem prædestinationem ex meritis præuisis sub conditione, & contingentia docet, ita vt solam præscientiam respectu saluandorum, immo ne hanc quidem omnino agnoscat, cùm non absolutè prædestinari homines contra Apostoli sententiam affirmet. *AMADEVS postquam multa de prædestinatione Theologicè, doctè, & Catholicè disputasset, cum Angelo Gabriele, tandem intulit:* Sicut ergo etiam nos Angelos omnes Deus noster magnus creauit, & omnes in gratia,qua beati esse poteramus, ordinauit;& Angeli damnati ordinati erant ad beatitudinem,cum cõditione tamen;sic etiam omnes homines quotquot nascituri essent. Sed vos cogitatis, & quidam Doctores vestri, quòd Deus prima intentione voluerit beatum facere hunc, & illum præscire,alios verò non,quæ cogitatio remouenda est omnino à cordibus fidelium. Nullus, dico,nascitur,vt damnetur, sed potiùs, vt sit beatus non absolutè,sed cum conditione,quæsi finaliter seruaretur, erit beatus ex facto, non autem ex necessitate, vel vt vos dicitis, de potentia ordinaria, non autem absoluta; non est enim verum, quòd omnes,qui saluati fuissent,nunc saluentur,immo quilibet eorum, qui damnatur,tunc saluus fuisset,si natus tunc fuisset, quia forsan non omnes,qui nunc nascuntur,tunc nati fuissent,& beati,&c. *Hæc enim omnia Catholica sunt, & secundùm principia Theologiæ à multis clarissimis Doctoribus excogitata. Lege antecedentia, & sequentia ad hæc Amadei verba, & videbis quomodo nullibi reperitur hæc prædestinatio cum contingentia à Bzouio ficta.*

7 BZOVIVS. Alios præter Christũ,& Virginem Matrem à peccato originali præseruatos,immo ante conceptionem sanctificatos,idque ex meritis parentum, & aliorum iustorum lacrymis constituit Raptu 4. AMADEVS. Accipe,& tene quod dico. Nullus est ex filijs Adę,cui aliquando non fuerit iratus Deus,&c. præter hanc,de qua loquimur,omnium nostrorum Dominam,&c. Alij omnes pro aliquo tempore oblati sunt ei,vt inimici, & exosi præuiso peccato Adę, & *infra*. Multi ergo dum conciperentur,amici esse poterant,&fuerunt, & aliquanto tempore ante in præsentia Dei,sic omnes Sanctos Ecclesiæ erigebat,omnes tamen in peccatis concepti sunt. *Infra*, Omnes ergo estis de propagatione peccati,& mortis,& iræ,sed gratia Dei Saluatoris aliqui post multos lapsus, aliqui post paucos, aliqui post vnũ, antequam concepti sunt,aliqui post vnum omnino, nec in re, nec in scientia saluati,& liberati dici esse possunt,qui tamen, vt filij propagati

gati ab ipso Adam intelligebantur, vt rei intellecti fuissent, nisi Deus absolutè eos meritis filij sui præuisis præseruasset. Posui hìc plurale pro singulari, quia talis alius à Virgine Dei Matre nullus fuit. *Censor vbi sunt alij præseruati à peccato originali, immo ante conceptionem sanctificati?*

8 BZOVIVS. Cũ iniuria, & coarctatione Diuinæ Omnipotentiæ asserit ad perfectionem vniuersi pertinere, vt omnis possibilis coniugatio producta in eo reperiatur. Raptu 5. *In primis cita est mendosa, & falsa; nam in præallegato Raptu 5. nec verbum habet de hac materia. Secundò adulterauit verbum illud*, cõiugatio. *Nam Raptu 2. Angelus Dei disputans de conuenientia incarnationis Verbi Diuini cum Belcebu, & eius sequacibus, inquit.* AMADEVS. Dicite mihi vos (*id est Angeli Apostatæ*) qui sapere volentes decipitis, nonne ad perfectionem vniuersi pertinet, vt omnis combinatio possibilis in eo reperiatur? hoc negare non potestis: sunt tria, scilicet, Deus, substantia, & accidens; substantia verò vna incorporea, & purè spiritualis, vt nos Angeli sumus; alia purè corporea, vt lapides, & ligna, alia partim incorporea, & partim corporea est vt homo, si ergo hanc substantiam tertiam Deus non produxisset, non ne magna perfectio mundo defuisset? sed oportuit, scilicet, vt creatura illa produceretur, quæ simul esset corporea, & incorporea, quia non satis erat, quòd natura corporea, & natura incorporea seorsim fuisset, & ita congruum fuit (ex quo fieri potest) vt fieret vna res, quæ esset Deus, & substantia corporea, & incorporea, vt omnia vnirentur, & copularentur in vno. *Vide, nam prosequitur doctè, & Catholicè hanc confirmando rationem, & incarnationis conuenientiam demonstrando, qua multi Patres, & Theologi vsi sunt. Vbi est ergo, Bzoui, iniuria, & coarctatio etiam diuinæ omnipotentiæ? Vel dic mihi, est ne possibilis, aut excogitabilis alia combinatio (vel vt tu legis, alia coniugatio) maior, & excellentior in vniuerso, quàm fuit illa Dei, & hominis, diuinitatis, & humanitatatis? O quàm benè Chrisologus Serm. 11. dixerat de altero: miser malus vis esse, sed non potes, cupis tentare, sed nescis.*

9 BZOVIVS. Fingit Christum duodennem ad cœlos ascendisse, & ibi pro discipulis cœlestes mansiones ædificasse. Postmodum anno decimoquinto Tiberij Cæsaris in terras descendisse, de quo licèt constituat Angelos opinatores, & postea reuocet in problema opinabile, tamen asserit, & prophetat illud decidendum à futuro Pontifice. Raptu 5. *Cita Bzouij mendosa est. Nam Raptu 5. Nihil tale habet. Raptu vero 8. Hæc inquit.* AMADEVS. Post quam autem IESVS disputauit anno duodecimo, aliqui dixerunt Ioseph defunctum fuisse, & MARIAM templum Domini intrasse, & locum tenuisse Annæ prophetissæ, IESVM verò ascendisse in cœlum, & cum Patre, & Spiritu Sancto, vsque ad quindecimum annum Tiberij Cæsaris superiùs mansisse, & ciuitatem Beatorum cõstruxisse. Vnde ipse dixit: nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, & ita credunt Christum Dominum bis in cœlum ascendisse. Sed firmiter credẽdum est, Christum Dominum in cœlum corpore non ascendisse vnquam, nisi die quadragesimo

gesimo post Resurrectionem suam, *non ne vides apertè calumniam, & expressam imposituram Bzouianam?*

10 *BZOVIVS.* In Diuinissimo Eucharistiæ Sacramento aliud corpus simul cum Christi corpore constituit, quod vel ad exoletam Philosophiam, vel ad raptum pertinet. *AMADEVS.* Nam Dominus noster Iesus Christus vnus Deus cum Patre, & Spiritu Sancto volens corpus assumptum, sicut etiam animam vniuersis decorari donis, & priuilegijs insignire, hoc admirandum instituit Sacramentum, innumeris plenum miraculis, ex quo secuta sunt plurima bona. Primò, Diuinæ potestatis eius, magnitudinisquè infinitæ ostensio, vt quę impossibilia omnibus hominibus viderentur, illa iam facta esse, vel heri posse crederentur. Secundò, gloria ingens inde concessa est corpori Christi, vt in tot, tantisque locis simul esset, & in tam paruulo loco contineretur, & cum alio corpore simul esset, & alia multa, quæ si aliàs non consideraſti, nunc quando tibi ea refero, considerabis. *Ex illis verbis.* Et cum alio corpore simul esset, *occasionem sumpsit Bzouius ad suam imposituram. Verùm quàm crassa Minerua hoc intellexerit, patet euidenter: nam hìc non loquitur Amadeus de corpore in Hostia existente, id est, de pane, vt iniquè intellexit Bzouius. Sic enim AMADEVS.* Prolatisque illis verbis in momento, siue, vt vestri dicunt, in instanti vltimo terminante totum tempus, in quo verba proferebantur, adest ibi corpus Christi; dum ergo verba illa profert Sacerdos, nondum est ibi corpus Christi, prolatis autem, illico est ibi, & substantia panis, quam vos nec vidistis vnquam, nec tangitis, nec olfacitis, nec gustatis, nec vllo sensu percipitis, prolatis illis verbis abscedit, nec amplius ibi est, remanet tamen illa longitudo, latitudo, & altitudo quę priùs in substantia panis erat sine vllo subiecto, &c. *In illis verbis:* Et cum alio corpore simul esset: *Loquitur Amadeus de corpore sumente Eucharistiam: nam cùm corpus Christi sit definitiuè in loco, & non circumscriptiuè, quando sumitur à fideli corpus Christi, cum alio corpore simul est; quod est Catholicum, & contrarium erroneum, & hoc clarè, & expressè indicant verba Amadei infra,* quia ipse est in illa hostia modo mirabili, non autem sicut vos in loco existentes ipsumque locum implentes, & occupantes, sed est ibi, sicut & nos Angeli sumus in loco non implentes locum, nec locum occupantes, nec à corpore aliquo sumus circundati, vel obiecti, immo nec oculus eius corporeus ibi existens vllomodo posset vos videre, nec aures eius possent vocem vestram audire, nisi Deus adderet miraculum miraculo. Miraculum est corpus esse alicubi non localiter, sed solùm præsentialiter, & cum alio corpore simul manere. *Et statim post pauca prosequitur,* quia ergo ibi omnia accidentia panis remanent, vos iudicium sensuum sequentes putatis ita ibi esse panem post consecrationem, sicut & antea, sed non est amplius ibi panis, sed cum illis accidentibus est ibi corpus Christi simul, & in eodem loco, sed quomodo id possit fieri, postea declarabitur. *Quid clariùs? Loquitur ergo, vt supra dixi, vel de corporalibus*

libus accidentibus, & quantitatiuis cum quibus simul, & in eodem loco existit corpus Christi modo mirabili ibi ab Amadeo explicato. Vide.

11 *BZOVIVS.* Ibidem laicos posse fortè Eucharistiam conficere insinuat, cùm ait, neminem quantumuis iustum conficere posse ordinariè, nisi sit Sacerdos. Vbi ly ordinariè indicat posse iustum, non Sacerdotem extraordinariè conficere. *AMADEVS.* Proferantur ergo illa verba sic, vt ab aliquo prope existente audiri possint, quia Sacramentum est signum sensibile. Nemo autem quantumcumque iustus conficere potest ordinariè, nisi sit Sacerdos rite ordinatus, Sacerdos verò quilibet potest quantumcumque malus, Hæreticus, & Schismaticus, dummodo velit, & intendat ea intentione illud facere, qua ordinatum est à Christo, vel qua vtuntur Christiani. *Bzoui, vbi sunt verba tua, & insinuatio illa, scilicet, quòd laici possunt fortè Eucharistiam extraordinariè conficere? Dices, quod hoc videtur sequi ex consequentia. Sed consequentia tua absurda, & pessima fuit, & est, eiusdemque, vel similis farinæ illatio, ac fuerat illa execrabilis, & detestanda, quam Hæretici olim iniquè præmebant ex illis Euangelicis verbis: Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens; vel ex illis. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.*

12 *BZOVIVS.* Ibidem affirmat Eucharistiam semel traiectam in stomachum, non verò intra os, aut pectus incipere esse panem, panis substantia redeunte, & corpore Christi abeunte. *AMADEVS.* Corpus Christi tamdiu ibi est (*hoc est in Hostia consecrata*) quandiu accidentia illa sunt in suo vigore, id est, quando sunt aptum nutrimentum, & alimentum homini conueniens, quando verò fuerint ita alterata, quòd iam, & odorem, & saporem, & alia, quæ requiruntur, & quæ reddunt panem conuenientem homini cibum, amiserunt omnino; tunc corpus Christi desinit ibi esse, quia tandiu manet ibi cibus animæ, quandiu cibus idoneus, & conueniens corpori, ideo in tali materia Dominus Sacramentũ hoc instituit, vt se cibum animæ vestræ præberet, & ostenderet, vt cibus corporis esset signũ cibi animæ, &c. *Deinde latè explicat, eruditè, & Catholicè declarat, quòd ad hoc vt accidentia retineant rationem Sacramenti, & corpus, sanguisque Christi in illis existat, necesse est, vt habeant rationem cibi, & potus apti, & consentanei ad comedenda, vel bibenda, & non omnino alterata, putrida, fœtida, &c. Sed conuenientia vt in nutrimentum humanum conuertantur, & absque horrore sumptibilia, existant. Concludit;* Quod ergo non est tale, non potest esse Eucharistiæ Sacramentum, & quamuis subitò, vt cibũ habent in ore, abhorrent eum iterum sumere, ille tamen horror nõ impedit Sacramentũ, sed sic benè, scilicet, si iam in stomachum missus fuisset, vnde existentibus in ore accidentibus, & per pectus transeuntibus, Dominum secum retinent, ad stomachum verò peruenientia, quasi subitò desinunt esse Sacramentum, *quæ firmior solidiorque doctrina inter Sanctos, & Summistas?*

13 *BZOVIVS.* Non consecrasse Christum illis verbis. Hoc est corpus meũ, sed istis. Vertatur panis terrestris in panem cœlestem, &

cibus

cibus corporis in cibum ſpiritus, & hoc inſinuatum ab Euangeliſtis in verbo benedixit. *AMADEVS.* Dicunt itaque, quòd quando Chriſtus accepit panem, & benedixit illum, tunc panis fuit conuerſus in corpus Chriſti, & ideo ipſe verè dixit: Hoc eſt corpus meum, quia quando dixit hoc, iam corpus erat ibi, ingenia veſtra ſatis ſubtilia ſunt, & nota: iſta altercatio facta eſt, quia neſcitis quomodo Dominus IESVS conſecrauit, nec quomodo vos inſtruxit, & quomodo vobis modum conſecrandi dedit, &c. Audi tu ſerue Dei, & quæ tibi dico conſcribe, quia ego, *id eſt*, *Gabriel* interfui Cœnæ Domini. Ipſe Dominus poſt multa alia accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum ad Patrem ſuum omnipotentem, gratias egit, ſicut etiam quando Lazarum reſuſcitauit. Dixitquè gratias tibi ago Pater, quoniã exaudiſti me (ſicut etiam tunc dixit) deinde reſpicieñdo panem, benedixit eum verbis proprijs, ſcilicet, hoc eſt corpus meum. Et ſubitò fuit conuerſus in corpus Chriſti, & tunc Chriſtus Dominus ſeipſum tenebat in manibus proprijs, &c. *Vide impoſturæ Bzouianæ falſitatem? & clariùs videbis ex ſequentibus.*

14 *BZOVIVS.* Euangelicos Sacerdotes non conficere verbis, quibus Chriſtus confecit, quia non decet miniſtros, nec etiam verbis præſcriptis, hoc eſt corpus meum, conſecrare poſſe, niſi præfatione adhibita, qua conſtet in perſona Chriſti loqui. Raptu 6. *AMADEVS.* Dictis enim illis verbis, ſcilicet, hoc eſt enim, &c. Super panem triticeum coctum cum aqua communi, & naturali coagulatum, ſubitò fit ibi præſens corpus Chriſti, ſed non ſufficiunt illa ſola verba ſubſtantialia, ſed aliqua ſunt præmittenda, ſic vt intelligi poſsit Sacerdotem non loqui in propria perſona, ſed in perſona Chriſti, vt puta, Dominus IESVS accepit panẽ, & benedixit, ac dixit, hoc eſt corpus, &c. Similiter ſuper vinum vuaceum vitis fluxibile cuiuſcumque coloris fuerit, dictis his verbis, ſcilicet, Hic eſt ſanguis meus, vel Calix ſanguinis mei, &c. ſubitò ibi adeſt ſanguis Chriſti, ſed illa verba ſola non ſufficiunt, niſi aliqua præponantur, per quæ intelligatur Sacerdotem loqui in perſona Chriſti, & non ſufficit intentio, ſed requiritur verborum expreſsio, &c. *In conſecratione igitur verba ſunt in duplici differentia; alia de eſſentia formæ quidditatiua, & ſubſtantialia, videlicet, Hoc eſt enim corpus meum. Hic eſt ſanguis, &c. his Sacerdotes vtuntur, & Chriſtus in primæua Euchariſtiæ inſtitutione vſus eſt. Alia ſunt verba, præcedentia, vel ſubſequentia conſecrationem, v. g. illa Pridie quàm pateretur, &c. Hoc facite in meam commemorationem. Benedixit, fregit, deditque, &c. De quibus verbis tria dicit Amadeus, primum, quòd præfatio illa, Pridie quàm pateretur, &c. neceſſariò debet poni à Sacerdote conſecrante vt fiat conſecratio, quia pertinent ad præceptum de vſu Sacramenti Euchariſtiæ, vt expreſsè tenent, Scotus, & omnes eius diſcipuli in 4. diſt. 8. vide Fauentinum diſp. 33. fol. 133. Secundum dicit Amadeus, quòd eſt neceſſaria præfatio illa verborum, vt conſtet, quòd Sacerdos in perſona Chriſti loquatur. Hæc communis eſt etiam omnium Theologorum. Vide Pitigianum in 4. tomo 2. diſt. 8. quæſt. 2. art. 4. fol. 316.*

Fer-

Tertium dicit Amadeus, quòd diuersis verbis vsus sit Christus in consecratione, quàm nunc vtuntur Sacerdotes Et hoc etiam est euidens: nam Christus non dixit illud. Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, & gratias agens, &c. Nam ista quæ in Canone sunt verba, in Christo fuerunt opera, nec illa protulit Christus Dominus; de his ergo verbis inquit. Amadeus. Vtimini tamen modo illo quem vobis Sancti Patres vestri afflati Spiritu Sancto reliquerunt; noluit enim Dominus, vt vos consecraretis verbis illis quibus ipse confecit; non enim decet ministrum vti eisdem verbis, quibus vsus est author principalis, &c. Tum ego: Quibus verbis, ò Angele Dei, (si fas est petere) Dominus consecrauit? Respondit Angelus, quia valde, & incomparabiliter maius miraculum est hoc, quàm Lazarum suscitare, ideo Dominus, vt ostenderet se aliquid magni facturum (cui nihil est difficile) accepit panem, & oculos ad cœlum leuauit, deinde facta parua morula, dixit: Pater omnipotẽs gratias tibi ago, quoniam exaudisti me; deinde panem accipiendo dixit. Vertatur panis terrestris in panem cœlestem, & cibus corporis in cibum spiritus, panis sudoris, & maledictionis in panem vertatur quietis, & benedictionis, & subitò factum est, & hæc verba Euangelistæ illo verbo solo notauerunt, scilicet: Benedixit, &c. *Hæc sunt verba Amadei. Quid inde? sed concedamus, ipsum expressè dixisse, Christum non consecrasse illis verbis: Hoc est corpus, &c. Sed istis nuper positis, quid etiam inde contra Amadeum? non ne circa hoc quatuor fuerunt Antiquorum celebres opiniones? Vt referunt Alensis 4 part. quæst. 10. membr. 4. art. 2. D. Thom. 3. part. quæst. 78. art. 1 Faber in 4. dist. 8. disp. 31 fol. 128. quarum prima dicebat, quòd Christus non consecrauit aliquibus verbis, sed quia habebat potestatem excellentiæ, absque omni forma verborum confecit hoc Sacramentum, & deinde protulit verba illa: Hoc est corpus, &c. sub quibus post modũ alij conficerent. Secunda asseuerabat Christum confecisse hoc Sacramentum non simplici benedictione, sed verbis aliquibus, nobis tamen ignotis. Tertiam, & quartam vide apud citatos authores. Tandem Bzoui, si tuum Ambrosium Catherinum legisses in opusculo, cuius titulus est: Tractatio secunda illius quæstionis: quibus verbis Christus Eucharistiæ Sacramentum confecerit? fol. 364. Innocentium Tertium, & Quartum Summos Pontifices, Odonem Cameracensem, Franciscum Titelmannum, ac Petrum Ortiz Hispanum pro hac Amadei opinione, quam ibi latè, & doctè defendit, citatos ipsamque lucubrationem ad Tridentinum Concilium ab eodem Ambrosio transmissam animaduertisses, ac ab huiusmodi maledictis abstinere debuisses. Quòd si adhuc in eadem contra Amadeum mente gratis perstitisses, nolim ipsis ab Amadeo compellandum futurum fuisse verbis, quibus ipsemet Ambrosius in suum hìc inuehitur aduersarium? Nempe: cum Catholicorum libri præsent, huic sententiæ adstipulantes, & nuper, nec semel excussa sint opera Innocentij, & aliorum, quos superius citaui, idem probantes; ego ne solus sic ero traducendus, & à sodalibus meis? Ah, serpens maligne agnosco astutias, recolo veteres inimicitias in Christum, & mulierem pro quorum gloria scripsi, & idcirco malè habes; odisti pacem, & conaris omnem persequi veritatem, &c. Igitur nihil nouitatis habent hæc Amadei verba adhuc intellecta, vt Bzouius vult.*

15 *BZOVIVS.* Vsum Græcum de communione laica sub vtra-

que

que ſpecie, ante ponit Latino ad iniuriam Romanæ Eccleſiæ. *AMADEVS.* Tunc ego, ex hoc principio: melius eſſe communionem accipere ſub vtraque ſpecie, vt Græci faciunt, quàm ſub vna ſola, vt Latini faciunt? Reſpondit Angelus, conficere oportuit ſub vtraque ſpecie, ſed quæ conſtitutio ſit melior Græca, ſcilicet, an Latina; Græca in hoc melior eſt, quia dat Chriſtiano alimentum integrum, integrãquè redemptionis memoriam. Sed Latina melior eſt alia ratione, ſcilicet, quia tanto populo non poterat ſanguis crebro diſpenſari ſine effuſionis periculo. Satis ergo fuit laicos, & Clericos non Sacerdotes immo & Sacerdotes non conficientes, ſine ſpeciebus vini, ſub ſpeciebus tantùm panis ſumere; præſertim ex quo ibi ſunt omnia, duplicem autem modum redemptionis ſatis eſt recolere, adorando Chriſtum ſub duplici ſpecie. Qui ergo Latinos in hoc errare dicunt, ipſi errant. Nec Græci errant, neque Latini. *Vbi eſt iniuria hæc illata Eccleſiæ Romanæ? Vbi ritum, & vſum Græcum anteponit Latino?*

16 *BZOVIVS.* Raptu 15. Omnes Patres, atque Theologos carpit, affirmans ſibi ſoli reuelatum eſſe Triuitatis arcanum, vt vix alius, inquit, futurus ſit, qui ſciat determinare quid eſt, qualiter ve tenendum, atque credendum ſit. *AMADEVS.* Tunc acceſsit ad me Gabriel Angelus, & dixit mihi, hæc viſio ideo tibi monſtrata eſt, vt homi bus ſcriptura tua notum facias myſterium abſconditum ſanctiſsimæ Trinitatis, vt Paſtor futurus ſciat determinate quid, & qualiter tenendum, atque credendum ſit, & quæ veſtrarum opinionum ſit vera, & quæ falſa, & remoueantur à vobis altercationes, & ſchiſmata, & varietates opinionum, & in hac die Deus tibi reuelare voluit, quia apud vos in Miſſa legitur. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, &c. Et hoc dicendo vocauit Auguſtinum, & dixit Thomæ, & Scoto ecce, doctor à quo præcipuè iſta accepiſtis, & ibi reſident multi alij, & oſtendebat Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, Anſelmum, Ricardum, & Hilarium ex vna parte Doctores Latinos, & ibi ſunt alij in alia parte, & oſtendebat Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Doctores Grecos. Didimum cum Athanaſio, & alijs. *Igitur Amadeus non carpit Patres, atque Theologos, ſed potiùs laudat, & extollit, vt ex relatis verbis euidenter patet, item mendoſe aſſerit Bzouius hæc dicta eſſe in Raptu 15. Quia de mineſterio Trinitatis agit Raptu 6. Et Amadeus ſolùm ſcripſit Raptus octo. Ergo non vidit Bzouius, quod cenſurat, & notat.*

17 *BZOVIS.* Ibidem nouo commento perſonas relatione, aut origine conſtitui negat, ſed ſola Deitate prout æquiualet rei abſolutæ. *AMADEVS.* Audi nunc homo Dei (*inquit Angelus*) aliqui ex relationibus, aliqui ex aliquibus rebus abſolutis. Tu autem conſcribe perſonas conſtitui ſola Deitate, quæ eſt res abſoluta, nulla enim ibi relatio eſt, quæ nõ ſit ipſa Deitas, nullum eſt ibi attributum, quòd non ſit ipſe Deus, quidquid eſt in Deo, eſt Deus, quia vna res omnino eſt multis æquiualens; tamen prout æquiualet vni, non æquiualet alteri,

teri, sicut etiam anima vestra intellectiua prout æquiualet sensitiuæ, non æquiualet vegetatiuæ, &c. *His verbis motus fuit Bzouius ad suam imposituram. Sed si antecedentia legisset, vidisset hìc Amadeum impugnare opinionem asserentium, personas constitui relatione sub expresso conceptu, seu formalitate relationis, quia ipse statuerat pro conclusione personas constitui subsistentia, seu incommunicabilitate. Dixerat enim:* Nunc ista prætermitto, & deuenio ad ostendendum, quomodo tres Personæ Diuinæ realiter distinguantur, & tamen in omnibus tribus Personis non est alia realitas quàm Deitas, &c. Hæc sunt admiranda, nec vobis aperienda, sed hoc ideo est, quia vna illa res æquiualet tribus realitatibus quibus subsistit, nam prima Persona includit in se illam solam rem, quæ Deitas est, quæ tamen æquiualet entitati incommunicabili, & in quantum illi æquiualet, quasi adiungeretur naturę Diuinæ, facit eam subsistere incommunicabilem, & ita personam; si enim perfectè Deitas est natura, & perfectè æquiualet entitati incommunicabili, persona subsistet illa re, & incommunicabilis erit, & sic habemus primam Personam constitutam ex vna re duabus rebus æquiualente. Cogita vlteriùs, quòd hæc res, quę Deitas dicitur, & qua persona subsistit, prout æquiualet entitati incommunicabili, habet æquiualens principium productiuum per modum naturæ, &c. *Vide quæ in numero sequenti refero ex Amadeo. Vbi ergo sunt verba illa: Persona constituitur sola Deitate prout æquiualet rei absolutæ? Ergo Bzouiana impostura commentitia est; asserit enim Amadeus expressè personam constitui Deitate, prout æquiualet rei incommunicabili; hæc autem non est absoluta formalitas, sed relatiua materialiter, licèt formaliter à relatione sit distincta.*

18 *BZOVIVS.* Ibidem in Trinitate, contra vnanimem Sanctorum Patrum Theologiam numerat triginta notiones. *AMADEVS.* Natura Diuina, vt in Patre est; Primò, ęquiualet rei, qua constituitur in esse distincto ab alijs. Secundò, æquiualet principio productiuo. Tertiò, æquiualet ipsi generare, vel ipsi generationi actiuæ. Quartò, æquiualet ipsi relationi Paternitatis. Quintò, æquiualet principio productiuo per modum boni productiui. Sextò, æquiualet donationi actiuæ, quam habet, quia donauit. Octauò, æquiualet sex relationibus communibus in generali. Nono, æquiualet multis relationibus in speciali. Similiter natura Diuina, vt est in filio. Primò, æquiualet illi rei, per quam distinguitur à Patre, & Spiritu Sancto, & constituitur in esse personali. Secundò, æquiualet ipsi generari, vel generationi passiuæ, &c. *Et sic refert alias nouem formalitates; quibus in filio, & totidem in Spiritu Sancto essentia Diuina æquipollet, quas Amadeus notionalia, siue rationalia secundùm alterum exemplar, vocat. Sed hæc omnia verè, & subtiliter excogitata, & dicta sunt, nec vllus Theologus. Quãtumcumque mediocris classis illa inficiabitur. Sicque concludit.* Vbi vides, tot notionalia, & propria esse in persona vna, quot in alia; quod neque Alexander, neque Bonauentura, neque Thomas, neque Scotus, quos hìc vides, cogitauerunt dum in carne viuerent, & nullus Doctor posuit plusquam quinque notionalia

nalia, connumerando ingenitum, de quo nihil adhuc diximus, & sine illo posuerunt quatuor notionalia, scilicet, generare, & generari: spirare, & spirari, reliqua omnia prætermiserunt. Hæc Theologia (vt vides) est enucleata. Conscribe omnia, vt dico; quia hęc venient in manibus illorum, qui melius quàm tu illa intelligent. Tu vidisti qualiter in qualibet persona sunt nouem notionalia, quæ simul collecta complent numerum 27. & in octauo notionali continentur tria notionalia, scilicet, identitas, æqualitas, & similitudo, &c. *Agnouit igitur Amadeus quinque notionalia à Doctoribus, & Theologis communiter enumerata; enucleauit Theologiam, & ea, quæ Doctores relati prætermiserunt, doctè, eruditè, & subtiliter ab Angelo edoctus Amadeus, vt discipulus scripsit, & vt Magister posteritati reliquit. Vtinam occasio, & locus esset, vt omnia Amadei verba, hic transcriberem, vt cunctis constaret, quàm ineptè, & friuolè in hac Trinitatis materia fuerit repræhensus.*

Hæ sunt Bzouianæ impostvræ primæ classis, seu propositiones Amadeanæ, quas Bzouius hæreticales vocat: in quibus Censor iste, vt visum est, mutauit omnia, vel retorsit sensum, aut verba adulterauit, aut finxit, textum deprauando, addendo, vel prætermittendo aliqua: idemquè facit in propositionibus secundæ, & tertiæ classis. Vt ergo innocens validiori scuto surgat, & aduersarius certiori ictu cadat; libet hoc Dilemate quoquò se vertat Antiamadeanum concludere. Bzouius ad hanc suam impostvram concatenandam, & Cathalogum propositionum hæreticalium transcribendum, vel vidit Amadæi Apocalypsim, & proprijs oculis inspexit, vel non: si non viderat, nec legerat, vt eius verba indicant, & ostendunt (semper enim in aliorum persona loquitur: Authores obseruarunt, qui exemplaria contulerunt; hæc digna nota exceperunt, & in tres classes distributa orbi repręsentare voluerunt: vt ostenderent: hæreticum in primis renuntiant, &c.) *Quid impudentius Historico Ecclesiastico, quàm falsum, Apocriphum, ridiculum, erroneum, detestandum, & dignissimum, qui flãmis cremetur, vocare librum, quem nec viderat, nec legerat! & impostorem, Pseudoprophetam, blasphemum, & Hæreticum appellare virum, quem tot Doctores graues, docti, & timorati; Pium, Beatum, & Sanctum renuntiant? Item si non vidit, & in aliorum sententia est locutus, cur, & quare in re tam graui innominatos relinquit Authores? qua causa supprimit, & cœlat libros, ex quibus talia verba, notas, & censuras deprompsit? Tandem si non legit, quando tot autographa, & manuscripta erant in Curia Romana, vt ipse recenset, summa ignauia fuit, nec vnum saltim quærere, vel videre transumptum. Sed ne modestia peregritetur Religiosa, ad aliud transeo Dilematis membrum. Si Bzouius librum Apocalypsis Amadei vidit, & legit, quare se cœlat, & suffuratus est ouinam pellem, authoritatem, scilicet, aliorũ, qui nec sunt, nec fuerunt in rerũ natura, vt agnũ laceret? Item si vidit in quo authographo, vel trasumpto, & ipsum excusarẽ in tot, & tam apertis transcriptis fictionibus: nam nisi manuscriptum à se visum, escaturiret erroribus, impossibile esset hominem Catholicũ, & Religiosum tàm patentia excogitasse mendacia, impostvras, & falsa testimonia. Si ergo vidit, vnũ ex duobus necessariò fatendum est: aut authographa, & trasumpta libri Amadæi grauissimè esse vitiata, quòd Bzouius negat, dicens:* Quum quo similius non reperiri, præ identitate exemplarium

rium Apocalypsis Amadeanæ, *vel si non sunt vitiata, vt ipse conatur ostendere Bzouius, ex proprio cerebro deprõpsit*, falsa, apocripha, ridicula, erronea hęretica, & mendacia, *quæ in suo Cathalogo recenset: nam quinque originalia relata, à me semel, & iterum visa, & reuisa nihil tale habent. Hæc pauca pro nunc dicta sufficiant, nam N. F. Ioannes de la Haye, qui in præfatione ad opera S. Bernardini promittit se B. Amadei Apocalypsim typis mandaturum in tomo* 10. *Bibliothecæ Sanctæ Franciscanæ, cætera præstabit; & sicut olim Sanctus pro Sancto, nunc Theologus pro Theologo elaborauit. Hæc ipsi, & alijs obiter animaduerto.*

Primùm Authographa, seu transumpta Amadei non extare pura, vt nostræ testantur Chronicæ, & P. Eusebius Iesuita, dicens: Verùm reuelationes Amadei qui tamen feruidus Dei seruus fuit, & miraculis clarus, nunc non extant puræ, sed vitiatę, quibus varij varia addidisse videntur. *Hoc ipsum insinuat Doct. Hieron. Ormachea Guerrerus:* Ex libro quodam reuelationum cuiusdam pij viri, quem ipsi Beatum vocant Amadeum, &c. *Ego Autographa manuscripta supra enumerata inter se contuli, opem mihi præstantes, in Escuriali aliquibus Patribus Hieronymianis, præcipuè verò ex nostra Seraphica familia R. P. F. Petro Ordoñez Flores meæ Prouinciæ Limensis duodecim Apostolorũ quondam emerito Ministro Prouinciali, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore, Virtutis, Religionis, & scientiæ totius Peruani Regni speculo, & exemplari, & vnà experti sumus prædictum Amadei librum in aliquibus exemplaribus, perfectum, & integrum extare, vno, vel altero verbo omisso, addito, aut variato; in alijs verò, in multis deficere, demptas clausulas, & propositiones integras; verba, & verborum sensum pœnitus mutata. Secundùm, quòd Amadeus passim in his opinionibus notatur quæ aliàs optimos Patronos habent, De quibus consulendus Brizeñus supra relatus, sed præcipuè legendus Ascanius Martinengus in* 1. *tomo suæ Glossæ Magnæ. Tertiùm, quòd in his, quæ hìc de B. Virgine, & Angelorum Regina MARIA nunc primò publici, & communis facimus iuris, licèt plura superent captum nostrum, nihil tamen inuenio, quòd à fide pura discrepet; diuinæ enim reuelationes eò tendunt, vt simul illuminent, & humanum intellectum obstupefaciãt. Et Oracula quæ, hìc de Conceptione immaculata, Natiuitate, Præsentatione, Desponsatione, Visitatione, & Assumptione Virginis Dei Matris MARIÆ dicuntur, multorum fuerunt priùs opiniones, seu potiùs piæ meditationes. Quartùm, quòd licèt Amadeus aliquando locutus sit clariùs, aliquando obscuriùs, & non semel dicat quæ intra se contrariari videntur; hoc non obstat, quin prophetiæ spiritu dotatus dicatur, diuinaque habuisse reuelationes. Dixerat enim Christus. D. ad B. Birgittam, lib. 2. cap. 28.* Nec vnquam de ore meo (qui sum veritas) falsitas processit, vel procedere potest, quia omnia quęcũque locutus sum per Prophetas, siue per alios amicos meos, aut spiritualiter, aut corporaliter, sicut tunc intellexi, perficientur. Nec ideo erunt falsa, quia vnum dixi semel, aliud secundò, vnum expressiùs, aliud obscuriùs, quia ad probandam fidei meę constantiam, & amicorum meorum solicitudinẽ, multa ostendi, quæ secundùm diuersos effectus spiritus mei, diuersimodè à bonis, & malis, intelligi benè & malè possunt, vt haberent in diuersis statibus, vnde diuersi diuersa exercere possent in bono.

QVAR-

QVARTVS RAPTVS.

Post certo tempore raptus fui in Rotã iterum, & omnibus adorationibus meis factis, quærenti mihi de Pastore nouo, ac eius tempore, & aduentu ex præcordijs oranti, Angelus Gabriel apparuit coram omnibus dicens: iam dicam tibi, quia illud tot petitionibus meruisti, qui est futurus Pastor, quem Dominus elegit, &c. * * * * * * * * * * * * * * *

Aliqua præter-mitto, quæ ad laudẽ B. Virginis Mariæ, non spectant.

Postmodũ verò, quia fecerat mihi mentionem de cœlo Empyreo, tanquam de futuro hominum habitaculo, & iam multa dicta fuerant de peccato originali, tunc iterùm ego inquirere cœpi, Domine mi de peccato originali multa dixisti, quæ non bene capio, & controuersiam illam, quæ hodie multa scandala generat, rogo, vt absoluas: vtrùm Mater Domini nostri Iesu Christi, illud peccatum habuerit, & contraxerit? deinde, quomodo illud cœlum Empyreum sit congruum, & conueniens hominibus habitaculum; & quomodo ibi animalia terrena, & aërea, atque alijs elementis indigentia viuere poterint? Respõdit Angelus, & dixit: de peccato originali, vestri Doctores variè locuti sunt. Quidam enim illud reatum solum esse crediderunt, videlicet exhæredationem, seu priuationem patriæ supernæ, seu vitæ æternæ, & nihil aliud. Alij verò quandam qualitatem morbidam, seu rebellionem carnis, aut legem membrorum, aut fomitem, vario modo, & diuersis vocabulis, idem declarantes. Alij dixerunt, illud esse concupiscentiam quandam seminatam in hominibus concupiscibiliter seminatis. Alij postremò acutiùs inuestigantes, dixerunt, illud esse priuationem iustitiæ originalis cum debito habendi eam. Sed ne tot opinionibus

**alia.* fideles versentur, ego tibi multa, aliàs * dixi, sed non ad plenum adhuc. Nunc audi quæ tibi dico, & conscribe distinctiùs; nã ea, quæ aliàs dixi, valde confusa scripsisti, & multoties repetisti. Audi nunc, & menti imprime, vt conscribatur rectè, & nullus sit defectus, in dictis, aut scriptis. Illud, quod in vobis dicitur peccatum originale, in Adam fuit peccatũ actuale; ipse enim comedit, & præuaricatus est mãdatum Dei. Præuaricatio mandati, & comestio præterijt, facta est, & reuocari non potest. Sed occasione talis præuaricationis Adã reatum incurrit, quia ad æternum supplicium obligatus fuit, & hæreditate, siue beatitudine priuatus, etiam fuit immortalitate, & impassibilitate illius temporis; priuatus, & tran-

**in paradiso.* quillitate, quam habebat in imperando * viribus inferioribus, & creaturarum obedientia, erroribus multis subiectus, ad malum pronus, & procliuior factus: sed nullum istorum fuit culpa, sed potiùs reatus, vel pœna: vltra tales reatus, & tales pœnas Adam ipse propter esum illum fuit priuatus duplici qualitate in anima existente, illa videlicet, qua Deo vnie-

A batur, & coniungebatur; & alia, qua tranquillè imperabat viribus inferioribus, cuius medio amissa qualitate coniungere Deo poterat iterum illam recuperare, sine appositione alterius remedij. Hæc fuerunt mala, in quæ cecidit Adam pater vester. Nota ergo, quòd capiendo peccatum pro illa præuaricatione mãdati, ipse solus cum sua vxore Eua præuaricatus est, & nullus peccatum illud commisit: capiendo etiam peccatum pro illo reatu ad supplicium æternum, propter transgressionem obligante, nullus filiorum ad illud, propter esum illum fuit obligatus, sed solùm ipsi duo parentes vestri. Si tamen peccatum dixeritis priuationem beatitudinis immortalitatis, impassibilitatis, tranquillitatis, subiectio

B nis * erroribus, & alijs pœnis, quas propter esum incurristis vos non ipse, hoc peccatum pertransiuit in omnes concupiscibiliter procreatos sententia diuina, & potest dici originale, eò quòd talem originem habentibus infligatur propter originantis primi transgressionem, & hoc non propriè est culpa, quamuis & illud culpa dici possit, & macula; sed propriè culpa, quæ in anima, transeunte actu peccati remanet, est elongatio à Deo, quæ nihil aliud est, quàm priuatio gratiæ Dei, siue qualitatis Deo coniungẽtis, Deoque gratum habentem facientis. Et illa est macula, illa fœtor spiritualis, illa contaminatio, illa animæ morbus, & lãguor: & quãuis Adã, & Eua ante

C illũ esum per interiorem elationẽ, & per consensum expressum talẽ qualitatem amisissent; tamen etiam esu illo, illam amissam amiserunt sic, quia si habuissent, digni erant amittere, & amisissent: & hoc modo postquam perpetrato crimine gratia amissa est, sequentibus quoque criminibus amittitur. Quando enim dignus est quis amittere quod amisit, iterum illud amittere videtur. Amissio ergo gratiæ est culpa, & macula, * & elongatio à Deo, & dissimilitudo Dei; & hæc macula remansit in omnibus filijs Adæ ex propagatione natis, decreto, & lege communi. Quam maculã Adam ante esum illum habuit, sed filij non habuissent, nisi si esus ille præcessisset, sed eo come-

D dente; decreto firmatum fuit, vt omnes essetis filij iræ, & inimici; non autem amici, disiuncti, non coniuncti, nisi remedio adhibito iterum coniungeremini. Remedia nota sunt merita Christi, & motus voluntatis in Deum, aut Sacramenti susceptio, vel vtrumque: de quo aliàs locuti sumus. Priuatio autem secundæ qualitatis, qua tranquillè vixisset homo, & qua facilè ad Deum reuersurus * fuisset, non ita propriè est culpa, aut macula: tamen aliquo modo & ipsa pertinet ad peccatũ originale, quia propter esum illum incidistis in talem præuaricationem; & ita intellige, quæ aliàs tibi dixi, & tu nimis confusè scripsisti. Qui ergo peccatum originale solũ reatum, quo obnoxij pœnæ, & illius, quæ animæ,

** culpa ergo, & macula est amissio gratiæ.*

** reuer-sus.*

& illius quæ corporis est, facti sunt homines: illi non discernunt inter reatum, vel culpam, aut maculam, sed reatū ipsum culpam, & maculam putant, qui verò illud peccatum vocāt legem carnis, vel tyrannum membrorum, nō videtur ab illis primo dissentire, nisi quia primi videtur reatū, in quem homines ceciderūt propter esum illū vocare peccatū originale. Alij autem solùm legem carnis, & fomitē: qui fomes est pœna quædam, quam propter esum incurristis: nam, & tranquillitatē illam amisistis, & repugnantiam carnis contra spiritū cōcupiscentis, incidistis: quę carnis, seu sensuum repugnantia rationi, pœna est potiùs, quā culpa, vel quā reatus. Qui autem illud peccatum dicunt esse concupiscentiam, si intelligūt per eam pronitatem carnis ratione resistentis ad malum, tunc non differunt à secūdis; si autem ipsius animæ pronitatem ad condelectandum sensui, ita quod talis sit in voluntate, nō in sensu; illa etiā erit pœna, quæ consequitur voluntatem priuatam; illa secūda qualitas de qua sæpè diximus. Qui autē illud ponunt esse priuationē iustitiæ originalis, hi propinquiùs accedunt ad rationem culpæ; intelligēdo per iustitiā originalē, qualitatē primā coniungentem Deo. Quia * etsi Adam ante esum illū priuatus fuit, nō tamē filij priuati fuissent, si esus non præcessisset. Si autem per iustitiā originalē secundam qualitatē intelligerent, qua & tranquillè viuere, & citò in Deum redire potuissent, tunc etiā peccatum originale potiùs pœna fuisset, quàm culpa, seu macula, aut elongatio, quæ idem sunt. Dictis his de peccato originali, nūc tibi aperiam veritatem; quomodo MARIA genitrix Dei nostri, sine illius peccati labe concepta sit; quod apud vos vertitur in dubium.

A

B

C

D

*qua.

Dico tibi Deū prima sui intētione verbum suū voluisse ex virgine tali carnē assumere, eā que semper immaculatā forè, absque vlla conditione (beneplacito sua voluntatis) absolutè eā elegit, & prælegit, quod de nullo aliorum dici potest, nec de nobis Angelis, nec de vobis hominibus. Vt ergo Deus ipse ex ea prodiret, creauit mūdum sensibilē, & primo vestros parentes, vt tādem egrederetur virga illa, & flos ascēderet; & volebat quòd etiā propagatores eius, quicunque illi essent, amici essent cū cōditione, si mandatis obtemperarent. Solā illā noluit vllo peccato transgredi, nec aliorum transgressioni subiacere: vidit transgressionē primorū parentū, condemnauit omnes posteros, omnesque propagatos, nisi iuuarentur meritis illius hominis Dei. Et absolutè voluit, vt merita ipsius sibi * suffragarentur: alijs verò cum aliqua conditione; si, vel ipsi, vel parētes vestri, aut alij præter merita illius Dei, & homines interuenirent: & tandem omnes alios, tunc absolutè prędestinauit, quando in gratia confirmauit, vel in mortis instanti, vel anteà. Scito ergo, quòd sicut omnibus hominibus, si ne conditione voluit Beatitudinē, prima intētione dare, ita visa prima hominis trāsgressione, nulli eā dare voluit, nisi cū conditione, scilicet, remedijs opportunis potirentur. Ab hac tamen Virgine nunquam amouit mētem, aut animū, sed vt remedijs gauderet absolutè disposuit, hoc est meritis filij ex ea prodituri. Accipe, & tene quod dico. Nullus est ex filijs Adæ, cui aliquando nō fuerit iratus Deus, hoc est, quem noluerit beatum forè saltem cū conditione: ideo nullus est, aut fuit, aut erit, quē non voluerit beatum facere, saltem cum conditione, & nullus est quem pro aliquo tempore, in sua æternitate Deus non habuerit pro exule, & pro inimico, præter hanc, de qua loquimur, omnium nostrorum Dominam, quæ nō solùm pro illo tempore, in quo cœpit esse, sed pro immensitate ęternitatis diuinæ, sēper ante faciē eius astitit * grata, & accepta; iuxta illud. *Astitit Regina à dextris eius*, scilicet æternaliter *in vestitu deaurato circundata varietate*, quia varijs donis, & muneribus decorata. Alij omnes pro aliquo tēpore oblati sunt ei, vt inimici, & exosi præuiso peccato Adæ. Multa sunt genera hominum, quidam nunquā Deo placuerunt, nisi cū conditione, vt illi qui nūquam remediū originalis culpæ acceperūt, alij quandoque placuerunt, quandoque displicuerunt; vt illi qui remedio sumpto iterū sunt præuaricati, & rariùs, & frequentiùs. Aliqui enim semel percepto remedio constantes semper fuerunt. Aliqui semel post delinquentes redierunt: aliqui septies, aliqui verò septuagies septies peccantes reuersi sunt. Aliqui antequam nascerētur, fuerunt à morbo illius peccati curati. Aliqui dum conciperētur, vel anteà meritis non solùm Christi, sed, vel parētum, vel aliorū iustorū lachrimæ, hoc est, pia desideria præuisa, à Deo purgātur meritoriè, Deo sic acceptāte semina * taliū, & hoc prout fuerunt in cognitione Dei, à peccato illo fuerūt liberati: eo modo, quo herus potest filium seruæ, antequam nascatur, vel etiam concipiatur à seruitute liberare; & multò magis id potest Deus, qui distinctè cognoscit, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Quoscūque igitur prænuntiauit in mundum, tāquam à se missos, & tanquam magnos venturos, & tanquā amicos suos, eos iam absoluebat à patris crimine meritis Dei veri, vel perfecti hominis: hanc Virginē neque antequā nasceretur, nec in conceptu, nec ante conceptū absoluit, sed nunquā, vt inimicā, aut ingratam habuit, sed absolutè voluit meritis filij eius ipsa, non solùm à peccato inexistente purgare, sed nec à peccato in ea, mente diuina, apprehēso nunquam absoluit; ac si eam pro aliquo tempore in tali peccato Deus ipse vidisset, sicut vidit omnes alios filios ex Adā propagatos. Multi ergo dum conciperentur amici esse poterant, & fuerūt, & aliquātō tempore ante in præsentia Dei sic mōtes Sāctos Ecclesiæ eri-

*exti-tit.

*se me-rita.

*scien-tia.

*ei.

gebat, omnes tamen in peccatis concepti sunt; quia omnes ex tali conceptione orti merebatur iram, & inimicitiam; immò plus tibi dico. Etiã Regina nostra, quæ nunquam visa est, vt inimica, nec ante conceptionem, nec post, adhuc de rigore conceptionis suæ in peccato cõcepta dici potest; quia quilibet sic propagatus, meretur irã, & non misericordiã, ex ratione propagationis suæ; & hoc modo verum est, nullũ, nec à reatu, nec à culpa liberum esse; sed omnes in peccatis concipi, nasci, & viuere: sic tamen omnes nõ viuunt in peccato, nec nascuntur, sic nec concipiũtur. Omnes ergo estis de propagatione peccati, & mortis, & iræ; sed gratia Saluatoris aliqui post multos lapsus, aliqui post paucos, aliqui post vnũ, antequã concepti sunt, aliqui post vnum, omnino nec in re, nec in scientia Dei saluati, & liberati dici esse possunt; qui tamẽ, vt filij propagati ab ipso Adã intelligebantur, vt rei intellecti fuissent, nisi Deus absolutè eos meritis filij sui præuisis præseruasset, posuit hic plurale pro singulari; quia talis alius à Virgine Dei Matre nullus fuit: ipsa tamen rectè dici potest peccauisse, & à peccato liberata fuisse, quia ex massa peccato obnoxia proditura erat, & prodijt. Immò dico tibi, quòd nullus magis fuit liberatus, magis saluatus, magisq; redẽptus, quã illa, nullus obligatior extitit Saluatori, quàm ipsa. *Non solũ ergo saluata est, sed magis saluari, magisq; redimi non poterat. Quæ enim vnquam labe polluta est, aut vlla sorde, neque dũ esset, nec dũ à Deo in æternitate intelligeretur, & hoc meritis Saluatoris, Deo prænotis magis redimi non potuit. Minùs ergo merito Christi peccantes, magis saluantur, quòd si minùs peccantes magis saluantur, nullo modo peccantes maximè saluati dicerentur, hoc vt promulget toto orbi futurus Pastor, Deus decreuit. Quicũque aliter censuerit, anathema erit; sed mirũ est, cur hæc vestri Doctores non perpendunt; si enim nullus redimitur, aut saluatur, nisi peccator priùs exiterit, quomodo non vident, quòd oportebit dicere minùs redemptum illum, qui minùs peccator fuerit, & minùs saluatũ, minùsque Saluatore indiguisse, minùsq; Saluatori obligatum esse? quæ omnia sunt præabsurda. Sic ergo, Virgo Regina minùs omnibus saluata fuisset, & minùs Saluatori obligata, quæ absint à fidelium mẽtibus. Nullus magis saluatus ipsa, nullus Deo magis obligatus; & quia nihil meriti ad hoc habuit, nisi merita filij sui, rectè super omnes Saluatori suo obligatur, cùm supra omnes meritis Saluatoris meruerit: vnde, & ipsa supra omnes eũ suum Saluatorem appellauit, quando cantãdo dixit: Exultauit spiritus meus in Deo Saluatore meo. Scito tamẽ, & aduerte, quòd si peccatũ originale pro solo reatu, & obligatione ad pœnas huius vitæ, & pro amissione immortalitatis, & impassibilitatis accipitur, ipsa tale peccatum contraxit, sed illud non est peccatum originale, quod nec per baptismũ dimittitur. Aliquæ igitur reliquiæ peccati originalis fuerũt in ea. Nam si Adam non peccauisset, nec ipsa, nec filius eius mortalis, & passibilis veniset in hunc mũdum: vtrique igitur aliquo modo illud peccatum nocuit. Quod nocumentum, posito casu Adæ, fuit vobis vtile, quia sanguine illius, & morte redempti fuistis, & nocumentum matris fuit ipsi matri ad cumulum meritorũ; immò profuit & vobis, & sicut ablato peccato originali, non aufertur pœna tẽporalis, sic & præseruati ab illo, non præseruantur à pœnis huiusmodi: immò Christus Dominus, qui non subijciebatur illi peccato, quia nõ fuit ex propagatione illa, nec ex concubitu procreatus, vt omnes alij, non fuit à pœnis illis præseruatus, quæ tamẽ pœnæ naturæ, nõ erãt sibi datæ, vt pœnæ, sicut * si Deus crearet vnũ hominem in puris naturalibus, ille esset mortalis, & passibilis; mors tamen & passibilitas nõ esset sibi, vt pœna peccati, sed conditio naturæ. Tamẽ aliquo modo peccatũ Adæ fuit occasio mortis Christi; si enim ille non peccasset, Christus Dominus mortuus non fuisset, nec carnem mortalem assumpsisset, sed talem qualem inuenisset: quãdo ergo dicitur in Scripturis, ipsum propter peccatorum expiationem venisse, semper supplendum est, venisse, videlicet, mortalẽ, & passibilem. Deus enim prima intentione nõ decreuit filium suum mittere in mundum in carne mortali, sed solũm in carne humana: sed videndo peccatum Adæ, decreuit, vt carnem mortalem assumeret, & passibilem: ideò dicitur eum propter peccata vestra misisse, non prima intẽtione, sed secunda, vtraque tamẽ æterna, de cuius incarnatione aliàs fiet sermo. Nũc prosequamur incepta. Mors tamẽ, & passio Virgini Matri fuit pœna peccati; quia ex natura suæ propagationis, in maculam peccati incidisset, nisi eã Deus meritis passionis filij præuisis, absolutè præseruasset, longè itaque distat dignitas matris à dignitate filij; ille namque, nec peccatum habuit, nec habere potuit; quia ex concubitu natus non fuit. Ipsa nõ habuit, sed habere potuit, & pro certo habuisset, nisi Deus, ne haberet, eã præseruasset, sed valde sunt rudes apud vos illi, qui dicunt: si illa in peccato concepta non fuisset, iniquus esset Deus si eam mori permisisset; quia sicut non est Deus iniquus, quando aufert peccatum, & non pœnam illius; ita nec iniquus est, quando præseruat à peccato, & non à pœna: si enim aufert, aut præseruat, misericorditer aufert, & præseruat à peccato, & aliqua ratione suadente non præseruat à pœna, quia illa remanet in exercitium, & meritum. Deus tamen mandato facto primis parentibus vestris, & non obseruato, restituit naturam humanam in conditione propria, & quia illa ex se mortalis erat, & passibilis, talis remãsit in omnibus: noluit enim vllum remediũ adhibere pro ablatione pœnæ, sicut adhibuit pro ablatione culpæ. Absolutè enim illa abstulit, nulli amplius in via illa cõcessurus, gratiã verò nõ absolutè, sed vt recuperari posset, & voluit, & remedia adhibuit,

*illa.

*sicuti.

buit. Non sunt ergo illa connexa, sed separata peccatũ, & mors; nõ ergo mirũ est, si culpa non inhærente & mors, & passio adhæreat; quia cõditiones sunt naturæ, peccatũ minimè. Dico tibi plus: Si Christus venisset in carne humana solùm, vt homo, & nõ vt redemptor, adhuc mortuus fuisset; quia pactũ absolutũ fuit, vt præuaricatione illa facta, natura humana sibi dimitteretur in omnibus hominibus, sine vllo remedio. Immò dico tibi: si Adæ soli, & filijs eius ex concubitu nascentibus fuisset promissa immortalitas, tunc Christus ex pacto illo eam nõ habuisset, sed quia carnẽ talem assumpsisset, qualem inuenisset; & ita Adam peccando Christo immortalitatem propriè non abstulit; quia nec pro illo acceperat: MARIÆ verò abstulit, quia pro ipsa acceperat; Christo tamẽ eam indirectè abstulit, quia auferẽdo eam omnibus filijs suis, ex quibus Christus secundùm carnẽ descẽsurus erat, abstulit eã & ipsi, quia talem carnẽ assumpturus erat, qualẽ inueniret. Mors ergo, & passio non præsupponũt culpã originalẽ filijs Adę inhęrere, sed vel inhęsisse, vel inhærere potuisse: ipsi tamẽ Adæ pro certo inhęsisse. Aliud etiã Deus absolutè decreuit, vt nullus regnũ cœleste, quantacunque fulgeret sanctitate, intraret, ante Christũ Saluatorem omniũ. Frustrà igitur inter vos quæritur. Si MARIA ante filij mortẽ mortua fuisset, an ad cœlos conscendisset? dico tibi, quòd non, quia decretũ erat, vt ipse esset *Apoc. 1* *Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ*, hoc est omniũ sanctorũ hominũ. Et quòd nullus hominum vita beata viueret, antequam Deus homo moreretur. Redeamus ad proposita verba. Si vos peccatũ originale hũc reatum, ꝙ est obnoxietas mortis, vocaretis, MARIA Virgo in peccato originali cõcepta fuisset, sed tunc peccatũ originale per baptismũ non deleretur, quod est absurdũ; quia tunc starent simul gratia, & peccatũ originale. Si verò peccatum originale esset illa morbida qualitas, vel fomes, aut lex carnis, vel membrorũ, etiã illud nõ potest dici peccatum, quia talis lex carnis est in hominibus etiã post baptismũ, & stat cũ gratia; quia habere aliã legem repugnantem legi mentis est conditio naturæ humanæ, sicut & mortalitas: & facto peccato Adæ, natura humana quo ad hoc posita est in suis proprietatibus, & restituta in conditionibus suis, vnde natura destituta, fuit etiã restituta. Deserta enim, & priuata muneribus supernaturalibus, restituta fuit donis naturalibus; illa quoque lex membrorum non est in mente, aut ratione, vel voluntate, sed potiùs in sensitiua parte, in qua ponere peccatũ est absurdũ. Animaduerte tamen fomitẽ illum non fuisse in Virgine gloriosa, cui Deus tãtam gratiã dederat, vt in ea æqualis, immò & maior tranquillitas esset, quàm in primis parentibus vestris ante peccatum fuerat. Et miror de quibusdã Doctoribus vestris, qui dicunt, nullũ hominẽ vnquam cõcupiuisse illam, quamuis esset pulcherrima mulierũ, in quo eos nõ damno, sed miror, quare ponunt in ea fuisse talẽ fomitẽ, & postea consopitum, vel extinctum: si enim Deus noluit alios eã concupiscere posse, quare fomitẽ talẽ in ea, vt illicitè concupiscere posset, dimisisset? habuit tamen illum eo modo, quo & Adã ante peccatũ remotè, non propinquè; quia habuit naturã, quæ secundùm sensum nouit repugnare, & resistere rationi. Talis igitur morbida qualitas, quã fingunt à voluntate carni inflicta, quæ revera non est, nisi conditio naturæ, sensu, & ratione donata, nõ est peccatum; vel si vis, vt sit peccatũ, non fuit in Virgine, sicut nec in Adam ante quam peccasset. Si verò peccatũ originale dixeris cõcupiscentiã, hoc est ipsam sensuũ cupidinẽ, qua cupiunt contraria rationi, vel ipsam pronitatem ad cõcupiscendum cõtra rationẽ, dico tibi, bone vir, quòd nec concupiscere, nec pronitas talis est peccatũ in se. Ratio est; quia peccatũ in se sumptũ est in sola voluntate, non in viribus sensitiuis, nisi prout à volũtate procedunt. Quòd si vis illã esse peccatũ, nõ fuit in Virgine Matre; quæ nec concupiuit, nec pronitatem concupiscendi in sensibus habuit; quia tũc habuisset tyrãnum, & legẽ carnis. Sed dices mihi: cõcupiscentia, quæ est in voluntate condelectante, & congaudente sensui, & cõplacente eidẽ, illa est peccatũ originale, & ego dico tibi, quòd illa est in vobis per peccatũ originale; si enim pater vester non peccasset, volũtas vestra illicitas cõdelectationes non admisisset, immò illæ in sensu, ratione præueniente, & moderante, nõ fuissent, si quoque talis concupiscẽtia condelectationis illicitæ peccatum esset, vel pronitas ad sic condelectandũ, adhuc illa in Dei genitrice nõ fuit. Nec enim cõdelectata est prauę suggestionis sensu, quia suggestione caruit, nec ad condelectandum prona fuit. Si postremò peccatũ originale priuationẽ illius qualitatis dixeris, qua volũtas, & appetitus tãquam freno quodã (vt vestri dicunt) cohibetur ab illicitis desiderijs, quã qualitatẽ nos aliàs diximus vocari secundam qualitatẽ, & iustitiã originalẽ, quæ & frenũ quasi erat, & alio peccato quã illo illius mortiferi, esus homine peccante, erat remediũ in Deum redeundi: si priuationem talis qualitatis peccatũ originale vocaueritis, prout plerique vestrũ, & quos acutiores æstimatis, vocant, tunc Virgo illa videbitur contraxisse originale peccatũ, quia talis iustitia nunquam fuit sibi reddita. Ergo tali iustitia fuit priuata, cui erat debitrix, eò quòd primus pater etiam pro ea ipsam acceperat, cum pacto, & amisit etiam pro ea, pacto non seruato. Est namque, vt vestri subtiliter dicunt, peccatum originale priuatio iustitiæ originalis debitæ, ex eo, quia à primo parente pro filijs acceptæ, atque pro eisdem amissæ, quia in quantum Adam eam pro se accepit, & amisit, non peccato originali, sed actuali peccauit, & tantùm fuit debitor illius. Dico tibi, quòd sicut alij purgantur à tali priuatione, sine iustitiæ talis restitutione, ita & illa præseruari potuit, sine talis iustitiæ restitu-

tutione; si enim restituitur æquiualens, vel forsan, & melius, priuatio ablata est. Sicut si priuato Sacerdotio restituatur Episcopatus, & priuato decẽ, restituantur totidem alij, vel centum alij, non amplius priuatus est. Dedit certò Deus genitrici suæ ab æterno in mẽte, & ex tempore in re aliquid illi iustitiæ æquiualens, immò aliquid melius, & maius. Nunquã ergo nec in mente eius, nec in re priuata fuit tali iustitia. Dico tibi plus, quòd priuatio talis iustitiæ non est propriè peccatum: si nõ ea, sed alias, homo erat gratus Deo: prout aliàs diximus. Qui tamen reatũ, & priuationẽ cuiuscunque doni peccatum dicũt, possunt & priuationẽ illam peccatũ appellare, & eò maximè, quia priùs Adam amiserat gratiã, ante quam comedisset, & per comestionem mortẽ incurrerat, per quã & gratia priuatus fuisset, si ille tunc infuisset, & secunda qualitate spoliatus fuit, quæ adhuc sibi inhærebat: idcirco comedẽdo, vtraque qualitate se spoliauit, & filios suos, sicut vtrãque pro se acceperat, & pro filijs, sed priorẽ illam vt posset & ipse, & filij recuperare in seipsa, remediũ adhibitum est, posteriorẽ minimè, sed recuperata priore, illa alterius amissio vlteriùs ad culpã non imputatur, sed remanet, vt pœna quædam, & naturalis cõditio: dimissa enim fuit propter peccatũ natura humana sibi ipsi. Illam tamẽ legẽ carnis, & rebellionẽ Mater Domini nostri nũquam sensit, quæ gratia semper plena fuit. Nũquam ergo vlla culpa, aut macula in ipsa fuit, quam Deus in suam genitricẽ, ęterna mente prælegit; tunc ego, clara sunt, & credibilia Angele Dei testimonia tua, sed vellẽ, vt responderes mihi, & me doceres. Si Adam acceperat iustitiam originalem pro omnibus filijs suis, ex concubitu procreandis, etiam pro Matre Dei, quomodo eam potuit amittere pro omnibus, & non pro illa? Respõdi: iam dixi tibi qualiter Deus prima intẽtione voluit ex tali Virgine carnẽ assumere, & illã * Virginẽ meritis filij sui glorificare voluit, propter id mundũ, & hominẽ creare; cui homini creato pro se, & omnibus iustitiam dedit, vt illa cõseruaretur in omnibus, & præcipuè in MARIA matre sua: quã præcipuè propter eã primo homini dederat: præcipuè enim cura Deo de ipsa semper fuit. Dedit homini mandatũ, pactumque fecit, vt si illud conseruaret, iustitiam sibi, & suis conseruaret nõ absolutè, sed etiamsi quilibet filiorũ aliquam tentationem iam natus, & adultus vicisset. MARIÆ soli voluit eam conseruare absolutè: si verò mandatũ nõ seruaret, iustitiam, & gratiam sibi, & posteris amitteret, quam tamen & ipse, & alij tali remedio adhibito recuperare possent, gratiam quidem in se, illam aliam qualitatem in augmento gratiæ, vel aliquo æquiualẽti quo ad redeundũ ad Deum post peccatũ, & in hoc pacto solã MARIAM excluſit. Noluit enim Adam peccãte gratiam à sua genitrice excludere, nec eã filiam iræ, & maledictionis facere priuilegio speciali. Quę tamẽ ex se, sicut, & alij illud merebatur, ideò dici poterat filia iræ ex propagine, & filia maledictionis, & ad hoc aspiciebãt omnes sancti Doctores vestri, qui eam in peccato cõceptam dixerũt. Vnde nõ errauerunt, quia verè ratione ortus sui in peccato cõcepta fuisset, sed illi errant, qui dicunt eam præseruatam non fuisse: aliud enim est dicere: sic ex se fuisset, aliud sic fuit. Excepit ergo illam bonitas Dei, nec illã, quam iã in matrẽ prima intẽtione elegerat, inimicam aliquãdo cogitaret. Dixit ergo homini Deus, si mandatum non seruaueris, gratiam amittes irrecuperabiliter, & tu, & filij ex te propagãdi, nisi remedium adhibueritis recuperandi, quod vobis dabo: vnicam tamẽ, & electã matrẽ excipio, quam huic generali edicto subiacere nolo; quia matrem eam elegi, genitricẽ habere statui. Filij mei præuisa merita vos liberabunt appositio remedio; vel propriæ motionis in me, vel Sacramẽti susceptionis. Genitricẽ meam absolutè eripient; quia maculã in ea videre nolo, maledictam æstimare, & inimicam respuo. Adam ergo comedente & ipsum, & omnes filios eius ex cõcubitu procreatos, tanquam filios iræ, & maledictionis ab æterno pro tempore illo aspiciebat Deus; & eos tanquam suos inimicos intuebatur, quos ab æterno tẽpore, ex quo Adã creatus est, vt amicos sub cõditione intuebatur, & ante creationẽ Adæ, quia nihil adhuc eis volebat, nec vt amicos, nec vt inimicos videbat. Genitricẽ tamen suam nũquam torno oculo aspexit, nũquã abhorruit, nunquam cõtempsit, nũquam abiecit. Ab æterno denique Ioannẽ Baptistam pro tempore, quo patri suo incensum in templum offerenti ego apparui, & dixi: nascetur tibi filius, priuilegio speciali Deus noluit subijci peccato originali, sed absolui eũ ab illo, tunc antequam conciperetur. Sic & multos alios absoluit: omnes tamẽ dicuntur cõcepti in peccato originali, quia omnes quando Adã peccauit, fuerunt cõdemnati, & gratia priuati, & pro inimicis habiti, & maledictioni subiecti, præter Dominam, & Reginam nostrã. Do tibi similitudinem. Est Princeps magnus, qui habet seruum naturã suum, tamen benignitate sua, herus non vult eum pro seruo, sed pro filio, cũ pacto, si fecerit aliquid, quod sibi mandaret; promittendo, quòd si pactum seruaret, ipsum pro filio, & non pro seruo, & omnes ex eo propagatos se habiturum; si non seruaret, omnes non solùm, vt seruos, sed vt inimicos se reputaturũ, vnico excepto. Ille seruus naturã, Domini sui non seruauit iussa: iussit Dominus, vt esset seruus, & inimicus, & ipse, & tota posteritas sua semper; vnum ex posteris sui gratia excipiendo. Tunc omnes pro tempore illo, quotquot nascituri essent

* *ipsum.*

sent ex illo pro inimicis habiti sunt, quandocunque exilterent, & nascerẽtur, posset tamẽ Dominus ille misereri alicui ex posteris, post quam nati sunt, & antequã nati essent: immò antequam revera cõciperentur; posset nãque iã parẽtibus, & sibi recõciliatis dicere: volo, vt filius ex vobis proditurus sit liber, & amicus, quẽ tamen in mente sua pro temporibus prẽteritis habuerit pro inimico. Scito, & animaduerte, amice Dei, me Gabrielem, & alios socios meos quã plurimos nocte illa, qua genitrix Domini nostri fuit cõcepta, adfuisse, & cooperatos fuisse miro, & ineffabili modo, circa materiã conceptionis illius purissimæ; cõcubitus illorũ fuit castus, sanctus, immaculatus; vos ista immũda iudicatis, & nõ recordamini, quòd ea, quę Deus prẽcepit, immũda esse non possunt, & quòd ea, quæ in paradiso, & in statu innocentiæ fuissent, immunda dici nõ possunt, & omnia munda mũdis. Nos ad dispositioné, & seminis, & sanguinis, & corpusculi illius multa, prout potuimus, fecimus, purgando, resecãdo, abluẽdo, tribuẽdo, benedicendo, & sanctificando, quantũ poteramus; & ad quanta nostra virtus se extẽdebat; ad lachrimas quoque sanctorũ, & desideria aspiciebat Deus. Voluit enim Deus nos pro modulo nostro esse suos coadiutores, sicut in plasmatione Adę, & Euæ, ita & Virginis gloriosæ, ad hoc, vt maior amicitia esset inter nos, & vos

(* *ipsos.*) * venerabiliùs valde, & venustius fuit corpus illius Virginis genitricis, quã Euæ omniũ viuentium matris. Caro illa, & commembra, & omnes partes sui corporis fuerũt perfectè dispositæ, ita vt nihil quasi differrent ad dispositionẽ corporis Christi, nisi quia hęc fœminini sexus, ille masculini erant. Manus, pedes, digitos, os, & illos, & alia mẽbra penè cadẽ habebant, & non differebant, nisi in illis accidẽtibus, quæ mulieri incõgrua essent. Caro vnius erat caro alterius; sed multa decent masculũ, quæ fœminæ nõ adaptantur, & multa conueniunt fœminæ, quæ masculo nõ conueniunt. Immò turpe sit talia ipsum habere. Dico tibi plus, quòd Deus voluit, vt corpus matris gratiæ, & omnis consolationis fieret, & formaretur perfectum, & perfectius, quàm corpus Euæ, & ipsius Adæ; & æqualis perfectionis esset cũ corpore Christi, vbi nõ repugnabat sexus condecentiæ. Tota ergo corpore pulchra fuit, & sine macula; corpus autẽ eius nõ fuit in ictu oculi formatũ, & animatũ, sicut corpus filij eius, quod vniebatur tũc, dũ formabatur diuinitati, nec tamen tantum tẽporis expectauit, sicut corpora aliorũ expectãt; sed in breui

(* *eo assistẽtibus consistentibus.*) tempore nobis assistentibus. * Illud Ioachim mundissimum semẽ transmissum est in vterũ Annæ, & dispositа, & omnino mũdata cellula illa, & sanguine ipsius Annę perfectiori, & puriori ministerio nostro segregato, purificato, & in ipsa cellula repositо, & semini Ioachim

A vnito, illi sanguini, vltra mellifluã cœlorũ influentiam, nos multa disponendo addidimus. Ita vt longè, & incõparabiliter citiùs caro illa, & venæ, atque nerui cũ ossibus plasmarẽtur. Itaque, quæ in alijs perficiũtur, in multis diebus, volente Deo, & nobis subministrantibus facta sũt omnia in sex horis, vel circiter. Tunc Deus noster magnus, & potens creauit animã perfectã, habentem omnia dona, omnẽ sciẽtiam, siue omnes habitus, & similitudines omniũ, sicut & nos, qui accipiẽdo vnicã similitudinẽ diuinæ, videlicet naturæ, omniũ rerum similitudines accepisse dicimur. Anteà enim nos creauerat, & postmodũ Adã, & Euã, & omnes plenos sciẽtia; nullus igitur sciẽtiæ

B habitus fuit Matri Dei denegatus, nulla naturarũ similitudo: nã etsi propter peccatum Adę mortalitatẽ, & passibilitatẽ accepit, quę sibi prodesse poterant, & ex pacto illã in omnibus hominibus relinqui oportebat, quia cõueniunt naturæ humanæ: nõ tamẽ accepit errorẽ, aut ignorantiã illorũ, quæ scire vtile esset, & ignorare pernicioſum. Et quæ Adã, & Eua à principio acceperunt, & filij accepturi erant, si peccatũ non interuenisset. Fatendum igitur est omnibus MARIAM Reginã nostrã à principio suæ creationis, ita nouisse omnia, sicut & Adam, immò & nos Angeli nouimus. Nouerat Grammaticã, Dialecticã, Rectoricã, Poeticã, Artes Mathematicas, tã puras, quàm mixtas, tã superiores, quã inferiores; nouerat Phisicã, & Metaphisicã, & quæcũque illi subsunt scientiæ. Nouerat optimè Theologiam, & ideò omnia verba, & opera Christi conseruabat ab initio. Et quando illa fieri videbat, *Conferebat in corde suo*, cognitionẽ experimentalẽ, quam vos vocatis intuitiuã, cũ cognitione infusa, quam vocatis abstractiuã. Nouerat, & omnes Artes, quas mecanicas dicitis. Nouerat omniũ regiminum, & vnius domus, & ciuitatis, seu Regni regulas, & iura. Nihil latebat animũ illũ sanctũ; Deũ specie, vel similitudine concreata, sicut & nos distinctè cognoscebat. Neque tamen videbat, nisi interdũ priuilegio speciali, quæ

D visio non erat permanens, sed vt quidam raptus. Omnes virtutes appetitiuæ, sicut & intellectiuæ sibi inerant, nihil boni sibi deficiebat. Sana erat mens, & perfecta in corpore perfecto, & sano; tota ergo pulchra, & tota formosa erat, tota immaculata, tota perfecta omnibus affluens diuitijs. Nullus in ea peccati originalis nodus, nullus culpæ venialis cortex fuit. Hic Põtifex, qui nũc est, de hac immaculata conceptione Matris Dei officiũ accepтabit, cõfirmabit, & vt ab omnibus celebretur hortabitur. Determinare, & decretum facere de immaculata cõceptione cogitabit; sed nõ faciet, nec opere cõplebit, quia hæc seruãtur Pastori electo Ecclesiæ totius Rectori. Nihil certè splẽdoris, aut munimis defuit Dominæ

Re-

Reginæ nostræ, quam laudant castra matutina, cuius pulchritudinem omnia pulcherrima mirantur, & qui non iubilant, non sunt Filij Dei. Quotquot enim hoc recipiũt, datur eis potestas filios Dei fieri. In mente diuina pro quocũque tempore immaculata fuit. In Adã peccante, quando maculari debebat, maculata non fuit. Concepta tandem grata est, quæ in mẽte grata fuerat immaculata, in vtero mansit immaculata, & quasi sine dolore matris ex vtero egressa est; immaculata inter cunabula infans vagijt; immaculata ambulare cœpit; immaculata Dei templo oblata, & præsentata fuit, & magna velocitate corporis, & animi sanctitate, gradus templi conscendit, vbi non solũ miraculũ de corporali ascẽsu fuit, sed etiam de cognitione tẽpli, & graduum illorũ, & virtutum, atque vitiorũ. Quæ omnia tunc in ea esse publicè patuit; omnes enim astantes, & ministri tẽpli, tunc agnouerunt in ea esse donũ sapientiæ, scientiæ, & intellectus, pietatis, cõsilij, & fortitudinis, atque timoris Domini. Tunc enim allocuta est Sacerdotes, ac parentes, & alios astantes: itaque omnes cognouerunt gratiã, quæ tam paruulæ puellæ data fuerat a Domino. Cũ enim primus Sacerdos eã oblatã susciperet, dixit, ò quã pulchram puellam nobis obtulistis! benedicat tibi filia, Deus. Tũc MARIA dicere cœpit, & aperte coram omnibus clara voce exprimere. *Fallax est gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Noli ergo pater animæ meæ meã laudare pulchritudinem, quæ in corpusculo meo tenui videtur esse; non enim apud Deũ verũ, & viuũ conditorem, & plasmatorẽ omnium formositas corporis in pretio est sine pulchritudine mentis. Quãdo tamẽ pulchri, & boni sunt mores, corporis formositas est quidam decor, non multũ necessarius, nec tamen respuendus. Timor Domini est initium sapientiæ. Humilitas est fundamentũ virtutũ. Qui timet Deũ, pulcher est, & faciet bona, qui humilis est illũ respicit excelsus Dominus, illi dabit gratiam suã, quia gratia, & fauor mũdi fallax est, ad modicũ parens. Qui humilis est, exaltauit eũ, & sublimauit Dominus, cui superbi summè sunt exosi, humiles sunt accepti. Veni ad vos patres animæ meę, vt me timorẽ Domini doceatis, & humilitatẽ instruatis, vt possim iugiter Deo meo seruire, & ei grata esse, & in ipsius obsequijs assiduè permanere, & perseuerare. Regnum, & omnẽ huiusmodi ornatum, omnes diuitias, atque delitias contemno propter amorẽ Dei mei Regis omniũ, & creatoris vniuersorum, illique dedico vitã meã, corpus meum, animã meam, virginitatẽ meam. Omnia ipse mihi dedit, omnia sibi dono, omnia sibi dedico, voluntatẽ meã pono in manibus suis, & arbitrio suo. Voueo perpetuã Deo corã te pater, tot testibus hic astantibus virginitatẽ. Introibo in domũ Domini, ad mundi blanditias nunquã exitura: ingrediar in atria Dei mei, vbi melior est dies vna super millia. Elegi abiecta potiùs esse in domo Dei mei, quã potens, & excelsa habitare in tabernaculis peccatorũ; domũ enim Dei decet sanctitudo in seculũ seculi, hæc requies mea in æternũ, hic habitabo; eam enim elegi domũ, quæ firmiter ædificata est supra firmã petrã. Scio, dignissimi patres, vos consuetos esse, puellas (qualis ego sum) in custodiã susciperе, deinde tẽpore nubili aduenиente eas nuptui secundũ legẽ Dei tradere, quod ego non vitupero, nec malum puto; sed mihi intus suadet animus, suadet mens à Deo mota, vt nunquã virũ cognoscã, nunquam carnis opera experiar; illa namque experientia, etsi non sit ex se mala, & à Deo, qui nõ potest errare, sit pro augmẽto humani generis ordinata: mihi tamen persuasum est, nunquam copulari viro, nunquã virginitatẽ vllo actu * violare. His dictis cõuertitur ad parentes, & alios propinquos, & consanguineos, & sic eos alloquitur: vale chare genitor, vale suauissima genitrix mea: valete omnes cõsanguinei, & propinqui mei, relinquo vos corpore, non relinquo animo; relinquo assiduo aspectu, nõ relinquo assidua meditatione; relinquo vos propter Deũ, ne relinquam Deũ propter vos. multũ debeo tibi pater mi, & non minùs tibi dulcis mater mea: plurimis enim orationibus, & eleemosynis, me à Deo impetrastis, qui me oriri disposuerat; omnino plurimos labores pro me assumpsistis, gratiarũ actiones, quãtas possum, vobis persoluo. Nunquam vos animo relinquã, nunquã deserã in corde meo. Deo enim seruiẽdo, qui omnibus nobis, & nascendi, & viuendi causa est: vobis quoque inseruiã, ipsius ancilla sum: illi me toto corde committo: vos autẽ rogo, vt me virginitatẽ vouentẽ in voto meo impedire nolitis, sed adiuuare magis velitis. Nolite ex me fructum mortalitatis inquirere. Dedit tibi de indultis mater mea, me vnicam filiã, alias noli cupere, neque ab eis nepotes expectare. Ego virgo in perpetuũ permanere decreui, omnibus, qui me associastis, & vsque ad hunc locũ mecum venistis, vt me Domino in templo eius offerretis, gratias ago, & rogo, vt pro me indigna serua Dei, orationẽ Deo nostro in secula seculorum viuenti offeratis. Vale dico omnibus, & sibi ad patrem, & matrem accedere volenti pro dando osculo, Sacerdos Primicerius * accepit eã, per brachiũ dicens, ò puella vnde tibi tanta sapiẽtia? vnde tanta scripturarũ nostrarũ peritia? Nunquã senex sic loquutus est, vt tu, nullus Princeps nostrę legis tã subtiliter loquutus est: vnde tibi tãta gratia? vnde tãtũ donũ? & omnes succlamabãt: à seculis seculorũ nõ est auditũ, vt puella trium annorum tanta sapiẽtia polleret,

* *actu*

* *pdhæsit, &*

*Omnia leret, immò quod loqui * cõmunia cum pleno intellectu sciret: hæc autem ac si in omni scientiarum genere experta fuisset, loquitur. Alij dicebãt, Ioachim, & Annam hæc illã docuisse in tã paruo, & breui tempore. Alij dicebãt, viuat Deus Israel, quòd nec Ioachim, nec Anna tanta sciunt: quomodo ergo docuissent eam, quæ ipsi ignorant? Scimus hæc, quòd nemo docere potest, quæ ipse ignorat. Alij dicebant arte aliqua, vel humana, vel Dæmonum illa fuisse facta. MARIA verò puella dicebat: nolite mirari, ò mihi charissimi patres propinqui, & astantes. Si eo modo sim loquuta ego paruula puella; sed potiùs miremini, quare omnes pueri, & puellæ vestræ non sic loquantur: notum est vobis qualiter Deus noster hominem creauit rectum, sed ipse peccato suo immiscuit se in multas quæstiones, & incidit in multas ignorantias, & errores pessimos, & omnibus nobis nociuos: si ergo spiritum illum, quem omnibus largiturus erat pueris, & puellis mihi non meis meritis, sed sua gratia, & dono mirabili, vt hodie in conspectu vestro videtur Deus contulit, nolite mirari. Dico enim vobis me recordari de tẽpore, quo anima mea corpori vnita fuit, & quid tunc cogitabam. Memini totius temporis, quo in vtero matris extiti, quando nata sum: & in cunabulis vagitus pueriles emisi hoc donum, quòd aliquando commune fuisset omnibus, mihi Deus concesit. Qui perpetuò viuit, & regnat, & omnia ex se gubernat, per gubernatorem sibi æqualem, in gubernatore vtrique æquali, per omnia secula seculorum. Et hic expressit Patrem, & Filium, & Spiritum Sãctum; sed ipsi non intellexerunt. Erat enim verbum hoc absconditum ab eis. Tunc Sacerdotum Princeps ait ad omnes. Vidimus mirabilia hodie in puella ista, quæ etiam sapientes, & doctissimos viros vincit. Digitus Dei est iste, *à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Alij Sacerdotes dicebant: pater nunquam audiuimus talia. Nõ sumus digni, vt hæc puella resideat apud nos, qui eam neque docere literas, nec mores possumus; longè enim nobis doctior, & melior est. Alij dicebant, si non docebitur, saltem docebit. Si ipsa nostro exemplo nõ proficiet, nos, & aliæ puellę ipsius exemplo proficiemus; intret igitur in conspectu Domini in exultatione. Primus Sacerdotum dixit, ego simul vobiscum miror, & obstupeo de hac puella animo, & corpore speciosissima, & valde cupio, vt hic nobiscum esset, vt doceremur, potiùs, quàm doceremus, proficeremus suis moribus magis, quã ipsa nostris. Tamen quia votum virginitatis nostræ nationi, & populo Dei inconsuetum emisit, videtur mihi contra Dei legem egisse, qui sterilibus maledixit. Quod etiam patri suo, & matri accidit: nonne patrem suum è templo eiecimus: sacrificium eius abiecimus, eò quòd nobis indignus ex eo, quòd semine careret, qui tamen vxorem habere videbatur? Tunc MARIA respondit: Deus matrimonium instituit, Deus præcepit dicens: *Crescite, & multiplicamini.* Ego quoque secundùm voluntatem eius voueo virginitatem tempus nubẽdi mihi nondum venit. Intrem ego in domum Domini læta: quando tempus nubendi aduenerit tradite me viro: si Deus ita voluerit, & cui ille voluerit nubã, propter hoc nolite me à templo Dei, & sanctis atrijs eius excludere: tum ergo dato patri, & matri suauissimo osculo, & reuerentia humili exhibita omnibus læta, & cum gaudio, deuotione, & humilitate ingressa est atria Domini: ibi orationibus, sanctisque meditationibus die, ac nocte intenta manibus quoque suis laborabat, aliasque puellas laborare docebat, quæ suo exemplo, & moribus, & notitia Dei, & omnium rerum, & artium proficiebat, Prophetas legebat, exponebat, declarabat cum omnium ingẽti admiratione. Messiam, & Redemptorẽ omnium hominum citò aduenturum ex Danielis prophetijs de statua illa in somnis visa, & de septuaginta hebdomadibus, & Agei, & aliorũ Prophetarum. Legebat Ieremiam dicentem. *Mirabile faciet Dominus super terrã, Fœmina circunaabit virum* (hoc est) in vtero gestabit perfectum Deum, & hominem. Et illud Esaiæ, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Et suspirans dicebat: vtinam oculi mei viderent illum Saluatorem meum: vtinam viderem illam fœliciſsimam matrem. Vtinam ancilla ancillarum suarum esse possem: audientes hoc Sacerdotes mirabantur, & rem taciti considerabant, dicentes in corde suo forsan, hæc est illa virgo, quæ erit Messiæ nostri genitrix. Et inter se secretè dicebant, certò ista est; nulla enim in mundo sanctior est, nulla doctior, nulla pulchrior: alius dicebat. Ego nescio, si Deus posset facere pulchriorem, sanctiorẽ, & doctioré. Vna puellarum semel ei dixit, MARIA dic mihi, rogo te charissima soror mea, quã puellam credis futuram Matrem nostri Redemptoris? cui illa dixit, nullam cognosco dignam. Sed Dei est de indigna facere dignam; voluntas sua, lex nostra est, sed subitò illa puella repli cauit, ò Beata tu MARIA, quia omnes hi Sacerdotes, & puellæ sanctę, quę hic sunt, ex quo cognouerunt gratiam Dei, quæ tibi data est, dicunt te esse futuram Matrem illius magni Prophetæ. Illa hora MARIA lachrymas præ gaudio effudit, dicens: cupere tantũ donum cuilibet puellæ præsumptio est, habere illud dignitas summa est. Nulla est digna, ego ex me æqualiter indigna, ipse solus

Pſa. 117

Geneſ. 1

Hier. 31

Iſai. 7.

sibi

sibi dignam Matrem facere potest. Sed vtinam dignaretur vnã ex minimis ancillis suæ genitricis me facere. Dum hæc agerentur in cellula MARIÆ, Primicerius Sacerdotum ibi videns tantam maiestatem in hac Virgine, die, ac nocte obseruabat eã, & hac hora in colloquio cũ puella ista inuẽtus est, & omnia verba vtriusque audiuit, & cùm videret vtrã que flere, pulsauit modestè ad ostium cellulæ, & astãte alio Sacerdote antiquo, vt ipse erat, immò antiquiore, & totò dedicato Deo, cui nomen erat Heli, aperto ostio dixit, vsque nunc MARIA te habui pro puella seruata in templo Domini; ex nunc te adoro tanquam nostri generis veram Reginam, & Imperatricẽ. Tu es certè mater nostri Messiæ, tu genitrix Saluatoris totius generis humani: tu eris scala, tu eris iter omnium ad Deum nostrum. Misereberis nobis peccatoribus, misereberis. Tũc MARIA humillima Dei serua genuflexit illico in conspectu illorum patrũ, dicens: Deum patres mei adorate vnà mecum. Ego vt spiritualis vestra filia, etiam vos in gradu vestro adoratione, quę Dei Sinagogæ ministris debetur, adoro, quæ de me dicitis magna sunt ista, magna facere nemo potest, nisi ille, qui potens est, & cui nomen sanctum est; ego me indignam tãta maiestate puto, nec vllam dignam iudico, ipse faciet de indigna dignam, de peccatrice iustam. Dominus vniuersorũ ipse solus est, mihi satis est * ancillã esse si tantùm vixero ancillarum illius Sacratissimę Matris, & vos patres mei pro me intercedite. Tũc ille Sacerdos senior vocatus Heli dixit: valdè humilis es, ò Virgo! Deus, qui semper humiles exaltat, te quoque exaltabit, & quantò humilior es, tãtò sublimior eris: cognosco certè Deum ordinasse, vt tu sis mater Messiæ, vel socia illius: sed vbi erit mater si tu non sis? apud nos non est vlla, quæ mereatur pro mille millia gradus quantum tu. Si matrem illam non tenet in cœlis Deus, de his, quæ in terris sunt, nulla te dignior, nulla sanctior. MARIA dixit, citò Deus dignificat, quem vult, me commendo vestris orationibus, vt saltem videre mereamur illam, de qua loquimur; quia verè beati oculi nostri erunt, si eã videbunt, & longè beatiores, si filium illum speciosum forma præ filijs hominum intueri merebuntur; MARIA assiduè stipata erat multitudine Angelorum, quia à principio Deus iusserat nobis Angelis, vt eam pro nostra Regina teneremus; nullus ex nostris fuit tantùm potens, aut magnus, qui non cuperet eam videre; nam inter nos maiores sunt, ita humiles, vt inferiores. Quamobrem alternatim veniebamus, & recedebamus ab ea, omnes mirabamur tantam gratiam, & tam amplum donum in puella tam formosa, tam studiosa, tam humili. Et gratias agebamus Deo, qui nos subijciebat tam præstanti Virgini. Deus quoq; ipse trinus sæpissimè MARIÆ apparebat, & cum ea loquebatur, sicut amicus cum amico suo, & ipsa cognoscebat illos tres vnum esse, cognoscebat quoque illũ, qui erat filius æterni patris, & qui volebat esse filius temporaliter tẽporalis matris; cogitabatque nimiam generationem Dei, & nimiã fœlicitatem illius matris. Mansit ergo MARIA in tẽplo Domini annis circiter vndecim in sanctitate, & iustitia: plena virtutibus, & gratia; expectans summam gratiam Christum verum * Filium suum. Nullusque considerans circa illam, vel aspiciens in illã poterat non commoueri in Deum, omnes sanctam, omnes Deo prædicabant charam. Docebat omnes, humilior omnibus, sublimior virtutibus, inferior opinione. Sanctificabat igitur Deus tabernaculum suum, non expulsione culparum, quæ nullæ vnquam inhæserant, sed augmento gratiæ, & aliorum donorum, quàm sancta, & quàm immaculata fuerit hæc Virgo, quam Deus in suam genitricem præordinauerat * verbis humanis, & Angelicis explicare non possum: ipsa enim sola electa est, & præelecta, quod vos dequalibet sancta abusiuè dicitis, sicut & multa alia. Nulla enim, immò & nullus fuit eo modo præelecta, aut præelectus, ipsa est sola super omnes choros Angelorum exaltata. Hãc nos omnes colimus, veneramur, & adoramus: vos qui natura minores nobis estis, & in natura eidem similiores, multò magis debetis in ea magnificare Deum cœli, & terræ, & omnium visibilium, & inuisibilium, quia ipsa est gloria, lætitia, & honorificentia populi vestri. Relinquamus Reginam nostram in domo Domini; nondum enim loquuti sumus de ipsius despõsatione, nec de verbi Dei in vtero eius mirabili conceptione, de quibus aliàs. Nunc de illa quæstione aliquid dicamus, quam superiùs proposuisti, de cœlo Empireo, Paradiso cœlesti, & gloria eius. Tunc quasi in me ipsum rediens; detinebar enim nimia dulcedine verborum Angeli, & tam amplarum laudum Virginis MARIÆ. Dixi, si mille annis Angele Dei de Matris Dei laudibus diceres, nunquam me tædio afficeres: si tamen ad aliam materiam transire tibi placet, resumam vires ad audiendum iterum, & ea, quæ audiero, annotare curabo: tũc Gabriel Angelus, loqui iterũ cœpit dicens. Audite cœli, quæ futuro pastori loquor, &c.

* *Erit.*

* *Videlicet.*

* *Præelegerat.*

QVINTVS RAPTVS.

TRansactis penè quindecim diebus, dum iterũ orarem in cauerna mea, raptus sum in cœtum illum sanctissimum. Et adorato Rege Regum, & Regina omnium, & reuerentia exhibita sanctis Angelis, & animabus bea-

beatis. Qui omnes cum suaui harmonia vide- A
* videbatur. bãtur *vnum Deũ, atque trinum magnificare, clamando die, ac nocte. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus noster æternus, omnipotens, qui est, qui semper fuit, & qui semper erit. Benedictum nomen maiestatis eius, & benedicta sit humanitas illa, & caro illa, & anima illi vnita, & Angeli sic dicebant post illa verba. Quia nisi Deus homo fuisset, conciues homines non habuissemus. Vnde hæc erat eorum psalmodia.

HYMNVS QVEM ANGELI canebant in cęlo in quinto Raptu Amadei.

BEnedicamus Patrem, & Filium cum sancto spiritu: laudemus, & magnificemus eum in secula.

Benedicta sit caro illa pretiosa: quam assumpsit de Virgine gloriosa.

Benedicta sit illa humanitas Dei nostri: cuius meritis facta est augmentatio Regni nostri.

Quia nisi Deus homo fuisset: conciues homines nequaquam habuissemus.

Quos tanquam nos ipsos diligimus: & eos tamquam fratres nostros amamus.

Nam etsi natura sint nobis paulo minores, gratia tamen, & felicitate sunt æquales.

Quæcunque videre nos possumus: eadem & ipsi videre possunt.

Quæcunque nos amare valemus, eadem & ipsi amare valent.*
* illa. * ita.

Tu es Deus, in quo est felicitas nostra, tu idẽ es beatitudo hominum.

Visio nõ differt à visione: nec fruitio à fruitione.

Eiusdẽ naturæ est beatitudo nostra, & hominum: intensior tamen huius, quàm illius.

Homines Angelis, & Angeli hominibus inueniuntur beatiores.

Beatissimus est ille homo: quem tu Deus assumpsisti.

Post illum est tua Genitrix: post illam sunt D *septem Angeli.*

Sequuntur alij mixtim; hi quidem minores, alij æquales, vel minores.

Facti summus vna ciuitas, ex hominibus, & Angelis constituta.

Lucifer cum satellitibus præsumptuosis cecidit: homines illis Deus subrogauit.

Non quia homines ipsis manentibus non fuissent; sed quia sedes eorũ non occupauissent.

Vidit Deus casum Angelorum, & adiunxit numerum hominum beatorum.

Benedictus sit ille homo Deus: cui nos à principio paruimus.

Quem Lucifer adorare contempsit; & ad infima cœli descendit.

Benedicta sit illa sancta Genitrix; quæ nobis talem Regem protulit.

Benedicti sint omnes homines à Domino; qui fecit cœlum, & terram.

Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto spiritu: laudemus, & magnificemus eum in secula.

Hunc hymnũ me intrante Angeli canebãt, & animę beatorũ in primo, & vltimo versiculo cum eis concordabant, vnde sic cõcinebãt.

Animæ Beatorum in primo, & vltimo versiculo cum Angelis, concordabant, sic concinebant.* *Eis.

Benedicamus Patrem, & Filiũ cum sancto spiritu; laudemus, & magnificemus eum in B *secula.*

Benedicti sint omnes spiritus cœlestes, qui sanctæ Trinitati fuerunt obedientes.

Benedictus sit Michael Princeps, inter omnes creaturas primus.

Qui cum fortissimo Gabriele in infernum detrusit omnes aduersarios nostros.

Benedictus sit & ipse Gabriel cum Raphaele, & Vriele: qui salutẽ nostram assidue procurare non cessant.

Benedicti sint omnes Angelici spiritus; qui hominem Deum colunt, & venerantur.

Qui nos in suum consortium suscipiunt, & tanquam fratres diligunt, & admittunt.

Qui nos à dæmonibus protegunt; & ab omni C *malo custodiunt.*

Illi non solum Christum Dominum, sed & eius Genitricem omnes adorant.

Hominibus nobis subesse non respuunt: nec minores sibi præferri dedignantur.

Bonis nostris lætantur; & gaudent, malis tristantur, & dolent.

Respexit illos excelsus Dominus: qui humilia respicit in cœlo, & in terra.

Benedicamus Deum cœli; & coram omnibus Angelis magnificemus eum.

Benedicamus Patrẽ, & Filium cum sancto Spiritu: laudemus, & magnificemus eum in secula.

Hunc versiculum omnes Angeli, & homines canebant simul; alios Angeli soli, & homines sibi alternatim. Tunc irruit in me desiderium illic permanendi, & ab illo cętu amplius non discedendi: & dixi ad Angelum ad me accedentẽ,* ò si fieri posset vt hic remanerem, & ad miserias mundi amplius non redirem. Et ille ad me, certamen bonum certasti, & fidem seruasti, sed nondum cursum, & agonem consumasti, oportet te redire, & librum his de rebus cõficere, vt pastor futurus sciat perfectè legem Dei. Audisti cantus nostros, placuerunt tibi. Sed scito te nec millesimam partem voluptatis, quam nos sentimus, percepisse. Mente illa valde suauius est, quàm auribus percipere: psalmum, qué Adã pater vester post lapsum fecit, & hymnum

* veniẽ ẽ, adiacentem.

quem

quem Michael nobiſcum cecinit, quando Lucifer cum ſuis cecidit, vos non habetis, quos cum multis alijs tibi dabo, vt tempore nuptiarum agni, & deinceps iugiter decantẽtur; ſed nunc Dominus Deus noſter te accerſiuit huc, vt de Verbi Dei incarnatione aliqua tibi reuelentur. Quæ non vt dubia, aut apocripha; ſed tanquam certa à fidelibus teneantur. Aliàs quando hìc eras, narraui tibi Virginis, & Reginæ noſtræ ingreſſum in templum Domini, ibique manentem, ac vita, & moribus, exemplo, opere, & verbo virgines Domini, immò & ipſos antiquiores Sacerdotes docentem, qui omnes mirabantur de verbis ſuis, & vita ſua, quæ iugiter Angelis erat aſſociata. Sæpiuſque cum Deo ipſa loquebatur facie ad faciem, ſicut ſolet loqui amicus cum amico ſuo; tandem cùm annus ſuæ ætatis quartus decimus verteretur, Princeps illorum Sacerdotum dixit ei, cum magna reuerentia, filia in Domino Deo noſtro nobis amãtiſsima: tempus iam adeſt, in quo ſecundùm legem Dei noſtri te oportet connubio alicui viro copulari, vt ſemen ſuſcitetis in populo Dei, & vt numerus credentium Deo populorum, non ſolum diminuatur, ſed etiam augeatur. Cui humillima Virgo humillimè reſpondit. Mi pater venerande, & Domine colende, tu diù noſti intentionem meam, & votum quidem emiſi virginitatis perpetuę: quia tamen ſub poteſtate Dei ſunt omnia opera noſtra. Videto pater quid agendum ſit, & conuocato ad te omnes illos, ad quos ex lege Dei noſtri ſpectaret me accipere in vxorem, ſed priùs conſule Dominum Deum noſtrum, ſi placet ſibi, vt deſponſer à viro aliquo, & quem ipſe elegerit pro ſponſo meo. Tunc pater ille dixit: rectè dicis, charisſima filia, ora primum tu Dominum, quia merita tua longè antecellunt noſtra, nos quoque orabimus, & poſt triduum apparui ego Gabriel Principi Sacerdotũ, & dixi: Exaudita eſt oratio veſtra: conuoca ergo vniuerſos homines carentes vxoribus de tribu MARIÆ, iam nubilis puellæ, & omnes teneant virgas ſiccas in manibus ſuis, etſi Dominus alicui viriditatem reſtituerit, ſubitò ſic vt floreat, hoc erit ſignum, quòd placebit Domino, vt MARIA virum accipiat, & ille quiſquis ille fuerit, in cuius manibus virga frondeſcet, & flores emiſerit, futurus ſit vir MARIÆ, & ipſa MARIA nouerat hoc diuina reuelatione. Statuta igitur die, quæ erat octaua ante Kalendas Aprilis, vt vos hodie computatis, non computãdo diem Kalendarum, erat enim illius menſis vigeſima quarta, in quo erat valde mellifluus cœlorum aſpectus, non quia Dominus noſter potentiſsimus eo indigeret; ſed vt eſſet ſignum ſapientibus ſtupendi prodigij, & vt & ipſa creatura pro modulo ſuo famulatũ præ-

A beret creatori ſuo, conuocati fuerunt omnes iuuenes, & viri tribus MARIÆ, quæ fuit de tribu Iudà ex parte patris, & de tribu Leui ex parte matris, vt Chriſtus deſcẽderet Rex ex tribu Regali, & Sacerdos ex tribu Sacerdotali. Reducta enim erat puella in ciuitatẽ Nazareth, cũ magna ſocietate, & de Iudæa, & de Galilæa, & Sacerdotum copia ſequuta eſt eam, vt viderent miraculum grãde, quod expectabatur. Dum ergo conuocarentur omnes matrimonio ſoluti, etiam Ioſeph fuit vocatus, qui venire renuebat. Nam & ipſe vir Deo deditus erat, & in mente ſua nunquam virginitatem ſuam violare propoſuerat. Nõ eſt ergo verum, quòd habuit vxorem vnB quam aliam, quàm MARIAM, aut vllos liberos. Renueuat etiam venire, quia famam illius puellæ, & ſanctitatem audiuerat, & ſe indignum ea putabat, & ratione ſanctitatis, & ratione ætatis; non quia decrepitus, aut multum ſenex eſſet, ſed quia comparatione ad MARIAM puellam ſenex erat. Quintumnamque, & quadrageſimum agebat annum, ſanus mente, & corpore robuſtus, vir magno ingenio ornatus, omni virtute imbutus, bonis, & ſanctis moribus prudens, ſed columbinæ ſimplicitatis, & admirandæ humilitatis. Congregatis itaque omnibus, & virgas tenẽtibus, nulla floruit; aſpiciebant ſe iuuenes mutuò, expectatio miraculi vertebatur in riC ſum. Tandem cognoſcens, per ſpiritum Sacerdos Primicerius illum abeſſe, quem Dominus volebat, compulit Ioſeph, vt cum alijs tribus ſuæ ad templum illico accederet, virgamque aridam, vt alij in manibus teneret, & dum ita coram Sacerdotibus Dei orantibus, omnes & ipſi orantes aſtarent, venit columba de cœlo, & inſedit humero Ioſeph dextero, & virga ſicca ſubitò floruit, & viriD dis facta eſt tota. Tunc Sacerdotes Deo gratias agẽtes, amplexati, & oſculati ſunt eum, & duxerunt eum coram omnibus, vt MARIAM, prout mos erat Iudæis, deſponſaret. Qui humiliter dixit: ego non mereor vir eſſe tantæ, tamque ſanctæ puellæ. Qui peccator ſum, & homo ſenex, & inſufficiens: ipſis autem dicentibus, id eſſe voluntatis diuinæ, vt in ſigno illo fuit oſtenſum. Ille dixit, dicam anteà MARIÆ ſorori meæ duo verba ſecretè, & ſubitò reuertar ad vos. Erat enim MARIA ſoror Ioſeph hoc modo: Mathan, & Heli fuerunt germani ex eodem patre, & ex eadem matre nati, Mathan genuit vnum filium, quem vocauit Heli nomine patris ſui defuncti, & Iacob, qui Iacob mortuo fratre ſuo Heli, ſine liberis accepit vxorem fratris ſui, iuxta legem diuinam, & genuit hunc Ioſeph ſanctum. Heli verò frater Mathan ſenior genuit Ioachim, & defunctus eſt; Ioachim verò iam ſenex genuit ex Anna MARIAM: ecce vides, quo pacto MARIA erat

ſoror

soror Ioseph. Accessit itaque Ioseph ad MARIAM, & exhibita mutua reuerentia, in timore Dei, dixit Ioseph: Dilectissima soror mea MARIA, multa de te prædicantur, & inter alia, quòd tu Virginitatem Deo cœli vouisti, & dedicasti. Ego, vt tibi, soror, verũ fatear, talis propositi semper fui, & vt nunquã carnis delectationes experiar, & iam vir prouectus sum, iuuentutem meam illibatam cõseruaui: durum est mihi in hac ætate virili, maritus effici, & contra propositum agere, tot annis confirmatum. Ex alia parte videtur, quòd Deus id velit, quod ego nolo, quid tibi de hoc videtur? indica mihi. MARIA dixit: Magna sunt mysteria Dei, frater charissime, consilium eius mens nostra sine eius gratia attingere non potest. Ego certè virginitatem voui, lex, & miraculum vrgent ad matrimonium, & compellunt. Dent nobis spatium triũ horarũ, & oremus, & ipsi orent, vt Deus noster vtrique nostrum ostendat, quo pacto, & voto satisfacere, & legi suæ obedire valeamus: & habita super hoc licẽtia omnibusque in loco illo orantibus, & Ioseph in cella vna, & MARIA in altera oranti, ego primò apparui MARIÆ, & dixi: Accipe Ioseph pro viro tuo, neque timeas; ipse enim confirmabitur in gratia in hac desponsatione sancta, neque vnquam ex te perquiret aliud * quod tuam virginitatem lędere possit. Vult Deus, vt tu sis illi vera sponsa, & vxor, & ipse tibi verus sponsus, & vir, & tamen vterque virginitatẽ perpetuò seruabitis: consentiens igitur in matrimonialem actum, si petierit esto certa MARIA, quòd nunquam petet, & eris vxor simul, & virgo. Similiter apparuit Ioseph, & dixi: Ioseph, fili Dauid, noli timere desponsare, & in vxorem accipere MARIAM; quia per talem contractum virginitatem tuam non amittes. Velis, & consentias, si sponsa voluerit, & quouis modo requisierit; securus esto, & certus, quòd MARIA nunquam volet, & nũquam petet, aut exiget: vir eris, & Virgo: illa vxor & Virgo. Tunc Ioseph dixit: Ad quid ergo eam accipere oportet? Respondi ego: Domini voluntas est, cuius consilij causas perquirere præsumptionis est: intellexerunt ergo voluntatem Dei, & modum, & venerunt ad Pontificem, dicẽtes se velle diuinæ legi parere, & mãdatis cęlestibus obedire. Tũc Pontifex gratias agens Domino Deo Israel, astante cętu Sacerdotum, & Leuitarum, & multitudine populi, benedixit eos benedictione illis temporibus assueta. Et addidit: Deus cęli, cui nihil est impossibile, cõcedat vobis fructum ventris, cũ integritate mentis. Fructus vester excellior sit nubibus, sublimior cęlis omnibus. Hoc autem ipse nõ intellexit, prophetauit, sed verba prophetiæ non intellexit. Accepta igitur vtriusque manu dextera à Pontifice, & iuncta manu Ioseph MARIÆ, accepit ille eam in vxorem, & ipsa illum in virum, & anulo suo Ioseph subarrauit eam. Tunc Pontifex, vt moris erat, Psalmum illũ: *Beati omnes, qui timent Dominũ, qui ambulãt in vijs eius*, cum Sacerdotibus cecinit; & post vltimum versiculum prosecuti sunt hymnum sequentem Spiritu sancto eorum linguas mouente. *Ps. 127.*

* *aliquid.*

HYMNVS QVEM DIXERVNT Sacerdotes, quando Ioseph desponsauit MARIAM.

MAgnus Dominus, qui vos coniunxit: magnificetur in fructu ventris vestri.

Magnificetur in filio vestro: super filios omnium filiorum.

Deus, cui nihil impossibile, concedat vobis fructum ventris cum integritate mentis.

Fructus vester excelsior sit nubibus: sublimior cœlis omnibus.

Crescat à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.

Adorent eum omnes reges terræ: omnes gẽtes seruiant ei.

Reges ei munera offerant: & Reginæ dona adducant.

Permaneat cum Sole, & ante Lunã: per omnes mundi generationes.

Sit nomen eius benedictum in secula: benedicantur in ipso omnes Tribus terræ.

Magnificent eum omnes gentes: repleatur eius maiestate cœlum, & terra.

Primogenitum vestrum ponat Deus: excelsiorem omnibus Regibus terræ.

Adorent eum omnes Angeli Dei: subijciãtur ei Principatus, & Potestates.

Sui enim non recipient: alienam gẽtem vocabit.

Videntes non videbunt: & qui non vident consolabuntur.

Sterilis pariet plurimos: & quæ multos habet filios absque liberis permanebit.

Donec agnita proterua: reducantur in ipsum omnia.

Quando antiquus dierum filio nuptias faciet: ecce suum consolatorem in mundo transmittet.

Ecce virga Aaron floruit: & Deus antiqua mirabilia renouauit.

Coniuncta est sanctissima sancto: sed proles sanctior erit.

Arbor hæc est optima: proferet omnibus suauissimum fructum.

*Virga egressa est de radice Iesse: & flos de eadem * ascendet.* * *radice*

Requiescet super eum multiplex, & vnus spiritus Domini.

Et omnes linguæ, & populi: laudabunt in æternum nomen Domini.

Hoc

Hoc Psalmo expleto, & benedictione accepta cum gratiarum actione, & cum ingenti consolatione vnusquisque reuersus est in propria. Dum autem Psalmus cantaretur, Ioseph, qui adhuc nesciebat ex MARIA nasciturum Saluatorẽ, & sciens se, & MARIAM virgines permansuros, audiens benedictionem, & Psalmum, vbi de futura prole agebatur, dicebat in corde suo, isti Sacerdotes credunt nos habituros filium, neque sciunt secretum nostrum. MARIA verò, quæ nouerat Virginem in breui concepturam Filium Dei, ad singula verba animum applicabat, dicebatq; ò Deus, videbo ne ego Virginem tam sublimem? Sacerdotes plerique tristabantur de hoc matrimonio, dicentes: credebamus, quòd MARIA foret illa Virgo, ex qua Messia esset oriundus, & ecce nunc copulata est matrimonio. Alij dicebant: & forsan cõtinebuntur. Recessit Ioseph, MARIA verò remansit in domo patris sui, cum sua genitrice Anna. Habebat autem in domo vnam domunculam, vel cellam, * â tota domo parietibus sequestrata, quæ tunc erat in Nazareth in domo Ioachin, & Annæ. Postea fuit manibus nostris conducta, & delata in partes Dalmatiæ; tandem miro modo allata fuit in agrum Romanum, & non Romam ob causam Deo notam, & ipsi Virgini, quæ etiam multos nostrorum non latet, tamen silenda est pro nunc. In illa domuncula MARIA Virgo Ioseph desponsata Psalmis, & Hymnis, & Prophetarum lectionibus vacabat, & valde admirabatur de Psalmo * illo, quem cecinerant Sacerdotes in desponsatione illius: mirabatur enim, quia neque Deus ipse, neque vllus Angelorum sibi appareret, & quæ consueta erat cibo Angelico, hoc est ab Angelis allato vesci: iam plusquam post viginti horas abstinuerat, Ioseph enim ab ea discessit circiter horam vigesimam secundã, cum qua buccellam panis sumpsit. Aliũ enim cibum ipsa manducabat, & ipse ego Gabriel missus à Deo, cum Euchuthiele, & Barchiele, & multis Angelis de quolibet choro tres eramus de septem astantibus: ego enim qui fortitudo Dei interpretor; veniebam, quasi nuntius Dei patris. Euchuthiel, qui bonum consilium interpretatur, erat quasi nuntius Filij Dei, qui sapientia, & consilium Dei patris dici solet. Barchiel venit, quasi nuntius Spiritus Sancti, quia benedictio illi personæ attribuitur; quia tamen indiuidua, & inseparabilis est actio, & operatio illorum; omnes fuimus totius Trinitatis nuntij, & quia ego principalis, & primus eram inter omnes missos, immò sum primus absolutè post Michaelem, ideò & Euangelista Lucas de me solùm fecit mentionem; ego itaque cum illis duobus præcipuis, & magna multitudine cœlestis exercitus, accessi. Missus à Deo in ciuitatem Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, sicut & MARIA erat, & Eleazar, & Heli, atque Ioachim ex parte MARIÆ, quia Ioseph erat de domo Eleazar, & alterius Heli, secundùm legem, & Iacob secundùm generationẽ; & Virginis nomen erat MARIA: ingressi sumus ad eam, quasi nouissima diei hora, sicut & in nouissimis diebus hæc incarnatio fieri debebat. Et nos tres ei primò apparuimus in effigie humana pulchri, & splendidi, præcedenti spiritu vehementi, & lumen repleuit totam domunculam illam, & ego humana voce dixi ad MARIAM *Aue gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, quæ videns nos tres facie, & veste fulgentes (nullum ex nobis postquam desponsata fuerat, viderat, neque in forma humana vnquam) verecundia virginali expauit, & contremuit, & in suo corde conferebat prophetiam, quam legerat, & Psalmũ, quem Sacerdotes in eius desponsatione decantauerant, & multa alia, quæ de illa dicta erant in templo, & cogitabat singula verba salutationis, qua cogitatione mens eius discurrẽdo, turbari videbatur, tanquam dubia, & anxia. Tunc ego dixi: MARIA neque paueas, neque turberis, quia omne malum euasisti, & super omnes gratia Dei prædita eris, quia semper orasti, vt matrem Messiæ videres. Tu istam gratiam inueneristi; tu es illa benedicta inter omnes mulieres, quæ filium concipies, & eundem decursis nouem mensibus; immò diebus ducentis septuaginta quinque, cum gaudio media nocte illam diem sequente paries, & vocabis nomen eius Iesus: qui erit ille magnus Propheta, quem suscitaturum in populo suo diu prædixit. Et Filius altissimi Dei patris est, & vocabitur, quem Deus promisit sessurum super sedem Dauid patris eius secundùm carnem, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nunquam erit finis. Tunc MARIA inæstimabili concepta lætitia, quia iam percipiebat se illam Virginem esse, quæ Dei filiũ conciperet, & pareret: quia tamen humilis valde erat, & se vilem reputabat, sicut verè omnis creatura vilis est, immò quasi nihil est, rebus diuinis comparata, adhuc præ gaudio mirabatur. Idcirco vt perfectè sciret, an hic tantus filius esset verus Deus, quem virgo conceptura, & paritura erat, dixit ad me: quomodo annuntias mihi filium, quam nosti vouisse virginitatem perpetuam, & proposuisse nunquam virum cognoscere, & quando ipsum accepi, certior facta fui, ipsum ex me non postulaturum aliquid tale? Respondi ei, quòd filium conceptura erat aduentu, & operatione Spiritus Sancti; & quòd loco viri eam obumbraret virtus Altissimi: quia conceptio illa erat opus totius Trinitatis,

*cellulam.

*Hymno.

Luc. 1.

Pa-

Patris, Filij, & Spiritus sancti: nam nomine Altissimi intellexi Deum Patrem, qui est fons, origo, & omnium principium. Nomine virtutis ipsum Filiũ, & nomine Spiritus sancti, ipsum donum vtriusque, & tertiam personam. Adidique: ò MARIA lætare, exulta, & gaude gaudio magno valde, quia ex te qui progredietur, erit Sanctum, & Sanctus Sanctorum, & Filius Dei: si vis, noſce, est ille, & ita vocabunt eum omnes populi. Et vt lætitiam adderem tantæ lætitiæ, addidi etiam Elisabeth cognata tua sterilis, & vetula gestat filium iam sex menses habentem in vtero suo. Nosti scripturas, non te latent Prophetiæ. Nullum horum verborum est impossibile Deo: sterilis enim, & senex generare potest (Deo volente) Virginé concipere, & parere non est impossibile, * Deum incarnari, & hominem esse possibile erat. Omne igitur verbum meum tibi dictum non est impossibile: quia omne, quod dixi, est possibile, & nullum eorum impossibile. Tunc MARIA apertè cognouit se esse illam Virginem electam, in cuius vtero Filius Dei carnem humanam assumere dispossuisset, & quamuis indignissimam iudicaret, tamen certa fuit, & anima eius repleta fuit gaudio inenarrabili, & quia testimonium Scripturæ nouerat, id non esse futurum ante mediam noctem, quæ tunc erat sexta hora noctis, ad me iterum (quod Euangelistę vestrę nõ scribũt) loqui cępit: ex verbis tuis Angele Dei intelligo, me cõceptura, & pariturã Filiũ vnigenitũ Dei Patris, & ego benè noueram hoc futurũ his tẽporibus; sed valdè miror, quibus meritis me Dominus elegerit, sed hanc admirationem ipsam remoueo; quia scio nullam esse dignam tanto honore, & Deus quamlibet puellam potest facere dignam. Ipse enim primò dignificat, deinde exaltat, & pro meritis, quæ ipsæ, vt sint merita, facit, confert præmia; sed oro te, vt mihi dicas: An vos Angeli hoc mysterium nunc * agnouistis, vel anteà, & scio, quòd tu anteà hoc sciuisti, scire vellem, quanto tempore anteà; & si omnes illud cognoueritis, vel solùm aliquis vestrum. Tunc ego aperui quomodo Deus à principio nobis reuelauerat, se in vtero ipsius velle humanitatem assumere; immo & omnibus præcepisse, vt illũ Deum hominem adoraremus, illique subijceremur, & non solùm sibi, sed etiam suæ Genitrici, quæ tunc mox futura es, vnde subitò vt conceperis, nos omnes qui hic sumus, & alij, qui aduenient, te adorabunt, * & vt reginam suam venerabuntur, * eris enim perpetuò Regina cęlestium spirituum, & omniũm Angelorum Domina. Hoc mandatum accepimus à Deo omnes cum pacto, si illud seruare vellemus, in gratia confirmaremur, & æternaliter beati essemus, si illud præteriremus, ex tunc in æternũ damnaremur. Lucifer videns tantam dignitatem hominis, inuidit illi, quia nimium præsumptuosus fuit, se tantum amando, & alia sibi subijcere volendo: vnde suadebat omnibus tale præceptum non esse obseruandum, inferés, quia neque iustum erat; subitò enim, vt se inordinate amauit, peccauit, & iam errare cępit, præceptũ Dei iniustum existimans, & quicunque eius opinionem intelligendo, se potiùs amauerunt, quàm Deum, omnibus visum est mandatum illud iniustum, voluit & nos præuertere. Sed ego cum istis fratribus meis, Michaele Duce restitimus ei, & eum tanquam præsumptuosum arguere cępimus; omne illud, & sanctũ, & bonum affirmantes, quod voluntati Dei nostri, qui neque errare, neque ignorare, neque praue velle potest, placeret, quidquid ergo ille vult, cuius voluntas inordinate velle nõ potest, vt rectè, & iustè velit: necesse est, si creatori nostro, ò Lucifer placet, hominem fieri, & non Angelum, debet placere nobis, maximè, quia ipse mandat, vt & nos ita velimus. Lucifer, & Belzebu, & alij sequaces respondebant: quilibet debet potiùs ubi totum appetere, quàm alteri; ergo vt maximum bonum, sibi magis expetere debet; hoc autem donum est excellentissimum: ergo debemus illud nobis potiùs expetere, quàm homini: deinde digniora dignioribus sunt præstanda, sed nos digniores sumus omnibus hominibus; nobis ergo donum dignissimũ potiùs, quàm homini est præstandum. Nonne ita nos Angelos Deus ordinauit, & instituit, vt natura essent digniores meritis, & præmio. Ex quo patet ipsum hoc iustè ordinasse, vt dignioribus digniora dentur. Cur ergo homini indigniori tribuit digniora? Si hoc iustè facit, ergo iniuste nos ordinauit, quibus secundùm naturalia concessit gratuita; aut si nos iustè sic ordinauit, quod fatendum est, iniustum est, vt longè minorem nobis natura, maiorem faciat gratia. Non decet, ò Michael, non est iustum, ò Gabriel; non est rectum, ò cæteri Angeli, qui rationibus meis resistitis optimis, Deũ hominem nobis omnibus proponere velle: in hoc sibi parendum non est. Nonne iniustum esset, si vltimum chorum faceret primum, & primum vltimum? Quantò magis, si illum, qui minor est, vltimo choro supremo præponeret, vt nunc facit? Rationes euidentes adeò sunt, vt nulla indigeant probatione. Quid respõdetis? * Cui Michael, & nos alij, qui hìc sumus, ita respondimus. Rationes tuæ, Lucifer, apparentiam aliqualem veritatis habere videntur; sed valdè miramur, quòd notissimũ omni intellectui negare videris; hoc enim omni intellectui concedendum est, primum, & summum intellectum errare non posse, & primam, summam, & optimam voluntatem malè, & inordinatè velle non posse, quia sicut negatio præsuppo-

*Deo.

* modò.

* adorabimus.

* venerabimur

* respondetis.

* respondebitis.

ponit, affirmationem, & odium, amorem, & imperfectum perfectum; ita & ignorantia, & error saltem in alio præsupponit scientiam; si ergo Deus aliquid ignoraret, vel in aliquo erraret, vel aliquid male vellet, præsupponeret scientiam in alio, & bonum velle in aliquo digniori se, & ita excellētissimus haberet se excellentiorem, & dignissimus digniorem, & immutabilis posset mutari, & perfectissimus fieri perfectior. Certum est Deū esse vnicuique, & manifestum, optimum malè velle non posse, neque vllis legibus subijci, & quia ex se bonus est, & necessarius, & ex sui natura; malus, & iniustus fieri non potest; quidquid ergo præsumis, cur eum iniustum putas: si vult hominem excelsiorem nobis facere? hoc & si tibi iniustum videtur, iniustū tamen esse non potest, nisi rectissimum obliquū credere potsis. Quilibet ergo sibi potiùs debet appetere bonum maximum tale, ac tātùm, si in arbitrio eius fuerit talis electio; sed si Deus præcipiat, vt illud alteri appetat, & non sibi, parendum est Deo; quia ipse super omnia diligendus est, & bonum mihi cōueniens, & paruum possum mihi magis velle, quàm alteri magnum; illud tamen debeo sibi velle, & nō mihi, ex quo ille, qui nullius debitor est, vult illud sibi, & non mihi; homines quoque non sunt minores nobis in potentijs, intellectus enim noster, & intellectus eorum, voluntas nostra, & voluntas eorum non variantur in sui natura; obiecta enim, & actus, & potentiæ eiusdem rationis sunt. Natura nostra nobilior est, quàm illorum, non potentiæ illæ, sunt tamen omnia digniora; vnde accepimus hanc dignitatem? nonne à Deo? & quo iure? aut qua lege? solo beneplacito suæ voluntatis; ipse itaque non dat indignioribus digniora. Nemo enim apud Deū dignus est, nisi quem ipse dignum fecit, dando autem digniora, digniores facit eos, quibus dat: etsi ergo digniores sumus in natura hominibus, non tamen digniores sumus ad tale munus. Ad hoc ergo vt sine iniustitia digniora dignioribus dentur, opus est, vt ad illud recipiendum illi sint digniores, & iterùm quòd ille, qui concedit, & præstat, teneatur iure, lege, vel ratione huic potiùs, quàm illi tribuere. Qui nobis gratuita secūdùm naturalia, maiora, vel minora tribuit, hoc etiam sponte, & voluntariè fecit, & si aliter feciſſet, propter id iniustus nō fuisset, neque absolutè proposuit nobis hominem, sed hominem Deum, tūc Belzebub Princeps dixit: benè scimus, quòd homo Deus præponēdus est nobis, sed hoc est, de quo dolemus, quòd hominem assumat ad Deitatem, & nullum nostrorum. Aliud est, quod molestè ferimus, quia etiam mulierem quandam omnibus nobis prælaturus est, quæ nō erit Deus, & multos alios homines, quibusdam nostrorum æquales, quibusdam maiores cōstituet; hæc siue iusta sint, siue iniusta, nullo modo nobis placēt: sint enim, vt vos vultis, iusta, si illa nobis contulisset, nonne iustè contulisset? si ergo quidquid vult, iustè vult, cur noluit hoc, quod iustius erat? tūc Raphael subiungit. Noli dicere iustiùs, nunquid Deus potiùs tibi debet, quàm homini? an ignoras, quia nullius debitor est? Nunquid Lucifer tuus est dignior homine? nobilior est, concedo; dignior hoc munere, nego, quando enim nullus est dignus, nullus est etiam dignior. Mulierem illam præfert omnibus, quia Dei genitrix erit. Aliquos æquales, aliquos maiores, Angelis faciet, prout coniunctiores illi Deo homini fuerint; quid tibi de tuo aufert, si homini illud tribuit? si homo nunquā crearetur, quid fuissetis, nisi quod estis, quid accepistis, nisi quod promissum est vobis? iniquum est dolere de bono alterius, maximè, cū nihil amittimus ipsi. Eucuthiel, qui bonum consilium Dei interpretatur, & hic mecum est, addidit: magnus Deus noster est, cuius sapientiæ non est numerus, cuius sensum, & consilium nemo alius ab ipso nouit, nisi cui ille reuelare voluerit. Dicite mihi vos, qui desipitis * sapere volentes: nonne ad perfectionem vniuersi pertinet, vt omnis combinatio possibilis in eo reperiatur? hoc negare non potestis: sunt autem tria Deus, substantia, & accidens; substantia verò vna incorporea, & spiritualis, pura, vt nos Angeli sumus: alia corporea, pura, vt lapides & ligna, & quia poterat esse substantia partim corporea, partim incorporea, vt homo; si hanc substantiam Deus non produxisset, nōne magna perfectio mundo defuisset, & non satis erat, quòd tam corporea, quàm incorporea seorsum fuisset? sed oportuit, vt crearet illam, quæ simul esset corporea, & incorporea, ita congruum fuit, ex quo potest fieri, vt fieret vna res, quæ esset Deus, & substātia corporea, atque incorporea, vt omnia vnirentur, & copularentur in vno; nam in homine coniungebatur corporeum cum incorporeo, & accidentia corporea copulata erant accidentibus incorporeis, & immaterialibus in ipso homine; restabat hoc, vt homo copularetur Deo, & proprietates hominis conuenirent Deo, & proprietates Dei conuenirent homini: & ita vna res fieret coniunctio omnium rerum, & aliquo modo Deus omnis res appellaretur; quia appellādo eum hominem, in quo est esse, viuere, & intelligere, in quo vtraque substantia, & vtraque accidentia sunt, appellabimus eum omnem rem; & quia etiam homo erit Deus, in quo sunt omnes res, quodammodo omnia erunt Deus, omnia erunt plena Deo, & Deus plenus omnibus, & quamuis sit plenus omnibus, quia omnia in ipso continentur, & viuunt, & sunt nobiliori

* *despicitis.*

liori modo, quàm in se: non tamen eo modo, nunc sunt omnia in ipso, quasi res ipsę secundùm suum esse sint in ipso, sicut erunt quando assumet humanitatem. Nolite ergo mirari, si assumat potiùs humanitatẽ, quàm naturam nostram: nam assumendo humanitatem, & nos assumit; quia anima illius hominis conuenit nobiscum: si enim assumpsisset vnum ex nobis propter hoc, alios nõ assumpsisset specie differentes, nisi sicut, & nunc assumendo hominem. Nolite ergo mirari, neque contristari, parete Deo, parete homini Deo, subijcite vos volũtati eius. Lucifer iterum lõqui superbè cępit: quid mihi confert, si cõgruẽtius sit istud? *satis mihi esset, quòd me assumere potuisset, & ita ego fuissem Deus, & hoc mihi fuisset melius, hoc excellentius: adorare hominem respuo. Sit Deus homo, non compellat me hominem colere, aut venerari; ad quem Michael: si homo ille Deus est, & Deum adorabis; non ne & hominem adorabis? Respondit Lucifer: Ego benè distinguam inter deitatem, & humanitatem; adorabo illam, respuam istam. Michael iterum, nimiùm certo superbus es, vis respuere illum hominem, qui verè Deus est? Respice miser, agnosce creatorem tuum. Vriel quoque frater noster dixit: Luceat lux Dei in te; quomodo obscuratũ est aurum, Sol tenebris inuolutus est, quomodo cecidit, qui mane oriebatur? Pete miser veniam, humilia te, & lux tua redibit. Huic vnus eorum, respondit: Vos in tenebris estis, quia naturæ vestræ nobilissimæ obliti hominem Deum facitis, & vos ignobiliori vobis subijcere proponitis, magna demẽtia est vestra, vt velitis vos deprimere sublimes, & extollere depressos. Alius quoque ex parte Luciferi adiunxit, volens eos cõcordare, & dixit: Audite omnes consilium meum, & illo contenti estote, postquam placuit Deo, hominis naturam assumere, assumat eam, estote de hoc contenti, sed assumat etiam naturam nostram, & nulli fiet iniuria. Lucifer addidit non placet mihi quod dicis; quia pati nequeo, vt homo sit mihi æqualis, & ille: minus malũ eligẽdũ est; semel decretũ est illud, vt Deus sit homo, si Angelus etiam fuerit Deus, minus malũ est, & magna pars malorũ Angelorũ in hàc sententiã consenserũt, sed alij resistebant, & hoc quoque nolebant. Alij quoque ipsorum dicebant: fiat Deus homo, fiat & Angelus; sed qòud Angeli, & homines adorent Deum Angelum, & homines soli Deum hominem; ita quòd Angeli non subijciantur homini vllo pacto, vel si homines nolint subijci Deo Angelo, non curamus; satis est, vt nos non subijciamur illis. Alij dicebant inter eos, subijciamur & nos Deo homini, & illi Deo Angelo, sed omnes affirmabant: nolumus nisi illum vnicum adorare hominem, non Matrem eius, neque vllum aliũ, & ita, ò MARIA Virgo sanctissima, intellexisti certamen illud nostrum, audisti tãdem; & percepisti, quomodo de filio tuo mox concipiendo fuit aliqua conuentio, sed te omnes repulerunt, neque super se iniqui illi regnàre voluerunt. MARIA dixit: Audio inaudita, grandis conflictus fuit iste, Deo resistebat creatura sua, propter me, & filium, quem mihi annuncias, orta est ista valida tempestas; verùm ex quo cępisti, narra residuum istius magni prælij; libentissimè namque audio ista secreta. Cùm nos, ò MARIA, videremus eos inter se diuisos, & discordes, & variè errantes, tunc Salathiel vnus ex socijs nostris, Michaele hortante dixit: omnes, ò infelices, erratis, & à Deo auersi estis, & nullus vestrũ rectè loquitur, neque enim tu, qui concordiã inducere voluisti, rectè locutus es: vis legem ferre voluntati Dei, quæ supra omnem legem est? Similiter, & vos alij videmini velle cum conditione Deo obedire: non est inuestiganda causa voluntatis eius; homo fiet Deus, non Angelus: Angeli adorabunt hominem illum, & ipsius Matrem venerabuntur; non vult, vt homines adorent Angelum: hęc & similia nostri inducebant contra illos. Tu serue Dei, quæ hic pono, aduerte, & cõnecte cũ illis, quæ aliàs tibi de hoc conflictu narraui, quia & illa, & ipsa omnia MARIÆ Virgini in illa nocte narraui, verba Michaelis, quæ tunc dixi, & qualiter Deus expectabat conuersionẽ illorum, & qualiter cùm nollent conuerti, proiecti sunt de cęlo in caliginẽ, & nebulas. Hæc omnia tunc MARIÆ narraui Reginę nostræ sanctissimæ: addidique id quod Barchiel tunc dixerat, qui ibi mecum erat, tanquam nuntius Spiritus sancti. Dixit que facto prolixiori cõflictu inter nos, atque illos, ò MARIA, tunc Barchiel frater meus, hìc assistens dixit: Conuertimini, ò miseri, conuertimini; ecce Deus noster benedictus, vos præstolatur, & benignè expectat, secus ruetis in abyssum, & ad inferos descendetis. Benedicite Dominum, magnificate creatorem vestrum, in quo summa iustitia, nullaq; iniquitas: ipsi autem inter se dicebant, vbi est Abyssus illa? vbi inferi? tandem nolẽtibus illis, acquiescere subitò Pater omnipotens creauit solem cum cęlis inferioribus, & elementis, vt tibi seruè Dei, aliàs dixi: sic & MARIÆ tunc omnia declaraui, & ipsis respuentibus * salubria monita Barchielis fratris nostri, proiecti sunt, & in his tenebris inclusi. Tunc, ò MARIA, Michael sumens verba Barchielis, cecinit Psalmum istum nobis respondentibus, & compleuit.

*illu

*spuentibus.

PSALMVS QVEM ANGELI boni cecinerunt, quando Angeli mali ceciderunt.

M*Agnificemus Dominum Deum nostrum: & exaltemus nomen sanctum eius.*

Ip-

Ipse est Deus noster, glorificemus eum: Dominus noster est, exaltemus eum. A

Dextera eius magnificata est, in fortitudine: dextera aduersarios nostros.

Stulti sunt omnes, qui repugnant ei: maledicti, qui declinant à mandatis suis.

In ipso non cadit ignorantia, neque error: in voluntate eius nulla est iniquitas.

Quæcunque voluerit, bona sunt, & iusta: quæcunque mandauerit, recta sunt, & sancta.

Maius bonum iustè tribuit maiori: & minus rectè maiori.

Non semper dantur maiora maioribus: neque minora minoribus.

Primus intellectus errare nequit: optimus B *male velle non potest.*

Primo nihil est prius: optimo nihil est melius.

Tribuit vnicuique, vt sibi placet: vni magis quàm alij nil debet.

Ille solus apud eum est dignus, super omnia & diligendus, quem ipse fecerit dignum: & tanquam rex seculorum immortalis adorandus.

Deum, qui vos condidit dereliquistis: & obliti estis Domini creatoris vestri.

Dereliquistis Deum factorem vestrum: & recessistis à Deo salutari vestro.

Vos magis, quàm Deum amastis: ipso inuito dij esse voluistis. C

Commutationem iniquam feciſtis: relicto Deo, creaturæ adhæsistis.

Prouocastis Deum in dijs falsis: pium ad iracundiam incitastis.

Ideo tanquam lapis descendistis: & de sedibus altis cecidistis.

Date magnitudinem Deo nostro: perfecta sunt eius opera, & iusta iudicia.

Deus optimus est, & sine vlla iniquitate: sanctus, & rectus Dominus.

Omnia coniunxit in vno: posuit omnia in homine Deo.

Amor summus ita voluit: dispersa ipse congregauit.

Plenus est Deus omnibus: & omnia plena D *sunt Deo.*

Non est mirum, si assumpsit hominem: & assumere noluit Angelum.

Homine assumpto assumpsit omnia: Angelo assumpto, non assumpsisset omnia.

Quàm magnificata sunt opera tua Deus: omnia sapientissimè fecisti.

Adorare promissumus Deum hominem: & venerari eius Genitricem.

Adorate eum omnes Angeli eius: benedicite Potestates, & Virtutes.

Benedicite Angeli Domini Deum hominem: Ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicit Genitrici eius, suscipite homines, vt fratres vestros: sit gloria Deo Trino in seculum seculi, lætentur omnes in operibus eius.

Tunc MARIA dixit, beati vos Angeli, qui voluntati creatoris vestri vos humiliter subiecistis, sed scire vellem quomodo primi parentes nostri lapsi sunt tam miserabiliter in peccatum: tunc ergo narraui omnia illa, quæ iam tibi dixi, & ea conscripsisti. Dixique MARIÆ quod non scripsisti, qualiter creato Adam, & ei obedientia data, nos Angeli illum Psalmum. *Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomẽ tuum in vniuersa terra!* cecinimus, in quo sunt nouem versus; & primus chorus primum decantauit, & ita de alijs per ordinem: deinde ego ipsum Prophetæ hìc astanti reuelaui, Psalmum deinde, quem nos æternaliter cánebamus Deo, tunc MARIÆ reuelaui, tibi verò ipsum reuelabo, quãdo de Trinitate quædam referabo. Tria alia cantica, quæ tunc MARIÆ dixi, & reuelaui, nunc & tu accipe. Primum est, quod nos cecinimus, quãdo in quinque diebus Deum vidimus, cœlos, & elementa, & omnia præter hominem miro modo creasse. Secundum, pro creatione hominis. Tertium Adæ, quod fecit, tunc quando Eua ad ipsum adducta fuit. Quartum quo que addo, quod etiam MARIAM non latuit, Psalmum Adam, & Euæ veniam peccatorum suorum petentium, & obtinentium Barchiel ita cœpit.

PSALMVS QVANDO DEVS omnia creauit præter hominem, quem Angeli continuè canebant.

BEnedicamus Patrẽ, & Filiũ, cum Sancto Spiritu: exaltemus, & magnificemus eum in secula.

Quia de terra informi, & incomposita: fecit tot, & tanta mirabilia.

Solem produxit in orbe suo: cum omnibus varijs circulis suis.

Produxit & aquas super ipsum: quæ non tangebant illum.

Benedicatur Pater, & Filius, cum Sancto Spiritu: exaltetur, & magnificetur per secula.

Ipse enim producendo Solem: produxit omnes alios orbes præter vnum.

Ostendit potentiam suam magnam: quia inferiora, nõ motis superioribus mouere potest.

Creauit postera die firmamentum: cum globis stellarum absque influentia.

Omnipotens omnia simul facere poterat: sed ne deciperemur, noluerat.

Tertia die hinc, & inde cõgregauit aquas: & variè fecit apparere aridam.

Protulit terra herbã, & plantas virentes vnicuique concessit semen iuxta genus suum.

Benedicite Ministritãti operis Dominum: magnificate virtutem eius.

Quarta die addidit alia luminaria: vt influerent in hæc inferiora.

Inter alia vidimus duo magna luminaria: vt maius diei, minus præesset nocti.

Addidit Planetas, & Stellas: vt luceant, & influant in elementa.

Quinta die produxit innumera genera piscium: & animalium volatilium.

Bestias quoque, & iumenta: & vniuersa quæ reptant super terram.

Magnus est Deus noster: & magnificus, atque laudabilis nimis.

Laudent eum cœli, & terra: & omnia, quæ in eis sunt.

Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia: tribus detur gloria, & honor vnus.

Terram ipse creando, & nostrum cœlum ex ipsa creauit: residuum pro alijs diebus conseruauit.

Potenter omnia fecit: cum sapientia, & amore omnia fabricauit.

Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sãcto Spiritu: exaltemus, & magnificemus eum in sæcula.

QVANDO ADAM EVIGILANS vidit Euam ante se, prorupit in hæc verba dicens hunc Psalmum.

OMnia, quæ in mundo erant, inspiciebam: nullum mihi similem inueniebam.

Non est certè vnquam: consolatio perfecta solitario.

Hæc nunc est os de ossibus meis: & caro de carne mea.

Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne vna.

Mas adhærebit vni fœminæ: & fœmina vni viro.

Pater filiæ non copulatur: & multò minùs filius matri.

Me Deus fecit stipitem naturæ humanæ: & sociam dedit mihi.

Ex nobis duobus omnes generabuntur: sine patre, & matre nemo nascetur.

Sed vt omnis combinatio inueniatur: filius ex matre, sine patre orietur.

Ego ex nullo homine prodij: hæc à me originem traxit.

Ex duobus omnes alij generabuntur: vnus ex fœmina sine viro.

Magnum est hoc Sacramentum: quod Deus cum populo copulationem ostendit.

Tu vocaberis virago: quia de viro tuo te Deus excerpsit.

Vocaberis & Eua: quia cunctorum viuentium mater.

Da huic dexteræ tuam dexteram: & osculum sanctum labijs meis.

Crescamus, & multiplicemur: populum Dei cultorem producamus.

Ipse suos cultores poterat omnes simul producere: cõmunicauit nobis propias actiones.

Quæ per alios facere potest: rarò vel nunquam per se ipsum facit.

*Et ipse non beat * indiuiduum propter speciem: sed beat * & creat speciem propter indiuidua.* *seruat *seruat

Sed ante quàm iungamur vxor mea: vacemus contemplationi, & rebus diuinis.

Deinde cum timore Dei nostri: implebimus mandata eius.

Gloria, & honor sit Deo Trino, & Vni: omnipotenti, & sempiterno.

Hæc Adam dixit, & priùs tibi debuissem narrare Psalmum illum de creatione hominis, quando nos omnes rogauimus canendo, Deum nostrum, vt iam crearet hominem: quia nimium cupiebamus videre Deum hominem, & genitricem eius, sed illum Psalmũ postmodum tibi dicam, accipe nunc illum Psalmum quartum, quem parentes vestri primi fecerunt, sed in primis audi MARIA, & Psalmum accipe, quem fecimus Deo nostro ad hoc vt hominem promissum crearet, qui esset nobiscum ciuis ciuitatis supernæ, me ita incipiente.

PSALMVS QVEM ANGELI CECInerunt, vt hominem crearet.

ARdentissime, atque fortissime Deus: ostende nobis faciem illam, quã vidimus.

Ecce terram, & lunam creasti: hominem nõ vidimus, quem promisisti.

Ipsum, vt iã producere velis, rogamus: omnesque nos humiliter supplicamus.

Sapientissime, & scientia plenissime Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce aquam, & Mercurium creasti: hominem non vidimus, quem promisisti.

Vt ipsum iam producas, obsecramus: tibique humiliter supplicamus.

Quietissime, ac mansuetissime Deus: ostende nos faciem illam, quam vidimus.

Ecce aerem & Venerem creasti: hominem non vidimus, quem promisisti.

Producat eum mansuetudo tua: oramus tibique humiliter supplicamus.

Dominator, atque rector Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce ignem, & Solem fabricasti: hominem non vidimus, quem promisisti.

Erigat eum dominatio tua magna: rogamus, omnesque nos humiliter supplicamus.

Virtutis inuictissimæ Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce ignem, & Martem fabricasti: hominem

nemnon vidimus, quem promisisti.

Producat eum grandis virtus tua: obsecramus, tibique humiliter supplicamus.

Potestatis immensæ, atque æternæ Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce aërem, & Iouem creasti: hominem nõ vidimus, quem promisisti.

Producat eum ingens potestas tua: oramus tibique humiliter supplicamus.

Princeps, Dux, atque Rex omnium Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce terram, & Saturnum creasti: hominem non vidimus, quem promisisti.

Producat eum maiestas tua: rogamus tibique humiliter supplicamus.

Angelorum Princeps Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

* *stellarum.* *Ecce omnia elementa, & stelliferum * orbem creasti: hominem non vidimus, quem promisisti.*

Producat eum dignitas tua: rogamus tibique humiliter supplicamus.

Angelorum optime creator Deus: ostende nobis faciem illam, quam vidimus.

Ecce iam elementum, & cœlum omnia mouens: creasti hominem, non vidimus, quem promisisti.

Producas eum qui & nos produxisti: rogamus, tibique humiliter supplicamus.

Tunc Deus vocauit de quolibet choro tres Angelos, sicut quilibet chorus tribus versibus eum rogauerat, & narraui, tunc MARIÆ modum creationis Adam, & Euæ, & nostræ lætitiæ associationis Adæ, vsque in paradisum voluptatis, & tentationem ipsorum per ordinem, sicut & iam tibi reuelaui, & conscripsisti pro consolatione humani generis, & informatione futuri Pastoris, cui liber iste conseruabitur. Hi verò Psalmi placuerunt MARIÆ, supra quod dici possit, & exultauit spiritus eius, cœpitquè, & ita ipsa canere, atque orare.

MARIÆ VERSVS.

OMni ardore ardentior Deus: transmitte ad nos filium tuum, quem diligimus.

Omni sapientia sapientior Deus: transmitte ad nos tuam sapientiam, quam diligimus.

Omni mãsuetudine benignior Deus: transmitte ad nos tuam benignitatem, quam diligimus.

Omnium dominantium Domine Deus: transmitte ad nos Dominum, quem diligimus.

Omnium virtutum summa virtus Deus: transmitte ad nos virtutem tuam, quam diligimus.

A *Omnium potestatum potestas Deus: transmitte ad nos potestatem tuam, quam diligimus.*

Omnium Principũ Princeps Deus: transmitte ad nos pacis Principem, quem diligimus.

Omnium Angelorum Dux Deus: transmitte ad nos Ducem, quem diligimus.

Omnium Angelorũ optime creator Deus: transmitte ad nos creatorem omnium nostrum quem diligimus.

Tunc ego dixi: MARIA, ego ad hoc missus sum, & ad hoc veni cum his fratribus meis, vt hoc mirabile cõmercium Deitatis, cum humanitate ita fieret, vt & Deus velit, B & humanum genus non respuat Deus MARIA Verbum suum in vtero tuo, me annuntiante, carnem suscipere iuuet. Tua interest pro toto genere humano consentire. Dic, ò Virgo, verbum, & suscipe filium, qui est Dei Patris æternum Verbum. Tunc MARIA vtrunque genu humiliter flectens, suspirans, gaudens cum lachrimis dixit: Quis non consentiret in tantum bonum? quis respuet tam amplum donum? consentio, cupio, efflagito: *Ecce ancilla Domini*, inclinato capite dixit: Fiat voluntas Dei, & Verbum Dei mihi conferatur. *Secundùm Verbum tuum.* Erat dilectissimè iam media nox, vt scriptura adimpleretur. Dictis illis verbis MARIÆ subitò C in vltimo instanti totam pronuntiationem terminante, operatione totius Trinitatis, quæ attribuitur Spiritui Sancto, multa valdè mirabilia in eodem instanti facta fuerũt. Illicò enim tres guttulæ sanguinis purissimi ex corde Virginis excerptæ fuerũt. Illicò illæ in locum aptum procreationi filiorum repositæ fuerunt. Illicò ille sanguis condensatus fuit. Illicò in carnem, neruos, venas, & ossa conuersus fuit. Illicò cor, cerebrum, & epar, aliaquè membra formata fuerunt. Illicò totum corpus plasmatum. Illicò anima creata. Illico infusa. Illicò diuinitas humanitati vnita, & coniuncta, animæque, atque corpori copulata fuit. Illicò intellectus illius animę omnib⁹ habitibus practicis, & speculatiuis informatus, & ornatus fuit, præter D habitum fidei, quo non indigebat. Illicò voluntas prædita fuit omnibus virtutibus sibi competentibus, præter spem: qui enim videt, non eget habitu fidei, & qui tenet, non indiget habitu spei. Infudit Deus illi omnes habitus in summo, gratiamque, siue charitatem dedit, tantam, quanta dari à Deo poterat; non enim est verum, quòd apud vos dicitur, vt quocunque finito dato maius illo dari possit, nisi imaginando: non autem in re ipsa. Falsum quoque est, vt alterius rationis sit intellectus vester, & voluntas ab intellectu, & voluntate An-

gelorum, quæ nunquam recipiunt conformes habitus, & eliciunt consimiles actus circa consimilia. Immo eadem obiecta quomodo poterunt esse alterius, & alterius rationis? Neque verum est, vt semper naturarum diuersarum sint diuersæ potentiæ. Neque, vt nobilioris naturæ sit nobilior potentia; sic enim potentiæ Angelorum specie differentium differrent specie, & superiorum essent potentiæ nobiliores, & actus, & obiecta, & non esset eiusdem rationis beatitudo omnium Angelorum, neque Angelorum, & hominum: & non fieret comparatio beatitudinis eorum, & nullus homo beatior esset quouis Angelo; immò neque esse posset; in quo igitur essent homines similes Angelis Dei? Verum est igitur, quòd potentiæ eiusdem rationis possunt esse eędem diuersis naturis, sicut & visus, & alij sensus existunt in diuersis animalibus; vt visus aquilæ, & lincis; olfactus vulturis, & canis, auditus multorum: & in natura ignobiliori potest esse potentia acutior; & quamuis nihil sit nobilius intellectu, & voluntate, etiam in Angelis: tamen aliquæ sunt proprietates in Angelis, quæ non sunt in hominibus, sicut simplicitas, puritas, seu actualitas, & immaterialitas, non intellectus, aut voluntas: nobilissimum igitur in natura inferiori potest esse interdum in natura superiori, & aliquando aliqua proprietas, quæ notat perfectionem, absolutè erit in natura imperfectiori, quæ non erit in natura perfectiori, quemadmodum simplicitas est in partibus alicuius substantiæ compositæ, vt elemẽti, videlicet ignis, vel aëris, quæ non est in ipso igne, vel aëre. Illicò igitur anima illa nobilissima fuit creata, illicò corpori infusa, illicò & diuinitati vnita. Deus enim eam creando, infudit, & vniuit, & vniendo infudit, atque infundendo, creauit; vniuit autẽ carni ossibusque, nihil corrumpendo, sed vitam addendo. Illicò anima illa Deum vidit in se, sicuti est. Illicò amore summo dilexit, eique adhæsit. Primum, quod vidit, Deus erat, primum quod amauit, ipse idem Deus erat; tunc illa anima cognouit omnia, præterita, tunc, & præsentia, atque futura. Agnoscebat matrem suam, & omnes discipulos suos, omnes homines gratos, & ingratos; bonos, & malos; iustos, & iniustos; videbat etiam hunc cœtum, qui in hac rota, nunc existit; videbat & hoc nostrum colloquium. Nihil eum latebat, videndo Deum; intellectus ipsius extendebatur illa visione in omnia, quinamque Deum videt, si Deus voluerit, videre potest simul omnia: nam in Deo, sicut in omnium artifice optimo sunt omnia hæc. Nox est splendidior sole, & cunctis astris, hæc dies est, quam fecit Dominus digniorem omnibus: exultate in ea, lætamini, & gaudete gaudio magno valdè. Hæc solemnitas sit apud vos celebrior cunctis solemnitatibus, hæc festiuitas præcellat omnes festiuitates vestras; est enim festum Angelicæ, & solemnis annuntiationis; est festum tantorum secretorum reuelationis; est festum miraculosæ sanguinis ex corde Virginis eductionis, in matrice mundissima repositionis; est festum eiusdem sanguinis condensationis, atque in ossa, neruos, & carnem, in mẽbraque, vt cor, cerebrum, eparque, & pulmonem, & alia cõuenientis, & perfectè organizationis; est festum celeberrimum animæ illius creationis, & omnium virtutum, atque donorum concreationis; est festum animæ illius corpori illi infusionis, & corporis viuificationis: nobilissima enim anima coniuncta fuit nobilissimo corpori modo nobilissimo; est festum humanitatis, cum diuinitate vnionis; vnita enim fuit humanitas diuinitati, & partes ipsius humanitatis copulatæ fuerunt Deitati; est festum illius hominis, & illius animæ beatificationis perfectæ, & summæ: est festum cognitionis omnium. Magna sunt ardua, mira, & inaudita hæc omnia, charissime, eodem momento, eodemque temporis puncto facta sunt in vtero illius puellæ sanctissimæ, cui tunc tanta gratia aucta fuit, quantam Deus ei dare decreuerat: nulla enim gratia maior est, quàm gratia Virginis post gratiam animæ Christi Domini, nulla etiam est suæ gratiæ æqualis: est igitur festum augmentationis supremæ totius gratiæ in anima MARIÆ; tunc MARIA exultauit, tũc Deum incarnatum in vtero suo vidit, conspexit, & adorauit, & tota cœlesti curia ad tam miram rem videndam assistente, & omnibus Deum puerulum paruulum, sed virum perfectum inspicientibus, & adorantibus MARIA hoc canticum cecinit, dicens:

CANTICVM QVOD FECIT MARIA quando Verbum fuit incarnatum.

Magnificat anima mea, & cor meum: Deum Patrem omnipotentem.

Qui me indignam fecit dignam: & de serua fecit filiam.

Qui me vilem creaturam: suamque humilem factura:n.

Dei summi matrem fecit: sui filij genitricem instituit.

Fecit mihi magna potentissimus: sanctum ac nomen benedictum eius.

Magnificat anima mea, & cor meũ: Deum Filium, sapientem, & verum.

Qui sine tempore ex Patre natus: nunc in vtero meo est generatus.

Exul-

Exultat cor meũ, & spiritus meus: in Deo A *saluatori meo.*

Qui me suam filiam elegit: matremque suam fecit.

Genitorem meum genui: quem cœli capere non possunt continui.

Magnificat anima mea, & cor meũ: Deum Patris, & Filij amplum donum.

Qui me semper pio vultu respexit: neque toruo oculo vnquam aspexit.

Ab omni labe præseruauit: & super omnem creaturam adamauit.

Suaue, & benignum, & optimum est: magnum nomen suum.

Ex hoc nunc vsque in sempiternum: beatam me dicent omnes nationes. B

Gratias ago Deo Vni, & Trino: nunc & semper, & in secula seculorum, amen.

Benedicti vos Angeli sancti: qui paruistis mandatis Dei summi.

Benedicti, qui voluntatem Dei agnouistis: & iussa eius adimpleuistis.

Filium meum non despexistis: neque me contempsistis.

Cum Lucifero decertastis: & eum vestris rationibus superastis.

Fecit Deus potentiam in brachio suo: & omnes superbos dispersit.

Deposuit potentes de sede: & vos humiles exaltauit.

Vos esurientes iustitiæ impleuit bonis: diuites in oculis suis dimisit inanes.

**gaudeãt, omnes matres, & patres mei: iubilent omnes Filij Dei.*

Suscepit Deus Israel puerum suum: memor fuit misericordiæ suæ.

Misericordia eius transibit à propagine in propagines: in omnes timentes eum.

Quæ Abraham, & patribus nostris promisit: nunc in semine suo adimpleuit.

Gratias ago Deo Vni, & Trino: nunc & semper in secula seculorum, amen.

Hæc MARIA lætissima, & gratia plena Dominum gestans in vtero suo, ipsumque humiliter adorans cecinit, nos verò vniuersi Deum incarnatum conspeximus, & vidimus, & adorauimus, obedientiam promissam ex- D
*Deo. hibuimus, ipsumque pro Domino *nostro recognouimus, & prompto animo acceptauimus: & mirabilia, quæ videramus decantauimus, ita dicentes.

PSALMVS, QVEM ANGELI fecerunt, quando verbum fuit incarnatum.

MAgnus nimis est Deus noster: & omni sapientia plenus.

Annuntiasti in principio seculorum: adimplesti in diebus nouissimis.

Legem pones æternam: quæ nullis temporibus abolebitur.

Timorem foras excutiet: amorem intus accumulabis.

Seruierunt tibi homines in timore: obsequentur iam cum amore.

Figuræ præterierunt: hanc veritatem significauerunt.

Velut vmbra auferentur: in lucem omnia conuertentur.

Quod insigno primum vidimus: nunc verè vidimus Deum hominem factum.

Tunc nobis tanquam homo apparuit: nunc vt verus homo innotuit.

MARIÆ annuntiauimus: & quoad potuimus adiuuimus.

Prælium nostrum narrauimus: antiqua cantica referauimus.

Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum agnoscebamus: nullum illorum hominem videbamus.

Mox vidimus sanguinem educi: & in matrice MARIÆ induci.

Condensari, & in carnem conuerti: & omnia membra formari.

Animam perfectam creari: omnibus virtutibus repleri.

Corpori perfecto infundi: humanitatemque Deitati vniri.

Magnus agricola Deus: surcum inseruit suo stipiti.

Stipes est persona Verbi: diuinitas ramus C *naturalis.*

Sed ramus dat esse trunco: non truncus ipse ramo.

Humanitas est, vt quidam surculus: verbi personæ insertus.

Duæ sunt naturæ: vna in persona copulatæ.

Quæ sunt Dei, dicuntur hominis: & quæ hominis, sunt Dei.

Assumpsit humanitatem Deus, & carnem: non humanitas, aut caro Deum.

Creata simul anima & Beata: beata pariter, & creata.

Videbat Deum, dum crearetur: & dum videbat creabatur. D

Amabat, & creabatur: creabatur, dum amabat.

Deum ante omnia nouit: ipsum ante omnia dilexit.

Cognito Deo, omnia cognouit: nullum futurum eum latuit.

Impleta est mater omni gratia: homines euacuati sunt culpa.

Vidimus certè mirabilia: creaturis omnibus ineffabilia.

Beati nos, qui paruimus: & mandatis obedire voluimus.

Te Deum hominem omnes veneramur: teque vt Deum semper adoramus.

Te MARIAM Virginem prædicamus:

& Dei Matrem proclamamus.

Te pariter cum filio tuo honoramus: & obsequia debita impendimus.

Te cum almo Spiritu: simul Deum genuisti incarnatum.

Te Reginam nostram agnoscimus: & super nos regnare, non abhorremus.

Abhorruit Lucifer, & lucem amisit: & cum sequacibus ad inferna descendit.

Gloriam Deo in excelsis canimus: & pacem in terra benè valentibus annuntiamus.

Hæc tunc dilectè cecinimus, deinde ad Reginam conuersi, illos versiculos, quos vos homines diuino flamine inspirati, nunc canitis cantare cœpimus dicendo.

Aue Regina cœlorum.

Aue Domina Angelorum.

Salue radix sancta.

Ex qua mundo lux est orta.

Gaude gloriosa.

Super omnes speciosa.

Vale valde decora.

Et pro nobis semper Christum exora.

Et dicendo Christum, ostendebamus illum puerulum adeò paruulum, vt vix oculis carneis videri potuisset, in quo tamen erat omnis virtus, vigebat omnis sensus, si claustro virginali non fuisset, obsignatus, impeditus * miro artificio. Magnus ille agricola Deus humanitatem personæ verbi vniuit, acsi palmitem vnius naturæ stipiti alterius naturæ inseruisset, persona verbi est, sicut stipes, vel pes arboris; diuina natura est ipsa arbor, vel ramus naturalis in persona subsistens, humana natura est, velut oleaster quidã, & surculus agrestis, quẽ diuina virtus personę verbi inseruit, & duę naturę, humana, & diuina fuerũt copulatæ in persona vna; & ideò quæcunque dicũtur de Deo, dicũtur de homine illo; & ideò, quæcumque dicũtur de homine illo, exceptis his, quæ ad actus vnionis spectãt, dicũtur de Deo; vnde benè dici potest: hic homo creauit cœlũ, & astra: & Deus passus est, & mortuus; sed nõ, homo assumpsit Deũ, neque homo incarnatus est; sed Deus assumpsit illam humanitatem singularem, & Deus est incarnatus: nam filius Dei est incarnatus solus, non Pater, aut Spiritus Sanctus, & Filius est verus Deus; ideò Deus est incarnatus; tota Trinitas id egit, soli filio actione trium personarum diuinarum humanitas est copulata. MARIA carnem, & omnia membra comproduxit, & nihil eorum, quæ ad matrem spectant, omisit. Neque impossibile est creaturam subitò agere, vbi non est opus præuia dispositione: agit & creatura subitò, & in puncto, subiecto disposito, & præparato; hìc ergo omnia parata, & dispositа erant; ideò statim agere potuit. Tunc ego Domine, &c.

Et ego, multi apud nos credunt, paucos Angelos sciuisse incarnationem Verbi. Vnde Domino ad cœlos ascendenti Angeli dicebant: *Quis est iste, qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra*; & Apostolus noster dicit: *Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus*, per Ecclesiam respõdit: Veritas est quòd nos, vt iam dixi tibi, hoc mysterium sciuimus, propter hoc prælium fecimus, neque Domino ascendenti, tanquam eum non cognoscentes, illa verba dicebamus; sed ex admiratione tantæ dignitatis, & maiestatis illa proferebamus; nos Prophetis hæc reuelauimus, nos interfuimus, nos omnia vidimus: quomodo procurauissemus hominum salutem, si nesciuissemus Saluatorem? Tamen rem tam mirandam quomodo fieri posset, non cognoscebamus perfectè, nisi quando ea vidimus fieri. Sic & Resurrectionis Christi modum, & Ascensionis tunc perfectè cognouimus, quando ea fieri vidimus, & hoc modo nobis per Ecclesiam innotuit; quia in Ecclesia talia fieri clarè vidimus. Ecce vides, qualiter domus MARIÆ facta est cœlum Empireum: tota enim multitudo militiæ cœlestis exercitus ibi erat; nam plures Angeli simul esse possunt, quamuis naturaliter vnus non sit, vbi alius est; sic enim non indigemus tam magno habitaculo, multi nostrorum, non erant intra parietes domunculæ, sed extra per spatium duorum, & trium stadiorum, & milliariorum, & omnes rem stupendam videbamus; quia paries nostram visionem non impedit; omnes lætabamur, gaudebamus, canebamus: est itaque festum Angelicæ exultationis, & quia tunc acceptauimus hominem illum in Regem nostrum, & matrem in Reginam, est festum Angelorum, huiusmodi subiectionis, & Regni Christi aliqualis inchoationis, & Angelorum omnium in terram descensionis, qui descensus communis fuit illa nocte, & deinde in nocte Natiuitatis Domini; & posteà tempore mortis, & Resurrectionis, & Ascensionis; quia omnes vsque ad montem Oliueti ei obuiam venimus, diuisi per choros. Deinde quando MARIA Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, descẽdimus adhuc semel omnes cum Iudice Christo. Tunc ego: Euangelistæ alij nihil de hoc nobis tradiderunt, solus Lucas parum tetigit potiora omisit. Tunc Angelus, accersito Luca, dixit: dicito charissime huic homini simplici, cur prætermisisti pulchriora de incarnatione Filij Dei? Respondit Lucas: Tu ipse causam nosti. Genitrix Dei nostri omnia mihi dixerat, & ego ea descripseram, sed Regi nostro non placuit, vt ea tunc reuelarentur omnibus, quando multorum perfidia erat in mundo; reseruata sunt citò venturæ ætati, quando etiam Apocalipsis Ioannis intelligetur, quæ clausa est sigillis septem, &c.

Isai. 63.

** forte aliqua desunt*

** aliqua prætermitto, quæ ad virginis laudem non spectant.*

** aliqua prætermitto.*

No-

Noluit Deus omnia simul palam facere, sed tantùm ea, quæ necessaria erant ad salutem spectantia, ad humanitatem, & diuinitatem Christi Domini; sed ecce Gabriel hic est, cui hæc sunt commissa. Audi ipsum; Gabriel igitur loqui cœpit, confirmando ea, quæ Lucas dixerat, & addendo, vt festum Annuntiationis quoties occurret ante Dominicam Passionis fieret cum octaua, & quòd in die anteriori fiat festum solemne Desponsationis matris Dei, & legatur Euangelium, *Missus est*; in die verò Annuntiationis legatur Euangelium: *In principio erat verbum*, vel Euangelium Lucæ, secundùm quod pastor ordinauerit, & si non poterunt omnia obseruari gratia Dominicæ Passionis, reseruetur pro die Natiuitatis; ita quòd ea quæ tunc canentur, referantur non solùm ad Natiuitatem Christi, qua editus est mundo, sed ad hanc quando verbum caro factum est, & si post octauam Paschatis celebrari contigerit, solemniùs celebretur, quàm anteà, sed quando & qualiter tunc ordinabitur; & quia Deus docebit Pastorem illum, multa ipse addet his, quæ nunc scribis, & declarabit; an si festum tale venerit in Dominica, & qua Dominica debeatur celebrari, vel non, & an ieiunium in die tantæ solemnitatis sit celebrandum, & quando sic, quando verò non, & multa alia quæ nunc prætermitto. Nunc dilectissimè audi, & considera excellentiam generis tui, cogita quantum honorem tunc habuit progenies tua, quando omnes Angeli adorauerunt hominem Deum, & MARIAM Dei genitricem, & ei se libenter subdiderunt, cogita, quæ, & qualis, & quanta sit nox ista, verè sancta verè splendida, verè vt sol rutilans. Benè facitis quando ad tactum cam panæ in sero, quando ego accessi *Aue MARIA* dicitis, benè quando in media nocte illud repetitis addendo: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Benè, quando in crepusculo diei iterum salutaris addentes, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*: tunc enim Angelorum multitudo cum gaudio discessit. MARIA verò Ioseph viro suo vocato, & nobis eam comitãtibus, ipso manè festinans ad suam cognatam Elisabeth perrexit, & eundo me de Psalmo illo, quem Adam pro venia peccatorum suorum, cum Eua fecerat, interrogauit, quem & tu conscribas; hic enim fuit.

Luc. 1.

Ioan. 1.

PSALMVS PRIMORVM PARENTUM, culparum remissionem, implorantium, & obtinentium.

Adam.

A Donay Domine Deus meus: *secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.*

Et quia plurimæ sunt miserationes tuæ: dele hanc iniquitatem meam.

Oppressus sum tribulatione maxima: tempestas pelagi demersit me.

Libera me Deus, & erue me: de diluuio aquarum multarum.

Audite cœli: & omnes cœligine verba oris mei.

Referant Angeli omnia, quæ cogito, & loquor: dicam virtutes cœlestes.

Porrigat Deus aures pijssimas: huic humili deprecationi meæ.

Exaudiat orationem meam: & clamor cordis mei ad ipsum perueniat.

Tu Deus es lux vera, & præclarissima: omnia alia sunt tenebris permixta. * Simi-

Tu es sol, qui nescis occasum: & habitas B *lia.*
lucem inaccessibilem.

Tu es terminus, & finis omnium: tu satietas vnica beatorum.

Adonay Domine Deus meus: secundùm Eua.
magnam misericordiam tuam miserere mei.

Magna est enim misericordia tua: & miserationes tuæ multæ nimis.

Tu autem omnia, cœlum immobile creasti: habitaculum sanctum, & excelsum.

Illud Angelicis spiritibus decorasti: & ipsis omnia, quæ facturus eras benigne reuelasti.

Illi fuerunt astra matutina: qui te per multa secula laud auerunt.

Tu cœlum mobile formasti: & illud aquas C *quæ super cœlos sunt, nominasti.*

Est namque in se omnino vniforme: & motu suo alij cœli mouentur.

Aquæ illæ sunt sub cœlo immobili: & supra omnia, quæ mouentur.

Tu creasti lucem pulcherrimam: Solem, Lunam cum quinque Planetis.

Firmamentum in medio posuisti: in quo signa, stellas, * *& sydera potenter collocasti.* *Solem.

Quatuor elementa produxisti: & cuncta ex illis tua sapientia conflauisti.

Adonay Domine Deus meus: secundùm Adam.
magnam misericordiam tuam miserere mei.

Qui deprimis superbos: & exaltas humiles tuos.

Draconem enim superbum, & rebellem: D *brachio tuæ potentiæ dispersisti.*

De sedibus potentes deposuisti: & qui erãt humiles sublimasti.

Esurientes adimplesti bonis: & qui sibi pleni videbantur, abiecisti.

Me tandem hominem de limo terræ fabricasti: tuaque imagine insignisti.

Et sui * *natura mortalem, & perturbabilem: ne mori, aut perturbari possem, concessisti.* * Si.

Nam & illa, à te accipere: mihi non repugnabat.

Me in locum vitæ, & voluptatis induxisti: & omnibus donis * *decorasti.*

Sub pedibus meis omnia subiecisti: & magnum Adonay nomen ostendisti.

Euam adiutorium mihi simile dedisti: quã de latere meo extraxisti.

Adam. *Adonay Domine Deus meus: secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.*

Quia me caput omnium hominum fecisti: tuamque sapientiam, simul cum socia imbuisti.

Liberum arbitrium concessisti: & in manibus nostris nos dimisisti.

Præcepta, & mandata nobis dedisti: vitam & mortem ante nos posuisti.

Vt si mandata seruaremus, conseruaremur: non seruando moreremur.

Lucifer inuidus vidit, & inuidit: pugnauit contra nos, & vicit.

Victus ab Angelis, hominem superauit: & semen eius in æternum prostrauit.

Ego sum, qui peccaui: ego ille, qui coram te iniquitatem feci.

Si ego noluissem, neque Eua: neque hostis me auertere potuisset.

Cùm in honore essem, non intellexi: & dignitatem meam amisi.

Comparatus sum iumentis: equo, & mulo factus sum similis.

Adam. *Adonay Domine Deus meus: secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.*

Tribulationem, & dolorem inueni: circundederunt me gemitus mortis.

Morte, & omni miseria sum oppressus. omnibus muneribus spoliatus.

Descendi ab Ierusalem in Iericò: incidi in latrones fortissimos. * pessimos.

Ipsi me despoliauerunt: & nudum omninò dimiserunt.

Atrociter vulneraverunt: & semiviuum reliquerunt.

Iam nuditatem meam ipse agnosco: malum meum erit contra me semper.

Scio bonum misericors Deus, quod amisi: quod teneo malum benè didici.

Veruntamen minus meas defleo miserias: quàm posteritatis calamitates.

Vtinam semper: me solum, & in Euã peccatorum pœna irruisset.

Transibit de progenie in progenies: in vniuersos liberos meos. *nostros

Eua. *Adonay Domine Deus meus: secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei.*

Magnus Dominus Deus noster, magna clementia eius: & misericordiæ eius non est numerus.

Qui peccato nostro adhibuit remedium: vt si vellemus surgere possemus.

Prophetat de Christo. *Filium suum omnium glorificatorem: mox statuit nostrum Redemptorem.*

Eius quoque sanctam genitricem: nostram instituit mediatricem.

Ad cuius effigiem: ædificauit me Euam A *cunctorum viuentium matrem.*

Matrem instar filiæ fecit: Adam instar sui, & mei fimi plasmauit.

Cuius meritis maximis: culpas nostras abolere voluit.

Si & ipsi vellemus: aut Sacramenta eius susciperemus.

Voluntarium sacrificium acceptauit: cor humile nunquam abhorrebit.

Venientibus ad se obuiam occurrit: eis peccata dimittens gratiam infundit.

Adonay Domine Deus meus: secundùm magnam misericordiam tuam miserere mei. Adam.

Grãdis est multitudo dulcedinis tuæ Deus: beati omnes qui sperant in te.

B *Post tenebras reducis lucem: post dolores gaudium, & lætitiam.*

Retribuis pro centum mille: & pro mille decem millia.

Commutas minima in maxima: temporalia in æterna.

Beati, qui custodiunt mandata tua, subijciunt collum iugo tuo: habitabunt in excelso tabernaculo tuo, requiescent in Monte Sancto tuo.

In atrijs tuis morabuntur: in fulgidis tectis super aurum, & omnes lapides pretiosos.

Beati, qui in te Deum Trinum, & Vnum credunt: & vias tuas scire volunt.

C *Omnis gloria Patri, Filio, & Spiritui Sancto cantemus* *, *& Deum nostrum magnificemus.* * canamus.

Sicut & in principio Angeli canebant: sic nos cum illis nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Intellexisti igitur canticum istud, & orationem istam, quam iugiter Domino porrigebam, quam ego tunc totam dixi MARIÆ ambulando in via iter illud, quod puella delicata in sex diebus vix fecisset (Domino eã quem ferebat portante) in die vna perfecimus. Neque omnino fuit naturale, neque omnino miraculosum: non enim subitò, vel in hora vna illuc peruenimus. Ioseph sciebat quò ibamus, sed & causam itineris non ignorabat; immò sciebat. fuit enim dignus videre mirabilia Dei. Quando enim ego cum socijs meis ad MARIAM Virginem orantem accessi, paulò post ipse, qui erat cum Anna in domo, venerat enim eam visitare ad videndam MARIAM, accesserunt, & mecum eam loquentem inuenerunt, & nobiscum tota illa nocte permanserunt, omnia verba mea audierunt, & MARIÆ lumen viderunt, & Messiam esse conceptum crediderunt, sed Deum incarnatum tunc non viderunt, sed cantus Angelicos, & exultationem audierunt. erant ambo nobiscum in via Ioseph, & Anna. Nunquam ergo Ioseph dubitauit de MARIÆ virginitate, sed videns tot miranda, non au-

de-

debat in faciem eius aſpicere, & ſi quando aſ- A
piciebat, videbatur ſibi reſplendere, vt Sol;
quia ſolem gerebat mente, & corpore; ideò
radij eius rutilabant in facie, quæ irradiatio
ſole exeũte de thalamo virgineo deſijt; ideò
Matth. ſcribitur, *Et nõ cognoſcebat eam, donec pepe-*
1. *rit filium ſuum primogenitum.* Timor ergo
quidam oppreſſerat Ioſeph, & quia erat iu-
ſtus, erat timidior, & ſe indigniorem puta-
bat: quantò enim homo eſt doctior (quia ſcit
quanta ad ſciendum ſibi deſunt) tantò ſe in-
doctiorem putat: & quantò homo eſt iuſtior,
tantò magis defectus ſuos cognoſcit; & tan-
tò magis ſe vilipendit, & Deum magni fa-
cit. Ideo Ioſeph iuſtior alijs, ſe indigniorem
exiſtimabat, neque MARIAM in domũ ſuã B
traducere volebat, cogitabat occultè in cor-
de ſuo, ſed nulli propalabat; dicebatque, non
ſum dignus habitare cum Matre Dei, quam-
uis adhuc neſciret omnia myſteria: hoc ta-
men credebat, non tamen perfectè intelligebat, neque tunc, neque poſteà ſicut MARIA.
Cogitabat ergo expleto itinere dimittere
ipſius ſocietatem, in via tamen, & in domo
Zachariæ noluit eam relinquere. Poſteà ve-
rò reuerſus in Nazareth, voluit eam dimit-
tere, cui apparui in ſomnis, & hortatus ſum
eum, ne timeret; quia Deus fecerat eum dig-
num, & quòd MARIAM acciperet, & con-
duceret in domum ſuam; quia ſicut audiue-
rat illa fœliciſsima nocte, quòd in vtero MA
RIÆ natum erat, diuinum opus erat, & fi- C
lius Altiſsimi, & quòd puero nomen IESVS
imponeret, & ſic fecit, & adimpleuit. Veni-
mus igitur in montana Galileæ, intrauimus
in domum Zachariæ, ſed nos Angelos ſola
MARIA videbat; ipſa ergo humillimè tan-
quam virgo humillima ſalutauit Eliſabeth
iam tumidum vterum habentem, & dum am-
plexarentur ſe mutuò (mirabile dictu) MA-
RIA vidit IESVM reſpicientẽ Ioannem, &
Ioannem intuentem IESVM. Nam ſubitò,
vt MARIA dixit, intrando: pax Chriſti ſit
huic domui, & Eliſabeth occurrẽti: pax tibi
magni Prophetæ, & vocis in deſerto claman
tis digniſsima mater; Ioannes illicò ſe ad D
Chriſtum cõuertit etiam facie, & vultu cor-
porali, & vnus ad alterũ inſpexit oculo men
tali, quali ſe & Deum animæ beatæ aſpiciũt
genua ſua, Ioannes primũ ante IESVM cur-
uauit (etiam nobis Angelis intuentibus) &
Chriſtum Regem adorauit: deinde hæc ver-
ba lingua qua Angeli, & animæ inter ſe lo-
quũtur, protulit dicens per modum cantici.

CANTICVM IOANNIS BAPTISTÆ ad Chriſtum in vtero Eliſabeth.

Benedictus ſit Chriſtus verus Deus: Dominus, & Saluator meus.

Benedictus ſit eius introitus: quo mihi col latus eſt cœleſtis victus.

Benedic mihi puero tuo: ſaluum fac filium ancillæ tuæ.

Mitte benedictionem de ſancto templo tuo: vt implear benedictione tua.

Eſto mihi adiutor fortis: vt dignè annuntiem laudem, & gloriam tuam.

Te adoro Deus meus: tibi me commendo creator meus.

Ieſus verò quaſi ſedebat, & manu dextera erecta verſus ipſum Ioannem, & extenſa: illum his verſibus, & eadem lingua benedicebat per modum cantici.

CANTICVM IESVS AD IOANNEM Baptiſtam.

Benedictus ſis electe Ioannes: ſerue meus præcurſor, & preco meus.

Veni, vt illum videres: quem & præcurrere poſtmodum deberes.

*Veni Ioannes, vt tibi benedicam: & me tibi * oſtendam.* * *faciẽ meam.*

Eſto preco meus: iam Præcurſoris officium inchoato Ioannes.

Verbum me eſſe æterni patris: in mundi deſerto clamabis.

Agnum auferentem crimina prædicabis: & Saluatorem hominum annuntiabis.

Ante me in mundum ibis: & viam meam præparabis.

Homines ad baptiſmum conuocabis: & me Deum eſſe declarabis.

Tunc Ioannes, MARIA, & Eliſabeth inſpiciente: & nobis Angelis ſurrexit, & ſaltare, & tripudiare cœpit, dicendo per modum cantici.

CANTICVM IOANNIS ADHVC in vtero.

De matris meæ vtero: vocauit me Dominus nomine meo

Seruum ſuum me appellauit: electum ſuũ me nominauit.

Faciem hominis mihi oſtendit: & diuinitatem ſuam non abſcondit.

Qui me iam conceptum viderat: vidi & tanquam Deum adoraui.

Benedictionem amplam accepi: officium Præcurſoris inchoaui.

Preco ſum verbi diuini: & Præcurſor Domini mei.

Dei verbum annuntiabo: & vt vox vera proclamabo.

Agnum Dei demonſtrabo: mentes hominum illuminabo.

Hæc Ioannes. Mater ergo ſua audiuit, quia vidit ipſum â IESV Ioannem vocatũ; ideo quando ei nomen patris imponebatur, dixit: nequaquam tale nomen patris habebit, ſed vocabitur Ioannes; tripudiante igitur Ioanne,

ne, & Christo eum benedicente, Matres amplexatæ stabant, & hæc miranda* intuebatur non sine gaudio inenarrabili, & vna alterius lingua carnis, sed Angelica loquebantur. Sed tandem Elisabeth exclamauit lingua carnis, vltima meæ salutationis verba repetens, & fructum MARIÆ benedicens. Dum enim starent sic amplexatæ, Elisabeth lingua angelica interrogauit MARIAM, quando conceperat illum Filium, & quomodo MARIA indicauit per ordinem visionem Gabrielis, (qui ego sum) & meam salutationem, & quo modo conceperat, & quis erat ille puerulus; nam Elisabeth videbat eum, sed non diuinitatem eius. Exclamando igitur Elisabeth voce magna, dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, quod & ego dixeram, & sensus est. Tu MARIA sola benedicta es inter omnes homines, quia sola pro nullo tempore, neque in esse, nec in mente, aut cogitatione maledictioni subiecta fuisti; tu MARIA sola inter mulieres quoque benedicta; quia sola Mater Dei esse meruisti: ego sibi hæc omnia vtcunque dixeram, videlicet, quòd esset benedicta inter omnes homines, quia sola nunquam maledictioni subiecta, sola benedicta inter omnes creaturas, quia sola super omnem creaturam præelecta, sola benedicta inter omnes mulieres, quia sola vt Deum conciperet distinctè electa: sed Euangelista non omnia expressit, neque omnia in scriptis reliquit. Addidit iã Elisabeth informata, & instructa: *& benedictus fructus ventris tui*, quia in hoc benedicentur omnes gentes, vt promissum fuerat Abraham: sic ergo Elisabeth locuta est per modum cantici.

* *miracula.*

Luce 1.

CANTICVM ELISABETH ad MARIAM.

O Virgo nunquam maledicta: inter omnes homines sola benedicta.

Super omnes creaturas exaltata: omnique virtute decorata.

Inter mulieres sola benedicta: Filij Dei sola Mater electa.

Fructus ventris tui est benedictus: & ipsi Abraham patri nostro promissus.

Sine ipso est benedictus nemo: ipse benedictus à solo Deo.

Vnde hoc mihi Deus concessit: quod Mater eius ad me se contulit?

Nullis hoc factum est meritis meis: neque pro virtutibus vllis.*

Domini mei ad me Mater venit: & cor meum gaudio impleuit.

Benedicta quæ credidisti: adimplebuntur in te quæ mihi dixisti.

Super omnes creaturas exaltaberis: & Regina Angelorum vocaberis.

Tunc MARIA in maxima cordis exultatione lingua humana, per modũ cãtici dixit:

* *aut.*

CANTICVM MARIÆ.

Magnificat anima mea Dominũ, & exultauit spiritus meus, &c. prout Lucas in suo Euangelio conscripsit. Hi fuerunt tres dies fęliciſsimi: prima Desponsationis: secunda Incarnationis: tertia Visitationis; de qua visitatione citò citò fiet ũ Pontifice hoc præsenti, multorum malorum, & bonorum patratore Virgini tamé deuoto, nouum officium, cui pastor electus, & singularis pleraq; addet ex ista reuelatione, & vt solemniùs per agi possit, fiat post octauã Præcursoris, vel Apostolorum Petri, & Pauli, quorum octaua solemnior fiat omnino, & aliorum omnium Apostolorum octauam non habentium fiat octaua, vt nunc est ipsorum Apostolorũ Petri, & Pauli: maiori reuerentia sunt prosequẽ di Apostoli Domini nostri IESV Christi, qui pro salute omnium hominum tanto tempore laborauerunt. Astabat Anna, & Ioseph, linguam humanam audiebant, Angelicam non audiebant* plenè tamen & ipsi gaudio erant, & mirabantur de his quæ dicebantur. MARIA mansit cum sua cognata vsquequo Elisabeth peperit Filium, & MARIA docebat ipsam Elisabeth in lege Dei, & sibi suam desponsationem, & in Templo ante cõuersationem narrauit, & sæpiùs cum Ioanne lingua nostra loquebatur. Zacharias gaudijs omnibus interfuit in domo sua factis, sed non plus quam Anna, aut Ioseph vidit. Tandem Ioannes Christo inspiciente, & benedicente ex vtero Virginis, egressus est ex vtero suæ Matris, & MARIA cum Anna matre sua eum suscipiente, veraque hęc verba dicente per modum cantici.

* *gustabant.*

CANTICVM MARIÆ DE Natiuitate Ioannis Baptistæ.

Egrediatur miles ante Regem suum: seruus progrediatur ante Dominum suum.

Preco iudicem præibit: vox verbum annũtiabit.

Osterilis valdè beata: & in tanto filio multùm sublimata.

Concepisti iam purgatum: peperisti omni dono ampliatum.

Neque vinum, neque siceram bibet: omne quod inebriare potest respuet.

Mel, & locustas in deserto comedet: & vni Deo seruiet.*

Nomen eius pater ab Angelo audiuit: Mater à Filio modò eum vocari vidit.

Pater, quia non crediderat obmutuit: Deus linguam eius aperuit.

Magnificemus Deum omnes: Præcursorem eius inspicientes.

* *semper inseruiet*

Re-

Reliquâ dilectissime ad Natiuitatem huius plusquam Prophetæ pertinentia, ex Euangelio didicisti. Mirabilis fuit natiuitas huius pueri, & gaudio adimpleuit Angelos, & homines admiratione, & lætitia; vnde vsque nunc quasi omnes in nocte illa gaudent, & adhuc magis gaudebunt. Manente MARIA in domo Zachariæ, Ioachim vir Sanctus sollicitus de filia fuit, * post illam, & quando natus est Ioannes, simul cum Ioseph interfuit. Nato puero per triduum lætitia expleta, MARIA cum quibus venerat, & cũ suo patre Ioachim reuersa est in domum suã in tanto tempore, in quãtum venerat, & scito quòd MARIA sola sine vllo dolore peperit; Elisabeth cum paruo; Anna cum minori; hortante itaque me, Ioseph cõduxit MARIAM in domũ suam, sine vllis pompis, cum timore Dei; in sanctitate, & iustitia coram Deo ambulabant, contemplationibus, & bonis operibus iugiter vacabant, interdum manibus proprijs laborabant, & de suo labore viuebant. Nos Angeli assiduè aderamus, & inseruiebamus Regem ferenti inclitæ Reginæ nostræ. Tandem dum implerentur dies pariendi MARIÆ, exijt edictum, vt describeretur vniuersus orbis terrarum. Ioseph cum MARIA, & propinqui Ioachim, cum alijs multis ascenderunt in Bethlem, quia Ioseph, & Ioachim erant de Tribu Iudà, & de domo Dauid, & quia nimia multitudo populi confluxerat, & hora tarda erat: remanserunt in diuersorio ciuitatis Bethlem, & media nocte peperit, eo modo, prout Virgo Regina reuelauit cuidam mulieri deuotissimæ, cuius Mausoleum est in sancto Laurentio de Panispernia, vbi Moniales ordinis tui incorrectè viuunt, cui mulieri deuotissimæ nomen erat Brigida de Suetia, quę plurimas reuelationes habere meruit, cuius ordinem Pastor venturus dilatabit. Orauit enim diù, vt sibi reuelaretur modus Natiuitatis Christi Domini, & dum accessissẽt ad ciuitatem Bethlem, vidit Virginem, quomodo stabat, quò vultum vertebat, vbi bos, & asinus positi erant, quomodo Christus ex vtero exiuit, quomodo ipsa eum adorauit, & Ioseph similiter, quæ ita fecerunt, sicut sibi reuelatum fuit, & in eius libro conscripta sunt, quæ non latebunt Pastorem à Deo mittendum, neque aliæ reuelationes eiusdem. Clausa itaque virgo peperit, clauso eius vtero Dominus exiuit, sicut & clausis ianuis ad discipulos intrauit. MARIA verò cum lætitia inenarrabili, cum gaudio indicibili, cum exultatione inexcogitabili Dominum peperit, videndo, & intuẽdo eius diuinitatem, simul & humanitatem, & adorando puerulum egressum modo ineffabili adorabat. Nunc ipsum nominando filium, nunc patrem, nunc natum, nunc genitorem, facturam, & factorem; & dum eum adoraret, dumque mundissimis, & nouis pannis illud mundissimum, & nitidissimum corpusculum ipsamet, non alius vllus inuolueret, sic Domino psallebat, & viuum, atque nos Angelos inuitabat.

*iuit.

PSALMVS MARIÆ NATO eius filio.

VEnite adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Hic est æternum Verbum: quod nunc tempori nostro est subiectum.

Hic ante omnia tempora genitus: hic post multa secula gignitur.

Filius est solius æterni patris: filius est solius temporalis matris.

Genitor est creaturarum omnium: genitus nunc in fine multorum temporum.

Quo nulla natura est prior: ipse omni naturæ est posterior.

Qui plasmauit hominem: ipse nunc factus est ab homine.

Venite adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Qui creauit omnes Angelos: ipse factus est annuntiantibus Angelis.

Qui Angelos & cœlos condidit: ipse ministerio eorum inaiguit.

Qui calorem creauit, & alijs inseruit: ipse nunc à me fouetur & calefit.

Qui omnia miro modo complectitur: ipse brachijs meis, & fascia nunc fortiter stringitur.

Quem nullus tangere potuit: ipse oscula mea nunc suscipit.

Qui omnia mouet, & portat: hunc porto, eleuo, & moueo.

Venite adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Qui cœlum sicut pellem extendit: ipse super genua mea nunc extenditur

Qui cœlum, & terram pugillo continet: ipse stricta fascia ligatus iacet.

Illæ manus, quæ omnia ambiunt: nunc fortiter ligatæ existunt.

Per quem omnia aluntur, & nutriuntur: ipse paruo lacte pascitur, & nutritur.

Quem cœli capere non possunt: inter arcta præsepia conditur.

Qui fouet, & lætificat omnia: vagit nunc, & fouetur ab asino, & boue.

Venite adoremus eum: quia ipse est Dominus Deus noster.

Interim, quia iterum conuenerat militia cęlestis exercitus, misi ego Gabriel Angelũ, qui Domini natalem nuntiauit etiam pastoribus, sicut & nunc ista annuntio futuro Pastori. Pastoribus præcipuè nuntiata est; quia pastores Ecclesiæ Dei secreta scire debent, & alios ea docere, & postquam MARIA repo-

sue-

fuerat puerum Iesum in præsepio, pastores accesserunt, quorum aduentum MARIA præsciuerat; idcirco Psalmum suum continuabat, dicendo:

Bos cognouit possessorem suum: & asinus præsepe Domini sui.

Populus suus eum non cognouit: neque ipsum recipiet.

Ecce venit Deus noster: visitare, & redimere plebem suam.

Et intrantibus pastoribus, atque quærentibus præsepiũ Domini, Ioseph, & MARIA illud eis ostenderunt, & visis signis ab Angelo datis, ipsum humiliter adorantes laudabant, & magnificabant Deum; & quia miserat eis Saluatorem, gratias agebant, & cum laudibus reuersi sunt, vnde venerant; nos autem Angeli iterum omnes adorauimus Regem, & Reginam, & vtrique obedientiam, & subiectionem promisimus, gaudium hoc ingens annũtiauimus: *Gloria in altissimis Deo* Luc. 2. cecinimus, Deum laudauimus, benedximus, adorauimus, glorificauimus, gratias egimus. Alij recesserunt; plures mecum in societate Reginæ nostræ remanserũt. Tres deinde viri sapientia humana pleni, qui populos Orientales regebant, ad MARIAM, & Iesum venerunt; nam & cœli perhibuerunt testimoniũ aduentus tanti Regis, & in cœlis scripta erat maximi, & diuinæ prophetæ natiuitas, & vt Iudæos cum Gentilibus coniungeret Deus, ipsa die natiuitatis stellam creauit nouam, quam Magi videntes, apertè intellexerunt, Regem illum, quem nasciturum sciebant, esse natum; nam & prophetiam de hoc accepe-rant. Sed hæc apud vos iam scripta sunt, & de ipsorum adoratione; ideò prætermitto, similiter, & de Domini Circumcisione, quando Magi adorauerunt Dominum, fuerunt interiùs ab ipso instructi, atque in his, quæ ipsis necessaria erant, edocti. Quare Herodes, & quomodo timuit, neque tamen subitò paruulos occidit, apud vos scriptum reperitur. Mansit MARIA cum Ioseph ibi vsque ad dies quadraginta: propinqui Ioachim reuersi sunt in Nazareth; & vt legem impleret, impletis diebus purgationis MARIÆ, ascenderunt in Ierusalem, vt Lucas scripsit. Audiuit Herodes ea quæ dicebantur, & cogitabat, dicens: Hic est Rex ille, quem Magi quærebant. Multa enim de illo à Simeone, & Anna Prophetissa prædicabantur, * & tunc voluit edictum facere de nece puerorum. Ioseph cum MARIA fugerunt in Ægyptum, & multa mirabilia in illo itinere fecit puer Iesus, quorum quædam etiam apud vos scripta sunt, vt de arbore, cuius fructus MARIA colligere volens se sibi inclinante, & de paruulo quodam læproso, qui mox vt lotus fuit in lotura pueri Iesu, sanus factus est: deinde factus est latro, & crassator, & captus, ac cũ Domino crucifixus; in ipsum credidit, audireque meruit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23

Similiter vbicunque per Ægyptum transibant, Idola Ægypti canebant. Scito, & animaduerte puerum Iesum à principio suæ cõceptionis omnia genera, & species, & varietates linguarum sciuisse, neque in cognitione vnquam à carne, vel à sensu impeditum fuisse; vnde loqui semper poterat, & aliquando cum matre sola loquebatur. Sed coram alijs primo anno nunquam locutus est. Secũdo anno etiam coram Ioseph, & cum ipso loqui cœpit. Tertio anno coram omnibus, non sine omnium admiratione, loquebatur expeditè. Manente Iesu, & MARIA, & Ioseph in Ægypto, & Herode mortuo, misi Angelum, qui moneret Ioseph, vt rediret ad patriam suam, quia mortui erant, qui quærebant animam pueri. Non enim Ioseph assiduè videbat Angelos, sicut MARIA, & sæpiùs in somnis Angeli apparebant ei. Habitauit ergo Iesus in Nazareth cum Ioseph, qui putabatur pater suus, & MARIA vera matre eius. Docebant ignaros, consolabantur mœstos, & afflictos; compatiebantur animo, & corpore infirmis, & sæpiùs Iesus orando, vel tangendo curabat infirmos, & pauperibus succurrebat clanculum. Itaque nesciebant vnde illi sanarentur, vel hi triticũ, aut vinum, aut oleũ haberent; quia in eius potestate erat posita omnis creatura: poterat solo verbo ipse, quia ipse verum est verbum, facere omnia; & quãuis pauper esset, nemo tamẽ ipso ditior erat; quia omnes mundi thesauri positi erant in potestate eius. Volebat tamen, & famem pati, & sitim ipse, & labores corporis sufferre, vt pro vobis mereretur, & satisfaceret. Vnde & orationi, atque contemplationi iugiter insistebat, & vacabat, vt thesaurum immensum vobis hominibus congregaret. Crede mihi, charissime, quòd si per mille millia annos mundus duraret, nunquam merita Christi hominis euacuari possent. Tantum enim valent opera vestra, quantum à Deo acceptantur. Tantò autem magis acceptantur, quãtò à persona magis dilecta offeruntur. Vnde minimum bonum opus illius pueri, illiusque hominis gratius erat maximis operationibus aliorum quorumcumque; istis meritis multas mansiones in domo Patris sui hominibus præparauit. Ipse esuriebat, vt vos comederetis; sitiebat, vt biberetis; laborabat, vt quiesceretis; vigilabat, vt dormiretis; contemplabatur, vt Deum, & vos videretis. Quòd merita fuerunt MARIÆ matris suæ plurima; certè multùm & Ioseph meruit: puerulus tamen Iesus ipse esuriens, & sitiens compatiebatur matri, compatiebatur & nutritio suo, & præueniebat eos sui gratia, ne esurirẽt, aut sitirent: satiando eos absque cibo corporali, modo sibi noto, & sæpiùs cibum eis ministe-

rio

* dicebãtur.

rio fratrum meorum Angelorũ afferri præcipiebatur, & quandoque miraculosè illa, quæ sciebat illos velle, vel cupere, adesse faciebat, & quando ascendebat in Ierusalem, & ipsis, & omnibus propinquis Ioseph, Ioachim, atque Annæ consanguineis plurima præstabat solatia, & consolationes, ita vt quasi laborem itineris non sentirent; quandoque MARIA ipsum puerulum in vlnis tenendo, & grandioris ætatis factum inspiciendo, in sinu suo, vel iuxta eam sedentem, & manus eius pulcherrimas, ac pedes, & totum corpusculum inspiciens, plorabat, cogitando illos dolores, quos in membris illis sentire tempore passionis debebat, & vehementer dolebat, flebat, tristabatur, dicebatque secum in corde suo: has manus, & hos pedes diri claui perforabunt, hoc latus lancea transfixum erit, hoc caput atrocissimis spinis pungetur. Tunc IESVS cognoscens dolorem genitricis suæ, consolabatur eam, & quandoque sibi diuinitatem suam ostendebat, ad hoc vt omnis dolor, omnisque pœna cessaret, & gaudium immensum in cor eius ascenderet, ingerebatque menti gloriam corporis futuram post resurrectionem, & ita MARIÆ cor lætitia, & gaudio implebatur In tota pueritia sua nihil puerile gessit, quia erat perfectus homo, & siquando cum pueris conuersaretur, in illa conuersatione virilem maturitatem prætendebat. Nullæ fatuitates, aut pueriles stultitiæ erãt in eo, immò in omni actione sua merebatur; quia omnem actionem debitis circunstantijs ornabat, & in Deum dirigebat, & prout puerum decet, dum puer esset, & sicut infantulum, dum infans esset, & sicut non natum, antequam natus esset. Neque enim in vtero MARIÆ frustra stetit, quia à primo instanti conceptionis mereri cœpit, & dum erat adolescens, & iuuenis ea, quæ decent adolescentem, & iuuenem exercebat, vnde & matri, & nutritio obediebat, & eis coram alijs reuerẽtiam exhibebat; immò etiã in secreto; sed in secreto & ipsi eũ reuerebantur, præsertim MARIA, quæ diuinitatẽ eius toties viderat: cùm autem factus esset IESVS annorum duodecim, &c.

A bamur * eum adorare, mihi arridere quasi dicentes; benè veneris, quia citò huc venies, & foras vlteriùs non egredieris, cantabant ergo * Angeli, & coram Dei genitrice MARIA laudes longè plures solito canebant, ipsam adorantes, atque magnificãtes, & omnes sancti idem faciebant, & quia nullus mihi loquebatur, & illa cantica, illaque adoratio diù durabat, in me ipso valde admirabar, atque obstupebam, cur tandiù Virginẽ adorarent. Illicò adfuit Gabriel, meque confortauit, hæc verba dicens: nihil quasi de MARIA Euangelistæ scripserunt, quia satis tũc erat promulgari ea, quæ ad Redemptorem Filium eius Christum Dominum pertinebant, ne videretur superflua dicere, & fœminam quandam prædicare, atque extollere; qui sexus hominibus vilis videtur, & abiectus. Quia ergo salus hominum in Christo consistebat, satis eis videbatur Christum hominibus annuntiare, sed fide iam per totum mundum, & bono Christi odore sparso, Dominus voluit Sanctos suos laudibus matris suæ insistere, & circa illas occupari, & eo modo paulatim innotuit hominibus, qualiter totius corporis, quod est Ecclesia, cuius caput est Christus, MARIA collum extitit. * Itaque nullum donum, nullum bonũ, nulla gratia, nullum priuilegium à capite illo in corpus, nisi per hoc mirabile collum, quod est Virgo Dei genitrix MARIA descendit, innotuit conceptio eius immaculata, innotuit ipsius sapientia, & dum in hac vita paruula viueret, & dum in matris suæ vtero moraretur. Nunc autem, quia Dominus in breui precibus eiusdem suæ Genitricis totum mundum ad cultum suum est reducturus, & colla omniũ iugo fidei est subiecturus, vult, vt huius Virginis puritas, sanctitas, gratia, decus, splendor, atque magnificentia innotescat; ideo, dilectissime, te huc aduenire voluit, vt ea, quæ tibi dixero, describas cunctis, quæ hominibus manifestentur à Pastore, qui viuit, sed nondum regnat; regnabit tamen, vt tibi, antequam hinc recedas; ostendetur, & quia de ipsa Virgine multa ineptè scribunt, & * vera non sunt, & multa vera prætermittuntur; tu nunc iterum nota, & quæ dico de illa, animaduerte. Ideò enim nunc omnes eam adoramus, quia Deus vult eius gloriam palam facere omnibus hominibus, vt eius meritis, & precibus cuncti salutem, & vitam sortiantur æternam, quæ alio tempore dixi, nunc ex parte repetam, & quædam noua maximè de eius assumptione in cœlum aperiam, excludendo multos, & vulgatos errores.

Firmiter credẽdum est, ipsam, quam Deus supra omnes etiam Angelos elegit in gratia, & gloria, & quam primam post se in regno suo esse voluit, & per quam omne bonum, &

omne

* *videbantur.*

* *verò.*

* *existit*

* *quæ.*

OCTAVVS ET VLTIMVS *Raptus incipit.*

VLtimus raptus meus postquam citò in Domino obdormire me oportebat, secundùm quod Angelus sanctus mihi reuelauerat, fuit die triduo ante Ascensionem Domini, die lunæ diluculo. Me itaque in cauerna mea deuotiùs solito orarem * in excessu mentis meæ, in Rotam illam iterum raptus fui, & Deum cum Regina, atque solita societate, immò & ampliorè vidi. Et omnes vide-

* *orãte.*

omne donum in homines transfundere statuit, & quia in suam matrem elegit, nunquã fuisse filiam iræ, nunquam fuisse in aliquo peccato maculatam, nunquam, neque dum existeret, neque antequã existeret, & in mente diuina visione apprehenderetur, fuit apprehẽsa tanquam inimica, aut gratia carens, si quod summa Dei pro suo tempore, quo existeret, non esset sibi concedenda; quandocunque ergo Deus eam vidit (semper autem vidit) nunquam eam, & pro nullo tempore, vt inimicam apprehendit, quod de nullo aliorum filiorum Adæ est credendum, & si forsan aliqui sint concepti amici, & parum ante conceptionẽ purgati, vt diximus de Ioanne Baptista; nullus tamen est ex filijs Adam, quem pro aliquo tempore Deus nõ viderit, vt inimicum pro tũc. Aliqui ergo antequam orti essent, in vtero erant inimici, sed in ortu, & post, nunquam fuerunt inimici. Aliqui verò ante ortum, & in ortu, & post semper inimici permanserunt, vt qui nunquam à peccato originali fuerunt purgati. Aliqui verò non solùm inimici permanserunt inimicitia prima, sed & propria actione facti sunt inimici, addentes inimicitiam inimicitiæ. Aliqui etiam * à prima inimicitia purgati fuerunt, sed in nouam incidentes, in ea perseuerauerunt. Alij purgati à prima, & secunda, tandem amici, ex ista vita vestra migrauerunt. Sola Dei genitrix pro nullo vnquam tempore inimica fuit, sed semper amica Deo nolente sibi vnquam iram, & semper volente gratiam, & gloriam, quæ tunc in quantum filia talis patris merebatur iram, sicut & alij eius liberi.

** item.*

Firmiter credendum est, animam Virginis MARIÆ creatam cum omnibus scientijs, & rerum similitudinibus, sicut & nos Angelos, & à principio sui ortus Deum cognouisse, & amauisse, sed non notitia intuitiua, neque visionis, quia hoc proprium est beatorũ. Ipsa tamen quandoque ipsum Deum, & frequenter, dum viueret, vidit, sed in tali visione non perseuerauit; tantam ergo visionem * à principio habuit, quantam & nos Angeli; habuit, & eam * clariorem, quò Deus ipsam plusquam nos Angelos diligebat.

** cognitionem.*

** eo.*

Firmiter credendum est, MARIAM omnium gentium literas, & linguas, & artes liberales, & illiberales nouisse, similiter scientias speculatiuas, & practicas, tam actiuas, quàm passiuas. *

** factiuas.*

Firmiter credendum est, MARIAM gratia maiori, quocunque Angelo, vel homine ornatam fuisse, & omnibus virtutibus supra omnes post filium decoratam extitisse; immo plures habuit virtutes, quàm suus filius habuit; habuit namque fidem, & spem, quibus Christus, tanquam ab initio beatus caruit.

Firmiter credendum est, corpus MARIÆ optimæ complexionis fuisse; ita quòd, nisi Deus voluisset eam glorificare, & complexionem non impediuisset, longè amplius quàm vixit, vixisset, membra ipsius omnia quæ viro, & mulieri sunt communia, erant simillima membris Christi; ita vt caro vnius videretur esse caro alterius; fuit pulcherrima mulierum, & in omnibus optimè disposita.

Qualiter in triennio in templo Domini præsentata est, qualiter ibi vixit, qualiter desponsata fuit, qualiter ab Angelo, hoc est, me Gabriele salutata, Verbum Dei concepit, qualiter Elisabeth salutauit, & tandem IESVM peperit, qualiter educauit, & in tẽplo disputantem vnà cum suo viro Ioseph inuenit, qualiter cum Ioseph aliquo tempore posteà vixit, dicta sunt.

Omnem statum in se habuit; fuit enim innupta puella, fuit deinde nupta, fuit postmodum vidua, fuit Virgo, fuit & mater. Postquam autem IESVS disputauit anno duodecimo, aliqui dixerunt, Ioseph defunctum, & MARIAM intrasse in templum Domini, & locũ tenuisse Annæ Prophetissæ, IESVM verò ascendisse in cœlum, & cum Patre, & Spiritu Sancto, vsque ad quintum decimum annum Tiberij Cæsaris superiùs mansisse, & ciuitatem beatorum construxisse; vnde ipse dixit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*, & ita credunt Christum Dominum bis in cœlum ascendisse.

Sed firmiter credendum est, Christum Dominum in cœlum corpore non ascendisse vnquam, nisi die quadragesimo post resurrectionem suam; ipse tamen dicitur descẽdisse de cœlo, quia Deitate vbique est, & in cœlo præcipuè, quia ibi se ostendit omnibus per gloriam; descendit autem per effectum, quia carnem assumpsit, & seipsum exinaniuit, & humiliauit; ascendit verò, quia corpus suum illuc in gloria transvexit; vnde sequitur: *Filius hominis, qui est in cœlo*; semper enim erat in cœlo, qui de loco non transit ad locum, & ille idem descendit, quia humanatus est, deinde ascendit in corpore à se assumpto, tamen Dominus IESVS illo tempore mysticè fuit in cœlo; quia apud solum Patrem pro nobis cooperabatur, * & merebatur, & opera eius, atque merita non agnoscebãtur apud homines, sicut posteà fuerunt agnita, quando publicè prædicabat, miracula faciebat, & se Deum publicabat. Semper ergo ipse ciuitatem supernam pro nobis hominibus construebat meritis suis præclarissimis, & MARIA mater eius erat secum, vt plurimùm; neque verum est, vt Anna Prophetissa vsque ad illud tempus vixisset, neque quòd Ioseph, tũc mortuus esset, sed custodiuit MARIAM vsque ad baptismum Christi, & conuersionẽ, ac

** operabatur.*

ac familiaritatem Mariæ Magdalenæ, & Marthæ sororis suæ, quibus Dominus Matrem suam commendauit, iam existentem viduam, quia ille status sibi deficiebat, & in illo statu orbata est filio suo, itaque inuenta est simul sine marito, & sine filio, & antea pupilla fuerat, & orphana; Ioseph ergo senex annorum circiter septuaginta sex migrauit, & appositus est plenus sanctitate, & iustitia, & omni virtute, & gratia ad patres suos, quibus annuntiauit, qualiter factum erat Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filiũ in deserto, & prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; & qualiter Christus Dominus ab eo baptizari voluit, & ipse quoque prædicare cœperat, & iã discipulos congregabat, & multa miracula faciebat. Tũc omnes sancti Patres, & sanctæ Matres valdè exultauerunt, & lætati sunt in Deum viuum, & ipsi Ioseph tanquam nutritio Domini, maritoque Genitricis Dei, & custodi locum dederunt, ipsumque non solùm Adam, Seth, Abel, & Noe, sed & ipse Abraham, Moyses, ac Dauid venerabantur. Magnus est apud Deum nostrum Ioseph ille. Tota cœlestis curia ipsum, tanquam thesauri Domini Christi custodem, & ministrũ fidelissimum honorat, colit, & veneratur. Oportet, vt & vos eum honoretis, & officiũ eius solemniùs celebretis, & hic Pontifex, qui nunc est, incipiet; sed ille, qui posteà sedebit, & nunc inter vos simpliciter incognitus ambulat, perficiet, & complebit. Ioseph ergo ablatus fuit eo tempore ad hoc, vt MARIA Virgo vidua remaneret, & fructum nõ solùm trigesimum, sed etiam sexagesimum afferret, & toti Ecclesiæ mereretur, & omnem statum honoraret, & virginalem, & matrimonialem, & vidualem; & esset caput, & spes, atque vnicum refugium virginum, nuptarum, atque viduarum, sed ante obitum sanctissimi Ioseph singulis annis, & festis, MARIA cum IESV, Iosephque comitante in Ierusalem ascendebant, Doctores, & Sacerdotes, qui credebant, confortantes, & exhortantes; sed nolebat Dominus IESVS apertè prædicare, sicut posteà fecit, quia omnia secundùm dispositionem prouidentiæ diuinæ, & secundùm Prophetarum oracula, & testimonia faciebat, & exercebat, & in ætate cõ-
*condecens. decenti, * vt etiam Pastoris * exemplum præberet. MARIA ergo interfuit nuptijs
*vt etiã posteris. Ioannis Euangelistæ, & deinde assiduè conuersabatur cum sororibus Lazari, defuncto Ioseph, & manebat vt plurimum in Bethania, & de passione Christi futura, quam præuidebat, semper doluit, sed tantò magis dolebat, quantò eam propinquiorem inspiciebat, & quando eius dolores, hoc est vnigeniti filij sui vidit, & aspexit, & opprobria, & ignominias, valde tristabatur, & de malo filij, & de nimia ingratitudine, & ignorantia, & impietate, atque crudelitate hominum, & de damnatione ipsorum. Multa ergo doloré eius augebant, sicut & filij sui, non obstante quòd salutem humani generis valde cuperet, & desideraret; sed illud non diminuebat dolorem, quando cogitabat, etiam sine tali passione humanum genus redimi posse; immo videbat sufficere ad hoc promptam voluntatem filij sui, se offerentis absque vlla executione; videbat quoque illos mala intentione pœnam filio suo inferre; valde itaque doluit de tam atroci, ignominiosa, & iniqua filij sui passione, sed in eius quoque resurrectione exultauit supra omnes.

Firmiter namque tenendum * est, Chri- *credendum.
stum Dominum ante omnes alios Matri suæ apparuisse, ipsamque confortasse, atque gaudio, & exultatione summa impleuisse, & antequàm ad cœlos ascenderet, quòd eam secum non duceret, se excusasse; quia oportebat eam in vita mortali remanere, & secreta suæ conceptionis, & natiuitatis Paulo, Lucæ, Dionysio, Ignatio, multisque alijs reuelare, & manifestare, & pusillanimes confortare, & discipulos, aliosque credentes admonere, & viam Dei docere; dixitque Dominus Matri suæ, quando ad cœlos ascendere volebat. Ecce, Mater mea dulcissima, Filium tuum IESVM, vides extra omnem doloré, & extra omnem miseriam, & calamitatem, ecce ipsum cernis lætissimum, & iucundissimum, viuum vita immortali, impassibili, & glorioſa, *data est mihi*, Genitrix mea *omnis potestas in cœlo, & in terra*, factus sum Dominus vniuersorum. Angeli omnes, & Archangeli Principatus, & Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubim, atque Seraphim subijciuntur mihi, & tu eris ante omnes iuxta me, & iuxta solium Altissimæ Trinitatis, sicuti quando me concepisti, & peperisti, suauissima mater, vidisti, audisti, & experta es. Et mihi filio tuo summè placeret, vt in regnum istud nostrum, simul intraremus, simul illud possideremus, simul regnaremus; sed propter Apostolos, & alios discipulos præsentes, & futuros prouidentia diuina decreuit, vt tu in ista vita adhuc remaneas propter consolationem fidelium. Veniet ad fidem Paulus, veniet Ariopagita Dionysius, venient plurimi alij, quos tu confortabis, & corroborabis, & Lucæ, & Ignatio, & alijs, prout oportuerit, quæ de me nosti reuelabis, & pro tepidis fidelibus multa merita accumulabis; ego te nunquam deseram diuinitate, tecum assiduè ero in isto Sacramento panis, & vini, & meum corpus, atque me totum ibi oculis tuæ mentis sæpissimè, & quotiens placuerit, & opus fuerit, offeram, & ostendam; videbis me filium tuum, etiam corpore tibi præsentem, & nunquam te de *Mat. 28*

re-

relinquentem, commendo tibi fratres meos Apostolos, & Magdalenam, teque ipsis committo. *Ioa. 20.* *Ascendo ecce ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Ioannes accede huc, Magdalena appropinqua ad me, matrem meam vobis committo, Genitricem meam charissimam vobis commendo; seruite sibi, & obsequia præstate opportuna, nam & ipsa mihi tanto tempore seruiuit, meque cum tanto amore, & diligentia educauit; in Ægyptum, & de Ægypto associauit, & quasi in omni itinere comitata est, multa pro me pertulit, vos etiam pro ipsa mei gratia, & sui amore perferre velitis, eam curam de ipsa habete, qualem ipsa de me habuit, veneramini & obseruate eam, Mater Domini veri est, & Saluatoris, Genitrix Dei est omnium plasmatoris & coram omnibus complexans, eam brachijs venerabilibus, & sancta labia ori suo imprimens, cunctis, qui aderant præ deuotione, & gaudio lachrimas effundẽtibus, dixit: Regina cœlorũ es, Domina Angelorum, & omniũ hominũ es, lætare; ego enim sum IESVS ille Filius tuus, quem cõcepisti, & in sancto vtero portasti, tam delicatè, & diligenter educasti, & supra omnes semper amasti; quem afflictum, sputis deturpatum, & proprio sanguine vidisti, quem flagellis cæsum, spinis coronatum, clauis cõfixum aspexisti; hæc est caro tua, hæc ossa tua, hic sanguis tuus, vale mater sanctissima, atque patientissima.

Tunc MARIA dixit: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* *Psal. 83* Anima mea te Deum meum magnificat, spiritus meus in te Deo salutari meo gaudet, nimiũ, & lætatur. Cuperem & ego, charissime fili tecum iam assiduè viuere, morari, & conuersari, & in gloria cœlesti lumen in circunscriptum videre, nullum tamen recuso laborem, fiat volũtas tua. Remanebo, curam omnium habere conabor, docebo quos oportuerit, secreta tua reuelabo, quibus, & quando, & quã tùm opus fuerit, Ioannem, vt filium, Magdalenam, vt sororem complectar. Mandata tua non præteribo, custodiam omnia, & adimplebo, pro toto populo Dei orabo, laudesque Domino pro omnibus decantabo, confortabo præsentes * Apostolos, Petrum Vicarium tuum, & reliquos omnes, & eos similiter, qui postea vẽturi sunt; gratias ago, quia me etiam præsentia corporali non derelinquis; videbo te namque in Sacramento, vbi manes mõdo corporeis oculis inuisibili, sed oculo mentis manifestus, & visibilis; abscedes à me, neque tamen discedes à me; ad patrem ibis, & mecum iugiter manebis. Benedic mihi Deus meus. Benedic mihi Domine meus. Benedic mihi, suauissime fili mi. Ad quã Dominus: diu est, quòd tibi Pater meus benedixit, simul tamen Verbo suo, & Spiritu paraclito; semper enim benedicta fuisti, & nulli vnquam maledictioni subiecta extitisti; omnem gratiam, quæ Dei Matrem habere decet, habuisti; nihil tibi aliud, quàm beatitudo æterna conferri potest, & corporis * immortalitas cum alijs dotibus. Benedicta sis, sic & es mater mea omni benedictione plena; sed & tu mihi filio tuo benedicas Genitrix dulcissima. MARIA dixit Deus es, ad te benedicere spectat; in quantũ tamen filius meus es, minor me aliquomodo es, ideò vt aliquo modo maior, tibi benedico, fili mi, hoc est benedictum prædico omnibus, & benedictionem tuam annuntio vniuersis viuentibus, præsentibus, & futuris; quia non est benedictio vlla sine te Saluatore, & Redemptore omnium hominum, sed meo præcipuè. Nullum enim magis saluasti, neque magis redemisti, quàm me; te igitur sicut Deum meum Redemptorem meum, Saluatorem meum benedico, & in æternum magnifico. Tunc accersito Petro, dixit Dominus IESVS. Petre, diu est, quòd tibi claues regni cœlorum tradere promisi, duæ sunt, non vna, vtramque tibi nuper dedi, vtramque iterum coram his omnibus discipulis meis, & fratribus meis tibi tribuo, vt possis scire, cognoscere, & examinare, ac etiam sententiam dare, decidereque, ac declarare. Esto Princeps fratrum tuorum, incuruentur ante te filij matris tuæ, gregem meum tibi committo, oues meas tibi do, & commendo, tuæ sunt: esto earum Dominus, pasce omnes agnos meos, medio aliorum, hoc est ouium, pasce agnos tu absque medio, pasce etiam oues meas; oues enim sunt Doctores, Prædicatores, Prælati, & omnes Episcopi, Regesque, ac Principes, qui lacte scientiæ, & lacte exemplaris vitæ agnos pascunt, & nutriunt. Agni sunt, qui solùm docentur, & nutriuntur; tu itaque pasce agnos medio ouium tuarum, quas institues ad pascendum gregem, pasce & nihilominus tu agnos tuos, sine tali medio, quæcunque enim ipsæ oues facere possunt, & tu facere poteris. Pasce tandem, & ipsas oues; quia ergo Pastor es, verè Rex es: nihil enim aliud est regere homines, nisi eos pascere, & pascere est regere, Pastor ergo Rex est, & Rex est Pastor; & veri Reges, nihil aliud sunt, quàm Pastores. Tu ergo nõ solùm Dominus propter oues proprias eris, sed etiam Rex eris, & quia quæcunque super terram solueris, aut ligaueris, etiam in cœlo erunt soluta, aut ligata: cuicunque benedixeris, erit benedictus, cui maledixeris erit maledictus; consecrabis, benedices, sanctificabis, & eos qui hæc sub te facient, institues; & ordinabis, & ideò Summus Sacerdos, & Maximus Pontifex eris. Peccatores Petre tibi commendo, pro quibus reducendis, sanctificandis, & saluandis multa perpessus sum.

Re-

* præsente.

* corporeri.

Recordare Petre, quòd tu multoties peccasti, cõpatere peccator peccatori, homo homini, cinis cineri, puluis puluerì, nullũ à pœnitẽtia excludas, nulli viã reconciliationis præcludas; mansuetus, & modestus, atque mitis esto peccatoribus, nullũ spernas, nullũ abhorreas, nullũ abijcias, te pastorẽ ouium tanquam firmiorẽ, solidiorẽ, feruentiorem, & humaniorem, & tanquã illum, qui infirmis cõpati poteris, quia & ipse infirmus fuisti, instituo; discretione, & circunspectione gubernabis omnia, cõfortabis, monebis, hortaberis, argues, reprehendes, corripies, & castigabis, virtutes, atque merita ouium tuarũ, & agnorũ tuorum cõsiderabis, & aqua lance ponderabis, cætera te citò venturus Spiritus Sanctus docebit pariter cum omnibus his. Et hæc dicẽdo Petrũ corã se genuflexum amplexatus, atque osculatus, Ioannem vocauit, sibique matrẽ iterum commendauit, Andream, & Iacobum vtrumque cum Thoma, Simone Thadæo, Philippo, Mattheo, Bartolomeo similiter allocutus est, & quæ super eos ventura erant, annuntiauit, similiter & discipulos alios præsertim Lucã, & Marcũ, & Barnabã, quẽ cum Paulo assumpturus erat ad Apostolatũ cõuocauit, omnibus futura super eos denũtiauit, & quod facturi, & quod passuri forent, intimauit, omnes sigillatim amplexatus est, atque osculatus, omnibusque benedicebat. Erant ibi multæ mulieres, quæ ipsum secutæ fuerant, sed præcipuè Maria Salome, & Maria Alphei à marito, siue Iacobi à filio; nam Maria Salome fuit vxor Zebedei, & nũquam nominatur à marito, sed tantũ à patre, Maria Alphei nominatur à marito; illa eadem vocatur Maria Iacobi, videlicet minoris, qui fuit filius suus; illa eadẽ appellatur Maria Cleophe à patre; omnes hæ mulieres, & plures aliæ ibi aderant, inter quas erant duæ Mariæ, ambæ Magdalenæ, ambæ Domini Iesu vnctrices; sed vna fuerat peccatrix in ciuitate, altera obsessa à septem spiritibus malignis; vtrãque Dominus diligebat, sed illam sororem Lazari super omnes; erat enim feruentissima zelatrix Christi Domini, & omnium operum eius ipsaque cum Martha sorore sua vltra omnes de suis facultatibus ministrabant Christo Domino, & matri eius, & omnibus discipulis: omnibus ergo etiã mulieribus benedicens, has duas Marias vnctrices suas aduocauit, & qualiter longo tẽpore de ipsis duabus in Ecclesia Christi foret decertatio, indicauit. An fuerint duæ mulieres, vel vna solùm? & tandem tempore illo fœlici Pastoris fœliciſsimi huius veritas ostẽderetur, & quòd fuerunt duę, declarabitur, & quòd vna peccatrix in ciuitate, altera à dæmonibus obsessa, nullo tamen vitio notabili subiecta, de hac aliàs tibi multa dixi, Christus itaque Dominus vtramque Magdalenã vocauit, & vtrique benedixit, vtramque confortauit, & sorori Lazari Mariam matrem suã similiter, & Marthæ, atque Lazaro comendauit, non quia indigeret eorum auxilio, sed vt ipsi sibi ministrantes, & obsequentes merita accumularent, & vt eam associarent, & eius exempla sequerẽtur. O quantùm profuit ipsi Ioseph viro suo conuersatio MARIÆ! quamuis enim esset iustus, & bonus; propter tamen cõuersationem MARIÆ factus est perfectus, & in omni virtute excellens; MARIA enim erat omnibus cum ea conuenientibus, * tanquam quidam ignis acutus, penetrans, diuino amore corda omnium inflammans, & incendens, purificans, abstergens, illuminans, omnia mala cõsumens, & omnia in Deum aliquo modo conuertens. O quantũ profuit Magdalenæ, Marthæ, & Lazaro, Lucæ, & Ignatio, atque Beato Dionysio, & omnibus, qui cũ ea conuersabantur? ignitum erat eloquium eius vehementer; sermo pretiosus erat in ore suo, imitabilẽ se præbebat omnibus; speculũ nitidum erat, in quo cuncti se inspiciebant, *Vox eius dulcis super mel, & fauũ*, pedes graues, & omnino gressus eius modesti, gestus maturi, nihil reprehensibile, omnia diuina erant; commendauit ergo Dominus ipsis Matrem suam, vt vestigijs eius inhærerent, & eius exẽpla sequerentur, & pauca tribuentes, plurima reciperent. Tandem congregati sunt cũ MARIÃ Domini Genitrice omnes Apostoli, & discipuli, & sanctæ mulieres in mõte Olueti die quadragesima post Domini resurrectionem hora quasi sexta; erat dies Iouis, vt vos dicitis, & quinta die mensis Maij, & tunc Dominus Iesus talia coram ipsis locutus est, antequam ascenderet.

*cõuersatio bona.

*cõuersantibus

Psa. 18.

Tãta cura semper fuit Deo de omnibus, vt nil aliud vnquã curasse putari posset. Primò enim voluit me verbum suum hominem fieri, & naturam humanam assumere, vt Deus homo, & homo Deus esset; deinde voluit hominem illum, qui ego sum, ac etiam matrem eius, quæ est MARIA Virgo, hic præsens corã vobis existens, super omnes Angelos exaltare, cuius causa magnus numerus Angelorũ, cũ Lucifero de cœlo cœlorũ cecidit, abhorrẽtes tãtam seruitutẽ, tantamque subiectionẽ, & credẽtes se liberos esse, serui facti sunt, vos autem alios socios, & simul cum Angelis suis filijs innocentibus, qui nunquam peccauerũt ciues cœlestis Ierusalẽ facere decreuit, si vsq; in finẽ perseueraueritis, misit tot Patriarchas, tot Prophetas, tot Doctores, vt genus humanũ conseruaret, & in via salutis dirigeret, & Angelos custodes adiuuaret nouissimè misit me filiũ suũ, qui quãta passus sim, mater mea, & vos ex parte testes esse potestis, ecce iam resurrexi. Genitrici meæ primũ, deinde huic feruentissimæ Magdalenæ apparui, & alijs Marijs hic præsentibus, quarũ verba tãquam deliraméta vobis videbantur; apparui Petro,

apparui Cleophe, & Lucæ, apparui omnibus simul, & semper tardi corde fuistis ad credendum. Nimia cordis duritia in vobis fuit, valde increduli fuistis, carnea, & saxea corda sunt in vobis, sed me ascẽdente, & spiritu cõsolatore adueniente super ceram mollificabũtur, & dabũtur vobis corda mollia, & carnea, & docebimini omnẽ veritatẽ, manebitis omnes vnanimiter in oratione in cœnaculo ciuitatis Ierosolimitanę cũ Genitrice in ea, & his sanctis mulieribus, donec induamini virtute ex alto, qua induti volo, vt priùs Iudęis, quibus, quæ perierunt, incipientes à Ierosolima, annuntietis verba mea, & opera mea omnia, quæ feci, & operatus sum in populo Iudæorũ, & quæcunque vos, & alios docui, prædicabitis ipsis; deinde *Euntes in mundũ vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ*, annuntiate pacẽ omnibus gẽtibus; pro omnibus veni, quãuis ad solos Iudæos, tanquã eis promissus, & ex eorũ patribus ortus venerim; docete ergo *Seruare ea, quæ præcepi vobis, omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, sicut anteà docui vos. Qui crediderit in me, & doctrinã Euangelij receperit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò, vobis prædicantibus, nõ crediderit, cõdemnabitur; & quia sine signis (quæ nemo alius, quã Deus facere potest) ad credendũ nõ cõpelleretur, vos omnia, quę ego feci, facietis & maiora horũ facietis. Et ne credant, vos * aliqua arte illa signa facere, volo, vt etiã ipsi eadẽ signa faciant, & tũc cognoscẽt, ea nulla fieri arte, sed potestate diuina. *Signa erga eos, qui crediderint, hæc sequẽtur. In nomine meo dæmonia eicient, linguis loquẽtur nouis, serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit: super egros manus imponent, & benè habebũt*, & omnia alia, quæ ego feci, & ipsi facere poterũt, & maiora illorũ faciẽt, nulla adhibita arte, sed solo nomine meo, vel nomine Trinitatis, quæ Deus est, inuocato. Manete in ciuitate, donec veniat ad vos spiritus consolator, ego in cœlũ cum his omnibus nũc conscendã. Erant autẽ cũ eo Adã, & Eua, Abel iustus, & Seth frater suus, cum multis alijs fratribus, & sororibus, de quibus apud vos nulla mentio est; quia nõ oportuit omnes scribere, sed per Genealogiã ad Sancta sanctorũ deuenire. Erat ibi Noe cũ sui generis iustis vtriusq; sexus; erat Thare, Heber, & Abrahã, vir ille corã Deo magnus cũ omnibus sui generis iustis; erat excellens ille totex veterum antiqui testamenti Moyses, cũ Aaron, & reliquis sui generis iustis; erat & eximius omniũ Prophetarũ Dauid cũ Salomone, & omnibus sui generis iustis; erant alij Prophetæ, & Machabei, erãt secũ animę iustorũ innumerabiles & Gentiliũ, nõ solũ ipsius Iob, nominatissimi viri, sed etiam plurimorũ Philosophorũ, etiã quorũ opera in magno prętio habetis Ægyptiorum, Chaldeorum, Græcorum, & Latinorum, qui vnum Deum cœli colebant, & in ipso sperabant, ipsum omnium bonorum remuneratorẽ existimantes; erant ergo cũ Christo omnes animę, quas de limbo, & quas de purgatorio liberauerat; liberauit autem omnes, quæ * inuentæ sunt tempore descensus ipsius ad inferos; hoc enim decebat tam inuictum, tamque nobilem triumphatorem, vt sanguine illo prætioso recenter effuso omnes adiuuarentur amici; congruebat, vt de tam glorioso triũpho amici omnes consolarentur; quomodo enim tam pijssimus, & clementissimus Princeps ad amicos suos afflictos, cum triumpho veniens, potuisset eos relinquere in tormentis. Decebat carceres aperiri, & amicos refocillare, & satisfactionem longam in breuem commutare. Ego in cœlo cum his omnibus conscendam, & nos Angeli omnes astabamus, & hortatus est eos ad perseuerantiã fractionis panis benedicti, dicens: *Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meũ, & Deum vestrum*, & tamen ecce ego in Sacramento illo sum vobiscum, & ero cum omnibus fidelibus meis, vsque ad consummationem seculi, & vale dicens Genitrici suæ, & Apostolis, Magdalenæ, cæterisque omnibus, Dominus Iesus postquam ea, quæ tibi reuelaui, locutus est, cœpit paulatim recta statura, eleuatis manibus, remoueri à terra, & ire versus cœlum, & in circuitu erant omnes animæ iustorum, quarum numerus erat quasi infinitus, & tota regio aéris erat plena illis, qui omnes antequam discederent, Reginæ cœli tanquã dominæ reuerentiam exhibuerunt, & propinquissimi Christo erant, Ioannes Baptista, Abraham, Ioseph vir MARIÆ Matris Domini, & Moyses, atque Dauid, Esaias, ac Ieremias; & videbantur æquè appropinquantes, & sic eos sequebantur alij Prophetę, & Anna, ac Simeõ iustus, & Anna prophetissa, Eua, Adam, & alij in ordine suo; vidisses ibi Adã, & Euam, Abrahã, & omnes Patriarchas, atque Prophetas, Annam, Saram, & Rachel, & Ruth, & Esther, & Iudith sigillatim benedicere, & adorare MARIAM Dei Genitricem, & omnes ante eam suo modo procidere, atque dicere. Ascendat ante nos Regina nostra, præcedat nos Domina nostra, non est dignum, nõ est æquum, vt nos ante ipsam cœlos scandamus, sed cognita causa dilationis omnes vota sua diuinæ submiserunt voluntati; virtute itaque diuina, immo ex virtute animæ glorioſæ, quã à Deo acceperat Dominus Iesus, quoad corpus suum, paulatim ferebatur in cœlum, Matre, & Apostolis, & multis alijs in monte illo congregatis cum gaudio, & exultatione, atque admiratione, intuentibus omnibus Angelis, atque innumerabilibus iustis ipsum comitantibus, & ex vna parte nos Angeli canebamus, & ex alia animę

A B C D

Marc. 16.

Matth. 28.

* nos.

Marc. 16.

* qui in uenti.

Ioan. 20

iustæ, & quasi chorus choro respondebat, & interdum pars Angelorum cum parte iustorum vnum chorum faciebant, & alia pars Angelorũ cũ alia parte iustorum, tanquam alius chorus respondebat. Psalmus verò talis erat.

Ascendit Deus in iubilatione: & Dominus noster in voce tubæ.

Ascendit vnicus Deus noster: neque æstimabitur à nobis alius ad illum.

Descendit propter nos de cœlis: & nunc recedit de nostris terris.

Ascendit in iubilatione Deus noster: quia Angelis sola mente canentibus conscendit.

Ascendit etiam in voce tubæ: quia animabus etiam per corporea organa quandoque canentibus sursum iuit.

Nos Angeli sola mente canimus. & quãdoque in aëre nobis extraneas voces formamus.

Nos animæ, quæ corpora informare possumus: corpore ipso tanquam tuba vtimur.

Ascendit ergo Deus Angelis iubilantibus: & iustis tanquam tubicen canentibus.

Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter.

Tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes Deos.

Psallite Domino in cithara, in cithara, & voce Psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.

Dominus in Sion magnus: & excelsus super omnes Deos.

Dominus in cœlo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius.

Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.

Qui nunc ascendit: ipse primùm descendit in inferiores partes terræ.

Mors fuit humanæ mortis: morsus fuit ipsius inferni.

Spoliauit infernum: spectantes diu inde extraxit.

Eduxit populum suum in exultatione: & electos suos in lætitia.

Eduxit eos de lacu, in quo non erat aqua: & transtulit in regnum suum.

Alios eduxit de tribulatione: & multorũ supplicia abbreuiauit.

Omnes amicos, qui decesserunt: secum in gloriam transvexit æternam.

Petro Ecclesiam suam commisit: omnibusque ascendens benedixit.

Matrem suam in mundo dimisit: & tanquam anchora fidei suæ reliquit.

A *Paulatim eleuatis manibus: corpus ab anima ferebatur in cœlum.*

Nõ erat motus ille progressiuus: sed alius, quo tunc anima vtitur.

Omnes sancti eius comitabantur eum: & Angeli benedicebant ei.

Quis est iste, qui venit de Edon: tinctis vestibus de Bosra? canebant.

*Non ignorantes dicebant: sed maiestatem tantam admiratricem * ampliabant.* * admirationẽ.

Dominus fortis est, & potens: Dominus est potens in prælio.

Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Formosus valde progreditur: stola maiestatis indutus.

B *Antequam tamen Dominus ascendit: omnibus clara voce dixit.*

Perseuerate in fractione panis benedicti: ibi sum vobiscum semper, vsque in finẽ seculi.

Mater mea excellentissima in Sacramento illo: sicut & alias videbit.

Alij me fide propria intuebuntur: ex quo non parum consolabuntur.

Ascendit ad patrem suum: ex cuius sinu nunquam descendit.

Descendit tamen de cœlis: quia humanitatem sibi coniunxit.

Cum matre, & suis remansit: & tamen eos relinquendo ad cœlos ascendit.

C *Descenderat vno modo: quò profectus ascendit alio modo, per corpus assumptum.*

Qui tunc descendit, & ascendit nunquam, à suo patre discessit.

Ille solus ascendit, qui descendit: qui tamẽ semper in cœlo quieuit.

Remouebatur paulatim ab oculis eorum: & appropinquabat polis cœlorum.

Quando nullus ipsorum eum vlteriùs videre potuit: tunc celeriùs valde conscendit.

Genitrix post omnes eum in aere vidit: & ab eo benedicta ipsum adorauit.

Quò digniores inter eos erant: eò vlteriùs prospiciebant.

Vnumquẽque in termino visionis Dominus

D *respexit: & vnicuique ipsorum benedixit.*

Etiam non videntes eum stupidi stabant: & oculos ad cœlum dirigebant.

Quò vsque duo Angeli eis dicerent: vt in propria, & in Ierusalem redirent.

Quia Dominus omnes cœlos ascẽderat: spiritum daturus, quem promiserat.

Sic eum descensurum crederent: sicut ascendisse viderant.

Benedicamus Verbo Domini: quo firmati sunt cœli.

Benedicamus spiritui oris eius: quo consistit omnis virtus eorum.

Benedicamus ingenito, cum genito, & magno spiritu paraclito Amen.

Tunc Angelus dixit: conscribe hunc Psal-

mum, vt Pastor Ecclesiæ ex illo & Psalmos, & Hymnos conficiat: auctoritate enim, qua potietur, poterit multa & huic mysterio Ascensionis, ac etiã Resurrectionis, atque alijs plura addere, vt omnes particulæ cuiuscunque mysterij particulariter declarentur, & sit laus Dei semper in ore vestro. Dominus ergo cœlos ascẽdit, & sedet ille homo in potestate maxima, & maiestate, quæ post Deũ potest intelligi, & hoc est, eũ sedere in dextera Dei, omnes quidẽ electi sunt in dextris, prout dextera distinguitur à sinistra, sed non prout dextera per quandã excellentiã intelligitur: sic enim sol⁹ homo ille in dextera Dei sedet, Christus in quantũ homo, nõ mediocre gaudiũ ex tali loci adeptione assequutus est. MARIA verò cũ omnibus illis perseuerabat in oratione, & omnes cõfortabat, atque corroborabat, vt se diligenter ad Spiritus Sancti susceptionẽ prę pararent, quem decima die ab Ascensione filij sui omnes susceperunt. Ecce loqui volentes de obitu, & assumptione ad cœlũ Genitricis Dei, vt ostenderemus ex parte totã vitã suam ascensionẽ Christi Domini interseruimus. *

* *interserimus*

MARIA in cœnaculo existens cũ Apostolis, & discipulis perseuerabat in fractione panis benedicti, & Dominũ Christũ Filiũ suum, ipsa etiã in humanitate cernebat oculo mẽtis suæ, & alij solũ credebant, sicut viatores credũt, & tantò firmiùs, quantò illud multis miraculis ratificatũ iã vidisset, & post aduentũ Spiritus Sancti MARIA, nunquã in habitaculo suo, sine hoc Sacramẽto manebat, & ita filiũ suũ quoties desiderabat, videre poterat, & videbat, eũque lingua Angelica loquebatur, & responsa, eadẽ lingua ab ipso accipiebat, solùm non tangebat eũ, tamen sæpiùs etiã diuinitatẽ eius videbat, quandoque etiã nõ sacramentaliter sibi præsens erat, & tũc eũ amplexabatur, & corporeis oculis videbat, accidentia panis sumebat, & ex illis sanguis generabatur, & caro, nõ vt caro MARIÆ accidẽtia pro subiecto formæ haberet, vt nonnulli etiã ex his, qui vobiscum sunt, putauerunt, sancti quidem, eò in hoc multùm simplices: oportet enim, vt vel substantia redeat, vel substantia noua creetur miraculo antiquo; sic enim statuit Dominus à principio, si enim substantia, neque rediret, neque noua crearetur, quomodo illud cõponeret? Quomodo accidens formæ substãtiali substaret? Quomodo materia prima paulatim nõ deficeret tota? Quomodo caro, vel animal sic cõponi posset? repugnat formæ subijci suæ materiæ, repugnat materię informatæ, repugnat accidẽti esse materiam substantialis formę, opinio illa est risu digna, & contradictionẽ includit. MARIA hæc omnia profectò sciebat, & Apostolis prædicãtibus ipsa domi orabat, legebat, docebat, & in lege Domini assiduè meditabatur. Magdalena soror Lazari assistebat ei, & Maria Salome, mater filiorum Zebedei, & Maria mater Ioseph iusti, & Iacobi minoris, & Simonis, & Thadæi Apostolorum, quæ illa eadem nuncupatur, Maria Cleophe à patre, & Maria Alphei à viro, & illæ Marię, videlicet Cleophe, & Salome fuerũt sorores Virginis MARIÆ, nõ tamen filiæ Annæ, vt apud vos hodie dicitur. Anna solet dici tres cocepisse Marias, nõ est id verum. Anna quippe non habuit, nisi vnam filiam, & hoc dono Dei, quia ea sui natura sterilis erat, & genita illa magna filia, Matre Dei, sterilis permansit: illa nõ habuit, nisi vnã filiam, & Virgo MARIA vnicũ filiũ, hęc fuit semper Virgo; illa & ante, & post sem per sterilis. Non decebat certè, vt genita Matre Dei, ipsa Anna nuberet ad procreandum alias filias, quomodo etiam * fingunt, vt orta Virgine MARIA, statim Ioachim moreretur; & si statim mortuus fuisset, non tamẽ statim Anna sanctissima alteri nupsisset viro, & luctu prioris manente, nuptias secũdas fecisset cum gaudio, quæ non est cõditio bonæ, & sanctæ matronæ. Deinde etiamsi ita nuptias secũdas effrenatè celebrasset, adhuc per annũ vnum natiuitatem secundæ filiæ expectasset, qua orta, subitò pater huius secundæ, sicut & prioris mortuus fuisset, turpe tunc fuisset, statim tertias nuptias celebrare, & luctum secũdi mariti gaudio tertij subitò expellere, & nullam verecundiam mulierem sanctã habere, neque moralem vitam, & ciuilem tenere; fictio ergo est, vt orta prima filia, mox pater mortuus sit; fictio est, vt mortuo primo marito, mox secundo nupserit: similiter fictio est, vt mortua secũda filia, mox pater illius mortuus est, & quòd mortuo illo, mox Anna tertio viro nupsit: tamen etiam admittendo has fictiones, quę derogãt sanctitati Annæ, & dignitati Matris Dei, vt ex tam incontinenti matre nata sit; immò non decebat, vt vterus ille post Reginam omnium alias fomellas * foueret: tamen oportuit, vt quando tertia MARIA orta est, Virgo MARIA tum haberet ad minus quatuor annos, vel circiter, & iã in templo præsentata esset, & vlteriùs ipsa prima nupta est, per quatuor annos, vel tres ante sorores suas, & ipsa primo anno desponsationis suæ peperit Saluatorem, forsan secũda, & tertia, nõ ita primo anno despõsationis cõcepissent, quia hoc rarũ est; deinde dato, quòd omnes tres primo anno conceperint, tamẽ secuda MARIA quatuor filios habuit. Iacobũ minorẽ, Simonẽ, & Thædũ, & Ioseph iustũ, & vnum peperit ad minus, per annum post alium, valde ergo ipsos iuuenculos Dominus vocauisset, & domum suam pueris impleuisset. Cleophas ergo non fuit maritus Annæ, neque Salome, sed fratrer eius, & Ismeriæ matris Elisabeth, quæ Ioannem Baptistam genuit. Ioachim ergo, & Anna, MARIAM Virginem, virgini Ioseph miraculo cogente

* *& forte fæmellas.*

in

in vxorem dederunt, Cleophas suam filiam Alpheo dedit, & Salome suam Zebedeo, & Ismeria suam Zachariæ; & quia Anna sterilis fuit, priùs nata est Elisabeth pluribus annis, quã Virgo MARIA, similiter nata est priùs Maria Cleophe, & Maria Salome, & priùs fuerunt nuptæ, quàm MARIA Mater Dei, & priùs natus est Simon & Thadæus, & vterque Iacobus, quàm Dominus Christus, sed Ioannes Euangelista tredecim annis Iunior erat Christo. Elisabeth ergo fuit soror MARIÆ, quia nata ex sorore matris, sed Elisabeth ex Ismeria, secũda citò nata est MARIA ex Anna sterili post illam, virgo quinto anno nata est, quo tẽpore Elisabeth iam erat nupta Zachariæ; ex secunda Ismeria nata est Elisabet sterilis, ex sterili Anna nata est MARIA fecundissima, quia peperit Saluatorem vestrum, & regem omnium. Elisabeth itaque defuncta diu ante, Maria Cleophe, & Maria Salomè, MARIÆ Genitrici Dei inseruiebant, eamque comitabantur, & vt plurimum in domo Magdalenæ, & Marthæ morabãtur, Virgo illa clementissima * verbis, atque literis suis Apostolos confortabat, & alios credentes, quæ, vt accepit Paulus vas electionis, ad ipsum Lucam misit, qui antequam fuisset in Arabiam, voluit Dei Genitricem videre, quam cum sapientissimè filij sui mysteria propalantẽ audiret, & veteris testamẽti omniumque dubiorũ nodos dissoluere videret, prostratus in terram, Christum Dominum, & Matrem eius adorauit, dixitque, vsque nunc à die cõuersionis meæ Christum Filium Dei credidi nunc ex diuinitate Matris Deitatem Filij clarè cognoui, benedictus sit Dominus Iesus Christus, qui me minas sibi spirantem illuminauit, & ad se cor meũ auersum attraxit; benedicta sis tu Mater Domini mei, & regis omniũ, quia in te omnes thesauros sapiẽtiæ, & scientiæ Dei reconditos video; instructus ergo ab ea de omnibus secretis abijt in Arabiã, diuini amoris flamma totus ardẽs, & totus succẽsus incẽdebat omnes; & plus fructus ipse solus laboribus suis Ecclesiæ Christi attulit, quàm quicunque alius Apostolorũ, & hoc est quod ipse de se ait: plus omnibus laboraui, nõ quidem omnibus simul collectis, sed plus quocunque aliorum seorsum sumpto, & dum conuertisset Dionysium Philosophum egregiũ, & ei iam benè credenti, secreta, quę à Matre Christi audierat, referasset, ille permotus desiderio eam videndi, licẽtia à Paulo obtenta, tandem ad ipsam peruenit, & illicò vt vidit faciem eius, immutatũ est, atque exhilaratum cor eius, & gaudio, atque exultatione plenus in hæc verba prorupit: verè Dei Genitrix es MARIA, quia tota diuinitate plena es, si te videre tantum bonum est, tãque res iucunda est, quid erit videre ipsum Deũ bonũ omnis boni? & prostratus in terrã

*electissima.

A dixit: Deum Trinum, & Vnum, quem Paulus me docuit in te virgo pulcherrima * adoro, & te tanquam veram Dei Genitricem colo, tunc ait MARIA, ante quã Paulus tibi prædicaret, vidi te, & vocem tuam audiui, quando dixisti, sole obtenebrato præter cursum naturæ, aut Deus totius naturæ conditor patitur, aut machina mũdi dissoluitur, & altare etiam à vobis Ignoto Deo constructũ vidi: neque tamen vnquam corpore in Græcia fui, & locuta est secum disertissimè lingua Græca; ita vt stupore, & admiratione nimia replerentur, & post longam, & Trinitatis sanctissimæ, & Filij sui Incarnationis, & aliorũ mysteriorum institutionem, remisit eum ad B Paulum perfectum in fide, perfectumque, nõ solùm in humana, cuius partem, & ante conuersionem habuerat, sapientia, sed etiã diuina. Ignatius quoque feruentissimus zelator Euangelicæ legis, & præcipuus Ioannis Euangelistæ discipulus nimio desiderio accensus fuit, videre Genitricem Dei MARIAM, ad quam plures scripsit, & ab eadem plures epistolas accepit, quæ sunt cũ magna veneratione legẽdæ; latet in eis diuinæ virtutis operatio, Ioannes frequenter ad eam veniebat, & Ignatius eum comitabatur, quia non poterat aliud cogitare, quàm Iesum Filium Dei, & MARIÆ, ita vt in corde eius sculptum Iesu nomẽ repertũ fuerit; virerat sanctissimus, & C Matri Dei MARIÆ acceptissimus, Doctorque, & eruditor plebis Dei nominatissimus, qui gloriosa morte martyr, seu testis meruit fieri infallibilis veritatis. Ad Virginẽ ergo Dei Genitricẽ, & Apostoli sæpiùs veniebãt, & discipuli eorum, & ab ea ignotis dubijs docebantur, in dubijs certi reddebantur; in certis firmiores, & certiores, & solidiores agnoscebantur. Multùm ergo profuit Apostolis, & alijs credentibus vita Matris Dei prolixior, multùm profuit toti Ecclesiæ merito, tenebat autem Sacramentum corporis filij sui cũ maxima veneratione, & ipsum interdũ memtis oculo ibi videbat, & aliquãdo diuina virtute similitudines ipsius corporis ad oculos D MARIÆ transferente, videbat cũ oculo corporeo. Manebat in Bethania in domo Marthæ, manebat in Magdalo in domo Magdalenæ, sed rariùs: manebat in domo Lazari, iuxta montẽ Sion frequẽtiùs, & omnia loca præsertim nobiliora filij sui circuibat aliquãdo, sic locũ, vbi cœnã fecerat, & maximũ Sacramentum instituerat, vbi orauerat, & guttas sudoris aduſtas, & rubeas, vt sanguis guttatim in terram cadere videretur, emiserat, vbi captus, & ligatus, derisus, cõspectus, flagellatus, spinis coronatus fuerat, vbi sibi occurrerat, & syncopen passa est, vbi cruci affixus, vbi sepultus, & vbi tandem vltimò omnibus apparuit, & in cœlum ascendit. Vixit autem post passionẽ Domini annis circiter quindecim,

*purissima.

cim, & quindecim ante quàm filius eius naſceretur, quem anno quatuordecimo conceperat, qui ſimul iuncti ſunt anni triginta, & triginta tres cum filio nato, & ſic annos ſexaginta tres in vita mortali ſtetit. Tamen ante quàm naſceretur, geſtando ipſum in vtero, vixit menſes nouem ante, & poſtquam natus eſt, ſecum annis triginta tribus, & circiter tribus menſibus, quantum enim eſt interuallum inter vigintiquinque Decembris, & vigintiquinque Martij, qui fuerunt dies octoginta nouem. Qui tres menſes iuncti illis nouem, conficiunt menſes duodecim; & ita à Conceptione Chriſti, vſque ad paſſionem fluxerunt anni triginta quatuor; eadem die Dominus conceptus eſt, & mortuus; tamen in media nocte conceptus, & meridie mortuus. MARIA itaque quartodecimo anno, & menſe ſeptimo cœpit Chriſtum, cùm eſſet in vtero, & extra vterum exiſtente, vixit annis triginta quatuor, & poſt ipſum vixit annis quatuordecim, & menſibus circiter quinque, qui omnes ſimul iuncti conficiunt annis ſexaginta tres, non tamen complete; pauci enim dies deficiebant, qui non impediunt, quin verè poſſi dici tot annos vixiſſe; ſed quid dico vixiſſe? immò occubuiſſe, tũc enim aſſiduè morebatur, * ex tunc autem viuere cœpit. Ecce, vides vitam mortalem MARIÆ noſtræ Reginæ. Ante quàm ergo à nobis migraret, ego Gabriel attuli ramum palmæ de Paradiſo Dei virentibus folijs in ſignum eius victoriæ, quæ palma ferri debebat ante feretrum eius, & eam tunc ſalutaui; vt gauderet, quia ad infinitum gaudiũ tranſferenda erat, quod & ipſa benè nouerat; ſed illud, quod apud vos legitur, MARIAM interrogaſſe Angelum, vt ſibi ſuum nomen reuelaret, falſum, & fictũ eſt; ipſa enim me cognoſcebat optimè, neque alios Angelos ignorabat. Quod etiam legitur, ipſam rogaſſe, ne in ſuo exitu vllum ſpiritum teterrimum videret, falſum eſt, & derogat tãtæ maieſtati; non enim timebat ipſa ſpiritus immũdos, ſuper quos poteſtatem acceperat, & egredié do magis accipiebat. Illud ex illis tribus ſolũ verum eſt, quòd MARIA, tunc gaudio plena dixit coram, non me rogando, vt rogaré, quia potentior omnibus Angelis erat, ſed ad Chriſtum locuta eſt, Fili mi Ieſu, cuperem, vt adeſſent omnes Apoſtoli tui, qui ſuper ſunt, & anima Iacobi fratris mei nuper ab Herode decollati, vtque videatur ab Apoſtolis, præſertim Ioanne fratre ſuo, hoc rogo adſint & alij diſcipuli, qui ſuperſunt, & non ſolùm adſint Apoſtoli, qui tecum in vita mortali fuerunt, ſed etiam quos Spiritu Sancto, etiam poſt modum elegiſti, & ſegregaſti, Paulus videlicet, & Barnabas, quos docui omnia ſecreta tua. Apoſtoli tempore illo nõ diſceſſerant totaliter à Iudæa, immò ſæpiùs congregabantur in Ieruſalem; nam plures Synodos, ſeu plura Concilia fecerunt in ciuitate illa, & Ioannes ſæpiſsimè ad Genitricem Dei cum Ignatio veniebat, & alij etiam quãdoque viſitabant, Ioannes etiam tũc primus adfuit; qui Ieroſolimis erant, acceſſerunt, qui remotiores erant, Angelis eos ducentibus peruenerũt, itaque vna die, vna hora omnes ſimul ibi adfuerunt, & cognouerunt * Genitricis Domini fœliciſsimum trãſitum. Adfuit autem cum Paulo, Dionyſius, aderat & magna Angelorum multitudo. Petrus, itaque coram omnibus aperiens os ſuam laudes Virginis dicere cœpit, hoc modo.

** morie batur.*

** agnouerunt.*

Scio fratres mei, notum eſſe vobis omnibus, quantæ dignitatis ſit hæc, quam coram cernimus, Virgo, in qua etſi omnes collectæ ſint virtutes, & omnia collecta dona, feruor tamen diuini honoris, & zelus diuinæ veneration is in ea ſuper omnia effulſit; quia etſi vere Deo nihil maius ſit, aut eſſe poſsit; homines tamé ſancti quadam familiaritate Dei aſſueti, ipſum tanquam amicum quendam, & familiarem exiſtimant, & non tanti faciunt, quanti ipſe eſt, ſed hæc quamuis ſemper gratiam Dei habuerit, & Deum ipſum viderit, & ab eo ſuper omnes exaltata fuerit, ſemper tamen quadam ineffabili humilitate ſe quoti die minorem, Deum verò, quò magis ei appropriabat, remotiorem à ſe exiſtimabat, remotiorem dico, quia ſemper ipſum digniorem iudicabat: hæc eſt illa, quæ dum eligeretur in Matrem Dei, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, hæc eſt illa, quæ iam electa in matrem, concepto iam filio, dicebat: *Reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ*, quò ergo magis creſcebat, eò ſe minorem cenſebat; & quò minor erat in oculis ſuis, eò maior corã Deo efficiebatur. Et rectè id egit, quia omne bonum ſibi collatum donum Dei fuit, & nihil habebat, quod non acceperat, omnia in ea ſunt laude digna; ſed omnia mihi vobis fratribus meis me peritioribus, vetera relinquens, non ſunt recenſenda, & quia magiſter noſter Chriſtus dixit: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, & qui plùs ſe humiliauerit, maior erit in regno cœlorum; quia ergo Domina noſtra Dei Genitrice MARIA nemo humilior fuit, iuſtum eſt, vt in regno cœlorũ nemo ſit maior, aut ſublimior ea. Nos igitur fratres chariſsimi humilitaté ſectemur MARIÆ, imitemur quoad poſſumus, veſtigia eius, vt ille, qui eam ſuper omnes ſublimauit, nos quoque tantæ gloriæ, ac ſublimitatis participes efficiat, qui cum Patre ſuo, & Spiritu Sancto viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Luc. 1.

Ibidem.

Matth. 23.

Poſt ipſum Ioannes ita loquutus eſt. Ego (patres, atque fratres mei) quid de tanta maieſtate dicere potero? qui ſicut ætate, ita & ſcientia minor ſum vobis omnibus, ex quo ta-

tamen cum Petro, & Iacobo fratre meo decollato, cuius anima ecce hìc est (& tunc omnes eam viderunt) quæ alia vita, iam viuentè mortalis lingua non decet, Dominus ad fidei suæ splendorem elegit, & vt vos, in quibus modò nulla inuidia est, quia in gratia confirmati estis, & de bono meo, tanquam de bono communi gaudetis, mihi hunc locum dedistis, loquar, & de laudibus huius Virginis non cessabo; est enim omni laude dignissima, & quamuis omnia sunt in ea laude digna, omnia splendida, omnia pulchra, omnia decora, id tamen pro nunc cætera vobis relinquens, in ea commendabo, quòd digna fuit esse Mater Dei Genitrixque Verbi Diuini appellari; pro magno puto seruum Dei appellari, qui enim Deo seruit, regnat; sed plus est amicum Dei nuncupari, plus certè filium; sed hæc omnia nihil sunt respectu huius, quod est Matrem Dei appellari, & esse. Ioseph quidem pater Dei appellatus est, sed non fuit, nisi putatiuè: hæc verò verè Mater Dei est, verùm enim Deum concepit, verum peperit; sed in ipsa conceptione mater est facta, quia nec solum hominem purum, vt aliæ matres, sed Deum carni humanæ vnitum genuit, & primò concepit, quamuis & ipsa conceptio sit generatio, formata carne illa, & omnibus membris distincta, in eodem ictu oculi, & anima creata, & infusa fuit, & diuinitas humanitati vnita: hoc est illa res, quæ homo dicitur, quæ non solùm est anima, aut corpus, sed ex eis est illa res, tu, ò Genitrix Dei nostri hæc, quæ ad fratres meos Apostolos, discipulos, & has sanctas mulieres, quæ hìc sunt loquor meliùs nosti, nosti profectò te filio tuo vnico Domino, & Saluatori nostro, te tam, vt aliæ matres, ministrasse, de qua caro illa pretiosa formaretur, materiam, & omnem operationem habuisse, quam & aliæ matres habent in proles suas, & nosti quòd te operante, & Spiritu Sancto superueniente ante quàm humanitas illa in se staret, à Verbo Dei, filioque eius ante secula à Patre genito, assumpta fuit, vt non in se ipsa, sed in ipso verbo staret, & à verbo sustentaretur. Idcirco verè Dei nostri Genitrix, & non alicuius pueri hominis mater, dici, nominari, & prædicari per totum mundum poteris. Multi mirabuntur quomodo Deus, qui semper est, & ab æterno est, concipi potuit, & non considerant, quomodo vnus homo alterius filius dici possit, & vnus homo ab alio genitus esse. Ratio admirationis erit similis; nam homo per animam est homo, corpus aliquid facit ad esse hominem; sed anima dat completum esse, tamen quia illa anima à Deo creata in eodem ictu oculi, corpori infunditur, in quo corpus à parentibus plasmatur, ideò

A B C D

hominem totum, & non solùm carnem genuisse dicuntur; sic & tu, ò dignissima Dei nostri Genitrix, Spiritu Sancto tibi virtutem tribuente, quam & habebas, sed non vt sola posses, & tecum concurrente, & modum, vt secum talia exercere posses præstante, quia esse carnem, & esse humanum Deo tribuisti, verè Deum concepisti, verè genuisti; quod nomen, & res nominis valde te, ò Domina, & Regina nostra, dignificat. Dignare tu, ò cœlorum, & Angelorum omnium Regina, & Domina, nos, & omnes, qui nos in hac confessione sequuntur, adiuuare, & saluare, & me, quem in filium voce à Cruce delata, accepisti. Et ego virtute Verborum Christi Domini, similiter te ex tunc in meam accepi matrem, non derelinquas, sed me filium tuum indignum, qui seruus magis tuæ maiestatis dici debeo, habeas in omnibus aduersitatibus commendatum, vtque omnes alios hic stantes, & qui sequuntur, pro filijs saltim adoptiuis habeas, rogo, qui tuam credent, & ore confitebuntur maternitatem, ò Mater Dei, ò Mater Dei, ò Mater Dei, conticeo, fileo, dicere non audeo, ò mater mea, quia etsi te iam accepi in meã, timeo tamen dicere meam, quia tunc me ipsum facerem fratrem Domini Iesu Filij tui omnino veri, fatremque ipsius Dei, mater tamen etiam mea es peculiari modo; non tamen illo modo, quo es Mater Filij Dei, neque illo modo, quo es mater omnium hominum, sed quodam medio modo: sum enim filius tuus magis, quàm alij; sed longè minùs, quàm ille, quem cuncti colimus, veneramur, & adoramus.

Accedit post hunc Andreas Apostolus, & laudes Virginis gloriosæ ita decantare cœpit. Pulchra es, & valde decora Genitrix veri Dei nostri; tuamque pulchritudinem Sol, & Luna, & cuncta sydera, immo & omnes virtutes cœlorum admirantur; iustum & rationabile fuit, vt Mater Dei tanta puritate splenderet, & tanta pulchritudine fulgeret, vt sub Dei nostri pulchritudine nulla in terris, aut in cœlis maior cogitari possit; tota enim pulchra es, & nulla macula in te est, nihil in te horridum, nihil tetrum, omnia splédent, omnia rutilant, omnia radiant. Quia ergo Ioannes frater meus, & filius tuus, licèt illi primogenito tuo longè impar, de maternitate tua, tanquam filius multa præclarè attulit, & Petrus nouus ouium Pastor, tanquam omnium nostrum humillimus tuã humilitatẽ, quemadmodũ in te Deo cõplacuit, extulit, ego germanus ipsius, qui decoris nomen gero, de tuo decore, de tua speciositate, & formositate, & pulchritudine aliquid corã his maioribus fratribus meis dicere curabo. Maximè, quia tu sola ita electa es, vt nunquã salus tua, beatitudo tua, fœlicitasque tua

fuerit in dubio, etiam quando Angelis mandata dabantur cum conditione, si eam seruarent, beatitudinem obtinerent, quando totum humanum genus damnatum erat, totum perierat, totum hæreditate priuatum fuerat, tu sola ab vniuersali omnium damnatione præseruata fuisti; electa enim eras in Genitricem Dei, & omnium Reginam; ita, vt si, homo non peccasset, tu inter omnes post filium tuum, prima in regno Dei esses; peccante verò homine, iam remedium, si peccaret, paratum erat, labores, inquam, & dolores IESV Christi Filij tui, & Domini nostri; sicque decreto æterno firmatū erat, vt passio illius super omnes tibi prodesset, quamuis nondum exhibita esset, quæ tantùm valuit, quantùm à Deo accepta fuit; non ergo tu mortua in Adam fuisti, quamuis ratione propaginis tuæ (quia sicut & alij ex vtroque parente nata es) mortua fuisses. Quamuis vterque illorum parentum sanctissimus fuisset, vnica es columba sine felle, vnica, & immaculata remansisti à peccato quocunque; recedere tam longè à peccato nemo potuit: de te Propheta rectè locutus est, *Egredietur virga de radice Iesse*, tota gracilis, recta tota, erecta, non curua, sine nodo, & sine cortice, ò MARIA Dei Genitrix, & Virgo perpetua rectè cecinisti, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: laudabunt, & præconia tuæ puritatis tandem omnes agnoscent; plerique de tua virginitate dubitabunt, & credent te alios filios, quàm Dominum nostrum habuisse. Alij dubitabunt de tua maternitate, & credent te esse matrem vnius hominis, & non prorsus Dei, & si Dei, non tamen veri Dei. Alij veri Dei te putabunt matrem, sed illum non distinguent à suo patre, sed credent patrem eundem esse, qui & filius est; propter quod sæpiùs rogaui, vt talia fieri non sineret Altissimus, & dictum est mihi: sufficit tibi quod tibi datur, noli sapientior esse Deo; sed scio, quòd exclusis de tua puritate alijs opinantibus falsis, vltimò hæc quoque falsitas à tota Ecclesia excludetur, de pulchritudine, & de maximo decore tuo: ò Domina nostra, loqui volens, tetigi tantùm principium pulchritudinis tuæ, quæ nihil aliud est, quam donum Dei, & de tuo ingenti decore, & virtutum omnium tuarum splendore Thomas, Philippus, Iacobus, Matthæus, & hi astantes altiori ingenio altiora dicent, nos omnes peccatores sumus, & fuimus; tuque peccatorum omnium Redemptorem Virgo concepisti, Virgo peperisti, inuiolata semper fuisti, tibi, & filio tuo vnico cõmendatos nos facere velis, vt quia sine peccato semper fuisti, nos, & posteros peccatores tua charitate, & dilectione complecti digneris, mihique, si prolixior fuerim (senes quippe abundantiùs, quando incipiunt, loqui consueuerunt) ignosce Domina, ignosce Regina, ignosce Dei nostri Mater suauissima. Post hunc Simon Apostolus accitus à Simone Petro, vt Verbum proponeret, in hunc modum loqui cœpit: quamuis plurima sint iam dicta de laudibus Reginæ cœli; nihil tamen dignum tanta maiestate; in ea namque omnia pulchra, omnia magna, omnia excelsa. Quemadmodum enim Saluator noster Christus Dominus, *Factus est obediens, vsque ad mortem, mortem autem Crucis*, & Dominus propter obedientiam ipsius: *exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*; nam omnis lingua sibi confitebitur, & *data est ei potestas in cœlo, & in terra*, ita certè quia Genitrix eius MARIA Domina nostra, & ipsa obediens fuit vsque ad mortem, mortem autem Crucis, quam in mente passa est, & cooperata est Cruci Filij tui, ad redemptionem humani generis, nam Simeonis Vaticinium in ipsa fuit impletum, quando dixit sibi, * *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, mortuo filio commortua, & mater est, & quantum potuit, redemptioni nostræ auxiliata est, & martyrij gloriam adepta est, ad vitam hanc, milite lancea latus Domini perforante, reuersa est, vt iterum nobiscum existens, nobis, & toti Ecclesiæ prodesset; sic certè & profuit, vt omnes nouimus, omnesque experti sumus; quia ergo tunc de vehementi dolore mortua est, & Christum Dominum in doloribus suis associauit, nunc non decet, vt vllo dolore afficiatur, sed cum gaudio, & lætitia anima sua à corpore separetur, quia oportet, vt legem pro omnibus statutam, à qua non fuit exceptа (quia non oportebat eam eximi) seruaret publicè, & per se: tunc enim pro nobis, & pro martyrij gloria defuncta est, nunc est solutura debitum commune, & ad tempus breue corpus exanime remanebit, & propter obedientiam factam, quæ omnes virtutes complectitur, exaltabitur super omnes choros Angelorum, & super omnem Potestatem, & Virtutem, de qua re, & ipsi Angeli gaudent, & gratias agunt Deo, quorum plurimi hic nobiscum sunt, præsertim ille magnus Gabriel, vnus de septem, & secundus inter primos septem. Nos itaque, fratres, obedientiæ iugo colla nostra submittamus, vt vestigia Dominæ, & matris eius cum puritate cordis sectantes, vt post Reginam nostram nos serui eius, illuc quò ipsa properat, scandere possimus; quod facile erit, ipsa pro nobis interueniente, cui nos omnes, omneque genus humanum humiliter commendamus.

Post hunc vocatur Thomas Apostolus, vt laudes Virginis ad consolationem astantium com-

Isa. 11. *Luc.* 1. *Philip.* 2. *Ibidem.* *Matth.* 28. * *tibi.* *Luc.* 2.

commemoret. Ita ergo loqui cœpit. Abyſſus abyſſum innocat. Petrus noſter Princeps propter humilitatem exaltatus, de humilitate multa dixit: Ioannes filius de maternitate, Andreas virilis Dei virtutem MARIAM Reginam noſtram ab omni labe preſeruantem proclamauit, & decorus ipſius pulchritudinem ſummam poſt Deum oſtendit. Simon verò iuxta ſui nominis interpretationem, de obedientia, & de cruce, atque morte ex compaſsione, pleraque attulit. Ego quoque alludam nomini meo, abyſſum enim me vocatis; & ideò de abyſſo diuinæ prædeſtinationis, qua genitricem ſuam ſuper omnes elegit, & præelegit, quædam afferam coram vobis. Mirantur homines, & adhuc mirabuntur, cur Deus ipſam MARIAM potius elegit in matrem, & ad tantam beatitudinem præordinauit, quàm quancunque aliã mulierem, aut creaturam; & non cogitant quòd ſi aliam filiam Adæ in Genitricem elegiſſet, eadem admiratio de illa quoque fuiſſet; vnam oportebat eſſe vnius, munus illud erat perfectiſsimum; & anima, & corpore illam, & in naturalibus, atque accidentalibus optimè diſpoſitam eſſe decebat; congruebat quoque, vt quemadmodum homo ille à Deo aſſumptus plenus fuit, & eſt, & erit gratiæ, & veritatis, & eſſet ſuper omnes creaturas, ita poſt ipſum, genitrix ſua ſuperaret omnes in gratia, & beatitudine. Donum maternitatis conſequitur donum beatitudinis, & ſicut ſibi, & filio ſuo vnico Domino noſtro abſolutè voluit beatitudinem, deinde merita, ſiue media, non tamen voluit vtrique tantam beatitudinem, niſi ratione aſſumptionis humanitatis ex tali virgine, voluit ab æterno, & in initio viarum ſuarũ, quia generatio filij à Patre æterna via eſt, qua Deus exiuit à Deo Patre; æterna ab vtroque eſt proceſsio Spiritus Sancti, quam tamen Filius à Patre accepit, & illa quoque proceſsio via æterna ad æternum terminum eſt, æterna eſt cognitio omnium creaturarum, quæcunque via quædam eſt, in tribus enim perſonis, Patre videlicet, Filio, ac Spiritu Sancto; ſimul cognitio exiſtens ad omnes creaturas terminatur, volitio præterea in tribus ipſius vnita exiſtens in initio ad ipſos duos, filium videlicet, & matrem terminata eſt præcipuè, & ſuper alios omnes voluit hominem deificatum, & matrem, in qua humanitas copularetur diuinitati. In initio itaque viarum ſuarum Deus, antequam quidquam faceret, immo facere diſponeret quodammodo loquendi, quia omnia hæc ſunt æterna, tamen quendam ordinem in ſe tenent, voluit humanitatem plenam gratia, plenam beatitudine aſſumere, ita vt ipſam ſic aſſumptam ſimul, & beatam faceret, & Genitrici ſuæ maximam poſt ipſum gratiam

A præſtaret: ò MARIA quàm fœlix es, quàm fortunata! quæ ab initio, & ante ſecula, & in initio viarum Dei ab ipſo electa fuiſti, & Adæ peccato præuiſo, non fuiſti cum alijs omnibus condemnata; ſed voluit, vt merita filij tui tibi ſuper omnes prodeſſent, teque pro minimo momento noluit inimicam, ſed ſemper amicam chariſsimam; alios omnes beatos cum conditione facere voluit, ſi videlicet mandata ſeruarent; verum eſt tamen quòd & alios plures ante quàm quidquam boni, vel mali egiſſent, elegit, & vocauit, & ſanctificauit, ſed cur nõ omnes ita ſanctificauerit, hoc eſt, altitudo, profunditas, & abyſſus ſcientiæ, & ſapientiæ Dei enim aliquos,
B ita prædeſtinauit, & omnino ſanctificauit, vt nullo modo damnare vellet, & aliquos reliquit in manu cõſilij ſui, vſque ad extremum vitæ diem, & quales eos ibi vidit, tales ab æterno in æternum iudicauit: nullus tamen eſt ex filijs Adam, quem aliquando non habuerit pro inimico, præter te ò MARIA, nullum punit, niſi peccatis præcedentibus, multos primò ipſe dignos facit, nulli debitor eſt; punire etiam nullo crimine præcedente poſſet, ſed nunquam ſine crimine proprio creaturæ, eam punit, neque propter peccatum Adæ ſolum, quemcunque vllo ſupplicio, aut pœna in alia vita afficit, aut dolore, ſeu quauis triſtitia plectit, ſed ſolùm
C beatitudine ſupernaturali priuat, ſic tamen quòd, etſi tales habeant damnum, nunquam tamen triſtantur de tali damno, ſed ſunt ſua ſorte contenti, ignorantes talem priuationem eis accidiſſe, magnus es Deus noſter, *Et iudicia tua abyſſus multa*, te adiuuante, *Pſa 35.* te patrocinium offerente, ò MARIA, plurimi ſaluabuntur; obſtinati in malo, & in peccatis damnabuntur, quarum ideò pœna æterna, quia & vita ſempiterna. De hoc abyſſo plurima dicere poſſem, quia verè abyſſus abyſſum, & difficultas inuocat difficultatem; ſed ſatis eſt dixiſſe de præcipua, & prima alijs omnibus creaturis, electione MARIÆ dominæ noſtræ, & de bonitate Dei,
D quod tamen tanquam magnum bonum contulit creaturæ, ſua voluntate, ſua bonitate, nihil inde ſperans accipere, quia bonorum noſtrorum non indiget *: eſt enim ſibi in ſe * *eget.* ipſo bonum ſufficientiſsimum; ſatis etiam eſt oſtendiſſe, quòd nulli iniuriam facit, quia & nulli debitor eſt, & nullum affligit æternaliter propter peccatum alterius, & vnum quemque beatificare quantum in ipſo eſt, nõ poſtponit, & quòd ſolum obſtinati in peccatis damnentur; ſperandum igitur eſt in Deo, & omnia noſtra ſibi committẽda; quod tu, ò Dei Genitrix MARIA, nos facere docuiſti, noſque igitur adiuuabis, tuoque filio commendabis, vt & nos poſt te in odorem vnguentorum ipſius currere poſsimus.

Poſt

Postmodũ vocatur Philippus, vt ipse quo- A que ea, quæ sibi videntur, aperiret. Sic igitur exorsus est. Equos, quibus sol iste corporeus inter corpora pretiosissimus vehitur, multos esse Græci fingentes, nomina tradunt, & veritas ex multis eorum vanitatibus colligenda est; non enim sequimur indoctas fabulas, sed veritatem quantum possumus, complectimur. Sol est Christus Dominus noster: ecce hic stellam, ex qua Sol prodiit, videtis MARIAM & tamen; & ipsa sol est non cessans moueri, sed semper proficiens, & nunquam deficiens, neque sibi, neque aliis, amorem in altari cordis sui, tanquam ignem indeficientem iugiter portans. Sol est non solũ ipsa Regina nostra, quæ nobis solem protulit, B sed omnis anima superna quærens beatitudinem, & Deum suum ex toto corde suo diligens, & proximum sicut se ipsum. Sol habet equos, quibus vehitur, qui nihil aliud sunt, quàm virtutes infusæ, & acquisitæ, supernaturales primùm, deinde naturales, intellectuales, & illę, quæ in appetitu consistũt. Primus validissimus, & fortissimus equus est charitas, quæ mouetur in dilectionẽ Dei, & proximi, ac nostri in ipso Deo, respicit solum Deum in se, & cuncta alia in ipsum refert; non cupit aliquid sibi, sed omnia cupit Deo; non præstolatur retributionẽ, non munera, sed summo bono summè afficitur. Alius equus est spes ipsa, qua cupimus Deum C nobis, volumus eum tanquam bonum nostrũ. Tertius equus est fortior secundo, debilior primo, fides, qua credimus, quę est substãtia, & fundamentum huius Ecclesiæ, cui præest Petrus Christi Domini locum tenens, cui succedent perpetuò pastores, & Vicarij Christi, non in hac ciuitate, sed alia, quam suo martyrio cõsecrabit, vbi nunc homines regnant, ibi agnus regnabit; deficere videbitur, sed vires perpetuas assumet, & conseruabit. Multi alij sunt equi in mente hominum; inter alios prudentia, quæ est virtutum moralium regula, vt iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ; sub quibus reliquæ virtutes collocantur, & vnaquęque homini equus quidam est, D currendi ad brauium cœleste, suscipiendum præbens vires, horum equorum amator, vir bonus, & Deo charus est; qui ipsis vehitur, cadere non poterit, quadratæ figuræ manens stabilis perpetuò firmusque manebit. Mundi huius rectores equos habent, in quibus confidunt, animalia bruta, irrationabilia. Nos his vtamur equis, his vehamur, his conducamur, & perire nullatenus poterimus. Videte fratres mei Apostoli, suscipite discipuli Domini, considerate & sanctæ mulieres charissimæ Reginam nostram, quàm potentissimam, quàm fortissimam; omnes ei insunt virtutes perfectæ, & loco imperfectarum successerunt virtutes perfectissimæ. Non amplius sperat, sed tenet; non desiderat, sed amat; non expectat, sed habet; non credit, sed videt, videndo tener, & fruitur, fruendo gaudet, & lætatur *in Deo salutari suo*, in quo & nos gaudebimus; modicùm tamen priùs oportebit contristari, sed hæc tristitia in summum gaudiũ vertetur, quando post tenebras deducemur ad lucem inaccessibilem, humanis viribus receptibilem; tamen Deo volente à nostris mentibus, quod facilè meritis, & precibus Reginæ nostræ assequemur, cuius gratia, & nomen diffunditur in omnes Gentes. *Lucæ 1.*

Post hunc vocatur Iacobus minor, & huiusmodi verba proponit. Supplantari ab inimicis nostris fauore prædictæ MARIÆ Dei nostri, & Magistri Genitricis non poterimus; ipsa enim contriuit caput venenosi serpentis, ipsa vicit mundum, victoria cuius talis fuit, quòd cunctas hæreses interemit; hęc enim mons ille, de quo *abscissus est lapis sine manibus*, qui repleuit sua magnitudine totã terram, qui citò prædicabitur in toto orbe; sed bestia insurget, cuius vox implebit terrã, & durabit quousque adimpleatur voluntas Altissimi, & iterum emerget, quasi subuersa fides, & regnabit Agnus in toto orbe terrarum, quod fiet precibus, & assiduis intercessionibus huius gloriosæ Virginis, quam prono vertice omnes veneramur. Supplantauit, & vicit diabolum, vicit Luciferum, Principẽ huius mundi eiecit foras. Iterum continuè eijcietur, & illo tempore perfectè eijcietur: quo parentes nostros ex paradiso voluptatis eiecit; qui tunc eos supplantauit à filijs ipsorum supplantabitur, sed precipuè ab hac filia sancta, & immaculata, perfecta, & omni veritate, sanctitate, & sinceritate plena, in qua sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Accidit Lucifero, vt sicut per arborem Euam supplantauit, & per Euam Adam, ita & ipse per arborem, seu lignũ Crucis Christi, quod exteriùs erat, & per lignũ Crucis MARIÆ, quod interiùs gerebat, fuit supplãtatus, & qui matrẽ superauit, & supplãtauit, vicit, & à filia eius superaretur, supplãtaretur, & vinceretur. *Multæ* certè, *& aliæ filiæ cõgregauerũt sibi diuitias*, sed MARIA *super gressa est vniuersas*. Hæc est illa mulier fortis, de qua scriptum est: *Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretium eius*. O fortissima mulierum! ò sanctissima omnium creaturarum! ò constantissima omnium hominum! fac nos quoque veros inimicorum nostrorum supplantatores, veros rectores, veros superatores, vt vincamus Diabolum, superemus mundũ, & vincamus proprios contra rationem insurgentes appetitus: ecce in cõtinuo prælio sumus; hostes nos nunquam deserunt; inimici nostri intra nos sunt; si prælium non esset, neque victoria esset; bonum est prælium, quando illud *Pro. 31.* *Ibidem.*

sud consequitur victoria; bonum est malum, quod vertitur in bonum; bonus est dolor, cui succedit gaudium; bona infirmitas, quã perpetua consequitur sanitas; diligentibus autem Deum omnia in bonum conuertuntur; ex omnibus tam bonis, quàm malis bonum erit bonis, & sicut mundis omnia sunt munda, ita & bonis omnia bona: exteriora quidem bona in bonum corporis, bona corporis in bona animæ diriguntur, & illa in summam beatitudinem, & ipsum Deum, certamen itaque, & prælium, & assidua militia data est homini in vita ista, vt ex ea boni velut aurũ in fornace probentur, * vt stipulæ ferrum, & palea, & lignum comburantur, & diligentes Deum, tanquam Sol fulgeant, & tanquam lapides pretiosi rutilent: tu ergo, ò Mater Dei, & Domina nostra, succurre, opem fer, præsidio esto: *Esto nobis turris fortitudinis à facie inimici*, vt ipsum supplantare, & procul à nobis pellere, & Deo nostro cumulatioribus meritis adhærere possimus. Vocatur post ipsum Matthæus Apostolus, & Euangelista, cuius sermo talis fuit. Dono Christi Domini, ò Regina Angelorum, & hominum, cum festinatione vocatus fui, cùm Publicanus essem, & negotijs, atque curis huius seculi vitæ implicitus, donatoremque cõsilij Euangelici secutus sum, qui me deinde Apostolum elegit, & Euangelistam; genti meæ mea lingua scripsi, & prædicaui; sed ipsi dura ceruice, vt soliti sunt, renuerunt me, & Euangelium sacrum, vt tu, ò Domina nosti, & hi fratres mei maiores non ignorant; transiuimus, & iterum transibimus ad Gentes, annuntiare immensa dona à donatore omnium, tibi ò MARIA, collata: Euam legimus, & audiuimus de costa Adæ plasmatam, nobilissimam, & delicatissimam, complexioniscque optimæ fuisse, & ipsi viro, de quo sumpta erat, simillimæ; sed te nobiliorem, & meliorem, in cunctis membris, humoribus, & corporis partibus in vtero fœliciss imæ Annæ incomparabiliter plasmauit, & in omnibus corpori filij tui, quod per donum Spiritus Sancti, te quoque adiuuante, vt matre, optimum, & perfectissimum plasmatum est, simillimam reddidit; ipse est *Speciosus forma præ filijs hominum*; tu similiter post ipsum, & valde parum distans ab ipso, pulcherrima mulierum es, & super omnes pulchra, & decora. Congruum quippe erat, vt mater gratiæ, veritatis, & misericordiæ, Genitrixque Dei dignioris complexionis esset, quàm mater carnalis omnium viuentium; iustum certè erat, vt illa dignior esset etiam in corpore omnibus alijs, ex cuius purissimo sanguineo humore, plasmandum erat dignissimum corpus Redemptoris omnium, annuntiauimus & animæ tuæ, ò MARIA præclarissimas

* *forte mali verò.*

Psa. 61

Psa. 44.

virtutes; nulla tibi scientia, nulla cognitio deest, tu nosti, & æterna, & temporalia; mortalia, & immortalia; corporea, & incorporea; quę sunt extra nos, & quæ in nobis; quæ Deus, quæ natura, quæ intellectus fabricauit, nihil te latet, nihil fugit, nihil abscondit Deus, qui se ipsum tibi apertè ostendit; & postquam Christo commortua fuisti in carne adhuc mortali: beatam vitam duxisti, sicut & ducis; beata es, beatitudinem mors ista breuis tibi subripere non poterit; resuscitata citò corpus glorioſum in sempiternũ habebis; omnes tibi insunt virtutes, quamuis non credas, neque speres; quia vides, & possides, niue candoris es, ò MARIA immaculata, scirpus es, nodo carens; pœnas corporis ob peccatum primi parentis in posteritatem deriuatas pro parte & tu, tãquam carne corruptibili obtenta, sustulisti; pœnas animæ, quæ obsunt, & non prosunt, non habuisti; non ergo alicui ignorantiæ subiecta fuisti; ingenio, & industria, virtute, & bonitate semper viguisti, semper integra fuisti; magna sunt dona tua; ingentia munera tua, quæ lingua humana exprimi non possunt, mente cogitari, vel apprehendi vix possunt; neque mirum, nam Spiritus Sanctus, qui est æternum donum, te sanctificauit, præseruauit, purgauit, illuminauit, & singularibus priuilegijs decorauit; ista dona non statim omnibus manifestabuntur, * sed in varijs temporibus, prout donator magni consilij ordinauit, nunc hæc, nunc illa, reuelabuntur, & tandem postquam venerit dissensio, * quæ per multa secula durabit, & tandem consumabitur, & disiuncti coniungentur: miserebitur Dominus populo suo, & mittet nouum agnum, qui docebit secreta fidei omnes gentes; tua dona vniuersa narrabit, conscribet, & annuntiabit; multiplicabuntur solemnitates tuæ, augebuntur festa tua, & declarabitur martyrium tuum, & compassio tua, & dolores tui, & mors tua occulta, quãdo mortua fuisti simul cum Christo, de quibus tunc mirabuntur secula illa, tanquam de ignotis, & quæ in opinione hominum non fuerunt, vsque ad tempora illa fœlicia. Hæc autem omnia Filius tuus Iesus Christus Dominus noster faciet intercessionibus tuis, & meritis tuis, quæ vt pro nobis quoque, maximè pro me peccatore, & Publicano, ò aduocata peccatorum, depreceris: cuncti hic adstãtes rogamus, & ego pro me supplex, & flexis genibus oro * Matthæo cum magna gratia omnium, explente dicta superiora.

* *propã labũtur*

* *discessio quæ.*

* *rogo.*

Vocatur Bartholomeus Apostolus, sicque loqui cœpit: filius suspendentis aquas vocor, ego coram illis loquor, qui meliùs me quæ loquor, nouerunt: ecce Dei Genitricem Deum assiduè iam videntem; postquam commortua fuit, ante oculos nostros aspicimus,

in

in quo viso, videt omnia, etiam nos ipsos, A quos oculis præsentes cernit, non solùm agnoscit quæ dicturus sum, sed mentem ipsam, & cognitionem meam videt, immò ante quàm cogitarem cogitaturum, sic omnino, sic vt cogito, me præuidit: nouit etiam omnia præterita, & futura; de præsentibus nihil dico, quia illud manifestius est. Quæ sunt aquæ suspensę? illæ sunt, quæ super cœlos sunt, quæ super firmamentum sunt, non sub cœlo, quis eas suspendit, nisi qui diuisit aquas ab aquis? quis est ille? Deus est, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui etiam Spiritus Sanctus ferebatur super aquas, ex quibus factæ sunt hæ, & illæ aquæ, illę * quidem specialiter ferebatur, quia diuina voluntas vna in tribus ferebatur. Volebat enim ex aquis illis producere omnia corpora, præter primum corpus, quod cœlum empyreum vocabitur; illud enim solùm simplex est, cętera composita; nam & ipsa elementa composita corpora sunt, quamuis simplicia respectu mixtorum dicantur: Non sum tamen eo modo filius suspendentis, & conseruantis aquas illas, sicut apud nos dicuntur filij natura, hę aquæ per similitudinem quandam dictæ sunt aquæ; sunt enim lucidæ, & fluidæ, non quia fluunt, sed quia cum summa, & indicibili mouentur velocitate, & secum trahunt inferiora corpora; sicut aqua currens trahit secum reliqua corpora in ipsa posita, non tamen cœlum illud aqueum vi trahit alios cœlos, sed Angelus mouens illud, mouet simul omnes cœlos inferiores, quos alij Angeli singuli, videlicet singulos circulos cœlorũ in oppositũ, vel alio motu mouent; habet cœlum illud pleraque similia aquis, idcirco aqua vocatum est, non ergo natura, sed gratia adoptionis filius aquas ab aquis diuidentis, vocat⁹ sum, sed omnes nos eo modo filios illius aquas suspendentis esse censeo; sed mihi vni nomen illud, quo me indignum puto, inter hìc existentes impositum est; aquæ denique multæ populi multi, quos suspensos tenet Deus, ne cadant. Si namque ipse non conseruaret creaturas suas, deciderent subitô, & in nihilum omnino reuerterentur, non in puluerem, aut in cinerem, sed nullo modo esse haberent, nihil omnino essent sicut erãt antequã quidquã factum fuisset. Populi sunt aquæ ob sui volubilitatem, & frigiditatem, immò creatura omnis ex se frigida est, quod est in animalibus signum mortis, & interitus; ex se non habet esse neque vnquam illud haberet, nisi datum sibi esset, & postquam illud habuit, stare non posset, ruinam semper minaretur, * & casum; nisi Deus conseruaret, & suspensam teneret, quòd etiam ipsis Angelis, & virtutibus cœlestibus quotidie, & assiduè accideret. Quando Deus non suspendit, non conseruat, res decidit, vel tota, vel secundùm partem.

* Ipse.

* Minatur.

prout non conseruat, Deus radius solis, & omnis creatura. Aquæ, dicuntur tribulationes, & anxietates iuxta illud: *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Has Deus suspẽdit, quia tolerabiles reddit, quia diminuit, quia omnino tollit, nam & inimicorum suorum pęnas, & damnatorum tormenta, quamuis æterna sua misericordia suspendit, & leuius, quàm merentur punit, è quibus aliquos iam eruit, nonnullos eripiet, excipiendo eos à generali sententia, & omnes quidem eripere posset, sed lex extat sua, tamen decretum suum, non alicuius ipso superioris positum, vt post iudicium illi in supplicium æternum: iusti verò eant in vitam æternam, B quam Dominum nostrum, tuum verò, MARIA, primogenitum, & vnicum filium nobis quoque, qui reliquimus omnia, & secuti sumus ipsum, nobis daturum speramus. Placuit & hic sermo, sicut & reliqui omnibus adstantibus.

Ps. 123

Vocatur Thadæus, qui facta pro more reuerentia Petro tamquam Vicario, & MARIÆ, quæ ratione corporis nondum glorificati in via erat, & ea ratione ouis Petri dici poterat, & ita loquitur. Principium omnium creaturarum Christum Dominum; omnia enim per ipsum facta sunt, & nulla res facta est sine ipso: *Appræhendi, tenui eum, nec dimittam.* Confessus sum, laudaui, & glorificaui, corde quasi apprehendi; quia voluntate, quæ cordis nomine accipitur, & amore prosecutus sum; sicuti enim à corde tanquam à principio, & fonte vitæ progreditur vita ad reliquos corporis arctus, ad alia membra, & ad alias partes, sic à voluntate bonum, & malum omnium aliarum potentiarum, quæ laude, aut vituperio dignæ sunt, profluũt; prima laus, primum vituperium voluntas est aliarũ potentiarum, solùm, in quantum iussu bonę * vel malę voluntatis exercentur; ipsius est fugere, & prosequi; ipsius nolle, & velle; & nihil fugit, nisi quia aliquid diligit. Diligit autem ob aliud; diligit etiam non propter aliud, sed quia res talis ex sui natura est, vel D ex eius beneplacito propter se diligitur; dilectio est primum bonum opus, ipsa similiter est primum prauum opus; respuere, & nolle, sicut non est primũ opus, ita neque primum bonum, aut primum malum opus, dilectio quoque ob aliud, præsupponit dilectionem propter se; primum ergo bonum opus est dilectio propter se, & primum malum dilectio propter se; si Deum diligamus propter ipsum, optima, & perfectissima ex sui natura dilectio bona est; si aliud ab eo propter se, in ipsum non referendo, diligatur, dilectio praua, & mala est; si denique Deus propter creaturam diligatur, ita quòd creatura sit finis, & Deus ad finem, in creatura sistendo, pessima opera-

Cant. 3.

* Bona mala.

operatio, peſsima vbique dilectio Deum ob aliud diligere, in illo alio ſiſtendo. Dico autem (ſapientiùs, & perfectiùs me omnia cognoſcentibus loquor) ſiſtendo in illo alio; nam ſi quis diligeret Deum propter retributionem, & tanquam bonum ſui ipſius, hoc eſt diligentis, neque tamen ibi figeret dilectionem, ſed vlteriùs tenderet dilectione in Deum, ita vt ſi nulla retributio eſſet, nullumque præmium ſequeretur, adhuc diligeret ipſum, tanquam bonum immenſum, dignum prima, & digniſsima dilectione, talis dilectio Dei, tanquam boni proprij bona eſſet: vnde præter fidem ſunt in nobis aliæ duæ virtutes à Deo nobis datæ, ſpes, qua diligimus Deum, tanquam bonum noſtrum; & charitas, qua diligimus eum in ſe ipſo, & propter ſeipſum; charitas eſt donum hominibus conceſſum, & à Deo infuſum, quo nullum dignius; per hoc enim præcipuè Deus, charitas increata, & Spiritus Sanctus, cui charitas præcipuè attribuitur, habitat in cordibus noſtris, per hanc templum Dei ſumus; per hanc Deo grati, & accepti reddimur; per hanc opera noſtra grata, & accepta ſunt Deo, quidquid enim ſuo inſtinctu fit, illud Deus præmio æterno iudicat, nulla actio noſtra digna eſt vita æterna, niſi voluntaria fuerit, & ab ipſa charitate infuſa eliciatur, & à Deo tanquam digna vita æterna acceptetur; ipſe verò Deus ab æterno decreuit omnem talem actionem pro tanto acceptaturum, quantùm ergo acceptat, tantùm ipſa operatio valet, & tantùm operanti confert præmium, quantùm operationem ipſius acceptauit, non plus, aut minus. Verum quidem eſt, quòd Altiſsimus Deus maius nobis præmium confert, quàm ipſa operatio à voluntate, & gratia, ſeu charitate emanans ex ſui natura mereretur, ſed non maius, quã acceptauerit, neque voluntas, neque charitas, ſeu gratia compellunt Deum, opera noſtra ad vitam æternam acceptare, ſed ipſa ſua clementia talia opera eo modo facta, ſeu elicita ſemper ſic, & pro tanto acceptare diſpoſuit, & ſicut diſpoſuit voluntariè, ita & acceptat voluntariè; hæc virtus ſola nullum crimen compatitur; hæc dum quis ſanctificatur, dum iuſtificatur, infunditur, hæc quotiens quis contra legem Dei voluntariè præuaricatur, aufertur: quotiens in Deũ redijs, ſibi redditur, hæc, vt bona opera reuiuiſcant, facit, hac virtute ſupra alias Regina noſtra, & Angelorum pollet, hæc à Deo eſt, & Deus eſt, cæteræ quidem à Deo ſunt, non Deus, hæc verò Deus eſt, & à Deo, Angelis, & hominibus conceditur, nulla alia virtus digna facit præmio æterno opera ſua, actioneſque ſuas; hæc ſola & ex ipſa profluentem operationem, & ex alijs virtutibus emanantes facit præmio ſuperno dignas; hæc verò non vlla naturę neceſsitate, ſed benigniſsima Dei noſtri pietate, hanc vt nobis adaugeat Deus, cuius culmen poſt filium tupoſſides. O MARIA Domina mea, & ſoror matris meæ, tu enim ex Anna, Simon, Iacobus, Ioſeph iuſtus, & ego ex Maria Cleophe, fratris Annæ fœliciſsimè ſterilis, orti ſumus, tu rogabis, tu imperabis, vt omnes *curramus poſt te in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 4.

Vocatur Matthias Apoſtolus, cuius verba hæc fuerunt. Donatus Domino, dona ipſius in Genitrice Domini Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti laudare, & commendare teneor; ſed ex vna parte cogito, quòd ſuper ea quæ Vicarius Chriſti Petrus noſter nouus Paſtor de humilitate humiliter attulit, Ioãnes de maternitatis dignitate, alijque fratres mei de alijs innumeris, vt Andreas primò vocatus à Domino, vt Simon, cum Iacobo, & Thadæo fratribus Domini, vt Thomas, etſi non natiuitate, tamen ſimilitudine geminus Saluatoris, & Philippus ille omnium amator virtutum, Matthæus mihi nomine pœne ſimilis, officio maior, & Bartholomeus animo, & ſanguine admirãdus, quid ſupra, ego vltimus duodecim Apoſtolorum, qui non fui à Domino in Apoſtolatum electus, ſed loco illius, qui cecidit ab Apoſtolatu, & cuius Epiſcopatum, ego, vobis ſortes ad Domini voluntatem mittentibus, accepi, dicere potero, aut audebo? verùm quia à Domini voluntate, & dono Domini aſſumptus fui in Apoſtolatum, cuius officium etiã exercere cœpi, audebo & ego dona Genitricis Dei noſtri, quam omnes veneramur, vt Dominam, & Reginam noſtram, ore licèt indigno comendare, & laudare; laudes enim eius, honores diuini * ſunt, nihil namque habet, quod non accepit; & profectò ita eſt, quia ex ſe nihil prorſus habet; eam itaque laudando, diuina dona, diuinas gratias, munera, ſponte à ſuperno largitore conceſſa magnificamus, * neque credo fas eſſe vllam creaturam extollere, ſi illa nihil boni ex ſe habet, ſed in ipſa creatura extollenda eſt clementia Dei, magnificanda ſunt munera Dei. Immo dico vobis (ſcientibus enim diuina myſteria loquor) nullus maiori laude dignus videtur homine illo à diuinitate aſſumpto, & poſt illum nullus maiori commendatione dignus, ac ipſius Domini noſtri Genitrice MARIA; ille enim abſque vllis meritis præcedentibus, & diuinitati hipoſtaticè vnitus, & beatitudine ſumma, & qua maior creari nequit, affectus fuit, ipſo nihil agente, ipſo nihil cooperante Deus factus eſt; plenitudinem omnium gratiarum, omnium donorum, omnium virtutum, ac ipſius beatitudinis accepit; alij autem Angeli, Sancti, & beati, & ipſi cooperati ſunt, probati ſunt, tentati ſunt, potuerunt tranſgredi, non erãt con-

* *Domini.*

* *magnificabimus.*

confirmari, vt peccare nequirent, Virgo quoque quibus meritis præcedentibus, quibus operibus præuenientibus à peccato omni tunc preseruata fuit? nullis inquam. Antequàm esset, non solùm ipsa, sed cœlum, & terram, & ipsa natura Angelica, iam electa erat, iam si alij caderent in vno patre, prouisum fuit remedium alios releuandi, ipsam verò omnino dono Dei, & remedio passionis
* *Filij.* * sui præseruandi, & ordinatum fuit, vt dono Dei, & diuina acceptatione passio præuisa plus sibi proficeret, quàm alijs exhibita. Quibus meritis in peccato non fuit concepta, omni gratia, & omni scientia, & arte fuit impleta, nullum donum creaturæ conueniens fuit sibi denegatum. In ipsius ergo laudibus potiùs videtur magnificari Deus, quàm in aliorum laudibus; nam in ea solus Deus magnificatur; non enim in eo, quod recipimus propriè laudamur, sed in eo, quod agimus, & operamur; Enim verò non est dubitandum, MARIAM Dominam nostram cooperatam fuisse talibus donis, sicut & alij suis donis cooperati fuerunt, sic & filius eius, vt homo; sed præuenti fuerunt dono Dei, & data fuerunt eis talia dona sine vllis operibus, sine vllis petitionibus, sine vllis motibus, & desiderijs præcedentibus: Adeque cooperati fuissent, si præuenti non extitissent; non itaque minori commendatione digni sunt, qui maiora dona sine vlla cooperatione, sine nullo actu voluntatis præuio perceperunt, dummodo si præuenti non fuissent, cooperati fuissent. Voluit autem Deus aliquos ita extollere, ita exaltare, ita sublimare, vt nil in eis prorsus, nisi gratia, nisi clementia, nisi misericordia Dei reluceret. Laudemus, immò magnificemus, immò glorificemus Dominũ Deũ nostrũ in omnibus vijs, in omnibus operationibus, in omnib⁹ donis, in omnibus muneribus suæ Genitrici datis, exhibitis, & spõte concessis, vtq; nostra in nobis dona conseruet, augeatque ipsius meritis, & precibus, supplices deprecemur.

Expletis laudibus iam tibi recitatis, Petrus Apostolus dixit: Congregatis nobis coram Genitrice Domini nostri, viri fratres, notum est iam vobis, qualiter excluso impio Iuda à societate nostra, loco ipsius annumerauimus nobis hunc, qui vltimò nunc locutus est, Matthiam, deinde Spiritu Sancto mandante electi fuerunt in Apostolatum Paulus hìc existens, & Barnabas, qui valde vtiles extiterunt fidei nostræ, & Ecclesiæ, & verè hic Paulus à Christo Domino vas electionis nominatus est, hìc sumus coram Regina, & Domina nostra. Iustum, & congruum existimo, vt ei tribuatur locus inter nos, & dignus locus; nam ipse scientia, atque eloquentia dignus, & excelsus est, & gratia Dei est in ipso, & abundans donũ Spiritus Sancti. Nunc ergo⁹ considerate, quem locum inter nos meretur, & ille sibi detur sententia communi omnium vestrum, vt sicut à Domino est electus, etiam à nobis non sit neglectus. Tunc Andræas Apostolus ait. Dominus noster nos instruxit, dicens: *Qui maior est inter vos, erit minister vester*; Quia dignitas, & præsidentia nostra ministerũ est, & seruitus. Nos vndecim iterum sumus, Iacobus enim Herodis gladio decollatus est, cuius anima hìc, vt vidistis, adest. Paulus erit vn⁹ de duodecim, & mihi non videtur, vt alicuius nostrorum locum accipiat, sed illius, qui ad patres suos appositus est; tribuatur sibi locus Iacobi fratris Ioannis, vt sicut Dominus Petrum, & Iacobum, & Ioannem intimiores habebat, ita post Petrum Vicarium, Paulus, & Ioannes digniores inter nos existant, & priores sint in proponendo, respondendo, & decidendo. Hoc mihi videtur, si Reginæ nostræ non displicet, & hi * fratres mei sint contenti. Virgo Mater commendauit Andreæ Apostoli sententiam, quæ omnibus summopere placuit. Vocauit ergo Petrus (licentia à Matre Dei accepta) Paulum ad se, & eum cum Ioanne iuxta se sedere iussit. Placuit namque vnanimiter omnibus sententia, & iudicium Beati Apostoli Andreæ, Barnabas verò adiunctus est, vt esset post Matthiam tertius decimus Apostolus, Lucas post illum, & Marcus: *Quorum laus est in Euangelio.* Quo facto dixit Petrus: Paule frater Apostole dignissime, tu quoq; aliquid ad propositum pertinens gratia Dei docente, dices, deinde Barnabas, Lucas, & Marcus dicent, & ipsi vnusquisque secundùm gratiam à Domino sibi datam. Paulus itaque, ita verba sua in medio fratrum proposuit.

* *si.*

2. Cor. 8

Nunquam ego, Genitrix Dei nostri inclita, & tu Petre, cui claues Regni cœlorum specialiter datæ sunt, vosque Apostoli dignissimi Domini nostri Iesu Christi in hunc locũ * conscendissem, nisi me verba Andreæ, constantissimi, & sapientissimi Apostoli, immò verba ipsius sapientiæ Christi Domini mouissent, dicentis: *Qui maior est vestrum, erit minor, & minister vester*, Non enim inter nos debet esse prout in curis, & domibus regum huius seculi; maiorem, itaque me faciendo, minorem me feciſtis; innitar ergo tantò humilior esse in omnibus, quantò me maiorem feciſtis; quia hæc maioritas seruitus est Iesu Christi. Ille vtique maior est, qui Deo se magis humiliat; ille dignior est, qui se indigniorem putat; ille sanctior, qui se iniustiorem credit, cuius exemplum ecce coram nobis habemus, Virginem humillimam, cuius humilitatem supra omnia alia respexit Deus; quamuis enim ipsa sit decora mente, & corpore, & nulla virtus sibi deficiat; tamen altissimus: *Qui in excelsis habitat,*

* *Forti non.*

Mat. 23

Luc. 22.

Ps. 112

tat, humilia respicit in cœlo, & in terra, humilitatem eius respexisse dicitur; superbum Luciferum de cœlis ad ima detrusit, & MARIAM humillimam super omnes choros Angelorum sublimauit, de cuius ingenti gloria, & inenarrabili gaudio, in sempiternum duraturo, & de cœlestis curiæ dispositione, tanquam ille, qui raptus fui, vsque ad tertiũ cœlum, quædam coram vobis ego minimus Apostolorum dicam; cœli, ad quos MARIA nunc properat, vt oculus mentis meæ clarè conspexit, septem sunt, quorum vnumquodque vnam lucem tantùm gerit. Primum quidem Lunam. Secundum Mercurium. Tertium Venerem. Quartum Solem. Quintum Martem. Sextum Iouem. Septimum Saturnum; deinde est octauum cœlum, in quo sunt omnes aliæ stellæ, quas videmus, & plurimæ sunt, quas videre non possumus; omnes tamen sunt in cœlo illo, in quo etiam sunt duodecim signa Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornius, Aquarius, Pisces; super illud est nonum cœlum, in quo nulla stella est, sed ipsum motu diurno iugiter mouetur, cuius motus vnicus, & velocissimus est, & miro modo secum ducit omnes cœlos inferiores. Qui cœli etiam alio modo mouentur, & motu contrario: nam etsi velocissimè moueantur ab Oriente in Occidentem; tamen mixtim, & cum mirabili proportione mouentur tardiùs ab Occidente in Oriẽtem; in quolibet enim minuto, vel momento magna portio cœli inferioris ab Oriente in Occidentem fluit, & fluendo illa magna portione, parua, & penè imperceptibilis portio eiusdem reuertitur, quam reuersionem Luna citissimè consumit, Mercurius, Venus, atque Sol penè in tempore æquali; cursus autem Solis sub circulo Zodiaco notus est omnibus. Mars in sex annis, Iupiter in tredecim, Saturnus in triginta; Cœlũ stellatum in centum annis; gradu vno super omnes istos cœlos mobiles, est cœlum immobile, in quo tanquam in loco omnia mouentur; locus autem ipse manet immobilis, vnde omne aliud continens, vt contentum continet, & prout ratione illius continet, immobiliter contenti, * vt omnes de loco tractantes ipsum immobilem dixerunt, & verum est; quia etsi immediatè continens, vt aqua, vel aër fluat, non tamen continens vltimum fluit; ratione cuius firmitatis, & immobilitatis, locus dicitur immobilis, & res nunc existens in vno continente proximo, nunc in alio, non dicitur locum mutare, quia ad primum continens eundem respectum habet; si illud cœlum non esset, nihil prope locum haberet, illud autem cœlum est mira arte confectum, vt non solùm spiritibus, sed etiam corporibus humanis sit habi-

A taculum aptissimum, & gratissimum; ibi prima post Deum erit anima Christi Domini Filij tui, ò MARIA, suauissimi, quæ ab ipsa Trinitate purgatur, illuminatur, & perficitur, tu verò ab illa purgaberis, illuminaberis, & perficieris: Michael à te, à Michaele Gabriel, & ita vlteriùs, iuxta quod Dionysius meus hìc existens iam litteris committere cœpit, scio te, ò MARIA, nihil horum, quæ ego hodie loquor, fugere, loquor tamen, vt probes coram fratribus meis verba mea, merces tua, vt ipsa nosti, est magna nimis, omnium certè, mercedem, & beatitudinem superans; tui sumus famuli, tui omnes serui; memores esto nostri summi Regis
B Mater, v t vota nostra persoluentes digni efficiamur promissionibus Christi, cum quo ecce viuere, & regnare fœliciter pergis, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per infinita seculorum secula. Amen.

Barnabas post Paulum licentia obtenta, * ita locutus est. *Consolationes tuæ*, inquit Propheta, *lætificauerunt animam meam.* Barnabas sum; filius consolationis est nomen meum; dulce est tibi super omnes matres, ò altissima MARIA, nomen filij; illud namque nomen est proprium nomen Verbi Dei, & Filij tui; tu certè es mater illius, qui ab æterno fuit filius, & ille sempiternus filius, tuus ex tempore cœpit esse filius, quod
C nomen, si vt dicitur, aliquid in homine ponat, tunc perempta humanitate perimitur filiatio, atque maternitas; & ita tempore mortis Christi maternitatem amisisti, & ea de re valde doluisti; nunc quoque ad æterna gaudia tibi properanti, nihil mali, nihilque siniſtri accidere posse video, nisi hoc solùm, quia morte interueniente, maternitatem tuam iterum amissura es, quod, an verum sit, difficile est cognitu, & nouissimis diebus, vt audio, declarabitur: si statutum non fuisset semel omnem hominem mortem subire, bonum esset, vt te Deus de vita ista transferret ad vitam illam, ne nomen tantæ dignitatis in te extingueretur ad tempus, quod
D tunc * etiam si re non eris Dei Mater, eris in mente ipsius, & nostra; & citissimè resurgendo re ipsa nomen illud recuperabis, & quod parumper interrumpitur, non interrumptum, sed continuum censendum est. Consolare itaque MARIA in Filio, consolare in maternitatis nomine. Maximas consolationes citissimè experies, Deo vnione perpetua copulaberis; filij tui amplexibus indissolubilibus astringeris; omnibus bonis affluës; nihil tibi vnquam deficiet; proxima solio Sanctissimæ Trinitatis assistes; sessione propinquissima Deo Trino, & Vno eris; illi nos commendatos facito, facito abscedes, non abscedas à nobis, opitulare nobis in hac mortali vita, & vt ad gaudia illa,

* *accepta. Psa. 93.*

* *quid tamen.*

* *continet.*

illa & nos peruenire valeamus, ex ora.

Post hunc accepta licentia, Lucas ita loqui cœpit. Plurima iam ab his patribus allata sunt in medium; mihi cæteris prætermissis, tua virginitas, ò Mater Dei MARIA, est laudanda; tu namque sola ante partum, & in partu, & post partum Virgo fuisti; sola sine corruptione grauida; sine violatione fœcunda; sine pudore Genitrix fuisti: virginitas heroica virtus est, quam donat Deus his, quos omnino spirituales esse decreuit; in carne enim viuere, & carnis incitamenta non sentire diuinum est; sensus habere, & præter sensum viuere Angelicum, virginitas non est virtus vulgaris, sed singularis; non popularis, sed specialis: crescendum enim est, & semen afferendum, & populus Deo seruiens augendus, & modo naturali, non supernaturali, vt non auferantur à causis creatis actiones earum; non licet vnicuique virginem esse; nam digna res est liberorum secundùm Deum procreatio; vnde præcepta naturæ obseruanda sunt; in aliquibus congruum fuit virginitatem reperiri, sed non fuit congruum in omnibus; sed tu sola vtrumque, ò Mater Dei nostri, complexa es, & virginitatem, & maternitatem, & præceptum Dei de crescendo, & consilium virginitatis sola obseruasti. Excellens donum, sublimis corona, alta virtus est ipsa virginitas, & potiùs datur ad decorē, quàm ad necessitatem salutis; nam coniugalis continentia in multis præferenda est virginitati aliquorum, vnde & Dominus ipse Christus te Matrem suam ex coniugio sanctissimo nasci voluit, & omnes suos auos, omnesque suas auias ex coniugio procreari voluit; in te sola potentiæ suæ magnitudinem ostēdit, vt sine viro conciperes, vt sicut fuerat vir ex nullo, mulier ex solo viro, alij omnes ex viro, & ex muliere, ita ipse esset ex muliere sine viro; bonū ergo est coniugium, digna res est liberorum naturalis procreatio, admirabilior est Filij Dei ex Virgine conceptio; sic oportebat, sic congruum erat, vt illa, quæ omnibus Angelis dominaretur, nulli viro subijceretur, non dico desponsatione, sed carnali copulatione; hoc te non decebat Matrem Dei, Reginam Angelorum, & à peccato originali liberam; hoc enim dictum est Euæ, in pœna: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, quia ergo illo peccato, gratia Dei, caruisti, iustum erat, vt in viri potestatem non transmittereris; quia subiectio illa vilis est, & apud homines opprobriosa, nihil honoris, nihil venerationis, nihil dignitatis tibi filius tuus deesse voluit, qui te perfectam vndique creauit. Ad ipsum igitur nunc accedens, cum ipso ex tunc perpetuò mansura, nostri quoque miserere, nobis veniam impetrare digneris, vt & ipsi tuis precibus ad visionem Dei Trini, qui Vnus est, peruenire valeamus.

Gen. 1

Marcus Euangelista, sicut breuis in scribendo, sic & in loquendo, hæc dixit: Recessuræ à nobis corporali præsentia Matri Domini, & ad æthereum thalamum accessuræ omnes nos commendemus, laudatissimam Virginem omnes amplè laudastis, omnesque proculdubio à laude defecistis; si namque omnia grana arenæ maris, omnia folia herbarum, & arborum, omnes guttæ maris, omnes stellæ cœli, omnia lilia, rosæ, & alij flores, omnia animalia, arctus, & partes eorum, omnes Angelorum exercitus, & quæcunque alia excogitari possunt, in linguis conuerterentur, & mille annis loquerentur, quanta, & qualis sit hæc virgo, quam laudamus, nunquam exprimere possent, laudauimus, non quantùm debuimus, quia id impossibile est; sed quantùm potuimus; tu quoque nos filio tuo, ô pijssima Genitrix, etsi non quantùm potes, saltim plusquam meremur, commendabis, vt vnà tecum tēpore suo gaudia æterna possidere valeamus, præstante illud, tuis obsecrationibus, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, vnico Deo, cui sit honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Dionysius, & Ignatius, & multi aliorum discipulorum genuflexi breui eloquio virginem laudauerūt, & ei cœtum discipulorum, & totum humanum genus commendauerūt. Post hæc MARIÆ spiritus exultauit in gaudio, & eleuatis oculis in cœlum, atque extensis manibus, decantauit suum mirabile canticum, quod in domo Zachariæ aliàs decantauerat, scilicet, Magnificat anima mea Dominum, &c. addiditque hos versiculos.

Ad te vento ecce Deus meus: ad te accedo Fili, Pater, & donum.

Ascendo ad Dominum meum, & Deum meum: ad Filium meum, & creatorem meum.

Ad genitorem Genitrix pergo: à vobis, filij mei, hodie discedo.

Corpore vos nunc dimitto: corde, & animo non relinquo.

Panem sanctum pariter frangamus: carnem filij mei, simul comedamus.

Tu Petre Pastor Christi ouium: benedices hoc sanctum edulium.

Gratias agamus omnes Deo Trino: benedicamus cuncti Vni Domino.

His dictis Petrus accepit panem, & benedixit, similiter & calicem (non enim licebat vnum Sacramentum sine alio conficere) & conficientem oportebat primùm sumere, & cùm particulam vnā accepisset, & MARIÆ dare vellet, illa voce aliquantulum eleuata, & in feruore spiritus dixit: Ecce video Filium meum, intueor Deum meum, benè adueniat Deus meus, benè veniat Dominus Saluator meus, vt ad te citiùs veniam, ad me

me venis, qui à beatis nunquam recedis; accedis, vt hinc recedam, neque à te vnquam amplius recedam, deinde dixit Petro: particulam istam repone, communionem omnibus his priùs dabis; ego vltima summam, & viaticum integrum mecum deferam; accepto itaque corpore, & sanguine Domini ab omnibus, MARIA iterum loqui cœpit: ecce cibum vitæ accepistis, non esurietis, neque sitietis quousque me sepelieritis, & in cœlum conscendere videritis, in domo mea
* *videtis* alios cibos non habetis, neque videbitis, * & omnes erant communione illa confortati, & corroborati, ac si delicatissima quæque cibaria sumpsissent, dixit ergo MARIA: constantes estote, firmi, & fortes, quia multas persecutiones pro nomine Domini IESV oportet vos pati, & tandem corpore solutos gloria Paradisi potiri; Tu Petre cum omnibus his Christum per passiones multas sequeris, & hoc est, quod ad te Dominus IESVS Filius meus dixit: *Sequere me* per mortem, & passionem, & tu conuersus vidisti Ioannem, & interrogasti, *Domine hic autem quid?*
Ioan. 21. tunc ille, *Sic ego volo eum manere*, sic viuum, *quid ad te; tu me? sequere*, & hi circunstantes crediderunt, quòd Ioannes nunquam moreretur; sed non dixit Dominus IESVS, quòd nunquam moreretur, sed dixit: si ego volo, vt viuat, donec veniam ad iudicium, quid ad te? morietur ergo, & ipse, sed tardè; viuet enim cum Enoch, & Elia translatus inuisibiliter ab Angelis in Paradisum terrestrem, & iterum veniet in mundum ad perhibendum testimonium veritati. Decet, vt trium testimonio fides Trinitatis iterum fulciatur, & de quolibet statu testis adsit veritatis. Dixit ergo Dominus: *Si enim volo manere sic, donec veniã, quid ad te?* accipitur ibi *si volo* pro, *quia volo* quia, Filius meus IESVS à vobis discedẽs seipsum vobis, vsque ad consummationem seculi in hoc Sacramento reliquit, quod nulli alij corpori congruit: ipse enim est solus panis, & cibus, vinum, & potus animarum. Notum facio vobis, filioli mei, & quando dicebat: filioli, voluebat se ad iuniores; quando verò dicebat: patres, voluebat se ad antiquiores, præsertim ad Petrũ, quãdo dicebat: fratres, voluebat se indifferenter ad omnes. Dixit ergo: Notum facio vobis, quòd gratia Domini mei IESV Christi etiam ego corpore ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, non quidem in Sacramento, quia id nec licet, sed in imaginibus pictis, & sculptis. Et nunc scietis: quòd ego sum præsens illi imagini: tunc certè, quando ibi miracula fieri videbitis. Deinde dixit præceptum Domini, & mandatum vnicum est, vt diligatis inuicem, propter ipsum, & omnem dilectionem vestram referatis; in ipsum meum corpus in vallis Iosaphat medio sepelite, vbi est lapis, & sepulchrum lapideum, & nouum, in quo nullus adhuc positus est, neq; inde recedatis, quousq; anima mea iterũ vniatur corpori meo. Monuit quoque, & sorores Magdalenam, & Martam, & alias sanctas mulieres, quæ aderant, vt in via mandatorum Domini perseuerarent, & verborum Domini IESV recordarentur, præsertim Magdalenam, & Martam, quia *beatius est dare, quàm accipere*; ipse autem multa ministrauerant, sed maiora, & longè præclariora erant ministrata eis, secus ipse beatiores fuissent sententia Domini; dixit ergo MARIA: multa in me, sorores, cõtulistis beneficia, sed me interueniente centuplum accipietis, & mille pro vno; benedicat vobis omnibus Deus Pater, benedicat Deus Filius, benedicat vos Deus Spiritus Sanctus; vale Petre Pastor etiam meus, quia & ego Christi Domini ouicula sum, vale Paule, vas electionis, porta nomen IESV coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Vale Ioannes fili, & frater mi, annuntia diuinitatem Christi, & prophetare ante translationem, & postea. Vale Andrea, qui primò, & ante omnes secutus es IESVM, neque præmio eris posterior. Vale Philippe, & flamma supremorum accensus Scythis * *sis* Christum prædica. Vale Simon zelotes, quia Dei amore feruens cum Thadæo, atque Iacobo fratribus tuis, & meis, & Ioseph Iusto, qui & si non sit Apostolus nomine, est tamen merito. Vale Mathęe publicane, priùs notus infami arte, nunc publicè testis, verbis, & factis Filij Dei viui. Vale Thoma Sancte, & Prudens Didime, & meum cinctorium, quod tibi ascendens porrigam susci pe, & gentem vtriusque Indiæ in aqua, & igne baptiza. Vale Bartholomęe, & præstolare tribulationum tuarum suspensionem, atque mẽtis in Deum eleuationem iugiter habeto. Vale Matthia, & donatus dona Dei conserua. Vale Barnaba, & cõsiderata futura consolatione labores perpeti non formides. Vale Luca mi charissime, & secreta quæ tibi reseraui, conscripta alijs porrige, & reseruanda futuro seculo, reserua, & vt cœpisti in bono perseuera. Vale Marce Pastoris nostri discipule charissime, & Euangelij tui verba longè, latèque diffunde. Vale Dionysi eruditissime, & ea, quæ à Paulo accepisti, diligenter conscripta conserua. Vale Ignati feruentissime, & mei IESV nomen in tuo corde sculptum perseueret (& subito ad verba illa sculptus fuit, & in omnibus amor, & feruor mirabilis remansit.) Valete omnes discipuli Domini, & maioribus vestris obedite, & iuxta eorum præcepta incedite. Valete sorores meæ carne Cleophe, & Salome. Valete & vos sorores meæ spiritu Magdalena, & Martha, retribuat vobis Deus pro vniuersis beneficijs vestris. Valete omnes sanctæ mulieres. Valete vniuersi, & MARIAM in vobis clementissimam nunquam vos, aut genus vestrum obliuioni traditura pro certo cognoscetis, ecce mox vt corpus filij mei sumpsero, anima mea è corpore meo egredietur, & tandiu Sacramentaliter erit mecum Dominus IESVS, quandiu naturaliter apparuerit, ecce hic inter vos anima fratris mei Iacobi Zebędei est, quæ nihil locuta est, quia aliud est commercium illud, aliud istud, nõ licèt conuersationẽ illam facere istam. Da mihi Petre pa-

flor ouium Dómini IESV, particulam repositam, vbi stat, & manet IESVS, totus filius meus dilectus. Tunc Petrus suscipiens particulam illam obtulit cum timore, & reuerentia sanctissimo ori eius, & ipsa deuotissimè viaticum susce-
Psal. 59. pit, & eo suscepto illico, hæc verba dixit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum cantabo, & psallam in gloria mea.* Et vsque ad finem compleuit. Dominus autem in Sacramento corporaliter sibi præsens, animam ipsius, à corpore suo miro modo absque vllo dolore, & languore separauit adstante Angelorum multitudine, & adueniente magno animarum sanctarum exercitu, quæ quidem anima à corpore separata gratia filij sui cum anima Ioannis Baptistæ, Ioseph, Annæ, Ioachim, Iacobi, Abraham, & aliorum Patriarcharum, & Prophetarum ad Purgatorium descendit, & omnes animas amicorum suorum, causa victoriæ, & noui Regni eripuit, & secum in Valle Iosaphat, vbi corpus sepultũ erat, deduxit. Quando autem anima à corpore fuit separata, erat circiter tertia hora noctis, & tribus horis stetit cum animabus illis in loco illo, & iuxta locum illum, vbi est Purgatorium, deinde iuit in Paradisum terrestrem, & confortauit Eliam, & Enoch, & narrauit eis, qualiter illuc venturus esset tertius testis Ioannes Zebedæus; reuersa tandem in aurora est anima illa in Vallem Iosaphat, & cum Christus Dominus modo naturali, & visibili descendit, relinquendo habitaculum cęleste cum omnibus Angelis. Sed animaduerte, quòd egressa de corpore anima illa fęliciſsima, omnes Apostoli, & discipuli, & sanctæ mulieres, quæ adderant, viderunt eam pulcherrimam, & formosissimam, & corpus eius non fuit totum, quia nulla immunditia in illo erat, sed detulerunt illud cum illis cęremonijs, quæ apud vos iam conscriptæ sunt, neque oportet eas iterare, cum miraculis illis, quæ scribuntur de temeritate Iudæorum, & primò cantauerunt: *In exi-*
Psal. 113 *tu Israel de Egypto, domus Iacob de populo Barbaro.* Sicut scribitur in Psalmis, deinde quasi illud exponendo ita canere cęperunt.

In exitu Deum videntis de tenebris: in exitu domus Dei de populis Barbaris

Facta est laudãs Deum sanctificatio eius: Deum videns potestas eius.

* iuuias *Amaritudo omnis aufugit fluuius * iudicantis: conuersus est retrorsum,*

Angeli ecce, vt arietes exultant: sancti gaudent, sicut agni ouium.

Quare tu mare fugisti? quare Iordanis retro conuerteris?

Quia transeuntes in terram promissionis de Ægypto: opus est omnem amaritudinem relinquere,

Et qui per humilitatem descendit: Dei benignitate ascendit

Angeli ecce vt arietes exultant: & sancti gaudent, sicut agni ouium

A facie Dei mota est virginea terra: à facie in quam Dei Diabolum supplantantis.

Qui ex se virtutibus conuertitur in gratiarum stagna: & arida in fontes gratiarum.

Nihil enim est boni in nobis, quasi à nobis: sed omne donum est à Dei gloria.

Ex nobis omnes sicci, & aridi sumus: humectatio à Deo tribuitur.

Super hoc corpus misericordiæ tuæ: & veritatis tuæ nunc respice Deus,

Ne quando perfidi illudentes ei dicant: vbi est Deus Christianorum?

Deus certè noster est altus, & sublimis: sicut & alia, quæ vult, & hoc nunc faciet.

Simulachra hominum non sunt hæc: neque opus manum hominum.

*Illi etenim * ea ex argento, & auro conficiuntur: Deus ex solis virtutibus operatur.* * enim

Hæc nostra sine ore laquuntur: sine oculis optime vident,

Sine auribus audient: sine manibus odorabunt,

Sine manibus palpabunt, sine pedibus ambulalabunt. & sine gutture clamabunt.

Simulachra vero ipsorum: omnia instrumenta sine actionibus habent.

Similis illis fiant, qui faciunt ea: & qui confidunt in eis.

Domus hæc Deum videns semper sperauit in Domino: adiutor eius, & protector eius est.

Domus hæc fortitudinis sperauit in Domino: adiutor eius, & protector eius est.

Semper timens Deum sperauit in Domino: adiutor eius, & protector eius est.

Dominus noster semper fuit memor nostri: semperque benedixit nobis.

Benedicat nunc huic domui suæ eum videntis: benedicat domui suæ fortitudinis

Benedicat, & nobis qui timemus Deum: discipulis cum Apostolis.

Adiiciat Dominus benedictionem super in eum credentes, & super discipulos eius.

Benedicti vos hodie à Domino: qui fecit cœlum, & terram.

Cœlum omnium cœlorum est habitaculum Domini spirituum: terra verò corpora filiorum hominum excipiet.

Non mortui te laudabunt Deum: neque vllus sectans hæc mundana,

Sed qui gratia viuunt, etiam si corpore sint mortui: benedicant Dominum, ex hoc nunc, & vsque in seculum, Amen.

Detulerunt itaque cum hymnis, & canticis corpus MARIÆ in Valle Iosaphat, cõfusis Iudæis incredulis, & omnibus discipulis Domini, atque nobis Angelis exultantibus, & cum ipsis in via pariter cantantibus nunquã ego eam reliqui, comitatus magno exercitu Angelorũ tunc ego animã associaui, Vriel frater meus corpus in sepulchro custodiebat, & cũ ipsa anima, expoſtato Purgatorio reuersus sum in aurora eiusdẽ noctis in Valle Iosaphat, & animam illam septies fulgen-

tio-

tiorem sole in vltima maiestate sua, tunc omnes Apostoli viderunt eam beatâ; subito enim vt corpore egressa est, Deum videre cępit visione nunquam amplius interrumpenda, in egressu verò videbat Christum hominem in viatico, quod in armariolo sui pectoris tãquam in pyxide quadam reseruatum ferebat. Stans autem in Purgatorio, & Paradiso terrestri, Deum, qui vbique totus est, videbat, sed non Christi humanitatem; reuersa verò anima eius ad corpus, vidit in pectore sui corporis adhuc Christum integrum existentẽ. Stabat itaque anima illa beata comitata à me, & exercitu Angelorum, & animabus sanctorum multorum, & post se duxerat magnam multitudinem animarum, quas ex Purgatorio extraxerant, vbi erant multi concentus Angelorum, animarum sanctorum, animarum de Purgatorio liberatarum, & Apostolorum, atque aliorum discipulorum, adhuc in vita mortali existentium, neque anima MARIÆ cœlos ascendit ante resurrectionem; sed vt dixi, viatrix reuersa est in Valle Iosaphat, & ibi longo spatio allocuta est Apostolos, & sanctas mulieres, qui etiam ibi coram ipsa, Petro Missam more illius temporis celebrante, communicati sunt corpore, & sanguine Domini nostri IESV Christi, neque alio cibo illis diebus vsi sunt. Sufficiebat eis esca, & ille panis viuus; stetit itaque corpus MARIÆ in sepulchro decem horis, & mortuum horis quindecim, circa igitur meridiem illius diei Dominus IESVS Christus dimisso cœlo Empyreo, & cœleste habitaculo descẽdit de cœlis, comitante eum Michaele Principe cum omnibus Angelis, & cum omnibus, quotquot erant in patria cœlesti, cum hymnis, & canticis, & omnes viderunt Dominum Christum, qui aduenies dixit adstantibus; Pax vobis omnibus, & respiciens animam Virginis vultu iucundissimo, dixit: est ne tibi melius sine corpore, & an magis velles esse in corpore? respondit anima illa lingua Angelica, & Christus eam interrogauerat lingua humana, sic dicens: gratia tua semper mihi benè fuit, & nunquam malè, sed nunc, quia fruor assiduè tua diuinitate, optimam partem optinui, & nunquam mihi melius fuit, quia tamen parti extra suum totum existenti non est omnimoda consolatio, si benter illud informarem, si tibi placeret, & in illo existens libentiùs tua diuinitate fruerer, non quia fruitio intensior esset, sed quia frui in natura perfecta melius, & optabilius est. Tunc ait Dominus: ego te cunctis muneribus decoraui, & nihil eorum, quæ fieri possent circa te, & corpus tuum prætermisi, nisi hoc, quod à corpore separata es, poteram te certè glorificare, nulla morte interueniente: id tamen nolui, quia decretum firmum est, & multò magis, ne isti fratres mei mortem timerent, aut alij de resurrectione dubitarent; tamen sicut à corpore separata es, quòd non videberis fuisse separata; & conuersus ad discipulos dixit iterum; Pax vobis; & ipsi responderunt: Benè aduenias Dominus noster, & Magister noster, & prægaudio cęperunt omnes flere, præsertim Petrus. Dicebãt ergo: gratias agimus tibi, Magister, & Domine, qui facis tot, & tanta mirabilia solus. Tunc Petrus dixit: ecce omnes congregati iterum sumus, neque quisquam deest ex nobis præter filium perditionis, & Iacobus Zebedæi adest in anima, alij sumus sicut priùs mortales, sed in gratia tua confirmati; ecce adsunt, & multi, qui tunc non erant; ecce Paulum, quem de cœlo vocasti, & vas vere electionis nuncupasti, ecce Barnabam, quem Spiritu Sancto segregasti, ecce Ignatium, qui te semper in corde gerit; ecce Dionysium, quem Theologum futuri seculi elegisti, ecce multos alios, quos tu meliùs nosti sciebas eos, prout erant in te, non sciebas, prout erant in se, nisi nunc, tu es Rex noster, tu Magister, tu Princeps, da nobis virtutem contra hostes tuos, fac vt te perpetuò laudare possimus. IESVS autem dixit eis: noui omnia, quæ pro me sustinuistis, & adhuc maiora sustinebitis, sed ad magna præmia peruenietis per magnos labores, non deterrebit vos vllus labor, si prospexeritis præmium inennarrabile laborum vestrorum; vos estis fratres mei; eritis hęredes Regni patris mei: durate vsque in finem, perseuerate, Petrum Vicarium meum cognoscite; & vnusquisque in loco sibi deputato agat viriliter, & præsideat humiliter, semper docui vos, semper dixi vobis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, benignus sum, benigni estote, *quia non est seruus maior Domino suo*, neque *discipulus maior Magistro suo*. Dum eius Magister est, qui mitior, & humilior, & benignior fuerit; hic toti Ecclesiæ quandoque præsidebit; totum enim mundum ad me conuertetis, deinde veniet filius iniquitatis, & bestia vorax ab Oriente, cuius vox vsque ad gentes Punicas protendetur, & auferet magnam partem Regni mei, sed paulatim non subito propter peccata populi (Regnum meum dilatabitur) Hyberi auersi conuersi, alios quoque vnito Regno eorum ad me conuertent, & omnes spurcitias eliminabunt, & abominationem stantem in loco sancto disipabunt, & iterum Euangelium prædicabitur in vniuerso mundo, & Vicarium reformantem omnia transmittam, humilem, mitem, benignum, & clementem, & tunc videbitur fructus laborum vestrorum; tunc vocauit Paulum, & dixit ei: Quando spirabas, vt taurus minas per nares tuas, & gladium contra me ferebas euaginatum, quid tibi videbaris? Emulator maximus eras paternarum tuarum traditionum, & credebas, contra me agendo, pro me agere; ideo ignorans feciſti, ideo dignus venia fuisti, ideo te de cœlo in meridie vocaui, & Apostolum elegi. Ecce Stephanum vides glorioſum, quem lapidari tam vehementer optasti, cuius præcibus alleuiatum est peccatum ignorantiæ tuæ; sto constans Paule, vt cœpisti; reposui enim tibi coronam iustitiæ, quam tibi reddam, tanquam iustus iudex: & tu Barnaba, docebis, & annunciabis populis tuis, & alijs omnibus, qui

mecum, & antea fuisti, sed ex discipulis te post ascensionem meam ad Apostolatum assumpsi, antea te vidi, vt discipulum, nunc cerno, vt dignum meum Apostolum; & tu Ignatij accede ad me, ego enim sum amor tuus, qui crucifixus quô dam fui, sed nunc regnabo in æternum, & tu cum tuo amore vives, in secula, & tu Dionisi ala cœli, cœlectia conscribes, & ad cœlos tandem ad me conscende cum palma martyrij, & omnes pariter suauissimis verbis allocutus est, dixitque: quid vobis videtur de anima illa fœlici, quę hac nocte à suo corpore separata fuit? Respondérunt omnes: surrexisti tu Domine, surgat, & arca sanctificationis tuæ; mortem non merebatur, ab omni peccato immunis; ius tum saltem est, vt caro illa, quæ tua est, in aliam naturam non vertatur; tunc ait Dominus Michaeli, & mihi, associate cum his, animam istam quo vsque iuxta corpus suũ fuerit, & subitò ipse dixit: reuniatur corpori innocens anima, viuatque in æternum dulcissima Mater mea, & illico anima corpori Dei virtute; vnita est, & corpus dotibus glorię decoratum est, de monumẽto, diuina virtute, exiuit, & nos Mausoleum aperuimus, quod vacuum omnibus apparuit; MARIA verò tota gloriosa, & fulgida, iuxta Christum Dominum stetit, vestita stola claritatis, & æternæ immortalitatis, & subitò, vt anima corpori vnita est, Dominus clamauit: veni ad me mater mea electa; veni ad filium tuum genitrix perdilecta; veni, coronaberis; & tunc Michael meum, & cum alijs omnibus matrem Dei adorauimus, & ei tanquam Reginæ nostræ perpetuam obedientiam dedimus; ita Michaele pro nobis omnibus dicente.

Quod ante mundum sensibilem Deo promisimus: hoc tibi MARIA hodie redimus.

Quod ipso conceptionis die * *exhibuimus: illud nunc ratificamus.*

* Dei

Te MARIAM in nostram Reginam acceptamus: & nos tuæ maiestati submittimus.

Te Reginam cœlorum appellamus: te Dominam Angelorum iugiter prædicamus.

Tibi omnes Angeli, & Archangeli: tibi virtutes, & vniuersæ potestates.

Tibi Principatus, & Dominationes: infinitis diebus deseruient, & obsequentur.

Tibi Throni Cherubim, atque Seraphim: humili voce confitentur.

Omnes te nostram superiorem agnoscimus: omnes Dei nostri Genitricem adoramus.

Ex alia parte omnes Patres testamenti veteris, Abraham, Moyses, & Dauid annuentibus, clamare ceperunt.

Tu gloria Ierusalem, tu MARIA lætitia Israel: tu honorificentia populi nostri.

O Beati nos, qui talem filiam habere meruimus: quam Deus in Matrem sibi elegit.

O fœlices nos, & valde fortunatos: qui in MARIA nostra nos vidimus sublimatos.

Sicut lilium inter spinas: sic MARIA inter filias nostras.

A *Sicut malus inter ligna siluarum: sic IESVS inter hominum filios.*

Speciosus est forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis.

Sub vmbra illius, quem desiderauimus sedimus: & fructus eius dulcis gutturi nostro.

Ioannes Baptista, cum Iacobo Decollato, & Ioseph viro MARIÆ, Annæ, & Ioachim, Simeone, & Anna Prophetissa, Stephano primo Martyre, & sanctis pueris Innocentibus, atque alijs, qui post ortum Domini IESV occubuerunt, vt Zacaria, & Elisabeth, dicebant.

Ecce genus nostrum, & caro nostra: ecce Domina, & Regina nostra.

Ecce scandit ad æthera: in æternum regnatura.

Ipsa est gloria nostra: ipsa magnificentia nostræ

B *ciuitatis.*

Prosequamur eam laudibus: comitemur cantilenis dulcibus.

Pulchræ sunt genæ eius, sicut turturis: collum eius sicut monilia.

Murenulas aureas faciemus ei: vermiculatas argento.

Ecce tu pulchra es, MARIA: & oculi tui columbarum.

Postea Petrus pro omnibus mortalibus locutus est.

Oleum effusum est, IESV, nomen tuum: ideo adolescentulæ te dilexerunt.

Introducis, ecce ò Rex, MARIAM in cellaria tua: exultabit, & lætabitur in te.

C *Inuenit, quem diligit anima eius: tenet, neque vnquam dimittet.*

Introduxit enim eam in domum matris: & in cubiculum Genitricis.

Inspicite Regem Christum: in dyademate, quo coronauit eum mater sua.

Fulciamus eam floribus, stipemus malis: quia amore filij languet.

Trahe nos quoque MARIA, post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Omnes itaque Apostoli, & Discipuli, & fideles, & sanctæ mulieres, atque virgines in obsequium Matris Dei deputatæ, videntes MARIAM in tanta gloria, & Maiestate, ipsam adorauerunt, & omnibus tam filius eius, atque ipsa benedi-

D xerunt; erat in cordibus singulorum lætitia ingens; ex omni parte augebatur gaudium; tunc IESVS volens, vt omnes conscenderent in montem Oliueti, quasi præcedens, & iter ostendens Matri suæ, sic eam alloqui cepit.

Veni de Libano sponsa mea: veni de Libano, veni:

Surge, propera anima mea, columba mea: propera formosa mea, & veni.

Iam hyems transijt: imber abijt, & recessit.

Flores paruerunt in terra nostra: tempus putationis aduenit.

Surge, propera, amica mea: propera columba, speciosa, & veni.

Ostende faciem tuam decoram populo meo: sonet vox tua dulcis in auribus eius.

Mul-

Multæ sunt mihi Reginæ, multæ concubinæ; puellarum non est numerus.

*Vna tu es columba mea, perfecta mea; vna genitrici * Trinitati electa.*

* genitrix

Vident te filiæ Sion, & beatissimam prædicant: omnes vndique collocaudant.

Et quasi totum septimum capitulum Cãticorum Dominus direxit in matrem suam, nam, & Salomon, in spiritu præuiderat, & illum librum conscripsit, non solùm propter coniunctionem animæ sanctæ cum Deo, neque solùm propter coniunctionem capitis Christi cum Ecclesia, sed vltra hoc, & præcipuè propter coniunctionem filij Dei cum MARIA sua genitrice dulcissima, quam præuiderat futuram, præsertim in hac die suæ assumptionis; Dominus ergo multa de libro Canticorum induxit, loquens ad MARIAM, & ipsa ex eodem libro locuta est, respondendo sibi, quæ facilè à vobis inueniri possunt, & Pastor ille inueniet, & Hymnos, atque Psalmos, & Cantica compilabit.

Progrediebatur itaque Dominus per aera, & MARIA enixa supra dilectum suum procedebat; nos Angeli secundùm gradus, Hierarchias, & choros, nostros in circuitu assistebamus; animæ sanctorum, & iustorum similiter per aëra sequebantur, Regem, & Reginam. Apostoli adhuc mortales, & alij progrediebantur more humano, sed sine vlla lassitudine, sine vllo labore; in via verò nũc nos Angeli, nũc animæ Beatorũ, nũc ipsi Apostoli ex eodẽ libro Cãticorũ verba sumẽtes dicebant: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum.* Quia de Valle Iosaphat ad montem Oliueti; non enim adhuc ascenderãt in cœlum; nam postea ascendendo in cœlum dicebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto,* & de vita mortalium

Cant. 3. *sicut virgula fumi ex aromatibus myrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Alij dicebant: *En lectulum Salomonis.* MARIAM Matrem veri Salomonis Christi, *sexaginta fortes,* hoc est perfectissimi fortes, quia ibi denarium per senarium, qui est numerus primus perfectus, vt homines scribunt; sexaginta igitur fortes lectulum Salomonis *ambiũt ex fortissimis Israel;* quia nos primi, & fortissimi omnium creaturarum aderamus in defensionem Virginis, & in vita, & in morte, & dum ad sepulchrum deportaretur, *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Dimicauimus enim contra Luciferum à prin

* & in cœlo Empyreo

cipio, * & contra Dæmones, & malos homines sæpissimæ: *Vniuscuiusque ensis super fæmur suũ;* quia virtus, & fortitudo data est vnicuique nostrum, maior, & minor secundùm diuersitatem naturarum nostrarum, *propter timores nocturnos.* Hoc est ad repellẽdum ab * amicis Dei, & filijs lucis, timores, qui concitantur à noctibus, Principibus tenebrarum. Alij dicebant: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Alij dicebant: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in*

* inimicis

A *diademate, quo coronauit eum mater sua.* Et inter alios Thomas, non dubius tunc, sed fidelis, clamauit ad Dominam dicens: tu ad fœlicia Regna, ò Mater Dei progrederis, relinque aliquid pro signo amoris tui fidelibus. MARIA dixit annulum meum, quo me desponsauit Ioseph vir meus, cum omnibus vestimentis meis, & parte capillorum meorum ob deuotionem fidelium reliqui, Magdalena de lacte, quo Deum nutriui, & de sanguine filij mei, quem pariter collegimus, & præputium, id est, pelliculam circuncisam, & pellicula, in qua natus est filius meus IESVS, apud se conseruat, & tu Thoma accipe cinctoriũ renum meorum. Ecce illud mecum ex industria detuli, vt tu, qui dubius vocaberis, fidem Domini, plùs alijs credens, vsque in superiorem Indiã amplies, & augmẽtes, & accedẽte illo in mõtẽ Oliueti, MARIA suis proprijs manibus cingulũ porrexit Thomæ, & dimisit ei pleno gaudio, & gratiarum actione. Dominus itaque IESVS in aëre satis vicino terris cum MARIA matre in medio Angelorum, & sanctarum animarum stans, Petrum, & vnumquemque Apostolum allocutus est, sicut in die suæ Ascensionis, & MARIA eodem modo; & vale dicentes omnibus mortalibus, paulatim ascendebãt in cœlum, Apostolis, & Virginibus, discipulis, atque sanctis mulieribus cum gaudio inspicientibus, & præ nimia lætitia flentibus, & lacrymantibus, nobis autẽ Angelis psallentibus, & cantãtibus, & postquam paulatim procedendo ad altissimam aeris partem, vltra quam videri ab Apostolis non poteramus, applicuimus citissimè, deinde transiuimus omnes cœlos, & ad empireum cœlum peruenimus, vbi Christus Dominus cum sua genitrice MARIA viuit, & regnat super omnem creaturam in secula seculorum, Amen.

Nunc dilectissime, poteris intelligere, & conscribere matris Domini assumptionem, & errores euitare. Noluit Dominus resurrectionem MARIÆ differre, sicut suam in tertium diem, quia non oportebat probare veritatem mortis eius, neque resurrectionis, neque prophetiæ Ionæ adimpletionis. Mansit ergo corpus eius in sepulchro, horis decem; mortuum verò horis quindecim, quas horas pro diebus aliquibus computant; vt vos in reuelationibus B. Brigittæ deuotissimis habetis, scito sibi fuisse reuelatũ hoc eodẽ modo, sed ille qui scripsit, cogitauit intra se, quomodo ipsa citius Christo surrexisset, & dixit, debẽt esse quindecim dies nõ quindecim horæ, & rationẽ apposuit. Corrigatur, itaque in ea parte reuelatio sanctissimæ Christi spõsæ Brigittæ; causa erroris nõ fuit ipsa, sed confessor eius, qui voluit plùs sapere quã oportuit, credens eam male intellexisse. Similiter corrigatur retelatio alterius deuotissimæ viduæ sanctæ Elisabeth de tertio ordine patris tui, cuius, & confessor in numero dierum piè credens, eam male intellexisse errauit: ipsa enim, dixit MARIAM resurrexisse hora decimaquarta vna cũ dimidia, & plus,

& ipse dixit ex suo sensu, quòd fuerunt dies quadraginta, qui tamen confessores non perierunt, tamen aliquantulum vapulauerunt; neque anima Beatæ Virginis ante resurrectionem eius ascendit in cœlum, eadem die á corpore separata, eadem etiam die corpore vnita fuit, quod etiam confessor Beatæ Elisabeth scribit MARIA anno integro, & tot diebus, quot ab Ascensione Domini vsque ad eius Assumptionem fluxerunt, superuixisse, malè scribitur: quia sic ei reuelatum fuit, annis integris, & tot diebus; de quibus annis iam tibi indicaui. Apostoli verò pleni gaudio, & lætitia reuersi sunt in Ierusalem cum mulieribus sanctis, sed non cum MARIA Matre IESV, & esurire cœperunt, & in domo Lazari in Ierusalem pariter cœnauerunt, & Verbo Domini B insistebant, & facta vltima Synodo, & multis quæstionibus absolutis circa ritus gentilium, & circa cæremonias, & onera legis, & ostenso, quòd gentes non erant subijciendæ dictis oneribus legis; & postea dum Apostoli diuiderentur per totum orbem terrarum afflati Spiritu Sancto promulgauerunt, & declarauerunt nulli ex tunc hominum, neque Iudæo, neque Græco licitum esse circumcidi, aut legalia seruare; quia illa figura erant nouæ legis, & vmbra, quæ aduenientes rerum veritate, euanescere debebant: firmiter igitur tenendum est, & nullo modo dubitandum, Circumcisionem, & alias ceremonias Iudaicas perniciosas esse omni homini Iudæo primũ, ac Græco. Conuersas tamẽ ex Iudæis in prin C cipio illud illicitum * non fuit, neque prohibitum. Sed tandem Spiritu Sancto instigante etiam Iudæis illud fuit omnino prohibitum. Apostolis namque * Iudæis proprios ritus dimittere nefas videbatur, sed instructi Spiritu Sancto tandem in vltima ipsorum diuisione omnes Apostoli simul decreuerunt, & ita determinauerunt, quòd nulli esset ex tunc licitum circumcidi, aut legem cęremoniarum sub præcepto obseruare, aut vllam spem in Sacramentis veteris legis ponere, exinde diuisi sunt. Apostoli per diuersas Prouincias Orbis, & quilibet in sua Prouincia occubuit, nisi quòd Ioannes ab Epheso fuit trãslatus in Paradisum, ac Petrus, ac Paulus simul Romæ interfecti vna die. Petrus D quidem in isto loco, vbi tu oras prope illum, vt notum est, fuit cruci capite deorsum affixus: Paulus verò eodem die in loco, quem vos tres fontes hodie dicitis, fuit decollatus, & verum est, quòd caput eius abscisum tres saltus fecit, clamando. IESVS, prout vestri scribunt; locum illum pro electo, atque deuotissimo habeatis; Paulus enim est vas electionis diuinæ, & lumen fidei Christianæ insigne, trium saltuum, & exclamantium tres fontes sunt verum indirium. * Tunc ego, qui diu tacueram, dixi. Domine mi, quod canticum cantabatis, MARIA simul in cœlum ascendente simul cum dilecto filio suo? & ille respondit: scribe illud, & conserua, tale fuit. *Egressa est virga de radice Iesse: & flos de radice*

* licitum

* tanquã

* iuditiũ

A *eius conscendit.*

Ecce ipsamet iterum progreditur: sicut virgula fumi, mirrhæ, & thuris.

Hæc est MARIA omni odore plena: sola semper benedicta.

Hæc est vnica Mater Verbi Dei; Genitrix omnium plasmatoris.

Hæc post filium in terris remansit: & merita meritis auxit.

Plus omnibus ipsa sola meruit: plus omnibus generi suo profuit.

Multi congregauerunt meritorum diuitias: ipsa supergressa est vniuersas.

Ecce quilibet Angelorum chorus: mille millia defert * *chados.* * deferre

B *Thesaurus est magnus, & incomparabilis: ingens, & inexhauribilis.*

Agnouit hæc, & lætata est Sion: & filiæ Iudæ exultauerunt.

Meritis igitur innumeris iam partis: * *appropinquauit hora suæ mortis.* * factis.

Connumerauerunt omnes Apostoli: palmam de Paradiso ego Gabriel attuli.

Omnes eam commendabant: & singulatim eius virtutes recitabant.

Paulus positus in loco Iacobi, cuius tamen anima erat ibi, gratias omnibus egit: vnicuique seorsum vale dixit.

In lectulum suum ipsa sospes consedit Dei virtute: anima à corpore recessit.

C *Non solùm dolore caruit: sed etiam in gaudio exultauit.*

In Paradiso Enoch, & Eliam visitauit: & eos, qui erant in pœnis liberauit.

Corpus suum Apostoli simul cum Angelis ferebant: cum Hymnis, & Canticis.

Gens perfida eos temere aggreditur: & tanquam cæca in terram prosternuntur.

Sola communione viuunt credentes: neque esuriunt, aut sunt sitientes.

Corpus Syndone inuoluitur, & sepulchro nouo clauditur.

Diluculo felix anima reuertitur: ab Angelis, & iam captiuus associatur.

Verbum homo de cœlis descendit: omnes beatos D *secum duxit.*

Animam sanctam alloquitur: pax consueta iterum proponitur.

Exultant omnes viso Domino: iubilant in Deo salutari suo.

Decem iam horis iacuerat: & quindecim sine corpore anima fuerat.

Intrat cum Angelis in monumentum: illico factum est magnum portentum.

Corpori felix anima vnitur: & corpus subitò glorificatur.

Ex sepulchro læta egreditur: ab omnibus MARIA immortalis cernitur.

Adorant eam omnes Angeli: venerantur omnes Apostoli.

De valle ad montem deducitur: læta nimis progreditur.

Per

Per aera Dominus præcedebat: MARIA sibi innixa pergebat.

Nos Angeli assistebamus: & hæc omnia videbamus.

Obedientiam proni MARIÆ dedimus: eique seruire in æternum promissimus.

Ecce nunc iubilando ascendimus: Apostolos in terris relinquimus.

Omnes in nos suspiciunt: omnes ecce in cœlum prospiciunt.

Benedicamus Patri, & Filio: benedicamus, & Spiritui Sancto.

Laudemus Deum trinum, & vnum: glorificemus eum in æternum.

Dixit Angelus quotidianæ, & indefessę sunt voces nostræ, & cantus nostri, MARIA est gloria humani generis, & magnum decus Angelorum, & omnium creaturarum honor, & splendor. Tunc ego, mi Domine, quem situm seruat Mater, & ex qua parte assistit suo filio? Respondit Angelus: MARIA non propriè stat à dextris, aut à sinistris filij sui; sed ante ipsum ita quod semper se se mutuo inspiciunt, caputquè Domini paulò altius est. Capite MARIÆ; & illo modo etiam ascenddebant de valle in montem, & de monte in cœlum; sicque incedunt per Empyreum cœlum, vt nunquam vultum suum à vultu Matris Dominus auerterat: Dixi iterũ Euangelium promisseras olim Lucæ te de hac Assumptione mihi reuelauerunt. Respondit, rectè dicis; tunc fuit conscriptum, sed non fuit tempus tunc prædicandi gloriam matris, quando vix suaderi poterat gloria filij. Euangelium verò tale est secundùm Lucam. Impleti sunt dies MARIÆ, vt transiret ex hoc mundo ad filium suum vnigenitum, & missus est ad eam cum palma victoriæ ante feretrum deferenda Gabriel Angelus, quæ cùm non sibi ignota, neque ingrata audiuisset, turbata nullo modo est: desiderabat enim relinquere mundum, & semper esse cum suo vnigenito filio. Adfuit statim discipulus ille, quem diligebat IESVS, & cui de cruce dixerat: ecce mater tua, adfuit, & Petrus cum omnibus Apostolis, & potioribus discipulis; erat ibi quoque Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & mater filiorum Zebedęi aderant, & plures virgines, atque sanctæ mulieres, vnusquisque verba sua protulit, & in laudem Virginis matris direxit, & vnicuique ipsorum humiliter respondit MARIA, & omnibus pariter benedixit, in lectulum coram omnibus conscendit, & anima cum ingenti gaudio à corpore suo discessit, ad inferos, & Paradisum aduenies, quotquot amicos in pœnis viderat, eripuit, corpus in Valle Iosaphat delatum est, & syndone munda inuolutum, positum est in monumento nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat; diluculo anima reuersa est ad Apostolos. Tunc Dominus IESVS, cum omni militia cœlestis exercitus in maiestate sua venit, dixitque omnibus: Pax vobis. Gauisi sunt valdè discipuli viso desiderato Domino fœlicé animam alloquitur, omnibusque discipulis bene dixit, animam corpori iterum coniungi iussit, surgit verè MARIA, & prodijt de monumento tota decora nimis, progreditur cum Domino, per aera ad montem Oliuarum comitantibus Angelis, & animabus iustis. Thomæ Baltheum dimittit, & omnibus suspicientibus in cœlum ante faciem filij sui assumitur, & sedet in gloria maiestatis: ingressi sunt Ierosolymâ Apostoli cum discipulis, & sanctis mulieribus, gratias agentes de omnibus, quæ audierant, & viderant, annunciantes magnalia Dei in omnes gentes.

B. AMADEVS LAVSANENSIS.

NOTA.

NIHIL intactum relinquam de N. B. Amadeo, siue vt alijs placet, Amedeo Lausanensi Episcopo, vt veritas non tantùm ex verbis, sed se ipsa potissimè luceſcat. Homiliæ octo sequentes sub nomine, & titulo B. Amadei Lausanensis Episcopi primo typis mandatæ fuerunt, ab Adam Petro Typographo Basileæ, anno à virgineo partu M. DC. XVII. Secundò R. P. Richardus Gibbonus Societatis Iesu, natione Anglus, cum syllabo Authorum, qui Homilias de Beata Virgine MARIA scripserunt (quem Colonienses perperam Ioanni Molano tribuerunt.) Audomaropoli apud Antonium Crabbe, anno M. DC. XIII. in 12. edere curauit. Tertiò Doctores Duacenses in Bibliotheca Colonienſi excussæ

anno M.DC.XXII. in tomo 15. fol. 308. mandarunt. Quartò anno M. DC. XXV. cum Richardo à Sancto Laurentio, & Sancto Ildephonso Duaci à Ioanne Bogardo excussæ prodierunt. Quintò anno M.DC.XXXIII. recognitas, & emendatas R.P. Theophilus Raynaudus Societatis Iesu Lugduni ex officina Landiana, cum alijs Sex SS. Leone scilicet, Maximo, Chrysologo, Fulgentio, Valeriano, Asterio publicauit, sed semper absque iudicibus tam scripturæ, quàm rerum, quos in hac nostra vltima impressione copiosissimos præstauimus. De vita verò scriptis, & elogijs Amadei nostri accipe quæ sequuntur.

Amedeus castro Casta iuxta Viennam Allobrogum, magni Antonij ossibus venerabundam, nobilibus parentibus originem duxit. Hic morum integritate, literarum institutione, atque virtutum decore, stirpis generositatem longè superans, in cœnobio Altecumbæ Cistercienſem professus ordinem, Abbas præficitur. Succendentibus inde temporibus, circiter annum Dominici Natalis quadragesimum quartum supra millesimum centesimum, Lausanensis Ecclesiæ Episcopus ordinatus, multa eidem Ecclesiæ impendit beneficia. Amedeum Gebennarum Comitem, qui arcem munitissimam ad expugnandam ciuitatem Lausanensem in eminentiori prope vrbis mœnia loco, per longam obsidionem erexerat, non tam armis, quàm prudentia deiectum, machinam ipsam funditus euertere compulit. Eugenio Tertium Pontif. Maxim. Conradum Secundum, Fridericum Primum, Imperatores Augustos, & ad indulta iam dudum confirmanda, & ad noua instauranda Ecclesiæ suæ priuilegia, fauentissimos habuit. Huic Fridericus in hæc verba scribere solitus est. Charissimo Cancellario nostro Amedeo Lausanensi Episcopo, qui genere, & nobilitate, nec non fidelitate nobis astrictus cognoscitur, &c. Frequens illi mora apud Ponidonem, cœnobio Altæchristæ vicinum, vt qui eiusdē religionis, ac habitus monachus esset. Fama est, illum in die sanctæ Agnetis natum, imbuēdum literis traditum, ordinem professum, & Abbatem factum. Quare eidem Virgini deuotior, sacra illius duplici festo instituit per totam Lausanensem Diœcesim peragenda. Scripsit Homilias in laudem Christiparæ Virginis octo, tam dicendi suauitate, quàm mysteriorum profunditate deliciosas. Quas cùm nulli adhuc mortalium manifestasset, solicitatur tamen à sorore sanctimoniali, virgine religiosa, quatenus ei iucundum illud munusculum communicaret. Annuit frater sororis desiderio ea conditione, vt & illa iucundum quoque munusculum, quod à gloriosa Virgine accepisset, vicissim impertiret. Mittit continuò soror laneam chirothecam, quæ in præsentem diem Lausanæ in reliquiario sacrosanctæ Virginis MARIÆ visitur, quàm plurimis laudata miraculis. Vnde coniectura facilis, quantum vtrique viuenti adhuc cum Diuis commercium. Præfuit Lausanensi Ecclesiæ annis quatuordecim. Mortuus illic, & ante altare Sanctæ Crucis in æde Diuæ MARIÆ sepultus.

Octo Homilias relatas esse huius Amadei Lausanēnsis, non verò Amadei Franciscani (de quo late in antecedenti Nota egimus) multis etiam probat incertus Author in Annotatione præfixa ad calcem ipsius vitæ; sic dicens: Ex hac vita facilè conijciat Lector, nostrū Amedeum alium esse ab Amadeo illo, aliàs Amatore, vel Ioanne Menesio, de quo R.P. Fr. Henricus Villot in suis Athenis Orthodoxorum Sodalitij Franciscani, cui & has Homilias, quas nunc damus, tribuit. Etenim Amadeus noster sub Eugenio Tertio Summo Pontifice, ac Friderico Primo Imperatore vixit; Amedeus verò sub Paulo Secundo, ac Sixto Quarto Romanis Pontificibus, inter quos, & Eugenium Tertium non pauciores ferè, quàm trecenti anni interuenerunt, &c. Id ipsum atteſtantur Richardus Gibbonus, & Theophilus Raynaudus Societatis Iesu, Aubertus Myreus, Geruasius Sopherus, Antonius Poſſeui-

seuinus, Petrus Canisius, Iidephonsus Brizeño, & Conradus Gesnerus. Eas vero esse Nostri Amadei Franciscani, & non Amadei Lausanensis, tenent Henricus Villotus, & pro sua sententia citat Petrum Canisium Iesuitam, & Ioannem Benedictum Franciscanum, tenent etiam hanc opinionem expressè Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano, & Sanctes Peregrinus in Bibliotheca Hispanica. En authores pro vna, & altera parte, elige opinionem, sententiam fer, quam malueris; neque enim pro illa rationes euidentes sunt, neque pro ista omnimoda probabilitate carent: res bilanceps remanet: imò iam si ratione, & discursu controuersia trutinanda est: in statera pro nostro Amadeo sequentes superaddo coniecturas, si non omnino efficaces ad æquiuocationem tollendam, nec adeò leues, vt aliquo non nitantur veritatis fundamento, & sit.

Prima, quia R. P. Arnoldus de Vuion Belga, & Duacensis Benedictinus, qui cum in suo arboris vitæ tomo secundo, omnes Episcopos, Scriptores, & Sanctos omnes tam Benedicti norũ, quũ Cistercienſiũ diligentissimè recolligerit, & multis annis post Canisium scripserit, uullam, vel minimam de B. Amadeo Lausanensi mentionem facit. Secunda, quia si ad instantiam, vel petitionem sororis suæ Religiosæ, & sanctimonialis, & Virginis MARIÆ deuotæ Amadeus Homilias suas compaginauit, vel publicauit; de hac Amadei Lausanensis sorore non constat; de sorore autem Amadei Franciscani venerabili domina, & Virgine Beatrice de Silua sanctimoniali Religiosa Deiparæ Dei Genitricis deuota matre, & fundatrice Religionis immaculatæ Conceptionis, patet, & constat vniuerso terrarum orbi. Potuit ergo ab ista sorore Religiosa sanctimoniali virgine, & Virginis MARIÆ deuotissima Amadeus Franciscanus suppresso nomine iucundum illud suum munusculum communicare. Tertia, quia Pater Canisius transacto seculo integro à morte Amadei Franciscani scripsit suum Mariale; Adam Petrus Typographus post quinquaginta annos hoc opus typis mandauit: & cùm vidissent opusculum subscriptum titulo Amadei, fortè ignorarunt, cuius ne Amadei esset, nam ipsum Aubertus Miræus (inter Nomenclatores aliàs peritissimus) & nomen ignorauit Amadei nostri Franciscani: dicit enim: nescio cui alteri Amadeo Homilias istas conatur asserere: quid ergo mirum, quòd Bibliopola, & Canisius has Homilias noto Amadeo Lausanensi tribuerent relicto ignoto, & pauperculo? Quarta, quia altera opinio nullum adducit testimonium antiquioris scriptoris nostro Amadeo. Quinta & vltima, quia cùm Amadeus Lausanensis scripserit ad annum M. CXL. certè Homiliæ istæ minimè sapiunt antiquitatis stylum, nullumque illius temporis Doctorem legi, qui de Virgine Dei Matre hac pulchra, & eleganti scripserit methodo; dixi quod potui, elige, quod volueris.

HOMILIÆ VENERABILIS P. D. AMADEI EPISCOPI Lausanensis, siue Franciscani; de laudibus gloriosæ Virginis MARIÆ.

HOMILIA PRIMA, DE FRVCtibus, & floribus Sanctissimæ Virginis MARIÆ.

OMnis sancta, & rationabilis anima, inuestigans cœli secreta mysteria, & distinguẽs ordines supernorum spirituum, inuenit primam post Redemptorem, illam *in mulieribus benedictam*, illam *plenam gratia*, quæ Deus genuit, & Virginitatis gloriam nõ amisit. Hæc igitur Virgo Beata omni luce clarior, omni suauitate gratior, omnique potentatu sublimior, totum mundum illuminat, & vnguẽti optimi perfusione innouans omnia, Cherubim, & Seraphim agmina potestate transcendit, & maiestate. Glorioſis ergo meritis eius introducat nos Rex in cubiculũ suum, & referet nobis arcana secretorum proles Dauidica: *Quæ claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit.* Pandat nobis gaudia genitricis suæ, & decorẽ electæ matris suæ; Moyses, & Prophetæ

Luc. 1. 28.

Apoc. 3. 7

phetæ attestati sunt illi; Euangelistæ verò, & Doctores, vitam, mores, & gratiam eius postmodum exceperunt, vt veritas sibi consona redderetur, & quod illi futurum prædixerunt, hoc isti recolerent gestum.

Vnde nos tot, & tantis præconijs excitati, curramus in odorem vnguentorum eius, & gratiarum illius attrahentes spiramina, dum ab eius aspectu suauissimo differimur, & retardamur, requiescamus in floribus, quibus se fulciri iubet in Canticis dicens: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Qui sunt hi flores, ni si diuina in laude eius mysteria, & olim à seculis abscondita sacramenta? quæ iam in carne apparentia, in spiritu manifestata, ex dictis Patrum, velut ex quibusdam gemmis arborum prorumpunt. Mala verò explicat Apostolus dicens: *Fructus spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, cõtinentia, castitas.* Fulcitur ergo floribus, cum prædicta oracula apparent. Stipatur malis, cùm fit quod scriptum est. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius.* Sed quia de veris floribus, & sempiterno fructu iustitiæ sermo se intulit, necesse est, vt adiuti dono Spiritus, eosdem flores, & fructus latiùs exequamur.

Aduertamus itaque duos tanquam calathos aureos plenos fructibus, & floribus adornatos, nouum, & vetus testamentum, hinc & inde, læua, dextraque Virginis consistentes. Quorum antiquitas transit in lænam, & noua gratia coruscat in dextra. Iure quippe lex mortis in sinistra, & lex vitæ in dextra; quia illa facit transgressorem, & hæc tollit transgressionem. Ipsa Virgo virginum vernans in floribus, & in fructuũ suauitate delicians apparet media, & velut arbor plantata in medio Paradisi, attollit verticem in altitudinem cœli; & de superno rore concipiens, fructum refert salutarem, fructum gloriæ, fructum vitæ, de quo qui ederit, viuet in æternum.

Et vt clarescant quæ dicta sunt, Paradisus est hortus, ad quem Ecclesia inuitat dilectum suum. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomiferarum suarum.* Hortum namque dilecti se nominat, quem fontes Saluatoris irrigant, & riui donorum inebriant; vt maritata amore spiritus lætetur in stillicidijs eius germinans, & gaudeat in prole multorum filiorum, tanquam in vbertate geniminum suorum. Hæc vocat dilectum comedere fructum pomiferarum, quia seruauit ei poma noua, & vetera, dicta scilicet, vtriusque testamenti. Aut consummatos sensus cordis sui, quos gerit inter vbera, sicut legitur: *Erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Vel certè bonos quosque spiritus, & Angelorum, & hominum, quorum alij in nouitate vitæ perseuerant, alij gerunt de vetustate, & corruptione, quod doleant.

Possunt quoque per poma noua, & vetera, noui, & antiqui Patres significari, in quibus pascitur amor sponsi: *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Inter hos, & horum media, consurgit arbor, quam diximus salutifera, generans cibum vitæ, & manna cœleste. Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatẽ, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum. Hunc panem se esse perhibet filius hominis in Euangelio, dicens: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Ioan. 6. 51. 52.

Vt igitur redeamus ad prædictos calathos, & flores læuæ, fructusque dextræ perpẽdamus (quia quod lex promisit in flore, hoc gratia exhibuit in operatione. Ibi prophetatur, quod futurum est, hic virtus consummata laudatur; illic Sacramentum, hìc res Sacramenti est.) Attendamus eosdem calathos, Christi gloriam, & partum Virginis præferentes; hæc enim summa, hic finis testam ẽtorum, Christum proloqui, Christum ostẽdere, Christum annuntiare, & Virginem MARIAM. Et id quidem nunc Sacramentis tegitur, nunc ænigmatibus, aut similitudinibus obuoluitur, nunc ritu festo celebratur, nunc sacrificijs obumbratur, nunc declaratur prophetia, aut Euãgelica assertione roboratur.

Et in hac condensitate saltus Libani, in hoc monte vmbroso condenso, aperit se nobis sponsi dignatio, & thalamus egressionis eius, Saluator Gentium, & terra germinans Saluatorem, Stella ex Iacob, & Dux de Israel, virga de radice Iesse, & flos de radice eius. Alibi namque legimus Christum nasciturum ex Virgine, passurum in carne, resurrecturum in gloria, ascensurum in ubilatione, & dona Spiritus credentibus donaturum. Alibi natum, passum, resurgentem, ascendentem, & dona spiritus suis infundentem. Sic in scripturis veritatis de sancta matre eius annunciatum est, quia Virgo conciperet, & Virgo pareret filium, cui nomen Emanuel, & *egressus eius à principio à diebus æternitatis.* Isai. 7. 14.

Hunc sola Virgo meruit suscipere, sola parere, sola lactare in votis, & ardenti præstolatione deprecantis, & dicentis Ecclesiæ: *Quis mihi det te fratrem sugentem vbera matris meæ, vt inueniã te foris, & deosculer te, & iam nemo me despiciat? Inueniam te,* inquit, *foris* in luce, qui es secretum Patris. *Inueniam te* apparentem in carne, qui lates in inuisibili maiestate. *Inueniam te* sponsum procedentem è thalamo, qui in ventre virginali cõceptus es de Spiritu Sancto, *Et deosculer.* Deosculer vnita tibi in perceptione carnis tuæ, & sanguinis, & iam non simus duo, sed vna caro. *Deosculer* in vno spiritu adhærẽs tibi, quia *qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Et iam nemo me despiciat.* Non Deus Pater, videns proprium Filium incarnatum, non Angelus sanctus, adorans Deum hominem factum, non superbus Dæmon, dolens à Christo se superatum. Mich. 5. 2. Can. 8. 4. 1. Cor. 6. 17.

Cæterum est, vt de Euangelio inferamus aliqua. Legimus Virginem ab Angelo salutatam, à Deo desponsatam, de Spiritu Sancto concepisse, Deum verum, & hominem genuisse, qui salutum faceret populum suum à peccatis eorum, & reg- Luc. 1. 26. Matt. 1. 21.

Galat. 5. 22. Prou. 11 31. Can. 2. 5 Can. 5. 1 Cant. 7. 13. Can. 7. 8. Cã. 2. 17

Gen. 22. 18. regni eius non erit finis. Hic est, qui repromissus est Abrahæ, quòd in semine eius benedicentur omnes gentes. De quo pulchrè Apostolus ait, *Heb.* 7. 4. *Intuemini quantus sit iste*, qui ingreditur ad salnandas gentes. Vere magnus, quem Vnigenitum *1. Ioan.* 4. 9. Pater misit in mundum, quem Virgo corporaliter effudit, quem Virgo concepit, & peperit, & *Lucæ* 1. 26. & 55. post partum Virgo permansit. Annunciatur ab *Luc.* 2. 7. Archangelo, concipitur de Spiritu Sancto, nascitur ex sacra Virgine, & à Ioanne adhuc clauso in- *Lucæ* 1. 44. ter materna viscera præmonstratur. Suscipitur à *Luc.* 2. 28. sene Simeone cum ineffabili gaudio, à quo lumé gentium, & gloria plebis Israeliticæ prædicatur.

Videsne ergo sapientiam attingentem à fine, *Sap.* 8. 1. vsque ad finem fortiter, & disponentem omnia suauiter? A puero nondum nato, vsque ad senem decrepitum, tam congrua sibi testimonia proferentem, & tam dulci concordia veritatis organa *Ps.* 18. 7. modulantem? Hinc per Prophetam dicitur: *Nō est qui se abscondat à calore eius.* Cuius egressus à Patre, regressus ad Patrem; excursus ad inferos, recursus ad sedem Dei. Quis enim se à calore eius abscondet, quem infans sensit in vtero, quo senex frigidus flagrauit in templo? Ille quasi significaret se velle occurrere Domino, exultabat motu, quo poterat. Hic accipiens in vlnas suas, incredibili desiderio expectatum IESVM, diutinum amorem hausit medullitus; nec ferens in carne fragili suauissimum odorem super cœlestis essentiæ, & vim verbi flammigerantis in ossibus, præcabatur sui corporis dissolutionem, quò liberiùs effracto mortali domicilio, prægustata dulcedine frueretur, & natum Saluatorem, quem apud superos prædicabat, habitantibus in regione vmbræ mortis nunciaret.

Sed quid agimus, aut quò rapimur? Ecce dum benedictam in mulieribus prædicare cupimus, fructum ventris eius benedictum attolimus, & dum quærimus laudare speciem arboris, fru- *Matth.* ctus nimia dulcedine detinemur. Omnis enim 7. 17. arbor ex fructu suo dignoscitur, & ex propria, vbertate pensatur. Vt palma ex dactylorum suauitate, vitis ex vini liquore, oleaster ex oliuæ pinguedine: ita nimirum laus nati genitrici exuberat, & honorem puerperæ partus diuinus accumulat.

Libet dilectissimi quæ præmissa sunt alio sensu repetere, & alia rursus assertione comprobare, vt cæca infidelitas arguatur à lumine, & fides *Exod.* 25. Christi se palpabilem præbeat, & inoffensam. In- 18. grediamur itaque sancta sanctorum, & intueamur propitiatorium, habens desuper duo Cherubim, ipsum cum versis vultibus respicientia, & obumbrantia extensis alis. Illic inter cætera re- *Heb.* 9. 4. fulget vrna aurea, habens manna reconditum. Illic est virga Aaron, quæ fronduit. Propitiato- *1. Ioan.* 2. rium intellige, de quo ait Apostolus: *Quoniam ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Duo Cherubim duo testamenta significant. Cherubim nāque interpretatur scientiæ plenitudo, scientiæ plenitudo in testamentis est. Benè ergo Cherubim propitiatorium, versis ad se vultibus respiciunt, tegunt que Christum, quem testamenta concordi ter prædicant, figuris, & ænigmatibus velant.

Vrna aurea Beata est MARIA, aurea per excellentiam vitæ; aurea per integritatem, & puritatem; aurea per plenitudinem gratiæ. Hæc vrna manna reconditum habuit, quæ panem Angelorum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, sacrosancto gessit in vtero.

Virga verò dicitur, vt pote gratiosa, & recta, subtilis, & perrecta. Gratiosa per verecundiam, & formositatem; recta per iudicium, & æquitatem, subtilis per contemplationis ingenium; perrecta per vitæ meritum. Effloruit autem de Spi- *Nu.* 17. 8 ritu Sancto, sicut virga Aaron floruit ex miraculo. Illa fructum protulit amygdalinum; ista & optimum protulit amygdalum, habentem nucleum, & testam, nucleum, vt reficiat; testam vt contegat; nucleum in diuinitate, testam in humanitate.

Vis nosse nucleum? Audi, quia *in principio* *Ioan.* 1. 1. *erat Verbum*; testam nosse desideras? Audi, quia *Ioā.* 1. 14. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Vides ergo, quia necleus in testa, Verbum est incarnatum. Et quoniam testa etiam corticem habet, corticem intellige in carnis amaritudine, testam in resurrectione, nucleum in deitate: cortice Christus nos sanat, testa corroborat, nucleo pastum æternum administrat. Hoc nucleum, hoc *Can.* 3. 4. Verbum inter vtrumque nos illuminet, & vsque in cubiculum genitricis suæ nos introducat, quod viuit, & regnat cum eodem Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

HOMILIA SECVNDA.

De iustificatione, vel ornatu MARIÆ Virginis.

QVia semel annuente Deo beatissimæ Virginis laudes exorsi sumus; restat, vt eiusdem præconia medullis cordis, & vocis officio persoluamus. Intendamus gloriæ eius, & ingressi abysum tanti luminis, splendorem rutilum semitarum illius dilatato corde, & inenarrabili percurramus lætitiæ, dicentes cum Salomone, *Viæ* *Prou.* 3. *eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* 17. Quòd si dicente eodem Propheta, *Iustorum se-* *Prou.* 4. *mita, quasi lux splendens procedit, & crescit* 18. *vsque ad perfectum diem*, quis lucem, & splendorem semitarum eius eloqui sufficiet? Harum tamen processus, & incrementa viarum partim explicare conabimur, vt in gradibus suis gloriosa dignoscatur, & per singulos gradus suos pronuncietur. Habuit enim distinctos gradus, & incrementa diuisa, vt pulcherrimo castitatis ordine *Psal.* 83. incederet, & de virtute in virtutem proficiens, 1. videret Deum Deorum in Sion, translata à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. *2. Cor.* 3. 18.

Primò, itaque omnium virtutum decore meruit ornari. *Secundò*, Spiritui Sancto fœdere maritali copulata est. *Tertiò*, mater inuenta est Sal-

uatoris

uatoris. *Quartò*, animam eius per transijt gladius, & carne sumpta de carne eius, mundi perditi ruina reparatur *Quintò*, exultat in Filio resurgente, & ascendente super cœlos cœlorum ad Patris dexteram. *Sextò*, de hoc seculo rapitur, & occurente sibi Domino, supra cœligenas omnes collocatur. *Septimo*, demum perficietur cùm plenitudo gentium introierit, & omnis Israel saluus erit. Gaudet enim vltra quàm dici, aut credit fas est de communi electorum salute, sciēs quòd propter eos Dei Filius carnem suscepit ex ea. Tunc ergo perficietur, Deo melius prouidēte, ne sine nobis consummarentur.

Rom. 11. 25.

Hebr. 11. 40.

Iam verò nomina ipsorum graduum consideremus. *Primus* dici potest iustificatio, vel ornatus. *Secundus* copulatio, vel fœderatio. *Tertius* Virginis partus, aut noua progenies. *Quartus* mentis robur, siue martyrium. *Quintus* gaudiū, vel admiratio. *Sextus* assumptio, vel exaltatio. *Septimus* plenitudo, seu perfectio. Prædicta iustificatio, vel ornatus procedit ex timore Dei. Copula quoque talis, & fœderatio, ex incredibili pietate prouenit. Nam Virginis partus, & noua soboles lumen scientiæ effudit vniuersitati. Opus fortitudinis Christo moriente, & matre aspiciente exhibitum est. Eodem verò resurgente, profundissimum, & inscrutabile consilium, quo hostem callidum decepit, & mundum redemit in gaudium, & admirationem profluxit. Inde cœlis apertis bona inuisibilia referantur, & fit quoddam mirabile, vt sicut Deus in homine, hominis passiones experimento didicit, sic homo assumptus in Deum, Dei gloriam pleno intellectu percipiat. Demum sapientia adducet plenitudinem, & perfectionem, vt perfecta in perfecto appareat, & in plenitudine glorietur.

Repetamus quæ dicta sunt, & eisdem denuò gradibus commorantes: *Dominum innixum scalæ, Angelos etiam ascendentes, & descendentes.* Ad Virginem contemplemur. Mirantur enim puellam castissimam Matrem Domini, cœlique Reginam mox futuram, & in his erumpunt vocibus admirationis, & laudis: *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?* Quid est dealbata, nisi albis vestibus ornata? ornata scilicet ornatu decoris, & honestatis, iustitiæ, & sanctitatis. Harum vestium ornatu Prophetarum eximius fulgebat, cùm diceret; *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & corona iustitiæ circundedit, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Hinc per Psalmistam dicitur: *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Isaias verò hortatur Ierusalem, vt excussa de puluere induatur vestimentis gloriæ suæ. Et per exprobationem primo Angelo dicitur: *Et tu signaculum similitudinis in Paradiso deliciarum Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum Sardius, topazius, iaspis, chrisolitus, onyx, & berillus, sapphirus, carrus, carbunculus, & smaragdus.* Sciendum verò, quòd hæ vestes albæ sunt, & odoriferæ, prætiosæ, & variæ. Albæ propter innocentiam, & puritatem, & lucis æternæ candorem. Odoriferæ propter fragrantiam opinionis, & bonæ famæ. Pretiosæ ob sui dignitatem, & commoditatem. Variæ ad varios vsus, & qualitates distinctas.

Gen. 28. 12.

Can. 3. 6.

Isai. 61. 10.

Psal. 131 9.

Isai. 52. 1. 2.

Ezec. 28. 12. 13.

De albedine iam supra dictum est. *Quæ est ista, quæ ascendit* dealbata? Et alibi legimus, *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* *Quasi aurora.* Surgens de tenebris ad lumen, de errore ad fidē, de mundo ad Deum, & in ortus sui diluculo infecta murice verecundiæ, cum humilitatis venusto pallore. *Pulchra vt Luna*, quia casta permanens in seculum seculi, super cœlestis luminis illustratione perfunditur, & abumbratione lætatur. *Electa vt Sol.* Vbique claritas, vbique splendor, vbique candor vestium designatur. Possent, & alia dici de hoc candore, vt illud Domini dicentis de suis: *Ambulant mecum in albis, quoniam digni sunt.* Et illud, *Qui vicerit, vestietur vestibus albis.* Sed breuitatis studio perurgemur.

Can. 6. 9.

Apo. 3. 4.

Ibidem.

Iam de odore earundem vestium verba sponsi sponsam laudantis in epithalamio audiamus. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris:* Asserunt odore thuris dæmones effugari, lachrymas excitari, Deum lachrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim, odore virtutum sanctæ MARIÆ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine, huc illucque raptari, vt in eis impleatur, quod dictum est, *Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* Odor iste mortuos in peccatis excitat, mente debiles roborat, bonos incitat ad meliora, meliores ad optima. Bonus odor, qui regem in accubitu suo per Virginem prouocauit, vt ad nos veniens, nostra reciperet, sua daret, constituens nobiscum amicitias lege immobili, & pace sempiterna. Sic itaque fragrantia vestimentorum Sanctæ MARIÆ hostes fugat, bonos inuitat, Deum placat.

Cant. 4. 12.

Ps. 34. 5.

Nam de pretiositate eorum, & varietate, cum Psalmista Speciosо formæ præ filijs hominum de laude sponsæ eius loqueretur, cecinit dicens: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate:* Et paulò post subintulit, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietate.* Non solùm autem vestitu deaurato, & fimbrijs aureis decoratur, verùm etiam veste stragulata, quam fecit sibi, dicente Salomone. Et omni lapide pretioso cooperitur. Nulla enim gemma, nullus lapis pretiosus, nulla pretiosa margarita huic deest operimento, vt non iam simpliciter pretiosum, sed omni pretiositate pretiosum iure appellari queat. Nam sicut vna pretiositas momento momenti, imò vltra omne momentum, & partem momenti discurrens, multas efficit pretiositates, sic multæ in vnam conueniunt, vt vnius participatione in vna sint vnum. Et hæc pretiositas est Charitas, vestis scilicet nuptialis, vestis

Ps. 44. 3.

Ps. 44. 10.

Ps. 44. 14.

Prou. 31. 22.

Ezec. 28. 12.

non

non habens maculam, aut rugam, vestis impartibilis, inconsutilis, deluper contexta per totum. Qua, per quam, & in qua sunt omnia chara, quæcunque chara sunt omnia bona quæcunque bona sunt. Et ipsa sunt vnum in vnitate. Idem in deitate, simplum in simplicitate. In toto totum obtinent, & de toto gaudent, sepositа ab omni diminutione, & duplicitate, & numerositate.

His dictis de pretiositate ornamẽtorum; de varietate, cuius superius exempla posuimus, differamus. Huius duæ sunt species, vna in coloribus, alia in vsibus. Item quæ in coloribus consistit, diuiditur in albedinem, & nigredinem, in ruborem, & viriditatem. Hos principales colores asserunt, & hi maximè exornant præfatam vestem. Viret enim, vt oliua, vel laurus, & vt iris virens in nubibus. Viret in fide, & spe æternorum, in obedientia mandatorum, in contẽplatione æternæ viriditatis, & virore æternitatis. Rubet verò, vt sphera ignea, vt regis purpura, vt coccus bis tinctus, præferens amorem Dei, & proximi. Fuligo eius vt cornu, & vt elatæ palmarum, aut certè velut ebur intinctum, & vt cœli serenitas in medijs noctibus. Color iste in fundamẽto ponitur, & cæteris coloribus substernitur, vt nobis innuat virtutem humilitatis in fundamento poni debere. Si candorem quærimus, candet perpetua virginitate, & perfecta puritate; decoris quoque suauitate fortem Rhinocerotem inclinat, Deum maiestatis inuitat. Alia multa de varietate, & significatione colorum à spiritualibus spiritualiter inueniri possunt.

Verum varietas, quæ vsibus accommoda deseruit, multis, & ipsa refulget speciebus. Alia namque ornamenta illud caput altissimum, collumque benè ornant, & velant. Alia crines, & aures; Alia pectus, & brachia; Alia manus, & digitos. Quædam totum corpus induunt, quædam lumbos accingunt, quædam pedes muniunt. Caput eius mens eius dicitur. Nam sicut caput regit membra corporis, ita mens sensus animæ regit, & moderatur. In collo; quod cæteris membris eminet, & vitalem gratiam capitis artubus subministrat, altitudo illius exprimitur, qua præsidens membris Ecclesiæ, caput suo connectit corpori, quia Christum coniungit Ecclesiæ, & vitam quã primo loco suscipit, reliquis membris infundit. Decebat enim vt sicut per fœminam mors, sic per fœminam vita intraret in orbem terrarum. Et sicut in Eua omnes moriebantur, ita in MARIA omnes resurgerent. Illa malè credula verbis serpentis, mortis venenum miscuerat. Hæc conterens caput serpentis, antidotum vitæ cunctis ministrauit, vt mortem occideret, & vitam repararet. Crines capitis sunt cogitationes cordis, aures auditus interior.

Rom. 5. 18. 1. *Cor.* 15. 22.

In pectore secretum latet, & cogitatio voluitur. Vnde hic mos inoleuit, vt rei pectora tunderent, & quasi feriendo suam iniustitiam accusarent. Per pectus ergo arcana illius glorioſi pectoris designantur, per brachia virtutes operum, per manus ipsa opera, per digitos operum diuisiones. Corpus eius operum eius indiuisa connexio. Lumbi volũtates eius. Pedes affectus illius sunt, quibus ingressa semitas æquitatis, præclara vestigia posteris dereliquit. Hi pedes calceãtur * eximijs mortuorum animalium, quia exemplis præcedentium patrum muniuntur. Lumbi præcingun tur præcinctorio fidei, & cingulo iustitiæ. Corpus induitur amictu illo, de quo Apostolus ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Qui nos hortatur, vt induamur nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Vide homo, & obstupesce ad tantam nouitatem, cùm Hieremias dicat. Nouum faciet Dominus super terram, mulier sola circundabit virum. Eadem, quæ circumdedit, circundata est, circumdans carnem, circundata est à spiritu; circumdans virum nouum, circundata est ab homine nouo; circundans, & generans, circundata, & regenerata, generans in forma humanitatis, regenerata in forma nouitatis.

* *Lego exuuijs.*

Calat. 3. 27. *Pphes.* 4. 24. *Hiere.* 31 21.

Transeamus ad reliqua. Annuli ornant digitos, quia singula opera eius fide, & dilectione clarescunt. Annulus enim significat fidem, & castam dilectionem. Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Tornatiles propter perfectionem operis, aureæ propter fulgorem sapientiæ, plenæ hyacinthis propter puram, & feruidam intentionem. Hyacinthus quippe cæruleus, & rubeus, lucidũ, & feruens opus demonstrat.

Cant. 5. 44.

Brachia eius illo sunt impressa signaculo, de quo sponsus ait in canticis, *Pone me signaculum super brachium tuũ.* Aut certè eius dextrã operit ignea lux, & sinistra rutilat purpura Dominicæ Passionis. Auribus dependent inaures obediẽtiæ. Crines ligat vitta disciplinæ: Pectus exornant monilia mundissimarũ, & lucidissimarũ cogitationũ: Torques aureus additur collo eius. Hoc soliti sunt secundi in Regnis coronari, & hæc est secunda corona. Prima namque præfulget in terribili capite dominatoris vniuersæ terræ. Secunda cecidit in sorte matri eius. Ipsa enim singularis regnat in Regno Dei, & Christi, dehinc sub illa, & post illam Sancti altissimi. Caput eius Virginitatis gloria obumbratur, & charitatis coccino velatur. Benedictio Domini super illud, & benedictione omnium gentium repletur.

Cant. 8. 6.

Coronatur etiam coronis omnium populorũ; & exultatione cunctorum promouetur. Cerne in decore diadematis eius sanctorum concentum, vibratum à repercusso lumine; cerue sculptos lapides, gemmas vernantes, stellas corruscantes? Patriarchas expectantes, Prophetas præmonstrantes, Apostolos comitantes, Martyres triumphantes, Confessores, & Virgines exultantes. Corona illa rubet rosis, liliis albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur, omni fructu repleta, omni suauitate referta. Hæc nos, dilectissimi, de iustificatione Virginis, vel ornatu dixisse sufficiat. Super est, vt eius sacra manuductione ad pertractanda profundiora, & secretiora mysteria in visione Domini præparemur, Amen.

HO-

HOMILIA TERTIA.

De Incarnatione Christi, & Virginis Conceptione de Spiritu Sancto.

DOmine audiuimus opera tua, & expauimus. Considerauimus mirabilia tua, & defecimus. Descendente verbo tuo, cor nostrum liquefactum est, & omnia interiora nostra contremiscentia paruerunt illi. Nam *dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de regalibus sedibus venit.* Effudisti enim Pater viscera charitatis tuæ super nos, & multitudinem miserationum tuarum vltra cohibere non potuisti. Effudisti lucem in tenebris, rorem in siccitate, & in magno gelu ignem vehementissimum accendisti. Ideò apparuit nobis filius tuus, vt copia ciborum, imminente fame grauissima, & vt fons aquæ viuæ animæ laboranti, & deficienti præ siti in æstu. Aut certè, sicut apparere solet fortis adiutor, & liberator obsessis, iam iamque ruituris in prælio; quibus mors intentatur præ oculis, hostili gladio comminante, & armata dextra sitiente cruorem. Sic ille nobis apparuit, & factus est in salutem. Veruntamen salutis nostræ exordia repetere, & incarnationem eius retractare, recolere vnde venerit, qualiter descenderit, vbi, & quomodo conceptus fuerit, optimum, ac saluberrimum est. Modum verò conceptionis extremum ponimus, vt exequentes propositum nostrum, illam ineffabilem coniunctionem, qua de Spiritu Sancto Beatæ MARIÆ venter efloruit, latiùs in fine differamus.

Sap. 18. 14.

Licet enim sit ineffabilis, multa tamen iucunditas, mira, & stupenda suauitas vbertim elici potest. Illic enim est summa nostræ fidei, illic honor substantiæ, radix vitæ, lumen scientiæ, amoris vinculum indissolubile, & patens aditus ad æterna. Sed iam occurrat nobis Beatus Dauid, & dicat vnde venerit. *A summo cœlo egressio eius.* Quid est à summo cœlo? à Deo, qui est summa essentia, summum bonum, summa beatitudo. Summa essentia est, quæ nec loco circunscribitur, nec mutabilitate mouetur, nec tempore claditur; sed omnia loca maiestatis immensitate circunscribit, omnia mutabilia mouet propria immobilitate, claudit cuncta tempora æternitatis infinitate. Summum bonum est eadem essentia, non ex alio essentia, ex alio bonum, non solùm per dictam immensitatem, immutabilitatem, & æternitatem; verùm etiam propter æternam largitatem creationis, quam parturiuit in tempore, & infinitam sapientiam, qua antequam quicquam esset, cuncta disposuit in æternitate, & amorem ineffabilem, quo opus suum complectebatur, antequam produceretur in creationem. Iterum summa beatitudo consistit in summo bono, suique adeptione efficit verè beatos. Eius namque participatione vita æterna acquiritur, perfecta sapientia tribuitur, amoris plenitudo possidetur; vt plena sinceritas sit in æternitate vitæ, plena iucunditas in lumine sapientiæ, plena suauitas in amoris dulcedine. Hæc de summa essentia, summo bono, & summa beatitudine diximus, vt interluceret nobis summum cœlum, de quo venit Christus.

Pſal. 18. 7.

Sed quia hoc summum cœlum Pater, hoc summum cœlum Verbum, hoc summum cœlum Spiritus Sanctus: Venit Christus à Patre, venit etiã quodammodo à Verbo, venit à Spiritu Sancto. Qualiter verò venit à Patre, qui nunquam reliquit Patrẽ? Qualiter à Verbo, qui nunquã Verbũ esse destitit? Qualiter à Spiritu Sãcto, cũ Spiritus Sanctus à Patre, & ab ipso procedat? Difficilis est hæc quæstio, & multa indiget profunditate. Et quis erit nobis progressus ad hæc sancta Dei? Quo ordine iter aggressum consequemur? Ecce condensa nebula, nubesque lucidissima itinera nostra præpediunt. Aqua illa, quam vidit egredientem de templo sancto Ezechiel, non solùm talos, & genua, verùm renes, & collum operiens diffunditur super nos, ne transuadare possimus. Adest tamen ille in quo speramus, in quo ab adolescentia confidere edocti sumus, qui effundat animas nostras, & leuet nos super nos, ponens pedes nostros, quasi ceruorum, vt educat nos super excelsa nostra, statuens nobis specula in monte cum Moyse, & Helia, quatenus quod quærimus reuelata facie contemplari possimus. Ibi ostendetur omne bonum, ibi pleniùs de visione Domini erudiemur.

Ezec. 47. 3. *& seq.*

Pſal. 17. 34.

Matt. 17 3.

2. *Cor.* 3. 18.

Quod si voluerimus accedere ad caliginem, in qua ipse est, ingressi medium nebulæ, & permoti gloria tantæ maiestatis, perterriti etiam magnitudine illius infinitatis, non subsistemus, & erimus quasi nihil. Deus enim lucem inhabitat inaccessibilem, cuius ignis sicut stipulam carnes deuorat, cuius faciem nemo videre potest, & viuere; ad cuius abyssum indagandam Angeli non sufficiunt, ad quem nulla potestas aspirat, præter illam, quæ in vnitate personæ copulata est. Demus itaque gloriam Deo, & cadentes in facies nostras, adoremus à longè vestigia Trinitatis, credẽtes corde, & confitentes ore, quia quicquid de ipso senserimus, aut dixerimus, sub ipso est.

Hac fide præmuniti, ad soluendam quæstionẽ propositam redeamus. Christus venit à Patre, venit à Verbo, venit à Spiritu Sancto, quando tota Trinitas conceptionem, & humanationem illius operata est. Nihil enim aliud fuit à summa Trinitate venire, quàm operante eadẽ Trinitate cõcipi, & humanari. Ideò dictũ est (à summo cœlo egressio eius.) Venit etiam Vnigenitus à Patre, & à se, secundùm alterius modi intelligentiam. Venit & à Spiritu Sancto. Aliter tamen à Patre, & à se; aliter à Spiritu Sancto. A Patre namque genitus æternaliter, ex matre prodijt genitus temporaliter, apud patrem manens inuisibiliter, & cum hominibus visibiliter conuersatus. Hoc enim fuit illi egredi à Patre, quod tempora nostra suscipere, quod foris visibiliter apparere, & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod verò dictu mirabile est, iste venit ab eo, à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remane-

Pſal. 18. 7

manebat, vt sine interuallo totus esset in æterni
tate, totus in tempore, totus inueniretur in Pa-
tre, quando totus in Virgine, totus in sua, & Pa-
tris maiestate, quando totus in nostra humanita-
te. Si quæris, quomodo? collige veritatē ex ima-
gine. Verbum in corde genitum, aliquando in-
tegrè exit in voce, vt perfectè ad alios veniat, &
totum in corde remaneat. Sic verbum bonum de
corde Patris eructatum, & in campum exijt, &
Ioan. 1. Patrem non reliquit. Venit etiam verbum à se,
14. descenditque sub se, quando caro factum est, &
Phil. 2. 7 habitauit in nobis, quando semetipsū exinaniuit,
formam serui accipiens. Illa exinanitio eius des-
censio fuit. Ita tamen descendit, vt sibi non dees-
set. Ita caro factum est, vt verbum esse non desi-
neret, nec minuit gloriam maiestatis, humani-
tatis assumptio.

Sciendum quoque qualiter à Spiritu Sancto
venerit, cùm Spiritus Sanctus ab illo procedat.
Procedit quidem ab illo Spiritus Sanctus æter-
na processione, sed ille natus ex MARIA Vir-
gine, venit de Spiritu Sancto temporali concep-
tione. De æterna processione Spiritus, per Psal-
Ps. 32. 6. mistam dixit: *Verbo Domini cœli firmati sunt,*
& Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ver-
bum Patris, os Domini nominauit. In quo se-
mel Dominus nobis locutus est. Spiritum oris,
Spiritum Sanctum appellauit, dictum Spiritum
oris, quòd ab ore procedat. Nam quòd verbum
de Spiritu Sancto venerit, sic habes in Habacuc:
Hab. 3. 3 *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pha-*
ran. Per austrum, in quo est vitalis calor, virtus-
que genitiua, Spiritus designatur; qui confert vi
tæ nouitatem, faciens oriri germina virtutum.
Et licet Beatus Hieronymus, quem sequi cupi-
mus, montem Pharan Patrem appellarit, non in-
congruè tamen monte Pharan idem Dominus
significatur: Mons dictus propter excellentiam
charitatis; Pharan, propter gratiarum diuisio-
nem. Pharan quippe interpretatur diuisio. Et
Spiritus Domini dona sua singulis prout vult, di
uidit. Venit ergo Deus ab austro, quia de calore
viuificante, & regenerante conceptus est. Venit
de monte Pharan, quia de ineffabili celsitudine
diuisionis charismatum emanente profluxit. Dic
Dan. 2. nobis sancte Daniel, qualiter de hoc monte des-
34. cenderit: *Præcisus est*, ait, *de monte lapis sine ma-*
Petr. 2. *nibus.* Quis lapis? Lapis quem reprobauerunt
7. *Ephes.* ædificantes. Lapis angularis. Lapis, quem vngit
2. 20. Iacob. Lapis, in quo sunt septem oculi; hic præ-
Genes. 18. cisus est de monte sine manibus: quia Virgo sa-
38. cera suscepit eum non ab homine, neque per ho-
Apoc. 5. 6 minem, sed de Spiritu Sancto.

Dic etiam nobis Beate Dauid modum descen-
sionis eius: *Ps.* 71. 6. *Descendit, sicut pluuia in vellus,*
& sicut stillicidia stillantia super terram. Prius
dicendum est, quid hoc vellus, quæ terra, de hinc
qualiter pluuia descendit in vellus, & qualiter
stillicidia stillant super terram. Vellus cùm sit
de carne, excrescit extra carnem, & carnis passio
nes ignorat. Attactu leni, colore humili, manſue-
tudinem, & humilitatem denunciat. Formæ etiā
habilitate, simplicitatis, & innocentiæ gerit indi
cium, & naturali velamine membrorum fouet te-
neritudinem. Designat autem glorioſam Virgi-
nem, quæ in carne degens, extulit se extra carnē,
& carnis passiones mactauit robore spiritus. Nā
manſuetudine, & humilitate nulli similis extiti-
sse dignoscitur. Simplicitatem eius, & inno-
centiam dicere nullus sufficiet. Charitatem, qua
humanum genus incessanter protegit, & fouet,
mentis intelligentia non comprehendit. Porrò
præfata terra eandem Virginem demonstrat, ter
ræ nomine appellatam, propter quandam simili-
tudinem. Sicut enim vetus Adam de terra incor- *Gen.* 2. 7.
rupta, nullumque passa contagium formatus est,
sic terris terra Virgo nouum Adam procreauit.

Si non credis mihi prædicanti ortum noui ho
minis de terra; crede Psalmistæ dicenti: *Veritas* *Ps.* 84. 12.
de terra orta est. Quę maior nouitas, quā vt oria
tur de terra ille, qui est veritas? Crede etiam tu-
bę ductili Isaiæ producentis gracilem, & suauem
admodum sonum, ac dicentis: *Rorate cœli desu-* *Isai.* 54. 8
per, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, &
germinet Saluatorem. Qui iterum dixit, *Erit* *Isai.* 4. 2.
germen Domini in magnificentia, & gloria, &
fructus terræ sublimis. Germen Domini in mag
nificentia, & gloria extitit, quando conceptum
de Spiritu Sancto, & ortum de radice Iesse, in
summitate virgæ totum efflоruit, imò flos fuit: *Isai.* 11. 2.
Et requieuit super eum spiritus Domini, spiri-
tus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij,
& fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis,
& repleuit eum spiritus timoris Domini. Fru-
ctus verò terræ sublimis fuit, quia benedictus fru
ctus MARIÆ, diuinitatis celsitudine meruit
sublimari. Hæc idcirco diximus, vt terræ nomi-
ne MARIAM intelligi debere monstraremus.

Restat differere, qualiter pluuia descendat in
vellus, qualiter ve stillicidia profluant super ter
ram. Pluuia descendit in vellus absque strepitu,
sine motu, sine vlla scissione, aut diuisione. Leni
ter infunditur, tranquillè suscipitur, suauiter bi-
bitur. Sic stillicidia, sensim, & paulatim infun-
dunt terram tam mirabili decursu, tactaque sub-
tilitate; vt in introitu vix pateant, & in exitu
germina producant. Ita imber veniens de vltra
super cœlestes aquas descendit in gremium Vir-
ginis, sine humano opere, absque motu concupi-
scētiæ; salua integritate, & claustris virgineis ob-
seratis, leniter infusus est, tranquillè susceptus,
incarnatus ineffabiliter. Stillauit quoque super
terram eius, in introitu non comparens, & in
exitu prodiens manifestè. Sunt ad hæc tantæ rei
aliæ similitudines. Enimuerò, vt claritas solis
vitrum absque læsione penetrat; & vt radius ocu
lorum tranquillo, & claro liquori sine scissio-
ne, & diuisione immergitur, vt vsque ad fun-
dum vniuersa rimetur: sic Dei Verbum adijt vir
gineum habitaculum, & inde prodijt clauso
Virginis vtero. Quippe qui facilè posset extra
Virgineum corpus creare de nihilo, facilè potuit

corpus

corpus acceptum de Virgine, extrà sine carnis scissione traijcere. Neque enim legi naturæ se subdidit, sed legem naturæ subdidit sibi.

Ecce diximus qualiter descenderit Dei Verbum. Vbi namque descenderit, simili modo manifestum est; quia descendit in vterum Virginis, vterum impollutum, immaculatum, cõsecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturę associatum, impleuit sacratissimum, & secretissimum Sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur. Factus est ergo Deus inuisibilis, homo visibilis. Impassibilis, & immortalis, passibilem se, & mortalem exhibuit. Incircumscriptus lineis nostræ substantiæ circunscribi voluit. Clauditur aluo puerperæ, cuius immensitas claudit ambitum cœli, & terræ, & quem cœli cœlorum non continent, MARIÆ viscera complectuntur. Si quæris, quo modo factum est istud, audi summum Angelum exponentem MARIÆ ordinem rei, & dicentẽ ei, *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Gaude ergo, & lætare MARIA, quia concipies de spiramine; gaude, quia inuenta eris habens in vtero de Spiritu Sancto. Desponsata quidem erat Ioseph, sed à Spiritu Sancto præuenta. Ille, qui te creauit, signauit, & assignauit te sibi; plasmator tuus ipse factus est sponsus tuus, factus est amator formæ tuæ; qui plasmator ipse te vocat, dicens: *Veni amica mea, formosa mea, columba mea, iam enim hyems abijt, & recessit.* Veni. Ille decorem tuum concupiuit, & tibi coniungi desiderat. Impatiens moræ, ad te venire festinat.

Luc. 1. 35.

Luc. 1. 27.

Cant. 2. 10.

Surge ergo, induere vestimentum gloriæ tuæ, ornare pretiosissimis ornamentis tuis, quia complacuit Domino in te. Surge in occursum sponsi tui, & Dei tui, & dic ei, *Ecce ancilla Domini.* Festina, noli tardare, quia ille nõ tardabit, sed exultabit, vt gigas ad currendam viam. Festina, & tu *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,* currens obtiam ei, vt osculeris osculo oris eius, eiusque beatissimis immiscearis amplexibus. Egredere, quia iam thalamus collocatus est, & sponsus veniet tibi, veniet tibi Spiritus Sanctus. Ille *superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi* subitò. Dum verò speras, dum damna dilationis deploras, & dilecti tui barris absentia; velox, & improuisus superueniet in te, vt inopinato perfruaris gaudio, & noua lætitia perfundaris. Superueniet non solùm tibi, sed in te, vt propriùs reuisat te, & inspiret tuam gratissimam dilectionem; insinuans tibi intima aspersione verbum bonum, verbum plenum congratulationis, & admirationis, plenum consilij, plenum gaudij, plenum salutis.

Luc. 1. 38.

Psal. 18. 6.

Psal. 44. 11.

Luc. 1. 35.

Spiritus Sanctus superueniet in te, vt à tactu eius venter tuus contremiscat, vterus intumescat; gaudeat animus, floreat aluus. Macta, id est, magis aucta, quæ tanta suauitate perfrueris, tam cœlesti osculo dignaberis, tali sponso coniungeris, á tali marito fœcundaberis. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* In alios sanctorum venit, in alios veniet, sed in te superueniet, quia præ omnibus, & super omnes elegit te, vt superes vniuersos, qui ante te fuere, vel post te futuri sunt, plenitudine gratiæ. Impleuit quidem Abel tanta innocentia, vt innocens manibus, & mitis corde, de manu fratris necem susciperet: Tua verò innocẽtia, millia nocentium innocentiæ reddidit, & saluti. Transtulit Enoch; sed caro, quam generabis, cùm assumpta fuerit de terra, omnia trahet ad se. Impleuit Abraham fide, & obedientia, pro futura posteritati; sed fide tua, & obedientia mũdus saluatus gratias agit. Impleuit Moysen, & legis, nõ gratiæ latoré instituit; tibi autẽ tribuens nõ solùm legislatorẽ, sed gratiæ, & gloriæ largitorem. Asciuit Dauid in Prophetam, & Regem; sed ille tibi scribit, & filium tuum, Dominum suum nominat. Quid plura memorem? Omnes superas, præes vniuersis, non solùm hominibus, sed & summis cœlorum virtutibus.

Gene. 4. 8.

Genes. 5. 34.

Genes. 17.

Exod. 19 & 20.

1. Reg. 16 1. & 11.

Psal. 109. 1.

Hinc est, quod glorioſius præ illis nomen hæreditabis: nam cùm alius dicatur Angelus Dei, alius Propheta, alius præco, & quisque suo censeatur nomine, pro ordine, & dignitate, tu singulari, & speciali nomine appellaberis Mater Dei. Et ideò Mater salutis, Mater gratiæ, Mater misericordiæ. *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Superueniet in vbertate, in affluentia, in plenitudine, & in effusione carnis, & animæ. Cumque repleuerit te erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur, facturus in te quidam melius, & mirabilius, quàm cum ferebatur super aquas à principio, vt materiam creationis in distinctionem, formamque produceret: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Obumbrabit tibi Christus Dei virtus, & sapientia. Ille humanam ex te naturam suscipiet, & plenitudinem diuinitatis, quam ferre non posses, habebit in carnis susceptione. Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccesibili assumpta à Verbo humanitas obijciet, cuius obiectu lux illa temperata, castissima viscera tua perfundet.

Gen. 1. 2.

Libet, charissimi, in tanta solemnitate gaudiorum adhuc paulisper immorari, & de præfata cõceptione aliquid quærere, libet ipsum diuinum agalma, ipsum pretiosissimum, & sanctissimum vas, in quo Dei verbum conceptum est, apostrophando interrogare. Rogamus ergo Domina Dei Mater dignissima, non aspernerispetentes cum tremore, quærentes ex pietate, pulsantes cum charitate; rogamus, quo affectu mouebaris, quo amore tenebaris, quibus stimulis agitabaris, cùm hæc fierent in te, & Verbum carnem susciperet ex te? Vbi erat anima tua, vbi cor, vbi mens, vbi sensus, vbi ratio? Ardebas, vt rubus, qui olim ostensus est Moysi, & non comburebaris; liquefiebas, & non consumebaris. Ardebas liquefacta supernis ignibus, liquefacta in igne, vires resumebas ab igne, vt semper arderes, & interim liquefieres. Ignis ille rorẽ luminis exhibuit, ros lumi-

Exo. 3 2.

nosus vnctionem præbuit, vnctio semen sanctum præ-

præstitit. In quo repromissum est Abrahæ, quòd in eo benedicerentur omnes gentes. Hæsisti enim, Virgo pulcherrima, strictis amplexibus authori pulchritudinis; & effecta plùs Virgo, immo plùs quam Virgo, quia Mater & Virgo, hoc sacrosanctum semen deifica infusione suscepisti. *Aue* igitur *gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus Christus*, qui est super omnia benedictus Deus in secula seculorum, Amen. *Luc. 28 & 41.*

HOMILIA QVARTA.

De partu Virginis, seu Christi natiuitate.

Heri, dilectissimi, sermo noster habitus de copula spiritali, & conceptu virgineo, ad partum festinat; vt quam de Spiritu Sancto concepisse cognouimus, Deum verum, & hominem genuisse profiteamur. Enixa est enim puerpera Dei Filium, vt mira dignatione, mira & incredibili pietate Deus ad corpus descenderet, & assumpta carne destitutos filios Adæ visitaret. Factus est ergo Dei filius hominis filius, vt in vnitate personæ Deus esset & homo; Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus. Exultauit itaque gigas geminæ substantiæ, modulatis vocibus ex tinnulis suauissimis in cithara corporis decantare, & in carnis organocõpacto dulcissimos sonos edere, & inestabili cõcordia resonare, vt lapides susciteret, ligna commoueret, feras traheret, homines abstractos à carne educeret in sublime. Nam suauitate mirificæ cantilenæ suscitauit de lapidibus filios Abrahæ, & ligna syluarum, id est corda Gentilium ad fidem commouit. Feras quoque, id est feros motus, & incultam barbariem moraliter composuit, & homines ab hominibus edoctos in numerum Deorum instituit. Bene autem Dauid, cuius voces resonant in extrema terræ, cantoris officio perfunctus est, quia de semine eius magnus iste præceptor erat nasciturus. *Athan. in symb.*

Sed iam qualiter eum beata Virgo peperit, aduertamus. Peperit eum salua virginitate, quia saluo pudore concepit. Peperit inuiolata, quia illibata suscepit. Et quia in delictis non concepit, absque dolore peperit, nullum habens in conceptione contagium, nullum passa in partu discidium. Si enim, quod nefas est cogitare, in carnis voluptate conciperet, procul dubio in partu doleret, dicente scriptura, *Voluptas pœnam habet*. Vnde prima parens omisso vero, & æterno gaudio, quo poterat in Dei sui amore, & contemplatione perfrui, fluxa carnis voluptate resoluta corruit, & per intemperantiam ignominiosam damna passionum, & diræ mortis aculeos tolerauit. Hinc est, quòd vsque hodie Euæ filiæ in dolore pariunt, & quod cum dulcedine excipiunt, in magna carnis amaritudine profundunt. Non solùm autem illæ, sed & omnes filij Adam, qui in carne delectantur, carne cruciantur; vt inde cruciati, vnde delectati, sentiant ex verbere quid prę sumpserint ex delectatione; & discant carnem non amare, nec carnis desideria perficere. Qui enim in carne seminauerit, dicente Apostolo, de carne metet corruptionem. *Gal. 6. 8*

Porro Dei Genitrix, nec in carne delecta, nec carne cruciata, & in conceptione virginior, & in partu extitit sanior, obstetricante illa manu, de qua per Psalmistam Deo dicitur, *Fiat manus tua, vt saluet me.* Manus quippe Dei, vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit secula. Hæc manus facta, quando incarnata, non solùm nullum vulnus inflixit, verùm attestante Propheta: *Languores nostros ipsa tulit, & dolores nostros ipsa portauit.* Planè manus ista plena remedijs, plena medicinis, sanauit omnem languorem, morbos expulit, & mortuos suscitauit. Inferni claustra dissipauit, fortem ligauit, & vasa eius diripuit, & spiritum charitatis suorum cordibus infudit. Manus ista soluit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, diligit iustos, custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipit. Tentatos eripit à tentatione, dolentes reficit consolatione, mœstis reportat lætitiam, laborantes sub vmbra sua protegit, meditantibus leges scribit, orantium corda tangit, & benedicit, vt a tactu cõfirmentur, in benedictione amore proficiant, & perseuerent in opere, dehinc ad patriam reducit, & ad Patrem perducit. *Psa. 118 173. Isai. 53. 4.*

Ideo enim caro facta est, vt carne carnem traheret, & carni coniungens carnem, glutino charitatis ad Dei inuisibilia, & inuisibilem Patrem omnipotentem ouem erraticam reportaret. Nam quia relicto Deo, illa in carne cecidit; necesse fuit, vt huius incarnatæ manus ministerio, quasi quodam vehiculo, ad Patrem subleuata rediret. Hac igitur obstetricante manu, MARIA non solùm non doluit, verùm etiam in partu Virgo fuit. Hæc est illa ianua, de qua in Ezechielis volumine legimus. *Porta ista clausa erit Principi, & per eam Princeps egredietur.* Per hanc nimirum Princeps regum terræ Christus egressus est, quam sicut in ingressu non aperuit, sic in egressu non patefecit. Pertransijt in pace, & semita eius non apparuit. Et si miraris clauso vtero MARIÆ, signatoque Virginali pudicitia Deum natum; mirare, quòd clauso, obseratoque aditu sepulchri ad superos redijt, & clausis ianuis ad discipulos introiuit. Non enim tollimus admirationem, sed incredulitatem arcemus. *Ezech. 40. 2.*

Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, & vniuersa opera eius mirari possunt, nõ

Eccles. 18. inuestigari. *Cunctæ res difficiles*, ait Salomon, *non potest eas homo explicare sermone.* Nam vt omittam, qualiter ex vno paruo grano ingens arborum silua oriatur; & qualiter ex Adam, & Euæ semine, humani generis massa producta sit, aliaque innumera præteream, quis explicet naturam cyniphis de terra? vnde alarum extensio, & pedum deambulatio? vnde ocelli, & forma capitis? vnde effigies corporis? vnde aculeus tam subtilissimus, vt ab oculis interdum euanescat? Ita concauus, & perforatus, vt exhausto sanguine breuissimi corpusculum animantis impleat? Si autem inquisitione cyniphis succumbit tua ratiocinatio, ò homo, erubesce altiora te quærere, & fortiora te inuestigare. Nam si teipsum, & breuem abyssum animi tui non colligis; in infinitatem maiestatis qualiter ascendis? Qui nescit vsque ad primum limitem numerare, quomodo poterit de Arithmetica iudicare? Qui nescit, quid sit punctus, aut linea, eritne perfectus in Geometria? Qui nescit sonum edere, musicamne poterit docere? An erit peritus Astronomus, nesciens, quid sit motus? Ita qui se ignorat, alta Dei non penetrat?

Quid est enim humana sapientia diuinæ sapientiæ comparata? Nec locum puncti, nec punctum puncti apud eam obtinet. Nam vt quoddam mirabile proferam, oculus cyniphis aliqua proportione magnitudini cœli comparari potest, humana verò mẽsura nulla proportione contingit diuinam immensitatem. Quæ enim pars finitum infiniti? mensurabile immensurabilis? momentaneũ æterni? Aut qua multiplicatione, vel numero, creatura comparabitur Creatori? Si millia millium extenderis in infinitum, cassò labore coneris, & ne vlla quidem, vel extrema portiuncula, humanam scientiam diuinæ sapientiæ poteris comparare. Vnde si Dei essentia contempletur, hominis substantia non inuenietur, attestante Propheta, qui ait: *Isa 40. 15. 17.* *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi momẽtum, & inane reputatæ sunt.* Et Dominus ad Moysem, *Exod. 3 14.* *Hæc dices filijs Israel, qui est, misit me ad vos*, cùm se esse perhibuit, ab illis esse remouit.

Crede ergo Deo humana paruitas, immò humanum nihil, & super omnipotentissima sapientia sit firmissima argumentatio tua. Illam præpone, illam assume, & de illa fac conclusionem. Credo verò, quòd quicunque authori suo perfectè adhæserint, non arcebuntur lege naturæ, sed supra naturam, cùm authore naturæ stabilientur. Neque enim authori suo natura legem imposuit, sed author leges dedit naturæ, quas voluit; & quando vult, mutat ipsas leges, sicut quando de aqua *Ioan. 2. 9. & 11* vinum fecit, & de luto formauit oculos. Quando etiã seipsum in manibus continens distribuit edendum, & bibendum discipulis suis, totus extra remanẽs, & intus edentes se pascens. Sic (quod ad rem attinet) foras exijt clauso vtero Virginis. Hæc contra increduIos, & pro incredulis dicta sint. *Matth. 26. 27. & 28.*

Nec vos Iudæi intactos præteream, qui Prophetas ad vos missos occidistis, & Dei Filium, qui saluandis vobis venerat, interemistis; idem poculum miscentes Domino Prophetarum, quod & Prophetis antè miscueratis. Dixistis enim, *hic est hæres, venite, occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* *Matth. 21. 38.* Immò quia hæredem occidistis, hæreditatẽ amisistis. Nec iam vestra dicenda est hæreditas, quam emenso mille annorum spatio, per didistis. Quare ergo dicitis nondum venisse Messiam, nondum natum Christum? Aut ipsi mẽtimini, aut veritatem mendacẽ facitis, quæ loquitur in Psalmo de Dauid dicens: *Ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius, sicut dies cœli.* *Psa. 88. 30.* Et iterum. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius, sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* *Ibid. 36 37.* Rogo, vbi est ista promissio, vbi thronus Dauid perfectus sicut Sol in conspectu Dei? & perseuerans sicut dies cœli? Quod si veritas non fallit, nec fallitur, præsertim dicente Beato Iacob, *Non auferetur sceptrum de Iudà, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium.* *Gen. 40. 10.* Venite ad Ecclesiam Dei, & videbitis filium, & Dominum Dauid sedentem in throno suo, cum potestate magna, & maiestate.

Quod si adhuc impudicè, & irrationabiliter contenditis, & dicitis, Christus cum venerit, regnabit gens nostra cum illo. Videte primitiuam Ecclesiam de gente vestra. Videte fratres vestros, qualiter regnant cũ Christo. Ecce corda eorum viuunt in seculum seculi. Sapientiam eorum narrant populi, & laudem eorum nunciat omnis Ecclesia Sanctorum. Et adorant eos Tribus, & populi, & incuruantur ante eos filij matris eorum, id est, Ecclesiæ. Erubescite inimici Christi conculcari sub pedibus eius, cui à Patre dictum est, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum*, & incipite fieri de membris eius, vt bibatis redemptionis sanguinem, quem patres vestri fuderunt in suam perniciem. *Psa. 21. 27.* *Eccl. 39 14.* *Gen. 27. 26.* *Psa. 109 1.*

Et de vobis Gentilibus quid dicam? Caro nostra, & os nostrum estis, quæ res amplius de vestra nos reddit salute sollicitos. Quare enim non creditis Christum Deum esse? Creditis quidem illum natum, & natum ex Virgine absque vllo peccato vixisse, sed quia Deum illũ esse non creditis, erratis pernicio sè, & perditissimè delinquitis. Sed dicitis, ita credere à Propheta nostro edocti sumus.

Si

Si vultis scire, quòd vester ille Propheta pseudo fuerit, ex verbis eius condemnamus eum, & ex ore illius stultitiam eius improbamus. Ille dicit, Christum verè de Virgine natum, absque vllo mendacio, & absque vllo peccato conuersatum. Sed Christus, qui eius testimonio semper verax fuit, attestantibus Prophetis, & Apostolis, Deum, & Dei filium se esse apertissimè, in Euangelio professus est, ergo ille mendax fuit, qui Christum Deum non esse perhibuit. Configite ergo viscera vestra ad Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, quia sicut olim in diluuio, præter arcam nullus inueniebatur locus salutis, ita nunc prêter Ecclesiam Christi, nullus est locus diffugij.

His omissis redeamus ad id, de quo tractabamus, & differentiam * partium MARIÆ, & Euæ perpendamus. Eua parit corrupta, MARIA incorrupta peperit. Eua in dolore, MARIA in salute. Eua in vetustate, MARIA in nouitate. Ista seruum, illa Dominum. Ista reum, illa iustum. Ista peccatorem, illa iustificantem à peccato. Euæ partus mortes multiplicat, partus MARIÆ à morte saluat. Euæ parturienti draco insidiatur, partui MARIÆ ab Angelis ministratur. Euam parturientem tremor cordis occupat, parientem MARIAM virtus diuina lætificat. Eua quos parit, multis exponit casibus, quos parit MARIA, saluat à malis omnibus. Eua pariente, abundauit malitia, pariente verò Virgine MARIA, superabundauit gratia. In partu MARIÆ cœli lætati sunt, & terra exultauit, infernus etiam commotus expauit. Cœli lætam dederunt stellam, irradiantem, & Angelorum glorioſum exercitum collaudantem, & dicentem, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Exultans terra dedit Pastores glorificantes, & Magos adorantes, offerentesque munera, aurum, thus, & myrrham. Infernus conturbatus dedit Regem impium, & commouit in iram satellitem grassantem in necem innocentum, nec miserantem lactantibus veteris, auulsosque ab vberibus occidentem. Ita pariente MARIA, boni lætati sunt, & mali turbati, quia ille nascebatur, qui bonis bona redderet, & malos debita vltione feriret. Puta quando enixa est puerpera, faciem vniuersitatis risisse, & lætum orbem suo plausisse Domino. Puta cœlum absterſis nubibus induisse decorem, & sidera dicentia: adsumus, luxisse ei cum iucunditate. Puta noctem effudisse lumen in tenebris, & pro caligine ministrasse splendorem. Nox illa dedit lumen antequam oriretur, & lucem quæ ob nimium splendorem iubar solis obnubilat.

De hac nocte per Psalmistam dicitur, *Nox illuminatio mea in deliciis meis.* Et conuersus ad Dominum dixit, *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies, illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Fulgebat aëris grata, & serena temperies, & cuncta pacata in ordine suo, auctorem suauitatis, & pacis venisse testabantur. An non putas in ortu Christi cuncta pacata, quæ legis, illo moriente cuncta turbata? Illo moriente turbarentur, & nascente non pacarentur? morientem suo sensu sentirent, nascentem nescirent? Si autem illo nascente cuncta lætata sunt, mater eius qualiter lætabatur? Si cuncta gaudebant, illa quanto gaudio fruebatur? Aut quæ erat in genitrice lætitia, si ita gaudebant omnia? Lingua balbutit, cor refugit, sensus expauescit ad pondus tanti gaudij. Quomodo enim vas adhuc fragile, adhuc luteum, & mortale, ad tantam vim gaudiorum poterat durare? quia ille obumbrabat ei in ortu Christi, qui in conceptu obumbrauerat. Ille dabat sufferentiam gaudiorum, qui affluentiam præstabat; & quam gloria maiestatis replebat, ineffabili abundantia, virtus diuinitatis mirabili potentia continebat.

Cùm igitur natum repromissum edidisset, diem ex die in nostrum diem peperisset; conuersa ad Deum toto corde, vocem gratiarum, & laudis suæ audiri am fecit in excelso; obtulit acceptum labiorum sacrificium, & hostiam iubilationis immolauit, & dedit holocausta cordis pacifica, & thus odoris suauissimi in incensum Domini adoleuit. Accipiens verò natum Emmanuel, aspexit lucem incomparabiliter sole pulchriorem, & sensit ignem aquis inextinguibilem. Suscepit in testa carnis genitæ fulgorem illuminantem omnia, & verbum vniuersa portans portare meruit inter brachia. Repleta igitur scientia Domini, sicut aquæ maris inundantes rapitur extra se, & mente sursum eleuata, altissima contemplatione defigitur. Miratur se virginem assumptam in matrem, & Dei Genitricem se læta miratur. Intelligit in se completa Patriarcharum promissa, Prophetarum oracula, & Patrum antiquorum desideria, qui Christum de Virgine nasci præconabantur, & ortum eius votis omnibus expectabant. Videt Dei filium sibi commendatum, & mundi salutem sibi creditam lætatur. Audit sibi dicentem, & in se loquentem Dominum Deum. Ecce elegi te ex omni carne, & inter omnes mulieres benedixi. Ecce commendaui tibi filium meum, commisi tibi vnicum meum. Noli timere lactare, quem peperisti, agnosce non solùm Deum, sed & filium. Filius meus est, filius tuus est. Filius meus ex diuini-

Psa. 138. 11.

Eccles. 45. 4.

Matth. 2. 2, *Luc.* 2. 14.

Luc. 2. 20. *Matth.* 2. 11. *Ibid.* 3. & 16.

tate, Filius tuus ex assumpta humanitate. Quo itaque affectu, & studio, qua humilitate, & reuerentia, qua dilectione, & deuotione id explerit, hominibus incognitum est, & Deo cognitum, qui renum, & cordium est scrutator. Deo cognitum, qui spirituum ponderator est.

Sæpè, vt credimus, oblita esus, ac potus, spretaque carnali necessitate, noctes insomnes agebat, vt Christum mente cogitaret, Christum carne videret, cuius ardebat desiderio, cuius flagrabat obsequio. Sæpè etiam agebat quod in Canticis Canticorum scriptum est, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Carne quippe dormiens, animo vigilabat, nocturna quiete somnians, quæ per singulos dies cogitabat, & vigilans in eisdem se inueniebat, & artus sopori concedens, in pace in idipsum dormiens quiescebat. Vbi erat thesaurus eius, ibi & cor; vbi gloria, ibi & conscientia. Diligebat Deum, ac Filium suũ ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis. Ex toto corde, quia toto affectu; ex tota mente, quia toto intellectu; ex omnibus viribus, quia omni cordis intentione, & mandatorum omnium executione. Videbat oculis, & manibus tractabat verbum vitę. Felix, cui præstitum est fouere eum, qui fouet, ac nutrit omnia, portare portantem vniuersa, lactare Filium, qui lac ipsis vberibus infudit, pascere cuncta pascentem, & escam auibus administrantem. Pendebat in collo eius Patris sapiẽtia, & in humeris eius virtus mouens cuncta residebat. Stabat in sinu materno paruulus Iesus, & in gremio quiescebat virginea sanctarum requies animarum. Aliquando subnixo capite, leua dextraque tenentem, vultu placidissimo genitricem aspiciebat, quam desiderant Angeli videre, & blando murmure vocabat genitricem, quam omnis spiritus appellat in necessitatibus.

Cant. 5. 2. *Psa.* 4. 9

At illa repleta Spiritu Sancto, sanctum pectus pueri suo pectori copulabat, & faciem illius, faciei suæ applicabat. Nonnumquam osculabatur manus, & brachia, & materna confisa licentia, ab eius ore sacratissimo dulcia oscula carpebat. Non satiabatur visu, nec implebatur auditu, quia illum videbat, & audiebat, quem multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt, & audire, & non audierunt. Proficiebat igitur magis, ac magis in amore, & animus inardescens mente peruigili, diuinis obtutibus inhærebat. Non labores, non dolores, non discrimina, non penurias, aut necessitudines, non formidines, aut mortes, non Regis impiissimi furorem, & fugam, reditumve in Ægyptum, & ex Ægypto pro nati charitate formidabat. Erat gratissima in opere, lætissima in actione, promptissima in obsequio, deuotissima in ministerio, & humillima in famulatu. In cunctis prosperè agebat, cuncta strenuè, & sapienter administrabat. Vniuersa humanitatis officia vultu sereno, & mente tranquilla percurrit. Nam sicut in theorica, nulli similis extitit, sic in actiua vita similem non inuenit.

Luc. 10. 24.

Sed quò tendit oratio: Vincimur, & nos vinci gratulamur. Valde supra nos est, quod attentauimus, longè inferiùs iacemus. Ergo redeamus ad nos, & culpas fletibus diluamus. Rogemus matrem pietatis per arcana gaudij, & ineffabiles amores, quos singulari priuilegio meruit, vt maternæ pietatis affectum nobis impendat, & pro nostris excessibus apud proprium intercedat filiũ, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

HOMILIA QVINTA.

De mentis robore, seu martyrio Beatissimæ Virginis.

Memores spõsionis nostræ, & sciẽtes, quòd à nobis nihil possumus facere, non enim sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est, à Patre luminum cordis illuminationẽ, & oris apertionem imploremus. Sciendum itaque duo esse genera martyrij, vnum in manifesto, aliud in occulto, vnum patens, aliud latens, vnum in carne, aliud in spiritu. Carne sancti Apostoli, & martyres passi sunt, qui ob amorem veritatis, in testimonium Iesu seipsos impenderunt, & effecti hostia Christi calicem Domini biberunt, vt per crucem ascenderent ad maiestatem, & per mortem temporalem vitæ æternæ participes effici mererentur. Isti in Canticis Canticorum ascendunt in palmam apprehendere fructus eius, & per ascensum purpureum in lectulum veri Salomonis congregantur, vt discumbant in reclinatorio aureo, & delitijs affluant vniuersis, edentes, & bibentes in regno Dei, Christo illis administrante. Spiritu verò Sancti illi passi sunt, qui aliquid passione carnis durius in suis spiritibus pertulerunt. Spiritu passus est Abraham, quando iussus Isaac filium suum, quem vnicè diligebat, immolare, paterno pertentebatur affectũ, & ab imis visceribus pietate nati mouebatur. Agebat tamen nihilominus iniunctum opus impiget executor, & diuinæ iussionis accelerans imperium, itinere trium dierum peruenit ad montem Oreb, vbi sicut ei fuerat imperatum, struem lignorum composuit, ligatum Isaac superimposuit,

2. *Cor.* 3. 5. *Cant.* 7 8. *Cant.* 3 10. *Luc.* 22 30. *Luc.* 12 37. *Gen.* 22. 2. *& sequent.*

fuit, acceptoque gladio immolasset Filium, nisi voce cœlitus lapsa repressus audisset, ne extendas manus in puerum, nunc cognoui, quòd timeas Deum. Vir iste supra carnem passus est, quia Filium, quem carne propria plus amabat, & fide, & deuotione offerre nō distulit, & plenam facti deliberationem, tertia die deinde ostendit.

Ita legislator Moyses animo passus, quando stetit in confractione in conspectu Dei, & pro populi salute rogaturus, salutem suam longè proiecit dicens: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti.* *Exo. 32 3.* O iaculum in corde! ò vulnus durius omni vulnere! ò plaga intimis animæ viscеribus inhærens! *aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti.* *Roman. 9. 3.* Optabat anathema esse à Christo pro fratribus, & aliorum suam reputans salutem, alieno, quàm suo damno magis affligebatur. Neque enim sibi fore integrum credidit, si alijs morientibus, ipse viueret, & alijs periclitantibus, solus regnum intraret. Charitas quippe non quærit quæ sua sunt, quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. *1. Cor. 13. 5.* Vnde Dauid & ipse animo passus, cum videret Angelum cædentem populum, ingemuit, & ex toto corde conuersus ad Deum, se peccasse, se iniquè egisse commemorat, in se conuerti gladium exorat. *2. Reg. 24. 17.* Excusat Israelem, se cum stirpe sua deleri expostulat, tantum vt mucro madens sanguine à cæde conquiescat, & vltrix ira innocentes vltra non perimat. Puto, aduertimus ex his, quòd mentis martyrium carnis tormenta excedat.

Hoc itaque patiendi genere gloriosa triūphans, quantò cunctis victrior, tantò cunctis glorioſior, venerandæ cruci Dominicæ Passionis inhæsit, hausit calicem, bibit passionem, & torrente doloris potata, nulli vnquam similē potuit perferre dolorem. Currit post Iesum, non tantùm in odore vnguentorum, sed in multitudine dolorum. Non solùm in gaudio consolationum, verùm & in abundantia passionum. *Cantic. 3. 11.* Cernebat verum Salomonem mater eius in diademate, quo coronauerat eum nouerca synagoga, & ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat. *Ioan. 19 25.* Stabat autem iuxta crucem, vt illud dulcissimum caput nati, vnctum oleo *Psa. 48. 8.* iustitiæ præ participibus suis, arundine percussum, & spinis coronatum tristi spectaculo videret. *Ibid. 3.* Aspiciebat speciosо forma præ filijs hominum non esse speciem, neque decorem, excelsum super omnes gentes, despectum, & nouissimum reputatum; sanctū sanctorum cum sceleratis, & iniquis affixum, oculos sublimis hominis humiliatos, & cerucem sustinentis omnia, humeris inclinatam pendere; *Isai. 53. 3.* sereniſsimam faciem Dei emarcuisse, & decorem vultus eius abscondi- A tum. Hinc illi per Prophetam dicitur, *Verè tu es Deus absconditus.* *Isai. 45. 15.* Quare absconditus? quia non erat ei species, neque decor, & *Cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius.* *Abacuc 3. 4.* An non absconditus, quando manus misit ad fortia, & palmæ eius clauos consecutæ sunt? Lucebat in manibus fixura clauorum, & latus innocuum dedit vulneri locum. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransijt plantas eius, & bases eius stipiti affixæ sunt. Hæc vulnera à suis, in domo sua, pro nobis passus est.

O præstantiſsima eius vulnera, quibus B mortē occidit, & inferna momordit! *Mors,* inquit, *ero mors tua, morsus tuus inferne.* *Oseæ 13 14.* Captus est Leuiathan hamo, & dum hiat ad escam vermis clamantis in Psalmo, *Ego sum vermis, & non homo,* horum vulnerum ferro sauciatus inhæsit. His ergo tam pretiosis vulneribus irretitus est diabolus, & homo liberatus. Habes ergo Ecclesia, habes columba foramina petræ, & cauernam maceriæ, in quibus requiescas. *Cant. 2. 14.* Ne timeas Goliam furentem, animo atrocem, vultu minantem ingentia, quando à vero Dauid mucrone proprio eneruatus volebat percutere, & percussorem inuenit; vulnerare curabat, & grauiter ipse vulneratus est. *1. Reg. 17. 4 & 50.* Nodis ipse se suis implicuit, & suo se conatu deiecit. Non sua C rapuit, & sua amisit. Aliena inuasit, & propria perdidit. Appensus est in statera sanguis Christi, & paterno iudicio præponderans, hominum peccata, & diaboli vincula dissoluit. Expoliatus itaque tam vasis pretiosiſsimis, quàm omni gloriosa substantia, & armis in quibus habebat fiduciā, hostis ille antiquus reseruatur in iudicio, pro effusione sanguinis Filij Dei pœnas æternas luiturus. Et vos cum illo Iudæi, ingrati, blasphemi, parricidæ ardebitis, vt quos ministros inuenit in scelere, sodales habeat in igne. *Luc. 11. 21. & sequent.*

Filios, ait Dominus, *nutriui, & exaltaui, ipsi autem* contemnentes *spreuerunt me.* *Isai. 1. 2* D Verè ille vos enutriuit, & exaltauit, & scelere vestro in cruce exaltatus est. Induit vos coccino in delitijs, & ornatu gloriæ; & insania vestra denudatus est. Corona inclyta protexit vos, & coronam spineā capiti eius imposuistis. Cibauit vos ex adipe frumēti, & fel ei in escam dedistis. *Dederunt,* ait, *in escam meā fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Lōgos fecit funiculos hæreditatis vestræ, & clauos vestros consolidauit: vos autem brachia eius extendistis, & manus, quæ mortuos suscitauerant, clauis affixistis. Obstupuit cœlū super hoc, & indutū est tenebris, quasi sacco cilicino. Sol, & Luna retraxerunt splendorem suum, & habitu mœroris circūdati, visi

2. Reg. 1. 24. *Prou. 4. 9.* *Psa. 147 14.* *Psa. 68. 22.* *Isa. 54. 2.* *Matth. 27. 45. & 51.*

sunt flere factorem suum. Aer obtenebratus, & densa caligine conglobatus est. Terra tremuit, & commota est. Saxa scissa sunt, monumenta aperta sunt, & ab inferis mortui surrexerunt. Infernus ipse scelus exhorruit, & inferi furiæ conturbatæ sunt. Iudæus verò terra insensibilior, saxis durior, inferno crudelior, dæmonibus infidelior, neque sensit Dominum, neque scidit animum, nec scelus exhorruit, nec fidem adhibuit. Et quid facies populе nequam, gens scelerata, domus effundens sanguinem crucifixi, cùm venerit in nubibus cum potestate magna, & maiestate, descendet ardentibus cœlis, & terra, & aduentus sui terrore elementa dissoluet, & cùm venerit, signum crucis apparebit in cœlo, & ostendet dilectus cicatrices vulnerum, & loca clauorum, quibus à te in domo tua confixus est? Tunc planges te super te planctu quasi vnigeniti, & dices montibus, operite nos, & collibus, cadite super nos à facie gladij columbæ, & ab ira furoris Domini. Ponet te in clibanum ignis in tempore vultus sui, in ira sua conturbabit te, & deuorabit te ignis. Turbo veniens rapiet te, tempestas sæua demerget te, ignis æternus succendet te, tartareumque chaos serò precantem inuoluet. Et ne dicas more tuo solito, in longum prophetat iste, ecce Dominus asportari te fecit, vt asportatur gallus gallinaceus, & sicut amictorium subleuauit te, vt vilis, & exul moriaris in terra non tua, & duplici contritione contritus, sola vexatione amissum intellectum recipias, & discas ex pœna, quæ ex culpa prę sumpsisti.

Psa. 20. 10.

Ezech. 12. 20.

Isai. 22. 17.

Igitur tam pro nati morte, quàm pro Iudæorum perditione, ineffabili dolore glorioſę pectus vrebatur, & altissimo pietatis iaculo confossum, extremas spirabat inter angustias, hausit poculum amarius ipsa morte, & quod hominum genus ferre non posset, adiuta diuino munere fœmina valuit sustinere. Vicit sexum, vicit hominem, & passa est vltra humanitatem. Torquebatur namque magis, quàm si torqueretur ex se, quoniam supra se incomparabiliter diligebat id vnde dolebat. Et vt paulisper omittamus acerbissimam illam de morte nati mœstitiam, quis explicet quo dolore *arcebatur* Beata Virgo, quibusve præmebatur angustijs, cum Propheticis oculis cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem, gentis attritionem, casum populi, ruinam patriæ, & ipsius olim ciuitatis sanctæ Hierusalem euersionem? Certè Prophetæ præscij futurorum prædixerunt excidium Iudæorum, & interitum suorum fletu multo prosecuti sunt. Ipse Dominus mouit lachrymas super Hierusalem, & Apostoli multo tempore fleuere perfidiam patriæ. Paulus plenus pietate optauit anathema esse à Christo pro fratribus, qui erant secundùm carnem, vt eos ad salutem prouocaret, & æmulationem, quantò magis mater pietatis cuncta faceret, omnia libens sustineret, quibuslibet se pœnis, & mortibus obijceret, vt imminentem inter. tum, & cladem à gente sua submoueret?

Forte *arctaba tur.*

Luc. 19 42.

Rom. 9. 3.

Sed honor regis iudicium diligit, & Dei summi iustitia irrefragabilis iustissimè disponebat, quando almæ Redemptoris, & misericordiæ mater plangebat. Nec verò quisquam opponat, Iudæos exosos Dei Genitrici, eo quòd filium suum morte turpissima condemnarūt. Quos enim morti æternæ appropriare videbat, nequaquam odio suo dignos existimauit, & fugillatione, sed affectu plurimo, sed lachrymis multis, & magna miseratione. Vnde tam particeps charitatis, quàm crucis Iesu, assumpsit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulsans, Pater dimitte illis hāc noxam, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc vox eius, desiderium eius fuit, quò meliùs aures pulsantur incircumscripti spiritus, replentis omnia, & vbique audientis. Cæterum quicumque diligitis Matrem Domini, aduertite, & totis affectuum visceribus cōsiderate, quantum & inimicos Vnigeniti plangeret morientis. Effugit omnem sensum, humanos intellectus exuperat concepta de passione nati tristitia. Nulla huc similitudo, nulla ad tantam mœroris acerbitatem accedit cōparatio. Quę enim mater dilexit filium suū, vt ista? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres, sed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate matris viscera influxit, hoc est vnde magis diligebat. Neque verò vt cæteri offensam in vita sua matri retulit, sed gratiæ gratuitatem. infudit, dicente de eo scriptura, *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Item ait de gratia, *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.* Hoc est vnde magis diligebat. Eundem quoque habuit Deum, quem & filium, quia *homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Et hoc est, vnde magis incomparabiliter diligebat. Sola enim à seculo meruit habere eundem filiumque & Deum.

1. *Petr.* 2. 22.

Psa. 44. 3.

Psa. 86. 5.

Ergo abyssо abyssum inuocante, duæ dilectiones in vnam conuenerant, & ex duobus amoribus factus est amor vnus, cum Virgo Mater Filio diuinitatis amorem impenderet, & in Deo amorem nato exhiberet. Quò igitur magis diligebat, plus doluit, & amoris magnitudo attulit fomenta passionis. Quid enim ageret, cum in Caluariæ cōsisteret loco, & videret crucem, clauos, vulnera morientis in innocentia, nec tamen exsatiatam im-

Psa. 41. 8.

immanitatem Phariſæi furentis inuidia? Pendebat ille luens noſtra, non ſua delicta; & Phariſei cum Scribis illudentes percutiebant caput eius, & offerebant acetum felle mixtum ori eius, vt impleretur Prophetia Dauid dicentis ex perſona Chriſti, *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Inter hæc Dei Genitrix conſternabatur animo, & dolores, vt parturientis apprehenderunt eam. Ibi gemitus, ibi ſingultus, ibi ſuſpiria, ibi mœror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æſtus animi, ibi incendia; ibi mors morte durior, vbi vita non tollitur, & mortis anguſtia toleratur. O veneranda, & plena deuotionis, & lachrymarum memoria! recordari, qualiter ſancta illa anima glorioſæ paſſa ſit, quaſve pertulerit de Chriſti morte anguſtias! Pallidus vultus Ieſu exanguem reddidit vultum Genitricis. Ille carne, illa corde paſſa eſt. Denique contumeliæ, & opprobria impiorum in capite materno redundabant; mors Domini illi amarior morte fuit. Et licèt edocta ſpiritu reſurrecturum non ambigeret, neceſſe illi tamen fuit paternum calicem bibere, & horam ſuæ paſſionis non ignorare. De hoc illi prophetauit reuerendus ſenex Simeon dicens: *Tuam ipſius animam gladius pertranſibit.* O Domine Ieſu, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum, nec matri tuæ pepercisti, quin gladius animam ſuam pertranſiret. Hàc nobis per igneum gladium, atque verſatilem tranſeundum omnibus in communi ad lignum vitæ, quod eſt in medio paradiſi.

Ioan 19 29. *Pſa.68. 27.* *Luc.2. 35.*

Sed ad ordinem redeamus. Poterat ergo Beata MARIA illud, quod ſpecialiter Chriſto conuenit, exclamare, *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* O quantus, & qualis dolor! ò quæ & qualis in illo dolore MARIA! & nunc qualis erat, quantum diſtabat ab illa, quæ olim inter choros Angelorum nato obſequia deferebat! Paſtoribus glorificantibus, & Magis adorantibus cum oblatione munerum myſticorum? Diſtabat verò, non virtute, ſed mœrore, non gratia, ſed preſſura. Nam virtute augebatur, & multiplicabatur gratia. Propterea in tanta poſita aduerſitate, nec reſoluit pudorem verecundiæ, nec amiſit vigorem conſtantiæ. Ad cuius rei probationem ait de ea beatus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus. *Lego ſtantem iuxta crucem Domini, non lego ploraniem.* Stare namque in illa cordis amaritudine, magnæ aſcribitur conſtantiæ, abſtinere à lachrymis ſummæ verecundiæ annotatur. Cohibebat illa lachrymas præ pudore, ſtabat ſublimiſſima quadam animi magnanimitate. Itaque nec dolor excuſsit lachrymas, nec animum pœna deiecit; quia hinc pudor honeſtus, illinc fortis conſtantia decertabant. Ergo, chariſſimi imitemur Matrem Domini, vt inter aduerſa non obliuiſcamur verecundiæ, & memores ſimus conſtantiæ. Non deerunt triſtitiæ, non deerunt aduerſa, non deerunt tentamenta, & mors ipſa tranſitum faciet per nos. Vallemus animum humili verecundia, & firma conſtantia. Viuat in mortem pudor, & inter gladios animi conſtantia perſeueret. Tunc effecti morum ſimilitudine ſimiles genitrici Dei, poſt eam adducemur in templũ Regis, & filij ſui. Cui cum Patre, & Spiritu Sancto laus eſt ab omni creatura, per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Ambro. cõcione in obitu Valentiniani.

HOMILIA SEXTA.

De gaudio, & admiratione B V. in Reſurrectione, & Aſcenſione Ieſu Chriſti Filij ſui ad Patris dexteram.

Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi. Inuito vos ad menſam ſapientiæ, & ad vini libamina, quæ miſcuit vobis in cratere calicis præclari. Inuito vos ad epulas glorioſæ, ad conuiuium Dei Genitricis. Felix, qui tali potitus conuiuio, coram recumbentibus in veſte nuptiali fulgebit. Apponetur ei panis vitæ cõfirmans, replens, & ſatians ſuauitate mirifica. Et vinum lætitiæ, vinum procedens de genimine vitis, verè vinum reſurrectionis, expreſſum de ligno Dominicæ Paſsionis. Hoc vinum botrus ille protulit, qui ablatus è terra promiſsionis in vecte ligneo pependit. Edet præterea præfatus conuiua in ſtola prima, & annulo paeis, occiſum à Patre vitulum ſaginatum, accinctum renes zona fidei, & caſtitatis, habens etiam calceamenta in pedibus, vtpote ad omne opus bonum præparatus, agni Paſchalis aſſas igni carnes manducabit. Nec deerit edentis voluntati hinnulus ceruæ gratiſsimæ, & ceruus ſaliens de valle inferi in montem cœli. Dehinc percepto piſce, qui ad littus maris inuentus eſt ſuper prunas, apparente diſcipulis Domino in reſurrectione, guſtabit ſimul fauum mellis. Sumenſque Canticum de Canticis Canticorum dicet in illa die, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Affluens itaque delicijs vniuerſis, ita ſecũ alios ad prandium inuitabat, *comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Et ego fratres ad hoc prandium vos inuito. Edite panem vitæ, vinum lætitiæ bibite, inebriamini gaudio reſurrectionis. Ebrietas hæc ſumma ſobrietas eſt, hæc mundi memoriam obliterat, & Deum præſentẽ animo ſemper inculcat; hac ebrius quiſque cunctorum ſemper obliuiſcitur, & ſolius diuinę charitatis recordatur.

Cant.5. 1. *Num. 13. 24.* *Luc.15. 22.* *Exo.12 11.* *Ioan.21. 9.* *Cantic. 5. 1.*

Hac igitur & vos inebriamini dilectissimi, cum Deigenitrice inebriamini, & gaudete cum gaudente, qui cum lugente luxistis.

Ezech. 3. 4. *Tempus gaudij, & tempus mœroris*, ait Salomon. Mœror abijt, gaudij tempus aduenit, verum gaudium, quod de Christi resurrectione prouenit. Surrexit enim, & erexit animum matris suæ. Iacebat illa velut in quodam arctissimo mœroris tumulo, donec Dominus iacuit in sepulchro. Illo namque resurgente, reuixit spiritus eius, & quasi de graui somno euigilans, solem iustitiæ, & radios resurgentis in luce matutina respexit. Intuita est ortum surgentis auroræ, & præcedentem in filio futuram carnis resurrectionem. Pascebatur oculis in carne fulgida resurgentis, & mente cernebat gloriam diuinitatis, vt intus, & foris egrediens, & ingrediens, frueretur pascuis veræ, sempiternæque fœlicitatis. Facta igitur extra se, suique oblita præ gaudio, adhæsit corde lætissimo Patri spirituum, & conglutinata Deo, in illũ tota efferebatur, in cuius amoris im-

Psa. 20. 2. mensitate tota refundebatur. *Domine in virtute tua lætata est valde, & super salutare tuum exultata est vehementer: desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eam.* Corona capitis eius Christus est, dicente Sapientissimo, quòd *filius sapiens corona sit matris suæ.* Et quis sapientior illo, qui est Pa-

Pro. 13 1. tris sapientia? Bene autem corona de lapide esse dicitur, quia in nouo, & veteri testamento nomine lapidis Christus significatur. Dictus est lapis, propter potentiam, pretiosus propter gloriam. Et vtraque Psalmista

Psa. 23. 10. complexus est, dicens, *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Quia Dominus virtutum, ideo lapis; quia rex gloriæ, pretiosus. Nihil verò lapide fortius, nihil gloria pretiosius est.

Habes ergo, ò Beata, gaudium tuum, impletum est desiderium tuum, & Christus corona capitis tui attulit tibi cœli principatum per gratiam, regnum mundi per misericordiam, inferni subiugationem per vindictam. Ille tibi ab inferis victor ascendit, ille contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Inferni munitiones obtinuit, & capita draconis allisit. Dedit hostium tuorũ strages innumeras, & Principem lethi religauit, occidit mortem, & mortis authorem proiecit in vinculis. Catenis igneis author ille mortis religatus est.

Inde eduxit suos de tenebris, & vincula eorum disrupit. Animas omnium iustorum ambulantes in lumine vultus eius, & in nomine eius exultantes associauit sibi, in iustitia eius exaltatæ sunt, quæ propter iniustitias suas humiliabantur. Solus fuit in transitu ad inferos Dominus Iesus, sicut ex per-

A sona illius Dauid cecinit, dicens: *Singulariter sum ego, donec transeam.* Solus in ingressu, seu in egressu minime solus, qui innumera sanctorum millia secum reduxit. Ce-

Psa. 140 10.

Ioan. 12 24. cidit in terram, & mortuus est, vt fructum multum afferret. Deposuit se in sementem, vt humanum genus colligeret in segete. Felix aluus MARIÆ, in qua seges ista coaluit. Felix cui dictum est, *Veter tuus, vt aceruus tritici, vallatus lilijs.* An non vt aceruus tritici venter eius, qui grano illo intumuit, quo omnes renatorum seges excreuit? In fonte quippe baptismatis peccatis, & nobis ipsi mortui, per lauacrum regenerationis Christo renascimur, vt ei viuamus, qui pro omnibus mortuus est. Vnde Apostolus ait.

Cant. 7. 2.

B *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo ex vno grano multæ segetes, & ex aluo Virginis granũ illud. Ideò aceruus nominatur, vi seminis, non numerositate; virtute, non pluralitate.

Gala. 3. 27.

Lilijs namque vallatus dicitur: eo quòd veteri materni perennis integritas scripturæ sacris eloquijs comprobetur. Quid enim sunt aliud diuina eloquia, nisi quædam lilia emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suauitatis? Hinc est, quòd verbum Patris, & sapientia, & candor lucis æternæ nominatur. Et de diuinis eloquijs, per Psalmistam dicitur: *Eloquia*

Psa. 11. 7. C *Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* Nam de odore scriptum est, in Canticis canticorum, *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*, id est, in notitiam elo-

Cant. 1. 3. quiorum. Eloquia enim Domini vnguenta pretiosissima sunt, quibus morbus animarum expellitur, quibus congrua vulneribus medicina confertur. Horum antidoto dira serpentis venena diffugiunt; horum fomentis acerba vulnera cedunt, horum ope sauciatus ille curatur, qui incidit in latrones, cùm descenderet ab Hierusalem in Hierico.

Luc. 10 30. De quorum item odore in præfatis canticis hæc sponsi ad sponsam vox est, *Odor vnguen-*

Cant. 4. 10. D *torum tuorum super omnia aromata.* Cui alibi dixit: *Meliora sunt vbera tua vino,*

Cantic. 11. *fragrantia vnguentis optimis.* Habet enim Ecclesia sponsa Christi vbera testamentorũ, quibus infundat paruulis lac consolationis, perfectis lac exhortationis.

Nec mirum, si eius lacte perfecti alantur, quæ ait, *Ego murus, & vbera mea, sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem*

Cant. 8. 10. *reperiens.* Hæc vbera meliora sunt vino. Et Paulo attestante, *quod stultum est Dei, sa-*

1. *Cor.* 1 25. *pientius est hominibus.* Meliora ergo sunt vbera eius vino inanis Philosophiæ, vino secularis scientiæ, vino cupiditatis mundanæ, non quidem expresso de vinea Sorec, neque de vinea Cypri, aut de vinea Engaddi, sed de

vi-

vinea Sodomorum, & de suburbanis Gomorrhæ, aut certè de vua fellis, & botro amaritudinis. Itaque adolescentulæ memores vberum sponsæ, super vinum lactis eius copia enutriri desiderant, vt eo crescant in salutem. *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Fragrant hæc vbera vnguentis optimis, cum præfata Ecclesiæ testamenta perfectis innotescunt eloquijs, vt pro sensuum capacitate alios historica superficie nutriant, & alios morali suauitate instruant, alios mystica intelligentia ad alta sustollant. Fragrant etiam vnguentis optimis, cum eisdem testamentis additur gratia spiritualis intelligentiæ, & virtus charitatis diuinæ, vt velut quædam lilia candeant ex dono intelligentiæ, redoleant ex amoris suauitate. Inter hæc lilia dilectus
Cant. 2. 16. pascitur, vt eius dilectæ voce dicitur, *Dilectus*, inquit, *meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Inter lilia quippe pascitur, cum verbi dies interna dulcedine legentis animus in scripturis satiatur. His ergo filijs vallata Dei Genitrix audit ab ore Salomonis,
Cant. 7. 8. *Venter tuus, vt aceruus tritici vallatus lilijs.*

Possunt quoque per lilia sanctorum animæ designari candentes per vitæ meritum, fragrantes per virtutis exemplum. De candore
Psa. 59. 9. Psalmista Deo ait, *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super*
Psa. 44. 22. *niuem dealbabor.* Et de odore ita pronuntiat. *Eructauit cor meum verbum bonum.*
2. *Cor.* 2. 15. De quo & Apostolus, *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* Vallata igitur lilijs Redemptoris Mater, aptissimè hunc illis cõgruentem poterit proferre sermonem. Gaudium meum, & corona mea omnes vos estis, acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea. His etiam lilijs septus erat, dum animas iustorum ab inferno eriperet, suæque gloriæ dotatione beare. Verus enim Iacob in baculo crucis transiuit Iordanem mortalitatis, & cum duabus turmis regessus est. Ego duas turmas, circunciſionem, & præputium, eos, qui in lege, & ante legem fuere, intelligo. Ergo solus obijt, & fœnore multiplicato reuixit. Nam vita omnium ipse est,
1. *Cor.* 15. 22. & vita omnium cum ipso resurrexit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Cuius morte pullulauimus, cuius sanguine radix nostra succreuit, cuius resurrectione corpus efloruit.

Efloruit verò, non vt fœnum, sed vt verbum, non vt dies sæculi, sed vt dies cœli.
Psa. 78. Hinc voce summi Patris de semine Dauid dicitur, *Ponam in sæculum seculi semen eius, & thronum eius, sicut dies cœli.* Igitur æternus flos de radice eius ascendit, qui aruit ex passione, sed refloruit ex resurrectione. Refloruit autem, non vt denuo decidat, tanquam flos agri, sed vt verbum Domini maneat in æternum. Nam *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Propterea
Ioan. 1. 14. vir desideriorum Daniel, filium hominis vsque ad antiquum dierum veniſſe perhibet,
Dan. 7. 13. vt filium hominis demonstraret. Quem benè intuens Psalmista ait, *Sedes tua Deus in*
Psa. 44. 7. *sæculum seculi: virga directionis, virga regni tui,* & quæ sequuntur. Ecce qui Deum nominat, cuius sedem in sæculum seculi esse memorat: Hunc postmodum vnctum à Deo oleo lætitiæ præ consortibus narrat. Deus enim ab æterno, cum Patre regnat in sæculum seculi; & homo ex tempore vngitur oleo lætitiæ præ consortibus suis. Verè
Psal. 2. 7. præ consortibus, cui Pater ait, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et illud. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*
Psa. 109. Quem vt Patri æqualem ex diuinitate intelligas, audi dicentem in Euangelio, *ego & Pater vnum sumus,* &,
Ioan. 10 30. *Qui videt me, videt & Patrem.*

De ipso quoque Apostolus ait, *Quia Deus*
Ioan. 14 9. *exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod*
Phil. 2. 9. *est super omne nomen,* & cætera quæ sequuntur. Equidem genu infernorum flectitur illi per terrorem, genu terrestrium per acquisitionem, genu cœlestium per beatificationem. Istis namque intentat supplicia, illos eduxit à miseria, illos attollit in gloria. Istis terribilis in iudicio, illis misericors in auxilio, & his munificus in præmio. Dæmones enim subijcit gladio suo, homines redimens sanguine suo, Angelos satians vultu suo.

Ergo inferna prosternunt genu, tremẽtes potentiam eius; terrestria curuant genu, laudantes clementiam eius, cœlestia flectunt genu, clamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Ipse est filius tuus, ô MARIA, ipse amor tuus; resurrexit tibi die tertia, & in carne tua ascendit super omnes cœlos, vt omnia adimpleret. Habes ergo, ô Beata, gaudium tuum, attributum est tibi desiderium tuum, & corona capitis tui. Attulit tibi cœli principatum per gloriam, regnum mundi per misericordiam, inferni subiugationem per potentiam. Tantæ igitur, tamque ineffabili gloriæ tuæ diuersis affectibus cuncta respondent; Angeli in honore, homines in amore, dæmones in tremore. Cœlo namque venerabilis, mundo amabilis, orco terribilis es.

Gaude itaque, & lætare, quia surrexit susceptor tuus, gloria tua, exaltans caput tuũ. Gauisa es in conceptione, afflicta in passione, iterum gaude in resurrectione, & gaudium tuum nemo tollet à te. *Christus resurgens*
Roman. 6. 9.

gens à mortuis, iam non moritur, mors illi A
Cã.2.10 vltra non dominabitur. Propterea vocat te. *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt, & recessit: flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit. Amica mea*, per coniunctionem; *columba mea*, per vnionem, formosa mea, per decus, & compositionem; *surge* de mœrore, de afflictione, de humiliatione, & puluere, quæ doloris indicia sunt: *propera*, tolle moras, onus excute, grauitatem exue, leuitatem indue, cursum arripe, volatum assume, & veni. *Veni*, vt gaudeas gloriam Dei primitias resurrectionis, primogeniti ex mortuis. *Iam hyems transijt*, qua B
Petrus torpens negauit, qua corda Iudæorum congelata extinxere sibi solem iustitiæ, prunis * voluptatum suarum succensi. *Imber abijt, & recessit*, imber turbidus, lutulentus, ruinosus, mixtus niue, & grandine, abijt, & recessit. Imber conclamantium, & dicentium: Crucifige, crucifige eum, abijt, & recessit. Abijt quoque imber, quo area Gentilium, & vellus Iudaici populi meruit exsiccari. *Flores apparuerunt in terra nostra*, flores vtique beatorum Spirituum, & Angelorum alternatim vernantium, & locum odore suauissimo spargentium, vbi positus Dominus.

* *forte voluntatum.*

Hos vetus scriptura significans expres- C
Exo.37 7. sit, cum duo cælata Cherubim super Propitiatorium in vtraque summitate instituit, ac ea in foribus tabernaculi cum palmis depinxit. Causa euidens est, figuris fuit ob-
3. Reg. 6.32. umbrata, nunc re ipsa exhibita. Palmæ præferunt insigne resurrectionis; fores, & propitiatorium designant illum, qui est patens aditus ad regnum, & propitiatio pro
1.Io.2.2 peccatis hominum. Duo namque Cheru-
16. Io. bim, duo sunt Angeli, quorum vnus ad ca-
10.12. put, & vnus sedit ad pedes, vbi positum fuerat corpus Christi. Qui flores iure nominantur, quia summi Dei æternitas ver illis præbet æternum, vt semper floreant, numquam marcescant, numquam decidant, & specie inuiolabili idem permaneant. Flo- D
res etiam visi sunt in terra nostra, cum ascendente Domino astiterunt duo viri iux-
Act.1. 11. ta Apostolos, qui & dixerunt, *Viri Galilæi quid admiramini aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tempus putationis aduenit*, putatus est infernus, & de corde credentiũ Dia-
Ierem.15. 19. bolus amputatus. Os Domini separauit
Mat.15 30. pretiosa à vilibus, præcidens sarmenta de vitibus, & colligens zizania de messibus, vt grana condat in horrea, rogo tradens ad comburendum zizania. O triste diuortium, luctus & gaudium pessim mixta! O dulcis, & amara dies, cum iustus iudex rediens ab inferis, alijs dorsum opposuit, alijs faciem desideratam ostendit. Alios reliquit in supplicio, alios extulit cohęredes in regno. Illos dimisit arsuros cum Diabolo, hos euexit coronandos in cœlo. Viderunt impij, & sine spe ingemuerunt: viderunt boni, & corde pleno lætati sunt. O miseri, quibus non subuenit misericordia! O boni, quibus occurrit in gloria! O miseri, quos ipsa vnigeniti passio non adiuuit! O boni, quos à morte perpetua eripuit! Viderunt impij, & sine spe ingemuerunt: viderunt boni, & vocem in iubilo leuauerunt.

Pariterque tu Glorioſa natum ab inferis ascendentem vidisti, nati gloriam beatissimis oculis aspexisti, vidisti & defecisti: De-
Psalm. 72.26. fecit caro tua, & cor tuum; liquefacta es, vt
*Cant.*5. 6. vocem dilecti filij tecum loquentis audisti. Factum est verbũ eius quasi ignis flammigerans in ossibus tuis. Ergo diuinis ignita colloquijs, tota effecta es velut ignis, teque holocaustum Deo suauissimum obtulisti. O Phœnix aromatizans gratiùs cinnamomo, & balsamo, & nardo suauiùs regem in aspectu tuo delectans! Phœnix congregãs omnes species, & igne circumfusa supersubstantiali, vt cœlum cœlorum, & cœli potestates Angelicas mirifico repleas suauitatis incenso.
*Exo.*30. 35. Hoc incensum suauissimum est, hoc thymiama bene compositum procedit de thuribulo cordis MARIÆ, & vniuersa suauiter olentia excedit. Porro thuribulum sequens incensum, & eleuatum manu Domini, ascendit vsque ad thronum Præsidentis. Ascendit stipatum prosecutione Angelicorũ Spirituum, clamantium in excelsis, atque dicen-
*Cant.*3. 6. tium, *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Sed iam sermo noster iste vsque ad ascensum pertractus finiatur, vt alius ascensum hunc, opitulante Deo, pleniùs exequatur. Qui viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

HOMILIA SEPTIMA.

De B. Virginis Obitu, Assumptione in cœlum, Exaltatione ad filij dexteram.

Cogitanti mihi, & sępius animo retractanti Dei Genitricis assumptionem, quæstio quidem occurrit, quæ digna inquisitione, vtilis inuentione, dulcis admodum clarebit communicatione. Quæritur enim, cur ascendente in cœlum Domino, mater eius

quæ

quæ tanto eum amplectebatur affectu, non statim secuta est? Cùm enim nulla peccati nube depressa, nulla vitæ macula respersa, super ignem ruberet ob charitatem, luce clarior ob castitatem, ipsis etiam præclara cæligenis ob virginei partus nouitatem, mirum videbatur, quare cum Filio, non statim ad æthera prouehebatur. Certè Enoch in cordis munditia cum Deo ambulauit, & non cõparuit, quia transtulit illum Deus. Elias quoque charitatis igne nimio succensus, curru igneo, & equis igneis raptus memoratur. Illa verò excedens Enoch cordis munditia, & amoris prærogatiua maior Elia, quare cum illo, quem genuit, non illico in cœlum effere batur? Erat namque plena gratia, & in mulieribus benedicta. Deum verum de Deo vero sola meruit concipere, quem Virgo peperit, Virgo lactauit, fouens in gremio, eique in omnibus almo ministrauit obsequio. Passa est demum magis spiritu, quàm carne cum moriente, reuixit Spiritu Dei cum resurgẽte, & quare non ascendit cum ascendente? Eius quippe sacratissima caro, quæ de Spiritu Sancto grauida fuit, quæ germine magnifici Regis intumuit, in quo Deus homo, Verbum caro factum est, & mediante Christo plenitudo diuinitatis mãsit in ea corporaliter, assumpto Domino videretur inferẽda cœlo.

Genes. 5 24. *4. Reg.* 2. 11.

Luc. 1. 28.

Coll. 2. 9.

Vt quid enim retardata est, vel ad momentum? aut passa nati diuortium? Vt quid dilatum est feruentius igne tam sanctum eius desiderium? Quoniam ista dilatio discipulorũ Christi non minima consolatio fuit. Ista dilatio matri nil minuit, & mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Iesus, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur. Qui quidem licèt edocti essent à spiritu, ab illa tamen poterant edoceri, quæ mundo iustitiæ solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit. Mira denique pietate primitiuæ Ecclesiæ prouisum est, vt quæ Deum in carne hac pręsentem, iam minimè cerneret, matrem eius visu iucundissimo recreata videret. Quid enim tam iucundum, quid tam decorum, ac delectabile, quàm matrem plasmatoris, & redemptoris omniũ videre? Nam si sepulchrũ eiusdem nostri Redemptoris, quod extat vsque hodie, ita visui desiderabile est, si lapis in quo requieuit stirps sancta Iesse, tanta est expetibilis celebritate, vt affectus, & animos cunctorum prouocet in se, & quadam pietatis arte trahat ad se omnia; quæ vel qualis erat Dei Genitricem cernere lætitia, donec eam diuina pietas communi sorte degentem nobiscum cõcessit in terra? Beata gens, & felix generatio, quæ tali spectaculo meruit illustrari. Beatam planè, in cuius medio crescentis, & fruentis constitit arbor producens fructum vitæ, effulsit Genitrix lucis veræ. Apparuit puteus ille clausus, & signatus, de quo egressus est fons domus Dauid, patens in ablutione peccatoris, & menstruatæ. Hoc insigne priuilegium, hoc cœleste munus, hęc gratia specialis Ecclesiæ primitiuorum præstita sunt.

Zacha. 13. 1.

Denique Virgo Mater, omnium in se charismatum commercia deferebat. Prima namque visione scintillans sacri amoris ignibus, proximorum pectora suauiter exurebat, animis fidem suggerebat, suadebat verecũdiam, honestatem venustabat, inflectens ad pietatẽ. Spirabat florem virginitatis, ferebat nouale castitatis, depingens oculis habitum humilitatis, & præferens indicium veritatis. Splendor indeficiens in circuitu eius, & ignis exardescens à facie eius. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur ab ea, qui hostes succenderet, amicos confoueret, iuuaret proximos, concremaret inimicos. Fertur ab ijs, qui norunt naturam animantium, quòd solo visu, & flatu mortifero vicina quæque sibi regulus venenatus interimat. Sic illa è regione ignis diuini calore vehementer accensa, & verbi flammigerantis sparsa incendijs, odorem resuscitantis gratiæ ijs, qui longè, & ijs qui prope commanebant, exhalabat.

Ezech. 1. 4. *Psa.* 17. 9. *Dan.* 7. 10. *Isai.* 57. 19.

Et alijs quidem, id est, aduersæ partis, erat odor mortis in mortem: alijs verò, id est, credentibus in filium suum, odor vitæ in vitam. Sicut enim in Eua omnes moriuntur; ita & in MARIA omnes viuificabuntur. Et sicut Euæ scelere fit mundi damnatio; ita fide MARIÆ facta est orbis reparatio. Illa infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros, hæc infusa vitali antidoto, quod fidelis transmisit ad vniuersos. Corruit illa, malè credula serpenti, surrexit ista, & iuxta verbum, quod dixerat Deus in Genesi, cõtriuit caput serpentis. Ab initio prænunciata, & nunc Ecclesiæ primitiuorum donata. Ex tũc repromissa, & in fine temporum exhibita.

2. Cor. 3. 6. *Genes.* 3. 15.

Quis ergo non properaret, quis non curreret ab extremis terræ, reuerendæ maiestatis decus aspicere, & vultum omnimoda suauitate, imperiali etiam dignitate, & singulari præditum potestate videre? Quippe nihil inueniebatur illi simile in filijs, & filiabus Adæ. Nihil tale in Prophetis, in Apostolis, aut in Euangelistis. Nihil illi simile cœlum vel terra dedere. Quis enim in nubibus æquaretur ei, aut similis foret Matri Domini inter filios Dei? Et vide quàm recto ordine citra assumptionem effulsit admirabile nomẽ eius in vniuersa terra, & fama eius celeberrima vbique diffusa est, priusquam eleuaretur magnificentia eius super cœlos Decebat enim Matrem Domini Virginem, & ob nati sui honorem, primò terris regnare, & ita demum cœlos cum gloria suscipere. Dilatari & in-

Psa. 88. 7.

& infimis, vt & superna in plenitudine sancta penetraret, translata sicut de virtute in
1. Cor. 3 virtutem, sic à claritate in claritatem à Domini Spiritu. Igitur in carne præsens, futuri
18. regni primitias prælibabat. Et nunc accedēs à Deo ineffabili sublimitate, nunc & proximis condescendens inenarrabili charitate. Inde Angelicis frequentabatur officijs, hinc humano famulatu venerabatur. Assistebat ei Paranymphus Gabriel cū Angelis, cui Ioannes gaudens sibi Virgini matrem Virginem in cruce commendatam, cum Apostolis ministrabat. Illi reginam, isti videre Dominam lætabantur, & vtrique pro deuotionis affectu obsequebantur.

A

At illa residens in arce sublimissima virtutum, & pelago diuinorum affluens charismatum, abyssum gratiarum, qua cunctos excesserat, credenti, & sitienti populo largissima emanatione profundebat. Salutem namque corporibus, & animis medelam afferebat, potens suscitare à morte carnis, & animæ. Quis vnquam ab ea æger, vel tristis, aut ignatus cę lestium mysteriorum abijt? Quis non lætus & gaudens redijt ad propria, impetrato à Matre Domini quod voluit? MARIÆ præsentia gratam veris temperiem exhibebat, &
Cant. 4. quò fauens se verteret, paradisus erat. *Emissiones tuæ*,
13. ait sponsus, *paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus; Cypri cum nardo, nardus & crocus fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani. Myrrha & aloes, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Habet quippe paradisus Glorioſæ Virginis mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet & cyprū cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, & suaue fragrantem opinionem virtutum. His adduntur crocus lętitiæ, fistula expoliationis carnis, cinamomum suauitatis, cum vniuersis lignis Libani, per quæ virtutum vniuersitas figuratur. Myrrha quoque mortificationis, & aloes incorruptionis, cum omnibus primis vnguentis effusis in oratione, ab illo vnguēto, quod consistens in capite, descendit in barbam, bar
Psalm. bam Aaron, non illius veteris, & significan-
132. 2. tis, sed noui, & significati. Descenditque in oram vestimenti eius, quod est Ecclesia,
Ephe. 5. ipsi vero Aaron, iuxta Paulum, exhibita sine
27. macula, & ruga.

B

C

D

His ergo, tantisque bonis exuberans sponsa, sponsi mater vnici, suauis, & charissima
Cant. 4. in delicijs, vt fons hortorum rationabilium,
15. & puteus aquarum viuentium, & viuificantium, quæ fluunt impetu de Libano, à monte Sion vsque ad circumfusas quasque, & exteras nationes, pacis flumina, & gratiarū emanationes, cælica infusione deriuabat. Vnde Dauid, cùm de filio eius Domino nostro loqueretur: *Erit*, inquiens, *in diebus eius iustitia, & abundantia pacis*, aptè de illa mox intulit, *donec auferatur luna*. Luna ipsa est, quæ cœlo, terrisque irradians, astris Sanctorum longè superior coruscat. Donec, ait, auferatur luna, quæ eleuato sole iustitiæ stetit in ordine suo, prima Ecclesiæ primitiuorum, infulsit. Tradit fides maiorum iuxta veritatem historiæ, ab ortu Saluatoris, vsque ad transitum Glorioſæ terrarum accolas, sopita armorum rabie, continua, ac tranquilla pace quieuisse. Hæc in solutione propositæ quæstionis diximus, vt quo fructu Genitrix Regis nostri dilata sit, monstraremus. *Psalm.* 71. 7.

Sanè etiam aduertendum ex hac eius dilatione, vt quęque fidelis anima, vulnerata charitate, & iaculis amoris confossa, discat non murmurare, si eam euenerit non hinc ad vota migrare. Ecce differtur mater Domini, quis audeat murmurare? Differtur vt proficiat, proficit perseuerando. Amori enim, vel operi iuncta perseuerantia, plenitudinem creat, parit perfectionem.

Hinc est, quòd voce Psalmistę de iusto dicitur, *Iustus, vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Palma emenso numeroso spatio florere dicitur, & cedrus Libani annoso proiectu multiplicatur: Sic iustus animo canescens, vt palma florebit diuturnitate. Hinc memoratus Psalmista aptè pauca subiunxit. *Adhuc multiplicabuntur* haud dubium quin iusti *in senecta vberi*. Aduertendum itaque optimi meriti, ac singularis iustitiæ MARIAM, quæ super Angelos meruit exaltari, priùs hic in senecta vberi debuisse multiplicari. Quod vbi prouenit ex diuino munere, absconditus honor eius, & forma, quam gessit in occulto effecta luce clarior, & omni elegantia præstantior, ora in se supernorum ciuium, animosque mirabili dilectione conuertit. *Psalm.* 91. 13. *Ibidem* *vers.* 15.

Iam verò quis dignè laudibus efferat sacratissimam eius assumptionem? quis fatu explicet, quàm læta migrauit à corpore, quā læta vidit filium, quàm gaudens properauit ad Dominum, Angelorum vallata choris, Apostolicis fulta obsequijs, dum Regem cerneret in decore, & natum cum gloria præstolantem se videret, sicut expers totius corruptelæ, sic immunis ab omni molestia? De carnis habitaculo educta est perenniter habitatura cum Christo. Transijt autem in visione Dei, & beatissimam illam animam sole clariorem, cœlo celsiorem, Angelis digniorem, Domino exhalauit. Enimuero in transitu eius glorioso illustratur mons Sion, vbi prouecta dierum decessit in senectute bona. Ibi expleuit munus vitæ, dans plenam, atque perfectam virtutum omnium consummationem.

nem. Ibi orienti magis, quàm morienti, & abituræ plus, quàm obituræ occurrunt castra Dei, & ruunt obuiã ei exercitus militiæ cœlestis. O quàm pretiosa in conspectu Domini mors Genitricis suæ! Quæ vita adæquabitur morti eius? quæ gaudia funeri eius? Addas licèt mundanos honores, addas cõuiuia, ac festa trophæa, addas omne, quod demulcet, & quod delecta vniuersum; his tamẽ omnibus iucundior, atque suauior est. Est enim absolutio à carne, via ad vitam, nil habens doloris, nil acerbitatis nihil formidinis. Fouet autem pro dolore, delectat pro acerbitate, & pro metu firmat in littore fidæ stationis. Nec tenebras inducit, quæ lumen æternum aperuit; nec vitam tollit, quæ dirigit ad auctorem vitæ.

Hac morte Glorioſa migrauit, ſi tranſitum ad vitam mortem liceat nominare. Immo, vt verũ fatear, vita eſt, vbi ſola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta, fœnore multiplici in poſterum reſeruatur. An non vita, cùm itur ad fontem vitæ, & vita æterna à vita perpeti meatu hauritur? Hoc hauſtu indefectiuo ante deceſſum præuenta eſt mater Virgo, ne tranſitu in ipſo vel leuiſsimo mortis guſtu tangeretur. Egrediens itaque vidit vitam, ne mortem videret. Vidit filium, ne carnis abſceſſu doloret. Euadens ergo libera in tam feliciſsima viſione, & potita optato vultu Dei, venerandos ciues cœli in ſui obſequio, & deductione paratos inuenit. Mirantur illi animam meriti ſingularis exutam æterna labe, nullam carnis, aut ſæculi maculam habere. Mirantur exutam artubus, gratia totius puritatis candere. Quid enim primum laudent in ea, integritatem, an humilitatem, prudentiam, an charitatem, robur mentis, an lõganimitatem, honorem matris, an partus nouitatem? Sed virtus integra, & plena gratia magis in illa laudatur.

Cant. 4. 7. Vnde Dominus aſsiſtens egreſſæ de corpore, ita prædicat laudes eius. *Tota pulchra es mater mea, & macula non eſt in te.* Tota, ait, pulchra es, pulchra in cogitatu, pulchra in verbo, pulchra in actu, pulchra ab ortu vſque in finem, pulchra in conceptu Virgineo, pulchra in partu diuino, pulchra in rubore paſsionis meæ, pulchra in inſigni candore reſurrectionis. *Cant.* 2. 10. Surge ergo amica mea, columba mea, formoſa mea, immaculata mea, & veni. Iam enim hyems tranſijt abſentiæ meę, imber lachrymarum tuarum abijt, & receſſit, & redeunte ſole flores Angelici apparuerunt tibi. Vox tua, ò turtur caſtiſsima exaudita eſt. Tempus aſſumptionis aduenit. Igitur cùm Virgo Virginum à Deo, & filio ſuo rege regum exultantibus Angelis, collætantibus Archangelis, & cœlo laudibus acclamante deduceretur, impleta eſt prophetia Dauid, dicentis ad Dominum. *Aſſitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* *Pſa.* 44. 10. Tunc iuxta Salomonis vocem, ſurrexerũt filiæ, & beatiſsimam præ- *Pro.* 31 dicauerunt, & reginæ pariter laudauerunt 28. illam. *Quæ eſt iſta*, aiunt ſupernæ virtutes, *Cant.* 6. *quæ aſcendit dealbata, innitens ſuper dilectũ ſuum?* Vel iterum, *Quæ eſt iſta, quæ pro-* *Cant.* 8. *greditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra* 34. *vt Luna, electa vt Sol?* Itemque aiebãt, *Quæ* *Cant.* 6. *eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut vir-* 9. *gula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thu-* *Cant.* 3. *ris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* No- 6. uus, & admirandus eſt nobis ſplendor iſte; nouus, & glorioſus hic ordo aſſumptionis; nouus & gratus odor hic ſuauiſsimus.

Tantis verò deducta laudibus, nec ipſa poterat à laude ceſſare, quæ Filium Dei ex ſe genitum, in dextera paternæ magnitudinis ſedentem, ſeque gloria aſſumẽtem videbat. *Tenuiſti*, ait, *manum dexteram meam, & in* *Pſa.* 72. *voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria* 24. *ſuſcepiſti me.* Et rurſum, *A dextris eſt mihi,* *Pſa.* 15. *ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor* 8. *meum, & exultabit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.* Quoniam non derelinquiſti me in ſeculo, nec dabis corpus genitricis tuæ videre corruptionem. Sed quid ego his immoror? Vt enim paucis multa colligam, aderat glorioſiſsimæ verbũ ſimplex, & multiplex, verbum intelligibile, cõtinens omnia verba laudum, quò laude ineffabili Dominum, ac natum ſuum ipſa honorabat. Eleuata igitur cum vocibus exultationis & laudis, prima poſt Deum ſuper omnes cæligenas in ſede gloriæ collocatur. Ibi reſumpta carnis ſubſtantia, neque enim credi fas eſt corpus eius vidiſſe corruptionem, & duplici ſtola induta, Deum & hominẽ in vtraq; natura, quantò cæteris clariùs, tantò ardentiùs vniuerſis, mentis & carnis oculis contẽplatur. Exinde humano generi charitate inenarrabili condeſcendens, & illos miſericordiſsimos oculos, quibus cœlum illuſtratur, ad nos conuertens, communem pro clero, populo, & vtroque ſexu, pro viuis quoque, ac defunctis leuat orationem. Adeſt huc de cœlo glorioſiſsima, & prece potentiſsima, propellens omne, quod nociuum, & conferens omne, quod bonum eſt, cunctis ex corde rogantibus ſe munimen præſentis vitæ tribuit, & futuræ. Memor quippe quo fructu effecta eſt Mater Redemptoris, libentiſsimè ſuſcipit cuiuslibet preces peccatoris, & pro vniuerſo reatu pœnitentiam apud proprium filium intercedit. Sanè obtinebit quod volet parens chariſsima, per cuius caſtiſsima viſcera Verbum Dei venit ad nos, orbis piacula, & veteris delicti cautionem ſanguine proprio lauaturus, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vni-

vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia se- A cula seculorum. Amen.

HOMILIA OCTAVA.

De MARIÆ Virginis plenitudine, seu perfectione, gloria, & erga suos clientes patrocinio.

Plures, dilectissimi, dies elapsi sunt, quibus Episcopali sarcina oneratus, & curis prægrauatus immensis, epulum adhuc promissum de laude beatæ MARIÆ, sanctæ auiditati vestræ ministrare nequiui. Nunc ergo ipsa eadem Virgine propitiante, vobis non deero, negotijs quidem me paululum sub- B trahens, * nostris verò pijs desiderijs faues. Igitur cœli Reginam, Matrem vitæ, fontem misericordiæ, delicijs affluentem, & inniten tem super dilectum suum, sedulo celebremus officio, & laude licèt impari prædicemus. Feramus animos in sublime, intuentes diligen tissimè, quòd virga elegantissima orta de radice Iesse, ramorum suorum mirabili extensione sese vbique terrarum expandit, vt dispersos filios Adæ, ab æstu, à turbine, & à pluuia, vmbra desiderabili protegeret, fructuq; saluberrimo aleret esurientes. Sublimata itaque super omnia ligna Paradisi, & super altissimorum montium præcelsos vertices exaltata, ipsos cœlos inæstimabili magnitudine penetrauit, cœlestium ordinum stipata choris, & Virginum choreis adornata. O decus, ò gloria, ò magnificentia arboris huius, cuius fructu indeficienti, cuius pastu immortali, cæligenis, atque terrigenis fit iugis epulatio, continua exultatio, fœlix & sempiterna laudatio. Beati, qui edunt cibum in regno tuo, *beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

In te etiam laudabitur, non Eua, lethi propinatrix, sed MARIA vitæ propinatrix, mater, & altrix cunctorum vita viuentium. In te laudabitur Genitrix tua, audiant mansueti, & lætentur. Lucifer glorioſus, & arrogans, vulneratus ad ima corruit; audiant su- D perbi, & humilientur. Virgo humilis ad thronum gloriæ coronata conscendit; audiant humiles, & lætentur. Corruit ille elatus, magna de se præsumendo; introiuit MARIA in holocaustis, totam se plenitudine gratiæ committendo. Induratus ille malitia, vltra non adijciet, vt resurgat; confirmata illa charitate, non mouebitur ampliùs, vt cadat. Centro quippe immobili hærens inexpugnabili firmitate, nulla vnquam moueri poterit mutabilitate. Ille dignitatis Angelicæ clarissimos fines excedens, dum nititur, ad quod creatus spiritus non accedit; inane sectatus, per præcipitia rapitur, horrore tenebroso tegitur, ad inferiora laci do fluens, vt in æternum doleat, & iustissimę damnationis in tormentis pœnas exoluat. Qui meritò Diabolus, id est, deorsum fluès appellatur, quia defluxit ex supernis, & stantibus inuidens, quos valet, adhuc secum ad inferiora demergit.

Suggerit creditoribus suis honores, dignitates, excellentias appetere, alta sapere, in altum cornu extollere, vulgi acclamationes, * fori salutationes primas, in conuentibus sedere, amare, minores contemnere, paribus se præferre, maioribus inuidere, gloriæ Dei obliuiisci, alios blanditijs, alios minis, aut pœnis subiugare sibi, idolum sei- psum statuere, omnia facere ad ostentationem hominum, & laudem. Cùm ergo miseros, elatos, inflatos, attonitos, & mente captos vsque ad nubes extulerit, tunc demum eosdem ad turpia quæque, & inhonesta crudeliter eneruatos inclinat, inclinatos sine vlla miseratione secum ad inferna inferiora præcipitat. At Glorioſissima, carne integerrima, mente sereniſsima, viuentium mitiſsima, quò cunctis humilior, & sanctior extitit, eò super omnes eleuata, & in cœlum à cœli ciuibus honorificentiſsimè, & ex more imperiali susceptа à Patre supremo, in regno claritatis æternæ, & in throno excellentiſsimæ gloriæ, prima post filium, quem ex se genuit incarnatum, iussa est residere. Magne C Deus, terribilis, & fortis, bonitate ineffabilis, humilem ancillam erigis, & exaltas, vnde hostem æmulum olim expuleras! Triumphet humilitas augmentis gratiarum, & corona inclyta à te decorata; superbia verò inanis, & tenebrosa dehiscat. Adstat ergo Beatiſsima singulari merito præcipua vultui Conditoris, prece potentiſsima semper interpellàs pro nobis. Illo enim edocta lumine, cui nuda & aperta sunt omnia, cuncta nostra videt discrimina, nostrique clemens, & dulcis Domina materno affectu miseretur.

Sancta animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quòd antè, & retrò, intus, & foris, atque in circuitu plena sunt oculis, labores hominum, & dolores, casus, defectus, cęcitates, inualitudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æquè, vt Dei genitrix valent examinare, examinando cœlesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimius immensi regis cor aspicit, eò profundiùs diuinæ gratia pietatis afflictorũ misereri, & miseris succurrere nouit. Vnde MARIA, id est, maris stella prouido Dei consilio vocata est, vt nomine declararet, quod re ipsa clariùs manifestat. Nam ex quo cœlos cum filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine, præcinxit se, mirabiles elationes maris solo nutu compescitura. Mare quippe præsentis seculi nauigantes, seque plena fide

inuo-

* *fortè vestris.* *Cant.* 8. 5. *Isai.* 11. 1.

* *Leg. fori salutationes, primas in conuentibus sedes amare.*

Psalm. 13. 5.

Psalm. 33. 3.

Ezech. 1. 18.

inuocantes ab impetu procellæ, & vento- A
rum rabie eruit, eosque secum ouantes ad littus feliciſsimę patriæ perduxit. Dici non poteſt, chariſsimi, quoties hi aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent, illi in ſyrtes peſsimas non reuerſuri incíderent, hos Scylłæa vorago hiatu horribili mergeret, illos Sirenarum cantus in exitium dulces detinerent, niſi ſtella maris perpetua Virgo MARIA ope validiſsima obſtitiſſet, ſuoſque iam fracto gubernaculo, & rate conquaſſata, omni humano conſilio deſtitutos, cœleſti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eueheret.

Nouis itaque triumphis, noua perditorum ereptione, nouis populorum incrementis exultans, gratulatur in Domino, nec con- B
tenta partis ſpolijs, ſed humanæ ſalutis cupida, hoſte liuido longiùs propulſato, alias, atque alias ſibi exuuias ſemper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelſo tyrannorum fines egreditur, munitiſsima quæque domorum aggreditur, inferna ſub pedibus ſuis faciens contremiſcere, & Principem mortis nimio terrore percuſſum reſilire. Denique ipſa iubente, vehementer euomit prædam, quam in ventrem malitiæ traiecerat, reijciens cum dolore, quam cum ingenti ſuperbia detinebat. Surgunt lapſi, redeunt pœnitentes; peccator videbit, & iraſcetur. Ma-
Pſalm. xilla eius hamo Dominicæ crucis perforata, C
111.10. reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dentibus ſuis fremens, & tabeſcens. Per matrem filio, per Virginem reconciliantur Deo, vitæ dati, morti penitus ſubtracti. Deſiderium peccatorum, peribit deſiderium verò Beatæ MARIÆ perficitur, quando educuntur quotidie vinculati de lacu miſeriæ, & luto fęcis, vt de peccati ergaſtulo, & profundo iniquitatis, indulgentiæ dono reſpirent in auras perennis libertatis. Sic illa colligit diſperſos, reuocat auerſos, eruēs eos qui ducuntur ad mortem, quoſque trahi cernit ad ſupplicia, liberare non ceſſat.

Non ſolùm autem animarum ſaluti, verùm etiam humanorum corporum ſanitati, atque neceſsitati pia diligentia prouidet, & medetur. In locis quippe memoriæ ſanctitatis eius dicatis, claudis greſſum, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis impetrat eloquium, curans omne genus languorum, præbenſque innumera beneficia ſanitatum. Accedunt ad eius limina rei tundentes pectora, confitentes delicta, & accepta venia, læti ad propria reuertuntur. Accedunt etiam mente capti, capite languidi, phrenetici, maniaci, arrepticij, nocturno timore, aliquoue phantaſmate, ſeu certa maligni incurſione deluſi, qui recepta ſoſpitate, diuini muneris largitatem aſſequuntur. Accedunt nihilominus ad eius veſtigia, qui amaro ſunt animo, mœſti, egeni, affli-
ćti, deſolati, ære alieno obligati, quodq; grauiſsimum eſt, viuentes cum dedecoris nota reſperſi. Horum, & omnium de quacunque tribulatione clamantium illa libens preces ſuſcipit, & nato ſupplicans omne malum ab eis miſeratrix auertit. Enimuero ſicut ignis attactu cera liqueſcit, & velut ardore ſolis deſſuit glacies, ſic ab eius facie inimicorum deperit acies, eaque iubente nihil aduerſi ſubſiſtit.

Notandum verò, ac ſolerter intuendum, quanto affectu, quantàue benignitate cognatos ſibi puritate animi complectitur, & diligit, quæ homines nequam, & ſceleratos ſuo interuentu, vt ſæpe dictum eſt à morte peccati, & ęternis doloribus inceſsāter abſoluit. Gemina quippe dilectione rutilans, & inſignis, hinc in Deum ardentiſsimè figitur, cui adhęrens vnus ſpiritus eſt, hinc electorum corda blandè conſolatur, & attrahit, eiſque nati largitate optima dona partitur.

Motu ergo celerrimo ſenas Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore deitatis, nunc terras ſignis, & virtutibus illuſtrans, vbique ſuis, vt mater iucundiſsima, & mirificentiſsima occurrit. Quoſdam præſentia ſua, ſubactis vitijs reddit victores, quoſdā magnorum virtutum pio interuentu facit compotes, quibuſdam intimæ contemplationis pandit ſinum, alijs in exitu vitæ iter præbet ſecurum, vt nulla deterreat virtus aduerſarij, quibus ducatum præſtat ad Chriſtum Mater vnigeniti Dei.

Extant harum aſſertionum exempla plurima, quæ vt notiſsima, & peruulgata compendiosè præterimus. Sciendum verò certiſsimè, quòd creberrima miracula, innumera beneficia, ſpiritales viſiones, cœleſtes reuelationes, ſublimes conſolationes almæ Parentis Domini, orbi terrarum aſsiduè coruſcabunt, donec finem mundus iſte ſeneſcens inueniat, inclareſcente regno, cuius non eſt finis.

Sed inter hæc ad memoriam redit dies iſla famoſa iudicij, cuius altitudinem ſanctus Propheta Dauid ſe timere pronunciat, quā D *Pſalm.*
ſemper appropinquare fidelium nullus ignorat. Illo igitur tremendi examinis articulo, 55.4.
obſequentibus Angelis, Archangelis, omnique exercitu militiæ cœleſtis, Rex cœlorum aderit cum præfata pijſsima Genitrice, orbem terræ iudicaturus in iuſtitia, & populos in æquitate. Tunc illa fulgebit luce *Pſal.*
ſplendidiſsima, cuius per vterum intactum, 97.9
& clauſam ianuam Rex gloriæ Deus mundo irradiauit. Illo in tempore patebit veritas Patriarcharum, & Prophetarum, qui Virginis partu Deifico olim atteſtati ſunt. Apoſtoli quoque filij eius, virtutum illius imitatores, & teſtes, afferēt ei gloriā, & honorem, quia eius doctrina irradiati, & ſpiritu

ſapien-

sapientiæ illapso cælitus confirmati, veri solis splendoribus Ecclesiam repleuerunt. Exultabunt martyres in decore, & gratia effusi sanguinis, mercedem optimam habentes Deum de Deo, qui nasci dignatus est ex ea.

Gaudebunt Confessores, videntes Gloriosam, quam in terris positi dilexerunt, & vita comite laude celeberrima merita eius prosecuti sunt. Gaudebunt, inquam, intuentes illud singulare diadema, quod in die solemnitatis, & lætitiæ, in die assumptionis, & gloriæ, dilectissimæ genitrici Christus impressit, memorans illud diadema, quo eum illa in die desponsationis coronauerat. Current virgines in odore vnguentorum eius, properantes ingredi cum ea ad nuptias, vt in cœlesti thalamo vero Sponso perenniter sociatæ, MARIA præcinente, nouum canticum succinant, quod nemo valet dicere, nisi mente, & corpore virgo sit. Denique omnis sexus, & ætas, omnis ordo, & dignitas Beatissimã prædicabunt, & populus innumerabilis acclamabit illi in iubilo, meritis eius, & precibus saluatus, & in dextra pio coronatus à Domino. In quorum numero, & ex quorum collegio nos esse contingat, ò Clemens, ò Pia, ò Dulcis MARIA, vt cùm dies erit iræ, tribulationis, & angustiæ, non pro reatu puniamur, sed per te Domina digni inueniamur misericordia eius, qui ascendit ad Patrem parare famulis suis locum, vt eos in amœnissima cœli regione, lucidissimis paradisi mansionibus, inter vernantes ignitos lapides collocaret, Dominus nõster Iesus Christus, cui est decus, honor, potestas, gloria, & magnificentia cum eodem Patre, & Spiritu Sancto per infinita seculorum secula, Amen.

Cant. 3 11.
Cant. 1. 3.
Mat. 25 7.
Apo. 14. 3.
Ioan. 14 2.

P. F. ALBERTVS CASTELLANVS.

NOTA.

DVM pro mea laborarem Virginea Matre, & omnium Regina MARIA, atque Vt, Dei Genitricis, & meũ illustrarem Mare-Magnum omnes celebriores, & insigniores nostræ Hispaniæ perquirerem, indagarẽque Bibliothecas; & nihil parcendo labori cunctos legissem indices, & manutererem libros tam typis mandatos, quàm manuscriptos, præcipuè veteres, & antiquissimis conscriptos caracteribus: vnus ad manus meas peruenit, ex multis, & diuersis compilatus opusculis sanctorum atque veterum patrum, cuius titulus erat, Homiliæ omnes sancti Maximi, Homiliæ: aliquæ S. Ioannis Chrisostomi, vna Origenis super illud: Attẽdite à falsis Prophætis, quæ omnia impræssa fuerunt Coloniæ apud Ioannem Gymnicum, anno à virgineo partu M. D. XXXV. in altera verò parte prædicti libelli vetustissimo charactere infrascripta continebantur: Sermones Luculentissimi B. Zenonis Veronensis Episcopi, Homiliæ & Admonitiones B. Sesarij Arrelatensis Episcopi, sermo de Laudibus Beatissimæ Virginis MARIÆ ex authẽticis sanctorum Doctorum dictis compilatus. Dum autem inquirerem, à quo, quando, & ad quid conscriptus? esset siue tempus, Auctorem, & assumptum huius Beatissimæ Virginis MARIÆ sermonis perquirerem. De tempore, & Auctore hæc ad calcem in vltima pagina scripta erant. Ad laudem, & gloriam summæ, & indiuiduæ Trinitatis, & Beatissimæ Virginis MARIÆ, & BB. Pontificum Zenonis, & Zesarij, & omnium sanctorum, sermones in hoc volumine positi, & nunquam aliàs impressi solertissimè recogniti, & studiosissimè per Venerabilem Patrem Fratrem Albertum Castellanum Ordinis Prædicatorum correcti, ac per Magistrum Iacobum de Leuco impensis Domini Benedicti Fomana Venetijs diligen-

ligentiſsimè impreſsi anno Domini M. D. VIII. die 24. Ianuarij fœliciter expliciunt hæc ibi, ex quibus habes primùm, quòd ſupra relati Sermones, & Homiliæ hic fuerunt primò typis mandati. Secundùm, quòd cum alia opuſcula ſuos proprios præfixos habeant Authores, ſolus hic Sermo de Laudibus Virginis noſtræ MARIÆ, Parente, & Authore caret, ſed Scriptorem, ſeu Compilatorem ex præclara S. Patris noſtri Dominici familia fuiſſe, nec ambigo, nec dubito, tum ex aſſumpto, tum ex titulo, & ob multa alia, quæ hic brebitatis cauſa conſultò prætermitto, & hunc Albertum Caſtellanum ſupra relatum fuiſſe, qui alia ſanctorum patrum opera, & opuſcula emendauit, correxitque, extitiſſe probabile, & veriſimile mihi eſt. Huic igitur Alberto (licèt non ita clarè, & diſtinctè, vt par erat, conſtet) prædicata ex SS. PP. dictis, & ſelecta ſacratiſsimæ Virginis elogia concinnata adſcribo: quia cùm à doctiſsimo aliquo Patre Prædicatorum Familiæ, pro Virginis Conceptione, ſeu Sanctificatione concathenata indubitabiliter extiterint, ab hoc verò ſaltim correcta, & emendata, & typis mandata, quid mirum lactatricem vocare matrem, dum vera, & vterina appareat progenitrix? Item quia noſter Albertus, aliàs doctiſsimus fuit. Nam atteſtante Alphonſo Ferdinando Placentino, Ordinis Prædicatorum, atque Antonio Poſſeuino Ieſuita, fuit Albertus Caſtellanus Venetus in Theologiæ ſtudijs, atque Hiſtoriæ plurimùm verſatus, & poſteritatis iuuandæ auidus. Edidit item hic noſter Albertus idiomate Italico de Roſario Virginis librum, & alia, quæ ipſe Placentinus refert: floruit ad annum M. D. ſub iſto ergo Alberto accipe hunc perbreuem de Sacratiſsima Virgine Chriſtipara MARIA Sermonem, ſeu Opuſculum.

SERMO DE LAVDIBVS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ PRO FESTO CONCEPTIONIS, VEL SANCTIFICATIONIS eius, ex dictis Sanctorum Doctorum compilatus.

SANCTVS *Maximus Epiſcopus in Sermone de Beata Virgine* MARIA. Licèt omnium ſanctorũ, Chariſsimi, veneranda ſint noſtris ſtudijs merita; præcipuè tamẽ glorioſæ, ſemperque Virginis Dei Genitricis MARIÆ toto nobis affectu eſt veneranda feſtiuitas. Vnuſquiſque enim ſanctorum ſpiritualibus quibuſque locis variorum auxiliorum ſuffragia contulit; hæc verò beatiſsima, & ſingularis gloriæ Virgo, & Mater vniuerſo mundo peccati labe tabido generaliter ſalutem inuenit. Sed ad tantæ promerenda laudis præconia, quando tenue ingenium, & arens ſufficiat lingua, cum ad hoc non poſsit ſufficere Philoſophorum etiã profuſa loquacitas? Nec mirum, ſi hæc Virgo ſanctiſsima ſuis in laudibus humanæ vocis modulos exuperet, quando ipſam etiam humani generis excellentibus meritis tranſcendit naturam. Sed non omnino ab eius eſt nobis laude reticendum. Quia etſi minùs ſufficit ſenſus inopia ad effectum, ſufficiens tamen apud Deum eſt deuotæ mentis affectus. Nec ambigendum, quin valeat hæc de ſe loquendi ſapientiæ præbere igniculum, quæ totius ſapientiæ plenitudinem caſtiſsimo portauit in vtero. Valetque cùm vult, efficaciam verbi tribuere, quæ verbum, per quod facta ſunt omnia, virgineis viſceribus corporatum geſtauit. *Sanctus Bernardus in Sermone de Aſſumptione B. Virginis.* Fateor autem, nihil eſt, quod amplius me delectet, ſed nec quod terreat magis, quã Sermonem habere de Virgine Matre. Vt enim interim fileam illud ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitus ſingularem, tanto eam affectu deuotionis vniuerſi, vt dignum eſt, honore amplectuntur, vt licèt de ipſa loqui geſtiant omnes, quicquid tamẽ de indicibili dici potuerit, minùs gratũ ſit, minùs ſapiat, minùs acceptet. *Ex Sermone de B. Virgine, qui incipit, qui'* ..... Præſenti igitur celebratione omnium prudentium Virginum Reginam ſedulis, fratres chariſsimi, expoſcite precibus, vt illa ſuo interuentu efficiat poſsibile, quòd Sanctæ Eccleſiæ concentus de eius congaudeat ſublimatione, & gloria. Iſta eſt enim præcipua feſtiuitas, in qua Angelorum omnis exultat militia, in qua Patriarcharum complentur veridica, & abdita myſteria, in qua Prophetarum panduntur vaticinia, in qua etiam & Gentilium referantur prænuncia ſcripta, in qua ſanctificatur ſponſa, ſine exemplo Deo

coniuncta, de cuius corporis materia oritur lumen in tenebris ad extinguendas veterum piaculorum tenebras. Hæc, inquam, dies est, in qua prælucida stella, immò lumen maris, hoc est, huius mundi cum decoris amenitate ex mortali genitura cunctis, qui saluanda sunt, illuxit. Hæc est honoranda diei lætitia, in qua præparatur vas virgineum diuinis charismatibus, ac micantibus margaritis ineffabiliter ornatum, in quo sublimitas Dei mixta homini compaginaretur carnaliter, non secundùm propaginem, sed secundùm Spiritus Sancti operationem. *Glossa.* Huius igitur diei venerandam celebritatem à principio prosecuturi, fratres charissimi, narrationis primordium ab illo sumere instituimus. *Rabanus in Serm. omnium sanctorum legimus.* Qui cunctos condidit Sanctos, per quem omnia facta sunt, per quem cũcta subsistunt elementa, cuius maiestas, nec incipit, nec desinit in seculum, vt meritò omnis principium, ac finis creaturæ nominetur. *Magister Sententiarum lib. 2. distinct. 5. ex verbis B. Augustini Episcopi.* Cuius tanta est bonitas, vt summè bonus beatitudinis suæ, qua æternaliter beatus est, alios velit esse participes. Et quia non valebat eius beatitudinis particeps existere aliquis, nisi per intelligentiam, fecit Deus rationalem creaturam, quæ summum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando possideret, ac possidendo frueretur. Eamque hoc modo distinxit, vt pars in sui puritate permaneret, scilicet Angeli, pars corpori vniretur, scilicet animæ. Distincta est itaque rationalis creatura in incorpoream, & corpoream; & incorporea quidem Angelus, corporea verò vocatur homo ex anima rationali, & humana carne subsistens. *Idem ibidem.* Igitur sicut factus est homo propter Deum, ideſt, vt ei seruiret; ita mundus factus est propter hominem, scilicet, vt ei seruiret. Positus est ergo homo in medio, vt ei seruiretur, & ipse seruiret; vt acciperet vtrumque, & reflueret totum ad bonum hominis. *Idem in eadem dist.* Fecit itaque Deus hominem ex duplici substãtia, corpus de terra fingens, animam verò de nihilo faciens. Ideoque etiã vnitæ sunt animæ corporibus, vt in eis Domino famulantes coronam maiorem mereãtur. *Ioannes Damascenus in lib. 2. sententiarum suarum cap. 12.* Fecit, inquam, Deus hominem rectum, virtuosum, sine tristitia, sine solicitudine, omni virtute decoratum, velut quemdam mundum, secundum Regem eorum, qua sunt super terram, & quod finis est ministerij, Dei intuitu deificandum. Deificãdus autem participatione diuinæ illuminationis, non in diuinam translatus substantiam. *Chrisostomus in Serm. de Septuagesima, qui incipit: Nemo est.* Videns autẽ Deus hominem innocẽtem, quem fecerat, instruxit, monuit, armauit, quippe qui cũ diabolo fuerat pugnaturus, velut quibusdam armis, hoc est prudẽtia, consilio, ratione fuerat instruendus. Prudentia quidem, qua hostis calliditatem vitaret; consilio, quo salutaria, ac recta perquireret; ratione, qua Deo genitori parẽdum esse cognosceret. *Idem in Sermone de Septuagesima, qui incipit: Dignitas.* Habens in propria potestate obedientiam, & contemptum; obedientiam, qua viueret, contemptum, quo dignè pro meritis interiret. *Magister Sententiarum lib. 2. cap. vlt.* Non enim ferebat inuidus ille, & odiosus bonorum ipse dæmon, per elationem inferiùs factus, nos superioribus fortunari. Vnde & diuinitatis spe mendax decepit miserum hominem, & ad propriam elationis altitudinem reducens, ad simile infert casus baratrum. *S. Isidorus in Sermone de Natiuitate Domini, qui incipit: Natalis.* Postquam ergo inuidia diaboli parens ille primus cecidit, cõfestim exul, & perditus in omni genere suo radicem malitiæ, & peccati traduxit. *Sanctus Augustinus in lib. Enchiridion cap. 25.* Exul itaque effectus, stirpem quoque suam, quam peccando, in se tanquam in radice vitiauerat, pœna mortis, & damnationis obstrinxit; vt quidquid prolis ex illo, & simul damnata, per quam peccauerat, coniuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna similis retributa est, nasceretur trahens originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diuersos ad illud extremum cum desertoribus Angelis, vitiatoribus, & possessoribus, & consortibus suis, sine fine supplicium. Sic per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Mundum quippe appellauit eo loco Apostolus vniuersum genus humanum. *S. Augustinus in lib. Iponosticon.* Omnes autem homines vulneratos esse peccato prototplasti vas electionis probat, cùm dicit *ad Roman. 3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.* Dicendo *omnes*, nullum excipit, quinimo totum declarauit genus humanum. *Sanctus Augustinus contra Iulianum lib. 5.* Peccauerunt enim omnes, cum ex vno peccatore omne nascantur peccatores. Vos autem dum aliquem excipitis, resistitis fundatissimæ fidei, vbi Apostolus ait *ad Roman. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Et ita omnes in Adam peccasse oportet intelligi. Nunquid hæc falsa sunt? Quis audeat hoc dicere, nisi diuinorũ eloquiorũ apertissimus inimicus? *S. Gregorius*, vt habetur *in 2. sentent. distinct. 30.* Omnes igitur, quia in peccatis sumus nati, & ex carnis delectatione concepti,

pti, culpam originalem nobiscum trahimus. *Sanctus Augustinus contra Iulianum lib.* 5. Apparet autem carnis concupiscentiam fecisse in humano genere propagationem peccati. *Sanctus Augustinus in lib. de nuptijs, & concupiscentia.* Et ideo dicimus homines non expertes esse delicti, quia de commixtione seminum sunt concepti, quæ sine pudenda libidine non potest, etiam quod honestum est operari. *Sanctus Augustinus in Enchiridion cap.* 26. Iacebat ergo in malis, vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata. *Sanctus Isidorus in Sermone de Natuitate Domini, qui incipit natalis.* Crescebat in malum vehementius omne genus mortalium diffusis vbique sceleribus, & quod nequius est, idolorum cultibus. Volens ergo Deus terminare peccatum, consuluit verbo, lege Prophetis, signis, plagis, prodigijs. Sed cum nec sic errores suos admonitus cognosceret mundus, misit Deus Filium suum, vt carnem indueret, & hominibus appareret, ac peccatores saluaret. *S. Ambrosius in Sermone de Purificatione B. Virginis, & ecce homo.* Talis quippe fuit ipsa omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi Verbum caro fieret, & peccati contagium non haberet. Vt autem repararet omnium vitam, accepit omnium causam, & vim veteris chirographi, quod solus inter homines non debuit, pro omnibus soluendo euacuauit; vt sicut per vnius reatum omnes facti erant peccatores, sic per vnius innocentiam omnes fierent innocentes. *Sanctus Ambrosius*, vt recitat *Sanctus Augustinus in lib. de nuptijs, & concupiscētia.* Ideo autem dicimus Christum expertem esse delicti, quia conceptus eius vtriusque sexus commixtionis est expers; nullum autem hominum esse sine delicto, qui de illa commixtione conceptus est. *Sanctus Augustinus in lib. 5. contra Iulianum.* Sine dubio ergo caro Christi non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Restat igitur, vt intelligamus ea excepta omnem reliquam carnem, humanam carnem esse peccati. *Sanctus Augustinus cōtra Iulianum lib. 2.* Ideo omnes diuinorum eloquiorum clarissimi pertractatores in hanc Catholicam veritatem conueniunt, vt peccato illius primi hominis omnes homines nasci credantur obnoxij; vnde ab hac generali sententia nemo excipitur, nisi solus ille, quem sine lege peccati repugnante legi mentis Virgo concepit. *Sanctus Augustinus in lib. de perfectione iustitiæ cap. vlt. ad Roman. 5.* Quisquis esse, vel fuisse aliquem hominem, vel aliquos homines putat excepto vno mediatore Dei, & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est diuinæ Scripturæ, vt Apostolus ait *ad Roman. 5.* Per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Et necesse est, vt in ipsa contentione asserat esse posse homines, qui sine mediatore Christo liberante, atque saluante salui, liberique sint à peccatis. *Sanctus Augustinus in quodam paruo tractatu, exponens illud. Non est opus valentibus Medicus.* Quisquis igitur dicit, non sum, vel non fui peccator, ingratus est Saluatori. Nullus hominum fuit, nec est, nec erit in ista, quæ fuit ab Adam massa mortali, non ægrotus originali peccato; nullus sine gratia Christi sanatus. Nemo ergo nobis insinuet doctrinas alienas, & falsas, hoc Ecclesia semper tenuit, hoc à maiorum fide percepit; hoc vsque in finem perseueranter custodit. *Ex Concilio Florentino sub Eugenio Papa Quarto anno Domini 1412. celebrato.* Firmiter enim credit, & profitetur Sacrosancta Romana Ecclesia neminem vnquam ex viro, fœminaque conceptum à diaboli dominatu fuisse liberatum, nisi per fidem mediatoris Dei, & hominum Iesu Christi, qui sine peccato conceptus natus, & mortuus, humani generis peccata delendo solus sua morte prostrauit, & regni cœlestis introitū, quod primus homo peccato proprio, cum omni successione perdiderat, reserauit. *Sanctus Augustinus in lib. 3. de baptismo paruulorum.* Nemo de hac re fallatur, & fallat. Omnes adimit, atque aufert istius Scripturæ, qua Paulus ait ad Galat. 3. Conclusit Scriptura omnia sub peccato, manifestus sensus ambages. *Sanctus Hieronymus ad Algasiam.* Authoritatem igitur scripturarum sequentes, sine ambiguitate dicimus, quòd nullus homo est absque peccato, sed conclusit Dominus omnes homines sub peccato, vt omnibus misereatur, excepto eo solo, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius. *S. Hieron. in homil. 3. super Cantica.* Solus ergo Dominus est, qui peccatum non fecit, & solus ipse fuit inter mortuos liber. *Glossa.* Vnde & ipse Dominus Iesus Christus, per Dauid de se ait: Erue à framea Deus vnicam meam. *Sanctus Hieronymus super Psal. 21.* Vnica fuit anima Christi, quia sola sine peccato fuit. *Sanctus Gregorius in 18. Moralium cap. 45.* Ille autem solus sanctus natus est veraciter, qui vt ipsam conditionē naturæ corporalis vinceret, ex commixtione carnalis copulę cōceptus nō fuit. *S. Gregorius super Ezech. hom. 8.* Ideoque in solo sibi Redemptore nostro Deus pater cōplacuit, quia in eo solo peccatum nō inuenit. *S. Leo Papa in Serm. de Passione Domini.* Solus inquā,

Christus conceptus est absq; delicto, vt in eo perfecta esset innocentia. *Sanctus Leo Papa in Sermone 12. de Passione Domini.* Et quia vt prædictum est, primi hominis vniuersa posteritas vno simul vulnere corruerat, nec vlla sanctorum merita conditionem poterant illatæ mortis euincere, venit è cœlo singularis medicus, & naturam nostram sine contagione antiquæ præuaricationis assumpsit, & solus ipse Beatæ Virginis natus est filius absque delicto, non extraneus ab hominum genere, sed alienus ab hominum crimine. *Sanctus Leo Papa in Sermone 12. de Passione.* Fides ergo vera iustificans impios, & creans iustos à naturæ suæ tracta participe, in illo solo acquirit salutem, in quo solo se inuenit innocentem. *Sanctus Ioannes Chrisostomus super Ioannem.* Quàm admiranda est ergo Christi excellentia singularis, vt nullus homo dicere potuerit: quis ex vobis arguet me de peccato, nisi solus ipse, qui peccatum non fecit? *Sanctus Leo Papa in Sermone 5. de Natiuitate Domini.* Solus igitur, vt prædiximus, inter filios hominum Dominus Iesus innocens est natus, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione est cõceptus. *S. Anselmus in lib. cur Deus homo cap. 15.* Et licèt ipsa Christi conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato; Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater eius. *Sanctus Eusebius Emissenus in Sermone de Natiuitate Domini.* Ideoque à peccati veteris nexu immunis extitit, nec ipsa Genitrix Redemptoris. *Sanctus Augustinus lib. 10. super Genes. ad literam.* Vnde caro Virginis etsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit. *Sanctus Augustinus in eodem libro.* Et quamuis corpus Christi de carne fœminæ sumptum sit, quæ de illa carnis propagatione concepta fuerat; tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, ideò ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati. *Sanctus Augustinus in eodem libro.* Cùm enim in semine sit visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrumque currit ex Abraham, vel etiam ex Adam vsque in corpus MARIÆ, quia ipsum eodem modo conceptum est, sicut corpus aliorum. *Sanctus Ioannes Chrisostomus super Matthæum.* Vnde quamuis Christus peccator non esset, naturam tamen de peccatrice suscepit. *Sanctus Augustinus contra Iulianum lib 5.* Et ideo licet MARIÆ corpus ex concupiscentia venerit, non tamen illam traiecit in prolem, quam non inde concepit, quia concepta est de Matre Domini natura, non culpa. *Petrus Damianus in homil. liber generationis Iesu Christi.* O admirabilis, ò vngulariter nobilis caro Beatissimæ Virginis, in qua muliebris natura mutatur, humana conditio non tenetur! Per coitum quidem est genita, sed per efficaciam coitus non enixa; edita communi nascentium iure, edidit singularis gratiæ nouitate. *Clemens Papa Sextus in Sermone qui incipit: Erunt signa.* Ex his igitur patet de Beatæ Virginis conceptione festum minimè celebrari debere, festi enim celebratio non est, nisi in reuerentiam sanctitatis eius, de quo celebratur. Conceptio autem Virginis non fuit sancta, sed cum peccato originali, vt patet per multorum dicta Sanctorum; & ideò nullo modo est celebranda sub festiuitate. Beatam autem Virginem originale peccatum contraxisse clarum est. Et ratio, & causa huius est, quia fuit ex concupiscentia viri, & mulieris concepta, & ideò peccatum originale in sui conceptione habuit; quodquidem non habuit eius filius, qui non ex virili semine, sed mistico spiramine est conceptus. Igitur non habere peccatum originale solius Christi est singulare priuilegium. *Sanctus Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses.* Propterea miramur satis, quòd visum fuerit hoc tempore quibusdam voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid patribus nostris, aut doctiores, aut deuotiores sumus? periculosè præsumimus, tentantes quidquid in talibus eorum prudentia præteriuit. Nec verò id tale est, quòd nisi prætereundum fuisset, eorum quiuerit omnino diligentiam præteriisse. At valde veneranda est, inquies, Mater Domini. Benè admones, sed honor Reginæ iudicium diligit. *Petrus Damianus in Sermone qui incipit: Cupientes aliquid.* Contemnendus quippe pincerna est, qui dum vini copiam iactat, fecem quoque punienda temeritate propinat; improbus opipator est, qui tanta ambitione alijs conuiuium præparat, vt in semetipsum æstuantis flammæ incendium sæuire permittat; temerarius nihilominus narrator est, qui dum laudum præconijs alios extollere nititur, ipse mergi in falsitatis baratrum non veretur. Nonnulli enim Deo se deferre existimant, si ad deferenda laudis eius insignia, falsitatis argumenta componant, qui nimirum si egregij prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non sentirent. Ait enim Corinthijs: *Si autem Christus non resurrexit, inanis ergo est prædicatio nostra, vana est fides vestra.* Inuenimur autem falsi testes Dei, quoniam testimonium dicimus aduersùs Deum, quòd susci-

scitauerit Christum, quem non suscitauit. Secundùm hæc ergo Apostolica verba falsus testis Dei meritò dicitur, qui indiscretè eum cupiens laudare, mentitur, & aduersùs Deum proculdubio perhibet testimonium quisquis in eius laude peruersa molitur arte commentum. Propheta quoque terribiliter intonat, dicens: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes eos, qui loquuntur mendacium.* Nimirum manifestè declarans, quia sicut lenius est odire, quàm perdere; ita etiam tolerabilius est iniquitatem ex infirmitate proferre, quàm ex studio mendacia fabricare. Hinc est, quòd per Ieremiam de mendacibus dicitur: *Docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt.* Qui enim simplicem veritatem vltro oblatam proferre facilè poterant, satagunt, vt mendacia cum labore confingant. *Sanctus Bern. in epist. prædicta ad Canonicos Lugdunenses.* Virgo igitur Regia falso non eget honore, veris honorum titulis, infulis dignitatum cumulata. Honora sanè integritatem carnis, vitæ sanctitatem, mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam: extolle neicientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in parturiendo dolorem; prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, præiatam omnibus; magnifica gratiæ inuentricem, & salutis, restauratricem seculorum; exalta denique exaltatam super choros Angelorum ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare. Ego verò quod ab illa accepi, securus & teneo, & trado. Accepi sanè ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quo sumpta de seculo nequam, cœli quoque intulit celeberrima festa gaudiorum. Sed & ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festiuum, atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret. Sanctus igitur est ortus, quem immensa prodiens ex vtero sanctitas sanctam fecit. Quid adhuc addendum his putamus honoribus? Vt honoretur, inquiunt, & conceptus, qui honorandum præiuit partum; quem si ille præcessisset, nec iste esset, qui honoraretur. Quòd si alius propter eandem causam, etiam vtrique parenti eius festos honores asserat deferendos, sed & de auis, & proauis id ipsum posset pro simili causa quilibet flagitare, & sic tenderetur in infinitum, & festorum non esset numerus. Patriæ est, non exilij frequentia hæc gaudiorum, & numerositas festiuitatum ciues decet, non exules. Sed profertur scriptum supernæ, vt aiunt, reuelationis; quasi & quis non queat scripturam æquè producere, in qua Virgo videatur id ipsum mandare, & de parentibus suis, iuxta mandatum Domini, dicens: *Honora patrem tuum, & matrem.* Nempe mihi facilè persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppetere, nec certa fallere inuenitur authoritas. Nam quid commune habet, vt quoniam sanctum præcesserit natalem conceptus, propterea reputetur & ipse Sanctus? Nunquid quoniam præcessit, fecit & Sanctum? Etsi præcesserit, vt esset, non tamen vt Sanctus esset. Vnde enim ei ipsa sanctitas, quam secuturo transmitteret? An non potiùs, quia præcessit absque sanctitate conceptus? Oportuit nimirum sanctificari conceptam, vt Sanctus sequeretur iam partus? An fortè mutuatus fit sanctitatem à posteriore prior? Potuit sanè illa, quæ iam concepta facta est sanctificatio ad ipsum, qui sequebatur, transire natalem, redire verò retrorsum ad conceptum, qui præcesserat, iam omnino non potuit. Vnde ergo conceptionis sanctitas? An dicitur sanctificatione conceptionis præuenta, quatenus iam sancta conciperetur, ac per hoc Sanctus fuerit & conceptus, quemadmodum in vtero dicitur iam sanctificata, vt Sanctus sequeretur & ortus? Sed non valuit ante sancta esse, quàm esse. Siquidem non erat ante quàm conciperetur. An fortè inter amplexus maritales se spiritus conceptionis immiscuit, vt simul & sanctificata fuerit & concepta? Nec hoc quidem admittit ratio. Quomodo namque, aut sanctitas absque spiritu sanctificante, aut Sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit? Nisi fortè quis dicat de Spiritu Sancto eam, & non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum. Lego namque Spiritum Sanctum in eam, non cum ea venisse. Et si licèt loqui quod Ecclesia sentit, & verum est, quod sentit dico: Virginem MARIAM de Sancto Spiritu concepisse, non autem de Spiritu Sancto conceptam fuisse. Alioquin vbi erit prærogatiua Matris Domini, qua singulariter creditur exultare, & munere prolis, & integritate carnis, si tantumdem dederis & matri eius? Non est hoc Virginem honorare, sed honori eius detrahere. Si igitur ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem, conceptu propter peccatum, quod intrat; restat vt post conceptum in vtero, iam existens sanctificationem accepisse credatur, quæ excluso peccato san-

ctam fecerit Natiuitatem, non autem Conceptionem. Quamobrem etsi aliquibus, vel paucis filiorum hominum datum est cum sanctitate nasci, non tamen concipi; vt vni sanè seruaretur sancti prærogatiua conceptus, qui omnes sanctificaret, solusque absque peccato veniens purgationem faceret peccatorum. Solus itaque Dominus Iesus est de Spiritu Sancto conceptus, quia solus & ante conceptionem sanctus. Quo excepto vniuersos respicit ex Adam natos, quod vnus humiliter de se ipso, ac veraciter confitetur: *In iniquitatibus*, inquiens, *conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Cùm hæc itaque sic se habeãt; quænam erit ratio festiuæ conceptionis? Quo pacto aut Sanctus asseretur conceptus, qui de Spiritu Sancto non est, aut festiuus habetur, qui minimè Sanctus est? Libenter Virgo Regia hoc honore carebit, quo vel peccatum honorari, vel falsa induci sanctitas videtur. Alioquin nulla ei ratione placebit contra ritum Ecclesiæ præsumpta nouitas, mater temeritatis, soror superstitionis, filia leuitatis. *Sanctus Bernardus in Sermone de Assumptione Beatæ Virginis.* Quamuis autem Beata MARIA originalem à parentibus maculam traxerit, non minùs tamen à Ieremia sanctificatam in vtero, aut non magis à Ioanne Baptista Spiritu Sancto repletam credere prohibet Christiana pietas; neque eius festis laudibus nascens honoraretur, si non Sancta nasceretur, *Sanctus Bernardus in Sermone de sancto Ioanne Baptista.* Nulla ergo est ambiguitas, quoniam singularis Virgo maternis circumsepta visceribus sublimiori sanctificationis gratia mundata sit, vtpote sacrarium illud, in quo Dei Filius carnem erat susceperus. *Sanctus Anselmus in lib. cur Deus homo.* Vnde Virgo ista, de qua iste homo assumptus est, de illis fuit, qui ante natiuitatem per eum sunt à peccatis mundati, & in ipsa eius munditia de illa assumptus est. *Glossa.* Hanc Beatissimæ Virginis MARIÆ sanctificationem egregius Propheta Isaias præuiderat, dum clamabat: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon. Petrus Comestor Magister historiarum in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, qui incipit Primo tempore alleuiata.* Vide quàm patenter terra Zabulon MARIA sit appellata, & quodammodo alleuiata. Ecce enim omnis humana caro secum trahit in conceptione duo pondera, culpam videlicet, & pœnam. Fuit ergo hæc Virgo cum culpa, & pœna concepta, & ideò eius conceptio non est celebranda, sed tamen in vtero sanctificata, & ab originali peccato mundata, vnde & eius natiuitas est in Ecclesia celebranda. Et ideò dicimus, quòd superueniente in ea gratia Spiritus Sancti sic fuit ab omni peccato mundata, vt credamus fomitem peccati in illa fuisse omnino extinctum, quia tunc remansit pœna culpæ. Propter hoc dicitur alleuiata, & non exonerata. Tunc enim aliquid exoneratur, cum ex toto pondus subtrahitur; sed alleuiatur, cum vna pars subtrahitur, & altera relinquitur. *Innocentius Papa Tertius in Sermone de Purificatione Beatæ Virginis.* Venit autem Spiritus Sanctus prius in Virginem, cum in vtero matris animam eius ab originali peccato mundauit; sed postea superuenit in eam, vt carnem à fomite peccati mundaret, quatenus esset sine ruga prorsus, & macula. *Ricardus de Sancto Victore in 3. sententiarum distinct. 3.* Superueniente igitur Spiritu Sancto in MARIAM, & obumbrante eam virtute Altissimi, illud solum remansit in ea, quod erat ad pœnam; illud totum recessit, quod erat ad culpam; vitiositas omnino recessit, pœnalitas remansit. *Magister Paulus de Perusio Carmelita in 3. sententiarum distinctione 3.* Ideoque Beata Virgo traxit meritum mortis, & habuit debitum moriendi. *Sanctus Augustinus super Psalm. 34.* Nam Adam mortuus est propter peccatum, MARIA ex Adam mortua est propter peccatum; caro autem Domini ex MARIA mortua est propter delenda peccata. *Sanctus Augustinus contra Maximum lib. 1.* Quia autem Deus non habitat hominem, quem non antea spiritus sanctificauerit, atque purgauerit, ad MARIAM beatam dicebatur: *Spiritus Sanctus superueniet in te*, vtique ad sanctificandum, & purgandum eam. *Sanctus Augustinus in 2. lib. de Baptismo parvulorum.* Ideo Christus non sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati; sed quod inde susceperit, illud profectò suscipiendo mundauit. *Sanctus Ambrosius super Lucam.* Et propterea Spiritus Sanctus superueniens in Virginem, mentem eius ab omni vitiorum sorde castificauit. *Sanctus Augustinus in Sermone de Assumptione Beatæ Virginis.* Igitur Dei Filius in Virginem descendit, sicut pluuia in vellus purgauit pretiosam margaritam, & virginitas eius, non sensit aliquam iacturam. Et dicunt Manichæi, Dominum Iesum Christum, non potuisse per fœminam nasci. Non enim dignum est, inquiunt, vt tanta maiestas per sordes, & squallores fœminæ transire credatur. Sed dicit tibi, Manichæe, Deus creator omnium filius hominis: quid est, quod te mouet in natiuitate mea? Non sum libidinis conceptus cupiditate, ego matrem, de qua nascerer, feci; ego

viam

viam meò itineri præparaui, atque mundaui. Hæc, quam despicis, Manichæe, mater mea est. Si potui inquinari, cùm eam facerem, potui inquinari, cùm ex ea nascerer. *Magister Sententiarum lib.3.distinct.3.* Sanè igitur dici potest, & credi oportet, iuxta sanctorum attestationis conuenientiam carnem Verbi priùs peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus Sancti operatione, ita mundatam, vt ab omni contagione peccati immunis vniretur Verbo. MARIAM quoque totam Spiritus Sãctus superueniens à peccato prorsus mundauit, & à fomite etiam peccati liberauit, ipsum penitus euacuando, vt quibusdam placet, vel sic debilitando, & extenuando, vt ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit, sed ex tunc ab omni peccato immunis fuerit. *S. Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses.* Ego itaque puto, quòd copiosior sanctificationis benedictio, quàm in aliis sanctis ab vtero sanctificans in eam descenderit, quæ non solùm ipsius sanctificaret ortum, sed etiam vitam eius deinceps ab omni peccato immunem conseruaret, quod alteri nemini quidem in natis mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam Virginum singulari priuilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitã, quę dum peccati, mortisque peremptorem pareret, vitæ, iustitiæque munus omnibus obtineret. *Magister Alchuinus in lib. de Trinitate.* Ipsa namque lana mundissima fuit, & virginitate clarissima, quæ sola digna esset in se Filij Dei recipere dignitatem, sicut lana conchilij sanguinem, vt ex eadem fieret purpura Imperiali Maiestate tantummodo digna, quamquam nullus esset dignus induere, nisi Augusta præditus dignitate. *Sanctus Fulbertus Episcopus in Sermone de Natiuitate B. Virginis.* Quid autem putas, qualis fuerit, vel sit ista persona, quæ sanctis omnibus spectanda proponitur, & imitanda? *Sanctus Hieronymus in Sermone de Assumptione Beatæ Virginis.* Hæc enim diuinis, Angelicisque præconijs laudata est, ac prædicata; à Patriarchis quidem figuris, & ænigmatibus præsignata; à Prophetis autem prænuntiata, ab Euangelistis exhibita, & monstrata; ab Angelo veneabiliter, atque officiosissimè salutata. *Sanctus Bernardus super missus est homil.2.* Vt autem pauca de multis loquar, ipsa est mulier, quæ caput serpentis contriuit venenatum, dum omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum. *Sanctus Bernardus ibidem.* Hinc Salomon, cùm nosceret vir sapiens muliebris sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem; quia tamen & Deum promisisse legerat, & ita congruere videbat, vt qui vicerat per fœminã, vinceretur per ipsam, hanc solam requirebat, & admirans aiebat: *Mulierem fortem quis inueniet?* Et ne hoc quæsisse putetur, desperando, subdit, prophetando: *Procul & de vltimis finibus pretium eius.* Hoc est non vile, non mediocre, non denique de terra, nec saltem de cœlo terris proximo pretium fortis huius mulieris, sed à summo cœlo egressio eius. Quid autem rubus ille Mosaycus prætendebat, flammas quidem emittens, sed non ardens, nisi *MARIAM* parientem, & dolorem non sentientem? Quid virga Aaron florida, nec tamen humectata, nisi *MARIAM* ipsam concipientem, licet virum non cognoscentem? *Sanctus Bernardus ibidem.* Quid etiam illud Gedeonis vellus, quod vtique de carne, sine carnis vulnere tantùm in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & sine detrimento Virginitatis? Cui vtique distillantibus cœlis tota se infudit plenitudo diuinitatis; adeò vt de hac plenitudine omnes acceperimus, qui verè sine ipsa non aliud, quàm arida terra sumus. *Sanctus Bernardus ibidem.* Audiamus & Ieremiam: *Nouum*, inquit, *creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Si dixisset infantem, vel paruulum, nec nouum videretur, nec mirum, sed vir erat Iesus, nec dum natus, sapientia quidem, non ætate, nec corporis, sed animi vigore. Hanc quoque Ieremiæ nouitatem Isaias lucidissimè aperit, dum dicit. *Dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Vides quàm pulchrè, & concorditer mira facta sanctorum, & mystica dicta sibi inuicem conueniunt! Vides quàm stupendum sit hoc vnum de Virgine factum miraculum, quod tot miracula præuenerunt, tot oracula promiserunt! *Sanctus Fulbertus Episcopus in Sermone de Natiuitate Beatæ Virginis.* Hæc itaque Virgo antequam nasceretur, vt prædictum est, diuinis est oraculis enunciata, & miraculis designata, tandem verò nata ex progenie diuinitus ordinata. Nata siquidem est, vt legimus, Nazareno patre, Bethleemitica matre; descendit autem à radice illius fide præclari Abrahæ, cui promissa fuerat omnium benedictio gentium in semine suo. Descenditque à stirpe Dauid, quem Deus propter notam sibi probitatem sublimauit dicens: *Inueni hominem secundùm cor meum.* De regali nempe tribu, simul & Sacerdotali duxit originem, quæ Summum erat paritura Regem, atque Pontificem. *Sanctus Fulbertus Episcopus ibidem.* De hac igitur Beatissima Virgine,

fratres charissimi cõfidenter asserimus, quia nullo virtutum genere vacabat, cui gratiæ plenitudinem inesse Dei nuncius asserebat. *S. Maximus Episcopus in Serm. de B. Virgine.* Sed quid primum, charissimi, quidve potissimum, de tantis nobis est virtutibus decerpendum; quandoquidem nihil exile, sed totum summũ est quod dicatur? Quæ enim, dilectissimi, huic B. Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium charismatibus plena fuit? Sic namque inusitato ante modo summo salutata est ab Angelo. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quid, rogo, iustitiæ, quid sanctitatis virgo hæc indigere potuit, quæ efficacis ad omnia gratiæ plenitudinem accepit? Aut quid potuit in eius animo, vel corpore locus esse vitiorum, quãdo ad cœli vicem continentis omnia Domini effecta est templum? *S. Fulbertus Episcopus vbi supra.* Quis enim cũ admiratione iucunda non speculetur ipsius adolescentis naturæ fortitudinẽ, & prudentiam, ac fidem in Angelico colloquio, vbi tam constanter eloquitur, tam prudenter interrogat, tam facilè credit? Quis non iustitiam eius miretur, qua sic vniuersa præcepta legis implere satagebat, vt nec ad se pertinentia quædam, velut purificationem legalem, inexpleta relinqueret? Ipsius quoque temperantia satis enituit, quæ Deo dignitatis lilium in humilitatis valle produxit. Depromebant itaque virtutes in cogitatione, & affectu cordis eius ineffabilem harmoniam, quam ipsa creatrix, & inhabitatrix Dei sapientia delectabatur audire. Coruscabant quoque foris in superficie sermonis, & actus, vnde possent homines glorificare Deum, & exempla salutis accipere. *S. Ambrosius lib. 2. de virginitate.* Virgo namque erat corpore, & mente, corde humilis, verbo grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, intenta operi, verecunda sermoni, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, arbitrum mentis Deum, non hominem quærere, nullum lædere, cunctis benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere. Quando illa vel vultu læsit parentes? Quando fastidiuit humiles? quando risit debilem? quando vitauit inopẽ? Nihil toruum in oculis, nihil procax in verbis, nihil in actu inuerecundum; vt ipsa species corporis fieret simulachrum mentis, & figura probitatis. *S. Odilio Abbas.* Scimus etiam pro certo, quòd omnis MARIÆ vita, & actio semper intenta fuit in Domino; ipsa siquidem optimam partem elegit, ideoque Filij Dei mater esse promeruit. *S. Maximus in Serm. de B. Virgine.* Hæc revera est illa domus, de qua per Salomonem dicitur, saluo scilicet alio, quo Ecclesia signatur, intellectu: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Septem namque virginalis hæc domus columnis sustulta est, quia hæc veneranda Mater Domini septem Spiritus Sancti donis, ideſt, sapientiæ, intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem vtique diuina sapientia effecit, quæ digna omnino esset, ex qua carnem assumeret, inæstimabile, scilicet pretium salutis humanę. Quid dignius hac, fratres, Virgine, cui nullus Patriarcharum, nullus antiquorũ, nullus sequentium patrum, nullus prorsus hominum poterit comparari? Nam quomodo huic quisquam æstimabitur conferendus, quando præter virginitatis excellentiam tãtæ sublimitatis supereminet fructus? Nec mirum, si hæc tam mirabilis Virgo omnium sanctorum celsitudinem transcenderit mortalium; cùm in hac parte etiam beatorum excellat meritum Angelorum. De hoc fructu Deus pater ad Dauid loquitur inquiens Patriarcham: *De fructu ventris tui ponam super sedem meam. Petrus Damianus in Sermon. de B. Virgine.* Sicut igitur omnipotens Deus ineffabili prouidentiæ suæ intuitu, antequam homo fieret, hominem perituru diabolica machinatione præuidit, sic etiam redemptionis humanæ consilium, ante secula immensæ pietatis suæ viscera habuit, & non solùm qualiter redimeret, modum, & ordinem in profundissima sapientiæ suæ ratione constituit, verùm etiam quando redimeret, certum temporis articulum præfiniuit. Sicut ergo impossibile erat, vt humani generis redemptio fieret, nisi Dei Filius de Virgine nasceretur, ita necessarium fuerat, vt Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe priùs ædificari domum, in qua descendens cœlestis Rex habere dignaretur hospitium. Necesse, inquam, erat priùs erigi thalamum, qui venientem ad nuptias Sanctæ Ecclesię susciperet sponsum, cui Dauid in spiritu Epithalamium canit. *Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo.* Meritò ergo, fratres charissimi, profusis gaudijs totus vbique terrarum mundus exultat; meritò vniuersa Sancta Ecclesia de solemnitate sponsi sui Genitricis præ gaudio laudes alternat. Exultemus igitur, dilectissimi in hac die, in qua dum Beatissimæ Virginis MARIÆ veneratur celebritatis festum, cunctarum etiam noui testamenti solemnitatum celebramus initium. Exultemus, inquam, in hac die præcipua, & totis viscera in Domino delectemur; in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum celebritatum celebramus originem. Quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam debet esse inferior dignitate. Nam si Salomon cum Israelitico populo in dedicatione templi ex la-

lapidibus facti tam copiosum, & magnificũ sacrificium solemniter celebrauit ; quale, quantumque gaudium B. MARIÆ natiuitas populo Christiano debet afferre, in cuius vterum velut revera sacratissimum templũ Deus ipse descendens, & humanam naturam ex ea suscipere, & cum hominibus dignatus est visibiliter habitare? Licèt enim, & in illud Salomonis templum Deus descendisse credendus sit; in hoc tamen rationabili sanctuario, hoc est, in Beatissimæ Virginis vtero multò mirabiliùs, multòque feliciùs dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. De illo namque, antiquo videlicet, scriptum est: *Factum est, cùm exissent Sacerdotes de Sanctuario, impleuit nebula domum Domini, & non poterant Sacerdotes stare propter nebulam*, vt cœca videlicet Iudaicæ infidelitatis caligo designaretur. De hoc autem descriptum est: *In Sole posuit tabernaculum suum*, vt sedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminaret. *Ex Serm. de Assumptione B. Virginis, qui incipit: Adest.* Inter hæc igitur, fratres charissimi, toto mentis affectu Beatissimæ Virginis intercessionibus nos committamus, omnes eius patrocinia omnino implo remus; vt dum eam supplici nos obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare Domino dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis offerre pretium, posse plus sanctis omnibus libertatis impendere suffragium. Sed quid nobis prodest hanc interpellare, nisi etiam humilitatis eius exempla teneamus? Curemus hìc dilectissimi, huius diei festiuitati interesse; vt post vestimentis humilitatis, atque charitatis induti appareamus. Non nos inuidia alienæ felicitatis torqueat; non ira vsque ad diuisionem dilaniet; non cupiditas Christum à nobis excludat; non secularis tristitia exurat; non prosperitas incautè decipiat; non luxuria inquinet; non immunditia polluat ; non elatio corrumpat; non superbia inflet. Vt cùm nos virtutibus ornatos, charitate coniunctos, humilitate fundatos Beata Dei Mater suæ interesse festiuitati prospexerit, ardentiùs nobis subuenire festinet apud filium, & Dominum suum Iesum Christum, Deum, & Dominum nostrum, qui coronis perennis regni clarificat Sanctos suos, & est illi æterna laus, & expectatio in omnibus electis eius. Ipsi gloria, & virtus, & potestas, & nunc, & semper, & per infinita secula seculorum, Amen.

P. F. ALPHONSVS AB OROZCO.

NOTA.

VEnerabilis vita, virtutibus præclarus, moribus, disciplina, & Religione exornatissimus, atque omni scientia præclarus vir, & pater eximius F. Alphonsus de Orozco ex Augusta S. P. N. Augustini familia, natione Hispanus territorio Talabricensis, stirpe nobilis, nobilitate humilis, humilitate varijs, & singularibus muneribus decoratus, ab Carolo V. & Philippo II. extitit, hic anno à virgineo partu M. D. natus in Conuentu Salmanticensi, dum Rector, & Prior esset S. Thomas à Villanoua, Heremitarũ habitum sumpsit, vbi tantùm in scientia, & virtute profecit, vt ad præeminentes dignitates in Religione euectus, tandem in Curia Caroli V. & Philippi II. Regius Prædicator extiterit, & Ioannæ Austriacæ Principis Lusitaniæ testamenti executor designatus fuerit. Tandem in Collegio Matritensi (verba transcribo R. P. Thomæ de Herrera, ex suo Alphabeto Augustiniano.) Annunciationis Marianæ, vulgò de D. Maria de Aragon, quæ fuit illius domus erectrix, primum Rectorem egit, & primum Deo in eius Ecclesia sacrificium obtulit die 11. Aprilis anno 1590. Ibi gloriosa, victricique morte occubuit, die 19. Septembris anno 1592. & corpus sub

ara

ara Sacelli maioris, concurrente, & venerante populo, populique Principibus, conditum fuit, donec nostris temporibus authoritate Ferdinandi Austriaci Cardinalis Hispaniarum Infantis in sublimiori, & decentiori loco collocatum est. Agitur apud sedem Apostolicam de eius canonizatione, & recentior obitus honorem differt, quem iam merita, & miracula impetrassent. Olim Alfonsi tumulus hoc decorabatur elogio.

Fr. Alphonsus Orozco Augustinianus, Caroli V. Augusti, & Philippi II. Concionator eximius, virginitate, humilitate, scriptis, pœnitentia, misericordia in pauperes, & oratione celebris; ætatis suæ 91. dormiuit in Domino. Spiritus inter Diuos relatus. Verè dives, verè viuens. Corpus à suis veluti sanctum sub altari, non lacrymis, sed cantu reconditum. Obijt xix. Septembris, anno M.D.LXXXXI.

Nunc verò heccine inscriptio apposita.

Fr. Alphonsus Orozco, cui vix natus mundus, cum ignotus; magni Patris verus Eremita; Caroli Augusti, & prudentissimi Philippi igneus Ecclesiastes; virtutum omnium, maximè humilitatis, pœnitentiæ, orationis, mansuetudinis, misericordiæ, spirans columna: cœlestibus libris mortuus, adhuc expugnans vitia; vates, cœlis homo, hominibus Deus. Liliata spolia, meliore sui parte verè viuens, in hac æde dereliquit, ætatis 91. Septembr. 19. anno 1591. à Primate sub altari primo velut sancta, non lacrymis, sed cantu deposita; post triginta tres annos integra, huc legitimè translata, anno 1624. Iulij die 7.

Hucusque Herrera, vbi nihil de eius scriptis, atque eximia in B. Virginẽ deuotione. De primo parum R.P. Antonius Possevinus. Aliqua R.P. Thomas Gratianus Augustinianus in Provincia Colonensi Prior Provincialis in sua Anastasi fol. 20. quæ opera tàm sparsim, quàm coniunctim millies Latinè, Hispanicè, Italicè, & Gallicè Typis mãdata prodierunt, quæ sæpe sæpiùs vidi, & legi, & summè veneratus sum, præcipuè tractatum suarum Confessionum; nam & in hoc imitatus est Patrem, & Archimandritam Augustinum, quæ à tot, & talibus fuerunt approbatæ Patribus, & Doctoribus, videlicet R.P.Fr. Luiso de Cabrera Augustiniano. R.P. DD. Antonio Perez Benedictino. R.P. Hieronymo de Florentia Iesuita. R.P.Fr. Ludouico Bernardo Generali Cistercienst. R.P. Valentino de Herice Iesuita. R.P. Fr. Petro de los Angeles Carmelita. D.D. Christophoro de Guzman, vt non iam libellum Confessionum, sed librum Cociliorum esse præsumeres. De hoc solùm opusculo narrationem texui, quia ex ipso primò, & principaliter colligitur Nostri Alphonsi ad Virginem Christiparam deuotio; nam, vt ibi conspicitur, huic deuotissimo viro Domina omnium Reginaque Angelorum apparuit, dicens ei: Scribe. O eximiũ tanti scriptoris eloginm, vt ad præceptum aquilæ virginæ suum in arduis collocaret calamum! Secundò constat eius deuotio ex ijs, quæ ex suggestu in die obitus sui dixit R.P.D.D. Petrus Manrique tunc Concionator magnus, deinde Archiepiscopus maximus. Cuius hæc sunt verba. Fue deuotissimo à N. Señora: lo mas de la vida gastò en escriuir alabanças suyas: perdia el seso en la consideracion desta Señora, y de lo que fue, y merecia. Hoc ipsum demonstrant Cœnobia sub titulo, & patrocinio B. Virginis à se constructa. Tandem hunc deuotissimum, & pium in Virginem Matrem affectum ostendunt eius scripta; nam explicuit Cantica Canticorum de Beata Virgine

MA-

MARIA, edidit declamationes. Item & de solemnitatibus Beatæ MARIÆ Virginis librum vnum: Tractatū præterea de Rosario eiusdem Virginis, quæ duodecim priuilegijs reliquos sanctos superauit, vt reuelatum fuit Sancto Ioanni Euangelistæ. Edidit etiam duodecim orationes ad Beatam Virginem, vt pro nobis duodecim virtutes apud filium impetret. Scripsit etiam super Magnificat, *necnon Hispanicè de septem verbis Dominæ nostræ MARIÆ. Item tractatulum de Dolore Virginis MARIÆ iuxta crucem, etiam Hispanicè. Vt ergo aliqua saltem, de tam præexcellenti, & deuotissimo Virginis MARIÆ Doctore in nostro Mari-Magno demus; nam ad omnia si non desit voluntas, deficit possibilitas, explicationem in Cantica Canticorum tibi offerimus, quia non ita facilè inuenitur.*

INCIPIVNT NONNVLLÆ ANNOTATIONES IN CANTICA CANTICORVM DEIPARÆ MARIÆ Virginis festiuitatibus accomodatæ. Authore Fratre Alphonso ab Orozco Augustiniano.

Prologus ad pium Lectorem.

ME ipsum planè cohibere nequiui, sapientissime Lector, quòminùs post commentaria, pro modulo meo edita, in Cantica Canticorum Salomonis, saltim aliquot annotationes dictarem in laudem Christiferæ Virginis MARIÆ quarum nonnullæ accommodantur Solemnitatibus eiusdem Deiferæ.

Exo. 15 *Enimuerò, & MARIA Mosi soror, versuto Rege Pharaone victo, gratias Deo optimo cecinit, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare: dulciùs, & præcellentiùs tympanistria nostra benedicta MARIA, à quauis peccati lepra immunis, in domo Zachariæ Deo plena cantauit: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo Equidem cantatrici huic cœlesti, vel maximè Cantica Canticorum sunt accommodanda: illa planè sponsa altissimi Regis Christi est, illa soror vnice dilecta. Has obres, pie lector, te deprecor, ne legere hasce annotationes renuas. Nec adamusim textum Canticorum iterum prosequi collibuit, ne forsitam tibi tædio essemus. Et quàm optimè vale in Christo Iesu Domino nostro.*

Lucæ 1.

PRO CONCEPTIONE Virginis.

Annotatio prima. *OSculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Cantic. 1. Velim, & maximè velim, ò Virgo virginum præclara, vt mihi Seruulo tuo essent linguæ centum, & ora centum, quibus virtutes tuas præcellentes, vtcumque narrare potuissem. Verùm Deus optimus tot charismatum donis, tot & virtutum diuitijs te decorauit, vt nedum hominibus, qui in genti ruditate laborant, sed etiam Angelis, atque Cherubim ipsis celsitudo tua sit miranda, & modis omnibus stupenda. Veruntamen, ò Deipara mitissima, encomia tua ruditas mea tacere nequit: ne forsitam ingratitudinis noxa me inuoluere valeat. Non sanè meis viribus, quæ vsque adeò fragiles sunt, sed tuis precibus fisus, opus hoc vehementer arduum subire instituí. Quas ob res Christum Iesum filium tuum exora, vti sua mirabili gratia, mentem meam illuminet, pectus inflamet, manumque regat, ac moderetur. Ita fiet, ò totius mundi Regina, vt nihil temerè de te scribam, sed omnia benedicto filio tuo sint placida, tibi decora, seruis tuis, qui laudes hasce lectitauerint, valdè frugifera. Tuo ergo interuentu fretus, quanquam balbutientis more, audacter loqui incipiam.

Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino. Nihil sanè vetat, quòminùs de Virgine singulari verba hæc explicemus. Si enim (vt iam attingimus) sponsa, quæ est Ecclesia, verbis ijs obnixe orabat, magnopere cupiens filium Dei hominem factum, quorsum MARIA, quæ melior pars Ecclesiæ est, & capiti Christo vicinior, non eadem precatione vtatur? Sanè ex vtero matris suæ subinde, vt absque peccato concepta fuit, gratias Deo optimo egit, pro dono creationis sibi impenso, necnon pro singulari priuilegio accepto, videns se immunem ab omni labe peccati, & gratia summi numinis ab originali culpa præseruatam. Tunc exclamare cœpit, vti sponsa gratissima Deo: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Planè os Patris Verbum Dei est: nam ore, quæ in corde nostro latitant, pandimus: & ad eundem modum Pater potentiam suam mirabilem, sapientiam, & bonitatem per verbum suum carne indutum mirabiliter ostendit. Vnde Dominus ipse in Euangelio ait: Pater manifestaui nomen tuum

Notr.

Ioan. 17

tuum hominibus, hoc est, tuam potentiam, sapientiam, & bonitatem pro mea virili hominibus notam feci. Huc pertinet illud: Philippe qui videt me, videt & Patrem meum. *Ioan.14* Quandoquidem cognitio Dei olim in regno vno Hebræorum fulgebat, dicente Dauide: *Psal.75* Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius. Nunc post osculum, quod datum est humanitati nostræ, vbi Verbum caro factum est, à solis ortu vsque ad occasum laudabile, & honorabile est nomen Dei. Vbera sponsi Christi longè vino pretioso meliora, doctrina eius, & miracula sunt. Quorum lacte sancta Ecclesia Romana alitur, nutritur, ac in dies roboratur. Quin & hoc est vinum *Zach.9.* germinans virgines per Zachariam satis laudatum. Ne obsecro, quis excandescat quia dixi, Virginem gloriosam ex vtero matris ceciniſſe hoc canticum, *Osculetur me osculo oris sui*, nam cum Diuo Bernardo asserere *S.Bern. Epi.175* ausim, quòd quicquid alijs sanctis, quamuis paucis à Deo concessum est, Virgini Christiferæ non est denegandum. Atqui, si præcursori Ioanni sex nactus menses datum est, vt agnosceret Saluatorem, quem exultans adorauit: cur matri sacerrimæ, quod de seruo sancti doctores asserunt, adimere audebimus? Regulam Diui Bernardi cordi meo insculptam semper habui, mordicusque eam tenebo, quia Euangelio vehementer consonat, ceu de Ioanne Baptista legimus. Sub hęc *Pro.31.* Salomonis verba hoc ipsum adserunt. Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu verò supergressa es vniuersas. Sed de his aliàs pleniùs, Domino suffragante, dicemus. Summa, quod oracula Patriarcharum personabant, & voces prophetarum obnixè petebant, hoc nimirum alma Virgo impetrauit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Osculatus est Filius Dei humanitatem nostram, quando in vtero virginali Spiritu Sancto cooperante factus fuit homo, & in vnitatem personæ naturam humanam assumpsit. Isaac filium suum Iacob osculatus est, & statim, ei benedixit: & ad eandem imaginem filius Dei, confestim, vt humanitatem assumpsit, & sibi eam vniuit, benedictionibus illam repleuit, triplici gratia decorans, vnionis, capitis, & singularis personæ. Quid pluribus immoror? anima illa sacrosancta ex templo post, vnionem illam *S.Tho.3 p. q. 7. art. 5.* hypostaticam, essentia diuinâ fruebatur. Vnde Christus quatenus homo viator, & comprehensor fuit, quod nemini hominum vnquam contigit. Hæc omnia ex osculo illo *Ioan.1.* sancto dimanarunt, vbi Verbum caro factum est. Vide infrà annotata, tertia de hoc festo.

PRO PRÆSENTATIONE *almæ Virginis.*

Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum. Cantic. 1. Virgine sancta in hoc mundo orta, transacto triennio, à parentibus in templum ducitur, & cantantibus, atque psallentibus Angelis, arca Domini magno cum iubilo in oraculo templi collocatur. Vbi adimpletum est, quod olim Hebræi fecerunt, quando arcam fœderis ferentes in eodem Salomonis templo posuerunt. Historia in libro Regum sic habet: Tulerunt Sacerdotes, & omnis populus arcam Domini in locum suum, in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas Cherubim. Centum viginti cantores tubis canebant, alij citharis, cimbalis & organis concinebant, ita vt sonitus longè audiretur. Omnesque simul voce canora dicebant: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Et compleuit gloria Domini domum Dei: ita in secundo Paralipomenon capite 5. habetur. Quæ omnia symbola erant sacræ Virginis MARIÆ Præsentationem obumbrantia. Enimuero arca fœderis gloriosa Virgo erat: quippe quæ non tabulas legis lapideas intra se gesit, sed ipsum legislatorem filium Dei, Patris æterni sapientiam in sacro vtero nouem mensibus portauit. Hæc mundi totius Domina, cœlorũq; Imperatrix, in tẽplo relicta canere cœpit. *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum.* Cellaria Regis non quibusuis patent, quia in eis aromata valde pretiosa esse solent. Super bis vtique Deus optimus resistit, & eis thesaurorum suorum ostia claudit. At humilibus, qui se se non efferunt, sed humi reptantes, nil de se præsumunt, sponte gratiam suam, atque arcana meritò reuelat. Cùm par *1.Re.15* unlus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel elegit te Deus, dixit Samuel ad Saulem. Verùm quia humilior Angelis Virgo MARIA fuit, ita Deo optimo placuit, vt cellaria eius intrãs, secreta secretorũ intelligeret, præ cæteris Prophetis: ipsa nãque longè melius, quàm Dauid ait: Incerta & occul *Psal.94* ta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Quænam lingua pro dignitate narrare poterit, & si Maronis eloquentia polleat, quas virtutes ex his cellarijs regalibus intemerata Virgo hausit? Proculdubio ille solus adnumerare heroicas virtutes eius potest, qui eam elegit, & prælegit in suam matrem. Quidquid fidei, spei, charitatis, fortitudinis, iustitiæ, temperantiæ, atque prudentiæ, aliarumque virtutum, in hac mirabili puella emicuit, totum ex regali penu ipsa decerpsit. Quæ omnia,

Annot. Secũda.

3. Reg. 8. & 2. Para.5.

Nota.

nia, ni fallor, vno verbo suo sacro ore illa indicauit. Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Annotatu dignum est, quòd non ea numerat, eò quòd ferè ineffabilia, & innumerabilia sunt dona, quæ Deus optimus Matri suæ benemeritæ impendit. Eam ob causam, magna ea dixit forè, quia magnus valde & potens, qui illa dona dedit. Regem vocat eum, quia Rex Regum & Dominus dominantium est. Immò Rex magnus super omnes deos. Sequitur. *Exultabimus, & lætabimur in te: memores vberum tuorum super vinum.* Allusio est ad illud, quod in suo cantico cecinit. Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Non in mundialibus diuitijs, quæ potiùs stercora sunt, nec in fugacibus honoribus Christifera Virgo exultat, sed in eo, qui vera est salus, sapientia, & Angelorum gloria, in quo omnes, qui vestigia illius sectantur, gaudent semper: iuxta illud Apostoli: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Vbera sponsi Christi Iesu, vt paulò superiùs diximus, miracula eius, & doctrina cœlestis sunt. Vel vbera, quorum memores esse debemus, sunt lex vetus, & noua. Illa docet nos timere Deum, eò quòd lex timoris ab Apostolo nuncupatur: lex autem noua docet nos totis medullis cordis nostri amare Deum, qui nos creauit, & tam magno pretio redemit. Horum memoria iugis plus delectat, & lætificat mentes nostras, easque inebriat, quàm quodvis vinum pretiosum, & defecatum. Et quamuis hoc verbũ. *Exultabimus, & lætabimur in te*, omnes orthodoxos comprehendat, potissimè Virgo sancta de asseclis suis loquitur, quæ terreno sponso renunciantes virginitatem vouerũt. De quibus prophetauit Dauid: Adducentur Regi virgines post eam, & proximæ eius afferentur tibi, in lætitia, & exultatione. Verbum illud (post eam) energiam magnam habet: itaque templum adijt puella sancta, vt sit virginum Regina, & virginitatis fundatrix, quæ virtus Angelis cognata est, teste Diuo Hieronymo.

Psa. 94. *Philip.* 4. *Roma.* 8 *Nota.* *Psa.* 44. *Virginitas laudatur.*

PRO CONCEPTIONE SANCTÆ Virginis MARIÆ.

Annotatio tertia.

NOlite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol. Cant. 1. Almæ Virginis insignis humilitas, his verbis, vel maximè innotescit. Ne obsecro filij mei fideles (ait) miremini, si fusca appearem. Equidem ex patre Ioachim, & matre Anna concepta sum, nihilosecius nullam originalem culpam contraxi, gratia summi numinis me preseruante. Fas enim non erat, vt priùs diaboli filia, quàm Domini ancilla essem. Nonne à mundi exordio Deus optimus, qui fallere, aut falli non potest, eò quòd sapientia, & veritas æterna est, increpans serpentem, vel potiùs dæmonem versutum, in serpente loquentem, ac decipientem dixit: Mulier conteret caput tuum? Enimverò caput, & initium in quo Sathanas dominatur hominibus originalis culpa est, quam posteri Adæ omnes cõtrahere coguntur. Atqui gratia Dei me corroborante, sic de hoc humani generis hoste triumphaui, adeo potenter caput huius draconis contriui, vt nec per instans, me ditioni suæ obnoxiam haberet. Terra sacerdotalis, regali præcepto vrgente, libera euasit, & tributum Pharaoni Regi Ægypti nullatenus dedit. Quorsum ego quæ Sacerdotem æternum Messiam sum paritura, tributum dabo Sathanæ, quippe qui Rex super omneis filios superbiæ est? *Nolite me considerare, quòd fusca sim, nam Sol ipse me decolorauit.* Sol, non qui corporeis luminibus quotidie conspicitur, qui manè oritur, & vespere occidit, sed ille, de quo scriptũ est: Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ. Et rursus, improbi conquesti aiebant: Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Candor, & splẽdor mirabilis filij mei me fuscam effecit: cui si mea sanctitas, & innocentia conferatur, ferè nulla erit. Stellæ in conspectu eius non sunt mundæ. Ille sanè candor lucis æternæ est, ego verò creatura eius: ille in vtero meo conceptus de Spiritu Sancto; ego autem ex propagatione concepta, nedum matrem habui, sed etiam patrem. Veruntamen, qui me creauit, omnis peccati expertem fecit. Alioqui non diceret: Equitatui meo in curribus Pharaonis asimilaui te amica mea. Hoc est, quemadmodum versutus Pharao quanquam grandi exercitu stipatus, nihil nocuit populo meo, sed ipsi in mari rubro, & cunei eius perierunt: ita tu sponsa, soror, & mater mea, diabolo submerso, ac penitus prostrato, dono gratiæ meæ præuenta, atque sine labe peccati concepta fuisti. Satis supraque alma Virgo candorem suæ Conceptionis probauit. Supereſt, vt nos zelatores suæ puritatis, & innocentiæ proclriuiter inexaustas Christo Iesu gratias impendamus, qui talem matrem sibi elegit, creauitque, cuius candor Angelorum decorem vinceret: talique priuilegio honestauit, vt à quouis delicti contagio præseruata, Archangelis etiam esset stupor.

Gen. 3 *Gen.* 17. *Figura.* *Mala.* 4 *Iob* 25. *Cant.* 1. *Exo.* 34 *Figura.*

Eodem attinet, quòd sacra Virgo paulò ante dixerat: Nigra sum, sed formosa filiæ Hierusalem. Quod est dictu: meapte natura nigra sum, quia vt filia Adæ hæres illius eram, vti cæteri posteri eius, nihilominus gratia Dei cooperante, formosa sum, nihil culpæ contrahens, & ab omni originali labe præseruata. Itaque gratia omnipotentis Dei innocentia candorem mihi præstitit, quippe quem propagatio ipsa exhibere non potuit.

Cant. 1.

PRO

PROFESTO ANNVNCIATIONIS MARIÆ.

DVM esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. Si quis
Annot. quarta. roget, & à sacerrima Virgine discere affecet, vnde ipsa tam eximiam dignitatem vendicauerit, vt Dei genitrix fieret, & Archangelus Gabriel ex alto venerit, nouum atque nullis retro seculis auditum nuncium ei narraret, rationem tanti Sacramenti subindicans ait. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Perinde dicat: Vultis filij mei, orthodoxi omnes viam scire, per quam ipsa gradiens tantæ excellentiæ culmen conscendi, vt filij æterni Patris parens fierem, sanè humilitas est. Ecce via regia, per quam omnes amici Dei ad æthereas
Gen. 28. aulas conuolarunt. En scala Iacob, cui Do-
Figura. minus enixus, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, retundens omnem hominum petulantiam, atque iactantiam. Quid multa? per hanc humilitatis scalam, quę terræ nititur, & cœlum tangit, immò cœlos omnes penetrat, Angeli descendunt, & ascendunt: descendunt, vt humiles in quauis calamitate adiuuent, sicut scriptum est: Angelis
Psal. 90 suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs, in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Etiã per hanc scalam humilitatis Angeli ascendunt, Deo optimo precationes humilium of-
Tob. 12. ferentes. Alioqui Raphael Tobiæ non diceret: Quando orabas tu, & nurus tua Sara, ego obtuli orationes vestras Deo. Mira res, ne dũ Angeli vtpote humiles, sed Angelorum Dominus, & creator per hanc scalam descendere dignatus est: vbi homo factus, sacro cruore suo mundum redemit: is itaque dum esset in accubitu suo, in æterni Patris sinu, in quo semper fuit, & est per essentiæ vnitatem, odoratus est nardum meam: cuius odore allectatus me ancillam suam delegit in matrem. Sic
Ps. 37. Regius Psaltes decantauit: Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.

Audiuimus planè vocem Virginis pertonantis, & rationem reddentis, ob quam meruit exaltari, & dignitatem sortiri, quæ omnes Angelos exuperat. Ratio ergo, quam nobis commendauit, humilitas est. Hæc virtus nimirum, apprimè depicta fuit in nardo. Nardus herba est odorifera, quamuis parua. Huius herbæ symbolo repræsentatur humilitas charitate vigens, fragrantissimaque pij animi, famæque suaue olentia complens vniuersa. Sed paulisper obsecro agnoscamus magnum Philosophiæ acumen, sed non huius seculi, *Dum esset Rex* (ait alma Virgo) *in accubitu suo, nardus mea dedit odorẽ suum*, Alia editio habet, *dedit odorem suauitatis.* O mirum humilitatis gradũ Dei mater efficitur, & Regem vocat eum, quẽ mox filiũ est habitura. Alludit ad illud, quod Paranimpho Gabrieli respondit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Sublimis admodum est humilitas, in tanta sublimitate, illæsam humilitatem intueri, & in tanta magnitudine modicitatis suæ meminisse. En humilis Abigail, quæ quondam Regi Dauid dixit: Sit ancilla tua, vt lauet pedes seruorum tuorum: quam ob causam Regina facta est, & sponsa eius, cui magnopere placuit. Paulus ob nimiam humilitatem, qua se minimum Apostolorum vocitauit, & indignum tam præcellenti nomine, ad tertium cœlum raptus est. Quid de MARIÆ inexhausta humilitatis abisso sperandum, nisi vt odore spirantissimo feruentis orationis, se se prorsus humiliantis, cœlosque omnes penetrantis, non ad cœlum raperetur modò, quàm ipsum cœli authorem ad se raperet, indissolubilibus humillimæ charitatis funiculis compeditum? O rem mirabilem, excelsus est Deus, & humilia respicit in cœlo, & in terra, humilia sectatur, humilia amplectitur, ac super humilem, & quietum, & trementem sermones suos requiescit! Obseruandum, quòd non dixit, *Dedit odorem meum*, sed *dedit odorem suum*, ne sibi ascribat donum, quod illius est, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Voluptas maxima nobis erat, plus loqui de heroica MARIÆ humilitate, propter quam Dei Genitrix effecta, & vt ipsa concinit, eam omnes generationes, tum cœli, tum etiam terrę beatam dicunt. Sat sit, quòd si superbia in cœlo Angelos Dæmones effecit, humilitas cœlestes mentes Angelos constituit Superbia tumentem, & superciliosum Pharisæum occidit: humilitas publicanum tot delictis onustum exaltauit. Verùm & si humilitas non potissima virtutum, tamen post Theologales, & intellectuales virtutes primas tenet.

Luce 1.
1. Re. 25
Ps. 137.
Mat. 21
Luc. 18.
S. Thom. 22. q. 161 art. 5.

VIRGO SANCTA ANXIA filium suum quæritat, quando duodecim annos natus remansit in Hierusalem.

INdica mihi, *quem diligit anima mea; vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1.
Annot. quinta. Equidem verbis nemo explicare potest, quanto dolore, quantaque anxietate mater sacerrima filium suum vnicè dilectum, per vicos, & plateas ciuitatis Hierusalem inuestigabat. Qui amorem, quo eum diligebat; metiri valet, is maximum dolorem, quem illa perpessa fuit, penitiùs intelliget. O quo mœrore affecta gemibunda suspiria per aera iactans, verba hæc repetebat: Indica mihi obsecro fili, indica obnixè rogo, vbi pascas, vbi cubes,

cubes, potissimè in meridie. Mira valde rerum mutatio. Paulò superiùs tanquam in mentis excessu eleuata, dixit: Osculetur me osculo oris sui; nunc autem dolore confecta, nil tale affatur, sed totum humile est, quod profert. Dilectum appellat filium suum, & iure optimo; ingenti amore ipsum amabat, vtpote creatorem, & præseruatorem; qui sua potenti virtute mirabiliter ab omni contagione originalis noxæ præseruauit: quo priuilegio nemo alius, ex propagatione genitus, fuit insignitus vnquam, nec erit. Diligebat insuper illum, quia vnicus filius, quem, Spiritu Sancto cooperante, in virgineo vtero suo genuit, absque dolore in diuersorio lætabunda peperit, manibus suis sacris contrectauit, pannis inuoluit, atque vbere de
Tobiæ 5 cœlo pleno lactauit. Verùm si Anna Tobiæ parens irremediabilibus lachrymis plangebat, absentiam illius ferre non valens, adeo vt domi quiescere non posset, quid de sacra Deipara MARIA dicemus, quæ vnigeniti sui faciem, in quam Angeli prospicere desiderant, coram non habebat? Heu (dicebat Anna) quid te misimus peregrinari, fili mi, baculum senectutis nostræ, lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ: omnia in te simul habentes, non debuimus dimittere
Ioan. 1. te à nobis. Proculdubio puer Iesus lumen erat oculorum matris benedictæ, & iusti Ioseph: nam ipse lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, à Ioanne Euangelista rectè vocatur, Baculus eorum erat, cui innitebantur, immò Patris æterni Verbo, quo ille omia portat, teste Apostolo. Denique solatium vitæ illorum semper fuit, ita vt exulantes in Ægypto, exilium esset illis voluptas maxima, contemplantes Iesum, quique gloria, & lætitia inenarrabilis Angelorum est. Quin & lumen cordium nostrum Christus est, si quæ tenebræ delictorum nos circuunt. Baculus noster est, non arundineus conquassatus, qualis est
Isai. 36. baculus Ægypti, qui manum tenentis atrociter vulnerat. Saluatori robur, & fortitudo animarum nostrarum est, de quo in Psalmo:
Psa. 117 Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Hunc alma mater solerti cura quærit, maximopere cupiens scire, vbi pascat, & cubet: vt corporali eius præsentia cor suum lætetur, lachrymæ abscedant, dolor omnis faceſſat, adueniatque subindè gaudium. Atqui post tot suspiria, & gemitus transactis tot lachrymis triduo emissis, inuenit dilectum suum in templo sedentem in medio Doctorum, pascentem eos, vtpote pastorem bonum. Audiebat eos, & interrogabat adeo subtiliter, asserens ex scripturarum penu, Messiam iam aduentasse. Quem Doctores audientes stupebant, & mirabantur super doctrina, & responsis eius.

A Tunc mater benedicta, lætitia magna exhilarata dilectum filium alloquitur, & materno affectu clamans ait: Fili mi, quid feciſti nobis sic? Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Heu nobis, qui non dolentes, aut gementes pristina delicta, Christum Iesum quærimus. Enimverò (teste Iob) sapientia Dei Christus, non inuenitur in terra suauiter viuentium. Tales sunt, qui honoribus seculi hiniant, delicijs carnis vacant, denique diuitijs affluere conantur. Quomodo Saluator velit, se quæri, ipse per Ioelem nobis aperit, dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu & planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta. Si ergo
B cum alma Dei matre dolentes, Christum Iesum quæramus, fructus dignos pœnitentiæ agentes, dubio procul eum inueniemus, non sanè iam in templo Salomonis inter Doctores disputantem, sed glorioſum super omnes Angelorum choros, ad dexteram Patris sedentem.

Luc. 2.
Iob 28.
Ioel. 2.

CHRISTIFERA MARIA IESVM brachijs suis fert, tyrannidem Herodis versuti declinans.

F*Asciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cantic. 1. *Annot. Sexta.*
Saluator noster, qui sua dignatione gratuita
C ex alto venit, vt delictorum nostrorum grauia pondera auferret, nihil grauedinis sacro sanctæ matri suæ intulit vnquam. Etenim, quam ab omni culpa immunem fecit, is spontè ab elogio, & maledictione Euæ potenter liberauit. Illi, vtpote peccatrici, dictum est: *Genes. 3*
In dolore paries filios tuos. At Virgo sancta lætabunda vnigenitum suum Christum edidit. Hinc ipsa voce canora clamat: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, quamobrem, *inter vbera mea commorabitur*. Rectè fasciculum puerum Iesum vocat pia parens, eò quòd paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, iuxta Esaiæ vaticinium. Itaque *Esai. 9.*
qui magnus Rex erat super omnem terram,
D paruulus factus ex vtero matris prodijt, quò nos filios Adæ super cœlos proueheret, & exaltaret: modò fide, & charitate sulti, mandatis eius obediamus. Sic enim scriptum *Matth. 19.*
est: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Aduertendum, quòd myrrha arbuscula est Arabiæ, cuius liquor guttatim exundans, myrrhæ nomine dictus est amarus, sed odorie optimi: quique vel eliminatis, vel arefactis noxijs humoribus, corpus incorruptum teneat. Eam ob causam antiquitus mortuorum corpora, omnium maximè regum, ne in putredinis saniem effluerent, myrrha liniebantur. Est ergo myrrha, ob innatam amaritudinem, typus mortis Christi Iesu. Huc *Matth. 2.*
spectat, quòd Magi Spiritu Dei afflati nedũ

au-

aurum, & incensum, sed myrrham puero benedicto Iesu obtulerũt, in qua mortem eius, & sepulchrum præsagiebant. Fasciculus myrræ igitur intemeratæ MARIÆ fuit Christus, tum in conceptione, vt iam diximus, in qua nulla corruptio ad fuit, tum in sacrosancto eius partu, mirabiliter semper virgo manens. Equidem Deus optimus, qui illæsum reliquit rubum ardentem in deserto, Mose stupente de prodigio tam insolito, par erat, vt matrem, & talem matrem, inuiolatam conseruaret. Planè qui ex substantia cœlestis Patris nascitur ab æterno, sine ipsius Patris detrimento, ipse ex vtero matris prodijt, sine eius corruptione. Fasciculus myrræ, & non onerosus fascis Christus Iesus dilectæ matri, etiã in passione atrocissima fuit; quoniam, ne dolore maximò confecta exhalaret animam, virtutem affatim ei largitus est. Alioqui iuxta crucem vnicè dilecti filij in monte Caluario, videns Christũ inter latrones pendentem, moreretur. *Inter vbera mea commorabitur.* Ex pectore vbera pendent, & inibi cor latitat. Perinde dicat: Super cor meum, quoad vixero, tam vitam mirabilem filij mei, quàm eius facinora illustria, necnon diram eius mortem collocabo. O si nos fasciculum myrrhæ tam præcellentem diu, noctuque in corde nostro gestarem? profectò vermes corrodentes conscientiam, omnesque praui affectus, nostri subinde morerentur. Recogitate eum, qui talem ac tantam sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Ecce dogma saluberrimum, quod orthodoxis præbet Apostolus. Quid est: Recogitate austerrimam Saluatoris necem, nisi sæpe sæpius eam contemplamini? indefessè probrosam Christi mortẽ in corde recolite, ne calamitatibus quotidianis imminentibus, succumbentes pereatis?

Hebr. 12

EX CAPITE SECVNDO ANnotationes, Immaculata Virginis conceptio exactè nunc delineatur.

Annot. septima.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Cantic. 2. Christus Saluator noster hisce verbis sanctæ suæ matris purissimam conceptionẽ graphicè depingit, lilio vernanti inter sentes nato eam comparando. Silentio autem prætereundum minimè est, quod paulò superiùs ipse de se ipso asseuerauit. Ego (ait) flos campi, & lilium conuallium, Iesus flos Nazarenus, in Nazareth, qui flos interpretatur conceptus est, ex flore candidissimo genitus: nam si Christus flos est, sacra mater sua flos inter spinas rectè nuncupatur. Flos campi se se appellat iure optimo, non cuiusuis campi, sed eius, cui benedixit Deus. Flos inquam campi est Saluator, non horti, cui manus adhibetur humana: quia non ex virili semine, sed diuino spiramine conceptus. Olilium conuallium, humilium cordium honos, & gloria, ita pulcherrimum, vt nec Salomon in omni gloria sua sic coopertus fuerit. Huc attinet illud Psalmi: Speciosus forma præ filijs hominum. Ex hoc mirabili flore, ex virtute huius candidissimi lilij conuallium Virgo MARIA fragrat, & perpetuo nitore pollet, vt valeat lilio comparari. Qui ergo dixit: Ego flos campi, præconia genitricis suæ proferens clamat: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quid obsecro pulchrius lilio? aut quid suauius odoratu? quid delectabilius tactu? aut denique quid leuius ad portandum? O Deipara MARIA: ò flos vernans omnigena venustate pretiosior. Sanè ex spinis, & inter spinas rosa, sine spinarum aculeo communi vsu nascitur. Et sic dicam virginem solemni partu editam, nascendo potuisse paternæ spinas maledictionis nescire. Enimuerò peccatum vt spina cor cruentat, & mentem sauciat: dicente Regali Propheta: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Et quia omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei, & in peccatis mater nostra nos concepit (vti vltimis suspirijs Propheta ingemiscit) ideò nos omnes velut vepres sumus, qui Redemptoris caput venerandum cruentauimus. At MARIA cœlorum Domina, vt altera Hester regiam vocem audiuit: Hester noli timere, fratres enim sumus, non enim per te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Ecce prærogatiua mirabilis, & priuilegium singulare, quod almæ Virgini datum fuit. Perpulchrum planè est beati Anselmi schema: Castaneæ Deus confert, vt inter spinas, & à spinis remota alatur, & formetur: nonne hoc potuit facere filius Dei, matri sue? Planè potuit: quòd si potuit, & voluit: quod si voluit, & fecit. Nec ob id alma Virgo redemptionis fuit expers: quin & Saluatore indiguit: non vt post lapsum in originale piaculum, eam mundaret, sed vt altiori modo redemptionis frueretur, ab omni culpa præseruata. Verùm vt innocentia, excellentior virtus est pœnitentia, qua peccator indiget: sic præcellentior redemptio est præseruatio, quàm iustificatio. Quid multis immoror? Ministros suos Angelos Deus optimus absque macula creauit, vt sermones illius opere implerent: & matrem Angeli ipsis sanctiorem non ab originali noxa præseruauit? Absit, vt qui eò venit, vt peccata deleret, in genitrice sua nec per instans peccatum fore consenserit: In summa, proculdubio pretiosior est mentis integritas, & longè melior integritate corporis, cum illa plus placeat Deo: ergo qui ex Virgine nasci voluit, integritate corporis seruata, is nullate-

Cant. 2.

Psal. 44

Psal. 31

Psal. 50

Hest. 15

S. Ansel.

Scot. 2. *sentent.*

Nota.

nus

nus permisit, Virginis almæ animam labe originalis culpæ corrumpi.

DE EXIMIA VIRGINIS charitate in Christum.

Annotatio octaua.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cantic. 2. Sanè alma Virgo, quæ nuper dixerat: Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem, hoc est, in arcana secretorum suorum, & contemplationis secretum duxit me, vexillum amoris sui super me affigens, & rursus: Quæ sub vmbra illius, quem desiderauat, sedit, & fructus eius dulcis gutturi eius: ius erat vt amore cœlesti vulnerata languorem pateretur. Nempe si peccatrix illa, lachrymis Iesu pedes diluens, capillis suis tergens, nec non pretioso vnguento vngens, tali laude fuit exaltata, dicente Domino: Dilexit multum, quid de Virgine immaculata dicemus? Enimverò, quæ exaltata est super omnes choros Angelorum in gloria cœlesti, plusquam omnes cœlestes ciues Deum adeptauit. Nonne beatitudo cœlestis ad mensuram charitatis habitæ confertur? Magistralis sententia est, cui nemo aduersari potest, quòd gloria cœlestis nihil aliud est, nisi gratia consumata, siue perfecta. Vnde liquidò comprehenditur, quòd maior beatitudo arguit maiorem charitatem in beatis. Quid? quòd Virgo intacta mirificam fidem habuit, Elisabeth acclamante: Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino? Quæ ergo primatum habuit, primas etiam tenuit in eximia virtute, quæ est charitas: quippe quæ fide, & spe longe maior est, vt perbellè Paulus testatur. Siquidem vti prudentia moralibus virtutibus potior habetur, ita charitas nedum intellectualibus, & moralibus virtutibus, sed Theologalibus excellentior est. Ratio, quia fides, & spes attingunt Deum, secundùm quod ex ipso prouenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni; sed charitas attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat. Quamobrem charitas præcellentior fide, & charitate probatur. S. Thom. 2. 2. quæst. 23. artic. 6. Mitto lubens hic tractare, quomodo charitas vita, & forma est omnium virtutum. Ipsa namque omneis virtutes ordinat in vltimum finem. Alioqui Apostolus non diceret. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, idest, ad vitam æternam capessendam. Ad rem hac mirabili virtute Virginem sanctam se fatetur vulneratam, & pro medicamento huius desiderabilis vulneris, duo expostulat, flores videlicet, & mala. *Fulcite me floribus*, ait, *& stipate me malis, quia amore langueo.* Ad suas affectas loquitur, perinde dicat: Audistis orantem in cellaria introductam, & ordinem charitatis accepisse: quid moramini? fulcite me floribus, & in lege Domini die, ac nocte meditantes imitamini sponsam adolescentulæ. Rursus, malis stipate me, fine intermissione mandata sponsi mei operantes. Imitamini inquam me matrem pulchræ dilectionis, vt & vos introductæ in cellaria, fructum timoris, & sanctæ spei accipiatis, amore vtique langueo. Quo amore? Planè vestri in sponso ipso, & ipsius in vobis. Hanc Reginam nos orthodoxi per omnia imitemur, pro nostra virili Christum Iesum orantes, vt sagitta suæ dilectionis corda nostra sauciare dignetur: quo tello vulnerati ipsi, omnium, quæ mundi sunt, obliuiscamur, & quæ vera, ac æterna sunt bona, toto nisu appetamus, ea & candido amemus corde.

Luc. 7. *Cant. 2*

PRO FESTO VISITATIONIS MARIÆ Virginis.

Annotatio nona

Vox dilecti mei: en iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Cantic. 2. Iam Virgo singularis vocē dilecti sponsi sui Christi Iesu in vtero suo sacro recumbentis recognoscit, & iam, se illi corde esse, recognoscit. Ecce hoc illi datur post obseruantiam mandatorum, quæ eò cupit obseruare, vt illius intimam charitatem consequeretur. Sic ille per se clamat: Si quis diligit me, mandata mea seruabit. Qui ergo cupit, Christum habere sponsum, omni se rerum humanarum cupiditate priuet, & tunc vocem dilecti audire dignus erit. Cùm Helia antrum intret, pallio caput cooperiat, ne externa bona videat, & statim audiet sibilum auræ tenuis, in quo persistit Dominus. Nonne vox Domini erat vox Gabrielis faustissimum nuncium enarrans Virgini sacræ? Pulsabat vox illa dilecti, ore angelico pronunciata, vt alma Virgo præstaret assensum, & diceret: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Tunc venit filius saliens in montibus, & transiliens colles. Montes Patriarchæ, & Prophetæ, colles autem sunt alij sancti, quos omnes transiliuit, & agili cursu choros Angelorum pertransiens, aluum MARIÆ intrauit, trabeam mortalitatis nostræque assumpsit. Sub hæc, vox dilecti Christi Iesu per intimam inspirationem insonuit, & ob id surgens abijt in montana cum festinatione. Alioqui Virgo sancta, & tenera lares proprios non dimitteret, & in montana Iudæ pergeret. En dilectus saliebat in montibus, & transilibat colles, in vtero matris benedictæ, ceu in vehiculo iter agens, non absimilis capreæ hinnuloque ceruorum.

Ioan. 14 *3. Reg. 19.* *Luc. 1.*

1. Cor. 13. *S. Tho. 2. 2. q. 23. art. 6.* *1. Cor. 13.*

Audiã quid loquatur in me Dominus Deus (aiebat Prophetæ) quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Verùm Princeps pacis Messias sic ab Esaia inre appellatus, semper in corde nostro pacem loquitur. Ideo statim factus homo pacem dare voluit præcursori suo Ioanni in originali culpa genito. Quamobrem, matrem suam voluit laboriosum hoc iter arripere. Audiuit etiam Regina mũdi vocem dilecti sui Christi Iesu, vbi intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Nam vox matris præconia Virginis decantantis, vox erat Ioannis exultantis in ventre parentis suæ. Ille saltabit iubilans ad præsentiam Saluatoris: Elisabeth verò canebat voce sonora, tum laudes Virginis, tum etiam encomia Saluatoris: Benedictus fructus ventris tui, ait. Moderator huius melodis Spiritus Sanctus erat, quo repletus Ioannes iubilabat, eodem spiritu afflata Elisabeth magnum Sacramentum incarnationis Filij Dei ore suo depromebat. Quòd autem Ioannes vox Domini
Esai.40 sit, testatur ipse proferens Esaiæ vaticinium: Ego vox clamantis in deserto parate viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. *Vox*
Ioan.1. *dilecti mei.* Cuius dilecti? Planè verbi Dei. Vox Domini reuelantis condensa, per fœlicissimi pueri in vtero clausi prodigiosam exultationem: Vox Domini præparãtis ceruos, suadens omnibus, vt parent viam Domino: vox Dominico cõtientis desertum, per durissimam vitæ austeritatem: vox Domini interciden tis flammam ignis, per efficacem pœnitentiæ prædicationem (equidem
Matth. *3.* clamabat: Pœnitentiam agite, & appropinquabit regnum cœlorum) vox Domini confringẽtis cedros, per constantem reprehensionem, & commination em: (Iam securis ad radicem arboris posita est, cunctis aduentantibus, dicebat) vox Domini in magnificentia, magnificum opus Dei palam faciens, & dicens: Medius autem vestri stetit, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venturus,
Nota. qui ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. O stupenda Ioannis humilitas, atque fidelitas: sese dimittit, vt Dominum exaltet: vnde meruit, super honorandum Christi caput aquam in Iordane infundere. Ecce qui se pedibus Christi sponte prouoluit, super caput eius
Luc.14 eleuatur, vt verbum illud impleatur: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. Denique non abs rẽ asserere poterimus montes, tum Angelos, tum viros probos fore, in quibus gaudet, & vltro salit dilectus sponsus: colles verò transilit, desertos eos relinquens. Sic alto Dei consilio gestum est, pastoribus Saluator, non Pharisæis innotescceret. Magi eũ adorant, & mystica dona ei offerunt: versus Herodes quærit Dominum, nec inuenit, *Matth.* delusus manens, atque confusus. *2.*

PRO FESTO ASSVMPTIONIS Virginis sanctæ.

EN dilectus meus loquitur mihi: Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Cantic. 2. Quanquam dilectus sponsus Christus Iesus indefessa benedictæ suæ matri loquebatur, interno colloquio saltim animam eius lætificans: potissimè tranlitu eius aduentante, dulcius, atque amicabilius ei loquutus fuit. Dauid in quodam Psalmo dicebat: Benedicam Dominum *Psal.33* in omni tempore, & semper laus eius in ore meo. Verùm si ille, qui in peccato conceptus est, & tot delicta sponte patrauit, indesinenter eum laudabat: quid de sacerrima Virgine dicemus, quæ omnis maculæ expers fuit? Nempe omni tempore Deum optimum benedicens, laus eius in ore illius haud deficiebat. Hanc obrem Dominus in corde eius blãde ei incessanter loquebatur, arcana ineffabilia illi reuelans. Vẽtum est igitur ad diem mortis, vt iam regnaret in cœlis virgo Dei para, cui Saluator ait: *Surge, propera amica mea, columba mea: formosa mea.* Ac si dicat: Tempus adest mater sancta, vt è terris ascendas in cœlum: noli timere mortem, quia amica mea es: nam quæ mater est authoris vitæ, nullatenus morte timeat, oportet. Ego sum *Ioan.11* resurrectio, & vita, & omnis, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. O amica mea ob gratiarum plenã, absolutamque exuberantiam, & bonorum omnium communicationẽ, surge, propera. Iam enim hyems transijt: legis sterilitas, quæ gratiam non conferebat: hyems perijt, labores, & atroces dolores, quos in morte mea perpessa es, abierunt. Columba mea es, quæ longè meliùs quàm columba Noë ramum oliuæ virentibus folijs ore tuo gestasti. Tu virgo sancta, felle peccati carens, misericordiam orans impetrasti cunctis mortalibus, vbi Archangelo Gabrieli dixisti: Ecce ancilla Domini fiat *Luc.1.* mihi secundum verbum tuũ. Columba mea, super quam Spiritus Sanctus superuenit, iuxta oraculum Paranimphi Gabrielis. Enimverò spiritus ille in columbę specie super me apparuit, eò quòd mentes columbinas, mites, & humiles magnopere diligat, easque inhabitare dignetur, sicut scriptum est: Spiritus in animas sanctas se transfert. Formosa mea, sole ipso splẽdidior, & ideo amicta sole. Annotatu digna sunt hæc tria verba, *Surge, propera, veni.* Surrexit alma Virgo ad vocẽ spõsi sui Christi gaudẽter, mundũ calamitosum relinquens: properauit, eò quòd cũ Psalmista corde candido quotidie aiebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.

Annotatio decima.

O quot

Psa.119 O quot passa est tormenta, videns orthodoxos à tyrannis comprehēdi, flagellari, & trucidari: in vnoquoque martyre ipsa martyriū sustinebat. Rursus properauit exire de hoc mundo, quia mundus ei crucifixus erat, nihil terrenum amabat: quin & cum Propheta decantabat: Domine quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei pars mea Deus in æternum. O verba nectarea, & ingētis dulcedinis plena. Felix anima, quæ sic mundo mortua est, vt corde & ore quotidie ea proferre queat: Deus cordis mei ideſt, quem solum diligo, & totis medullis cordis mei amo: Pars mea Deus in æternū, omnes meæ opes, deliciæ, & honor in Deo meo sitæ sunt. nam ipse erit omnia in omnibus, teste Apostolo. Veni columba mea, intra thalamum dilecti tui. Veni de exilio in peculiarem patriam, ex deserto in amœnissimā paradisum, è carcere ad regiam, & ætheream aulam, vbi gaudebis cum Angelis: Cherubim, & Seraphim te diu noctuque collaudabant, sancti omnes vno ore decantabunt: Benedicta tu filia à Domino, quia viriliter fecisti, & confortatum est cor tuum, ideo eris benedicta in æternū: omnesque cœlicolæ voce canora alterutrum respondebunt: Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Iudith 15.

PRO SOLEMNITATE PVRIficationis MARIÆ Virginis.

Annotatio vndecima.

Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinētur vmbræ. Cant. 2. Qui deiferam MARIAM viderit iter suum agentem, & à Nazareth in Hierosolymam pergētem, vt legis ceremonias impleat, & puerum Iesum in tēplo Patri cœlesti offerat, stupescet, & forsitā dicet: Quò alma mater Dei pergis, vt purificationis ceremonias impleas, quæ Angelis ipsis candidior & sanctior es? Quid tibi cum lege Moysi balbutiētis, quæ legislatoris Messiæ mater es? Lex illa alias matres cōpellit, non te, quippe quæ sine virili consortio, Spiritu Sancto cooperante, filium Dei genuisti: quemadmodum Gabriel à Deo missus tibi pollicitus est. Responsio sacræ matris talis erit: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Ipse mihi, & ego illi: ipse mihi sapientiam præstitit, & ego illi cor meum dabo spōte: ille mihi omnium charismatum dona largitus est abundè, ego illi totis nisibus gratias inexhaustas referam. Ego sentio, me ab illo vehementer amari, ob idque firmissimè illi semper adhærere enitar. Denique ille fecit mihi magna qui potens est, sanctumque nomen eius, & ego illi nequaquam ingrata ero: quin potiùs, toto affectu me ei sacrabo. Sanè tam est puritatis amator, vt inter lilia candentia pascatur. Desideria sancta, affectus mundi, quid aliud, quàm lilia sunt, inter quæ, qui flos campi est, magnoperè deliciatur? Et quia venter MARIÆ vallatus erat lilijs, ideo in eo recubuit filius Dei nouem mensibus. Vmbræ verò, quæ tēpore præstituto deficere conueniebant, legis ceremoniæ erant, dicente Apostolo: Omnia contingebant illis in figura. Aspirabit dies, orto solæ iustitiæ Christo Iesu, qui ore suo dixit: Ego sum lux mundi, tūc inclinatæ sunt vmbræ: non tamen omnino perierunt, donec in cruce pendens obijt: vnde voce magna clamauit dicens: Consummatū est, hoc est, quic quid de me Vates sancti vaticinati sunt, nūc impletum est. Nec non & quod vmbraticum erat in lege veteri, vt circūcisio, oblatio, holocaustum, & omne sacrificium iam abijt, luce veniente, & lege gratiæ aduentante. Quāobrem, per Apostolorum prædicationē, quæ inuolucra erant in lege illa, perierunt. Hinc Apostolorum Princeps Petrus cōtra eos, qui legalia seruanda asserebant, inuehitur: Quid tentatis imponere iugū super ceruices discipulorū, quod neque nos, neque patres nostri portare potuerūt? Summa Virgo benedicta Angelis ipsis sanctior, ac purior, ceremonias legis implet, donec vmbræ declinentur, & dies aspiret, hoc est, donec Saluator moriens in patibulo crucis vmbratica omnia legis disipet.

Luc.1.

Luc.1.

1.Cor. 10.

Ioan.8.

Ioan.19

Actor. 15.

EX CAPITE TERTIO ANNOtationes, Quærit Beata Virgo anxiè puerum Iesum in Hierusalem.

Annotatio duodecima.

IN lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea. Quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatē, &c. Cantic. 3. Deipara Virgo reuersa post festiuitatem, vnius diei iter agens, puerū benedictū Iesum non adesse agnouit. Qué minimè cœlos ascendisse cogitauit, vt quidā autumant. Ratio, quia ipsa Spiritu Sancto edocta Prophetarum oracula optimè norat, & quæ ille passurus erat pro mundi salute, eam non latebat. Dolore autem nimio affecta, abundè flebat corporalem dilecti sui absceſſum. Verū noctes illas duxisse insomnes non dubito. Dicebat verba illa Ruben non inuenientis fratrem suum Ioseph: Puer non comparet, & ego quo ibo? In lectulo habere desiderabat filium suum vnicè dilectum, per prę sentiam, & consolationem. Quæsiuit eū solerti cura, tamen non inuenit. Vbi notandum, quòd geminatum quærendi studiū, iteratos conflictationū turbines insinuat. *Surgā, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas.* Profectò ad literā hoc factū est, nā Luca Euangelista testāte, Virgo sanctissima, & beatus Ioseph inter cognatos & notos puerum benedictū quærebant, nec inuenerunt, donec reuersi sunt in

Gen.37.

Hierusalem, in qua hàc, & illac Iesum so- A
Gala.4. lerter quærebant. Vel ciuitas hæc Hierusa-
lem mater nostra est, quippe quæ libera in
cœlis habitat. Per vicos, & plateas Deipara
Iesum quærebat, spiritus cœlestes minores,
& maiores inuocans. Mente siquidem lustra-
bat ciues illos ministerio deputatos, propter
eos, qui hæreditatem capiunt salutis. O mi-
randa res, Iesus, qui tam tenerè sanctam ma-
trem adamabat, & Ioseph diligebat, proba-
re sic voluit eos hoc igne tribulationis, & in
Nota. calamitate tam dura exercere. Quid obsecro
nos causamur, imminente aduersitate? Ve-
rùm post tot scelera patrata, extremis sup-
plicijs digni sumus. Dicamus ergo cum vi-
ro fortissimo Iob, quauis calamitate instan- B
te, oportet: Si bona suscepimus de manu
Iob 2. Domini, mala autem quare non sustinea-
mus? Equidem per multas tribulationes o-
portet nos intrare in regnum cœlorum: quê-
Acto. 4. admodũ in Actis Apostolorum legimus. Im-
mo Saluator noster eos beat, qui persecutio-
nes patiuntur: deplorat autem illos, qui in
Luc. 16 hac vita rident. Quæramus ergo cum matre
sancta Iesum dolentes, & gementes, de pec-
catis patratis pœnitentiam agentes: nam fie-
ri non potest, vt ipse nobis non appareat:
quo inuento, iubilo magno exhilarati cum
Psal.29 Psalmographo cantabimus: Cõuertisti Do-
mine Iesu planctum meum in gaudium mi-
hi, concidisti saccum meum, & circundedisti C
me lætitia.

VIRGO SANCTA VEHEMENTER gaudet, inuento Iesu.

Annota tio decimatertia.

P*Aululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam.* Cantic. 3. Sacrosancta MARIA inter cognatos, & notos quæritans dilectum filium, minimè illum inuenit, sed in templo inter Doctores sedentem agnouit eum. Rursus pertransiuit custodes ciuitatis, & extemplò offendit sponsum suum. Vnde dogma nobis saluberrimum datur: ne Christum Iesum quæramus inter cognatos, aut notos, D
plus æquo eos amantes: alioqui præcipitium nobis ipsis paramus. Diligendi sunt cognati, & parentes, sed affectu spirituali, dicente
Matth. Domino: Qui amat patrem, aut matrem
10. plus quàm me, non est me dignus. Tremenda sanè sententia, & modis omnibus fugienda. Dominus iubet, nedum amare parentes, & cognatos, sed etiam inimicos, eisque benefacere: nihilosecius omnes diligendi sunt propter Christum. Itaque posthabitis terrenis rebus, statim inuenitur, qui est creator omnium. *Paululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Dimisit Virgo immaculata cognatos, post habuit etiam notos, & subinde dilectum Iesum adinuenit. O si confestim cuncta arbitraremur vti stercora, quò Christum lucraremur. Enimvero qui creatori omnium potiri cupit, renunciet omnibus necesse est. Nemo potest duobus dominis seruire. Stratum an- *Esai.28*
gustum est, ideo vtrumque capere nequit, sed alter decidat, oportet. Pallium breue est, vtrumque operire non valet. *Tenui eum nec dimittam.* Allusio est ad illud Iacob, quando luctabatur cum Angelo: Non di- *Gen.32*
mittam te, nisi benedixeris mihi. Tenui eum, ait pia mater, & ingenti cura posthac illum custodiam, & pro virili conabor, ne per horam præsentia corporali filij vteri mei caream. Ecce quid commodi oriatur in anima pia, dum sponsus se abscondit in corde, ita vt solatium eius mens ipsa non sentiat. Nempe feruentiùs eo inuento amat, custoditque ipsum cautiùs, ne fugiat. Nec absimile est illud Dauidicum: Ego dixi in excessu meo, *Psa.30.*
non mouebor in æternum. Magna sibi pollicetur mens, dum super æthera volans adhæret summo bono. Tunc in extasi eleuata, vota emittit, grandia aggredi non metuit. Sed ò mens pia, agnoscis tuam fragilitatem, nec ne? Scis fortissimum Samsonem fore dilectum, aut ignoras? Profectò ipse est, de quo Ioannes in Apocalypsi ait: Vicit leo de *Apoc.5.*
tribu Iudà. Si ergo fortissimus leo est, quibus brachijs, aut quibus vinculis, etsi fortia sint, illum tenebis? At mens sancta, inquit: Scio ita esse; veruntamen si leo inuictissimus appellatur, itidem agnus mansuetus vocatur. Virtus Patris est, cui nemo valet resistere, ipse tamen ait: Deliciæ meæ cum fi- *Prouer.*
lijs hominum. O quam tenet Christum, vt *8.*
ita dicam, fidelis ac deuota anima, dum beneplacita illi, & accepta facit: dum mandatis eius paret, & mundo penitus renunciat! Delectatur sponsus iustorum moribus, societate, atque consuetudine: tenetur virtutis operibus, gemitibus, affectibus ardentissimis, non armatorum manibus, non diuitum pompis, non opulentorum iactantia, fastuue. Tunc sponsus vltro intrat in domum matris nostræ, & requiescit in cubiculum genitricis nostræ, vbi mites, humiles, & misericordes sumus, spirituque feruentes ei obsequium præstamus. Sicut scri- *Apocal.*
ptum est: Ecce tabernaculum Dei cum ho- *21.*
minibus, & habitabit cum eis. Mirabile dictu, confestim puer Iesus disputationibus dimissis, cum matre benedicta, & Ioseph descendit, & venit Nazareth. Quò intelligamus fructum saluberrimum nostrarũ lacrymarum, quas pro amore eius effundimus. Ecce, qui mẽtes cœlicas, qui totũ orbẽ moderatur, cui omnia in cœlis, in terra, & subterraneis, solo nutu, & volũtati eius parent, subditus fit eis. Vt impleatur, quod multis retro seculis Dauid dixit: Voluntatẽ timentium se *Psa.144*

fa-

faciet Deus. Fœlix qui sic suam voluntatem Christo sacrauit, se se totum ei deuouit: quia Iesus voluntatem serui sui faciet.

PRO ASSVMPTIONE VIRGINIS MARIÆ.

Annotatio decimaquarta.

QVæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij Cantic. 3. Expleto huius vitæ exilio, & transactis laboribus, quos ferè innumeros Deipara in hoc calamitoso mundo pertulit, par erat, vt tùm corpore, tùm anima glorificata, ipsa æthereas aulas intraret: & quæ omnes Angelos vicit puritate, ac sanctitate, super eorum choros exaltata, cum filio suo regnaret. Faustissimo illo die veniente, alma mater assumpta est in cœlum. In cuius assumptione Angeli ipsi demirati inuicem loquebantur, dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit per desertũ, &c.* Virgula fumi odoriferi eò agilius in altum cõscendit, quò ignis, in quo odoramenta ponuntur, maior est. O quãtus, & quàm magnus amoris ignis in corde virgineo ardebat, quandoquidem flammantia desiderija sacræ Virginis cœlos ipsos penetrabãt! Myrrha, & thus nominantur, vt tam mortificationẽ carnis Christiferæ agnoscamus, quã eius orationis fragrantiã. Quòd verò puluis pigmentarij memoratur, ad mirabilem eius humilitatem spectat, ipsa attestante. Respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vel in puluere vniuerso, omnes virtutes intelligere poterimus, quas in gradu hæroico, Dei genitrix possedit. O vehemẽter fœlicem orthodoxum, qui per desertum seculi huius sanctę Virginis vestigia sequitur, ascendens, & mente volitans, cum Apostolo clamat: Conuersatio nostra in cœlis est! Is corpore tãtùm in terra degens, corde verò inter Angelos moratur. Is inquã vti virgula fumi ascendit, myrrham pœnitentiæ, & thus orationis habens. Nec ei deest puluis, humilitatem dico, nam qui optime seipsum agnoscit, cũ Abraham clamat: Loquar ad Dominũ meũ, cùm sim puluis, & cinis: necnon cum Dauide corde, & ore profitetur se vermem, & nõ hominem. Verùm nihil est, quod magis Angeli mirentur in nobis, quàm si verè humiles simus. Ad hanc mirificam virtutem nos Saluator excitat dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sed ad hanc consequendam virtutem, vel maximè oratione assidua opus habemus. Hinc egregius Doctor Augustinus orabat: Domine nouerim te, nouerim me, perinde dicat. Obsecro te Deus meus, vt gratuita tua dignatione lumen mihi præstes, quo irradiante, tuam maiestatem ineffabilem agnoscens, paruitatem, & vilitatem meam penitiùs agnoscam. Cæterùm, quia superbia sic in mundo hoc abundat, humilitas verò rara auis in terra, iure optimo mirantur Angeli, & dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*: Quæ admiratio, non tantùm de assumptione mirabili Virginis facta fuit, sed quotidie fit, stupentibus Angelis, vbi mens nostra in contemplatione super astra volat, quasi omnium, etiam sui ipsius oblita. Sed hic lubet cum Diuo Bernardo exclamare, O rara hora, & breuis mora.

Luc. 1.

Nota.

Gen. 18

Psal. 21

Matth. 11.

S. Aug.

Cant. 1.

PRO IMMACVLATA VIRGINIS Conceptione.

Annotatio decimaquinta.

FErculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem. Cantic. 3. Quam optimè sacræ Virgini accommodatur nomen ferculi, & iure hac nomenclatura honoranda est. Ipsa Regem Salomonem filium Dei nobis attulit è cœlo: baiulauit in vtero, gestauit suis virgineis brachijs, tyranni Herodis iram declinans, quando iuit in Ægyptum. Eas ob res Salomon, pacificus filius Dei eam fabrefecit, vt in ipsa, ceu in vehiculo iter ageret, atque in ipsa requiesceret, iuxta illud: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Verùm qui Angelis cœlum Empyreum creauit tam pulchrum, hominibus mundum hunc tam decorum dedit, paradisum ameniſsimam Adæ tribuit: quantò pulchriùs, ac melius sibi ipsi ferculum præparauit? Ex lignis non quibusvis, ex monte Libano desumptis, fecit sibi filius Dei hoc ferculum. Nam ligna illa nedum pretiosa, sed imputribilia sunt, nec à vermibus consumuntur. Ad eandem imaginem Virgo sancta sic concepta fuit, vt immunis foret à verme originalis culpæ. Columnæ argenteę sunt quatuor morales virtutes: videlicet, fortitudo, temperantia, iustitia, prudentia. O quàm fuit fortis, quæ omnipotentem filium concepit, suoque gremio portauit. Hęc planè est mulier illa fortis, de qua Sapiens Salomon velut demiratus prophetauit: Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius: ideſt, hæc erit vera Mater Dei, & hominis Messiæ. Quis eam inueniet? nempe nemo, nisi Angelus Gabriel à summo Deo missus, qui eam orantem in Nazareth inueniet. O fortitudinem vehementer mirandam, vt puella tenera alligare potuit fortissimum Samsonem, non vinculis æreis, sed funibus mortalitatis nostræ. Dalila quondam Samsonem alligauit hominem mortalem: at Virgo sancta cingulo nostræ humanitatis comprehendit,

Ecclı. 24.

Nota.

Prouer. 31.

Iudi. 16.

ac tenuit virtutem cœlestem, in qua Pater portat omnia. Iudith superbum Holofernem occidit, cuius fortitudo in ciuitate Bethuliæ ab omnibus laudatur: alma MARIA Sathanam superauit, & prorsus caput eius confregit, quique rex super omnes filios superbiæ vocatur. Quid de temperantia, cæterisque virtutibus dicam? Profectò virtutibus cunctis ornata Angelis ipsis prodigio erat. Ecce thronus eburneus Salomonis auro pretiosissimo vestitus, quem ille fecit in domo Libani, hoc est, in sancta Ecclesia. Duæ manus autem tenebant sedile hinc inde, & duo leones stabant iuxta manus. Ebur virginitatem, & cãdorem sanctitatis MARIÆ indicat: aurũ charitatem eius signat, quæ vel maxime fulsit in ea: duæ manus tenentes virginẽ sanctã, humanitas Christi, & diuinitas: leones ad custodiam duo testamenta sunt, magnalia Dei paræ canentia. Vnde Anselmus ait: Tu domina porta vitæ, ianua salutis, aditus recuperationis, aula vniuersalis pietatis, vas, & templum salutis vniuersorum: tu ostendisti mundo Dominum suum, quem prius nesciebat: tu genuisti mundo restaurationem, qua perditus indigebat. Media huius ferculi Rex filius Dei charitate constrauit, propter filias Hierusalem. Satis appositè propter homines alma Dei genitrix charitate præfulget, quos in afflictione adiuuat, & clamantes ad se, quãlibet peccatores sint, exaudit: nec non & iustis maiora dona quotidie impetrare solet.

Iob 41.

3. *Reg.* 10.

Figura.

S. Anselmus.

PRO ANNVNTIATIONE MARIÆ Virginis.

EGredimini, & videte regem vestrum filiæ Sion in diademate suo, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis eius. Cant. 3. Mysterio stupendo incarnationis patrato, Gabriel Angelus recessit, & beatam Virginem dimisit (vnde Lucas inquit: Cõtinuò recessit Angelus) partim admiratus de humilitate profunda MARIÆ Virginis, quippe quæ sese ancillam Domini appellarat: partim autem contemplans filium Dei hominem factum: Angelos excitat, & clamat. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem vestrum Salomonem in diademate suo.* Videte, & stupescentes grates summo numini facite, qui sic homines dilexit, sic eos euehere instituit, vt homo factus labores, & fastidia eorum non horreret. Egredimini, empyreum cœlum dimittentes, Nazareth fœlicem ciuitatẽ visitantes, quandam virginem nomine MARIAM consideratè, sine virili consortio fœtam, Spiritus Sancti virtute cooperante. Mater ipsa ipsum Verbum Dei coronauit, & diademate carnis decorauit: ita vt persona diuina in vnitate sibi humanitatem assumpserit. Ecce nouum, quod Deus fecit super terram, mulier circundedit virum: idque factum est, in die desponsationis, & lætitiæ cordis eius. Sponsam accepit sibi humanitatem, ideo tanquam spõsus suo tempore procedet de thalamo suo. Et quia vltrò opus hoc mirificum operatus est, lætitia magna exhilaratus in mundo apparebit: exultabitque vt gigas ad currendam viam, & si laboriosam valde, & senticosam.

Annotatio decimasexta.

Luc. 1.

Hiere. 31.

Vel si lubet de natiuitate Saluatoris hanc sententiam explicabimus. Nempe Saluatore nato Angelus ad pastores ait: Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator. Egredimini filiæ Sion, vos, qui in specula positi estis, & vigilatis super gregem vestrum: ite in Bethlehem, & videte Regem vestrum Salomonem, quem coronauit mater sua: inuenietis eum pannis inuolutum, & positum in præsepio. En insigne regalis dignitatis, paupertas & humilitas ipsum decorant. Egredimini portas sensuum, literæ corticem, & tenebras Iudæorum cæcutiẽtium, alioqui eum videre, & adorare haud poteritis: nam si non credideritis, non intelligetis. Cæterùm pastores egredientes festinanter venerunt, & Regem Salomonem cum iubilo adorauerũt. Nos ergo egrediamur de mundo nequam, belluinos affectus dimittamus, quò Regem nostrũ videre mereamur in diademate suo: videntesque toto pectore diligamus, & pro virili nostra perpetim seruiamus.

Luc. 2.

EX CAPITE QVARTO ANNOtationes, De innocentia Virginis MARIÆ, & de illius natali.

QVàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecùs latet. Cantic. 2. Sponsus filius Dei perfistit in laudibus almæ MARIÆ suæ Matris: & quanquam de Conceptione sua immaculata encomia hæc locum habeant: accommodatiùs natiuitati Dei genitricis conueniunt. Videt filius æterni Patris puellam virginem iam natam, & ideo clamat: *Quàm pulchra es amica mea.* Superiùs dixerat: Ecce tu pulchra es amica mea: nunc verò non ita. Ratio, quia conceptionem immaculatam eius non omnes crediderunt: verùm eorum seculum eos excusat. Nam si Ecclesiam Romanam tunc agnoscerent patres antiqui hanc veritatem profitentem, profectò assererent, quod nos in hac nostra tempestate asserimus. Illud enim de re potissimùm dicimus, quod continuò nequeat ab omnibus deprehendi. Beatissimæ verò Matris natiuitatem sanctissimam fuisse, nemo non confitetur. Eam ob causam quasi de ingenti, & nulli non cognita pulchritudine, ait: Quàm pulchra es, propter integritatem naturæ, quæ sanè in cæteris corrumpitur per tyrannidem originalis culpæ, dicẽte Da-

Annotatio decimaseptima.

Cant. 1

Psal.50 Dauide: In peccatis concepit me mater mea. A Rursus, ò amica mea quàm pulchra es, propter eminentem concreatæ gratiæ præsentiã in alijs desideratam, paterni vulneris repugnãte putredine. Decora statim vocatur, forsitam propter corporis extrinsecam pulchritudinem, & membrorum omniũ compactionem elegãtissimam, quæ primum potuit ipsa orta conspici. Sed heu quia in alijs mulieribus rara cõcordia formæ, atque pudicitiæ, natura saltem originali cõtagio vitiata. Vnde Sapiens clamat: Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deũ ipsa laudabitur. Et iterum, propter speciem mulierũ, multi perierũt: at, in MARIA talis erat venustas, quæ carnis petulantiam, intuentium B se profligabat, prorsusq; extinguebat. Enimverò, si odor myrrhæ tantæ virtutis est, vt vermes extinguat: quanto magis Virginis sanctitas irradians, apud omnes carnalis concupiscentiæ vermes enecabat? Eam ob rem, oculi eius vt columbæ erant: planè nec elati, neque lasciui (nec petulantis aspectus est columba) sed dimissi, humilis, verecundi, & pudicissimi, ita vt intuentibus citiùs possit simplicitatis, & puritatis desiderium inferre, quàm auferre. Talis proculdubio erat aspectus almæ Virginis. Sed quid est, quod sequitur? *Absque eo, quod intrinsecus latet.* Equidem latebat in ea ingens fides, mira charitas, spes stupenda. Sed non ait sponsus, absC que ijs, quæ intrinsecus latent, sed absque eo, quod latet. Nempe quod in Virgine latebat, & sponso vel maximè placebat, insitum seruandæ virginitatis propositum erat. O rem nouam, & nusquam ante hac auditam: nullius consilio, nullius præcepto, nullius denique exemplo perpetuam virginitatem seruare Regina mundi MARIA instituit: vt singularis hæc gloria filiæ regis esset ab intus, & adducerẽtur Regi virgines post eam, *Psa.44.* quod optimè vaticinatus est Dauid. Eodem attinet, quod ipsa prudentissimè Gabrieli *Luc.1.* respondit: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? hoc est, nec cognoscam vnquam, eò quòd virginitatem meam creaD torimeo sacraui. Ecce donum cæleste, quod intrinsecus latuit in ea, & nemini innotuit, donec Angelus ad eam venit, attulitque faustissimum illum nuncium. Vel quod intrinsecus latebat, erat oratio iugis, & eleuatio mentis in Deum, per quam indefessè gratas Deo offerebat preces. Sæpè multi piorum, quamuis ore taceãt, mente feruida clamant. *Exod.* Vnde Moysi dixit Deus optimus: Quid clamas ad me? quippe ille mente duntaxat orabat. Maxima ergo laus est cuiusque fidelis animæ, cordis arcana sanctissimè custodire, eaque retinere, depulsis cunctis illecebris voluptatum, & affectu rerum humanarum longissimè abdicato, solaque cœlestia animo candido contemplari, mente capere, cogitatione complecti: nec aliud meditari, ac velle, quandiu huic carceri teterrimo inclusi sumus, quàm soli Deo inhærere. Qua in re Virgo sancta inter omnes Dei electos palmas tenuit, decantans cum Regali Propheta: Mihi autem adhærere Deo, bonum est, & ponere in eo spem meam. *Psa.72.*

DE FORTITVDINE ALMÆ Virginis.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificatur cũ propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortiũ. Cantic 4.

Nunc meritò sponsus Christus Iesus suã genitricem miris encomijs exaltat, natiuis coloribus fortitudinem mirabilẽ illius depingens. Verùm Rex Dauid quondam in domo sua turrim ædificauit, miro artificio cõstructam: & verus Dauid manu fortis Iesus, qui potẽter tenebrarum Principem profligauit, matrem suam benedictam fabrefecit, creauitque, tam fortem, vt iure turri sit comparata. Taceat iam Iudith, quæ superbum Holofernem suo gladio occidit: taceat Iahel Sisaram Ducem, Regis Iabin clauo enecans: longè fortior Regina nostra Deipara MARIA fuit, quippe quæ regem illũ Sathanam, Domino auxiliante, euicit de quo Iob: ipse est Rex super omnes filios superbiæ, & iterum: non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Enimverò sic beata Virgo triumphauit de hocversuto serpente, vt caput eius cõtereret, summo adiuuãte numine: ita nec per instans originali culpæ obnoxia fuerit, alioqui non fortis esset, instar turris Dauid, quæ ædificata est cũ propugnaculis. Dicamus ergo omnes fideles, & voce cõsona personemus, quod olim de sancta illa muliere dictum est. Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabucodonosor: quandoquidem in conceptione Virginis beatissimæ confusus mansit superbus Sathanas, & omnes complices eius vehementer erubuerunt, eò quòd nil peccati puella benedicta contraxit. O turrem mirabilem, ex qua prodijt fortior armatus, filius Dei homo factus, vt vinceret eum, qui in atrio huius mundi captiuos tenebat filios Adæ: quo superato, spolia eius distribueret, ditaretque suam Ecclesiam. Propugnacula huius turris fortissimæ exempla illustria sunt, quæ nobis sacra Virgo reliquit imitanda. Sunt etiam septem illa verba, quæ ipsa loquuta est, vt Euangelistæ ad fabre enarrant. Erant quidem labia eius vt vitta cocinea: ideò verba illius igne charitatis succensa, corda nostra in amorem Christi vehementer inflammant. Mille clypei virtutes sunt, quibus munitur, & vsque adeo ipsa ornatur. Fidem Apostolus scutum appellat, in

Annotatio decima octaua.

Iudith 13.

Iudi. 4.

Iob 41.

Iudith 14.

Luc. 11.

quo possumus omnia tela inimici, & si ignea, extinguere: qua virtute maxime Virgo singularis emicuit. Beata, quæ credidisti, ait Elisabeth, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Quid de flammigera charitate eius dicam? Vulnerata charitate, ait, ego sum. De spe eius in Psalmo habetur: Quoniam tu Domine singulariter in spe cõstituisti me. Rursus virtutes morales, tanquam clypei mirabiliter refulgẽt in illa. Denique omnis armatura fortiũ in hac turri Dauidica apparent. Quicquid in Abraham virtutis apparuit, quod in Isaac, Iacob, Dauid, alijsque priscis patribus laude dignum fuit, hoc præcellentiùs in MARIA Virgine effulsit. Hinc lepidè Salomon dixit, turrim hanc à longè contemplans: Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu verò supergressa es vniuersas.

Luc. 1. *Psal.* 4. *Prouer.* 31.

Cellũ est fides.

Vel si lubet, dicamus quòd fides in Maria, sicut turris Dauid fuit. Nempè collum rectè fides dicitur: nam longiùs inspecturi, collum extendimus. Sic per fidem futura præuidemus, & longè posita præstolamur. Tales sunt fideles omnes, qui & se benè docent, ad benè beatèque agendum, & cæteros instruunt, ad futuram gloriam vendicãdam. Quid quòd per collum saliua descendit à capite, & ad eundem modum gratia nobis datur à Christo per fidẽ? iuxta illud: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Dicamus ergo: Virgo præclara, totius mũdi Domina, fides tua, sicut turris Dauid fortis, & admirabilis, adeò vt Apostolis fugientibus, & in passione filij tui succumbẽtibus, fides tua charitate, & spe roborata, nunquam defecerit: quin vt columna immobilis semper manst. Ad hanc turrim nos fideles, vbi inimici nos infectati fuerint, fugiamus: hanc diu noctuque inuocemus, ne fortè ob ignauiam nostram pereamus.

Ioan. 1.

PRO ASSVMPTIONE MARIÆ Virginis.

Annotatio deci manona

VEni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni & coronaebris. Cant. 4. Quam priùs in Conceptione sponsus laudauit, vt-pote immunem à tyrannide originalis culpæ, totã pulchram matrem suam appellans, & absque omni macula: nunc, translitu glorioso illius appropinquãte, ad coronam immarcescibilis gloriæ vocat. Paulò ante dixerat: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, ac si dicat: Tota pulchra es in corde, quia fictæ, obliquę, aut mercenariæ intentionis non est in te macula. Tota pulchra in anima, & in corpore, quia mundi, carnis vel diaboli noxa non est, nec fuit vnquam in te. Tota pulchra in silentio, & sermone, tota pulchra in legis obseruatione, in Euangelica perfectione: quia negligentiæ, aut tepiditates, macula non est in te. Denique, tota pulchra in prosperitate, & aduersitate, in subiectione, & prælatione: quia elationis, & incõstantiæ culpa nõ est in te. Hæc omnia in vna sacrosancta Virgine MARIA inuenimus, & pleraque alia id genus: quoniam Deus eam magnificauit: & quia tota pulchra in sua immaculata conceptione gratia Dei effecta est. Sed vnde tam pulchra? nempe quia Virgo sancta semper in Libano fuit. Libanus candidatio interpretatur. *Veni de Libano soror mea sponsa, veni de Libano.* Hinc sanè tam præclara, tam completa, & in omnibus admiranda Virginis pulchritudo à Patre luminum, à splendore paternæ gloriæ prædestinante, vocante, & glorificante, iugiterque in auribus eius intonante, *Veni de Libano sponsa mea.* Veni per fidem, ait Pater, quia sponsaui te mihi in fide, sponsaui te mihi in sempiternum. Veni iterum per spem, ait filius, cùm vnicam gentium spem genueris. Veni per charitatẽ, clamat Spiritus Sanctus, vt in matrem pulchrę dilectionis sis electa. In commentarijs nostris fusiùs locum hunc exposuimus, de vocatione Ecclesiæ, quam congregauit Dominus ex gentibus: nunc de sancta, & intacta Virgine eundem locum explicemus. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Seir, & Hermon.* Vbi aduertendum, quòd solis legitimè certãtibus, authore Paulo, corona datur: Non coronatur, nisi qui legitimè certauerit. Profectò in agone Virgo sancta contendet: tot calamitates perpessa, tùm in Ægypto, inter idolatras degens, tùm denique in atrocissima filij sui nece, vbi plusquam martyr fuit, Diuo Hieronymo teste. Amana, idest, iniquus diabolus, cuius caput alma Virgo contriuit. Seir, & Hermon montes sunt valde frugiferi. Coronatur ergo benedicta MARIA duplici corona, quia virgo & mater summi Dei est. Hinc Esaias ait: gloria Libani data est ei, Carmeli, & Assaron. Nonne hæc est mulier illa, de qua Diuus Ioãnes in sua Apocalipsi dixit: Signum magnũ apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona duodecim stellarum? Verùm non absre discipulus Iesu magnum signum se vidisse testatur, quia magna, & nimis mirabilia de gloria Virginis hic latẽt præconia. Dignum planè stellis coronari caput, quod & ipsa longè clariùs ornet eas, potiùs quàm ornetur. Quid ni coronent sidera, quam vestit Sol? quis eas æstimet gemmas? quis stellas nominet, quibus MARIÆ regium diadema compactũ est? Supra hominem est huius coronæ indicare rationẽ, ait beatus Bernardus. Profectò duodecim stellæ duodecim priuilegia, quibus Deipara virgo fuit insignita indicãt. De quibus gemmis consultò nunc tacemus,

Osee 2. *Esai.* 35 *Apoc.* 12

eò

S. Bern. serm. 7. Assumptionis Mariæ. eò quòd Sanctus Bernardus fusiùs eas explanat Serm. 7. Assumptionis immaculatæ Virginis. Sat sit scire, quòd Rex Assuerus Reginæ Hester, ingredienti regiam aulam, surrexit de throno suo, & coronã imposuit: amabat nimirum eam super omnes mulieres. Ad eandem imaginem Christus Iesus Rex regum, & Dominus dominantium hodie matri suæ cœlum empyreum intranti, coronam de lapide pretioso tribuit, super omnes choros Angelorum eam collocans. In cuius *Hester 8* typo Rex Salomon matri suæ Bersabæ thronum dedit, ad dexteram suam. *3. Reg. 2*

DE VERBIS NECTAREIS Deiparæ MARIÆ.

Annotatio vigesima. FAuus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Cantic. 4. De forti muliere Salomon dixit: Lex clementiæ in lingua ipsius. Quæ quidem laus non est parui pendenda, cùm nonnulli lingua sua quàm multos sauciare non metuant, nunc probra proferendo, nunc peierando, nunc denique etiam mortuis non parcendo. In quos Pro- *Psa. 139* pheta inuehitur dicens: Acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum. Etenim Apostoli sententiam, qui tales sunt, timeant, oportet. Maledici regnum Dei non possidebunt, almæ virginis mores, & vitam omnes sectemur, in cuius lingua non nisi lex clemẽtiæ inuenitur. Hinc rectè à sponso laudatur, qui veluti demiratus inquit: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua.* Appositissima quidem comparatio, penitiùs eam rimemur. Quid, obsecro, responsio illa, quam Virgo sacra Paranympho Gabrieli dedit, nisi fauus *Luc. 1.* distillans fuit? Ecce ancilla Domini, ait, fiat mihi secundùm verbum tuum. Tam fuerunt hæc verba mellita dulcedine plena, vt subinde Verbum Patris omnipotentis homo factus est. Mel & lac sub lingua tua, ò regina mundi, nam duo fontes ex ore tuo sacro semper dimanant: mel dulce præbes viris perfectis, lac verò porrigis paruulis, & incipien- *Ioan. 4.* tibus. Proculdubio eloquium eius in nuptijs Galileæ tam fuit gratum, & faui distillantis instar suaue, vt confestim Saluator magnum miraculum patraret, aquam conuertens in vinum optimum. Denique canti- *Luc. 1.* cum illud (Magnificat anima mea Dominũ) quod in domo Zachariæ cecinit, nonne fauo suauius est? Denique verba melliflua Virginis sacrosanctæ, quæ in templo filio suo Christo Iesu dixit, tam fuerunt illi suauia, vt descenderet cum ea, & Ioseph in Nazareth, & inibi erat subditus illis, qui cœlum & terrã, totumque orbem regebat. Ecce noua bella elegit Deus, nouumque pugnandi modũ, vt *Hest. 15* hostiũ portas ipse subuerteret. Ecce Hester, cuius imaginem illa gerebat, in atrio domus regiæ interius per contemplationem erecta, diffusa est gratia in labijs eius: immò facta sunt fauus distillans labia illius, quia sermonem compositum, & bene sonantem in auribus cœlestis Regis protulit, & labijs charitatis suæ humilitate penetrantis illum percussit, vulnerauitque. Tunc cor leonis de tribu Iudà (quippe qui nullo potuerit telo fœliciùs, quam charitatis humilitate transverberari) statim mutatum est: & respiciens humi- *Luc. 1.* litatem ancillæ suæ, audiens verba illa nectarea (Ecce ancilla Domini) festinans de solio suo descendit, & ad conuiuium, quod opere Spiritus Sancti parabatur, intrauit, ac voluntati Reginæ Hester morem gerens, lætus in vtero eius factus homo accubuit. Tunc revera mel & lac sub lingua MARIÆ fuerunt, nam mel, quod rore cœli fit, symbolum diuinitatis est: lac, quod de terra procedit, humanitatis signum fore, nemo est qui ambigat. Quæ duo in personæ vnitatem mirabiliter coierunt. En quam dulcia, quamque omni mellita dulcedine suauiora verba sacerrimę Virginis fuerint in auribus summi Dei. Nẽpe eloquium eius dulce est, & facies illius decora, ipso sponso testante, qui nec fallere, neque falli potest.

DE VIRGINITATE MIRABILI Virginis MARIÆ, quæ potissimè colitur festo Expectationis.

Annotatio vigesima prima. HOrtus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Cantic. 4. Quanquam in declamatione expectationis almæ Virginis, satis abundè me dixisse existimo de perpetua virginitate MARIÆ Reginæ nostræ: placuit hæc nihilominus hìc annotare, ad laudem illius. Hortum, eam appellat sponsus, ob magnam fœcunditatem, conclusum verò, ex virginitatis gloria. Nempe Dei genitrix hortus fuit admodum fœcundus: quia fructum benedictum mũdo edidit, de quo Elisabeth: Benedictus fructus ventris *Luc. 1.* tui. In hoc fructu benedictæ sunt omnes gentes: vti multis retrò seculis promissum fuit Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes *Gen. 22.* gentes. Vbi Paulus perbellè inquit: non in seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quod est Christus. Ecce hortus Assueri, qui manu regia consitus fuit, sicut in Hester legi- *Hester 1* mus. Sua potenti manu filius Dei Matrem suam creauit: & qui Adæ paradisum ameniss-simam fecit, & in illa eũ posuit, ipse sibi hortum plantauit omnium virtutum arboribus consitum: in quo sibilus serpentis venenosi auditus non est vnquam. Quod autem iterũ, ait: *hortus conclusus*, ad virginitatis integri- *Ezech. 44.* tatem attinet. Nã porta hæc, ait Dominus, non aperiretur, sed erit clausa in æternum.

Quod

Quod planè nonnihil apertiùs sponsus ostendit, dicens: *Fons signatus*, vtiq; sigillo totius Trinitatis: quemadmodũ sanctus Augustinus exactè explicat. En in fonte signato perpetuã ostendit virginitatem MARIÆ, & tãquam quodam inuolucro sponsus, astruit. Hanc virtutem vocat Augustinus portionem Angelicam, lib. de virgini. Nam hæc est virtus excellentissima in genere castitatis. S. Thom. 2.2. q.152. art.5. Vnde pulchrè sanctus Ambrosius: Pulchritudiné quis potest æstimare maiorem decore virginitatis, quæ amatur à Rege, probatur à iudice, dicatur Domino, consecratur Deo? Hinc laureola virginitati datur, sicut & martyrio. O fœlices virgines, quippe quæ sequuntur agnum quocunq; ierit: quin & ipsæ canticum in cœlo nouum canunt, quod nemo, nisi virginitate præditus, dicere potest. Hac virtute præclara, & Angelis cognata, Deo optimo valdè grata, maximè Deipara MARIA fulsit: quippequã plurimæ virgines ouãter sequutæ sunt. Quid multis immoror? Romanis idolis, quæ potiùs dæmonia sunt, seruiẽtibus, tàm pulchra visa est virginitatis virtus, vt templum Vestaliũ virginum construerent, in quo virgines selectæ seruirent. Quod si ethnici illi, naturæ ductu commoti, tanti virginitatem fecerunt: quanto magis nos orthodoxi hanc virtutem æstimare debemus, postquã Christus Filius Dei ex MARIA Virgine nasci dignatus est? O ter quaterque beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

S. Aug. *S. Tho. 2.2. q. 152.* *Lib. de virgin.* *Nao.t* *Mat.5.*

PRO NATIVITATE ALMÆ Virginis MARIÆ.

FOns hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. Cantic. 4.

Annot. vigesimasecunda.

Adhuc sponsus Virginis præclaræ MARIÆ in laudibus eius perseuerans, fontis metaphora vtitur. Et quam fonti signato nuper comparauit, nũc hortum fontẽ iure vocat: Enimuero conscientiæ fidelium horti benè dicuntur: nam ex bona conscientia flores desiderium, verba sancta, & opera bona nascuntur. Sicut Rex Salomon olim plantauit hortos, & pomeria, sic verus, & figuratus Salomon Christus Iesus hortos ameniſsimos sibi fecit, mentes nostras sanctificans, in quibus, mirũ in modum ipse deliciatur: alioqui ore suo nõ diceret: Deliciæ meæ cum filijs hominum. O summi numinis inefabilem erga nos charitatem, qui tot millia Angelorũ habet in cœlo, cui millia millium ministrant, & decies centena millia ei assistunt, is tã est amore hominum captus, vt delicias suas fore asserat cũ filijs hominum. Vtinam deliciæ nostræ tantùm essent cum ipso loqui, ipsum indesinenter contemplari, eumque totis nisibus colere, & amare. Ad rem: fons irrigãs omnes hortos Ecclesiæ, omnes Religiones sanctas, & varios status fidelium Virgo sancta est: eo quod eius interuentu charismatũ dona omnes recipimus. Quid multis? quando Pater cœlestis per manus MARIÆ nobis dedit filium vnigenitũ, qui suo sacro cruore, suaque nece nos à morte perpetua liberaret: quid ea præcante, fidelibus Deus optimus non impertiet? Equidem ipsa indefessè Patrem orat: Domine da eis irriguũ superiùs, & inferiùs, ne terra eorum, idest corda, arescant. Hoc est: Da tuis fidelibus, qui in te vno confidunt, & à te solo pendent, da obsecro irriguum inferiùs, ita vt de erratis suis pristinis toto corde doleant, lachrymis delicta sua diluant. Præbè rursus irriguum superiùs, affectu tui videndi, vt cum Propheta clament: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Itaque intemerata Virgo fons hortorum est, eorum scilicet, qui varijs virtutum arboribus, & diuersis gratiarum spiritualiũ aromatibus eminent. Quos virgo benedicta vti hortulana sapientissima rigat, vt erigat, erigit, vt roboret, roborat, vt crescant, & per cœlestis desiderij fluenta assidua iugiter crescendo, cœlum penetrãtes, ad superna bona deueniant. Notandum, quòd fons, & puteus alma Dei Genitrix appellatur, quò profunditatem virtutum illius agnoscamus. Fons paradisi est, ascendens de terra, & irrigans, vt diximus, hortos omnes in sancta Ecclesia. Puteus etiã est profundus, ob mirabilem humilitatem, fidem perfectam, charitatemq; flammigerã. Benè merito ergo, hodierna die illustrãs mũdum natali suo glorioso, illud Hester cantabimus: Fons paruus creuit in fluuium magnum. Creuit inquam puella sancta, ita vt ex ea fluuius magnus prodiret, Christus Iesus Filius Dei. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam. Quique in templo voce sonora clamabat: Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Cæterùm si quis scire optat, vnde fons ortorum, & puteus aquarum viuentium MARIA efficitur, sequentia verba expendat. Nempè aquæ omnes, idest, virtutes, & dona ex monte Libano dimanarunt, ex illo, qui candor lucis æternæ rectè appellatur. Filius Dei sic vnicè MARIAM Virginem dilexit, sic super omnes sanctos euexit, vt eam sibi matrem elegerit. Qua dignitate insignitam super omnes Angelorum choros exaltauit.

Prou. 8 *Ioſue 15* *Pſal. 47* *Gen. 2.* *Hester 10.* *Ioan. 7.*

EX CAPITE QVINTO ANnotationes. Pro Festo Annuntiationis almæ Virginis MARIÆ.

VEniat dilectus meus in ortum suum, & comedat fructus pomorum suorum Cantic. 5. Si omnes Prophetæ Spiritu Domini afflati sæpe sæpiùs Messiæ tàm diù desiderati tum totis medullis cordis flagitabant; quanto

Annot. vigesimatertia.

to affectu Virgo sancta, quæ longè maiori charitate flagrabat, filij Dei incarnationem exposcebat? Equidem quæ priùs ardeti desiderio aiebat: Osculetur me osculo oris sui, *Cant.* 1 ipsa rursus clamat: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Hortum Domina vocat legē, in cuius ceremonijs, & sacrificijs Deus optimus delectabatur, quamuis inuoluera erant, *Hebr.* & vmbram habebāt futurorum, teste Paulo. 10. Suo autē seculo legalia, & ceremonialia frugifera erāt, & à Domino instituta. Sole verò iustitiæ irradiante, lex illa abijt, & Euangelium sanctum mansit ad finem vsque seculi. Eam ob causam Saluator in vltima cœna testamentum æternū appellauit, post quod nullum erit vnquam. Hic est calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti. Ratio quia testamentū morte testatoris confirmatur, vt exa- *Hebr.* 9 ctè Apostolus contestatur. Rogat ergo intemerata Virgo, vt quàm primùm Messias veniat, legemque illam veterem implens, nouā instituat. Fructus pomorum sacramēta nouę legis sunt, quos edidit Christus, præbens nobis loco circuncisionis, sacrum baptisma. In quo omnes quotquot baptizati sunt Christū Iesum induunt, meritis eius perfruentes. Sic pro tot sacrificijs, & holocaustis brutorum, vnicum nobis reliquit sacrificiū, quod quotidie offerimus cœlesti Patri, in sancto altari sacra celebrantes. Itaque Saluator noster Christus eò venit, vt natus ex muliere, & sub lege factus, eos, qui sub lege erant, redimeret, nobisque adoptionē filiorū præstaret. O *Gala.* 4. magnum pietatis sacramentum, non modò nos à potestate diaboli, sed à iugo graui legis veteris, etsi immeritos eripuit, vt bifario amoris vinculo nos sibi adglutinaret. Vę no- *Nota.* bis, si tantam gratiam neglexerimus. Cæterū Virgo immaculata, & vnaquæque anima pia sponsum vocat ad hortū conscientiæ. Arbores manu regia plantatæ virtutes sunt, ita vt fides, spes, & charitas, fructus suos gignant pulcherrimos, ac dulces ad vescendum. Opera ergo harum virtutum, atque aliarum, quæ morales vocantur, Christus edere dignatur, vbi gratanter ea respicit, ac sereno vultu accipit; quin hos fructus deposcit in Euāgelio. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt vi- *Matth.* deant opera vestra bona, & glorificent Patrē 5. vestrum, qui in cœlis est. Et itidem: ego posui vos, vt eatis, & fructū afferatis, & fructus vester maneat. O nos beatos, si reipsa ei dixerimus: Omnia poma noua, & vetera seruauimus tibi, dilecte amātissime. Equidem beneficia, quæ priscis patribus cōtulisti, ex Ægypto illos liberans, & tot portētis patratis, in terram promissam eos ducens, nec nō potiora bona, quæ in redemptione nostra operatus es, ob oculos semper habētes, tibi inexaustas gratias agemus, non vt par est, sed quatenus fragilitas nostra suppetit. Clamemus ergo, A diu, noctuque precemur cum Deipara MARIA. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Non mundus nequā, neque dæmon cruentus quicquam de operibus nostris rapiat, neque inanis gloria aliquid arripiat, sed tu Domine qui hortulanus noster es, de lignis pomiferis, quæ plantasti, poma omnia collige.

PRO FVGA, QVAM VIRGO cœpit Herode, sæuiente.

VOx *dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cantic. 5. Mirabile est, quantum *Annotatio vigesima quarta.* Saluator noster dilexerit pro nobis pati, cùm B à cunabulis voluerit fidelibus suis exemplum patientiæ, & humilitatis præbere. Nō seruus est maior Domino suo: nam si me persequuti sunt, & vos persequentur. Ecce quò tendebat fuga hæc, quam Deipara cum puero Iesu cœpit, pergens in Ægyptum, deludens tyranni- *Matth.* dem funesti Herodis. Quandoquidem tanta 2. erat cura cœlesti Patri de filio suo Christo, vt ante sæuitiam cruenti Herodis Angelum suum miserit Ioseph viro iusto, qui ei narrauit stragem futurā, in qua velut debaccatus rex iniquus tot millia innocentum erat occisurus. Ioseph narrant Beeatæ Virgini Angelicum nuncium, exclamat illa, nec sine ingenti dolore: *Vox dilecti mei pulsantis. Aperi* C *mihi soror mea.* Verū pro dignitate, quia vir caput est mulieris, Angelus in somnis apparuit Ioseph: nihilosecius (vt dignum credere est) alma Virgo sublimiùs à suo dilecto Christo intrinsecus fuit edocta, dicente Dauide: *Psa.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus. *Vox dilecti mei pulsantis.* Ac si dicat: Ita est, vt enarras vir sancte, nam vocem audiui dilecti filij mei Iesu, nō forinsecus tiniens, sed intus per intellectualem, & apertiorem illustrationem ille mihi indicauit ea, quæ Angelus tibi dormienti reuelauit. Scio, & benè scio vaticinium multis retro seculis cōscriptum: Ascendet Dominus in nubē leuem, & ingredie- *Esai.* 19 tur Ægyptum, & cōmouebuntur simulachra D Ægypti à facie eius, & cor Ægypti contabescet in medio eius. Ecce adest dies, vt impleatur prophetia hæc: eamus, & Domini voluntas fiat in omnibus, vti par est. O quo timore perculsa sacerrima mater nocte surrexit, brachijs suis benedictum Iesum portans, cum spōsa dicens: Dilectus meus mihi, & ego *Cant.* 2. illi, inter vbera mea commorabitur! O nubē benedictam rore gratiæ plenam, immo fontē gratiæ totius baiulātem, quis in hoc itinere, & per hæc deserta squallentia tibi obuiā exiret, vt aliquod pietatis officium puero benedicto defatigato exhiberet! Felix, qui in hoc exilio te comitari dignus esset. Moses tenebras adduxit in Ægypto, Pharaone præcepto summi Dei reluctante: tu verò benedicta *Ioan.* 1. in

in Ægyptum ducis eum, qui lux vera est, illu minans omnem hominem venientem in hũc mundum. Ego, ait ipse Iesus, sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Cę terùm aperuit Virgo sancta sponso suo, quia consensit illi, voluntatem eius statim adimplens. Enimuerò quoties vocantem audimus, toties pulsare non ambigamus. Quòd autem *Nota.* tot nominibus eam appellat, ideo est, vt ad tam arduum, laboriosumque iter illam excitet. Sororem vocat, quò calicem hunc tribulationis vtriq; communem edoceat. Amicã dicit, quasi animi custodẽ, vt oportere eum in tanto discrimine ipsam satagentem custodiri, nullatenus dubitaret. Columbam nominat, nempe quam pari secum vice tyrãnus insequeretur accipiter. Immaculatam denique confirmat, ne in via polluta pollui, & inter idolatras extimescerẽt, præsente munditiæ auctore, maculari: quando sordes ipsæ cœlo fiunt, ipso inuisente, puriores. En pro modulo nostro encomia sanctæ Virginis, quæ ipsũ sus de ipsa profert, quamuis obiter explanauimus. Supersit, vt nos, qui in hac vita ceu in exilio, quandiu sumus in hoc terreo corpore peregrinamur à Domino, peregrinos hos, & puerũ benedictũ Iesum comitemur, orantes, ne Saluator paulisper nos deserat: alioqui tãquam fragiles labefactati peribimus. Sumus heu nostra pte natura propensi ad malum.

VIRGO SANCTA PVERVM Iesum dolore affecta quærit.

Annot. vigesima quinta. *PEssulum ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atq; transierat.* Cant. 5. Beato Luca teste, expletis festi diebus, puer Iesus remansit in Hierusalem, parẽtibus eius nescientibus. Quam ob causam Beatissima Virgo tristitia immodica affecta inter cognatos, & notos, dilectum suum filium quærita- *Ps.* 131 bat. Veluti cum Regali Propheta dicens: Si dedero somnũ oculis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino. O rem nouam satis mirandam in Ægypto, in exilio, in tribulatione iuxta est Dominus: vti in Psalmo promisit, tunc non fugit, non elabitur, sed retinetur: in patria, in prosperitate, in festiuitate, inter cognatos, & notos perditur, & nulla elapsi vestigia reperiuntur. Verùm res sic gesta est, vt palàm fiat, Iesum benedictum quærentibus, pieq; in Christo viuere paratis, tribulationem multò plus *Iacob.* 1. afferre vtilitatis, quàm prosperitatem. Hinc clamat Iacobus: Omne gaudium existimate fratres charissimi, quum in varias tentationes incideritis. Cui sententiæ adstipulatur Dominus dicens: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persequutivos fuerint, & dixerint omne malum aduersùs vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. En beatos appellat Saluator noster eos, qui calamitatibus, tyrannorum persequutionibus *Mat.* 5. sunt obnoxij. Quin gaudere, & exultare, illos hortatur, tanquam de faustissimo nuncio audito. Sanè fortior athleta fuit Iob vulneribus plenus, & in sterquilinio iactatus, ab amicis, & ab vxore sua persequutus, quàm Adam in Paradiso, vbi dominabatur piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ. Seriam, atque satis conducibilem sententiam illã Dauid ob oculos habeamus, oportet: Ab altitudine diei timebo. Vbi altitudinẽ diei, digni- *Psal.* 55 tatem, & florentem diem vocat. Vt ergo in tribulatione qualibet magna non succumbamus, sacram Virginem MARIAM attendamus, quippe quæ in inuio, in deserto, nec in Ægypto dilectum filium non perdidit. at *Nota.* vbi redit ad suos, vbi blandiuntur, omnia, prosperantur, & applaudunturomnia, aditur festum solemne, tũc Iesus duodecimum annũ agens declinauit, & transiuit. Declinauit profectò, vt deuoti instruerentur, inter parẽtes, inter prospera Iesũ difficiliùs inueniri, à pœnitentibus autem inueniri. Qui dolentes ergo fuerint, & lachrymis pristina delicta abluerint, ij eum inuenire poterunt. Templum Dei ascendamus, non forum, nõ theatrum intremus, nam Dominus in domo sua assistit, & in veritate ipsum quærẽtes ocyùs inueniũt. Tũc præ nimio amore, & seraphycæ charitatis igne combusta anima nostra dicere audebit: Domine Iesu quid feci sti mihi sic? Quor *Luc.* 1. sum in corde meo sic te abscõdisti, vt dulcedinẽ tuã præsentẽ nõ senserim? Cæterũ Saluatorẽ loquẽtẽ intentissimo auscultemus animo. Quid est, quod me querebatis, nescie batis, quia in ijs, quę patris mei sũt, oportet me esse? Hoc verbo nos quasi clypeo munire desiderat Christus, vt illæsi in certamine præsenti vincamus. Nã si fremat mũdus, impugnet subdola caro, si sæuiat Satanas, dicamus tunc oportet: In his, quæ patris mei sunt, oportet me esse, & securi sumus. Dubio procul nulla est pestis, suggestio, aut tẽtatio, cuius paruulos nõ valeamus, ad petræ solidatem alli dere, si efficaciter, & ex animo dixerimus: Nesciebatis, quia in ijs, quæ patris mei sunt, oportet me esse?

Nos verò Christum Iesum indefessè quæramus, quique maxima gratia nobiscũ agit: ne & illum humiliter deprecari cessemus, dũ afflicti nos quasi ab eo deseri, timemus. Rursus, ne efferamur, dũ illum iam iam certè tenere videmur. Quam ob rem sapientissimè modò se nobis per gratiam suæ inspirationis infundit, modo subtrahit, qui iam abijsse putabatur, adest, & qui adesse credebatur, paulum vtiliter abscesit. Sicque nobiscum se met admirabili prouidentia vicissim, mutuò que dispensat, quandiu ab eo peregrinamur *Mat.* 25 in carne: plenissimè tamen in cœlis se totum nobis

nobis traditurus, cũ ait. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Tunc planè absterget Deus omnem lachrymam ab oculis nostris, nec dolor, neque clamor erit vltra, quæ prima abierunt: & dixit, qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia.

Apocal. 21.

DE AMORE SERAPHICO, quo Virgo sancta diligebat Christum.

Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, annuncietis ei, quia amore langueo. Cant. 5. Tam est magna dilectionis Christi vis, & energia, vt sponsæ suæ vehementer amanti lãguorem inducat. Hinc Deipara MARIA corporali præsentia vnicè dilecti sui filij orbata, desiderio visendi eum commota, filias Hierusalem rogat, adiuratque, vt si dilectum inuenerint, subinde ei nũcient languorem, quem patitur, amore illius magnopere affecta. Obseruandũ hic est, quòd intemerata mater verba hæc non semel, sed sæpè corde, & ore dicebat: saltim tribus vicibus languore amoris Christi Iesu correpta vehementer, de absentia dilecti filij sui, vel maximè doluit. Primò quando remansit in Hierusalem, & triduo apprimè afflicta eum quæsiuit, de quo mysterio paulò ante tractauimus. Secundò quando Saluator noster desertũ petens, inibi quadraginta diebus fuit, nil manducans, neque bibens: quo tempore, haud dubiè, alma Dei genitrix, vt ego reor, ieunijs vacabat, pane, & aqua victitans. Tertiò amoris languorem passa est, vbi ad hortũ Gethsemani Dominus pergens in agonia positus, sanguineo sudore affectus fuit. His tribus temporibus potissimè compellans filias Hierusalem, ideſt, Angelos, qui in visione pacis commorantur, aiebat: *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, annuncietis ei, quia amore langueo.* Mirũ dictu: non cauſatur, quòd custodes ciuitatis eã vulnerauerint, flagellauerintque, nec & palliũ eius tulerint. Solent enim amantes si quid dispendij ex absentia, aut ex præsentia compendij immineat, vt ad reditum prouocent, latiùs prædicare, sigillatim expendere, & sæpius ardentiùsque inculcare: at MARIA prudentissima nihil horum loquitur, omnia tacet. Sed quid ait? *Quia amore lãguo.* Magna, ni fallor, philosophia hic latitat. Amor omnia complectitur, cuncta comprehẽdit: amor rerum omnium est summa, amoris virtute ad persuadendum potentius nihil: Nimirũ omne tulit punctum, qui lingua exorat amoris. Ciamus ergo Iesum gemitibus, accersamus eum desiderijs ardẽtibus. Nam qui est charitas, aliquid si nile à nobis exigit, hoc est, maximè omnium charitatẽ postulat. Amore ipse elanguit in cruce, ob amorem nostrũ in ea obijt. Par erit, vt & nos amoris languoré patiamur, nam languor hic votis ardentissimis appetendus est: eò quòd qui amore Christi infirmatur, seculi huius diuitias posthabet, honores spernit vltrò, delicias omnes abdicat: adeo vt cum Apostolo, tum corde, tum etiam ore clamet: Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifacerem. O nos fœlices, si hoc telo amoris sauciati, omnes cælicolas inuocemus! Instanter igitur rogemus, nedum obsecrãdo, sed quod plus est, adiurando, perinde atque eos cogentes, diu no ctuque cum Virgine beatissima dicamus: Annũciate dilecto, quia amore ægrotamur.

Annotatio vigesima sexta.

Luc. 2.

Nota.

Philip. 3.

PVLCHRITVDINEM MIRABILEM Christi alma Virgo prædicat.

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Cant. 5. Magna sunt, & annotatu digna, quæ mater Iesu de ipso prædicat, custodibus ciuitatis interrogantibus: *Qualis est dilectus tuus, ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? & quæremus eum tecũ.* De quibus in commentarijs nostris satis superque adamussim tractauimus. Nunc de mira pulchritudine Saluatoris nonnihil dicamus, ipso opitulante. *Dilectus meus candidus, & rubicũdus.* Nihil est enim de quo aui diùs percunctemur, & libentiùs audiamus, quã de eo, quod mirificè cupimus, & magnopere amamus. Si ergo Iesum toto pectore diligimus, attentiùs illius laudes auscultemus oportet. Gaudent in cœlis Angeli, & animæ sanctæ, nec aliud semper, quàm de Deo optimo elogia celebrare contendunt. Et ad eandem imaginem ius est, vt nos de re tam seria, tamque vtili loquamur. Ad rẽ, optimo iure hunc dilectum suum Deipara candidũ, & rubicundum dicit, quem generatio candens diuina, & rubens humana, quemque & rerũ, & colorum germanitas gratissima commonstrant super mille millia, & decies centena millia Angelorum amabilem, & super omnia desiderabilẽ. De candore diuinitatis Sapiens dixit: Candor est lucis æternæ, speculum sine macula, imago bonitatis illius, ideſt, cœlestis & æterni Patris vnigena. De rubedine verò humanitatis, quippe quæ in passione atroci sanguine suo tincta fuit, Esaias non tacuit: Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiẽs in multitudine fortitudinis suæ. Et post pauca dicunt Angeli Christo in cœlum ascẽdenti: Quare rubrum est vestimẽtum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torcular? Candidus fuit Iesus in æternitate, procedens ex Patre, rubicundus factus homo. nã in passione à planta pedis vsque ad verticem, nõ fuit in eo sanitas Quid multis immoror? Tanta est pulchritudo in Christo Iesu, vt Angeli ipsi desiderẽt, in faciem eius conspicere, vt pulchrè Petrus ait. Quis enim tam rudis, tamque stupidus, vt non cupiat toto pectore, fa-

Annotatio vigesima septima.

Sapient. 7.

Esai. 63

1. Pet. 1

faciem illam Christi gratiarũ plenam intueri? Aut quis tàm ferrei cordis, vt posſit, eo contemplato, non amare? Hinc Regalis Propheta ſpecioſum præ filijs hominum Meſsiã depingit. Verùm Christi Ieſu venuſtas, & mirabilis decor etiam rudes, & agreſtes homines quoſque poterat allectare, & pertrahere, ardentiſsimèque inflãmare in ſui amorem.

2. Co. 16 Quàm lapide dilectus diſcipulus dixit: Qui non diligit Ieſum, anathema ſit. Væ fallacem pulchritudinem creaturarum amantibus, qui ſponſum candidum, & rubicundum Chriſtũ Ieſum non diligunt: ij pœnas dabunt cõmeritas, & quidem rectè, quia eum, qui decor vniuerſi, & decus Angelorum eſt, contempſerũt, & ſtercora amplexati ſunt Ecce flos campi, & lilium conuallium, innatam habens pulchri-

1. Ioã. 4. tudinem, non fucatam, aut fictitiam. Diligamus eum, nam ipſe prior, etſi fœdos, & immeritos, vehementer dilexit nos.

VIRGO SANCTISSIMA MIRIFICA OPERA FILIJ SUI EXALTAT.

Annot. vigeſimaoctaua.

Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Cantic. 5. Vbi ſancta Dei genitrix dixit, caput ſponſi ſui aurum eſſe optimum, hoc eſt diuinum (dicente Apoſtolo: Caput Chriſti Deus) poſtquam oculos columbinos pietatis plenos eũ habere aſſeruit, faciem, & labia laudauit, ad manus deuenit, quas ſtatim collaudare cœpit dicens: *Manus eius tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis.* Verũ

Nota. figura circularis omniũ tum perfectiſsima, tum etiam capaciſsima eſt. Immo cœli hac figura à Deo optimo creati ſunt, vt ſua amplitudine cuncta elementa cõtinere poſſent. Manus ergo ſponſi aureæ, & tornatiles ſunt, nam opera eius diuina virtute facta aureæ diuntur. Aurum cæteris metallis præcellentius eſt: ſic opera, & miracula Chriſti, cuncta Prophetarum prodigia excellunt. Si ad

Ioan. 15 eos nõ veniſſem, & opera in eis nõ feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberẽt. Ecce quàm mira opera Saluatoris fuerunt. Quid de operibus, quæ ipſi imitari tenemur dicam? quã ſplendida, & ex omni parte ſunt

Ioan. 13 præclara. Exemplum dedi vobis, ait humilitatis magiſter, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Tornatiles inquam dictæ ſunt manus ſponſi, quòd vndecumque perfectiſsima, abſolutiſsimaque virtutis forma omnia fecit, quandiu in terris vixit. Nihilque operatus eſt vnquam, quod non eſſet virtutum omnium, & ſanctitatis exemplar.

S. Aug. *Plenæ hyacinthis*, hoc eſt, myſterijs magnis referta. Vnde S. Auguſt. quæcunq; Chriſtus geſsit, dogmata noſtra ſunt. Itaque nedum verba eius ſanctiſsima, ſed opera nos eruditunt, & viam Regni cœlorum nobis indi-

1. Pet. 2. cant. Hinc Princeps Apoſtolorum Petrus inquit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Etenim quæ torno elaborãtur, maximè expoluntur, & conſumata quadam rotunditate formantur: ita Chriſti opera diuiniſsima arte tornata, cœleſti quadam forma vndique ſibi ſanctiſsimè conſentiunt. Summa, qui ipſius egregia opera ſyncera animi imitatus fuerit, magna vendicabit ſibi præmia, dicente Propheta: Extendit manum ſuam in re tribuendo. En quàm largiſſuus ſit Dominus eis, qui totis viribus ſeruiunt ei. Idque ore ſuo ſacro teſtatus eſt dicens: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit. Cæterùm manus ſponſi Prælati, & Reges in ſancta Eccleſia ſunt. Duplex

Pſal. 54

Prælati.

B poteſtas Eccleſiaſtica, & ſecularis, ceu duæ manus Chriſti habẽtur: quippe quæ viciſsim ſe adiuuare debent, ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum, Apoſtolo teſte. Equidẽ duas has manus benedicta Virgo aureas, tornatiles, & plenas hyacinthis vult eſſe. Tornatiles vtique in vitæ perfectione. Sanè quæ torno fiunt, nec ſcrupulũ omnino, aut gibbum admittunt. Itaque Prælatos om-

Prælati. nes, & iuſtitiæ miniſtros culpa vacare oportet, & typum ſuperbiæ nullum præ ſe ferre. Immò honeſtatis ſuæ exemplo præſcribere populo benè viuendi rationem, ac normam, neque in ſe admittere quod in alijs vitio, & ſupplicio dare ſolẽt: alioqui auctoritatis ſuæ

C vigorem paulatim amittent. Aureas habebunt manus, ſi ſapienter cuncta egerint: plenę hyacinthis erũt, ſi ob Dei amorem omnia operati fuerint. Eſt quidẽ hyacinthus aërei coloris, mutaturque color illius ad mutationẽ aeris: ſic Prælati, & miniſtri iuſtitiæ mutentur, neceſſe eſt, pro varietate perſonarum,

Nota. & temporum: nunc manſuetudinem oſtendẽtes, nunc verò acrimoniam, & rigorem exercentes in rebelles, & contumaces. Quod ſanè tùm in Paulo, cùm etiam in Chriſto Ieſu geſtum legimus. Infirmos nimirum blandè ſuſpiciẽs, eos cõſolabatur, Phariſæos ſupercilioſos duriuſculè increpabat. Fœlices dixerim Prelatos, & Iudices, qui manus Chriſti fue-

D rint, aureæ, tornatiles, atq; hyacinthis plenę.

EX CAPITE SEXTO ANNOTATIONES. VIRGO BENEDICTA HUMILITATEM FILIJ SUI LAUDAT.

Annot. vigeſimanona.

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, vt ibi paſcatur in hortis, & lilia colligat. Cantic. 6. Sacra Virgo humilitatẽ mirabilem, & pietatem dilecti filij ſui verbis hiſce vel maximè inſinuat. Enimuerò filius Dei ex ſinu Patris deſcendens, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens: tunc deſcendit in hortum ſuum florigerum, hoc eſt, in vterum ſacræ matris ſuæ, vbi requieuit nouem menſibus. O quibus delicijs tunc puer Ieſus fruebatur, ſimul mentem Virginis almæ,

mæ, & ventrem inhabitans. Equidem prima paradisus, in qua primus homo Deū facie ad faciē vidit, benedicta Virgo MARIA fuit. Nimirum sanctissima Christi Iesu anima, statim vt creata fuit, & patuo corpori suo vnita, Deum optimū conspexit, ac proinde beata. Quod autem sequitur, *vt ibi pascatur in hortis*, nonnihil Sacramenti habet. Ex horto illo amenissimo, in plures hortos descendit Saluator: nā confestim in Bethlehem natus, tum pastores, qui erant propè, tum etiā Magos, sapiētia & potētia præditos, accersiuit. *Luc.2.* Quid quòd sua cœlesti doctrina, & egregijs *Mat.2.* miraculis multa millia hominum cōuertit? quorum mentes vti hortos irriguos per fidē, & charitatem ipse habitare dignatus est. Dico Christum habitare in cordibus vestris per fidem, ait Paulus. Lilia colligit, qui conuallium filium se se nuncupat, vbi sancta desideria, candidas cogitationes nostras lubens respicit, & acceptat: sicut scriptum est. *Prouer. 22.* Qui diligit munditiam, habebit amicum regem, idest, Christum, qui Rex regum, & Dominus dominantium est. Vel hortus populus Israel est, in quem descēdit Messias, post tot vaticinia, & oracula prophetarum. Ait ergo Virgo benedicta. *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Perinde dicat: Vos non deserit, sed quos coluit per legem sanctā, ornare festinat, & irrigare per gratiā, in vobis pasci desiderat, volūtatem Patris, qui cibus illius est, adimplendo. Ex vobis colligere lilia cupit, prædestinatos vocando, vocatos iustificando, & iustificatos ad apicem Apostolorū, *Rom.8.* & Doctorum magnificando. Verū ex Iudæis ferè totam primitiuam Ecclesiam compegit Dominus, vt se repudiatū minimè posset cōqueri Iudæus. Denique per descensum sponsi possumus intelligere Domini nostri descensum ad inferos: nam hoc sequentia probant, cùm ad areolas aromatum venisse testatur. *Nota.* Prisci enim patres, quasi areolæ aromatum fuere, qui iustitiæ fragrantiam mirum in modum dederunt. Tunc enim paradisum triumphator Christus ingressus est, cùm ad subterranea penetrauit. Quid enim limbus patrū, nisi quidam hortus erat, in quo violæ Cōfessorum, rosæ Martyrum, lilia candentia Virginum Redemptoris aduentum magnopere desiderabant? Tunc sanè lilia suaue olentia collegit sponsus, dū sanctos illos è limbo potenter eduxit, melos suauē ipsis cantantibus, *Ps. 123* & Dauidicum Psalmum alternatim repetentibus: Laqueus cōtritus est, & nos liberati sumus. Rursus Moysi canticum sonora voce cō- *Exo. 15* cinebāt: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equū & ascēsorem proiecit in mare. Proculdubio in mari rubro, idest, in sanguine Saluatoris nostri Iesu Christi Pharao inferni Rex penitus perijt, nec non inibi complices eius exterminati sunt.

A

SPONSVS CHRISTVS MATRIS *Suæ benedictæ laudem depromit.*

B

C

D

Annotatio trigesima.

Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Cant. 6. Quod antea sponsus indicauit, se vulneratum in vno oculorū sponsæ suæ, neutiquā de corporeis oculis intelligamus, oportet. Habet quidē anima oculos sole ipso lucidiores. Nam fides, & charitas, perinde atque duo oculi sunt, in quorum vnitate maxime omniū sponsus Christus delectatur. Eam obrem prius dixit: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum. Perinde dicat: Magnopere placuisti mihi in vnitate fidei, & charitatis, quibus virtutibus apprime polles. De ijs oculis Saluator ait: *Auerte* mater sancta *oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Vbi notandū, quòd oculi nostri ad sponsum conuertuntur, cùm aciem mentis ad Christi Iesu beatitudinem contemplandam intendimus. Sed oculos auertere monemur, ne scilicet eā nos aspicere, sicuti est, quantumcumque videamus, arbitremur: ob idque ipsius sponsi oculi eū auolare fecisse dicuntur. Nēpe quò acriùs intuemur, eò magis inuisibilis esse cognoscitur. Et quāuis de summa illa diuinitate sponsi, inuisibilique luce nonnihil interdum, vel hìc mētis oculis intueri, prægustareque possimus, prout benignitas ipsius sponsi largitur, haud quaquam sicuti est, spectare licet. Vide- *1. Cor. 13.* mus nunc per speculum in ænigmate, postea autem facie ad faciem, ait Apostolus. Et in *Ps. 118* Psalmo legimus: Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Vnde Moysi cernere cupienti Deum, vti est, dictum fuit: Faciem meā videre non potes, nemo videbit me, & viuet. Cui consonat illud Ioannis: Deū nemo vidit vnquā, sed qui est in sinu Patris, ipse nobis narrauit. Aderit tamen tempus post exhalatam *Ioan. 1.* animam, quādo videbimus Deum, sicuti est. Modo credamus, & credentes operā demus, vt sponsi mandata exactè impleamus. Ecce in quo sensu capienda sunt verba, quæ Saluator loquitur matri suæ benedictæ. Vel sic, vbi virgo sancta Gabrielis audito mirabili nuncio, sic oculis suis columbinis, sic inquam fide, & charitate Filium Dei intuita est, vt qui erat ab æterno in sinu Patris, confestim auolaret, & homo factus requiesceret in vtero matris. Ecce quàm efficax fuerit intuitus sacerrimæ Virginis MARIÆ.

PRO IMMACVLATA VIRGINIS *Conceptione.*

VNa est colūba mea, vna est perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Cant. 6. Nedum filij tantæ Virginis surgētes laudant Reginam cœli, vt nuper sponsus asseruit, sed nūc ipse laudibus eā euehere nititur. Ita est, quòd sexaginta sunt reginę, octo- *Annotatio trigesima prima.*

ginta

ginta concubinæ, & adolescentularũ nõ est numerus: nihilominus vna est columba, vna perfecta, & hæc alma Virgo esse perspicuum est, eò quòd innocentia illis omnibus superior inuenitur: quæ nimirũ nec originali, neque perpetrato veniali fuit degrauata. Illæ autẽ, & adolescentulæ recensentur, & nullo claudũtur numero: Quia multi sunt vocati, pauci verò electi. Vbi intelligimus earum, plurimas, turpiter per culpam infuscata innocentiæ baptismalis puritate, ab electoru cathalogo, & nomẽclatura tractu tẽporis excidere. Atqui Virgo benedicta excidere, gratia Dei coadiuuante, non potuit; sed virtutũ palma spectabili omnium electorũ ordines, & classes excedere, solaq; Saluatorem cominus sequi comprobatur, eodem testante, cùm ait: *Vna est columba mea*, quæ simplicitatem columbinam, mititatem, & humilitatẽ, quæ donorum Spiritus Sancti plenitudinem, & charismatum omnium abundantiã commodiùs exprimere sufficiat. Equidem tantã horum omnium copiã diuinitùs accepit, vt illa propemodum non ad mensuram comunem assequuta videatur. *Vna est perfecta mea*, cuius purgati animi virtutibus, nedum purgatorijs, mecum vbiq; arctissima familiaritas, & consuetudo intercedit. *Vna* quoque *matri suæ* Euæ, à qua scilicet, & per quã culpa condonari, opprobrium aboleri matrum, pœna leuari possit, obtinere. *Electa genitrici suæ* astruitur iure: nam cùm multæ pereximiæ, vigente synagoga, occurrerent, vna hæc sola petebatur, quæ virgo Deum concipere, virgo Deum parere posset, & post partũ virgo permaneret. Qua astãte, quominùs à dextris filij in cœlo, vestitu de aurato ornata, adducerentur Regi virgines, de virtute in virtutẽ ambulantes, sed post eam. Illam omnes virgines mirari poterunt, nulla consequi, nulla coæquare. Vnde benè meritò dictum est: Viderunt eom omnes filiæ Sion, & beatissimã prædicauerunt. Quandoquidẽ cœlestes virtutes, omnesq; sancti eam intuentur exaltatã in gloria, beatissimãque in defessè prædicantes, de eius dignitate magnopere iubilant.

Mat. 20

Psal. 44

PRO NATIVITATE, PRÆsentatione, & Assumptione benedictæ Virginis MARIÆ.

QVÆ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgẽs, pulchra, vt luna electa, vt sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?

Annotatio trigesima secunda.

Cantic. 6. Admirantur filię Sion, Reginæ, & concubinæ simul, quippe quæ Beatam Virginem MARIAM collaudabant, & Beatissimam prædicabant. Hanc sacram Virginem contemplantes, tum in eius natali, tum in illius præsentatione, tum denique in eius assumptione glorioſa, admiratione raptæ clamant: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? pulcra vt luna, &c.* Aduertendum, quod Reginæ illæ sunt, quæ soli Regi Christo dicatæ, mundi fluxibilia bona cõtemnunt, mandata sponsi sui, & consilia prorsus seruantes. Hę corde & ore aiunt. Dilectus meus mihi, & ego illi. Concubinæ verò illæ sunt, quæ filios spiritales Christo gignunt verbis, & exemplo, non tamen citra mercedis expectationem. Istæ omnes vocant MARIAM Beatam ob mirabilem eius virginitatem, dicunt beatiorem propter omnium virtutum candorem, vocant illam beatissimam, tanquam summi Dei genitricẽ. Quòd de præterito, & non de futuro loquantur, fit ad veritatem, & certitudinem maiorem prophetiæ, alluſio est ad illud: Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea; quod in Christo Iesu adimpletum legimus. Istæ ergo Reginæ, & concubinæ, necnon adolescentulæ perinde atque stupore actę, alterutrum interrogãt: *Quæ nam est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens? &c.* Meritò sanè in admirationem vertunt eloquium, scientes, quòd nemo laudare potest Virginis sanctæ exquisitas virtutes. Quibus verbis, aut quibus eloquentiæ viribus, aut quibus denique laudum præconijs poterit quisquam Deiparam laudare? Profectò Dei genitricis laus, honor, virtus, & gloria omnium, haud dubiè, & filiarum Sion, & Reginarum conatum, atque admirationem vincunt. Quod narrando insinuare non valuerunt, hoc saltim admirando subindicant: *Quæ est ista?* Laudis est summa, rei sublimitate victum oratorem, in stuporem conuerti, qui eriam sic victus nonnunquam plura tacens loquitur, quàm exprimere dicendo potuisset. Singula penitiùs rimemur, oportet. *Quæ est ista, quæ progreditur?* quæ non decidit, nec iacet per culpam, sed statim *progreditur*. Et quod dicimus, vt luce clarius euadat, audiamus sequẽtia, *quasi aurora consurgens*. Aurora lux est, tenebras quasuis exterminãs, ac semper crescens vsque ad perfectũ diem. Sic Virgo benedicta legis antiquæ limes, & Euangelij in sua conceptione ab omni prorsus labe aliena, & luciferum Ioannem, & ipsum solem iustitiæ, progrediendo præcurrẽs, abijsse noctem indicat, & salutis diem, excussis impietatis tenebris, protinus aduentare. Quæ insuper *pulchra vt luna* scribitur, immo pulchrior, quã luna. Nimirùm quæ à die natiuitatis vsque in seculum deliquium lucis non sentit: sed multiplicibus virtutũ incrementis, & superni solis inocciduis splendoribus radiatur. Nam hæc est luna perfecta, & testis in cœlo fidelis. Sequitur: *Electa, vt sol.* Ratio, quia sole amictam in Apocalypsi eam depingit Ioannes. Nec nomen solis ipsa abhorret, cum in Psalmo scriptum sit: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam spon-

Cant. 1.

Psal. 22

Psal. 88

Apo. 12.

ſponſus procedens de thalamo ſuo. Nonne inſtar ſolis ipſa luxit naſcendo, & in cœlos aſcẽdendo? Nempe quotidie ſanctitate, obediẽtia, & humilitate, ac pietate, cæteriſque id genus uirtutibus mirũ in modum irradians, vniuerſam orbem illuminat, cordaque noſtra inflamat. Hinc *terribilis* dæmonijs facta, contremiſcunt, dum audiũt: Virgo MARIA, ſancta Dei genitrix adiuua me. Quid plura? Hæreticis, & infidelibus *ceu acies ordinata* ſemper fuit. Nec mirũ, ſi mẽbra iniqua nunc perimat, quippe quæ caput eorũ Sathanã in ſua immaculata conceptione, apprime, ſummo adiuuante Deo, contriuit. *Geneſ. 3* Fœlix quippe anima, quæ Virginis almæ viam ſectatur, & veluti aurora conſurgit. Hæc ſanè à tenebris delictorum ad *Iſai. 26.* lucis ſanctitatẽ abſcedit, dicente Eſaia: Diluculo ſurgit ſpiritus meus ad te Deus meus. de inde à magnis profectibus virtutũ ad aptiores probitatis gradus aſcendit, per amplioré diuinæ gratiæ cumulũ. Poſtremò in die iudicij relicta caligine, atque putredine peccatorum, & mortalitate carnis, immortalitatis lumine, & æterna claritate veſtietur. Huc pertinet illud *Matth.* Saluatoris verbum: Fulgebũt iuſti, ſicut Sol, *13.* in regno patris eorum. Tunc planè vnaquæque anima beata fortis erit valde, ac per omnia ſimilis aciei caſtrorum ordinatæ.

EX CAPITE SEPTIMO ANNOTATIONES, Pro Præſentatione, & Aſſumptione beatæ MARIÆ, vel pro Purificatione.

Annot. trigeſima tertia. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui filia Principis!* Cant. 7. Sponſus pieriſque titulis honorat almam Virginem, vt nos eã venerantes toto affectu collaudemus. Maluit Chriſtus de ſuo ortu, quàm de matris ſuę pudore, & virginitate dubitari, vt quàm optimè notat Am- *S. Amb.* broſius, idque magnopere aduertendum, nemo eſt qui ambigat. Nonne ſororem, ſpõſam, amicam, & columbam in ſuperioribus MARIAM appellauit? Nũc verò Principis filiam illam vocat, eò quòd ex ſemine Regio, & Da- *Matth.* uid filia ſit. Alioqui mulier Cananea in præca- *15.* tione ſua nõ diceret: Ieſu fili Dauid, miſerere mei, & Paulus ait: Qui factus eſt ei, ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Sed quorſum nõ dixit huius Principis, aut illius? Nempe ſuo colore depictam eam ſcribit ſponſus, quia genitrix eius eſt, qui iure Rex regum, & Dominus dominantium vocatur. Obſeruandum, quòd admirando ſic ait: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* Calceamẽta nedum à luti immerſione defendunt, ſed à quauis iniuria, vel iactura pedes munĩũt. Equidem Virginem cœlitus acceptæ prærogatiuę ab omni incommodo protegebant. Eam ob rẽ in his calceamẽtis pulcherrimi ſunt virtutum greſſus, ac profectus. Talibus itaque calceamẽtorum præſidijs Virgo ſancta fulta, omnibus facta eſt diſciplinæ canon, virtutis forma: ita vt oculos intuentium raperet, raptos ſanctæ æmulationis calcaribus excitaret, & in ſeſe Sanctos imitationis igniculos excuteret. Mira res, operando potiùs, quàm docẽdo ſalutis fundamenta iaciebat: certè certiùs ſciens, opera plus habere acrimoniæ, & efficaciæ, quàm verba. Nimirum hæc mulier fortis eſt, de qua *Prouer.* Salomon inquit: Manum ſuam aperuit inopi, *31.* & palmas ſuas extẽdit ad pauperes. Quis tam inops fuit vnquam, vt filius Dei, qui cum eſſet diues, inops factus eſt, vt eius inopia nos diuites eſſemus? Hunc inopem ſacra Virgo in diuerſorio peperit, pannis inuoluit, lacte ſuo virgineo lactauit. O ſtupenda res, panem Angelorum, & totius mundi creatorem, atque moderatorẽ mater benedicta cibauit. Palmas inſuper ſuas extendit ad pauperes, vbi Patri cœleſti Chriſtum Ieſum ſponte obtulit, tum in templo, tum etiam in cruce, pro noſtra ſalute, & redemptione. Dum ergo puella ſanctiſſima abijt in templum, & parentes eius eam detulerunt, pulchri vehementer erant greſſus illius. Itidem quãdo viſitauit Eliſabeth, & Ioãnes ſanctificatus Spiritu Sancto fuit repletus, decori valde greſſus Virginis habiti ſunt. Itidem quando brachijs ſuis portauit puerum benedictum, vt ſiſteret illum Domino in templo, ſpecioſi erant matris puriſsimæ greſſus. Nos denique, calciati in præparatione Euan- *Epheſ. 6.* gelij pacis greſsibus pulchris, viam mandatorum Dei curramus, currenteſque eò nitamur, vt brauium æternæ gloriæ comprehendamus.

VIRGO SANCTA MORTEM FILII ſui vbique contemplabatur, & ſacrum, eius ſanguinem oũ oculos habebat.

Annot. trigeſimaquarta. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis iuncta canalibus.* Cantic. 7. Dixerat nuperrimè ſponſus: Caput tuũ, vt Carmelus. Quia caput MARIÆ Chriſtus Ieſus eſt: immò omnium hominum, & Angelorum Saluator caput dicitur, à quo veluti à capite omnis pulchritudo, & gratiæ copia dimanant, dicente *S. Tho. 3. p. q. 8. art. 4.* Ioanne: De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Rurſus Apoſtolus nos admonet. Ipſe eſt caput noſtrum, noſque membra eius. O quàm nobile, quamque glorioſum caput habemus! vtinã talis foret vita noſtra, taliaque opera, vt ſimilia eſſent, dignaque tam præcelleti capite. Væ qui vt degeneres, non huic capiti per charitatem vniti, ſed Sathanæ membra ſunt, quique caput eſt ſuper *Iob 41.* omnes filios ſuperbiæ. Ecce quò demẽtiæ heu deuenerint improbi homines, vt ſpreto Rege gloriæ, & pacis Principe Chriſto, draconi Sathanæ ſponte obedire, haud erubeſcunt! At cõtra, ſacra Virgo MARIA ſemper caput hoc nobiliſsimum habuit, & ei fide integra, ſpe firma, charitateque flammigera adhæſit. Quam ob cauſam illi dictum eſt: Caput tuum vt Car-

melus, qui mons frugiferus est, & gregibus vberrima pascua præstat. Nũc sequitur: *Comæ capitis tui sicut purpura Regis, tũcta canalibus.* In canali regia vestis purpureo colore accuratiùs insignita, & regi ornamentũ, & artifici gloriã, ac commendationem cõciliat: Ita & qui lauerũt stolas suas in canalibus vulnerũ Christi Iesu, iuxta illud: Ij sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt, & dealbauerũt stolas suas in sanguine agni. Et quia alma Virgo pro virili sua diu, noctuque, necé filij sui meditabatur, atque cogitationes cordis sui in sanguine pretioso Saluatoris versabantur: ideo comæ illius purpuræ regali iure assimilantur. Fœlix anima quę tali coma decoratur, vt iã fusiùs in commẽtarijs nostris locum hunc exponentes indicauimus. Felix inquam mens pia, quæ filum, vel funem coccineam in fenestra domus suæ appendit, semper Christi sanguinem contemplans. Profectò vt tota domus Raab à gladio libera euasit, sic pia anima meditationi sanguinis Christi addicta nusquã peribit. Par ergo ergo erit, vt posthac vtrumque postẽ sanguine agni peccata mundi auferẽtis liniamus, veluti Deus optimus olim præcepit, vt coma nostra, sicut purpura Regis sit, canalibus iuncta, hoc est, vulneribus Saluatoris vincta. Hoc salutare dogma Apostolus nobis præbet dicens: Recogitate eum, qui talẽ aduersùs semetipsum ab inimicis sustinuit cõtradictionem, ne fatigemini animis vestris deficientes. Ni fallor singula Pauli verba nõ vulgarem emphasim habent. Cæterùm tunc Virgo sancta comam capitis sui, vti purpurã Regis iunctã canalibus, habuit, cùm (vt Ioannes testatur) stabat iuxta crucem. Inibi sacrũ cruorem Christi pendentis suscipiebat, ita vt velamina capitis, & pallium sanguine illo pretioso rubricata fuerint. Quis obsecro tã laxeus, tamque ferrei cordis, qui hæc recolens, non cõmoueatur, & in lachrymas non resoluatur? Equidem adamante ipso durior sit oportet, qui cũ Deipara MARIA non abundè fleuerit, videns sanguine filij sui rubricatam, & sicut concham tam pretiosi balsami effectam.

Apoc. 7

Nota.

Heb. 12.

Ioan. 19

VIRGO SANCTA CRVCEM filij sui conscendit.

Ascendam in palã, & apprehẽdam fructus eius. Cant. 7. Si Paulus Apostolus magna charitate succẽsus, tam fuit affectus ad amorẽ Sanctæ Crucis Christi Iesu, vt tã corde, quàm ore diceret: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, quid de Virgine Deipara dicemus, quæ vnicè, & longè maiori charitate Christum Iesum, amabat? Proculdubio videns Saluatorem, fructum benedictum vẽtris sui, in ligno crucis pendentem, virtute Spiritus Sancti roborata, toto corde dicebat: *Dixi ascendam in palmam*, hoc est, in crucem, *& apprehendam fructus eius.* O verbum mirabile, & magno mysterio refertum nimirum Christifera Virgo MARIA penitiùs crucis sacramentum contemplans, sub ignominia crucis gloriam latitantem agnoscebat: quas ob res ascendere decreuit, alludens ad illud Christi verbũ: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum. Vbi exaltationẽ honorificam mortem suam probrosam appellauit. Equidẽ (vt pulchrè Propheta cecinit: Dominus regnauit à ligno) huius rei veritas patescit, quia in cruce obiens Sathanã potẽter vicit, limbum expoliauit, cœli ianuam fidelibus aperuit, & gloriam, ac immortalitatẽ sui corporis promeruit. Vnde discipulis in Emaus euntibus dixit: Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Nempe hìc de gloria animæ nullatenus Dominus loquitur, quippe quam absque merito ab instãti suę conceptionis possedit. Superest, vt de gloria corporis sit sermo, quam induit consummato passionis suæ agone, tertia die è tumulo gloriosus resurgens. In hanc venustam palmã sacra Virgo ascendit, quando proprijs oculis cruci affixum vnigenitũ filiũ suum inspexit. Equidem ijsdem clauis mater benedicta confixa erat cruci per compassionem, quibus Christus suspensus tenebatur. Nam caro virginea Saluatoris caro virginis immaculatæ erat. Quid quòd ferrei claui, qui manus pedesque Christi Iesu perforabãt, cor tenerũ MARIÆ, & viscera eius atrociter sauciabant? Obmutescit lingua, hæret intellectus, profundè considerans martyrium benedictæ Virginis, quod perpessa est in morte Christi. Sanè quis scire poterit ineffabilem amorem, quo Domina mũdi Iesum filiũ suum diligebat, is, & non alius, pensitare valebit, quanto mœrore, in nece Saluatoris illa affecta fuit. Hinc meliùs quàm Apostolus ipsa dicebat: Christo confixa sum cruci. Ascendamus, obsecro, & nos cũ Regina nostra in hanc pulcherrimã, & semper virentẽ palmã, vt fructus saluberrimos illius apprehẽdamus, patientiam, humilitatem, charitatẽ, & benignitatẽ, cæteraque virtutes, quæ nimirũ in mysterio crucis apprime resplendent. Lignum vitæ est, & in ipso pendet, qui est via, veritas, & vita. Qui mori trepidat, arborem vitæ conscendat, & vita fruetur æterna.

Annot. trigesimaquinta.

Galat. 6

Gala. 2.

Ioan. 14

QVAM INGENTI AMORE vicissim se dilexerint Virgo sancta, & Christus eius filius.

EGo dilecto meo, & ad me conuersio eius. Cant. 7. Semper, & vbique filius Dei Christus Matri suæ benedictæ exhibuit, quod parentibus omnibus præstãdum legis edicto ipse præceperat. Potissimè autẽ migraturus ad patrem, maiora signa dilectionis ei ostendit. Itaque sicut discipulos in finem magis dilexit, ideſt, potiora symbola amoris indicauit: ita & matrem suam inclytam, tunc impensiùs amauit, honorauit, atque commendauit.

Annotatio trigesima sexta.

Sed

Sed bone Deus, qualem obsecro in ipso amarissimæ passionis articulo fuisse putamus matrem tenerrimam, matrem generosam vnigeniti, innocentissimi Christi Iesu, cùm vnigenitum suum prophetam eximium, Deum verũ, sponsum, & filium vnicum conspiceret, sic ab impijs tractari? Quid inquam in corde suo virgineo sentiret, dum cerneret talem, ac tãtum, sanguineo sudore madidum, captum, concussum, consputum, colaphizatũ, illusum, flagellatum, spinis coronatum, morte tam crudeli addictum, sub crucis immenso pondere fatiscentem, & vti leprosum, non habentẽ speciẽ nec decorem, in cruce diu agonizãtem? Miror quidem, quòd inter tot agones constituta, nõ exhalauit animam. Verùm hæc fortis mulier *Prouer.* 31. est, quam delineauit Salomon multis retrò seculis: cuius pretiũ de vltimis finibus: cuius lucerna in nocte calamitatis huius nõ erat extinguẽda; sed fides quò magis calamitatibus quatebatur, eò magis splẽdebat, corruscabatque. Vnde non perinde, atque emortua iacebat, neque veluti exanimis sedebat, sed Ioanne testante, in Caluario infracto animo, iuxta crucẽ stabat, & stans dicebat: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Notandũ, quòd trũcatus, & incompletus est sermo, nam reliqua surripuit doloris excessus. *Ego* (ait) *dilecto meo.* Mira res, inter tot agones de delicto tantùm cogitat, & de illo dumtaxat loquitur. Sed quid tu illi mater prudentissima? Num contra læden- C tes præsidio, aut cõtra insurgentes subsidio illi fuisti? *Nota.* Quid inquã tu illi Virgo benedicta? Sed iam Ioannes loquatur, quod tu dolore immodico affecta taces. Filius subrogatus enarret nobis, quid tu dilecto filio tuo? Stabat (inquit) iuxta crucẽ mater eius Stabat igitur mater Iesu, & pendenti filio in cruce cõtristatissima assistebat, pendebat ille mœrens, & moribundus, ipsa verò iuxta crucem stabat, nõ modò corpore, sed mirabili mentis cõstantia inter furentes Iudæos, tumultuantes carnifices, & inter Pharisæos, ac Sacerdotes insultantes. Stabat præterea fidei integritate, charitatis igne succensa, morum, ac gestuum honestate, atque virtutum omnium culmine insignis, à fixo æquanimitatis gradu, ne digito quidẽ emo- D ta. Stabat inquam, nõ vti discipuli, fugiebat, non vociferabatur, aut capillos cum veste laniebat, nec aliquid indisciplinatum, aut fœdũ in se admittebat. *Ego* (ait) *dilecto meo*, stabam pendenti, & compatiebar patienti, lachrymarum vnda circundata, & dilectus meus mihi. Quid ille tibi, ò mater benedicta? Nempe *ad me conuersio eius.* Acerbissimus dolor patientis, acerbissimus, & matris compatiẽtis. Fuit enim ibi reciproca alternatio cõpassionis, sub indeque doloris concursus mutuus, talis, ac tãtus, vt dolorem primariũ vincere nonnunquã posset. At enim quando ad eã hæc Christi conuersio, nisi vbi vidit eam sub cruce stantem, & A discipulum quem diligebat? Audite cõuersionem dilecti ad dilectam matrem. Mulier ecce filius tuus, & rursus ad discipulũ: Ecce mater *Ioan.* 19 tua. Ingentiè fateor, quòd quicquid mater inclyta in toto vitæ cursu asperũ passa est, cẽtuplatum filius compassione motus patiebatur. Perpendens ergo Iesus hasce suauissimæ ma- *Nota.* tris præsuras, & cruciatus minimè non vulgares, pijssimus filius, quali putamus vicissim compassionis gladio percussus est? O Deus, quæ nã lingua exprimere? quæ mens concipere? aut quis intellectus capere potest doloris illius magnitudinem, violentiam, & atrocitatem, quam de matre intacta dilectus filius pertulit? Nempe plus de calamitate matris, quã B de peculiari passione Christus cruciabatur. Benè conuersio dilecti ad matrem, quia quasi sui doloris oblitus, nititur dilectã matrẽ consolari. Ecce filius tuus mulier sancta, mulier immaculata. Nos almã Virginem imitantes, quauis calamitate aduentãte, fide perfecta, & charitate ingenti stemus, nullatenus succumbẽtes. Non crucis probra timeamus, sed iuxta *Dogma.* crucem Domini perseueremus, dicentes: *Ego dilecto meo* Christo Iesu, *& ad me conuersio eius.* Ille vtique, vtpote parens beneficus non deseret nos vnquam, quin potius ad nos conuersus misericordiam suam abundè nobis impendet, fidelis est, & non permittet, nos tentari vltra id quod possumus, sed vt probè ait Paulus, faciet cum tentatione prouentum.

VIRGO SANCTA IN CORDE suo cuncta Christi opera seruat.

OMnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi. Cant. 7. Virgo benedicta, quæ *Annot. trigesimaseptima.* cuncta verbi Christi in sacro, ac mundo corde suo seruabat, inibi cõferens opera mirifica, tũ pastorum, tũ Regum puerũ Iesum adorantiũ, solerti cura Saluatoris gesta custodiebat, adeo vt neque vnum obliuioni traderet. Ipsa ergo perinde atq; gratulans filio suo benedicto nũc ait: *Omnia poma noua, & vetera seruaui tibi dilecte mi.* Equidẽ pomis lõgè, lateque fragrãtibus pulchrè Christi illustria facinora cõparantur, sunt quidẽ nedũ visu pulchra, sed etiã gustu suauia, insuper vehementer odorifera. Verùm quicquid in hac calamitosa vita triginta tribus annis degens Dominus patrauit, quicquid ore suo sacro deprompsit, instar pomi pulcherrimi fuit. Nempe si altiùs incarnationis arcanũ, circunciſionis mysteriũ, præsentationis suæ opus expendamus, aliaque id genus opera fidei oculis inspiciamus, poma valdè decora sunt ex amœnissima paradiso, non terrestri, sed cœlesti horto allata. Hæc sanè poma tam pulchra, tamque decora Prophetæ contemplantes, mirum in modum ea degustauerunt. Vnde quidam eorum spiritu Dei afflatus exclamauit: Mirabilia opera *Ps.* 138 tua Domine, & anima mea cognoscet nimis.

Alius velut demiratus dixit: Consideraui opera tua, & expaui. O rem mirabilé! poma istæc tantæ virtutis sunt, vt nunquam marcescant, nunquam fragrantiam, aut pulchritudinem suam amittant. Quin quandiu mundus subsistet, Christi Iesu magnalia cunctis fidelibus fauo ipso dulciora erunt, & sole pulchriora. Immo in cœlesti curia omnes cœli ciues decantabunt canticum illud Mosi, vno ore, vno
Exod.15 & corde dicentes: Cantemus Domino gloriosè, magnificatus est vehementer, equum & ascensorem proiecit in mare. Sed ad rem, gloriosa Virgo tota sui intellectus indagine gesta filij sui expendens, hoc est, opera, quæ patribus veteris testamenti, tanquam dona pretiosa Dominus præstitit, poma vetera ea appellat, pro quibus grates ingentes ei agit. Sanè omnes transeuntes mare rubrum baptizati
1. Cor. 10. sunt, vt Paulus pulchrè exponit, nec non de petra aquam bibentes, petra illa typum Saluatoris gerebat, nam petra autem erat Christus. Cęterùm præcellentia Christi opera, pro totius mundi patrata, inclyta mater contemplans, poma noua illa nuncupauit. Vnde non modò vetera poma, sed etiam noua seruare asserit, ceu pro omnibus gratias inexhaustas reddens dilecto filio suo. Vel si lubet, Gentiles denuò ad fidem Christi conuersos noua poma dicit, Iudæos autem, qui in Christum verum Messiam crediderunt, vetera nuncupat. Vel potiùs eos, qui ante passionem propter miracula, & cœlestia Christi dogmata mundum reliquerunt, vetera poma, illos verò, qui ad agnitionem fidei post Christi necem deuenerunt, noua fore cõtestatur. Hos omnes Virgo sancta Christo seruauit, verbis, & exemplis eos roborans, ne fidem, & charitatem, quam semel Domino opitulante acceperunt, perse-
Dogma. cutione dira ingruente, amitterent. Nos ergo, si filij tantæ matris, & non nothi sumus, eius exemplum imitemur, oportet. Seruemus vetera, & noua poma Saluatori nostro, tum pro impensis beneficijs priscis patribus à Deo impensis perpetim gratias reddentes, tum pro donis in opere redemptionis, quæ noua poma sunt, pro virili nostra Deum optimum laudantes. Alioqui ingratitudinis noxa nos inuoluet, quæ læthalis pestis est, miserè animas enecans.

A

B

C

D

EX CAPITE OCTAVO ANNOTAtiones, Alma MARIA vinum amoris dare filio dilecto spondet.

IBi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Cantic. 8. Ordo pulcherrimus
Annotatio trigesima octaua. profectò, vt sponsus doceat, sponsa virgo operetur: ille beneficiũ, ipsa obsequium: ille gratiam largiatur, illa meritis respondere contendat. *Ibi me docebis*, hoc est, dum te in cubiculum genitricis meæ introduxero, ita vt iam super omnes choros Angelorum ad dexteram Patris sederis, emittens spiritum tuũ in Apostolos, docebis me, iam completum esse, quod scripturis sanctis, & verbis oris tui ante docueras. *Ibi me docebis*, non quasi horum ignaram, sed doceri me credo, quãdo per alumnos multa fidelibus reuelasti. Itaque immaculata Virgo, quod Spiritu Sancto plena didicerat, hoc experiẽtia reipsa cognouit, Spiritu Sancto aduentante, & discipulos gratia sua replente. Nunc sequitur. *Dabo tibi poculum ex vino condito*, hoc est, aromate compositum. Obseruandum, quòd non dixit, dabo tibi vinum dũtaxat, sed addidit, ex vino condito, ne putaretur de vino ad legis acrimoniam inuitasse spõsum dilectum. Est autem vinum conditum, vt ambrosia cor hominis lætificans, & pio labore æstuantem, mirè confortans, legis Euangelij gratia. Cuius pluspuam nectarea suauitate mater pia in pigmentariæ cuiusdam peritissimæ vocem, maxime suscitatum Saluatorem, & festiuiùs apparentem, potauit in membris suis, quando ad eius laudem & gloriam nunc Apostolos, nunc Euangelistas, nunc discipulos, & reliquos omneis recenter conuersos, de legis austeritate per Christum passum exhausta, & de promissorum fide, & de prophetarum omnium adimpletione plenius imbuit. Denique quando de Sacramentorũ efficacia, quando de legis Euangelicæ mansuetissima verè- que mellitissima erudiuit lenitate, clementia, & facilitate, tunc poculum dilecto dedit ex vino condito. His ergo virgo pigmentaria alijsque multis fidelium mentes inflammauit, inebriauitque, & ad filij sui singulare solatiũ pertraxit. Quid multa? non paucos maxime Ecclesiæ Prælatos eatenus fouit Virgo immaculata, instruxit, roborauit, & in fide confumauit, vt morte propria Christi necem, & resurrectionem asserere, & sui sanguinis effusione largissima patientis, ardentissimam charitatem imitando, recreare, nullatenus dubitarint. Eam ob causam, adiunxit, *& mustũ malorum granatorum meorum.* Verùm (vt supra dictum est) mala granata splendentibus granis, & mirifico ordine digestis sunt plena, ideo sanctorum congregationes indicant, & potissimè Martyres significãt. Horum verò mustum odoriferum, & deuotionis magnitudine supra modum efferuens, mysterium adumbrat perfectæ fidei illorum: quippe qui à diuino amore succensi gratanter ad martyrij palmam cõuolabant. Hoc vel maximè Prælati faciebant, *Prælati.* quorum interest, nullis persecutionibus superari, sed pro ouibus animas ponere, vbi tempus exegerit, Domino dicente: Bonus pastor *Ioan. 10* animam suam dat pro ouibus suis. Hoc itaque mustum Christo Deipara toties obtulit, quoties illos monitis suis, & exemplis precibusq; ad amplectendam martyrij coronam confortauit. Nos etiam beatissimæ Virginis gestus se-

Nota.

Nota.

sequuti, dilecto poculum ex vino cõdito præ A
beamus, fratres nostros inopes eleemosynis
subleuãtes, afflictos verbis, & monitis sanctis
roborantes, ne fortè succumbant: certo certiùs
scientes, quòd ore suo Saluator testatus
Matth. est: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi
24. feciſtis. Ad hæc, mustum malorum granatorum Saluatori demus, corde cupientes pro amore eius sanguinem effundere, vitamque in confessione sacræ fidei exponere, quemadmodum Petrus, & Paulus, alijque sancti nobis exemplum reliquerunt. Equidem nõ gladio, aut igne. Diuus Ioannes Christi dilectus obijt: veruntamen pálmam martyrij obtinuit. O nos fœlices, si diu noctuque hoc mustum Christo Iesu præbemus, vehementer B
pro illius amore mori desiderãtes! Equidem hoc feruens desiderium magni meriti est apud sponsum beneficum Iesum.

VIRGO BENEDICTA INTER brachia dilecti filijs sui in hoc exilio quiescebat.

Annotatio trigesima nona.

Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cantic. 8. Neutiquam hic delineatos corporis artus intelligamus, oportet, nam spirituale est omnino, quod geritur, non corporale. Sanè ad læuam dura, & immania pertinent: vnde aduersantia omnia sinistra rectè appellamus: prosperitas verò dexteræ nomen sibi vendicat. Hinc Saluatorem nostrum in cœlis ascendẽtem in dextera Patris sedere, fide integra confitemur, hoc est, in excellentioribus bonis Patris cœlestis. Quam igitur Christi Iesu læuam dixerim, nisi frigus, æstum, famen, sitim, frequẽtes vigilias, labores, anxietates plurimas, insectationes, maledicta, flagra, crucem, & vt semel dicam, atrocem & ignominiosam mortẽ? quæ omnia, & alia id genus, Saluatore resurgente, Virgo sanctissima sub capite suo virginali substrata habebat, vt in illis indormire secura iã posset. Atqui, dilectus filius resurgens, & immortali vita fruẽs, adeo vt ampliùs, mors ei non dominabitur,
Rom.6. vt probè ait Paulus, dextera sua matrem amplexabatur, lætitiam inenarrabilem cordi D
matris benedictæ perfundens. Quis obsecro verbis consequi valeat, quàm ingẽti gaudio alma MARIA fuit affecta, vbi dilectũ filiũ vidit sole ipso fulgentiorem, stola immortalitatis indutum, Sathanæ, & mortis victorẽ? Tunc inclyta mater cum Propheta Regali
Psal.29 cecinit: Conuertisti fili mi planctum meum in gaudium mihi, concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia. Itidem cum Ia-
Gen.46. cob, vidẽte Ioseph regnare in tota Ægypto, benedicta Virgo lætabunda clamauit: Iam læta moriar, quia vidi faciem tuam. Equidẽ Saluator totus festiuus, cum multiplici sanctorum agmine comitatus genitrici suæ primò apparuit. Sic enim decebat, eam, quæ viuentem ardentiùs dilexerat, præferri, & quæ priùs, & amplius passionis eius gladio medullitus transfixa morienti condoluerat, primam consolari. O nimiùm fœlix anima, quæ in hoc exilio carneo carcere inclusa, indefessè ait: Læua sponsi mei vnicè dilecti Christi sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Inter brachia Saluatoris mei quiesco, & inibi obdormio, temporaria bona paruipendens: austeritatem vitæ eius, probra, & cruciatus mortis illius, ceu ceruical, sub capite meo habeo: frequenter crucem eius contemplans, immò cum Paulo aio: Christo cõfixa sum cruci, in qua pendens, qui vitæ est
auctor, quasi in aurem meam loquitur: Re- *Tren.3.*
cordare paupertatis meæ, transgressionis, & absynthij, & fellis, ad quem ego: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Hæc recolens in corde meo, in Deo sperabo. Enimverò si nos amoris vicem Christo impendẽtes, lęuam eius sub capite habuerimus, labores omneis, quos pro nobis immeritis sponte ille pertulit, triginta tribus annis mortalẽ vitam agens, toto corde expenderimus, dextera illius amplexabitur nos. O quibus delicijs perfruitur, qui ob oculos semper, & vbique agones Domini contemplatur! Hunc libenter amplexatur Christus, solatur eum in quauis calamitate, tutaturque
illum, ne Sathanas, mundus, aut caro quic- C
quam mali ei inferre queant, nec non fabula vitæ præsentis peracta, quia læuam Domini sub capite habuit, dextera eius amplexabitur illum, inter Angelos collocans. Sicut scriptũ
est: In dextera eius longitudo dierum, & in *Prou.3.*
finistra eius diuitiæ, & gloria.

Nota.

PRO ASSVMPTIONE ALMÆ Virginis MARIÆ.

Annotatio quadragesima.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, enixa super dilectum suũ? Cant. 8. Tam fuit alma Dei mater summi numinis gratia afflata, & amoris dilecti sui filij igne succensa, vt semper ascenderet cor eius sursum, toto nisu cœlestem Hierusalem D
contemplans. Siquidem cum Dauide ipsa iubilans frequenter concinebat: Stantes erant pedes nostri, in atrijs tuis Hierusalem. Non vtique de Hierosolyma terrestri hæc dicebat, sed de illa, quæ viuis lapidibus cõstructa sursum est, quam Apostolus pulchrè matrem nostram vocat, à quouis tributo liberã, cuius participatio in idipsum constat. Mirabantur itaque Angeli, videntes sanctam Virginem, adhuc mortali corpore circundatam, nihilominus mente semper super cœlos eleuatam. Eam ob causam inuicẽ interrogantes, aiunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa supra dilectũ suum?* Verùm inter tot labores, & prope modũ innumeras

ca-

calamitates Beata Virgo magnis delicijs spiritalibus fruebatur: Nam si Apostolus amore Christi Iesu roboratus inquiebat: Superabũdo gaudio in tribulationibus meis : quid de
2. Co. 1. sacra MARIA dicemus, cuius charitas lõgè prẽstantior erat? Dubio procul sic vitæ actiuæ operam dabat, vt nunquã contemplationẽ disereret: sic cõtemplationi vacabat, vt actiuæ vitæ officia minimè relinqueret. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Ecce prima ratio, ob quam Angeli obstupescunt, vbi desertum, mundum hunc tribulis, & vepribus plenum meritò appellant. Et vt summatim dicam, mundus hic desertum est bestijs fremen tibus plenum, feris immanissimis exuberans. De hoc ascendebat Virgo inclyta, indefessè B orationi dedita. Secundò mirantur Angeli, quòd innixa super dilectũ filium ascendat. En cuius virtute in oratione mens nostra ad su-
2. Co. 3. peros volitat. Nimirũ à nobis aliquid cogitare, quasi ex nobis nõ possumus, quin & sufficientia nostra ex Deo est, teste Paulo: Huc at-
Ioan. 17 tinet, quòd ore suo sacro Saluator Apostolis dixit: Sine me nihil potestis facere. Satis superque paulò ante de Assumptione Virginis tractauimus, exponentes illud: Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, quæ omnia huic loco deseruiunt. Ascendit ergo MARIA nedum per contemplationem, quoad vixit, verùm etiam ascendit de deserto squalenti, hoc est, de hoc calamitoso mundo, corpore glorificato, super omnes Angelo C rum choros sedens. Ascendit inquã coruscо omnium virtutum apparatu circunfulgens, ac plusquã regalibus affluens delicijs. Raptim fertur ad patriam, non cunctatur, nec retarda tur, quia innititur super dilectum suum filiũ Dei Christum: à quo mirabiliter exaltatur, per quem triumphat, ac perpetim regnat. Cæterùm Angeli admirantur, quoties cuiusuis fidelis animam intuentur, ascendentem de sacro baptismatis fonte, Spiritus Sancti gratia lotam, mundam, ac firmam, nullam habentem
Nota. maculam, nec rugam, sed sole ipso fulgentiorem. Denique quoties visibilibus rebus spretis orationi instamus, & pro virili nostra ter D ram illam viuentium fluentẽ lacte, & melle fidei oculis lustramus, toties cœlestes illę mẽtes stupefactæ dicunt. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens?* Huc pertinet
Psal. 30 illud: Ego dixi in excessu meo, non mouebor
Phili. 3. in æternum. Itidem Apostolus ait. Conuersatio nostra in cœlis est. Vtinã ipsi delicias experiamur, quibus tunc pij homines potiri solent. Enimuero nos continere non potuissemus, quominùs cum Regali Propheta corde,
Psal. 39 & ore diceremus: Quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te? Ascendamus ergo de hoc deserto, ascẽdamus inquã corde cum Virgine benedicta semper orantes, vt in optato resurrectionis A die innixi super Christum Iesum glorificato corpore conscendamus. Væ autem, quia nostrapte natura sic fragiles sumus, terrenis atque caducis rebus obnoxij, & vndique versùm impliciti, vt nec orantes mentem ad ætherea bona eleuemus: sed tanquam miseri statim ad ima labascimus, & per infirma infirmamur. Supernorum delibatio si forte aliquando euentat, quamuis rara hæc auis in terra, si quid tamen contingat, aut aspirare delectet, ascendentes instar fumi subinde euanescimus, & heu in ipso conatu deficimus. Quam ob causam Virginis inclytæ interuentu magnopere indigemus, quo misertus nobis Christus Iesus, qui figmentum nostrum prorsus nouit, manum porrigat, visitansque nos ex alto, vir tutẽ impendat suã: quatenus, etsi à longè, ve stigia matris suæ benedictæ sequamur. *Psl. 101.*

DE MAGNA, ET ADMIRANda humilitate Virginis.

Soror nostra paruula est, & vbera non habet. Cantic. 8. Trinitatis sanctissimæ vox hæc est, humilitatem sacræ Virginis vehementer commendantis. Superiùs in commentarijs nostris locum hunc de sancta Ecclesia exposuimus, quippè quæ paruula erat, dum Saluatore ascendente in cœlum, Apostoli, & discipuli congregati in cœnaculo Sion, vbi Dominus tot mysteria patrauit, in vltima cœ C na, non audebant magnalia Christi Iesu loqui. Itaque vbera prædicationis, & miraculorum haud habebant. Immo clausis ianuis ob Iudæorum metum, orationi vacabant: sicuti fusiùs Lucas in Actis Apostolorum narrat. *Act. 2.* Atqui Spiritu Sancto aduentante, & illos gratia eius roborante, vbera Ecclesiæ sanctæ adeo creuerunt, & vsque adeo fœliciter Verbum Dei cum fiducia prædicare Apostoli cœperunt, vt ad vnius Apostoli Petri classicum priùs tria millia, deinde quinque millia conuerterentur, & suaui Christi iugo ceruices, qui nuper rebelles fuerãt, supponerent: ij omnes vt Christum lucrifacerent, perindè quasi stercora cuncta reputantes, Christo adhæserunt. Et quoniã Virgo sancta nec palam docebat, nec egregia miracula operabatur, ideo paruula vocatur, vbera non habens. Loquitur ergo sanctissima Trinitas secundùm vulgi æstimationem: nam apud vulgus imperitũ parui æstimabatur, & vt vxorẽ fabri eam habebat populus. Quod humillima Virgo gaudenter ferebat, magnopere cupiens, soli Deo placere, cui à cunabulis prorsus se dicarat, ac deuouerat. Certè si de gratia, virtutibus, aut sublimioribus prærogatiuis esset sermo, nemo hominum, nec Angelorum Christo proprior, aut illa sublimior inuenitur: quæ charitate, & omnium charismatum donis, à primo suæ immaculatæ conceptionis instanti, ita enituit, vt extra omnem controuersiã cõstet, *Annot. quadragesima prima.*

nedum

nèdũ omnes ſanctos, ſed cœleſtes ipſas mentes excelleret. Nec abs re, cùm omnes Regis ſummi Chriſti ſerui ſint, illa verò mater, atque Angelorũ, & hominum Regina. *Soror noſtra paruula eſt.* Magna, & qua nulla ſuperior, Virginis commendatio, vt Sancti Spiritus ſoror dicatur. Eſt quidẽ ſoror Filij, & ſoror Patris, non naturæ æquilibrio, ſed ſingularis gratiæ operatione. Patris quidem, & Spiritus Sancti, ſolo gratiæ participatu, Filij verò gratiæ, & peculiaris cõmunione naturæ. Quã quidẽ prærogatiuam, & mirabilẽ dignitate pauci admodũ norant. Rurſus parua erat MARIA in ſuis oculis, ita vt nec in cœlo, nec in terra vlla creatura ea humilior inueniri poſsit. Dicebat que illa cũ Propheta: Ludã, & vilior fiã ante eũ, qui elegit me, & ero humilis in oculis meis. O verba aurea, literis aureis inſcribenda, pectoribus noſtris diu, ac noctu verſanda. Vilior fiã, & ero humilis in oculis meis, hoc eſt, non voce ſubmiſſa, non veſte pannoſa humilis apparebo, ſed interne me ipſam deſpiciã: qua in re veſtigia dilecti mei ſectabor, qui ait: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Sanè vt ſuperbia omniũ vitiorũ radix eſt, ſic humilitas quodammodo baſis, ac fundamentum eſt omnium virtutum. Hinc perbellè D. Auguſtinus clamat: Magnã fabricam erigere vis, de fundamento, ideſt, de humilitate, priùs cogita. Summa, quãtùm Deus optimus ſuperbiã horreat, quantùmque humilitatẽ diligat, ipſe palã facit, dicens: Omnis, qui ſe exalat, humiliabitur, & omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Mira res, ſatiſque miranda, cùm alma Dei genitrix apprimè eſſet humilis, nihilo ſecius Angelo dixit: Fiat mihi ſecũdum verbũ tuũ. Vbi humilitas, & magnanimitas non inuicem contradicunt, ſed maximè conueniunt. Ratio, quia humilitas deprimit appetitum, ne tẽdat in magna præter rationẽ rectã: magnanimitas verò animũ impellit ad magna ſecundùm rationẽ rectam. Vnde liquidò comprehenditur, quòd humilitas, & magnanimitas in hoc conueniunt, quòd vtraque eſt ſecundùm rectã rationem. S. Tho. 2. 2. q. 161. art. 1. Quas virtutes, omneſque alias Deipara habuit in gradu heroico. O mirabilem, ac votis ardentiſsimis deſiderabilem virtutem humilitatis! De qua S. Auguſtinus libro de virginitate ſic ait. Humilitas penè tota diſciplina Chriſtiana eſt.

Nota. *2. Reg. 6* *Matth. 11.* *S. Aug.* *Luc. 14.* *Luc. 1.* *S. Tho. 2. 2. q. 161. artic. 1.*

PRO *ANNVNTIATIONE VIRGINIS MARIÆ, & pro Aſſumptione.*

Annotatio quadrageſima ſecũda.

Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam. Cant. 8. Si rectè ſententiam hanc conſiderare volumus, verba ſunt Paranimphi Gabrielis è cœlo veniẽtis ad Nazareth, vbi ſacram Virginem allocutus eſt, & de myſterio incarnationis, quàm multa Virgini reuelauit. Ipſa verò reſpõdente: Quo modo fiet iſtud, quoniã virum non cognoſco? A Gabriel inſtabat, ſuadens illi, vt cõſenſum daret, & ſic mater Dei ſummi fieret. Tũc tacitè Angelus dicebat: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocẽ tuam.* Vnde Auguſtinus: O Virgo benedicta da verbũ, & ſuſcipe verbũ: da conſenſum, & Spiritu Sãcto cooperante Verbum Patris in virginali vtero tuo fiet homo. Equidẽ Virgo ſancta in hortis habitabat, Prophetarũ oracula de Meſſia venturo, vt mũdum redimeret, ob oculos ſemper habens, atque altiùs in corde ſuo illa verſans. Sanè quicquid Patriarchę, & Prophetæ de aduentu Meſsiæ, tum in lege naturæ, tum etiã in lege ſcripta ſpiritu Dei affłati vaticinati ſunt, illis hominibus perſpicaciùs intemerata Virgo intellexit. Hæc vaticinia indefeſsè illa legebat, meditabatur, & cum magna dulcedine contemplabatur, cùm Dauide dicens: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine ſuper mel ori meo! Ecce in quibus hortis pręclara Virgo morabatur, vernantes flores, & rubicundas roſas, liliaque cãdentia colligens. Amici auſcultantes, tum ſancti patres in limbo expectantes redemptorẽ mundi, qui eos liberaret, tum Angeli, qui ſua ingenti charitate mũdi ſaluti optabant, ſunt. Dracho ille funeſtus tertiam ſtellarũ partem ſua cauda traxit, & in baratrũ ſecum detulit. Ideo muri Hieruſalem reſtaurandi erant, ita vt homines ſancti ſedes deſertas in cœlo poſsiderent, iuxta illud: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Siõ, vt ædificentur muri Hieruſalem. Sonuit ergo vox MARIÆ, omni mellita dulcedine ſuauior in aures Gabrielis, vbi conſenſum præbens, dixit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdùm verbum tuum. O rem dictu mirabilẽ: ſubinde Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Rurſus vox hæc filij dilecti ſui eſt, vocat vtique eã, vt relicto hoc laborioſo exilio, cœlos conſcendat. Sanè quandiu vixit, Regina mundi, in duobus hortis habitabat, poſt Chriſti Aſcenſionem: alter erat hortus Gethſemani, in quo Saluator ter orauit Patrem, & tãdem in agonia poſitus, factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis cadentis in terrã, inibique qui Angelorum gloria eſt, cõprehenſus, & funibus alligatus, ſolus relictus fuit, diſcipulis, hac & illac diſperſis, fugam capiẽtibus. In hoc horto Dei genitrix moras trahebat: quã vtinã & nos fideles ſemper imitaremur, gratias agẽtes ei, qui tot agones pro nobis immeritis ſubire dignatus eſt. Alter verò hortus ille fuit, in quo ſepultus iacuit tribus diebus, Ioanne cõreſtante: Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt Ieſus, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquã poſitus fuerat: ibi ergo, propter Paraſcæuẽ Iudæorũ, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum. En in quibus hortis ſancta mater habitabat, cũcta, quæ dilectus filius perpeſſus fuerat in paſsione ſua, ſigillatim contemplans. Quid

Nota. *Pſal. 50* *Luc. 1.* *Luc. 22* *Ioan. 19*

quod

quòd fideles omnes ceu horti florigeri sunt, A mandata Dei summo conatu adimplentes: in quibus nil vanum, nil infructuosum, aut inamenum residet. In his alma mater degebat, delicijsque affluebat magnis, glisçens, ac iubilans, grateſque Deo reddens, quòd homines ad fidem conuersi Christum Iesum corde, & ore verum redemptorem audacter profiterentur: Ex his hortis Virgo sancta vocatur à filio: nam amici sancti, qui cum Saluatore ascenderant, & omnes Angeli magnopere desiderabant Reginam suam in cœlo videre, corpore etiam glorificato. Itaque illa, quæ adhuc viuens habitabat mente in horto cœlesti, assumpta est, vt inibi perpetuò habitet. Et quia de hac mirabili, ac lætabunda festiuitate iam B diximus nonnulla, super illo verbo. Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens? Sit satis hoc vnum scire, quòd ennixa ascendit super dilectum filium suum, quem planè omnes cœli ciues comitabantur ouantes, & dulcisonacantica concinentes, vt par erat, in tam faustissimo festo decantare.

VIRGO SANCTA ROGAT DILECTUM FILIUM, VT CŒLOS OMNES SCANDAT, QUÒ SPIRITUM PARACLITUM MITTAT.

FVge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

Annot. quadragesima tertia. Cantic. 8. Si Rex Dauid tam ardenti affectu Spiritus Sancti aduentum desiderabat, vt incessanter clamaret: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ: multò *Ps. 103.* magis Domina mundi MARIA hoc ipsum cupiebat, videns Apostolos ita pauidos, ac inermes, vt magistro relicto in horto Gethsemani, omnes fugerent. Sed quia optimè ipsa norat, non nisi ascendente Christo, & ad dexterã Patris sedente Paraclitum aduentare, iuxta illud: Si ego non abiero, Paraclitus non ve- *Ioan. 16* niet ad vos, eam ob causam, post eius gloriosam resurrectionem, vbi iam iam per quadraginta dies apparuit, & quàm multis argumẽtis se verè surrexisse probauit, alma mater ea humilitate, qua solebat, dilectum filium precatur, & ait: *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatũ.* Obseruatione dignum est, quòd Apostoli tenerè diligebant Christum, non fortiter, vti sanctus Bernardus testatur, eam ob rem de ab- *S. Bern. super Cant. ser. 20.* sessu Saluatoris plus nimio tristabantur. Ad quos ille: Amen dico vobis, si diligeritis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Et iterum: Expedit vobis, vt ego vadam. Sanè *Ioan. 14* Apostoli Saluatorem amabant, alioqui de illius abitu mœstitia non afficerentur. nihilominus fortiter eum non diligebant: ideo eo comprehenso fugerunt timore mortis perculsi. At benedicta mater, quippe quæ filium fortissimo diligebat amore, non equè præsentiã corporalem eius quærebat, sed fructum de illius ascensione: quare obnixè orabat Christum Iesum, inquiens: *Fuge dilecte mi.* Haud dubiè eam non latebat illud, quod Dominus Apostolis spoponderat: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Allusio est, quòd nunc Deipara Virgo filio suo loquitur, ad illud Dauiticum: Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus, & psallemus virtutes tuas. *Psal. 20* Equidem Apostoli, omnesque discipuli Domini, adeò pauidi erant, vt virtutes Christi Iesu, eiusque egregia miracula minimè nũciare potuissent, donec Saluatore ad Patris dexteram sedente, Spiritus Sanctus in linguis igneis apparuit. Virtute ex alto roborati, vsque adeò fortes facti sunt, vt etiã flagris cæsi clamarent: Non possumus ea, quæ audiuimus, & vidimus non loqui. Ecce quàm sancta, quãque frugifera fuit oratio Virginis benedictæ *Act. 4.* qua orante Saluator in cœlum ascendit, qui vnà cum Patre, post dies decem, Paraclitum miserunt. Quod verò sequitur, *assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum*, ad velocitatem spectat, qua Dominus nube lucida amictus ascendit. Tam caprea, quàm hinnulus mira velocitate percurrunt, adeo, vt potiùs animalia hæc volare, quàm currere dicantur. Cæterùm super montes aromatum Saluator conscendit, vbi omnes Angelorum choros transiliẽs, in dextera Patris sedit. Enimuerò montes aro- C matum cœlos ipsos subindicant, super quos nihil fœtidum, nihil impurum, aut immundum residet, sed omnifariæ puritatis, quasi ingens quædam basilica, charitatis feruor, & virtutũ omnium mira fragrantia viget: dicente beato Ioanne: Nihil inquinatum in illam ciuitatem intrabit. Nec quisquã excandescat, quòd Virgo benedicta priùs filij Dei aduentum totis *Apo. 21* nisibus postularat, dicens: Descendat, seu veniat dilectus in hortum suum, & comedat fru- *Cant. 1.* ctus pomorum suorum, nunc verò roget eundem, vt fugiat super montes aromatum: nam varietas temporum in causa fuit. Primò homi num redemptionem mirum in modum optabat, quæ per Messiam fieri oportebat. Qua per D sanguinem, & mortem agni immaculati Christi Iesu affecta, necessum erat, vt ascendens super omnes cœlos adimpleret omnia, quippe quæ ore suo sacro Apostolis promiserat. Nos autem fideles posthac supplices Dei summi parentem Virginem summo conatu venerantes, *Dogma.* atque Deam in Virgine gloriosa toto corde, totaque mente colentes, ac laudantes, & admirantes adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, hoc est, ad MARIAM, in qua Christus, qui fons gratiæ inexhaustus est, requieuit, quatenus misericordiam, & gratiam consequamur, in auxilio opportuno, Amen.

S. AMBROSIVS AMBROSII.

NOTA.

PRæexcelsus Ecclesiæ Doctor Primus, Ambrosius Ambrosij, sic dictus à Patre Patritio Romano Galliorum Præfecto, & Frãgipanorum illustri familia in Gallijs genitus, vt placet Lãdino, vixit Valentiniano, Gratiano, & Theodosio Imperatoribus. Is ergo à Præfectura Liguriæ, atque Æmiliæ (licet inuitus) factus est Episcopus Mediolanensis. Decessit, si Marcellino est credendum, anno à Virgineo partu CCCXCVIII. De vita, & gestis huius Sanctiss. Præsulis Cardinalem Baronium, tom. 3. & 4. Annalium, & in vita integra Ambrosianis operibus præfixa, item Auctores, quos integro, §. adducit P. Antonius Possevinus, consule. De doctrina verò, elocutione pulchra, dicendi facundia, docta, sancta, & eruditis operibus, & quomodo fuerit in diuinis Scripturis, atque in secularibus litteris omniũ facilè doctissimus, Græco, & Latino sermone perfectissimè instructus, cuius integritatem nulla vnquã potestas terrena infringere potuerit, & quomodo malleus fuerit Hæreticorum, & constantissimus impugnator; cuius linguæ in fide Christi loquenti nulla vnquã potuerit auctoritas humana indicere silentium, satis superquè eius verba personant, eius scripta confirmant: quæ fortè adhuc in tenebris latitassent, nisi Nostri Franciscani Fœlicis Cardinalis de Montalto posteà Põtificis Maximi Sixti V. renunciati, labore, & industria Ambrosiana eloquentia, & eloquens Ambrosia lucem vidisset, nec Litterati omnem scaturientem pleno ore doctrinæ, & scripturæ dulcedinem ex illis hausissent. Quæ posteritati Ambrosius præstitit; Sixtus Senensis in quatuor distribuit Classes; nempè Libros, Commentaria, Tractatus, & Epistolas: in quibus nihil sub expresso titulo de Beatissima, atque Gloriosa Virgine Dei Matre MARIA inuenitur, (quid autem sentiendum sit de sermone Purificationis sub nomine S. Ambrosij in vltima Parisiensi impressione edito, infra dicam Nota, & Tomo sequenti) licèt incidenter, & sparsim plura scitu dignissima eloquentia, ac deuotione plena de Cælorum Regina, ac Domina nostra, ab Ambrosio conscripta inueniantur: Quæ à R. P. & DD. Bartolomæo Vrbinate Episcopo ex Eremitarum S. Augustini præclara Religione assumpto, iussu Clementis VI. Pont. Maxim. in Milleloquio, seu summa totius doctrinæ Ambrosianæ, sub mille Titulis, Materijs, vel Generalibus Capitulis, Ordine Alphabetico digestis impresso Lugduni, apud Matthiam Bonhomme, anno à Virgineo partu 1556. in verbo; MARIA Virgo, fol. 1573. in vnum collecta, & compilata fuerunt; eadem hic iterum typis mandamus, addita quàm plura, (& meo videri pulchriora) quæ à prædicto D. Bartolomæo Episcopo Vrbinate prætermissa fuere, & hoc asterico * notata in laudem Virginis Matris ad finem huius Milleloquij pius inueniet lector.

MILLELOQVIVM EX S. AMBROSIO

Mediolanensi, verbo: MARIA Virgo.

Libro de bono virginitatis, siue de laude MARIAE Virginis perpetuæ, par. 4.

MARIA nobis nō solū virginitatis incētiuū attulit, sed etiam Deum intulit. Vnde lætus, & exultans tanto munere, dicit Isaias: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus. Vnde hoc munus? Non de terra vtique, sed de cęlo, vas sibi hoc per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris. Per vnam descēdit: sed multas vocauit. Vnde & speciale MARIA Domini hoc nomen inuenit, quòd signat Deus ex genere meo. Dictæ sunt, & autem MARIAE multæ: nam & MARIA soror Aaron dicta fuit, sed illa MARIA amaritudo maris vocabatur. Venit ergo Deus in amaritudinem fragilitatis humanæ, vt conditionis amaritudo dulcesceret verbi cęlestis suauitate, & gratia temperata. Hoc significauit fons Marah per lignum dulcoratus, eò quòd populus nationum amarus autem peccatis, vel caro nostra temperamento passionis Dominicæ in vsus alteros mutaretur.

Isai. 7.

Ibidem. Egregiā igitur MARIA, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratę integritatis pium Christo vexillum leuauit, & tamen cum omnes ad cultum virginitatis sanctæ MARIAE aduocentur exemplo, fuerunt qui eam negarent virginem perseuerasse. Hoc tantum sacrilegium silere iam dudū maluimus: sed quia causa vocauit in mediū, ita vt eius prolapsionis etiam Episcopus argueretur, indemnatum nō putauimus relinquendum: & maximè, quia & mulierem eam legimus: sicut in Cana Galilææ ipte Dominus dicenti sibi, vinum non habent fili: respondit: Quid mihi, & tibi est mulier? Et alibi legimus, quod dixerit Matthæus de Ioseph, & MARIA: Inuenta est antè quàm conuenirent in vtero habens de Spiritu Sancto: Et infra: Non cognouit eam, donec peperit. Et itē de Ioseph: Noluit eam traducere. Et fratres Domini videntur significare, quòd de MARIA susceptī sunt. Et Apostolus ait: Post quā venit plenitudo tēporis, misit Deus Filium suū natū ex muliere, factū sub lege. Quę singula notanda nobis sunt, vt qui illa legit, sermonis huiusmodi vinculo non alligetur.

Ioann. 2.
Matt. 1.

Respondeamus itaque suo ordine. De mulieris nomine quid mouemur? Ad sexum retulit: Non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est. Vulgi vsus non præiudicat veritati. Denique virginitas primum hoc nomen accepit. Nam cùm sumpsisset Deus vnam de costis Adæ, & suppleuisset carnem in locum ipsius, ædificauit, inquit, eam in mulierem. Vtique adhuc virum non cognouerat, & iam mulier vocabatur. Rationem quoque nominis huius scriptura non tacuit, dicens: Quia dixit Adam, os de ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est. Quia sumpta, inquit, est de viro suo, non quia virum experta. Itaque quamdiu in paradyso fuit, mulier vocata est, & cognita viro non erat. Vbi autem eiecta est de paradyso, tunc legitur, quia Adam cognouit Euam mulierem suam, & tunc concepit, & peperit filium. Primus igitur solutus est nodus. Secunda quæstio, quia scriptum est: Antè quàm conuenirent inuenta est in vtero habens. Consuetudo autem scripturæ diuinæ ea est, vt causam, quæ suscepta est, astruat, incidentem differat.

Genes. 2.

Quo soluitur etiam tertia quæstio, quia dictum est: Non cognouit eam donec peperit filium. Quid ergo? Postea cognouit? Minimè. Denique alibi scriptum est: Ego sum Deus, & donec senescatis ego sum. Nunquid igitur postquam senuerint, quia dictum erat, Deus esse desiuit? Item in Propheta Dauid legimus: Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nunquid subiectis populis nationum, qui antè videbantur inimici, cùm salutis auctorem negarent, simulachris seruirent, ad dexteram Patris Filius sedere desiuit, aut in perpetuum non sedebit?

Psal. 109

Quid autē præiudicat MARIAE, si cælestis consilij mysterij Ioseph non intellexit, & putauit virginē non esse, quam prægnantem videret? Resurrectionē eius Angeli ignorauerūt: quod significāt versiculi: Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portę ęternales, & introibit Rex gloriæ: Quis est iste Rex gloriæ? Interrogāt quasi ignorēt, & alij respōdent: Dominus fortis & potēs, Dominus potens in prælio, ipse est Rex gloriæ. Et repetunt Propheta eosdē versiculos, & nihilominus illi quasi ignorātes iterū interrogauerunt. Sic enim scriptum est: Tollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ: Quis est iste Rex gloriæ? Quomodo ergo homo potuit scire diuinū secretū, quod Angeli nesciebāt? Et in Isaiæ libro habes: Quis est iste, qui aduenit ex Edō, rubor vestimentorū ex Bosor? Et vtiq; minus erat hominē resurrexisse, quā virginē parturire: Etenim iā Helię precibus, Heliśei orationibus mortui resurrexerūt: nū quā autē antè, nunquā postea virgo generauit. Hoc autē opinatus est, quòd traduceret eā quasi reā, antè quā ab Angelo moneretur: postea autē quasi fidelis, nec dubius virginitatis eius seruauit oraculum. Nec illud moueat, quod ait: Quia Ioseph accepit coniugē suam, & profectus est in AEgyptū. Despon-

Psal. 23.

Isai. 63.

sata

ſata enim viro, coniugis nomen accepit. Cùm enim initiatur coniugium, tunc coniugij nomen aſciſcitur. Non enim defloratio virginitatis facit coniugium, ſed pactio cõiugalis. Denique cùm iungitur puella, coniugium eſt, non eum virili admixtione cognoſcitur.

Libro 2. ſuper Lucam, cap. 1 Bene autem ſibi diuiſerunt Euangeliſtæ, vt ſanctus Matthæus Ioſeph ab Angelo moneri induceret, ne MARIAM coniugem timeret accipere, quò teſtimonium ferret, quòd conueniſſent, quòd hic ipſa MARIA fatetur, eũ dicit Angelo: Quomodo fiet iſtud, quoniã virum nõ cognoui? Sed & ipſe ſanctus Lucas virginem declarauit, dicens: Et nomen Virginis MARIA. Et Propheta manifeſtauit, qui ait: Ecce virgo in vtero concipiet: Et Ioſeph deſignauit, qui quoniam prægnantõ videbat, quã nõ cognouerat dimittere geſtiebat. Et Dominus ipſe in Cruce poſitus manifeſtauit cũ dixit matri: Mulier, ecce filius tuus: Deinde dicit diſcipulo, ecce mater tua. Etiam vterque teſtatus eſt diſcipulus, & mater, quia ex illa hora ſuſcepit eam diſcipulus in ſua. Vtique ſi conueniſſent nunquam virum proprium reliquiſſet, nec vir eam iuſtus à ſe diſcedere paſſus eſſet. Quomodo autem Dominus diuortium præcepiſſet, cùm ipſius ſit ſententia, quia nemo dimittere debet vxorem excepta cauſa fornicationis? Pulchrè autem docuit ſanctus Matthæus quid facere debeat iuſtus, qui probrum coniugis deprehenderit, vt incruentum ab homicidio, caſtum ab adulterio præſtare ſe debeat. Qui enim iungitur meretrici, vnum corpus eſt. Ergo vbique in Ioſeph iuſti gratia, & perſona ſeruatur, vt teſtis ornetur. Os enim iuſti mendacium neſcit: & lingua eius loquitur iudicium: iudicium eius loquitur veritatem.

1. Cor. 6.

Nec te moueat, quòd frequenter ſcriptura coniugem dicit. Nõ enim virginitatis ereptio, ſed coniugij teſtificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideò, qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. Simul etiam mouere non debet, quod ait Euangeliſta: Non cognouit eam donec peperit filium. Illud enim velut idioma ſcripturę eſt, ſicut habes alibi, donec ſeneſcatis ego ſum. Nunquid poſt illorum ſenectutem Deus eſſe deſinit? Et in Pſalmo: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos ſcabellum pedum tuorum. Nunquid poſtea nõ ſedebit? Vel quia, qui cauſam agit, ſatis putat, quòd cauſæ eſt dicere, redundantiam non requirit. Satis enim eſt ei, vt cauſam ſuſceptam aſtruat, incidentem differat. Et ideò, qui Incarnationis incorruptum ſuſceperat probare myſterium, non putauit

Iſai. 46.

Pſal. 109

A vberius perſequendum virginitatis MARIAE teſtimonium, ne defenſor magis virginis, quàm aſſertor myſterij crederetur. Certè quando iuſtum docuit Ioſeph, ſatis declarauit, quòd Sancti Spiritus templum matrem Domini, vterum myſterij violare non potuit.

Ibidem, in principio. Latent quidem diuina myſteria, nec facilè iuxta Propheticum dictum, quiſquam hominum poteſt ſcire cõſilium Dei, ſed tamen ex cæteris factis, atque præceptis Domini Saluatoris poſſumus intelligere, & hoc perpenſioris fuiſſe conſilij, quo ea potiſsimum electa eſt, vt Dominum pareret, quę erat deſponſata viro. Cur autem B non antè quàm deſponſaretur, impleta eſt? Fortaſſe ne diceretur, quòd conceperit ex adulterio. Et benè vtrunque poſuit ſcriptura, vt & deſponſata eſſet, & virgo: Virgo, vt expers virilis conſortij videretur: deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur inſigne proferre. Maluit autem Dominus aliquos de ſuo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram eſſe virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris: nec putauit ortus ſui fidem matris iniurijs aſtruendam. Seruatur itaque ſanctæ MARIAE, ſicut pudore integra, ita inuiolabilis C opinione virginitas. Oportet enim ſanctos, & ab ijs teſtimonium habere, qui foris ſunt.

Nec decuit ſiniſtra virginibus opinione viuentibus velamen excuſationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur.

Quid autem Iudæis, quid Herodi poſsit aſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſequuti? Quemadmodum autem ipſe diceret, non veni legem ſoluere, ſed adimplere: ſi videretur cæpiſſe à legis iniuria, cùm partus innuptæ lege damnetur?

Quin etiam locupletior teſtis pudoris maritus adhibetur, qui poſſet, & dolere iniuriam, & vindicare opprobrium, ſi non agnoſceret ſacramentum. Quid quòd etiam fides MARIAE verbis maior aſciſcitur, & mendacij cauſa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans. Cauſam autem mentiendi, indeſponſata habuit, deſponſata non habuit, cùm coniugij premium, & gratia nuptiarum partus ſit fœminarum.

Non mediocris cauſa quoque eſt, vt virginitas MARIAE falleret Principem mundi: qui cũ deſponſatam viro cerneret, partũ non potuit habere ſuſpectum: fallendi autem, vt dixi, Principem mundi fuiſſe conſilium, ipſius Domini verba declarant, cùm Apoſtoli iubentur tacere de Chriſto, cum ſanati prohibentur gloriari de remedio, cùm dæmones

præcipiuntur silere de Dei Filio. Fallendi, vt dixi, Principem mundi fuisse consilium, etiã
1. Cor. 2. Apostolus declarauit, dicens: Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo Principum istius seculi cognouit: Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent: hoc est, nunquam me redimi Domini morte fecissent.

Libro de laude virginitatis, in fine. Quòd autem fuit desponsata connubio, licet alibi pleniùs dixerimus, libare satis est causam cęlestis mysterij, vt ab ijs, qui MARIAM grauem vtero cernerent, non adulterium virginitatis, sed desponsatæ partus legitimus crederetur. Maluit enim Dominus aliquos, & de sua generatione, quàm de matris pudore dubitare. Fratres autem gentis, & generis, populi quoque consortio nuncupari docet
Psal. 21. Dominus ipse, qui dixit: Narrabo nomen
Rom. 9. tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Paulus quoque ait: Optauam ego anathema esse pro fratribus.

Lib. ij. De virginitate, parte prima. Sit ergo vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Beatæ MARIAE: de qua velut speculo, refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquàm in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis ostẽdit. Primus discendi ardor, est nobilitas magistri. Quid nobiliùs Dei matre? Quid splendidiùs ea, quam splendor eligit? Quid castiùs ea, quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectũ: corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere, non lædere reos, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vultu læsit parentes? Quando dissensit propinquis? Quando fastidiuit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitauit inopem? Eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubescceret, neque præteriret verecundia? Nihil torum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum, vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat.

Quid ergo exequar? Ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hìc congeminatos ieiunio dies. Et si quãdo reficiendi succesisset voluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non priùs cupiditas, quàm necessitas fuit: & tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut læta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiet.

Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret: & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm seipsa, quæ incessu, affectuquè venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret: & tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorũ se habeat ipsa custodem. Plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet: quia quicquid egerit, disciplina est. Sic MARIA intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: Sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista mõstrauit: talem Angelus reperit: Talem Spiritus Sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint, quę digna fuit ex qua Dei Filius nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique, & Gabriel eam vbi reuisere solebat inuenit: & Angelum MARIA quasi viri specie mota trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit. Ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, & appellata respondit: sed quæ primò titubauerat aspectu, postea promisit obsequium.

Quàm verò religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina signat. Nam & humilior facta est, vbi à Deo se cognouit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit. Nõ vtiq; vt exẽplo crederet, quæ iam crediderat oracluo. Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cũ ea mẽsibus mãsit. Tãti autem interuallo temporis non fides quæritur,

ritur, sed pietas exhibetur. Et hoc postea, quã in vtero parentis exiliens puer matrem Domini salutauit, priùs compos deuotionis, quàm naturæ. Inde tot sequentibus signis, cùm sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sidera nuntiarent, MARIA mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum, cõseruabat, inquit, hæc omnia in corde suo. Quamuis mater Domini, discere tamen præcepta desiderabat: & quæ Deum genuerat, tamen Deum scire cupiebat. Quid quòd annis omnibus quoque ibat Hierusalem solemni die Paschæ, & ibat cum Ioseph? Vbique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur MARIA sine pudoris sui custode processit.

Hæc est imago virginitatis. Talis enim fuit MARIA, vt vnius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, vt quæcunque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum, comes ad mysterium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret? Quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore. Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit Patri: nimirum illud repetens suum: Pater sancte, istæ sunt quas custodiui tibi, in quibus Filius hominis caput reclinãs requieuit. Peto vt vbi ego sum, & ipsæ sint mecum. Sed non solùm sibi debent prodesse, quæ non solæ vixerunt sibi. Hæc parentes redimat, hæc fratres. Pater iuste, mundus me non cognouit: istæ autem me cognouerunt, & mundum cognoscere noluerunt. Quæ pompa illa, quanta Angelorum lætitia plaudentium, quòd habitare mereatur virgo in cælo, quæ cælestem vitam vixit in seculo? Tunc etiam MARIA tympanum sumens, choros virginales excitabit cantantes Domino, quòd per mare seculi sine secularibus fluctibus transierunt. Tunc vnaquæque exultabit, dicens: Et introibo ad altare Dei mei, & ad Deum qui lætificat iuuentutem meam: Immolo Deo sacrificium laudis, & reddo altissimo vota mea. Neque enim dubitauerim vobis patere altaria quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim, in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur. Nam si corpus virginis Dei templum est, animus quid est, qui tanquàm cineribus membrorum excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu, vaporem Diuini ignis exhalat? Beatæ Virgines, quæ tam immortali spiratis gratia, vt horti flo-

Psal. 42. *Psal.* 49.

ribus, vt tẽpla religione, vt altaria sacerdote.

Lib. j. De viduis, par. ij. Aduertimus enim ex sequentibus, quia quotannis in die solemni Paschæ sancta MARIA cum Ioseph Hierusalem petebat: Vbique impigra deuotio, vbique assiduus virgini comes pudoris adiũgitur. Nec inflatur Domini mater quasi secura de meritis, sed quò meritũ magis agnouit, eò votum vberius exoluit, officiũ copiosius detulit, munus religiosius vexit, mysticum tempus impleuit: Quantò ergo vos magis conuenit intentas esse studio castitatis, ne locum sinistræ relinquatis opinioni, quæ pudicitiæ testimonium in solis habetis moribus? Virgo enim licet in ea quoque maior sit morum prærogatiua, quàm corporis: calumniam tamẽ integritate carnis abiurat.

Lib. ij. Super Lucam. Ecce, inquit, ancilla Domini: cõtingat mihi secũdũ verbum tuũ. Vide humilitatẽ, vide deuotionem. Ancillã se dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltata promisso est. Simul ancillã dicendo, nullã sibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret, quod iuberetur. Mitẽ enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuũ. Habes obsequium, vides votum. Ecce enim ancilla Domini: apparatus officij est. Cõtingat mihi secundũ verbũ tuum: conceptus est voti. Quàm citò ergo etiã de impari cõditione credidit MARIA? Quid enim tam impar, quàm Spiritus Sanctus, & corpus? Quid tam inauditũ, quàm virgo prægnans, cõtra legẽ, cõtra consuetudinẽ, contra pudorem, cuius charior cura est virgini? Zacharias autẽ non de impari conditione, sed de senili ætate nõ credidit. Nam cõditio congruebat. Ex viro & fœmina solennis est partus: nec incredibile debet videri, vbi natura cõcordat. Cũ enim ætas naturæ sit, non natura ætatis, fit plerunque, vt ætas impediat naturam. Non est tamẽ irrationabile, vt minor cedat causam maiori, & potior prærogatiua naturæ vsum inferioris excludat ætatis. Hue accedit, quòd Abrahã, & Sara filiũ in senectute susceperant: & Ioseph filius senectutis est. Quòd si, quia risit Sara reprehẽditur, iustiùs cõdemnatur, qui nec oraculo credidit, nec exemplo. MARIA autem cùm dicit: Quomodo fiet istud, quoniã virũ non cognoui? Nõ videtur dubitasse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Liquet enim, quia faciendũ esse crediderit, quæ quomodo fieret, interrogauit. Vnde & meruit audire. Beata quæ credidisti. Et verè beata, quæ sacerdote præstãtior. Cũ sacerdos negasset, virgo correxit errorem. Nec mirũ si Dominus redempturus mundum, Diuinã operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. Et

Luc. 1.

bene quæsiuit quomodo fieret. Legerat enim quia virgo conciperet, non legerat queamad modum virgo generaret. Legerat vt dixi: Ecce virgo in vtero accipiet. Quomodo autem acciperet, in Euangelio primùm Angelus est loquutus.

Eodem libro. MARIA autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Discamus sanctæ Virginis in omnibus castitatē, quæ non minus ore pudica, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si MARIA à pastoribus discit, cur tu declinas à sacerdotibus? Si MARIA ante præcepta Apostolica tacet, cur tu post Apostolica præcepta magis cupis docere, quàm discere? Disce personæ esse vitium, non sexus: sexus enim sanctus. Denique MARIA præceptum non accepit, exemplum dedit.

Libro secundo super Lucam, vt suprà. Et ingressus ad eam Angelus dicit, Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Ipsa autem, vt vidit eum, mota est introitu eius. Disce Virginem moribus, disce Virginem verecundia, disce Virginem oraculo, disce mysterio. Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quam nemo virorum videret: solus Angelus reperit. Sola sine comite, sola sine teste, ne quo de genere deprauaretur affatu, ab Angelo saluta tur. Disce Virgo verborum vitare lasciuiam.

Maria etiam salutationem Angeli verebatur. Erat enim, inquit, cogitans qualis esset hæc salutatio. Et ideo cum verecundia, quia pauebat: cum prudentia, quia benedictionis nouam formulam mirabatur: quæ nusquam lecta est, nusquam ante comperta. Soli MARIAE hæc salutatio seruabatur. Bene enim sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiā, quā nulla alia meruerat, consequuta est, vt gratiæ repleretur auctore. Erubescebat ergo MARIA: erubescebat etiam Elisabeth. Et ideo cognoscamus quid interfit inter mulieris & virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc per verecundiam. In muliere modus pudoris adhibetur: in Virgine gratia pudoris augetur.

Dixit autem MARIA ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? Videtur hic non credidisse MARIA, nisi diligenter aduertas. Neque enim fas est, vt electa ad generandum vnigenitum Dei Filiū, fuisse videatur incredula. Quo autem modo fieri posset, licet salua prærogatiua sit matris cui profectò fuit amplius deferendum: Sed vt prærogatiua maior, maior etiam fides ei debuit reseruari. Quo ergo fieri modo posset, vt Zacharias qui non crediderat, silentio cōdemnaretur: MARIA autem si non credidisset, Spiritus sancti infusione exaltaretur? Sed A neque non credere MARIA, neque tam remère debuit vsurpare. Non credere Angelo, vsurpare Diuina. Neque enim facile erat scire mysterium absconditum à seculis in Domino, quod nec superiores potestates scire potuerunt. Et tamen fidem non renuit, non officium refutauit, sed accommodauit affectum, spopondit obsequiū. Etenim cùm dicit: Quomodo fiet istud? nō de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Quantò temperantior ista responsio, quàm verba sunt sacerdotis? Hęc ait: Quomodo fiet istud? Ille respondit: Vnde hoc sciam? Hæc iam de negotio tractat, ille adhuc de nūtio dubitat. Negat ille se credere, qui negat scire, & quasi B fidei adhuc alium quærit auctorem: ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quòd quomodo fieri possit, inquirit. Sic enim habes: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Incredibilis, & inaudita generatio antè audiri debuit, vt crederetur. Virginem parere Diuini est signum mysterij, non humani. Denique accipe, inquit, tibi *Isai. 7.* signum: Ecce Virgo in vtero accipiet, & pariet filium. Legerat hoc MARIA: & ideo credidit futurum: sed quomodo fieret antè non legerat. Non enim quemadmodum fieret, vel Prophetæ tantò fuerat reuelatum. Tantum enim mandati mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum. Hodie primùm auditur, Spiritus sanctus superueniet in C te: & auditur, & creditur. Denique, Ecce, inquit, ancilla Domini contingat mihi secundùm verbum tuum.

Libro ij. super Lucam. Exurgens autem MARIA in diebus illis, abiit in montana cū festinatione in ciuitatem Iudæ: & intranit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth. Morale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo Angelus cum abscondita nū tiaret, vt fides astrueretur, exemplo senioris fœminæ, & sterilis conceptum Virgini MARIAE nunciauit, vt possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Vbi audiuit hoc MARIA, nō quasi incredula de oraculo, nec D quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quò iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia. Discite & vos sanctę mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. MARIAM, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana virgo cum festinatione: virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vigente non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari

morari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. MARIA in domo sera, festina in publico. Mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ propter officiũ venerat, inhærebat officio. Mansit tribus mensibus: non quòd domus eam delectaret aliena, sed quia frequentiùs videri in publico displicebat. Didicistis virgines pudorem MARIAE, discite humilitatẽ. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed etiam prior salutauit. Decet enim, vt quantò castior virgo, tantò humilior sit. Nouerat deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Et est causa pietatis, est etiam norma doctrinæ.

In Epistola de Bonoso ad Theophilum. Sanè non possumus negare de MARIAE filijs iure reprehensum, meritoquè vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem vtero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per Virginem, si eam iudicasset tam incontinentem fore, vt illud genitale Dominici corporis, illam aulã Regis æterni, concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus auctoritatem, & videatur MARIA partus fudisse plurimos, maiori studio veritatem fidei expugnare cõtendent. Et vbi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Ioanne Euan
Ioan. 19. gelista: Mulier ecce filius tuus: Et rursus ad Ioannem de MARIA: Ecce mater tua? Quid sibi istud vult, quòd cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiauit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi vt claudat sua ora perfidia, & obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat maculare conuitio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognouerit. Neque enim eam susceptura ex Ioseph filios à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parum est, addidit testimonium Euangelista, dicens, quòd susceperit eam discipulus in suam. Nunquid ergo diuortium fecit? nunquid à viro abduxit, atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Euangelio, quomodò quasi naufragus titubat, & fluctuat? Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate, hæc MARIAE locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit: Et emisit spiritum: consummans omne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam & bona percurrimus, vel de eo quòd fratri nostro coepiscopo Basso in consortium regendi Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, vnde ve-

A B C D

stræ normam expectamus sententiæ.

Similiter in Epistola ad Vercellensem Ecclesiam. MARIA Domini mater ante crucem filij stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Ioannes Euangelista. Mundum alij concussum in passione Domini conscripserunt: cœlum tenebris obductum, refugisse Solem, in Paradisum latronem, sed post piam cõfessionem, receptum. Ioannes docuit, quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit. Pluris putatur quòd victor suppliciorum, pietatis officia matri exhibeat, quàm quòd regnum cœleste donabat vitæ æternæ. Nam si religiosum est, quòd latroni donatur venia, multò vberioris pietatis est, quòd à filio mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus: Ecce mater tua. Testabatur de Cruce Christus, & inter matrem, atque discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum. Et hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum, non pecuniæ, sed vitæ æternæ: quod non attramento scriptum est, sed Spiritu Dei viui, qui ait, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Sed MARIA nec minor, quàm matrem Christi decebat, fugiẽtibus Apostolis, ante crucem stabat, & pijs spectabat oculis filij sui vulnera, quia spectabat non pignoris mortem, sed mundi salutẽ: Aut fortasse, quia cognouerat per Filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiã sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium. Hanc imitamini matres sanctæ, quæ vnico Filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exẽplum edidit. Neque enim vos dulciores liberos habetis: neque illud Virgo quærebat solatium, quòd alium posset generare filium.

Psal. 44.

Psalm. 87

Libro x. super Lucam. Mysticũ est, quod commendatur Ioanni inter cæteros iuniori: quod non otiosis auribus debemus accipere. Periculosa est enim mulieribus copula adolescentis, & species iuuentutis, ne qua fortè curiosa exempli, incuriosa mysterij, quæ luxuriari in Christo cupiens, MARIAM specie prætendat, non imitetur affectu, sicut vulgus nec malè audit mulierem, relicto iuniore marito, vt iuniorem sequantur. Discat ergo Ecclesiæ hoc esse mysterium, quæ populo seniori specie antè copulata non vsu, posteà quàm peperit Verbum, & in corporibus, ac mentibus hominum per fidem crucis, & sepulturam Dominici corporis seminauit, ex præcepto Dei societatẽ populi iunioris elegit

Lib.iij.de Virginit.part.j. Vidit MARIA resurrectionẽ:& prima vidit,& credidit. Vidit & Maria Magdalene,quamuis adhuc nutaret.

* *Lib.de viduis,par.*2. Ecce Dominus sedet super nubem leuem,& veniet in Ægyptum:significans, quod in AEgyptum,idest, in afflictionem mundi huius veniret per Virginem. Nubem itaque MARIAM dixit: quia carnem gerebat leuem,quia Virgo erat nullis oneribus grauata coniugij? Ipsa est virga germinans florem: quia pura, & ad Dominum libero corde directa virginitas, quæ nullis in hoc sæculo curarum, anfractibus reflectatur. Ideò illã Dominus de Cruce discipulo suo dilectissimo sibi tradidit sancto Ioanni,qui dixit patri, & matri suæ: non noui vos. Denique vocatus à Christo, reliquit Patrẽ Verbum sequutus. Huic traditur Virgo, qui suos nesciat: huic traditur Virgo,qui de pectore Christi hauriat sapiẽtiam: huic traditur Virgo, qui fratres suos non cognouit,& filios suos non sciuit. Ideòquè benedixit eum lex: date leui veros eius, date leui sortes eius. Vnde & matrem Domini ipse susceptit. Scriptum enim habemus, quia ex illa hora, susceptit eam discipulus in
Ioan. 19. sua. Quid est in sua? Cum reliquerit patrem, & Christum secutus sit? Aut quomodo in sua
Mat. 19. cum ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Quæ sua habebat Ioannes,qui mundana, & secularia, non habebat,quia de mundo non erat? Quæ ergo habebat sua, nisi ea quæ à Christo acceperat? Bonus verbi sapientiæquè possessor: Bonus receptor gratiæ. Audite,quę Apostoli à Christo acceperint. Accipite, inquit,
Ioan. 20. Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata,remissa erunt: & quorum detinueritis, detenta erunt. Neque enim Mater Domini IESV, nisi ad possessorem gratiæ demigraret,vbi Christus habebat habitaculum. Date ergo, & vos filij mei vero illo leui veros eius. Estote nubes,&c.

* *De Natiuitate Domini, ser.*2. Descẽdet,sicut pluuia in vellus. Quid enim,tam si-
Psal. 71. lenter,& sine strepitu sit,quàm cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit: sed sine inquietudine ouium totum imbrem per multiplices effusum partes toto corpore in se trahat, vnius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus: & quod clausum videtur per densitatem, est patulum per tenuitatem. Rectè ergo MARIA velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauriret corpore, nec eius discissuram corporis pateretur: sed esset mollis ad obsequiũ, solida ad sanctimoniam. Rectè inquam MARIA velleri comparatur,de cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè MARIA est,siquidem de molli sinu eius Agnus egressus est, qui & ipse matris lanicinium,hoc est carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus Christi lana susfunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat,Christi indumẽto vestitur.

* *De Natiu.Domini, serm.*3. Videamus igitur,hic Sol noster nouus, quo fonte nascatur: sicut est verum Deo oritur auctore. Diuinitatis ergo est filius,diuinitatis,inquã, incorruptæ,integræ,illibatæ,intelligo planè mysterium. Ideò enim secunda natiuitas per Immaculatam MARIAM,quæ prior per diuinitatem constiterat illibata, vt cui prior natiuitas glorioſa extitit, eius secunda contumelioſa non fieret: hoc est,vt quemadmodum Virgo diuinitas ediderat, ita eum, & Virgo MARIA generaret. Habere etiam *Mat.* 13. apud homines Patrem scribitur, sicut legimus in Euangelio dicentibus Pharisæijs: Nonne hic est Filius Ioseph fabri, & mater eius MARIA est? In hoc quoque aduerte mysterium: Faber pater dicitur Christi. Et planè faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est. Et planè faber,sed qui in diluuio Noe,arcam fabricare dispoſuit. Faber, *Genes.* 6. inquam,est qui ordinauit Moysi tabernacu- *Exod.*26. lum, arcam testamenti instituit, Templum *Exod.*25. *1.Par.*21 Salomonis erexit. Fabrum dixerim, qui mẽtes rigidas expolit, cogitationes superbas rescindit,humilia facta sublimat,&c.

* *In Concio.de obitu Valentini* Pascũt frequenter,& lacrymæ, & mẽtem alleuant: fletus refrigerant pectus, & mæstum solantur affectum. Durum quidem funus videtis, sed stabat sancta MARIA iuxta Crucem Filij,& spectabat Virgo sui vnigeniti passionem. Stantem illam lego,flentem non lego. Vnde *Ioan.* 19. dixit ei Filius: Mulier ecce Filius tuus. Et discipulo dixit: ecce Mater tua: hæreditatem illis charitatis suæ gratiæ derelinquens.

* *Serm.de commun.Confess.Pontif.* Vota enim nostra celebrantur, quando Christo Ecclesia copulatur, sicut ait Ioannes: qui ha- *Ioann.*3. bet sponsam, sponsus est. Propter has ergo nuptias saltare nos conuenit. Siquidem Dauid Rex,pariter,& Propheta,dum multa ce- *2.Reg.*6. cinerat, ante arcam testamenti etiam saltasse dicitur. Elatus enim gaudio in saltationem prorupit. Præuidebat enim in spiritu MARIAM de germine suo Christi Thalamo so- *Psal.* 18. ciandam. Vnde ait: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Ideò ipse præ cæteris prophetiarum auctoribus plus cantauit,quia lætior cunctis per hæc gaudia suos posteros coniugabat: & ad propria vota solito dulcius inuitans, docuit nos quid in ipsis nuptijs facere deberemus, cùm ille ante nuptias tanta exultatione saltauerit ante arcam.

Ergo

Ergo saltauit Propheta Dauid ante arcam.
Deut. 10. Arcam autem quid nisi sanctam MARIAM dixerimus? Siquidem arca intrinsecus portauat testaméti tabulas. MARIA autem ipsius
Exod. 25 testamenti gestabat hæredem. Illa intra semed legem, hæc Euangelium retinebat. Illa Dei vocem habebat, hæc Verbum. Verumtamen arca intus, foriſquè auri nitore radiabat, sed & sancta MARIA intus foriſquè virginitatis splendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, ista cælesti.

* *Precatione 2. ad Missæ præparati.* Et vt efficax hæc mea sit deprecatio Beatæ MARIAE Virginis, suffragia peto, quam tanti meriti esse feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipsam tam nouum acciperet: nouum, scilicet, munus prima offerret, vt purpurea virgo perseueraret: nulla præter ipsam, tam nouum acciperet, vt Deum Virgo pareret, & post partum Virgo maneret.

* *In Psal.* 1. Et erit tanquam lignum, quod plãtatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. Quæ ista beatitudo est, quæ ligno arboris comparatur, nisi intelligamus in paradyso, illo beatorum loco, lignum vitæ in medio lignorum aliorum de terra productorum? Inter multa enim ligna, quæ erant speciosa ad aspectum, & bona ad escam, etiam hoc lignum terra produxit in medio paradyſi, vt cætera ligna eius viriditate florerent. Quid esse hoc lignum dicimus, nisi per quod nobis salus venit? Et lignum hoc terra produxit, quia eum virgo generabit, quæ erat terra secundùm auctoris sententia, quæ in hominem dicta est: terra es, & in terram ibis, &c. Qui ergo beatus est, imitator erit Domini IESVS, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ, plantatum in vtero virginis voluntate patris, à quo, in perpetuum manſurum plantatur, vt fructum daret in tempore suo, &c.

* *In Psal.* 35. Ego autem sum vermis, & non homo. Cur totius Dominus creaturæ vermiculo se voluerit comparare. Possumus hoc quidem humilitati primitùs assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moyses antè Deum mutum se animal profitetur: Dauid pulicem se sæpè commemorat. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola, & pura terra procreatur, ideo, illum comparatum Domino: quoniam, & ipse Saluator de sola, & pura MARIA generatur. Legimus etiam in libris Moyſi de manna vermiculos procreatos. Digna planè, & iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur. Quin potiùs ipsam MARIAM manna dixerim: quia est subtilis, & splendida, suauis, & Virgo, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Quem qui edere, aut manducare neglexerit vitam in semetipso habere non poterit.

* *Lib. 1. de officijs.* Est & in oculis verecundia, vt nec videre viros fœmina, nec videre velit. Neque verò quiſquam solius hanc laudem castitatis putet. Est enim verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim castitatis regendę pudor est comes, qui si se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari nõ sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingreſsu Domini matrem commendat legentibus, & tanquam locuples testis dignam, quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quòd in cubiculo, quòd sola, quòd salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu eius, quòd ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus. Itaquè quamuis esset humilis, præverecundia tamen salutantem non resalutauit: nec vllum responsum retulit, nisi quod de suscipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem affectus disceret, non vt sermonem refelleret.

* *Lib. de viduis.* Reminiscamur itaquè quemadmodum MARIA, quemadmodum Anna, quemadmodum Susanna, laudentur. Et quoniam non laudes earum tantummodo prædicandæ sunt, sed disciplinæ etiam sunt sequendæ, reminiscamur vbi Susanna, vbi Anna, vbi MARIA sunt repertæ, & aduertamus quemadmodum singulæ aptis laudibus prædicentur, & vbi nam commorentur: Nupta in paradyso, vidua in templo, virgo in secreto: sed in illis tardior fructus, in virgine maturior, illas senectus probat, virginitas laus ætatis est: nec adiumenta quærit annorum, quæ omnium est fructus ætatum. *Dan.* 13. *Lucæ* 2. *Lucæ* 1.

* *Lib. 2. de Spiritu Sancto, cap.* 5. Accipiant documentum euidens, nihil posse esse, quòd Spiritus Sanctus negetur operatus, nec de Angelis, nec de Archangelis, nec de Thronis, nec de Dominationibus posse dubitari, quòd eius operatione subsistant, quandoquidem ipse secundùm carnem Dominus, cui Angeli seruiebant, spiritu in Virginem superueniente genitus sit, sicut, & secundùm Matthæum, ad Ioseph Angelus dixit: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere MARIAM vxorem tuam, quòd enim in ea nascetur, de Spiritu Sancto est. Et secundum Lucam dixit ad MARIAM: Spiritus Sanctus superueniet in te. Opus ergo Spiritus, Virginis partus est. Opus Spiritus, fructus est ventris, secundùm quod scriptum est: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Opus Spiritus, flos radicis est. Ille inquam flos de quo benè est prophetatum: Exiet virga de radice Iesse, & *Matt.* 4. *Matt.* 1. *Lucæ* 1.

flos

Isai.11. flos de radice eius ascendet. Radix Iesse Patriarchæ, familia Iudæorũ, virga MARIA, flos MARIAE Christus, qui bonũ odorem fidei toto sparsurus Orbe virginali ex vtero
Cant.2. germinabit, sicut ipse dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium.

* *In symbolo Apost. cap.12.* Rectè itaquè de Sancto Spiritu, & MARIA Virgine, secundùm carnem eum natum fatemur. Sic etenim, & Beatæ MARIAE Virgini futurum, vt iam dictum est, Gabriel Archangelus promisserat, dicens: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi. Ideòquè, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Qui Filius Dei, & Virginis, homo Christus IESVS pro nostra salute sub Poncio Pilato crucifixus est, & sepultus. Vera igitur caro ex Virgine susceptа est, vera crucifixa, vera sepulta, vera est post tertiam diem resuscitata. Ad viscera nãque sacræ Virginis pro suscipienda inde carne, & formando ibi homine Spiritus Sanctus opifex, & sanctificator accessit, vt sanctificatione Verbi, & hominis à prima formatione perfectus Deus, & homo Christus mediator Dei, & hominum nasceretur.

* *Lib.2 in Lucam.* Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, &c. Nec littera, nec historia docet ex hac vita MARIAM corporalis necis passione migrasse. Nõ enim anima, sed corpus materiali gladio transverberatur. Et ideò prudentiam MARIAE,
Hebræ.4. haud ignaram mysterij cælestis ostendit. Viuum enim Verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutissimo, penetrans vsque ad diuisionem animæ, & spiritus artuum quoque, & medularum, cogitationes cordis, & secreta scrutatur animarum, quia nuda, & aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientiæ secreta non fallunt. Prophetauit itaquè Simeon, prophetauerat Virgo, prophetauerat copulata coniugio, prophetare debuit etiam vidua, ne qua, aut professio deesset, aut sexus.

* *Lib.3. in Lucam.* Itaquè, & census tẽpore ascendit Ioseph de domo, & de patria
Lucæ 2. Dauid, vt profiteretur cum MARIA vxore
Lucæ 1. sua, quæ ex eadem domo, & ex eadem patria professionem defert, vtique eiusdem tribus, & eiusdem patriæ se esse designat. Cognata
Roman.9 quoque MARIAE inducitur Elizabeth. Primo quòd omnes Iudæi cognati, quemadmodum, & Apostolus docuit dicens, optauam enim anathema esse pro fratribus meis, cognatis secundùm carnem, qui sunt Israelitæ. Cognatæ ergo, quia ambæ Israelitæ erant: simul & cognatæ, quia ambæ erant ex tribu Iuda. Didicisti ex tribu Iuda MARIAM, disce, & Elizabeth: Nam exurgens MARIA in diebus illis, abijt in Montana cum festinatione in ciuitatem, inquit, Iudæ, & intrauit domum Zachariæ. Cùm enim iuxta tribus *Num. 2.* suas Moyses habitare in vnunquemque præ- *Deut. 18.* scripserit. Itaque cùm in ciuitate Iudæ manserit, erat, & in tribu Iuda, maximè cum ex genere Elizabeth fuerint sacerdotes, quorum Deus portio est. Simul quam pulchrũ, vt cum illa prænuntium Christi, Christum ista generauerit, & altera de Spiritu Sancto conceperit, altera Sancto repleta Spiritu prophetauerit, secundùm carnem quoque videantur fuisse cognatæ, quæ secundùm Deum spiritualis cognationis consortio non carebant.

* *Lib.4. Examer.* Quid aiunt, qui solent nostra ridere mysteria, cùm audiunt, quòd Virgo generauit, & impossibilem innuptæ, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit: & quia desponsata viro peperit MARIA, pudori eius faciunt quæstionem? Nonne aduertimus, quòd Dominus ex ipsa natura plurima exempla ante præmisit, quibus susceptæ Incarnationis decorẽ probaret, & astrueret veritatem?

* *Super Psalm.47.* Bonum est vt parias, & enutrias eum, ne coquas agnum in lacte matris suæ, ne dicatur tibi: væ in vtero habẽtibus, & nutrientibus. Sic enim Christus natus est ex MARIA, vt agnoscas eum, sicut bos agnouit possessorem suum, & scias, quia ipse te creauit, & maiores tuos ipse possedit. Non eum quasi paruulum nutrias, sed quasi verum, atque perfectum Deum ex vtero, & perfecto Deo noueris adorandum. Sic cum Magus adorauit, vt non in lacte matris agnum coqueret, sed quasi Deum veneraretur æternum. Denique, vt eum inueniret, cælum aspiciebat. Non ergo quærebat in terris, quẽ de cælo fulgens stella monstrabat. Ideò cum MARIA non parturiuit, sed peperit: quia Dominum, & salutare sciebat se esse generãdum, sicut ipsa testatur, dicens: Magnificat *Lucæ 1.* anima mea Dominum: & lætatus est spiritus meus in Deo salutari meo. Ibi ergo dolores, sicut parturientis. Dolor est, vt parturias, dolor est, vt enutrias, quem in principio debes habere perfectum, &c.

* *Lib.4. Epist. epist.31. ad Sabinum.* Nunquam enim minus solus sum, quàm cùm solus esse videor, nec minus otiosus, quàm cum otiosus. Certè pro arbitrio arcesso quos volo, atque adiungo mihi, quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror: nemo interpellat, nemo interpolat. Tunc ergo te magis teneo, de scripturis confero, & prolixiorem simul sermonem cedimus. Sola erat MARIA, & loquebatur cum Angelo. Sola erat, quando superuenit in eam Spiritus Sanctus, & virtus Altissimi obumbrabit eam. Sola

erat,

erat, & operata est mundi salutem, & concepit redemptorem vniuersorum.

* *Libro* 1. *Epist. epist.* 7. *ad Syriacum.* Agrestis enim vllulatus est nullã virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cælestium remunerationem inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant se isti donare coniugio. Sed quæ potest laus esse coniugij, si nulla virginitatis est gloria? Neque verò nos negamus sanctificatum à Christo esse coniugium diuina voce dicente: erunt ambo
Mat. 19. in carne vna, & in vno spiritu. Sed priùs est, quod nati sumus, quàm quòd effecti: multòquè præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, sed meliùs pia Virgo
1. *Cor.* 7. præfertur dicente Apostolo: qui iungit Virginem suam, benè facit; & qui non iungit melius facit. Hæc enim cogitat, quæ Dei sunt, illa quæ mundi, illa coniugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum; illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium per quod est inuenta posteritas successionis humanæ, sed melior virginitas, per quam Regni cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit. Denique speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, ac in se præstauit, quod elegit in matre. Quanta dementia funestorum latratuum, vt idem dicerent Christum ex virgine nõ potuisse generari, qui asserunt ex muliere, editis humanorum pignorum partubus virgines permanere? Alijs ergo præstat Christus, quod sibi (vt dicunt) præstare non potuit? Ille verò sic carnem suscepit, & sic homo factus est, vt hominem redimeret, atque à morte reuocaret, inusitato tamen quasi
Isai. 49. Deus itinere venit in terras, vt quemadmodum dixerat: Ecce facio omnia noua: partu etiam Immaculatæ Virginis nasceretur, & sicut scriptum est, vt crederetur nobiscum Deus. Sed de via peruersitatis produntur dicere: virgo concepit, sed non virgo generauit. Potuit ergo virgo concipere, & non potuit virgo generare: cùm semper conceptus præcedat, partus sequatur? Sed si doctrinis
Lucæ 1. non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: quia non est impossibile Deo omne Verbum. Credatur symbolo Apostolorum, quòd Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat. Audiuit MARIA vocem Angeli, & quæ antè dixerat: Quomodo fiet istud? Non de fide generationis interrogans, respondit postea: ecce ancilla Domini

A contingat mihi secundùm Verbum tuum. Hæc est virgo, quæ in vtero concepit, virgo, quæ peperit filium. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet fi- *Isai.* 7.
lium. Non enim concepturam tantummodo Virginem, sed & pariturum Virginem dixit. Quæ autem est illa porta sanctuarij, por- *Ezec* 44.
ta illa exterior ad Orientem, quæ manet *Matt.* 3.
clausa, & nemo, inquit, pertransibit per eam, nisi solus Deus Israel? Nõne hæc porta MARIA est, per quam in hunc mundum redẽptor intrauit? Hæc porta iustitiæ, sicut ipse dixit: Sine nos implere omnem iustitiam. Hæc porta est Beata MARIA, de qua scriptum
B est, quia Dominus pertransibit per eam, & erit clausa post partum, quia virgo concepit, & genuit. Quid autem incredibile si contra vsum originis naturalis peperit MARIA, & Virgo permanet, quando contra vsum naturæ mare vidit, & fugit, atque in fontem suum Iordanis fluenta remearunt? Non ergo excedit fidem, quòd virgo peperit, quãdo legimus, quòd petra vomit aquas, & in muri speciem maris vnda solidata est. *Psal.* 113
Non ergo excedit fidem, quod homo exiuit *Iosue* 3.
de Virgine, quando petra fontem profluum & 4.
scaturibit, ferrum super aquas natauit, am- *Exod.* 17
bulauit homo super aquas. Ergo si hominem *Exod.* 14
vnda portauit, non potuit hominem virgo *Num.* 20.
generare? atque hominẽ de quo legimus: Et 4. *Reg.* 6.
C mittet illis Dominus hominem, qui saluos *Ioann.* 21
faciet eos, & notus erit Dominus AEgyptis. *Isai.* 19.
In veteri itaque testamento virga Hebræo- *Isai.* 11.
rum per mare duxit exercitum: in nouo te- *Lucæ* 2.
stamento virga regis, aula cælestis electa est ad salutem. Quid autem? Etiam viduitatis attexamus præconia, cùm in Euangelio post Virginis celeberrimum partum Anna vidua subrogetur, quæ vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua, &c.

* *Lib.* 1. *de fide orthodoxa.* Nemo Deũ *Ioann.* 1.
vidit, & vixit. Vt ergo claritas solis cùm vsque ad nostros emicat visus sibi salua est, quia quod non videtur infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas, probat se non suo detrimento proprij latuisse fulgoris, sed carnis, vt dixi beneficio, cuius causa Filius Dei, Filius hominis esse sustinuit. Nempè enim de spiritu Dei Virgo concepit, & quod concepit, hoc peperit, id- est, Deum homini suo, vt iam dixi sociatum, sicut ipse dixit: Quod nascitur de carne caro *Ioann.* 3.
est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est, & de Deo natus est. Sicut, & Angelus ad MA- *Lucæ* 1.
RIAM Virginem dicit spiritus Dei veniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te. Propterea, quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Vides ergo ipsum Spiritum, id- est, Filium Dei venisse ad Virginem, & inde Dei, & hominis Filium processisse. Nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium

lium esse mutatum, sed eundem ipsum esse in homine, qui fuerat antè mundum cum patre per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. A

* *Lib. 2. in Lucam, cap. 2.* Nam, & circumcisio purgationem significat delictorum. Sed quoniam prona quadam cupiditate peccandi humanæ carnis, & mentis fragilitas inextricabilibus vitijs implicatus, eo per octauum circumcisionis diem culpæ totius futura purgatio resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc est enim illud: Quia omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Verbis enim legis promittebatur Virginis partus, & verè sanctus, quia Immaculatus. Denique ipsum esse, qui lege signetur, in eundem modum ab Angelo repetita verba declarant. Quod nascetur, inquit, sanctum vocabitur Filius Dei. Non enim virilis coitus vuluæ virginalis secreta reserabit, sed Immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de fœmina sanctus Dominus IESVS, qui terrenæ contagia corruptelæ Immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Nam si litteram sequamur, quomodo sanctus omnis masculus, cùm multos sceleratissimos fuisse non lateat? Nunquid sanctus Achab? Nunquid sancti Pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces vltor cælestis iniuriæ ignis absumpsit? Sed ille sanctus, quem in figura futuri mysterij pia legis diuinæ præscripta signabant, eo quod solus sanctæ Ecclesiæ Virginis ad generandos populos Dei Immaculatæ fæcunditatis aperiret genitale secretum. Hic ergo solus aperuit sibi vulvam. Nec mirum hic enim dixerat ad Prophetam: Priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulva matris sanctificaui te. Qui ergo vulvam sanctificauit alienã, vt nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit matris suę vulvam, vt Immaculatus exiret. B C

* *Lib. 2. in Lucam.* Videte quemadmodum cura diuina fidem adstruit. Angelus MARIAM, Angelus Ioseph, Angelus Pastores edocet. Non satis est semel missum; duobus enim, & tribus testibus stat omne Verbum.

Exod. 13

Num. 8.

Lucæ 1.

Hier. 1.

* *Ibidem.* Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quali vilia verba pastorum. A Pastoribus enim MARIA fidem colligit. A Pastoribus populus ad Dei reuerentiam congregatur.

* *Ibidem.* Duæ sunt in Christo generationes: vna est paterna, materna altera. Paterna illa diuinior, materna verò, quæ in nostrum laborem vsumquè descendit. Et ideò, quæ supra naturam, supra ætatem, supra cõsuetudinem fiunt, non humanis assignanda viribus, sed diuinis referenda sunt potestatibus. Alibi enim ad ministerium mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc, quæ humana sunt, exigat. Sed cùm hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur; vides matrem dedicisse à Filio, ne exigeret à validiore ministerium, quæ stupebat in iuniore miraculum.

* *Lib. de Incarnatione Verbi.* Cum vtique scripturæ dicunt, quia Christus secundùm carnem passus est, non secundùm diuinitatem: scripturæ dicant, quia Virgo in vtero accipiet, & pariet Filiũ, quem, & ipsum suscepit. Denique hoc etiam Gabriel proprio sermone declarat, dicens: Et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Dei Filius. Ex te, inquit, vt secundùm hominem, quod ex ipsa nasceretur aduerteres. Ex se enim generauit MARIA, vt quod generaretur ex ipsa, in eo salua generationis Dominicę prærogatiua, corporis esset vera natura.

Isai. 7.
Lucæ 1.

* *Ex Symbolo Apost. cap. 12.* Ob hoc ergo mysterium Filius Dei Christus homo vocatur: quod tamen natiuitatem eius secundùm carnem passionem mortemquè significat. Et ista mirabilis, atque singularis natiuitas, qua Christus homo natus est, de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine facta est, sicut fides sancti huius symboli testatur. Hic ergo vnicus in Deitate Filius, in natiuitate etiam carnali, per quam hominem nostrum, vt saluaret assumpsit, vnicus inuenitur. Solus est enim natus ex Virgine, quæ nec corruptionem de viro, nec corruptionem sensit ex partu.

PRIMI TOMI

FINIS.

Bibliotheca Lauingana

13
62

6.051